PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICUS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III:

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CXXXVII.

HROTSUITHA VIRG. ET MON. GANDERSHEIMENSIS; BENEDICTUS VII, JOANNES XIV, JOANNES XV, GREGORIUS V, SUMM PONT.; S. DUNSTANUS CANTUARIENSIS, ADALBERO PRAGENSIS, REMENSIS ARCHIEP.; ETHELWOLDUS WINTONIENSIS, THEODORICUS METENSIS, ERKEMBALDUS ARGENTINENSIS, GUIDO II PODIENSIS, S. ADALBERTUS, EPISC.; JOANNES ABBAS S. ANULPHI METENSIS, FOLCUINUS ABBAS LAUBIENSIS, BERNERUS ABBAS HUMOLARIENSIS, ADSO ABBAS DERVENSIS, GEZO ABBAS DERTONENSIS, AYMARDUS, MAIOLUS, ABBATES CLUNIACENSES; WINDUKINDUS MON. CORBEIENSIS, LETALDUS MON. MICIACENSIS, ODO DIAC. AUSCIENSIS, WIGO DECANUS PHYUHTWANGENSIS.

TOMUS UNICUS

PARISIIS,

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA *AVENUE-DU-MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE-DU-MAINE*, 127.

1879

Clichy. — Ex typis Pauli Dupont, 12, via dicta Bac-d'Asnières (241.2.79.)

SÆCULUM X.

HROTSUITHÆ

VIRGINIS ET MONIALIS GANDERSHEIMENSIS IN GERMANIA, ORDINIS S. BENEDICTI,

OPERA OMNIA,

JUXTA EDITIONES MELIORIS NOTÆ AD PRELUM REVOCATA.

ACCEDUNT

BENEDICTI VII, JOANNIS XIV, JOANNIS XV, GREGORII V,

SUMMORUM PONTIFICUM;

EPISTOLÆ ET CONSTITUTIONES.

INTERMISCENTUR

SANCTI DUNSTANI CANTUARIENSIS, ADALBERONIS REMENSIS, ARCHIEPISCOPORUM; ETHELWOLDI WINTONIENSIS, THEODORICI METENSIS, ERKEMBALDI ARGENTINENSIS, GUIDONIS II PODIENSIS, SANCTI ADALBERTI PRAGENSIS, EPISCOPORUM; JOANNIS ABBATIS SANCTI ARNULPHI METENSIS, FOLCUINI ABBATIS LAUBIENSIS, BERNERI ABBATIS HUMOLARIENSIS, ADSONIS ABBATIS DERVENSIS, GEZONIS ABBATIS DERTONENSIS, AYMARDI, MAIOLI, ABBATUM CLUNIACENSIUM; WIDUKINDI MONACHI CORBEIENSIS, LETALDI MONACHI MICIACENSIS, ODONIS DIACONI AUSCIENSIS, WIGONIS DECANI PHYUHTWANGENSIS;

SCRIPTA VEL SCRIPTORUM FRAGMENTA QUÆ EXSTANT.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA *AVENUE-DU-MAINE*, 189; OLIM *CHAUSSÉE-DU-MAINE*, 127.

1879

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXXXVII CONTINENTUR.

ANNO DOMINI DCCCCLXXX

WIGO

DECANUS PHYUHTWANGENSIS MONASTERII

WIGONIS EPISTOLÆ

(Pez, cod. diplom. p. 110.)

I

AD ADELHAIDEM IMPERATRICEM

Se suumque gregem obnixius commenat.

Dominæ præcelsæ regum regnorumque altrici nobilissimæ, A Augustæ, semper invictissimæ, fratres Phyuhtwangensis Ecclesiæ servitio noviter congregati, titulum summæ salutationis in Christo Salvatore.

Cum omnes fidelium congregationes vestræ pietatis memoriæ non ignoramus jugiter esse præsentes, humile nomen Ecclesiæ magni Dei Salvatoris vos etiam nosse cupientes, nostrumque manachile propositum in eodem loco nuperrime degere incipientium, vobis æquum duximus intimandum, ut umbra dominationis vestræ deinceps protecti, tumultus sælarium impulsionum sufferre valeamus securi.

Ecclesiam igitur credimus nimium fore beatam, si ejus matrem nostro tempore habere meremur tam benignam, felices esse arbitrantes monachorum plebes sub tali defensatrice monomachiæ studio deservientes, cujus solum ingenium tanta est sapientia auctum, ut sibi totum subjugaret imperium Hujus magnæ spei securitate animati pro diuturnitate seu stabilimine vestri regni diu noctuque non cessamus Deo supplicare. Beatis insuper spiritibus Imperatorum nostrorum amœnitatem cœlestis Elisii jugi precamine a Christo deposimus concedi. Val.

II

AD THEODORICUM EREMITAM IN SYLVA OR

Scribit quantis negotiis et curis obrutus sit in provisione monasterii sui, ac fratrem Adalgozum sibi in adjutorem deposcit.

T. Eremiticæ conversationis cultori studiosissimo, W. monasterii Domini Salvatoris provisor indignus, colore deterso simulationis, devotæ subjectionem obeditionis.

Habitudines cunctorum negotiorum nobis undique laboriose adlabentium, vestræ Paternitatis commiserationem celare nequimus, quia solamen consuetæ compatientiæ petentibus, ut speramus, nullo modo subtrahetis. Fratres monasterii nostri nuperrime visitavimus, fratrem Helpericum adjutorem inde concessum reduximus, cui rei concessionem nobiscum recusanti, penes abbatem nostrum querimoniam feceramus omniun illarum rerum, quas experientiam laborum vestrorum optime nosse non ignoramus.

Multimodarum gravitudinem, jugiter onerose incumbentium, nullius fratris solatio habemus elevamentum, cum alius invaletudine, alius diverso præoccupatus ministerio, ut vel ad spatium parvi temporis solo laboranti concedatur respirandum. Omnes claves monasterii tinnienti cingulo undique appensis ipse porto. Insuper sollicitudini regularis ordinis cautissime debeo providere, nunc curam penoris gerere, nunc cocis præesse, interdum refectorius (*f.* refectorium), semper omnibus domesticis interius commorantibus, et exterius hospitibus supervenientibus cunctis serviturus.

Fratrem Adalgozum nuperrime monasterio, patre viduato, restitutum petimus vestra licentia nobis concedi adjutorio. Et quia in omnibus devoti paruimus, quibus de illo vestra præcepta suscepimus, nec aliquid invitum facere coegimus, communis petitio fratrum nostrorum precatur, ut præcepto vobis debitæ obedientiæ sibi concedatur, ordinandus in officium monasteriale, non quasi eliminatus custodia vestra, cum nullus nostrum se subtrabat jussu vestro : sed quia oportet, si audemus dicere, ut bonum rependatis charitativæ vicissitudinis. Fratrem Engilpertum petimus ut scriptis vestris sæpius commonefaciatis de bonis ad meliora. Valete.

III

AD DIETRICUM

Ut ad se librum canonum mittat, usui sibi futurum in causa cujusdam clerici, a laicis pessime habiti.

Domno Dietrico. Wigo confrater in Deo summo salutem.

Sicut per pastoris neglectum sæpe veniunt detrimenta ovium : ita de hebetudine nostræ improvinciæ (*ita cod.*) nostrorum vicinorum servuli congregati quemdam clericum nostrum membratim detriverunt. Et ecce subsequuntur variæ conflictationes multorum, Has ad nullandas, et canonica ratione destruendas, si ullus liber penes vos factorum habetur, nobis rogamus præstari, et per præsentem nuntium transmitti. Bene valcatis.

IV.

AD LIUTOLDUM EPISCOPUM AUGUSTANUM.

Rogat ut rebus in suo Monasterio afflictissimis opem ferat.

L. Pallio summi sacerdotii cœlitus indusiato, W. congregandi gregaminis inermis opilio, gaudium supernæ felicitatis in Christo.

Cursum effectuosæ legationis ad monasterium nostrum fore prosperatum, summo Deo primum hymnizamus, qui directaneo gressu, vialique ductamine semper dirigit secum cordis conamine versantes. Fraternæ autem deductionis augmentum merito vestræ pietatis ascribimus, quia pelliferum nostra inscientia minime edoctum, et tepentia schedulæ verba, vivida aucta facecitate viæ direxistis. Illam incommoditatem importune sustinemus, cum Dei ministerio Ecclesiæ congregamur, quod conglobatarum avium garritus cantando superare nequimus, quod undique pennigero volatu invehuntur patulis fenestris, et quando nivoso prosternimur pavimento ex omni parte nive afflati, cœnosi volutamur. Sed tamen communiter degentes hæc opportune toleraremus, si Dominicum altare a ninguine defendere possemue. Accensæ candelæ flamine ventorum turbatæ, multum lacrymantes exstinguuntur. Ad clausuram fenestrarum, si aliquos lineos tribuitis pannos, potestis facile istam querimoniam sarcire. Quantumlibet chalybis ferramenta sarcienda, quæ nobis sunt necessaria, flexo petimus collo, nostro jubeatis transmitti Vulcano.

V.

AD GOZPERTUM ABBATEM TEGERNSEENSEM.

Exponit ei difficultatem, novi Monasterii sui constructione causatam, rogatque ut Weicherum solatii, Sigihardum studiorum gratea ad se mittat.

Abbati G. monastica firmitudine priscorum vice Sanctorum patrissanti, Wigo cum fratesculo, secum in ministerium deputato, quidquid tenelli maturo parenti.

Novæ plantationis germina brumali tempore vos velle propagare, mirandum nova conscriptione, cura nivosa hyems non viridescere in fruges, sed magis soleat in lapides rigescere albicantes. Tamen ornatui Salomoniacæ domus nimium habiles si volumus jacere similis structuræ profunditates, gloriosum Salomonem omnis copia Davidicæ præparationis non tantum sublevabat, quantum nostri cordis domicilium lætificat decora ædificatio, quæ non lapidosa materia, et quandoque casura, verum cultu mansuri fundaminis vestræ celsitudinis juvamine nostro Pontifici est stabilienda. Gaudeamus nos directos norma Dominicæ ordinationis, qua duodenos discipulos misit ad prædicandos populos; et illorum ministerii opus non posse imitari dolemus; cum illi tricies et sexies in binarium divisi, si non sanctitate, vel ut ita poetizemus, effectum sibi injunctæ præceptionis numerositate supplere potuissent. Nullos adjutores nobiscum habemus præter duos grandævos silicernos, quos omnimodis nihil alludit operis. Cœlicolæ

A tantum arrident eos, volentes eo se quotidie apud superos deficare (*ita cod. f.* deificare). Quocirca petimus de vestræ paternitatis clementia nos adjuvari solatio fratris nostri *Weicheri*, ut radix alicujus boni fructus profluxione majoris irrigationis possit augeri in loco nobis commisso, quatenus cumulus supernæ mercedis a Domino Salvatore remetiatur vobis. Sigihardum fratrem nostrum, quem tempore viridescentis anni dirigere decrevistis causa discendi, si vult, et si dignamini, nunc etiam mitti precamur. Valete.

VI.

AD LIUTOLDUM EPISCOPUM AUGUSTANUM.

Ut eos fratres, quos monasterii sui commodo a Gozperto abbate Tegerns. impetravit, benigne accipiat, et ad se rebus necessariis provisos mittat.

B Præsuli L. cura pastorali custodelœ ovium Christi provida cautela invigilanti, W. cum adelto Dei Salvatoris indigno tirunculo, supernæ salvationis juge precamen in Christo.

Auctoritate sanctitatis vestræ, summe pastor, lepide persuasi, solidariæque conversationis nostræ singularitate compulsi solidissimum littus stagninarum impulsionum, anchoramque verissimæ spei per nuntium adnavimus, tutissimos videlicet sinus abbatis nostri, quo fluctuationes fraterna raritate nobis illisas, aliquo consolatorio stabilimine sedare pia augmentatione fratrum dignetur. Quos si prædestinationis Dei via direxerit ad Augustam civitatem, adjunctione sociorum itineris, fulcimine equorum, equorumque aurigis sublevatos precamur C humane suscipi jubeatis, susceptos nobis mittere dignamini.

Vuillihardus clericus a vobis regressus venit ad nos quinta feria ante Theophaniam, qui intimavit, quod admiramini, quod neque per nuntium, aut per epistolam innotuimus, quid faceremus, qualiterve possemus. Valetudo sanctitatis vestræ tantum queat in Domino! circa nos ob gratiam vestri omnia bene aguntur. Ut de omni incertitudine conversationis nostræ certificemus, omnia ordinatim innotamus scripta. Sexta feria, quæ proxima dies erat post natale infantium, direximus epistolam per nuntium, ut oculis vestris perspecta, si essetis in Augusta, impressione sigilli vestri bullaretur. Hoc autem exemplar epistolæ.

D VII.

EPISTOLÆ PRÆDICTÆ EXEMPLUM.

Commendat Wigo duos juvenes monachos F. scholastico Augustano, sibique Prisciani majoris copiam fieri rogat.

Apostolicis agminibus ordine hæreditario cœlico nutu connumerato F. supernæ sponsionis perdignos judicantium gradus.

Institutione vitæ *Benedictinæ* nutriti, monarchiæ cogimur obeditioni mente subesse, præcepta majorum celeri pedum suspensione perfecti in omni præcipimur esse. G. (*Gozpertus* ab. Tegerns.) summæ perfectionis amator, Monachorum fidelium

piissimus pastor, quemdam fratrem vivida juventute florentem commisit mihi ad docendum, alicujus rivuli guttulam me sperans sapida mente degustasse. Omnium namque doctorum fama se testatur comperisse, maxime abundare civitatem vestræ sedis cunctarum liberalium artium docibilitate. Cujus spei securitate roboratus, vestraque fultus suabili petitione etiam alium sua sponte admiserat fratrem. In quibus suæ nequaquam possumus implere voluntatis jussionem, nisi vestræ habeamus consolationis fulcimen. Majorem librum Prisciani petimus nobis, ut jubeatis aliquantulam temporis præstari, quo vel duos libellos legendos, sicut jussi sumus, facultatem habeamus, ne inobedientiæ culpam incidamus, si injuncta quasi despicientes omittamus; aut ne inexhaustæ abundantiæ bibliothecæ Ecclesiæ vestræ culpam inopiæ præsumptuose videamur irrogare, si cuipiam externorum pro tali necessitate inepte genu flectere compellimur. Valete.

VIII.

COMMUNI SUORUM NOMINE AD HEINRICUM BOIARIÆ DUCEM.

Pisces sibi pro celebrando festivius Pascate mitti rogat.

H. Christianæ gentis ductori præcellentissimo, fratres Phyuhtwangensi congregati monasterio, devotissima munia precum in Christo.

Monachi solius nominis adjectione vocitati, servi egregii potentatus vestri, et fraterculi monasterii sancti Quirini præcepto patris nostri Gozperti, cæteris commanentibus commoramur in cœnobio Phyuhtwangensi, consuetudini monachicæ constitutionis, prout possumus, deservientes. Felix Ecclesia, quæ perdigne gratulatur tali principe fulta! Celebre nomen vestrum, quod jugiter amorifero corde hinc inde sermocinando volitans, ubique summo rumore diffunditur, vilitati nostræ denuntiavit præsentiam vestri fore in vicinitate nobis admodum opportuna. Idcirco quasi de asperitate eremitali, ubi tellus nescit stagnorum gignere sinus, et ut ita dicatur, quid sit piscis, penitus ignoretur, mittimus ad nobilem celsitudinem vestram, si debita copia vivaria lata, et sæpius merito a Deo dilatanda scaturiant abundanti et consuetudinaria piscium fetura, nostrum Pascha piscigena largitione jubeatis jucundari, solitam impertiendo misericordiam, quam vobis fecistis apud Deum piam patronam, semper commiserans indigentibus. Valete.

IX.

AD G. ARCHIPRESBYTERUM

Ut infligendam Ortwino presbytero pœnam tantisper differat

G. Venerando archipresbytero W. Phyuhtwangensis Ecclesiæ provisor indignus salutem in Christo.

Ortwinum presbyterum vestro discipulatui subjectum audivimus in vos esse culpabilem. Et non modicum doluimus, quia videlicet nec nos habet placatum, si vos habet offensum. Sed quia synodali censura convictus est reus exstitisse, petimus pietatem vestram, ut modum pœnitentiæ, sibi merito A ingerendæ differre velitis ob causam nostræ humillimæ petitionis, usque dum nos facietenus colloquentes videamus. Non ideo hoc autem deposcimus, ut cum vestro servitio excusemus, dum nos cum omnibus nostris devota servitia impendamus: sed multa etiam alia penes vos, si dignamini, habemus tractanda. Valete.

X.

AD E. COMITEM.

Hunc salinæ cujusdam nuper sibi donatæ, totiusque monasterii S. Salvatoris Phyuhtwangensis defensorem esse cupit.

E. Functione comitali famosoque virtutum cultu alterutrius generositatis gloriosum stemma nobilitanti W. custos constitutus in loco, Phiuhtwanc B nominato, cum agmine fraterno devotum salutamen in Christo.

Fructuosis dispensationibus multorum fidelium possessiones ad sancta loca traditas, omnium bonorum gaudet conscientia, qui hæreditate terrena comparari posse non dubitant superna. Amore hujus beatæ spei, ut audivimus a narrantibus, ducti parentes vestri partem fontis, vivida scaturigine salem scaturientis, tradiderunt monasterio Salvatoris nostri, quod optime vos nosse novimus, quid datum sit, et qua lege serviendum sit ad hoc concessis mancipiis. Quare ratum fore consiliati sumus concordi concessione nostri advocati talia commendare vestræ defensioni, qualia sunt attributa monasterio antecessorum vestrorum beneficio. Alieni namque superducti sua lucra, non justam æmulationem C sectari referuntur. Quia in omnibus negotiis, ad nos pertinentibus, vestrum suffragium, si dignamini, habere desideramus, hunc fratrem mittimus pietati vestræ, quem easdem res feceramus procurare, ut semper reclamationem per eum habeamus, secundum quod scitis ejusdem familiæ legem statutam, ne eos aliquis injusto premat servitio, vel ab eis negligatur colligi et reddi census, domui Dei inquirendus et reddendus. Quanquam enim quidam quibus humanæ caducæque res nimium adhærent, hujusmodi data patrimonia, sibi penitus sublata pœniteant, tamen non erit exstincta piis posteris clara et insignis remuneratio ejusdem hæreditatis, si eos eadem priorum comitatur devotio in excolendo Deique servitio devote mancipando, ut hoc, quod natura debuit homo, anima possideat in futuro præ-D mio hæreditario. Valete.

XI.

AD LUITOLDUM EPISCOPUM AUGUSTANUM.

De injuriis sibi a Rihhardi filio irrogatis.

L. Præsulatus officio cœlica præsulante gratia insignito, frater W. præordinatus Phyuhtwangensi monasterio, quidquid servus devotissimi oraminis vel famulaminis Domino perpetualiter hæreditario.

Detersa totius murmurationis occasione cordetenus frequenter revolvimus flebilia lamenta, quibus Hebrææ catervæ nimium doluere, Moysen et Aaron

se fetere fecisse coram Pharaone et Ægyptiis, dum A quotidie et ipsi durioribus diversarum sarcinarum premitur opprobriis. Cruentis vulneribus sauciati querimoniam feceramus de multimodis injuriis a filio Rihhardi nobis sæpe sæpius arroganter irrogatis, nec ullam emendationem penitus sentiebamus; sed propter hoc, quod vobis causati sumus, odibiles existimus omnibus incolis illius regionis. Nullus enim amat, nullus veneratur; qnia nullus timet supratonsus, nec circumtonsus, nec Deum nec hominem. Cuncti nos inimicabiliter insequuntur, et maxime ille prædictus, qui, postquam a vobis domum reversi sumus, majore temeritate inflatus, quia civicum adjutorium non invenerat, congregaverat Suevigenas, quos poterat, et prata nostra cum eorum equis ex maxima parte depastus est; illam B aquam, præter quam nullam habemus aliam, quam ei sæpe interdiximus, exspiscari furtive et publice non cessat. De his omnibus nullum hubemus defensorem! quia vobis variarum rerum negotia jugiter allabuntur, nosterque advocatus undique ab hostium insidiis detentus dilaceratur; et ideo a neutro defensi hinc inde miserabiliter a tali quassamus homullo (*ita cod.*) tamen a Capite Regio defendi absque dubitatione speramus. Valete.

XII.

AD EUMDEM.

Extremam annonæ penuriam ejus beneficientia sublevandam sperat.

Antistiti L. (*cod. J., sed, ut videtur, mendose,*) tutori Dei Ecclesiæ catholico pastori, W. humilis homullus, devota munia sedulorum præcaminum C in Christo.

Solita sedulitate loquacitatis inceptæ nimiæ insistimus grandi petitioni, valdeque grandia petimus, quia vos grandia largiri usque modo sentiebamus. Sericis tunicis, quas usque nunc ob eleemosynam vestri sufficienter habebamus, modo non habemus, nisi singuli fratres singulas, ipsaque vetustate pene consumptas. Nullo enim femina vestro jure nobis concessa lanificium operatur; quia ut incolæ regionis decertant, nullo modo tali lege infringuntur. De inopia frumenti nuper vobis incassum demandaveramus, quia priori anno terræ infertilitas, aeris inæqualitas, ut etiam horno videmus evenire, fruges ditiorum locorum, quæ in alimoniam habemus, hiemis asperitas, pruinæque mordacitas utrinque plus quam LX jugera decoxit. Quid illi familiolæ faciendum sit, nescimus, quæ hinc inde vagula per varia dissipatur loca, non habens debiti victus sufficientiam necessaria.

Istis cæterisque prætermissis de domesticis compatiendo tractamus, qui nos quotidie conclamantes pertubant, victum vestitumque hyperbolice exposcentes, sartores videlicet Ecclesiæ cæterorumque ædificiorum instauratores. Duo etiam coci, unus ligna, alter colligens olera; duo pistores, bubulcus atque subulcus, caprarius, custos equorum, sutores, lautores, brazatores (braxatores), qui nunc quotidie vacant. Nullum enim hospitem possumus suscipere aut potu reficere: quia non dederunt nobis brazam, quibus jusseratis. Pauperibus namque vos in eleemosynam suscepimus, et his, qui hinc inde confluunt, non audemus denegare solatia. Fratribus omni Sabbato pro charitate miscendum post Mandatum, aliisque summis festis utendum, non modicum vini empturi sumus cum illa pecunia quam utrique nostri dominorum largiti sunt. Cætera plurimaque id genus, quæ desuut, speramus emendari a patre monasterii, quem vos esse profitemur. Valete.

XIII.

IDEM, UT VIDETUR, AD G. ET E.

Petit frequentiores litteras et sui amorem.

Dilectissimo patri G. dignæque matri E. senior W. fraterque junior ævo, salutem in Domino.

Quod longo tempore privati sumus vestro colloquio, sæpius tristamur mœrore non modico. Nimium tamen confisi vestræ pietati nihil aliud petamus nisi plenitudinem charitatis et compatientiæ, quam semper in vobis habebamus. Nihil aliud servitii habemus præ manibus. Hoc scitote sine dubio, quod jugiter supplicamus coram summo Deo pro vestra beatitudine hic et in cœlo. Valete.

ANNO DOMINI DCCCCLXXX.

HELPERICUS

MONACHUS S. GALLI.

NOTITIA HISTORICA IN HELPERICUM.

(Apud. Fabric. Biblioth. med. et inf. Lat.)

Helpricus, Elpricus, Hulpricus, Helpericus, Helphericus, Chilpericus, Hilphericus, Hilpericus, mo- D nachus S. Galli, ordinis S. Benedicti, circa annum 980 scripsit librum *De computo ecclesiastico,* quem

edidit Bernardus Pez tomo II Anecdotorum parte II, pag. 182-222. Idem liber est qui in aliis codicibus *De arte calculatoria* inscribitur. Præfationem ad *Asprum*, abbatem sive decanum monasterii S. Germani apud Antissiodorum, ediderat Mabillonius tomo I Analect, pag. 113 editionis novæ pag. 431 ex codice bibliothecæ S. Germani de Pratis, in quo Helpericus iste *abbatis* venit titulo. A Sigeberto cap. 145 de S. E. et in Chronico refertur ad annum 1005. Verum exempli verba, quæ adducit, in ms., quem inspexit Mabillonius, desiderantur, videnturque addita a scriptore codicis, quo usus est Sigebertus. Nam nec in Pezii editione illa invenio. Guilelmus de Conchis libro tertio secundariæ sive Dialogi de Substantiis, p. 89. *Si causas nominum illorum quæris signantur* in zodiaco *Helpricum lege*. At enim *Elprici monachi epistola, cur natalitia Sanctorum in lætitia, Parasceve vero in tristitia celebremus*, quæ capiti 18 Alcuini de Divinis Officiis subjuncta legitur, vel post Alcuini tempora accessit, vel si ad Alcuinum scripta est, alium atque antiquirem Helpericum habet auctorem. Erithemius libro de Viris illustribus Germaniæ cap. XLII Helpericum monachum S. Galli, quem philosophum, astronomum et poetam celeberrimum appellat, testatur etiam *liberum de Musica*, et quædam *Carmina* scripsisse : ætatem ejus ibi refert ad annum 1040 : sed lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 325 ad annum 1096. Ita et II, 76, illustr. Benedictin.

HELPERICI

MONACHI SANGALLENSIS

LIBER DE COMPUTO

(Apud Pez, Thes. Anec 1. noviss. II, II, 182)

PRÆFATIO HELPERICI (1)

(Apud Mabil. Analect. p. 431.)

Domino Patri sanctissimo, nomine ASPRO, moribus autem placidissimo, HELPERICUS humilis vernula, æternæ prosperitatis adminicula.

Dum paternitatis vestræ jussionibus libens parco, multorum de ridiculis me lacerandum expono : unde vestram submissus exoro paternitatem, ut meam super hoc excusetis temeritatem. Exigitis enim ut opusculum, quod nuper rogatu fratrum nostrorum juniorum de arte Compoti rusticano sermone edideram, quodque eis solis legendum dederam, uni præcipue eorum qui me pertinaci importunitate ad hoc præsumendum impulerat, et cui illud jam Grandi-Valle positodirexeram ; hoc, inquam, præcepistis, cum anno præterito legatione fratrum nostrorum Grandi-Valle degentium ad vos Autisiodori fungerer, ut transcriptum vestræ paternitati examinandum dirigam ; ut, hoc facto, ac si sorex, meo miser indicio parcam. Ego enim decreveram nugarum mearum ineptias dignis occulere latebris : ne, cum prodire cœperint, multorum in me fel commoveant, jure causantium vanissimis næniis me occupare membranas.

Sed quis vestris non obtemperet jussis, licet cum detrimento sui? Ego præcipue qui me vestris obsequiis ita mancipaverim, ut quod vobis ratum cognoverim, quantumlibet arduum, aggrediendum mihi

(1) Helpericum, mox laudati libri conditorem, monachum fuisse cœnobii sancti Galli, tradit Johannes Trihemius in lib. II. de Viris illustribus Ordinis sancti Benedicti cap. 76. Hunc librum habemus in apographo nostro Bibliothecæ Germanensis, sed sub nomine Herici, et absque priori præfatione hic edita, quam ex membraneo codice cœnobii Viconiensis prope Valentianas descripsimus. Eo in codice Helpericus abbatis nomine donatur in operis titulo, qui sic habet : *Helperici Abbatis de Compoto*. Asper, cui præfatio inscripta est, abbas erat, aut certe decanus sub abbate sæculari, monasterii sancti Germani apud Antissiodorum. Isthuc missus est Hilpericus quorumdam negotiorum causa ex cœnobio Grandivallensi, tum ordinis sancti Benedicti, in diœcesi Basileensi, quod jam dudum ad sæculares canonicos mutavit. Trithemius in loco jam citato scribit Helpericum floruisse anno 1020. At Helpericus ipse sub finem libri sui designans tempus quo libro suo scribendo navabat operam, notat annum 880, ut legitur in apographo nostro, quod principatu Henrici Francorum regis eo nomine primi exaratum est. Hoc idcirco observo, quod Sigebertus in Chronico probet librum hunc ab auctore conditum esse anno 1005. Verum exempli verba quæ adducit non comparent in apographo nostro, videnturque addita a scriptore codicis quo usus est Sigebertus. Is tum in Chronico ad annum præcitatum, tum in libro de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 145, Chilpericum vocat auctorem, de quo hic agimus. Crediderim eum ipsum esse Hilpricum cujus epistola refertur in lib. de divinis Officiis apud Alcuinum cap. 18.

esse non ambigam. Unum ergo a vestra paternitate deposco, ut quod vestra jussione coactus aggredior, vestro munimine fretus indemnis evadam; quod ita fieri poterit, si fastidiosis quibusque, et qui alios tantum reprehendere valent, hujus lectio subtrahatur : et vobis vestrique similibus, qui sine livore, oculo columbino, ut ita dciam, cuncta respicitis, examinandum præbeatur.

Verum hæc hæreticus quisque quomodo volet accipiat: mihi vestrum judicium satis idoneum constat, cui summa [Veritas] hoc anno perspicue dignata est manifestare, quam sit inutile sanctissimis vestræ paternitatis imperiis repugnare. Evenire autem justissime solet, ut qui patris salubria spreverit consilia, debita pertinaciæ suæ quandoque luat supplicia, quod eo verius possum fa;eri, quo sæpius et hoc anno crebrius atque acerbius, imo et justius, non desino experiri.

Nec immerito : cum enim me divina pietas loco illo restituisset, quo me ad sibi serviendum jam dudum delegerat, et unde ego infelix instabilitatis solummodo causa exieram, cum ibidem omnibus bonis abundarem, quodque ego super omnia duco, sanctissima sanctorum Patrum dilectione foverer; cum, inquam, me superna clementia post diuturnam evagationem illuc revocasset, vestraque erga me so- A lito flagrans paternitas secum retinere voluisset: adversa, ut patet, impellente fortuna, non acquievi, sed pristina usus levitate redii, quo me et multa passum recolebam, et deteriora passurum non ignorabam. Quo facto et illud didici multum apud Deum valere preces, quas illi ex animo funditus, cum una eademque leviter fusa oratione tantum adversum me obtinueritis. Reminiscor enim vos, cum me retinere nequiretis, imprecatum mihi, ut invenirem aliquem, qui me acerrime verberaret in loco, ad quem tantopere festinabam; quam orationem effectus est e vestigio consecutus. Quanta enim contumeliarum verba, quot proborum ludibria, quæ et qualia derisionum tormenta deinceps patiar ab his præcipue qui erant quondam pacifici mei, quosque ego apud B vos summis laudibus extuli, lingua non valet effari. Quod quia ob ulciscendam im me levitatem jure obtigisse cognosco, divinam super his laudem æquitatem : et ut ab his tandem eripi queam, vestrarum obnixe postulo suffragia precum : ut quem licet nolens tauto malignus fasce gravitatis, orando tanto releveti ob onere dexterioris manum orationis porrigendo. Verum hæc plenius, si Dominus cupitum præbuerit colloquium, vivo sermone expedientur. Quod ut citius fieri valeat, vestra exorabilis oratio precibus crebris obtineat.

PROLOGUS.

C Cum fratribus adolescentioribus nostris quædam calculatoriæ artis rudimenta communi sermone explicare cœpissem, quo eis hujusce quoque non contemnendæ, ut multi arbitrantur, scientiæ aliquid impertirer, quos in arte grammatica, prout divina auxiliata est munificentia, aliquatenus induxeram, nescio quo accensi desiderio instare vehementer cœperunt, quatenus ea, quæ viva voce deprompseram, multorum utilitati profutura qualicumque scripto ederem, ut, si quando hæc, ut solet mens humana diversis dedita curis multa oblivisci, memoriæ exciderent, litterarum suffragiis ea quoquo modo reparare valerent. Quibus cum obnoxius [*f.* obnixius] renitens, id quod erat obtenderem, superesse scilicet libros de hac eadem re tum dilucide, tum venuste majorum nostrorum tempore editos, præcipue venerabilis viri Domini Bedæ presbyteri, qui cum in aliis, tum etiam in hoc sanctæ Ecclesiæ utilitati plurimum esudavit; illorum lectionem instarent; illos diutina meditatione perdiscere studerent, a me intentionem averterent, nec me aggredi cogerent opus omnium sputis obnoxium, cunctorum, deridiculis dignum, præsertim cum sim ingenio rudis, sermone impeditus, et ne rustico quidem eloquio balbutire sufficiam, nedum veritatis quippiam comminisci præsumam. Cum hæc, hujuscemodi plura excusationis obtentum [*sic cod. f.* obtentu] objicerem; tum vero pertinacius institere, et non novi, inquiunt, aliquid te cudere petimus, qui nihil jam reperiri posse remur, quod ab aliis non inveniatur dictum; sed ex his, quæ ab aliis asseris sparsim copioseque tractata, poscimus utiliora quæque nobisque necessaria, studio fuo decerpta, in unum colligi, et veluti sertum quoddam ex diversis floribus compingi. In quo opere non pompacitatis verborum faleras, aut urbanitatis exigimus veneres, quas utras [*supple* in] antiquorum est invenire commentariis. Enimvero quæ ab aliis obscurius sunt prolata, tuo, quæsumus, manifestiora fiant relatu. Hac evictus importunitate, et de divina præsumens largiflua bonitate, studiosa nihilominus provocatus fratrum D charitate, quæ humiliter eos postulare sensi, eo tenore tentare præsumpsi, ut hæc nulli unquam, præter se, legenda præbere, vel auctorem operis publicare pollicerentur.

Sed et si cujus peritorum hæc aures offenderint, ne me temeritatis notet elogio, sed noverit me charitatis paruisse imperio, ac fraternæ utilitati deservisse, prout fuit studio possibile. Quotidiana igitur annuaque Compoti argumenta vulgatiora, et quæ ne laicus quidem, ne dum clericus impune ignoraverit undecumque collecta, et planiore, quam sint ab aliis,

sermone edita, congessi, de meo nihil addens, sed quæ ab aliis eo obscurius, quo sunt prolata venustius, rusticano sermone enucleatius edisserens; ut si quis ita ab omni fuerit serio feriatus, legere ista dignetur, quo facilius illa doctorum subliminora rimetur.

INCIPIUNT CAPITULA REGULARUM COMPOTI

INCIPIT COMPOTUS HELPERICI MONACHI

CAPUT PRIMUM.

Unde conficiatur annus solaris, et de ratione bissexti.

Annus solaris, ut majorum constat solertia investigatum, CCCLXV diebus, et quadrante conficitur Si quadrans quid sit dilucide nosse desideras, scito quia quidquid in quatuor æquas partes divideris, unaquæque earum quadrans, tres autem reliquæ nominantur dodrans. Cum ergo diem integrum, id est cum sua nocte, XXIV horis constare manifestum sit, qui numerus ex senario quater ducto conficitur, quia quater habet senas horas, ipsæ sex horæ quadrans diei jure nominatur. Si ergo unde hi dies computentur, manifeste cupis agnoscere, scito primum annum solarem dici, quo sol totum signiferum, id est, XII, zodiaci signa perlabitur, quorum unumquodque, sicut majores nostri diligenti inquisitione investigaverunt, tricenis diebus ac denis horis dimidiaque perlustrat. Quia ergo sunt XII signa, et in singulis eorum sol XXX diebus immoratur, duc duodecies XXX et habes CCCLX dies. Tunc X horæ, quæ in singulis supersunt signis, duodecies ductæ, summam CXX reddunt horarum. Has æqua portione per XXIV distribuens absque dubio dies quinque reperies, singulos XXIV horarum. Istos junge superioribus, et habes totius anni solaris CCCLXV dies. Superest autem adhuc in singulis signis unius horæ medietas, qua item duodecies ducta, id est, de singulis in unum redacta, VI integras perficere nulli constat ambiguum; et hic est quadrans, id est quarta diei pars, ut supra evidentissime constitit. Quæ quoniam singulis annis computari nequeunt, cautum est ut tribus semper annis absque ulla computatione prætereantur, donec quarto anno in summam collectæ integrum diem XXIV reddere possint horarum. Hic est dies, quem bissextum quarto anno nominamus,

quod vi Kal. Martias pronuntietur, totusque ille annus bissextilis appellatur, constans CCCLXVI diebus. Qui dies si negligatur, eveniet post aliquot annos ut hieme æstivi, et contra æstate hiberni menses occurrant. Nam per CCCLXIV annos tantum calculatio regradabit, ut in Kalendis æquinoctiorum solstitia, et e contra in solstitiorum eveniant æquinoctia, id est, cum XII Kal. April, pronuntiaveris, et debeat esse æquinoctium vernale, appareat solstitium brumale, quod est XII Kal. Januarii. Cumque pronuntiaveris XII Kal. Julii, quod est solstitium æstivum, occurrat æquinoctium vernale, quod esse debet XII Kal. April. Sicque in cæteris eveniet anni diebus. Ad hunc evitandum errorem bissextilis dies quarto semper anno intercalatur. Hoc veluti quodam fundamento inveniendorum sequentium argumentorum prælocato, ad ipsa jam explicanda, quæ hinc conficiuntur, accedamus argumenta.

CAPUT II.

Physica signorum ratio, et de solstitiis et æquinoctiis.

Sed quia rudibus, id est similibus nostri, hoc opusculum cudere instituimus, non infructuosum videtur de ratione signorum, quantum ingenioli nostri capacitas ex majorum dictis retinere potuit, pauca perstringere. Ac primo sciendum illa signa nihil aliud esse quam cœli certa spatia ex stellarum positione et ordine, calculatorum sagacitate quibusdam quosi limitibus determinata. Primos namque Ægyptios, quos præ cæteris nationibus hujus artis peritia calluisse, divinæ (*cod.* ut divinæ, *sed tunc verbum desideratur*) et humanæ produnt litteræ, iter illud solis, per cujus discursum annum C explet circulum, in duodecim partibus emensos testatur Macrobius. Quod, qua industria fecerint, qui plenius nosse desiderat, ejusdem Macrobii commentum de Somno Cipionis (*sic*) legere studeat. Ipsas autem partes subsecuta posteritas primo generaliter signo appellavit. Unde eidem sphæræ Græce zodiacos, Latine autem signiferi nomen impositum est. Deinde singulis signis certa indidit vocabula, quæ poetæ quidem ridicule finxerunt; sed qui dicuntur philosophi, quibusdam physicis adumbrationibus colorare nisi sunt. Sed nos (*ita cod.*), poeticis, in quibus nulla inest veri soliditas, posthabitis figmentis, naturalium rerum pauca quæ de veterum potuimus eruere commentariis, inserere non videatur onerosum. Igitur zodiaco ipsi eo loco tribuentes D initium, quo solem mox factum constat esse locatum, id est, ab eo signo, quod XV Kal. April. intrare dicitur, quem primum fuisse diem sæculi et quarto abhinc se creatum æquinoctiali die ratione sol iose testatur, idem principale signum quasi Arietis nomine vocaverunt, ex natura ipsius animalis trahente vocabulum similitudinis ad efficientiam solis, sive quod id animal præcipue cornibus valet, sicut sol ab eo tempore ad resolvendam terram, catenus brumali rigali concretam, radiorum vim exercere incipit, sive quod ab eo æquinoctio per totam æstatem usque ad aliud æquinoctium dextrum A lustrat hemispherium; sicut illud animal toto hoc tempore dextro lateri fertur incubare; nam reliqua anni medietate et sol sinistrum ambitum peragit, et aries super sinistrum latus incumbit.

Taurum ob id reor illos secundo loco posuisse, quod sole illas partes adeunte boum labores, id est, segetes ad maturitatem tendunt, et in quibusdam ferventioribus terris etiam metuntur.

Super Geminorum allegorica significatione nihil adhuc reperire potui, nisi parum, quod tamen et ipsum haud multum a fabuloso recedit figmento. Fertur in illo namque mittholoico (*sic*) simulacro ex his Geminis, quos Castorem vocant atque Pollucem, alterum immortalem, alterum fuisse natum mortalem. Sed is qui mortalis exstiterat, suæ mortis objectu fratri immortalitatem acquisisse, id quod in B ipsis probare nituntur stellis, quod uno oriente alter occidit. Hoc quoque soli sic coaptant, quod unus idemque modo in una mundi descendat, modo in summam resurgat altitudinem.

Cancri significatio in propatulo est, quod sicut id genus animalis versis vestigiis retro incedit, ita sol, cum ad hoc signum venerit, ultra scandere non valens inferiora repetit, celebrato in quarta ejus parte solstitio, id est XII Kal. Julii, unde idem ortus. Nam tres sunt principales ortus occasusque solis, scilicet brumalis, æquinoctialis, et borealis. Iste de quo loquimur, is, inquam, ortus Therinos, Tropicos Græce vocatur θερος, id est æstas, composito nomine a qualitate temporis et conversione solis.

Sequens signum Leonis dicitur ob illius mensis, Augusti scilicet, ferventissimum tempus, quia leo cæteris animalibus calore præstare creditur, quodque Leo priore parte validus, posteriore degenerat; sicut sol e medio illo signo jam circa mensem Septembrem æstus sui ardorem nobis duntaxat mitigare incipit.

Jam vero ipsi Septembri Virginem deputaverunt; quod eo mense effecta jam terra nihil fructum gignat.

Libram, quam in trutinæ effigiem formant, æquinoctialem diei noctisque parilitatem, quam in ejus quarta parte sol exsequitur autumno, id est XII Kal. Octobr., insinuant, sicut in Arietis quarta parte verno, id est XII Kal. April. Et hi sunt ortus vel occasus, quorum uterque isemerinos, id est æquinoctialis appellatur.

At vero Scorpius aculeatus et Sagittarius ad exprimendos grandinum ictus et tempestatem illius temporis sunt locati. Præter hunc Sagittarius, postrema parte in ferina membra degenerans, significat solem tunc temporis a superis in infima detrusum.

Capricorni significantiam oculis etiam deprehendere perfacile est. Capram enim in pascendo ab imis alta petere semper nemo est qui nesciat. Sicut signum hoc solem nobis ab inferis partibus ad superiora remittit, transacto in quarta parte sui, qui

est XII Kal. Januarii, solstitio brumali, sicut in Cancro æstivali. Unde etiam hoc signum, sicut et illud tropicon, id est convertibile, appellatur. Et inde hæc signa philosophi portas solis appellaverunt, quod in utroque eorum, obviante solstitio, ultra ejus prohibeatur ascensus. Solstitium autem dictum non quo solem aliquando stare sit credibile, sed brevissima illa spatia, quibus summam vel imam zodiaci partem attingit, hoc nomine censetur (*cod.* censetur), quod atomo fieri nulli dubium est. Sciendum quoque hoc solstitio diem brevissimum, noctem vero longissimam fieri, sicut econtra solstitio æstivo noctem brevissimam diemque longissimam, quod ratione circulorum terræque globositate fieri liquido patet. Siquidem sphæra illa cœlestis, per quam zodiactea linea ducitur, ad aquilonem super terram altissime porrecta, breviorem sui partem sub terra nobis occultat. Econtra ad austrum super terram parum elata, in immensum sub terra porrigitur. Zodiacus vero, quoniam non in directum circuli more ducitur, sed in zonæ modum a septentrionali plaga in meridionalem, id est, ab arcturo ad austrum obliquatur, alterum e tropicis, id est, Cancrum, boreali: alterum vero, id est, Capricornum, australi polo proximum gestat. Unde fit ut secundum spheræ cœlestis positionem, in qua signa sunt fixa, superne Cancer cæteris signis a terra remotior, Capricornus vicinior, et econtra inferius Cancer terræ vicinior, Capricornus sit remotior. Sol vero, licet non sit in cœlo fixus, tamen quia signifero suffertur, necesse est ut secundum ejus convexitatem vel propiet vel recedat a terra. Unde in Cancro positus, quia super terram maximum aeris spatium ab ortu usque in occasum, utpote in altissima progrediens, conficit, sub terra vero brevissimum, quippe qui ambitu terræ tantum lustrato, festinat ad ortum, tardiore cursu diem nobis producit, ociore ortu noctem coarctat. Quæ omnia in Capricorno per contrarium fieri manifestum est, quia quantum in isto super terram exaltatur, tantum in illo sub terra dimergitur; et rursus quantum in hoc sub terra, tantumdem in illo super terram itineris conficit. Unde dies æstivi cum brumalibus noctibus, et rursum noctes hiemales cum æstivis diebus longitudine sive brevitudine concordant. Singula enim signa non obliquum habent cursum, ut ea quæ in septentrione aliquando vergant ad austrum, ut quidam putant, asserentes solem, cum est in Cancro, in die boreales, nocte vero australes, et econtra in Capricorno positum die australes, nocte boreales mundi lustrare partes, sed singula in directum terram ambiunt, et quam partem soli die super terram, eamdem nocte semper lustrat sub terra. Æquinoctia sane non ita, ut solstitia noctem diemque variant, sed in utroque dies et nox æquis morarum dimensionibus disterminantur. Cujus rei rationem perfacile inspicit, qui præfatam solstitiorum congrue providere curaverit. Æquinoctialia enim signa nequaquam ut solstitia, alterum altero sublimius est vel humilius, sed quasi in quodam

A meditullio locata, et econtra altrinsecus posita, veluti quodam diametro zodiacum æqualiter dividunt, utrolibetque eorum oriente alterum occidit, et cum unum superius, alterum inferius obtinet centrum tantumdemque de zodiaco ab utraque parte habet. Quantum enim ascensionis est a Capricorno, omnium signorum infimo, usque ad Arietem, æquinoctiale signum, tantumdem ab ipso Ariete usque ad Cancrum, omnium summum signorum. Item quantum est descensionis ab eodem Cancro usque ad Libram, aliud æquinoctiale signum, tantumdem ab ea usque ad item Capricornum. Cum ergo Cancer omnibus sublimior, et Capricornus sit humilior, liquido constat illo in medio posita ejusdem esse altitudinis. Hinc fit ut cum sol ad utrum horum signorum ac-

B cesserit, quia per mediam sphæram agitur, diem ac noctem æquis spatiis omni mundo sive supra, sive infra dimetiatur. Quem diem, cum ratio ab utraque parte et diurna videlicet et nocturna, nihilominus ab ipsa æqualitate vocari coegisset, nec, ut reor, in neutra hac linguarum Græca ac Latina ex tribus generibus his omnibus: æquitate, die, nocte, unum vocabulum eufonicos comminisci potuisset, factum est, ut in altera a meliore parte, id est die, in altera a deteriore, id est, nocte appellaretur in utraque lingua æquitatis adjectione. Latine igitur æquinoctium ab æquitate, et nocte, Græce autem isemeria dicitur. Quod si absurditas sineret, æquidies dici potuisset. Duo postrema zodiaci signa, Aquarius et Pisces, ob imbriferos menses sunt appellata. Sane de solstitiis vel æquinoctiis manifestus quid, si

C Dominus annuerit, sumus expositurí (*infra cap.* 31).

CAPUT III.

Quomodo sol in aliquo signo esse dicatur, cum signa in cœlo, sol autem in æthere feratur?

Hic autem addendum reor quanam ratione, cum zodiacus una cum signis in cœlo fixus dicatur, sol autem longe ab eo infra ætheris spatium feratur, in ejus signis meare asseratur? Sed ejus rei ratio non laborioso eget argumento. Tunc enim cum in aliquo signo esse dicimus, cum in sui circuli regione discurrit, quæ eidem signo subjecta est, ita ut signo supra, et sole subtus currente pariter feratur; quod æque de cæteris planetis sentiendum est.

CAPUT IV.

Contra eos qui dicunt planetas VII *contra mundum ferri.*

D Illud autem me non mediocriter movet quod multi asseverant, et pene omnes artis hujus tractatores, solem ac lunam cæterasque planetas contra mundum niti. Non enim perspicere queo quisnam eas ad occasum ducat, si earum naturalis motus semper tendit ad ortum? Nam quod dicunt eas impetu cœlestis sphæræ impelli, quam sit frivolum liquido patet, cum nulla earum ipsam sphæram attingat, sed maximo infra eam intervallo ferantur. Argumentum sane illud, quo se id probare contendunt, facile est enervare. Aiunt enim quod cum signa ita sint ordinata ut post Arietem sequatur Taurus, itemque

post Taurum Gemini, et sic cætera per ordinem, sol de Ariete non in anterius signum, sed posterius secedit, id est Taurum, et de Tauro in Geminos, et sic per cætera; quasi non posset fieri, ut cœlo desuper celerius et sole infra tardius currente, signum in cœlo fixum cum ipso cœlo prætereat, sole ob tardiorem incessum præterito, et subsequente alio signo sol a præcedente relictus sub hoc rursus inveniatur. Hoc autem dico non præjudicans aliorum scientiæ, sed simpliciter quod mihi videtur pandens. His de solari per zodiacum cursu etsi inepte, non admodum tamen, ut reor, infructuose, horum ignaris breviter delibatis, jam pro posse susceptum exsequamur negotium.

CAPUT V.

Unde oriantur regulares ad feriam Kalendarum inveniendam?

Primum regulares mensium unde oriantur videamus. Cum solaris annus, ut supra relatum est, CCCLXV diebus peragatur, et in hoc peragendum sol per singula XII signa tricenis immoretur diebus, per unum horum alterum necesse est metiaris numerum. Quorum utrolibet per alterum multiplicato, CCCLX reperies; sive enim duodecies XXX, sive tricesies XII, eamdem conficiunt summam. Qainque qui supersunt pro regularibus Martio datis, pronuntia: Martias V. At in cæteris sic facies. Sume semper præcedentis dies mensis, et additis suis regularibus, numero qui conficitur per VII partito, quia hunc numerum irregulares non excedunt; reliquos sequenti da mensi. Verbi gratia: Martius habet dies XXXI et regulares V, sunt simul XXXVI. Septies quini XXXV; unum qui remanet da Aprili, et sic deinceps. Quod si, tota summa per VII expensa, nil superfuerit, illi mensi VII regulares dandos esse scito.

CAPUT VI.

Unde concurrentes oriuntur?

Concurrentium, quas epactas, id est, adjectiones solis vocant, quæque præfatis regularibus concurrunt, originem inventurus, quia et ipsæ septenarium non transiliunt numerum, præfatos solaris anni dies per eum disponens dicito quinquagies et bis VII. CCCLXIX; unum qui remanet in capite concurrentium pone, et singulis annis unum adjecies, septenarium non excedens; sed quarto semper anno ob rationem bissexti unum transiliens, et sic XXVIII lineas curres.

CAPUT VII.

Qualiter inveniatur quota feria sint Kalendæ, et per dies mensis vel anni?

Si forte requiris quid vel hæ concurrentes vel præcedentes regulares valeant, scito ad inveniendam quarumcumque Kalendarum feriam institutos. Si ergo scire cupis cujuslibet mensis Kalendæ in quota sint feria proventæ, sume regulares ipsius mensis, et junctis concurrentibus qui eo anno concurrunt, quorum inventionem post docebimus, si ultra VII excreverint, eis subdatis, quotque remanserint, ea feria Kalendas quas quærebas esse noveris. Quod

A insimul VII solummodo fuerint, vel minus, quot fuerint, eam scito esse feriam Kalendarum.

CAPUT VIII.

Qualiter inveniatur quotidie feria?

Si deinceps per totum mensem cujuscumque diei feriam invenire volueris, sume præcedentes ejusdem mensis dies usque ad illum de quo inquiris, et his adde numerum feriarum, quæ (*sic cod.*) fuit in Kalendis, et primum uno die Kalendarum, quia bis positus est, sublato, cæteris per VII divisis, quot remanserint, totam scito esse feriam quam quæris. Si nihil remanserit, septena, id est, Sabbatum erit. Si hoc ipsum per dies anni computare volueris, itidem collige omnes dies anni transactos, id est, a Kalendis Januarii usque ad hunc de quo quærere

B instituisti, et si bissextilis est annus, ipsum etiam bissexti diem, postquam transactus fuerit, connumera. Tunc quotæ Kalendæ Januarii fuerint, huic numero adjice, et primo, sicut supra, unum Kalendarum diem recide, cæteros divide per VII, et quot remanserint teneto.

CAPUT IX.

Cur præfati regulares a Martio sumant exordium?

Si hujus artis avidus et hoc forte quæris cur præfati regulares a Martio sumant exordium, vel concurrentes ibidem mutentur, scito hunc mensem primum fuisse anni a Romulo, Romanorum auctore, instituti, qui primum Latinorum annum X mensibus ordinavit, et ob illam primæ institutionis memoriam hactenus observari jussit. Hunc enim ille mensem a Marte, ut credebat, parte suo nominavit,

C et, ut dictum est, principium anni esse instituit. Testantur hoc nonnulli ex his qui sequuntur mensibus, quibus nomina ab ordine, quo Martio absunt et aeris temperie composita et indita sunt. Ut September, quod ab eo sit septimus, et largiores jam fluere soleant imbres. Sic et October, November ac December, nec non Julius et Augustus, quorum alter a Julio Cæsare, alter ab Octaviano Augusto deinceps vocabula mutaverunt. Pridem Quintilis, vel Sextilis simili de causa sunt appellati. Quod vero nunc annum a Januario ordimur, a successore Romuli Numa Pompilio institutum, qui denis Romuli mensibus duos addidit, primumque eorum a Jano, quem gentili errore principium rerum arbitrantur, considerans Januarium appellari, et primum anni insti-

D tui. Alterum a Plutone, quem Februm, id est, purgatorem et credebant et appellabant, nominavit Februarium.

Causam vocabulorum singulis mensibus inditorum dicere supersedi, eo quod sit et in Dialogo cujusdam Prætexati sufficientissime tractata, et a domino Beda exinde deflorata in libro de Temporibus secundo nihilominus sit abundantissime digesta. In quo prolixa quidem, sed non sterili disputatione plenissime est expositum qualiter annus primum a Romulo in X, a Numa in XII mensibus est distributus, sed nec sic ad limam redactus, longo post tempore a Julio Cæsare, sagacis ingenii et prædicandæ me-

moriæ viro, ad unguem modernæ expositionis fuerit expolitus. Is dialogus in libris Macrobii legitur Saturnalium nomine titulatus.

CAPUT X.

Unde alii regulares ad lunam in Kalendis inveniendam procedant?

Alios regulares mensium qui ad Kalendarum lunam inveniendam ascribuntur, hic modo reperies. Solaris anni CCCLXV diebus sicut supra per duodenarium et tricenarium numerum divisis, superfluos V da Septembri pro regularibus. Cæteros hoc ordine reperies. Sume semper præcedentis dies mensis, additis insuper suis regularibus, et si mensis ille tricesimam fert lunam, recisis XXX quot supersunt, tribue sequenti mensi. Sin mensis non ultra XXIXam lunam computet, ipsis sublatis, reliquos pro regularibus sequentis mensis habeto. Exemplum de duobus damus, ut sic de cæteris facias. September habet dies XXX et regulares V, qui sunt XXXV. Dimitte XXX, reliquos V da Octobri. October habet dies XXXI et regulares V, sunt simul XXXV. Tolle XXIX, quia tota est lunatio; VII qui remanent da Novembri. Cur autem una lunæ ætas XXX, altera XXIX computetur diebus paulo post aperiemus. (*Infra cap.* 26.)

CAPUT XI.

Unde epactæ.

Epactæ, quæ his adjiciuntur regularibus, duorum annorum, solaris scilicet ac lunaris inæqualitate creantur. De qua inæqualitate, quæ Dominus dederit, post eloquemur. Solaris enim annus, qui CCCLXV diebus evolvitur, lunarem CCCLIV dierum XI superat diebus. Quos XI dies, quia in anno suo luna minus habet, singulis annis ad lunam Kalendarum inveniendam pro epactis assumuntur. Omnibus enim annis XI adduntur ad numerum epactarum, quia singulis annis eadem existit annorum inæqualitas. Pone igitur in capite epactarum XI, et singulis, ut dictum est, annis itidem adde XI etsi ultra XXX exereverint, quem numerum lunaris ætas nunquam excedit, XXX sublatis, cæteros habeto pro epactis. Verbi gratia : ad XI adde XI, fiunt XXII. Ista sequitur epacta. Item XXII junge XI, fiunt XXXIII. Recide XXX, et III tene pro epactis sequentibus. Sic de cæteris.

CAPUT XII.

Ad quid valeant epactæ?

Epactæ superioribus regularibus junctæ ætatem lunæ per singulas Kalendas ostendunt hoc modo : sume regulares cujusque mensis, et his adde epactas quæ fuerunt in illo anno, quarum per singulos annos inventionem post ostendemus, et quem numerum suffecerint, ipsa est ætas lunæ in Kalendis. Quod si tricenarium excesserint, eis sublatis, quot remanserint, tanta erit.

CAPUT XIII.

Cur a Septembre incipiant?

Epactæ istæ cum suis regularibus. Idcirco a Septembri initium sumunt, quod Ægyptus, cæterarum gentium in hac arte magistra, ab hoc mense annum inchoavit. Unde, sicut Romanæ antiquitatis auctoritate præcedentes regulares cum concurrentibus a Martio, ita ob reverentiam hujusce magisterii hanc lectionem a Septembri videntur inchoare Latini.

CAPUT XIV.

Cur in medio nulla pronuntietur?

Pandendum videtur cur in initio epactarum nulla pronuntietur. Primo, quia sciendum ordinem istum epactarum in similitudinem circuli in semet reverti. Cumque singulis annis undenarium singulæ capiant augmentum, nono decimo, qui est cycli XIXalis ultimus, XVIII epactis existentibus, non ut in cæteris XI, sed XII addimus, propter unum diem qui tunc lunari anno diminuitur, quem saltum lunæ vocant. Qui præcedenti ætati detractus, totam sequentem lunæ ætatem uno die majorem semper computare cogit. Quod liquidius aperiemus cum saltus ipsius rationem ediderimus, XII ergo additis ad XVIII, fiunt XXX. Istæ sunt epactæ primi anni cycli XIXalis. Quæ si adderentur regularibus mensium, quia luna hunc numerum non transcendit, necesse erat singulis mensibus eadem recidere, et secundum numerum regularium in singulis Kalendis lunam computare. Exempli causa, ut hoc liquidius constet. September habet regulares V. Junge epactas XXX, fiunt XXXV. Item October habet regulares V, adde epactas XXX, fiunt XXXV. Tolle XXX, remanent V; similiter in cæteris. Quid ergo necesse est toties addere XXX et retrahere cum lunaris ætas illo anno per singulas Kalendas numero regularium constet? Ob hoc eo anno nullæ pronuntiantur epactæ. Sequentium dierum post Kalendas, lunam hoc modo reperies. Sume præcedentes ejusdem mensis dies, et his adde ætatem lunæ quæ fuit in Kalendis. Et primo unum diem Kalendarum deme, reliqui si minus XXX fuerint, ipsa est ætas lunæ. Si ultra XXX processerint, illis sublatis qui superfuerint, ipsam ætatem lunæ prodent. Hoc tantum considerans ut si mensis ille XXX fert lunam, XXX; sin autem XXIX, æque XXIX de summa subtrahas.

CAPUT XV.

Quomodo quotidie luna pronuntietur.

Si per anni dies id ipsum investigare cupis, sume omnes præteritos anni dies, id est a Kalendis Januarii usque in diem in quo requiris, addita ætate lunæ quæ fuit in ipsis Kalendis Januarii, et inprimis unum subtrahe propter Kalendas. Cæteros si ad hoc excreverint, per LIX partire, qui sunt duarum lunationum dies; qui restant cujusque diei, lunæ ætatem pandunt. Quod si toto numero per LIX expenso nil superfuerit, vel qui remanserint, tricenarium numerum excesserint, ad LIX tamen non pervenerint, sublatis XXX, quot remanserint, ipsa ætas lunæ est. In hoc argumento bissexti diem non numerabis.

CAPUT XVI.

Cur nunc XXXma nunc XXIXna luna pronuntietur?

Tempus est expedire, quod supra promisimus, cur nunc scilicet luna nunc XXXma, nunc XXIXma computetur? Ad quod apertius inspiciendum est,

non uniformes lunæ computari menses, sed alterum esse quo zodiacum pervolat, alterum quo solem luna consequitur. Quæ cuncta ut manifestiora fiant, dicendum in singulis signis primo, dehinc in totius signiferi lustratione quantum temporis expendat. Ut a solertioribus non sine magna diligentia probatum est, luna unumquodque signum ex duodecim duobus diebus et sex horis, ac bisse unius horæ transit. Duc ergo duodecies duos dies, et fiunt XXIX. Item senas horas, quæ in singulis signis supersunt, duodecies multiplica. et habes LXXII horas quæ faciunt tres dies, singulos XXIV horarum. Hos III dies junge superioribus XXIV, et fiunt XXVII. Superest adhuc in singulis signis bissis unius horæ. Si quæris quid sit bissis, scito bissem dici uniuscujusque rei duas partes sublata tertia. Quidquid enim in tres æquas diviseris partes [*alia manus*, vel portiones], unaquæque earum triens vel trien appellatur. Horum uno sublato, reliqui duo qui remanent trientes insimul bis vocantur. Bissis igitur duæ partes horæ sunt. Duodecim ergo bisses octo faciunt horas, binis per tres bisses supputatis. Apparet ergo lunam XXVII diebus et VIII horis totum ambire zodiacum; et hæc est una species mensium lunarium. Sed quia naturalis lunæ mensis ab accensione computatur, ipsa autem luna in toto hoc spatio solem non consequitur, ut ab eo reaccendatur, nisi additis duobus diebus et IV horis, his ad superiores junctis mensem lunarem XXIX dierum et XII horarum esse fatemur. Quia vero XII horæ pro integro die nequeunt computari, et unum diem difficile est [*suppl.* invenire *vel quid simile*], præsertim cum alternis vicibus media die ac nocte perhibeatur accendi, propter facilitatem computandi una vice XII horæ intermissæ, altera autem ex utraque lunatione simul collectæ pro integro die computantur, et tunc luna XXVma pronuntiatur. Porro illi duo vero dies, qui cum quaternis horis post emensum zodiacum ad consequendum solem lunæ supersunt, per XII lunationes in unum collecti XXVI dies insimul conficiunt, quæ est una lunæ zodiantea peragratio, licet unus desit dies. Et hoc est quod dicit dominus Beda, lunam tredecies in XII suis mensibus zodiacum percurrere. Hi omnes dies in summam redacti efficiunt lunarem annum CCCLIV dierum. Duodecies enim XXIX, CCCXLVIII. Duodecim autem horæ duodecies ductæ sunt CXLIV, et faciunt dies VI, qui juncti superioribus, CCCLIV reddunt, qui sunt, ut diximus, dies anni lunaris, quem constat retro semper observatum, duodenis, quos dixi, mensibus ita semper alternantibus, et unus tricenos, alter undetricenos haberet dies, quousque Julii Cæsaris solertia solaris repertus est annus, pro eo quod lunaris annus in multis vacillaret, et solis cursui penitus non conveniret.

CAPUT XVII.

Ut a veteribus lunaris tantum observatus sit annus; et cur modo communem dicamus et embolismalem?

Ita enim ille a veteribus Græcis ac Latinis obser- A vabatur, ut XII semper exactis lunationibus a XIIIa lunatione sequentem inchoarent annum. Sed cum sæpe eveniret propter XI dies, quos lunari anno deesse diximus, ut hiberni menses æstivo, et æstivi item hyberno occurrerent tempore (nam per octonos annos tribus regradabatur mensibus) statutum est ut octavo anno XC dies intercalarentur, qui per tot annos ex undenis diebus et duobus bissexti accesserunt. Nos vero propter Paschalem observantiam quam non nisi XIV luna post æquinoctium celebrare fas est, communes et embolismales annos in luna habere cœpimus hoc modo : si quando XII exactis lunationibus eam lunationem quæ sequitur vel in ipso æquinoctio, vel eo transacto XIVam evenire contigerit, ab ipsius mox accensione sequentis B anni primordia sumimus, præcedente anno, qui communis exstitit, XII lunationibus, diebus CCCLIV terminato. At si XII exactis lunationibus, XIVa processerit, tum illam præcedenti jungimus anno, datis eisdem præcedenti anno XIII lunationibus et CCCLXXXIV diebus. Et hic annus embolismalis, id est, supercrescens dicitur, præcedentes autem communes, quod semper II æquales præcedant, excepto in ogdoade et endecade quorum utrumque unus tantum communis annus præcedit. Hæc de diversitate annorum solaris et lunaris, communium et embolismorum nunc paucis dicta sunt. Si qua autem restant, cum ad ipsum Paschæ terminum venerimus explicandum, prout possibile fuerit, exsequemur. Sane in serie temporum computanda nunc solaris anni, qui certior habetur, calculo utimur.

C

CAPUT XVIII

Unde conficiantur saltus lunæ, vel ubi rectius intermittatur.

Hoc loco congruum videtur de saltu lunæ quæ possumus explicare sumendumque ab ipsa origine censeo. Diximus supra lunam ex quo die a sole recepit post XIX dies et horas XII rursus eidem soli succedere, et hunc mensem esse qui annum lunarem, si communis sit XII, embolismum vero XIII computatus perficiat. Sed deprehensum est singulis mensibus, nec dum VIIa hora peracta, solem a luna consequi, vicissimque luna a sole accendi, et restare ex eaem hora XIIma per singulos menses D IV momenta, et unciam unius momenti et unum atomum. Quæ IV momenta per singulos menses in tantum augmentantur, ut per XIX annos integrum perficiant diem : quem diem XIXo semper anno ipsa transilire cogit imminutio, ne et lunaris calculatio et tota turbetur Paschalis observantiæ ratio. Nam si negligatur ille dies, eveniet ut post XV XIXales cyclos, id est post annos CCLXXXV, cum debeas lunam computare primam, occurrat XVa, id est plena luna. Et econtra, cum XVa computatur, appareat prima. Sed ut aperte clareat qualiter ille dies paulatim minuendo usque ad integrum deficiat, quia XIXalis mensibus IV momenta unciamque momenti et atomum perdere dicitur, primum omnes XIX annorum

menses quot sint videamus, ut singulorum præfa- A torum momentorum unciarumque et atomorum numerum colligentes, atque ex his rursus horas conficientes, probemus si integrum diem xxiv horarum reddere possint. Decemnovalis cycli ccxxxv menses hinc esse colligitur quod eum xii communes duodenorum scilicet mensium, vii vero embolismos, id est, xiii mensium constat annos habere. Duodecies autem xii, qui sunt cxliv, et tredecies vii, qui faciunt xci, insimul positi ccxxxv perficiunt, qui numerus quater ductus dcccxl reddit hoc modo : quater namque cc sunt dccc et iv trinici cxx, itemque xx prædictum numernm, id est, dcccc complet hoc modo, quæ est summa quaternorum momentorum de singulis xix annorum mensibus collectorum. Quæ momenta, quia horas facere possunt, B hoc ordine consideremus. Quia enim hora iv punctis constat, singuli autem puncti denis momentis, horas singulas metiamur per xl momenta, et inveniemus in suprascripto momentorum numero xxiii semis horas hoc modo : quadragies xx et terni dcccxx, alia xx momenta faciunt dimidiam horam, et sunt, ut dictum est, xxiii semis horæ. Sed ut integes dies xxiv horarum perficiatur, alteram hujus horæ medietatem ex unciis atomisque, quæ singulis mensibus quaternis additæ sunt, momentis compleamus. Uncia duodecima pars est cujuslibet rei. Duodecim enim unciæ momentum faciunt. Igitur unciæ ccxxxv facinnt momenta novem et decem, et remanent vii. Duodecies enim deni et noveni ducenti xxviii sunt, et remanent, ut dictum est, unciæ vii de ducentis xxxv. Quibus vii unciis ad complendum momentum C unæ v sunt addendæ, quas atomis ccxxxv, qui adhuc supersunt, taliter suppleamus, singulis unciis xlvii atomos attribuentes ita : quadragies septies quini sunt ccxxxv. Has v uncias junge superioribus xii, et fiunt xii, id est momentum integrum, quod momentum junge ad superiora xix, et habes xx momenta, id est dimidiam horam; quam supra xxiii semis horis annectens, invenies horas xxiv. id est diem integrum, quem nemo decimo semper anno transilire, et ob id saltem lunæ vocari hactenus exposita cogit ratio, ita ut reliquis luna xxx et undetrigesima, id est vicesima ix alternis vicibus computetur, tunc tres xxix sine ulla xxxa interpositione procedant. Qui dies præcedenti ætati detractus sequentem lunationem tota die majorem computari facit hoc mo- D do : si enim hesterno die xxixam prenuntiaveris, hodie xxxam, crastino primam, et postridie iiam computari necesse est. At si hesterno similiter xxixam pronuntians, hodie, xxxa transilita, primam dicas, cras iiam, perendie iiiam computare debes. Et hoc est quod dicit dominus Beda in minori libello: adimit enim saltus lunæ noctem, addit vero ætatem. Quem diem diverso loco intermittunt; sed mihi videtur quia secundum Ægyptios epactas a Septembri inchoamus, ut secundum illos in luna Julii mensis illum præterire debeamus, ne sequentium Kalendarum lunaris turbetur computatio. Quia si in mense Novembri, ut multi faciunt, distuleris, si occurret luna secundum epactarum rationem a Kalendis Septembris, per tres menses, id est usque in Kalendas Decembris; quod si in eo loco, id est in Julio, ut Kal. Aug., ut diximus, diem hunc transilias, in unius tantum Augusti Kalendis ab epactarum lectione dissonat luna.

CAPUT XIX.

Quot horis luna luceat singulis noctibus.

Quot horis luna per singulas noctes luceat hoc modo collige. Primo scito eam ex quo a sole recedens prima dicitur, usque ad xv quo longius ab eo recedere non potest, singulis noctibus quaternos punctos lucis suæ cremento addere, totidemque deinceps reproximando sol ex altera parte circuli usque ad xxx imminuere. Cuandiu ergo in augmento est, id est usque ad xv, ad lucendum multiplica ejus ætatem quater, et ex his quos inveneris punctis, facito horas singulas per quinos punctos. Ad non lucendum vero numerum, qui est ab ejus ætate usque ad xv, itidem multiplica, et factis exinde rursus horis, in summam collige; et si in toto xii horas reperis, recte computasse te noveris. Postquam vero decressere cœpit, id est a xv deinceps, ad lucendum multiplica numerum, qui est ab ejus ætate usque xxx; ad non lucendum vero a xv usque ad ejus ætatem, sicque per omnia facias, ut dictum est supra. Porro xva, quia plena est, tota nocte lucet. Quater enim quindeni lx sunt puncti, et faciunt horas xii. Econtra nil lucet xxxa, utpote soli supposita, ejus majori lumine obscurata. Hanc horam Græci synodon vocant, Latini autem coitum, quod tum pariter utrique cocant.

CAPUT XX.

Qua hora eclipsis solis ac lunæ proveniat.

Quo tempore eclipsis, id est, defectus solis accidere solet? Primo, si lunam eadem linea qua solem vehi contigerit. Siquidem latitudo signiferi xii partibus tenditur, quarum mediam tantum sol perambulat. Luna autem per totam ejus latitudinem : terra autem, utpote totius mundanæ centrum sphæræ, in medio mundi locata, eidem potius medianæ subjacet parti. Unde semper ambitur a sole. Cum ergo sol supra, luna feratur infra, terra autem utrique sit subjecta, illis, sole scilicet et luna in media linea coeuntibus, necesse est terræ eidem lineæ subjectæ lunari objectu solarem subtrahi conspectum. Cum vero ex alia qualibet parte ex duodenis partibus signiferi xxxma luna soli opponitur, quia illi lineæ terra subjecta non est, nec luna inter eam et solem est, ejus lumen nobis duntaxat in terra positis celare non potest. Et inde est quod in singulis mensibus solis patimur eclipsin. Lunaris sane defectus, qui circa plenilunium, id est, vel xiva vel xva vel xvia luna cvntingere solet, quamvis ejusdem lineæ, medianæ scilicet, ratione contingat, dissimiliter tamen conficitur. Constat enim lunam proprium non habere lumen, sed in modum speculi a sole irradia-

tam resplendere. Unde nunquam lucere potest nisi radiis penetrata solaribus. Sol autem, quia octies sua magnitudine terram vincit, ut subtili indagine repertum est, nunquam ab ea totus tegi aut occultari potest, quin radios suos et cum sub ipsa est, undique ad superiora remittat, umbra terræ contra mediam signiferi lineam, cui potius subjacet, et per quam solis est iter, altius penetrante. Cum ergo plena luna hemisphærio a sole distans per eamdem mediam fertur lineam, quia, sole inferiora penetrante, ipsam lunam necesse est scandere superiora, et econtra sole, id est super terram hyperygeo, ipsa luna efficitur sub terra hypogea, necesse est eam sive infernam deficere sive supernam, utpote per umbram terræ incedentem, et nequaquam sole eam more solito respiciente. At si per aliam quamlibet utrarumque positarum linearum feratur, quibus terra ob sui exiguitatem solare nunquam potest adimere lumen, ipsa luna adumbraticæ lineæ exorbitatione lucis suæ damnum valet effugere, id est, si vel sublimior ad boream, vel divexior sole feratur ad austrum. Et hæc est item ratio cur non omni plenilunio luna deficiat quanquam nonnulli asserant utrumque, et solem scilicet et lunam, raro superne, frequenter autem inferius deficere. Ob hujusmodi causam præfata media linea ecliptica vocatur, quod utriusque defectus, solaris ac lunaris, sit causa. Claret ergo solem in sua eclipsi nihil minui, se non ejus aspectu fraudari. Lunam vero eclipticam penitus lumine privari, quod tangere videtur Virgilius, cum ait :

> Defectus solis varios, lunæque labores.

Labores enim lunæ ipsa quæ patitur luminis dispendia vocat.

CAPUT XXI.

In quo signo sit luna singulis diebus.

In quo signo luna moretur quotidie, vel quot partibus a sole per singulos dies elongetur, hoc ordine investigabis. Sume semper ætatem lunæ, quotacunque fuerit, at multiplica quater, ipsumque rursus numerum ter ducito; et quot in summa reperis, tot partibus eam a sole noveris disparari, id est, in eo loco degere ad quem venturus sit sol post totidem dies. Partes enim istas nihil aliud esse dicimus quam quotidianos per zodiacum solis progressus. Item in eodem argumento probare contendis, in quo signo luna eodem die consistat? Primum videto in quo sol ipso moretur die, et in quota ipsius signi parte, id est, quot ibidem dies exactos habeat? Et quia unumquodque signum perlabitur sol xxx diebus, rursus videto quot ab eo dies remaneant usque ad xxx, id est ad completionem signi? Quod inventu facillimum est, cum sol singula signa non solummodo certis mensibus, sed et certis ipsorum mensium adeat diebus, præcipue xv Kal. cujusque mensis, quinta decima die Kal. April. primum zodiaci signum ingrediens, id est Arietem. Cumque inventum fuerit quot adhuc dies in eo quo positus

A est sol signo moratus sit, ex prædicta partium summa, in quibus partibus lunam a sole remotam inveneras, ipsum numerum sumens dabis eidem signo ad explendum iter solis; reliqoos vero qui superfuerint de summa partium, sequentibus per ordinem signis per tricenos disperties. Et cui signo xxx defuerint, in eo lunam esse noveris in tota ipsius parte, quot illi signo ex præfata summa provenerint. Quod si in summa partium tot solummodo inveneris quot adhuc dies in eo quo est signo degere habet, aut aliquid minus, in eodem signo lunam cum sole esse scito; quod solet accidere prima vel secunda luna, posito sole in prioribus cujusque signi partibus. Sin autem intantum numerus ille partium excreverit, ut illi signo in quo est sol expleto, reliquis omnibus signis xxx, patres proveniant per singula signa usque item ad illud in quo solem esse certum est, et aliquot partes superfuerint, itidem in eo signo pariter eos esse constat. Et hoc accidere solet xxviii vel xxix luna, sole in postremis signi partibus degente. Sed illud superius in recessione a sole, hoc vero contingit in reproximatione lunæ ad solem. Quantum enim per singulos dies elongatur ab eo, recedens ex una partes circuli usque ad hemisphærium, quod est xv; tantum tenet deinceps eidem soli proximans ex altera parte, donec ad signum, imo ad eamdem ipsius signi partem, veniat, ubi eum reliquerat toto peragrato zodiaco, quod, ut dictum est superius, xxvii diebus et vii horis perficit. Sed quia jam ibi solem non invenit, utpote xxvii partibus, in quibus ipsa zodiacum lustraverat, exinde elongatum, post circuitum signiferum duobus diebus et iv horis perficiens, quod sol prædictis xxvii diebus et viii horis peregerat, rursum eum luna consequitur, et eidem succedens penitus obscuratur, et xxva efficitur; qui etiam dies interlunium solet appellari, quod inter defectam et renascentem sit lunam.

CAPUT XXII.

Qua hora luna accendatur, vel qua in sua accensione mutet ætatem.

Si nosse cupis qua hora diei luna accendatur a sole, id est mutet ætatem, vide quotus sit annus illius cycli qui proprie lunaris dicitur, cujus inventionem post docebimus, et numerum multiplica quinquies, hisque adde præteritos anni dies a Kalendis Januarii usque ad eum diem de quo quæris. Quibus in unum redactis in infra lx manserint, tot punctos esse scias horarum ipsius diei; et singulas horas per quinos punctos computans, ea hora lunam attendi noveris, cui quinque defuerint puncti in toto ipsius horæ puncto, quot quinis cæterarum superfuerint horarum. Si vero præfatus numerus sexagenarium excesserit, partire eum, qui sunt unius cujusque diei, id est xii, horarum puncti, et qui remanserint, illius diei punctos esse memento. Eè quibus, sicut monstratum est, horas faciens, quota hora et quoto ipsius horæ puncto luna ipsius diei accendatur, invenies. Quod si tantum lx fuerint, aut ultra

progredientibus, æqualiterque per LX partitis nil superfuerit, duodecima diei hora, et VO, id est, ultimo ejusdem horæ puncto illam accendi noveris, hoc certum habens nunquam in nocte, sed semper eam in die accendi. At si per diem argumentum qua in sua accensione mutet ætatem, invenire desideras, præfatum cyclum sexies multiplica, et quot in superiori numero sexenarios habueris, tot his monades addo, junctis insuper punctis illis qui sextariis superfuerint. Qui si ultra XXX excreverint, recisis quotquot superfuerint XXX, qui remanserint, ætatem tibi pandent quam luna in hora suæ accensionis est lugressa. Hactenus hac quotidiana dicuntur argumenta, quot singulis mutentur diebus; hinc ad annua veniamus.

CAPUT XXIII.

Qualiter inveniatur anni ab incarnatione Domini.

Primum igitur annos ab incarnatione Domini, qualiter inveniendi sint, videamus, ut per eos cætera argumenta reperiamus. Annos igitur ab incarnatione Domini, quot sint, inventurus, sume ordidines indictionum quæ fluerunt ab ipsa incarnatione usque nunc, id est LXXI, quia singulæ indictiones quindecinorum currunt revolutione annorum; prædictum numerum multiplica per XV, et fiunt mille LXV: his adde XII, quia quando ipsa incarnatio facta est, XII anni de illa indictione præcesserant et XII restabant. Hos ergo qui remanserant præfato junge numero, et fiunt mille LXXVII. Adde semper illius, de quo quæris indictionem, sicut hoc anno XIII, et fient mille XC. Isti sunt anni ab incarnatione Domini. Similiter singulis annis facito, et annos Domini sine errore reperies. Hoc tantum memor esto, ut, cum XV transacta fuerit indictio, et denuo prima redierit, ad præfatum numerum unum semper adjicias, id est, non jam LXXI sicut nunc, sed LXXII multiplices, et reliqua, ut dictum est, observes.

CAPUT XXIV.

Origo indictionum, et qualiter singulis annis inveniantur.

Indictiones cujusque anni invenire desiderans, sume annos Domini, quotquot fuerint in præsenti, et his adde regulares III, illos scilicet annos qui præcesserant de indictione qua natus est Dominus, et totam hanc summam partire per XV, et qui remanserint, ipsa est indictio præsentis anni. Si nihil remanserit, XVa erit.

Indictionum originem paucis verbis aperire libet. Dicitur autem ab indicendo. Cum enim Romani omnibus pene gentibus imperarent, omnibus tributa indixerunt, quæ eis quinto anno semper impendebantur. Sed primo quinquennio æs, secundo argentum, tertio solvebatur aurum. Quarto rursus a principio repetebatur, id est ab ære; unde junctis quinqueniis XV annorum indictiones sunt singulæ institutæ, et cautum est ut nullus liber ratus, nullum principis edictum ratum haberetur, quod indictionem non præferret. Singulis autem quinquenuiis pacto censo, mos erat Urbem lustrare quasi ob purgatio-

A nem sui, unde et quinquennium (*leg. videtur* lustrum). dicitur, et lustrare, purgare, sæpissime dicimus. Fiebat autem hoc mense Februario, quem ab hoc a Februo, id est a Plutone vocaverunt, quem purgatorem credebant. Februare enim purgare dicitur, imo totum mensem diis Manibus dedicaverunt.

CAPUT XXV.

Qualiter epactæ inveniantur.

Epactas cujuslibet anni reperturus, nihil addens annis Domini aut minuens, primum per XIX divide, et quot remanserint, rursus multiplica per XI, et si numerus ille infra XXX remanserit, epactas illius anni esse scias. Quod si ultra exereverit, sublatis, quotque triginta reperis residuos (*cod.* remanserint. vid. sic mutand. sublatis triginta, quot reperis...),
B pro epactis habebis. Si nihil remanserit, nulla est; quia per XIX annos epactarum volvitur circulus. Idcirco annos Domini per ipsum numerum partimur, residuum per XI multiplicamus, quia tot singulis annis accrescunt epactæ. Eum quoque numerum rursus per XXX metimur, quem epactæ non excedunt; ad annos Domini nec addimus quidquam nec minuimus, quia quando natus est Dominus XI erant epactæ, ubi incipiit esse cyclus epactarum.

CAPUT XXVI.

Quomodo cyclus solis inveniatur, et cur per XXVIII *annos recurrat?*

Concurrentes, id est epactas solis inventurus, in initio ipsius solis cyclum per quem currunt debes invenire; qui idcirco per XXVIII annos revolvitur, ut singulæ concurrentes in bissextum veniant, quod
C fieri non potest, nisi per tot annos, cum ipsæ concurrentes usque ab septenarium proficiant numerum, et non nisi quarto anno semper bissextus eveniat. Quater enim VII, XXVIII sunt. Ergo cyclum solarem evenire cupiens, ad numerum annorum Domini semper addito IX, quia tot anni præcesserunt de eodem numero ipsam incarnationem, tumque hanc summam divide per XVII, et quot remanserint, totus est annus. Si autem nihil remanserit, XXVIIIvus est.

CAPUT XXVII.

Ad inveniendas concurrentes cujusque anni.

Ipsas vero concurrentes alicujus anni invenire desiderans, sume sæpe præfatos annos Domini, et quia semper quarto anno unus ob bissextum tran-
D silitur, totius numeri quartam partem adjicies, et additis insuper regularibus IV, quia tot præcesserunt concurrentes annum Dominicæ nativitatis, totum hunc numerum per VII pivide, et quot supersunt, ad ejusdem anni concurrentes tene. Si nihil remanserit, VII esse scito.

CAPUT XXVIII.

Quotus annus sit a bissexto?

Utrum vero bissextus vel quotus ab eodem sit annus, perfacile est invenire. Annis enim Domini quotquot fuerint, nullo vel addito vel detracto, per IV divisis, quot remanserint, totus est annus a bissexto, si nihil remanserit, bissextus est. Potest hoc

et per cyclum solarem inveniri. Quotuscumque enim fuerit, uno sublato, residuos per IV divide, et ut supra, per annos Domini, an bissextus vel quotus ab eo sit annus, invenies.

CAPUT XXIX.

Quomodo inveniatur cyclus lunaris, et quæ sit differentia inter ipsum et XIX*lem, et qualiter inveniatur per zodiacum?*

Ad cyclum lunæ inveniendum e numero annorum Domini, duobus sublatis qui, Deo humanato, de eodem cyclo restabant, cæteros per XIX divide, quorum constat revolutione ; residui lunarem cyclum ostendunt. Si nihil remanserit, XIX erunt. Hunc sane cyclum Romanorum proprium esse scias, sicut XIXalem proprium esse constat Hebræorum, et a tempore Dominicæ resurrectionis etiam Christianorum ; observaturque iste cyclus in luna Januarii, qui est mensis Romanorum primus, sicut ille in Paschali, quem primum XIXalis mensem esse Hebræorum Dominus ipse testatur, qui Paschale sacramentum præmisit, dicens : « Mensis iste vobis principium mensium : primus erit in mensibus anni. » Sicut enim ille incipit ab accensione lunæ Paschalis et usque ad eamdem porrigitur, similiter et iste a prima luna Januarii incipiens, ad eamdem deducitur ibique finitur, habens et ipse communes annos, duodenorum scilicet mensium, dierum CCCLIV, necnon et embolismos XIII mensium et CCCLXXIV dierum, et, excepto quod Paschalis in hoc nunc agitur celebritas, per omnia ei æquiparatur, ut a Venerabili Beda copiose tractatur, et uterque X et IX annorum revolutione, et lunari constat ratione. Ob solam tamen dignoscentiam iste lunaris, ille vocatur XIXalis, composito ex tribus corruptis vocabulo, ex X scilicet et *anno* et *novem*, sicut et apud Græcos ex eisdem vocabulis, sed integris appellatur ἔννεα καί Δεκαθέρηκα. Ubi notandum quod in Latina compositione *anni* vocabulum sonet, in Græca autem nomen anni *non* ponitur, sed a parte æstatis intelligitur ; θέρος enim *æstas* dicitur. Illud quoque notandum tribus semper annis XIXalem procedere, cujus quarto anno lunaris semper incipiens ejusdem tertio finitur anno, quod tunc luna in Kalendis Januarii sit finita, quia annus utriusque cycli est embolismus. Cujus notitia lunaris hoc tantum nobis videtur utilitatis conferre, quod per eum, ut supra retulimus, quotidie lunaris accensionis hora reperimus. Quapropter hoc tandem prætermisso, ad XIXalis inaginem, quia ob multiplices Paschæ rationes utiliorem, accedamus. Cujus quotus sit annus invenire cupiens, ad numerum annorum Domini unum semper adjice ; quia secundo ejus anno Dominus natus asseritur, et reliqua, sicut in luna cyclo diximus facito. Per hunc cyclum epactarum seriem et terminum Paschalem, aliaque argumenta perplura, sed et figuras quæ dicuntur Compoti, concurrere scias.

A

CAPUT XXX.

Quid sit terminus Paschæ, vel quando observetur?

Terminum Paschæ nihil aliud dicimus quam XIV lunam, quæ primum occurrit post æquinoctium vernale ; quando in immolatione agni Judæis Pascha facere olim præceptum est ; quia etiam nocte Dominus noster illo primum typico Pascha pacto traditus est, licet sequenti die, id est XV, pro nostra sint omnium salute immolatus. Quod æquinoctium XII Kal. April. occurrere supra ostensum est. Quacunque igitur septimanæ die luna XIV, sive in ipso æquinoctio, sive eo transacto occurrerit, terminum Paschæ dicimus. Ipsam vero solemnitatem in Dominicum diem, quo Dominus resurrexit, differimus, et si contigerit ipsum terminum die Dominico evenire, nihi- B lominus in alteram Dominicam nostrum Pascha exspectamus, ut multi dicunt, ne Judaicum Pascha observare videamur, si cum illis eadem solemnia inchoantes, cum eis itidem finiamus. Nam et illi sicut et nos eadem festa per octonos celebrant dies, et nihil nostra ab illorum distat celebritate, nisi, ut dictum est, quod non pariter inchoant. Si autem Sabbato XIV luna advenerit, et vel æquinoctium dies fuerit, vel jam transactus, statim sequenti die Dominico Pascha celebramus. Idcirco autem terminus idem XIXali cyclo continetur, quod non nisi tot annis peractis ad eumdem diem Kalendarum luna XIV redeat. His vero expletis ad ipsum quidem Kalendarum diem, verumtamen nunc per eosdem redit Septimanæ dies propter concurrentes solis, qui per C XXVIII variantur. Quæ res cogit tam terminum quam et ipsam festivitatem multo longius evagare, maximumque Paschæ çyclum per XXVIII XIXales cyclos, id est DXXXII annos extendi. Nam et si infra hunc annorum numerum vel terminus vel festivitas ad eumdem Kalendarum vel septimanæ diem redeat, non tamen pluribus annis per ordinem hoc facit. At eo expleto cyclo maximo ; omnia ad eosdem dies et per easdem redeunt lineas. Quem Paschalem terminum ante vernale æquinoctium celebrare generali Ecclesiæ prohibemur traditione. De ipso autem æquinoctio varia non tantum veterum, verum etiam modernorum exstat opinio, aliis XII Kal. April., aliis VII Kal. asserentibus. Non ineptum videtur ostendere, qualiter hoc magistros nostros etiam corporali intuitu viderimus investigare. Et si quis adeo studiosus D exstiterit, ut hoc oculis suis potius velit credere quam litteris, hic exemplar inveniat, quod (*f.* quo) id quod quærit indagare prævaleat, ubi primo solstitiorum, qui illud ab utraque parte quodammodo ambiunt, notandi sunt dies, ut postmodum id quod in medio æquinoctium facilius reperiatur designatis utrinque (*f.* utrorumque) limitibus.

CAPUT XXXI.

De æquinoctiis et solstitiis, qualiter etiam corporali intuitu deprehendantur, et de ascensu et descensu solis.

Primum itaque cœnaculum aliquud orienti oppo-

situm diligetur [*f.* deligatur], et in eo foramen tale notetur per quod singulis suis exortibus, qui sunt CLXXXII, sol radios suos introjacere possit. Tum singulis exortibus notentur loca quæ radius ille lustrat in occidentali pariete præfati cœnaculi. Certumque est radium illum solstitio brumali ad eorum, æstivo autem ad Africum dirigi. Porro in æquinoctio, utpote a medio orientis sole surgente, recta linea medium occidentis petere manifestum est; semper enim in oppositam sibi partem sol radios dirigit. Ergo brumale solstitium deprehensurus, quo sol in Capricorno agit, sic facito : A XV Kal. Januarii, quo die sol præfatum ingreditur signum, notato mane singula loca quo sol oriens primo dirigat radium, factis in pariete punctis usque XII Kal., et videbis per singulos ortus radium semper in ante progredi versus eorum, utpote sole adhuc inferiora petente. Itemque XII Kal. ortum solis diligentissime considerans, vigilantissime nota bis locum quo primum emiserit radium prædicti foraminis. Rursus sequenti die, id est, XI Kalend. ortu solis studiosissime considerato animadverte, radius ille utrum solito in ante pergat, an aliquantulum, quamvis parum, retro redeat. Quod si eum quantulumcunque redire perspexeris, quod sine dubio eveniet, certissime noveris solem, peracto pridie, id est XII Kal., solstitio, superiora repetere. Deinde si volueris per singulos ortus nota semper loca quæ tardius ille petierit scire, videbis eum quotidiano processu ad Africum tendere usque XII Kal. Julii. Quo die diligenter signato, jam sequenti die, id est XII Kal., retro redire conspicies, utpote solstitio peracto, sole ad inferiora redeunte. Quod si denuo consideres, invenies quotidie ipsum radium per easdem lineas redire ad eorum, per quas pridem venerat ad Africum, sole videlicet per eosdem ortus descendente ab æstivo usque ad hibernum solstitio, per quos descenderat ab hiberno usque ad æstivum solstitium. Et hoc est quod supra diximus CLXXXII tantummodo esse ortus solis, cum in anno explendo CCCLXV dies peragat. Peragit enim annum suum ascendens a brumali solstitio ad boreale, indeque rursus descendens ad brumale, et, ut dictum est, eosdem custodiens ortus descendendo quos servaverat ascendendo, non quo eadem signa repetat, alioquin non nisi dimidium lustraret zodiacum, sed ita est ipse signifer oblique per cœlum porrectus a polo usque ad polum, ut bina semper signa contra se altrinsecus posita eosdem habeant ortus et occasus, duobus tropicis duntaxat exceptis, quæ singularem habent ortum et occasum, Cancro videlicet et Capricorno, quorum alterum excelsius, alterum divexius constat esse locatum. Ut autem hoc quod diximus manifestissime pateat, Cancer, utpote cunctis excelsior, cunctis sublimior oritur et occidit, quod evidentissime pandit solstitialis exortus mense Julio. Cætera vero, sicut per ordinem sunt locata, unum ab antecedentibus, alterum a sequentibus eosdem, ut dictum est, custodiunt ortus et occasus, imo et cursus. Verbi gratia : Ante A Cancrum sunt Gemini, et post Cancrum Leo; quæ, ut sæpissime dictum est, ita altrinsecus sunt posita, ut in uno loco oriri ac occumbere videantur; sol quoque in utroquelibet eorum positus per easdem lineas feratur. Sed in Geminis ascendit, in Leone descendit. Item ante Geminos Taurus, et post Leonem est Virgo, de quibus eadem dicta sunt. Porro ante Taurum Aries, et post Virginem Libra, quæ pari modo esse locata testantur æquinoctia in utroque eorum annatim concurrentia. Sic de cæteris usque ad Capriconum, qui cæteris humilior rursus suum ortum habet et occasum, totumque discursum. Cum ergo sol, ut dictum est, per CLXXXII ortus vel lineas ascendens, et per easdem descendens annum perficiat, duplica prædictum B numerum, et habes CCCLXIV dies anni solaris. Porro unus dies, qui cum quadrante superest, quomodo dies ille ex minutis conficiatur horarum videamus. Sol enim moratur in utroque signo XXX dies et X horas ac dimidiam. Accipe primum illa sex signa per quæ sol ad solstitium ascendit, et da unicuique signo XXX dies et X horas ac dimidiam, et habebis CLXXXII dies, insuper et XV horas, id est minuta CL. Ex his ergo CCC minutis CCCmus LXVtus dies et quadrans efficitur ex minutis horarum, quibus in unoquoque signo super XXX dies immoratur, quem diem sol tam in ascensu quam in descensu perficit. Sed quia in ascensu nec dum peractus, pro integro computari nequit, computatur et descensu. Et inde est quod ab æstivo solstitio usque ad hibernum computatur unus dies, ide est CLXXXIII, cum tamen C sol, ut dictum est, per easdem semper lineas descendat per quas ascenderat, donec quarto anno ex quadrantibus integer dies expletus ascensui solis interponatur, sicque et ascensus et descensus pari dierum numero computetur, id est CLXXXIII, qui simul juncti faciunt bissextilis anni dies CCCLXVI. Verum his per excessum breviter dictis, ad ostendendum solis annum cursum redeamus, unde digressi sumus ad probandos æquinoctiorum dies, quos palam est invenire, si ea quæ de solstitiis dicta sunt rata constituerint. Si enim sol brumali solstitio minimum diem et maximam agens noctem deinceps quotidiano processu noctem contrahit, ac diem extendit usque ad æstivum solstitium, quo nox brevissima et dies exstat longissimus, patet D profecto medio mediorum decurso dierum spatio tantum minoratam noctem auctumque esse diem, ut pari longitudine metiantur, servante adhuc die solitum αὐξθόην [*supra* : áugmentum; *vid. leg.* αὐξήσλος], et nocte ἔλυξιν [*vid. leg.* αὔξησιν], donec ad eam proveniant prolixitatem, vel angustiam, quam neuter excedere potest, quod fit rursus in solstitio altero. Cum ergo solstitia alterum XII Kal. Januarii, alterum XII Kal. Julii esse constet, diesque ab uno [ad] alterum CLXXXII, scire volens, qui sit horum medius, præfatum numerum per æquas divide portiones, et habes in utraque parte XCI. Nogesimo (*sic cod.*) ergo primo die post solstitium brumale

et per cyclum solarem inveniri. Quotuscumque enim fuerit, uno sublato, residuos per IV divide, et ut supra, per annos Domini, an bissextus vel quotus ab eo sit annus, invenies.

CAPUT XXIX.

Quomodo inveniatur cyclus lunaris, et quæ sit differentia inter ipsum et XIX*lem, et qualtter inveuiatur per zodiacum?*

Ad cyclum lunæ inveniendum e numero annorum Domini, duobus sublatis qui, Deo humanato, de eodem cyclo restabant, cæteros per XIX divide, quorum constat revolutione; residui lunarem cyclum ostendunt. Si nihil remanserit, XIX erunt. Hunc sane cyclum Romanorum proprium esse scias, sicut XIXalem proprium esse constat Hebræorum, et a tempore Dominicæ resurrectionis etiam Christiauorum; observaturque iste cyclus in luna Januarii, qui est mensis Romanorum primus, sicut ille in Paschali, quem primum XIXalis mensem esse Hebræorum Dominus ipse testatur, qui Paschale sacramentum præmisit, dicens: « Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni. » Sicut enim ille incipit ab accensione lunæ Paschalis et usque ad eamdem porrigitur, similiter et iste a prima luna Januarii incipiens, ad eamdem deducitur ibique finitur, habens et ipse communes annos, duodenorum scilicet mensium, dierum CCCLIV, necnon et embolismos XIII mensium et CCCLXXIV dierum, et, excepto quod Paschalis in hoc nunc agitur celebritas, per omnia ei æquiparatur, ut a Venerabili Beda copiose tractatur, et uterque X et IX annorum revolutione, et lunari constat ratione. Ob solam tamen dignoscentiam iste lunaris, ille vocatur XIXalis, composito ex tribus corruptis vocabulo, ex X scilicet et *anno* et *novem*, sicut et apud Græcos ex eisdem vocabulis, sed integris appellatur ἔννεα καί Δεκαθέρηκα. Ubi notandum quod in Latina compositione *anni* vocabulum sonet, in Græca autem nomen anni *non* ponitur, sed a parte æstatis intelligitur; θέρος enim *æstas* dicitur. Illud quoque notandum tribus semper annis XIXalem procedere, cujus quarto anno lunaris semper incipiens ejusdem tertio finitur anno, quod tunc luna in Kalendis Januarii sit finita, quia annus utriusque cycli est embolismus. Cujus notitia lunaris hoc tantum nobis videtur utilitatis conferre, quod per eum, ut supra retulimus, quotidie lunaris accensionis hora reperimus. Quapropter hoc tandem prætermisso, ad XIXalis inaginem, quia ob multiplices Paschæ rationes utiliorem, accedamus. Cujus quotus sit annus invenire cupiens, ad numerum annorum Domini unum semper adjice; quia secundo ejus anno Dominus natus asseritur, et reliqua, sicut in luna cyclo diximus facito. Per hunc cyclum epactarum seriem et terminum Paschalem, aliaque argumenta perplura, sed et figuras quæ dicuntur Compoti, concurrere scias.

A

CAPUT XXX.

Quid sit terminus Paschæ, vel quando observetur?

Terminum Paschæ nihil aliud dicimus quam XIV lunam, quæ primum occurrit post æquinoctium vernale; quando in immolatione agni Judæis Pascha facere olim præceptum est; quia etiam nocte Dominus noster illo primum typico Pascha pacto traditus est, licet sequenti die, id est XV, pro nostra sint omnium salute immolatus. Quod æquinoctium XII Kal. April. occurrere supra ostensum est. Quacunque igitur septimanæ die luna XIV, sive in ipso æquinoctio, sive eo transacto occurrerit, terminum Paschæ dicimus. Ipsam vero solemnitatem in Dominicum diem, quo Dominus resurrexit, differimus, et si contigerit ipsum terminum die Dominico evenire, nihi-
B lominus in alteram Dominicam nostrum Pascha exspectamus, ut multi dicunt, ne Judaicum Pascha observare videamur, si cum illis eadem solemnia inchoantes, cum eis itidem finiamus. Nam et illi sicut et nos eadem festa per octonos celebrant dies, et nihil nostra ab illorum distat celebritate, nisi, ut dictum est, quod non pariter inchoant. Si autem Sabbato XIV luna advenerit, et vel æquinoctium dies fuerit, vel jam transactus, statim sequenti die Dominico Pascha celebramus. Idcirco autem terminus idem XIXali cyclo continetur, quod non nisi tot annis peractis ad eumdem diem Kalendarum luna XIV redeat. His vero expletis ad ipsum quidem Kalendarum diem, verumtamen nunc per eosdem redit Septimanæ dies propter concurrentes solis, qui per
C XXVIII variantur. Quæ res cogit tam terminum quam et ipsam festivitatem multo longius evagare, maximumque Paschæ cyclum per XXVIII XIXales cyclos, id est DXXXII annos extendi. Nam et si infra hunc annorum numerum vel terminus vel festivitas ad eumdem Kalendarum vel septimanæ diem redeat, non tamen pluribus annis per ordinem hoc facit. At eo expleto cyclo maximo; omnia ad eosdem dies et per easdem redeunt lineas. Quem Paschalem terminum ante vernale æquinoctium celebrare generali Ecclesiæ prohibemur traditione. De ipso autem æquinoctio varia non tantum veterum, verum etiam modernorum exstat opinio, aliis XII Kal. April., aliis VII Kal. asserentibus. Non ineptum videtur ostendere, qualiter hoc magistros nostros etiam corporali intuitu viderimus investigare. Et si quis adeo studiosus
D exstiterit, ut hoc oculis suis potius velit credere quam litteris, hic exemplar inveniat, quod (*f.* quo) id quod quærit indagare prævaleat, ubi primo solstitiorum, qui illud ab utraque parte quodammodo ambiunt, notandi sunt dies, ut postmodum id quod in medio æquinoctium facilius reperiatur designatis utrinque (*f.* utrorumque) limitibus.

CAPUT XXXI.

De æquinoctiis et solstitiis, qualiter etiam corporali intuitu deprehendantur, et de ascensu et descensu solis.

Primum itaque cœnaculum aliquud orienti oppo-

situm diligetur [*f.* deligatur], et in eo foramen tale notetur per quod singulis suis exortibus, qui sunt CLXXXII, sol radios suos introjacere possit. Tum singulis exortibus notentur loca quæ radius ille lustrat in occidentali pariete præfati cœnaculi. Certumque est radium illum solstitio brumali ad eorum, æstivo autem ad Africum dirigi. Porro in æquinoctio, utpote a medio orientis sole surgente, recta linea medium occidentis petere manifestum est; semper enim in oppositam sibi partem sol radios dirigit. Ergo brumale solstitium deprehensurus, quo sol in Capricorno agit, sic facito : A XV Kal. Januarii, quo die sol præfatum ingreditur signum, notato mane singula loca quo sol oriens primo dirigat radium, factis in pariete punctis usque XII Kal., et videbis per singulos ortus radium semper in ante progredi versus eorum, utpote sole adhuc inferiora petente. Itemque XII Kal. ortum solis diligentissime considerans, vigilantissime nota bis locum quo primum emiserit radium prædicti foraminis. Rursus sequenti die, id est, XI Kalend. ortu solis studiosissime considerato animadverte, radius ille utrum solito in ante pergat, an aliquantulum, quamvis parum, retro redeat. Quod si eum quantulumcunque redire perspexeris, quod sine dubio eveniet, certissime noveris solem, peracto pridie, id est XII Kal., solstitio, superiora repetere. Deinde si volueris per singulos ortus nota semper loca quæ tardius ille petierit scire, videbis eum quotidiano processu ad Africum tendere usque XII Kal. Julii. Quo die diligenter signato, jam sequenti die, id est XII Kal., retro redire conspicies, utpote solstitio peracto, sole ad inferiora redeunte. Quod si denuo consideres, invenies quotidie ipsum radium per easdem lineas redire ad eorum, per quas pridem venerat ad Africum, sole videlicet per eosdem ortus descendente ab æstivo usque ad hibernum solstitio, per quos descenderat ab hiberno usque ad æstivum solstitium. Et hoc est quod supra diximus CLXXXII tantummodo esse ortus solis, cum in anno explendo CCCLXV dies peragat. Peragit enim annum suum ascendens a brumali solstitio ad boreale, indeque rursus descendens ad brumale, et, ut dictum est, eosdem custodiens ortus descendendo quos servaverat ascendendo, non quo eadem signa repetat, alioquin non nisi dimidium lustraret zodiacum, sed ita est ipse signifer oblique per cœlum porrectus a polo usque ad polum, ut bina semper signa contra se altrinsecus posita eosdem habeant ortus et occasus, duobus tropicis duntaxat exceptis, quæ singularem habent ortum et occasum, Cancro videlicet et Capricorno, quorum alterum excelsius, alterum divexius constat esse locatum. Ut autem hoc quod diximus manifestissime pateat, Cancer, utpote cunctis excelsior, cunctis sublimior oritur et occidit, quod evidentissime pandit solstitialis exortus mense Julio. Cætera vero, sicut per ordinem sunt locata, unum ab antecedentibus, alterum a sequentibus eosdem, ut dictum est, custodiunt ortus et occasus, imo et cursus. Verbi gratia : Ante

A Cancrum sunt Gemini, et post Cancrum Leo; quæ, ut sæpissime dictum est, ita altrinsecus sunt posita, ut in uno loco oriri ac occumbere videantur; sol quoque in utroquelibet eorum positus per easdem lineas feratur. Sed in Geminis ascendit, in Leone descendit. Item ante Geminos Taurus, et post Leonem est Virgo, de quibus eadem dicta sunt. Porro ante Taurum Aries, et post Virginem Libra, quæ pari modo esse locata testantur æquinoctia in utroque eorum annatim concurrentia. Sic de cæteris usque ad Capriconum, qui cæteris humilior rursus suum ortum habet et occasum, totumque discursum. Cum ergo sol, ut dictum est, per CLXXXII ortus vel lineas ascendens, et per easdem descendens annum perficiat, duplica prædictum

B numerum, et habes CCCLXIV dies anni solaris. Porro unus dies, qui cum quadrante superest, quomodo dies ille ex minutis conficiatur horarum videamus. Sol enim moratur in utroque signo XXX dies et X horas ac dimidiam. Accipe primum illa sex signa per quæ sol ad solstitium ascendit, et da unicuique signo XXX dies et X horas ac dimidiam, et habebis CLXXXII dies, insuper et XV horas, id est minuta CL. Ex his ergo CCC minutis CCCmus LXVtus dies et quadrans efficitur ex minutis horarum, quibus in unoquoque signo super XXX dies immoratur, quem diem sol tam in ascensu quam in descensu perficit. Sed quia in ascensu nec dum peractus, pro integro computari nequit, computatur et descensu. Et inde est quod ab æstivo solstitio usque ad hibernum computatur unus dies, ide est CLXXXIII, cum tamen

C sol, ut dictum est, per easdem semper lineas descendat per quas ascenderat, donec quarto anno ex quadrantibus integer dies expletus ascensui solis interponatur, sicque et ascensus et descensus pari dierum numero computetur, id est CLXXXIII, qui simul juncti faciunt bissextilis anni dies CCCLXVI. Verum his per excessum breviter dictis, ad ostendendum solis annum cursum redeamus, unde digressi sumus ad probandos æquinoctiorum dies, quos palam est invenire, si ea quæ de solstitiis dicta sunt rata constituerint. Si enim sol brumali solstitio minimum diem et maximam agens noctem deinceps quotidiano processu noctem contrahit, ac diem extendit usque ad æstivum solstitium, quo nox brevissima et dies exstat longissimus, patet

D profecto medio mediorum decurso dierum spatio tantum minoratam noctem auctumque esse diem, ut pari longitudine metiantur, servante adhuc die solitum αὐξθόην [*supra* : augmentum; *vid. leg.* αὔξησλος], et nocte ἔλυξιν [*vid. leg.* αὔξησιν], donec ad eam proveniant prolixitatem, vel angustiam, quam neuter excedere potest, quod fit rursus in solstitio altero. Cum ergo solstitia alterum XII Kal. Januarii, alterum XII Kal. Julii esse constet, diesque ab uno [ad] alterum CLXXXII, scire volens, qui sit horum medius, præfatum numerum per æquas divide portiones, et habes in utraque parte XCI. Nogesimo (*sic cod.*) ergo primo die post solstitium brumale

noveris æquinoctium vernale, qui dies occurrit XII Kal. April. Et hoc fit in ascensu solis. Quod si alterum deprehendere vis æquinoctium autumnale, facito idem in descensu. Vide enim quod diebus descendat sol ab æstivo ad hibernum solstitium, id est CLXXXIII, et in horum medio, id est XCII, autumnale æquinoctium esse scito. Is est autem dies qui dicitur XII Kal. Octob. Certissimum est enim quia quantum in ascensu solis ab austro ad septentrionem nox minoratur et dies crescit, tantumdem per singulos dies in ejus descensu ab aquilone ad austrum e contra dies minuitur et nox augetur. Sin vero hoc etiam oculis deprehendere gestis, perfacile factum est. Designatis enim, ut dictum est supra, punctis in pariete cœnaculi per singulos radiorum ictus, qui fiunt in oriente sole ab uno ad alterum solstitium, videbis in utroque æquinoctio medium ipsorum punctorum surgentis solis radio peti. Hæc de solstitiorum æquinoctiorumque indagine inepta garrulitate verbosius dicta tardioribus, quæso, ne fastidio sint peritioribus. Jam de termino Paschali, qualiter inveniatur, paucis expediamus.

CAPUT XXXII

Repetitio de termino Paschali, et cur ipsa festivitas non nisi Dominica die celebretur?

Paschalem sane terminum, ut præfati sumus, nihil aliud dicimus quam lunam LIVam post æquinoctium vernale, quando præceptum est Judæis per singulos annos agnum immolare ad vesperum in memoriam liberationis egressionis suæ ex Ægypto eadem nocte patratæ; et illi, quacumque die in hebdomada, præfata luna eveniat, mox suum celebrant Pascha, et sequenti die, id est XV luna, festivitatem inchoant Azymorum, quam VII celebrant dies. Nos vero et XIV lunam exspectamus post æquinoctium, et ea adveniente nihilominus nostrum Pascha in Dominicum diem differimus ob memoriam simul et reverentiam Dominicæ resurrectionis, quæ ea die peracta est. Paschalis enim festivitas non ut alias festivitates passim per omnes evagatur hebdomadæ dies, eo quod hæc sit singularis, et sicut B. ait Gregorius, solemnitas solemnitatum, beatus quoque Augustinus: In aliis, inquit, festivitatibus ad memoriam tantum reducimus quid actum sit, in hac vero non tantum præterita ad memoriam revocamus, quantum ea quæ in nobis futura sunt, præsignantes enuntiamus. Resurrectionis ergo Dominicæ gaudia non nisi in Dominica die celebrare fas est, in serie temporum, et prima et octava. Prima scilicet die, quia in hac primam Dei creaturam factam legimus, id est lucem. Octava autem, quia est post septimam, eo quod eadem resurrectio et primum in capite nostro ea die præcessit, et nostra omnium, qui sumus membra ipsius, peractis VI ætatibus laborum, et septima requietionis animarum, octava scilicet ætate sit peragenda, quando ejusdem capitis vocem omnes qui in monumentis sunt audient et procedent. Porro si terminus, id est, XIV luna Dominica die evenerit, Paschalis festi lætitiam in aliam Dominicam transferimus, ut quidam dicunt, ne unquam cum Judæis Pascha celebremus, neve cum eis umbræ legali deservire videamur. Ut vero Theophilus Alexandrinus episcopus scribit, ne vel XIII luna Sabbato occurrente finire cogamur jejunium contra legem facientes, cum necdum luna plenum luminis sui orbem exhibeat, vel ne in Dominico die XIV luna existente auctoritate legis, quæ hac die agnum ad vesperum immolare jubet, jejunare cogamur contra Ecclesiæ facientes traditionem, secundum quam Dominica die jejunare fas non est. Ob hujusmodi causam ipse a XII Kal. April. usque in XIII Kal. Maii occurrit. Quia videlicet, si in ipso æquinoctio, id est XII Kal. April., terminus ipse, hoc est XIV luna occurrit, et Sabbati dies fuerit, ea nocte sacras vigilas celebramus, et sequenti die, id est VI Kal., Resurrectionem Dominicam. Quod si XIV Kal, Maii, quo longior esse nequit, terminus acciderit, et dies Dominicus fuerit in sequentem, ut dictum est, Dominicum festum differimus, quod est VII Kal. Maii. Lunæ vero ætas in ipsa festivitate nec minor quam XV, nec major quam XXI evenire potest. Si enim Sabbato XIV fuerit, qui est terminus, sequenti die Paschæ erit XV. Quod si in Dominica terminus, id est XIV evenerit, in alia Dominica, qua festum peragitur occurrit XXIa.

CAPUT XXXIII.

Quomodo inveniatur ipse terminus per singulos annos.

Si ergo scire vis quo Kalendarnm die quilibet terminus occurrat, lectionem istam memoriter tenere debes, quæ exinde versifica specie composita decantatur, ita incipiens: *Nonæ Aprilis norunt quinos.* Hæc enim lectio per singulos XIX alis cycli annos edocet, quo Kalendarum die terminus sit occursurus, id est XIV luna post æquinoctium. Feriam quoque, id est, quo septimanæ eveniat die, invenies junctis regularibus, qui singulis ascribuntur terminis, sicut huic V et concurrentibus ipsius anni, eo modo quo Kalendas mensium invenire docuimus. Quod si præfata lectio memoriæ exciderit, docemus qualiter etiam sine litterarum suffragio recuperari possit.

Paschalem Terminum cujusque anni reperturus sume præcedentis anni in primo articulo pollicis lævæ manus, et deinceps per ordinem singulos Kalendarum dies per singulos articulos summitatesque omnium digitorum ejusdem manus computans, quicunque Kalendarum dies rursus in eodem articulo expensis cæteris evenerit, terminum esse noveris. Hoc tantum memor esto in omnibus terminis inquirendis, ut, cum ad Kalendas computando perveneris deinceps per Kalendas Aprilis semper calculando incedas, vel post Kalendas Aprilis semper anni Nonas, et post Idus ab XVIII Kalendas sumas ad terminum. Et si terminus ipse in Kalendis vel in aliqua Nonarum vel Iduum die ocurrerit, in Aprili

esse noveris. Si autem Kalendarum dies ceciderit xii Kal. aut in ante, id est xi vel x aut deinceps evenerit, tum retro, hoc est in Martio, esse, scias, et Kalendas ipsas Aprilis pronuntiabis. Sin retro, hoc est [illegible] hi dies in Martio ante æquinoctium sunt, in Aprili computabis terminum, ipsas Kalendas Maii pronuntiabis, quod tribus tantum annis accidit in cyclo xixali, id est octavo anno termino existente xiv Kal. Maii, et undecimo ejusdem cycli anno, cum est terminus xvii Kal. Maii, et decimo nono anno, qui est cycli ultimus, terminum habens xv Kal. Maii.

Sed fortasse dicturus est nec præteriti anni te nosse terminum qui fuit. Sed et inde consulimus imperitiæ. Nempe et si multum hebes es, primum tamen xixalis cycli terminum, [illegible] semel audieris, retinere potes, id est Nonæ April. Quod si reliquos oblitus es, computa primum quotus sit annus cycli xixalis per argumentum quod supra ostendimus. Et hunc cum inveneris, computa totidem terminos a Nonis Aprilis, quotus sit annus cycli, et quem terminum in eodem ordine repereris, ipsum esse scias quem quæris. Et ut manifestius quod dicimus advertas, verbi gratia, si fuerit quintus sæpe præfati cycli, computa singulos terminos eo quo diximus modo, a Nonis April. sumpto initio, et quicunque v occurrerit terminus, ipsum v anno esse scias sæpe dicti cycli. Sic cæteris annis faciens facillime cujusque anni terminum invenies.

CAPUT XXXIV.

Unde inveniuntur regulares ipsius termini.

Regulares autem cujus [cujusque] termini reperturus, pone semper Kal. Aprilis in prima feria, et computa singulos Kalendarum dies per singulas ferias usque ad terminum, et in quota feria terminum quemque repereris, tot regulares illi tribuito. Exempli causa : Pone Kal April. in prima feria, et occurrunt Nonæ Aprilis in quinta feria. Dic ergo : Nonæ Aprilis norunt quinos. Sic de cæteris facies, et singulorum regulares absque errore reperies. Hic autem illud attende, ut si terminus ante Kalendas est, retro computes et Kalendas et ferias. Verbi gratia : positis Kalendis in prima feria, mox pridie Kal. in septima feria retro, ei iii Kal. in sexta feria, et sic deinceps retro semper usque ad terminum. Si vero post Kalendas Aprilis fuerit, in ante omnia computabis. Inventis regularibus junge, ut dictum est, concurrentes ipsius anni, et in quota feria terminus veniat, reperiens [*sic cod.*], adveniens Domini Pascha celebramus. Restat nunc ostendere qualiter per hunc cæteri reperiantur termini.

CAPUT XXXV.

Qualiter per Paschalem terminum cæteri inveniuntur

Septuagesimalem terminum invenire cupiens, vide primum quot diebus Paschalis terminus a Kalendis April. absit, sive retro, sive ante, et computa totidem dies a v Kal. Februarii. Similiter vel in ante vel retro et terminum lxxem absque scrupulo reperies. Est autem terminus lxxæ lunæ x, quæ sit Februarii mensis, id est quæ in illo finiatur. Lunam enim cujusque mensis eam dicimus quæ in ipso mense finiatur.

Quadragesimalem Terminum a xii Kal. Martii require. Incipiens per omnia sic facito, sicut de lxx diximus. Est autem luna ii mensis Martii. Hoc autem in his duobus terminis observabis, ut bissextili anno uno die tardius requirere incipias, id est lxxa iv Kal. Febr. xl vero ab xi Kal. Martii, quod in aliis non facias terminis. Et de lxx quidem in omni bissextilii anno hoc observabis. De xlma vero tunc tantum, cum ipse terminus ante bissextum venerit. Cæterum, si post bissextum eventurus sit, etiam in bissexto sicut in aliis annis xxii Kal. Martii require. In termino quoque lxx mali bissextili anno solet evenire luna xi, quod ideo notavi ne cum venerit turbaret calculatorem.

Terminus Rogationum omni tempore a ii Non. Maii requiritur, et omnia ut in superioribus computantur, et est Luna xx quæ mensis Maii.

Pentecostes terminus a xiii Kal. Junii semper requiritur per omnia, sicut superiores, qui est luna iv ejusdem mensis. Omnes vero termini una eademque feria provenient, et ut Pascha, sic cæteræ istæ festivitates in Dominicum diem protelabuntur; et ut de Pascha, sic de cæteris intellige, ut si in Dominico die evenerit, in alterum festivitatem differas,

CAPUT XXXVI.

De tribus annis xixalibus cycli, in quibus luna epactarum non servat ordinem, et qualiter Paschalis luna observetur.

De luna embolismi hoc solummodo adnotandum censui, quod nunqaum cursui refragatur epactarum, exceptis tribus annis cycli xixalis, octavo scilicet anno, qui ogdoas appellatur Græce, et undecimo, necnon decimo nono, qui est ultimus, et dicitur endecas Græce, quod post ogdoadem sit undecimus. In quibus annis contra consuetudinem epactarum in quibusdam Kalendis occurrit. Ostendendum ubi ordinem tribuat. Octavo igitur anno epactis existentibus xvii embolismalis luna ii Non. Martii incipit, finiturque i Non. April. xxxa, licet in Aprili finiatur, qui nunquam habet xxx. Ista enim nec Aprilis est, nec alicujus mensis, sed embolismalis, quæ nullius unquam dicitur mensis, et semper xxxma computatur. Sequitur luna Aprilis, quæ est et Paschalis, [illegible] Non. Aprilis incipiens, [illegible] Non. Maii, [illegible] xxxma computatur, [illegible] Maio finiatur, cum semper Maius xxx habeat lunam; quia ista, ut dictum est, nod Maii, sed Aprilis est. Est autem in Kalendis Maii xxviiima, quamvis secundum rationem epactarum ac regularium esse debuerit... Incipit vero luna Maii iv Non. ipsius, et finitur iv Non. Junii xxxma existens, quia non Junii sed Maii [illegible] sicut semper luna Junii, cum secundum epactas ac [illegible]

A Non. ejus inchoatur, et finitur in ipso mense xxxma, II Kal. Aug. et finita est illius controversia. Epactarum autem lectio hoc anno III Kal. Maii ac Julii dissonat. Porro undecimo cycli XIXalis anno, qui habet epactas xx, luna embolismalis incipit II Non. Dec. et finitur IV Non. Januarii. At vero luna Januarii III Non. ipsius incipit, et finitur in Kal. Februarii xxxma existens, quod et lectio epactarum ostendit. Sequitur autem luna Februarii IV Non. incipiens, finiensque VI Non. Martii. Quæ, quia Febr. est, licet in Martio finiatur, XXIXa computatur; nisi forte bissextus hoc eveniat anno, qui semper lunam Februarii xxxam computari cogit. Luna quoque hoc anno in Kal. Martii secundum epactarum seriem XXIXna esse debuit, sed propter embolismum XXVIIIva occurrit, excepto bissextili anno. Si enim hoc anno B bissextus fuerit; tunc in Kalendis Martii XXIXna secundum lectionem, et secundum illius anni calculationem proveniet, et ut dictum est, VI Non. Martii xxxa. Deinde luna ipsius Martii V Non. ejus incipit, finiturque in Kal. Aprilis, et secundum epactas, et juxta præcedentem calculationem xxxma occurrens. Porro IV Non. April. luna ipsius inchoans, quæ est et Paschalis, finitur in Kal. Maii XXIXna sicut semper habet; et finita est rursus et illius anni controversia. At vero XIXus annus epactas habens XVIII embolismalem lunam III Non. Martii inchoans, nihilominus III Non. Aprilis eam terminat, sequente luna Aprilis, quæ est et Paschalis, sicut semper II Non. ipsius, peractaque VI Non. Maii; et hæc quia non Maii sed Aprilis est, XXIXna terminatur. Et licet C secundum epactas in Kal. Maii occurrat XXIXna, tamen ob prædictam rationem XXVIIIva computatur. Incipit autem luna Maii V Nonas ipsius, completurque in Kal. Junii xxxma omnibus modis existens, et deinceps solitum cursum custodiet usque in Kal. Septembris. A Kal. enim Septembris hoc anno, quousque transilias saltus diem, quem multi in Novembre faciunt, in nullis Kal. lunam secundum regulares inveniens, sed in Kal. Sept. necnon et Octob. IVa occurrit, cum secundum regulares in utrisque Va esse debeat. In Kal. enim Nov. VIa est, cum debeat esse VIIa ratione regularium. Peracto enim saltu in Novembri deinceps inviolatum custodiet cursum. Sed omnem hanc controversiam evitare poteris si, ut supra diximus, secundum Ægyptios mense Julio D saltus diem transilire volueris, præter duntaxat in Kal. Augusti in quibus lunam Iam computabis, quæ secundum epactas IIa pronuntiatur. Sane ubicunque saltum interponas, observabis, ut III pariter lunationes XXIXas computes sine ulla interpositione xxxa.

CAPUT XXXVII.

De cæteris embolismis brevis commemoratio.

De cæteris embolismis, qui (*ita cod.*) epactas non repugnant, hoc solummodo putavi dicendum, ut si quando secundum lectionem duæ simul xxxmæ occurrerint lunationes, una ex his embolismalis dicatur, quæ nulli deputatur mensi, excepto si bissextus fuerit. Tunc enim tres simul eveniunt xxxmæ quarum nulla est embolismalis; quia videlicet Jan. xxx habente sicut semper, Februaris ita dein xxx habet propter bissextum subsequente luna Martii æque xxx, sicut semper est; et si fuerit ogdoas aut endecas, simul cum bissexto sequitur adhuc quarta xxxma quæ est embolismalis illius anni, de quo supra dictum est.

Cætera de emlolismis annisque communibus, deque ogdoade et endecade, vel de omnibus ad Paschæ rationem pertinentibus, qui nosse plenius desiderat librum venerabilis Bedæ de his eleganter editum sedulo perlegat. Ibi copiosissime de his omnibus quidquid quæsierit procul dubio reperturus.

CAPUT XXXVIII.

Epilogus libelli.

Nos enim, scholasticorum nostrorum rogatu, quæ introducendis ad hanc artem pueris necessaria judicavimus, pro captu ingenioli nostri undecunque collecta congessimus. In quibus congregandis, si aliquantulum verbosius evagati sumus, quicunque ea legerit, eo nos studio fecisse cognoscat, ut quæ dicebantur manifestoria legentibus forent. Unde et occultiorum [*f.* cultiorum] pompas verborum evitavimus, cum fortasse hæc nobis aliquatenus suppeterent. Quia, sicut ait B. Augustinus, qui eleganter aliquid loquitur, nec auditorem instruit, sibi tantum et non illi quem ad erudiendum suscepit, loquitur. Rogamus autem, quicunque hæc legere dignabitur, ut si qua in his suæ utilitati conducibilia reperit, omnium bonorum largitori gratias referat. Quod si secus evenerit, non illico laborem nostrum inanem esse causetur, quia sæpe evenit ut ibi alius erudiatur, ubi alius nil utile suspicatur. Etsi enim pretiosius est aurum poculum, non ideo tamen omni utilitate caret Samniolum; imo nonnunquam vasa fictilia tanto solent utiliora esse quanto viliora, quia gemmis in scrinio jacentibus, et solis regibus his utentibus, hoc [*f.* horum] plurimum servi carent usibus. Se uti autem quisquis fastidierit, non sibi esse edita, sed his tantum qui majora adhuc penetrare nequeunt, ut his primum quasi quibusdam alphabeti characteribus inducti, illa deinceps facilius assequantur.

ANNO DOMINI DCCCCLXXXII

BERNERUS

ABBAS HUMOLARIENSIS

NOTITIA HISTORICA

(Apud Fabricium, Bibliotheca med. et inf. Lat.)

Bernerus, ex monacho S. Remigii Rhemensi abbas Humolariensis in Vermanduis Galliæ, ordinis S. Benedicti, circa annum 964 scripsit Vitam sanctæ Hunegundis, defunctæ anno 650, quæ obvia apud Surium 25 Augusti et sincerior apud Mabillonium Act. Bened. Sæc. II, pag. 1018, cum historia translationis Sæc. V, p. 215.

BERNERI ABBATIS
DE VITA SANCTÆ HUNEGUNDIS

VIRGINIS HUMOLARIENSIS

(Apud Mabill. Acta Sanctorum ordinis S. Benedicti, Sæc. II, pag. 1018.)

OBSERVATIO PRÆVIA

A quo auctore quove tempore scripta sit B. Hunegundis Vita, non omnino est exploratum. A scriptore subæquali fuisse litteris commendatam suspicari quis posset ex his prologi verbis : « Cujus (Hunegundis) aggredior vitæ gestorumque pauca describere, prout comperi a fidelibus enarrari. » Verum eo loquendi genere auctor se aliorum relatione seu traditione potius quam scripto hanc historiam didicisse satis innuit. Episcopum fuisse auctorem putavit Surius, qui hanc Vitam stylo politiori primus edidit. At licet in prologo *Sacerdotum se ultimum* dicat biographus, quo nomine apud veteres episcopi plurimum designantur; tamen eo loci presbyterum exprimi, et forte Bernerum abbatem Humolariensem prtmum, verisimile putamus. Nam Bernerus ipse exaravit B. Hunegundis historiam translationis, quæ in cod ms. monasterii S. Theoderici Remensis huic Vitæ subjicitur, non continua serie, uti apud Surium, sed distincta et prolixiori narratione. Hanc in eodem cod. sequitur *Historia mutationis* ab alio auctore condita, in qua hæc verba de Bernero : « Cujus inventionis necnon et translationis descriptionem simulquo miraculorum insignia inibi divinitus declarata volentibus agnoscere, claro stylo loculentoque sermone studuit elucubrare piæ memoriæ domnus abbas Bernerus, qui Deo disponente, primus huic successit locello, pulsis ob obscena carnalis voluptatis lenocinia quæ ibi erant monialibus. » Quod anno 948 contigisse suo loco dicemus. Est autem Humolariense monasterium, vulgo *Humblières*, prope muros Augustæ Veromanduorum ad Suminam, cujus monasterii primordia et auctores ignorantur. Istius Vitæ exemplum duplex, unum integrum, aliud mutilum cum accepissemus, diversi auctoris fetum esse primum existimavimus; at re maturius expensa non duplex, sed una eademque lucubratio visa est. Hinc corrigendum id quod in præfatione Sæculi I, Bened. de duplici Vitæ S. Hunegundis scriptore diximus.

PRÆFATIO AUCTORIS

1. Beatorum ac venerandorum Patrum memoranda descriptio, qui membra et versutias callidi hostis evangelico perculerunt gladio, interiorem nostrum hominem divino perflat alloquio : nec minus exteriorem et corruptibilem nostrum gravi affectum elogio materna ac virginalis inclyta vegetat collatio. A Nempe ex his genus victoriæ exstitit egregium, quo diabolus cum suis armis omne perdidit dominium, et per quod primi parentes vitæ sensere dispendium, per id rursus in augmentum sui supernum dilatatum est imperium. Eadem ergo natura, quæ viro gustum necis obtulit, etiam per sanctas virgines omnibus

vitii parcimoniam propinavit : et quæ primum facile consentit ut caderet, et mater calamitatis existeret; postmodum per Christi gratiam fortiter restitit ut zabulum prosterneret, sororque et mater Domini Salvatoris gratis electa feliciter fieret. Hujus igitur divinæ gratiæ sortem adepta gloriosa virgo Hunegundis, ab immaculato divini fontis utero renata prodiit, educata catholicæ sinu matris Ecclesiæ, cu- A jus aggredior Vitæ gestorumque pauca describere, prout comperi a fidelibus enarrarri. Obsecro itaque me principem peccatorum et sacerdotum ultimum vestris precibus suffragari, quatenus mihi sanctus dignetur adesse Spiritus, qui et facinorum nostrorum maculas deleat, et linguam ad enarranda quædam virginis gesta disertam efficiat.

INCIPIT VITA

2. Summa et incomprehensibilis providentia Divinitatis, cum ex sua omnipotentia mundi principem debellaret, ejusque versutias penitus extirpare disponeret, eum non solum potenter superavit atque arma abstulit, verum etiam ipsis armis misericorditer tam præclaram contulit flagrantiam, ut fugarent ac delerent sordidissimi principis dominia, fierentque Christi luminaria quæ fuerant pridem arma tenebrosa. Tali igitur ordine mundi sceptra crudelissima immutantur, omnisque portio tenebrarum suis cum satellitibus tanto jubare restinguitur, oriturque per pagella nova lux et gaudium, submittentes colla Regi regum, et paulatim a solis ortu usque ad occasum Christi divulgatum est imperium. Inter quos gens Francigena, multis actuum insigniis splendida ac triumphis multis famosissima, licet Christo fide sancta tardius occurreret, tamen ut persensit Domini clementiam, cœpit passim pullulando novam atque sanctam Deo patri prolem gignere. Ex cuius jam sacratissimo consortio sancta mater atque virgo Christi dilatata est Ecclesia, quæ oblita domum patris atque populum, unitati trinæ sinum cordis obtulit, unde sibi immaculatus Dominus impollutam consecrare familiam.

3. Ergo tellus Franciæ, pagus scilicet Vermandensis, præpollentissimi martyris Quintini decorata suffragiis, anhelabat totis viribus ut offerret Domino munus gratum in odorem suavissimum. Quo in pago, atque villa quam Lembaidis nominant, sancta virgo Hunegundis generosa nata est prosapia, quæ processit velut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi generis pigmentorum, dum nobilibus et Christum colentibus prodiit parentibus. Hanc e sacro fonte ferunt elevatam ab Eligio pontifice Noviomensis ac Vermandensis Ecclesiæ, ubi sumpsit veri sponsi arrham, simulque vestem pretiosam immortalitatis signo candidatam et triumpho passionis perlustratam, atque castæ charitatis ordine regiam et sacerdotalem coronam mysticam. Ubi etiam in septem gradibus baptismatis septem comprehendit dona Spiritus sancti, episcopali benedictione confirmata et sancto chrismate delibuta. Quibus undique fulta vivere studuit juvencula per septima dierum curricula, ut septem septies augmentatis et monade supposito, jubilæi fructum in præsenti vita acquireret : hocque duplicato corpore B et anima post peractum vitæ cursum fructum carperet centesimum sacratissimis virginibus consecratum. Unde quia erat gloriosæ indolis progenie, ab ipsis incunabulis fertur esse desponsata coæqualibus natalibus : sed dilecta magis sponso cœlesti terrestris confunditur, occultoque Dei judicio mortis confinio clauditur.

4. Postquam vero cœpit sancta virgo esse adolescens corpore candidoque vultu atque flava facie, desponsatur rursum a quodam nomine Eudaldo generosæ stirpis homine, a quo variis est dotata sponsalibus cum mancipiis et villulis : quæ omnia licet a parentibus coacta, vultu tamen placido et mente casta perferens, meditabatur jamdiu animo, qualiter se et sua Christo sponso traderet dotalia, fieretque C sanctimonialis femina sub tutela sanctæ matris Virginis, insignita capitis velamine, ut cum adolescentulis veri regis valeret edicere : *Nigra sum sed formosa, filiæ Jerusalem, ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum* (*Cant.* I); et iterum : *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol* (*Ibid.*). Talis intentio et tam præclarum exercitium versabatur sedule in præcordiis puellaribus, flosque Genitricis virginalis in hac sancta redolebat virgine, radiantes plurimæ virtutum gratiæ ex virgineis successibus.

5. Deinde cum sanctum suæ mentis propositum ad effectum operationis vellet perducere, sapienti usa consilio, sponsum qua potuit arte tentavit suaviter emollire, ac demulcendo subtilitate ingenii ab amplexibus omnino divellere. Cui talia blandissimis D alloquens vocibus dixit : O dulcissime atque amantissime conjux, quoniam Christianissimis et orthodoxis parentibus geniti sumus, non decet nos coinquinari ac libidinosis commistionibus pollui, velut gentes quæ ignorant Deum, et sicut equus et mulus quibus non est intellectus. Placeat tibi, precor et contestor per Dominum, meum salubre consilium, meisque te accommoda dictis, et quæramus mutuo qualiter nostra Deo placita efficiantur conjugia, ut de nobis non terrena sed progenies cœlestis emergat. Decet enim nimiumque valet nos apostolorum principem expetere, atque loca sancta circuire, ut saltem fusa super nos benedictione apostolica fiat nobis vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fecunditas in propagine, tranquillitas in diuturna

pace. O beata virgo, o superni Regis sponsa, quam devota diceris! Ecce dicis quasi optans tibi mundum efflorescere, quem in corde jam despectum funditus spreveras, et velut stercus marcidum quod penitus calcaveras. Quid plura? ita quidem es delusa sollicitudo nuptialis, atque protelata dies matrimonii; et cum debuerant præparari nuptialia, præparantur sumptus et vehicula tanto itineri necessaria. Nam quia erat virgo tenerrima, et tam voluntate quam ætate innuba, idemque sponsus timoratus et Christicola, acquievit placide; et ut cognovit non esse fas resistere, etiam ipse cœpit esse auctor itineris, optans et exorans ita sibi cuncta evenire, ut audierat affatibus puellulæ.

6. His rite peractis et paratis omnibus quæ ad usum vel ad victum forent congrua cunctis iterantibus[itinerantibus], gratias agentes Deo viam pergunt publicam; sponsus pompa sæculari hilaris et alacer extrinsecus, virgo multo gaudentior lætabatur intrinsecus. Cuncta quippe ei Christus tribuebat prospera, cui jam cum fide vera, spe et charitate integra, famulari semper suam devovebat animam, poscens Jesum Christum tacitis precibus custodiri cor et corpus immaculatum, ne confunderetur illecebrosis voluptatibus. Ore tacito mens orabat, et protegentem se Dominum cordis oculis conspiciebat. Suavissimis alloquiis legiones sanctas angelorum evocabat suum in auxilium, et cum lacrymis sibi adesse poscebat omnem chorum agminum cœlestium. Exauditur Dei famula, et comitante illi divina misericordia, superni respectus promeruit majora solatia. Sacrosancta utique præsidia sibi mox adesse persensit, quæ defensam omnibus incommodis Romæ præsentarunt apostolicis conspectibus, cum omni integritate fidei et corporis. Cumque percunctarentur loca urbis mundi dominæ, et superbo fastu sponsus cum sodalibus undique circumseptus, varia sanctorum circuiret pignora; illa vitans arrogantiæ comitatum, sola ibat ad apostolorum limina. Sponsus eam æstimabat repausare præ multæ viæ lassitudine: illa velut mente renovata ac robustior effecta, omnia foris et intus urbis Romæ circuibat oratoria. Ille ergo ruitura oculo corporeo mirabatur ædificia urbis Hiericontinæ: hæc in perpetuum mansura mentis intuitu invisebat clara mœnia cœlestis Hierosolymæ, semper ob amorem patriæ cœlestis in orationibus et vigiliis ac jejuniis ante apostolorum limina solo recubans, et vix ad hospitium rediens.

7. Inde spretis rebus transitoriis relictoque sponso cum suis omnibus, pernox erat in orationibus, corpus vigiliis et inedia macerans, et omnia quæ habere poterat pauperibus erogans: sicque monacha efficitur quæ sponsa putabatur: et terrestris copula cum omni pompa dejicitur, cum a superis castitas virtutum regina diffunditur. Erat certe gaudens quasi quod optaverat diu possidens, unde nec ad momentum poterat relinquere quæ cum tanta claritate meruit invenire. Adveniente denuo die stationis apostolicæ, provoluta est pedibus antistitis sanctæ catholicæ matris Ecclesiæ, offerens protectam virginitatem Christo Domino ad exemplum Genitricis virginis, et expostulans se sacrari sigillo castimoniæ et capitis velamine sub tutela et servitio incomparabilis Virginis Mariæ. Cujus benignissimam intentionem et devotionem pius Pater audiens et a Domino ejus mentem illustratam intelligens, voce lacrymabili admirans tantam in puella sapientiam, dixisse fertur: « Benedictus es, Domine Deus omnium, qui in toro virginali mentis castæ et corporis tuum locas domicilium, et in sexu fragilis materiæ numerosa operaris mirabilia. Laudem ergo tibi generaliter loquatur lingua omnium, quia dignum est in talibus gestis attollere te Dominum universorum. Equidem te, Domine, super his in æternum laudabo, et glorificabo nomen tuum in sæcula. »

8. Et conversus ad Dei castam virginem infit ita inquiens: « Cujas et puella, vel a quibus oris advenisti replica, nomenque tuum et fidem tuæ gentis pariter designa. Estimo enim te nobilissima stirpe progenitam, et ab ipsis infantiæ cunis ecclesiasticæ disciplinæ litteris eruditam. » Ad hæc illa mente et facie serenissima submisso vultu, tali orsa est alloquio: « Si de gente, Pater, quæris, et domine, ego gentis sum Francicæ atque Hunegundis dicor nomine, et in pago nata sum Vermandensi, a quo delata huc veni. Educata equidem sum parentibus, Christicolis, et contra velle meum, et, ut credo, Dei placitum, sponso tradita sum juvenculo, quem postpono et devito devincta Christi charitate, quo ducente et favente, toto corpore sum integra atque mente impolluta. Illi me devoveo qui creavit universa, atque fidem quam requiris ipsi servo integram. Quam si plane vis audire, paudam tibi, Pater optime, quia, licet barbara sim natione, tamen hanc fatemur fidem veram atque sanctam, quæ nobis in fine temporis est delata ab hac sancta sede apostolica et catholica matre Ecclesia. Ecce etenim tua sanctitas dum a nobis fidem exigit, videtur nobis quasi Christus a Samaritana aquam fontis postulet: qui dum tali dignatus est perfrui alloquio, innuit latenter quod neminem a fide ulla potest regio repellere. Unde nos quia fidem non erubescimus, de provincia nequaquam confundimur, cum David præcipiat omnes gentes plaudere manibus et jubilare Deo in voce exsultationis, etc. Verumtamen quoniam apostolicis institutionibus monemur ut omnibus poscentibus rationem de spe et charitate quæ in nobis est proferamus, non moremur diutius gloriam fidei nostræ tuæ beatitudini paucis demonstrare. Credimus quippe et confitemur absque principio temporis et fine summum et incircumscriptum Spiritum, unum omnipotentem esse Deum, juxta quod ait Moyses: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* Deut. VI. Unus est, inquam, Deus Pater ingenitus, unus Filius ejus unigenitus, unus Spiritus sanctus ab utroque procedens, Patri et Filio coæternus, sed semper idem Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, a

quo omnia, per quem omnia, et in quo sunt omnia, et sine quo factum est nihil. Hæc tripartita conjunctio et conjuncta divisio, et in personis excludit unionem, et in personarum distinctione obtinet unitatem. Non autem sicut tres personas, ita et tres deos credimus, sed in tribus personis unam Deitatem confitemur: Trinitatem sanctam credimus in subsistentibus personis, unitatem vero in natura et majestate ac substantia Deitatis. Omne igitur quod est, in duo dividimus. Absque sola nempe Trinitate omne quod in cœlis terrisque a mari potentatur vel agitur vel movetur, creaturam esse credimus et fatemur, Deum vero solum creatorem. Filium quoque Dei credimus in novissimis temporibus conceptum esse de Spiritu sancto et natum ex Maria virgine, carnemque naturæ humanæ et animam suscepisse. In qua carne crucifixum et sepultum ac resurrexisse a mortuis credimus et fatemur, et in eadem ipsa carne, licet alterius gloriæ, post resurrectionem ascendisse in cœlum, unde judicem venturum exspectamus vivorum et mortuorum. Carnis quoque nostræ resurrectionem fatemur integram atque perfectam, in qua nunc vivimus et movemur in præsenti vita, et in ipsa aut pro bonis actibus consequi bonorum præmia, aut pro malis sustinere pœnarum supplicia. Pœnitentiam peccatorum plenissima fide profitemur, ac velut secundam gratiam suscipimus, juxta quod Apostolus dicit ad Corinthios : *Volui per vos venire, ut secundam gratiam haberetis* (*II Cor.* I). Hic est fidei nostræ thesaurus quem signatum ecclesiastico symbolo custodimus, quod in baptismate suscepimus. Sic coram Deo corde credimus, sic coram omnibus hominibus ore confitemur, ut hominibus fidem sua cognitio faciat, et imago sua Deo testimonium reddat. »

9. Hæc et alia hujusmodi innumera fidei sacramenta palam omnibus replicans Hunegundis virgo devotissima, auribus astantium salubre commercium præstitit, et faucibus virgineis optabile silentium. Tunc venerabilis pontifex summæ sedis apostolicæ ruptans non sonare hominem, sed potius intelligens sanctum resonare Spiritum castis in visceribus, coram cunctis ita fatur : « Benedicta filia tu a Domino Deo exercituum, quæ in tua mente pura jucundum Deo præparasti habitaculum. Non oportet ergo sanctum contristari Spiritum, cujus mens pudica creditur esse sacrarium. Apostolus enim dicit, quia caste viventes templa sunt Spiritus sancti (*I Cor.* XII), et ideo quisquis templum Dei violaverit disperdet illum Deus. Multum est in te venerandus ille artifex summus, qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis prout vult. Eia virgo casta, eia mens pudica, suscipe quod amori æterno proficiat; oblata etenim tibi a viro corruptibilis sub specie pietatis munuscula projecisti : suscipe nunc per nostram benedictionem tibi a Domino concessa dotalia, per quæ sponsam Christi te in æternum recognoscas, et transitoria contemnendo, sempiterna gaudia comprehendas. Ille enim in tua mente quid facies prospicit, et quam decenter ejus virgines comiteris attendit. Propterea ab adolescentulis ipsius ut diligeris vehementer decerta, et post odorem unguentorum illius currere festinanter anhela, semper pro concessis Domino gratias referens, et pro concedendis humiilter exorans. Hortorque te habere in memoria quæ possidere concupiscis in vita æterna, ut cujus te sponsam fateris in terra, ejus amplexibus perfrui merearis in perenni gloria. »

10. His dictis velum capitis ac reliqua indumenta in humilitate castitatem cordis et corporis se contemptum mundi significantia super sanctum altare composita sanctus papa (2) benedixit, atque more sancto consecrans effusa benedictione eam Christo servituram, ut poposcerat, jure dedicavit. Et conversus ad Dominum et exorans dixit : « Respice, Domine, super hanc famulam tuam, ut sanctæ virginitatis propositum, quod te inspirante suscepit, te gubernante custodiat. Sit in ea, Domine, per donum Spiritus tui prudens modestia, gravis lenitas, casta libertas : ferveat in charitate, et nihil extra te diligat. Laudabiliter vivere studeat, et laudari non appetat. Te timendo super omnia amet, et amando in omnibus te timeat. Tu ei, Domine, sis gaudium, tu in mœrore solatium, tu in ambiguitate consilium. In injuria sis defensio, in paupertate abundantia, in jejunio cibus, in infirmitate medicina. Quod est professa custodiat, ut hostem antiquum devincat, et vitiorum sordes expurget, quatenus centesimo fructu cum decore virginali ac virtutum lampadibus exornetur, et ad electarum virginum consortium pervenire mereatur. » Cumque omnes respondissent, *Amen*, sanctus antistes deosculans caput sanctæ virginis Hungundis dimisit eam in pace.

11. Hæc audiens Eudaldus, qui pridem vocatus fuerat sponsus, cum cognovisset se contemptum a virgine indignatus est animo, et cunctis sensibus anxiari cœpit, volvens in animo cum nimia æstuatione ut eam gladio transverberaret. Sed timens incurrere periculum homicidii, territusque audita sententia sermonis apostolici quam retulimus, quia non oportet sanctum contristari Spiritum, cujus sancta virgo erat domicilium, juxta Pauli vocem ubi dicit, quod caste viventes templa sunt Spiritus sancti (*I Cor.* III) : ideoque quisquis templum Dei violare tentaverit, disperdet illum Deus, pœnitentia ductus non est eam ausus contingere diutius. Missis itaque nuntiis, sanctam virginem sprevit a consortio et a comitatu suæ reversionis, derelinquens illam solam via publica, et subtrahens illi omnia ad tanti itineris necessaria. Privata virgo humano solatio,

(2) Martinum I designat Ecclesia San-Quintinensis in lectione 4 Breviarii. Quod quidem stare non poterit, nisi Eligius priusquam esset episcopus Hunegundem de sacro fonte levaverit. Ante enim sedi Noviomensi præfuit Eligius quam Martinus Romanæ.

cœpit viriliter agere et confortari in Domino, dicens A illa Psalmographi cantica : *Dominus pascit me et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit, etc.* (*Psal.* XXII). Deduxisti enim me in portum voluntatis tuæ : misericordia tua, Christe, obsecro præcedat, et subsequatur me, ut merear pervenire ad optatum servitium sanctæ virginis Mariæ. Et ut inhabitare valeam in tabernaculo tuo in sæcula, protegar rogo in velamento alarum tuarum.

12. Igitur hac expleta oratione, cœpit sola proficisci, et ad voluntatem Dei Gallias remeare, lustrans devia et pervia, atque poscens sibi semper adfore sanctorum præsidia, derelicta siquidem humano solatio, sed suffulta et protecta Christi comitante gratia. Erat namque pergens in itinere, quasi jam degens sub monastico regimine, vel ut dicam B altius, quasi sanctus eremicola Christo famulans in remota eremi solitudine. Diebus quippe festis utens pane solo et aqua parcissima, reliquis pane cineribus commisto et herbarum arborumque pastionibus defessum refovebat corpusculum. Unde quod per sanctam virginem Dominus dignatus est operari miraculum, non est nostro silentio transeundum.

13. Cum prædictus Eudalus nimia indignatione stomachatus se contemptum omni modis comperisset, et in sanctam virginem vellet sed non auderet gladio insurgere, accepto consilio a quodam quem secum duxerat itineris socium, concite ad paternam remeare disposuit hæreditatem, vendens et distribuens onerosa, ut citius transmigraret ad propria. Hoc utique pertractans volvebat in animo, ut omnia patrimonia et jura hæreditaria virginis venderet, et C quæ vendere non posset in nihilum redigeret, et sic funditus ea cum omni supellectili et mancipiis extirparet. Itaque cum velocissimis equitibus [equis] expeditam cœpit carpere viam, efferens se totum perficere in opere, quod olim doloso conceperat corde. Quod sanctam virginem nequaquam latere potuit, quæ Dominum scientem omnia in cordis hospitiolo locare curavit. Itaque Dei ancilla, divino instinctu permota atque afflatu sancti Spiritus vigorata, ut erat pedes, cunctis equitibus et curribus velocior efficitur, imo per aliam viam gradiens, omnes et antevolans, veloces præcesserat currus. Denique prior in terram suæ nativitatis pervenit, et omnia sua pro voto et libitu in loco quem vulgo dicunt Humolarias, sanctæ Dei genitrici Mariæ seque simul ut optaverat D servituram inibi Christo dum adviveret contradidit.

14. Non post multum vero temporis persecutus idem Eudaldus ad votum explendum devenit, seque omnium rerum virginis possessorem et dominum prætulit, nesciens quod jam transissent omnia in cultum Dei et sanctæ Dei Genitricis tutamina. Qui cum cognovisset eventum rei, et tam auditu quam visu didicisset acta virginis veridica, reversus in semetipsum, secum tacitus mirari cœpit et venerari, recolens quæ et quanta per sanctam virginem Dominus sit operatus miracula. Unde quales potuit mox Deo laudes et gratias retulit, qui ab actu et tactu malo eum custodivit, ne peccaret in sanctam virginem, et furentem in reversione non permisit merito occumbere. Dignos igitur fructus pœnitentiæ peragens super his quæ gesserat in virginem, non poterat invenire quibus laudibus eam extolleret, vel quibus muneribus ejus faciem complacaret, ut vel ab ea videri mereretur, aut ipsa pro eo preces Christo fundere dignaretur. Tandem salubri reperto consilio, semetipsum in humilitate cordis et corporis obtulit, ac prostrato corpore coram sacro altari Dei genitricis Mariæ veniam de commissis expoposcit : conversoque vultu quo residebat virgo cælebs, poscit sibi misereri, multumque præcatur ut quem pridem voluerat habere sponsum, saltem tunc dignaretur suscipere servum. « Quoniam me, inquit, ad injuriam corruptibilis amatoris non postposuisti, nec mihi qualemcumque personam potentem aut infimam præposuisti, sed regem sæculorum et creatorem omnium mihi prætulisti, tibique sponsum cœlestem in toro virginali ascivisti, ecce memet atque mea gratanter offero illi : et quæ tibi olim contuli dotalia, trade sponso vero Jesu Christo in sororum egenorumque alimoniam. Ego, inquam, dum advixero, dumque corpus hoc gestavero, tuus procurator in exterioribus esse curabo, et post mortem omnem meam supellectilem cum rebus et mancipiis per hoc auctoritatis testamentum perpetualiier trado in honorem Dei omnipotentis atque sanctæ Dei Genitricis virginis. » Et confirmans testamentum hujuscemodi voce palam omnibus dixit : « Hæc a me nunc suscipe, virgo castissima, meumque cadaver in hoc loco tumulandum tuis precibus impera, ut cum te rex supernus ac cœlestis sponsus in thalamum transduxerit virgineum, ego veste nuptiali circumdatus atque agni vellere niveo succinctus, inter convivas mensæ regis particeps vitæ cœlestis apparere merear vel ultimus. »

15. Obtinuit ergo quod expetiit et cum sancta animi devotione incolumis remeavit ad propria. Cui Dominus bene vivendi contulit efficaciam, ejusque votum ad optabilem perduxit effectum. Nam devotus Deo, ultra quam fuissent necessaria sacratissimæ studuit subministrare virgini, pariterque in statuto xenodochio victus et vestitus præbuit alimoniam. Fultus deinde multimoda Christi virtute, ac deducens tempus vitæ in hujuscemodi operatione, exutus est præsentis sæculi contagio ac perfunctus luce transitoria, audivit de supernis vocem sibi hæc loqui : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam ;* eris princeps decem civitatum. Tunc beata virgo Hunegundis, mentem sanctam cum oblatione sacrificii per sacerdotum manus Regi regum Christo obtulit, deprecans et exorans subvenire illi sanctos angelos, ac locari ejus spiritum inter choros agminum cœlestium. Corpus vero poni jussit in feretro ac deferri ad se fecit infra monasterium, et in condigno et optato tradidit sepulturæ loco.

16. Post cujus abscessum, arctiori se submisit

vitæ et Christi servitio, puniens atque deflens cogitata seu nociva jam peracta opera, crebrisque jejuniis ac vigiliis tundebat corpus fatigatum, memorans quia non qui cœperit, sed qui perseveraverit salvus erit. In hac denique sancta animi meditatione ac devota fidei operatione moriens mundo et vivens Christo, totum tempus vitæ suæ duxisse fertur, adeo ut plerumque videretur causari et dicere illud propheticum : *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est*, etc. (*Psal.* CXIX). Cujus longanimen sanctamque peregrinationem superna considerans clementia, ejus petitioni desiderantissimæ satisfacere disposuit, ut quod hactenus viderat per speculum et in ænigmate jam tunc inciperet facie ad faciem cernere.

17. Quadam namque die dum solo recubans manus extensas teneret in oratione, percussa est corporis gravedine ac nimio æstu infirmitatis corporeæ : sed consolari meruit angelorum præsidio et sanctorum omnium suffragio, quos invocare non cessabat etiam in ægroto corporis ergastulo. Verum astantibus circumquaque utriusque sexus Christo famulantibus, qui ad decessum tantæ matris atque virginis convenere ex vicinis et longinquis regionibus, dolor ingens, mœror et singultus erat omnibus, quoniam videbant se frustari nimio solatio, licet essent fidentes quod ejus semper in cœlis devotissimo tuerentur patrocinio. Inter hæc conversa ad eos qui assidebant sibi presbyteros, unctionis oleum et communionem expe-

A tiit, Dominumque suimet misereri totis virbus exoravit. Sic tandem Dominici corporis et sanguinis viaticum sumens, roseo vultu et decora facie, velut præsentanda regi regum in cœlesti thalamo imperat cunctis personare dulces et hymnidicos melos psalmodiæ, dicebatque inter cætera quasi prominens ex cilicio et cinere : « Adsum ego, Christe, tua famula, veni rogo, rex piissime, atque me benigne suscipe. » Cumque in hujuscemodi voce ab hora noctis media usque ad horam diei tertiam persisteret, illico cum immenso lumine odor suavissimus astantium ora perculit, ita ut vix possent subsistere præ lumine, licet essent vigorati balsameo aromatum spiramine. Namque vox cum magno lumine etiam fertur descendisse, quæ dum omnibus

B terrorem intulit, minus ulli se cognoscibilem præbuit, sed quid aliud videtur edicere, quam quod fertur proloqui cuique sanctæ animæ? Infit enim : Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea et veni. Amica videlicet per amorem, columba per simplicitatem, formosa per morum pulchritudinem, etc.

3. His et aliis hujnscemodi sancta atque felix anima dulcorata solaminibus VIII Kalendas Septembris (3) migrasse creditur ad Dominum, qui est solus sine principio regnans in unitate et trinitate perfecta Deus nunc et semper et in omnia sæculorum sæcula. Ipsi gloria, laus et jubilatio, honor et imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(3) Anno circiter 690, siquidem Hunegundis de sacro fonte levata est a B. Eligio qui anno circa 660 ad superos migravit. Memoratur Hunegundis in additionibus ad Usuardum et in martyrologiis Benedi-

C ctino et Gallicano VIII Kalend. Septemb., tametsi ob festum S. Ludovici ejus officium a canonicis Augustæ Veromanduorum in diem sequentem transfertur.

BERNERI ABBATIS

DE TRANSLATIONE CORPORIS S. HUNEGUNDIS VIRGINIS

APUD VIROMANDUOS

(Apud Mabill. Acta SS. ord. S. Bened., Sæc. V, p. 213.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ

1. Sanctæ Hunegundis virginis et sanctimonialis Humolariensis Vitam exhibuimus in Sæculo II Benedictino, eamque Bernero abbati auctori tribuimus. Id vero constat ex subjecta translationis historia, quam unius ejusdemque scriptoris fetum esse demonstrant hæc verba num. 9 : « His præmissis de vita et actibus sæpe dictæ gloriosæ virginis, ratum duximus pauca subscribendo describi miraculorum insignia. » Atqui Bernerus translationem litteris mandavit, idque contestatur Anonymus in subsequenti libello De mutatione corporis S. Hunegundis : « Cujus inventionis, in quit num. 2, necnon et translationis descriptionem, simulque miraculorum insignia, inibi divinitus declarata, volentibus agnoscere, claro stylo luculentoque sermone studuit elucubrare piæ memoriæ domnus abbas Bernerus, qui Deo disponente, primus successit locello, » etc. Et sane idem utrobique stylus ac genius, nisi quod in translatione ac miraculis, quæ testis auritus aut oculatus scripsit, certior est ejus auctoritas quam in Vita quæ trecentis ab Hunegunde annis ab eo scripta est. Antequam plura de eodem Bernero scribamus, nonnulla de Berta Humolariensis antistita primæ translationis auctore prælibanda sunt.

2. Fuit hæc post mariti obitum Remis » sub beatissimæ Dei Genitricis tutela, suscepto velamine » Domino consecrata. Id in S. Petri parthenone factum scribit recentior Humolariensis monachus, qui anno 1681 S. Hunegundis Vitam Gallico idiomate concinnavit. Inde eductam ferunt ad Humolariensium mona-

charum regimen, quarum prolapsos mores ægre continuit. Hinc nata pervestigandi corporis sanctæ Hunegundis occasio. Augendis monasterii sui rebus Bertam graviter insudasse probat Transmari Noviomensis episcopi diploma, quod hic, utpote sincerum peractæ translationis testimonium, referre juvat. « Ego in Dei nomine Transmarus, sanctæ Ecclesiæ Vermandensis ac Noviomensis indignus episcopus, notum facio sanctæ Ecclesiæ fidelibus, in nostram venisse præsentiam domnam Bertam, Humolariensis monasterii abbatissam, humiliter deprecantem ut altare sancti Stephani ecclesiæ quæ est in eadem villa Humolarias, in cujus ecclesia sedet præfata abbatia, loco sanctæ Mariæ et sanctæ Hunegundis daremus ad usus congregationis ibidem Deo militantis. Cujus petitionem insinuando domino Ludovico regi, simulque domno Artoldo archiepiscopo Ecclesiæ Remensis, suisque suffraganeis nostris coepiscopis, præfati regis imperio, dominique metropolitani cæterorumque episcoporum consilio, petitioni tam humillimæ decrevimus libentissime parere. Dedimus ergo ad præfatum locum sanctæ Mariæ et sanctæ Hunegundis præfatum altare congregationi ejusdem monasterii in perpetuum habendum sine ulla contradictione, ea videlicet ratione ut omni anno duos solidos denariorum persolvat, secundum quod jubet auctoritas, propter honorem cathedræ episcopalis. Et quia corpus sanctæ Hunegundis, tam venerabilis virginis, hoc anno, Deo volente, coruscantibus miraculis de terra levatum est, præfatum altare dedimus libenter. Jubemus itaque ut defuncta persona ante episcopum adducatur altera, cui idem episcopus altare præscriptum sine pecunia donet, et curam animarum commendet. Et ut hoc donum inviolabile permaneat et inconvulsum, hanc chartam scribere præcipimus, et signo crucis insignivimus, aucteritateque sanctæ Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus sancti excommunicavimus, et a liminibus sanctæ Ecclesiæ omnes illos qui præfatum altare a loco sanctæ Hunegundis vi aut ingenio abstulerint. S. Ludovici regis. S. Gerbergæ reginæ et S. Lotharii filii ejus. S. Hugonis ducis. S. Heriberti comitis. S. Arnulfi marchisi. S. Adelelmi militis. S. Rainaldi militis. S. Theobaldi militis. S. Helberti militis. S. Eurardi militis. S. Gerberti militis. S. Artoldi Semensis archiepiscopi. S. Rodulfi Laudunensis episcopi. S. Transmari Noviomensis episcopi. S. Abonis suessionensis episcopi. S. Stephani Morinorum episcopi. S. Geraldi Ambianensis episcopi. S. Ingranni Cameracencis episcopi. S. Gildrici Meldensis episcopi. S. Evagrii Triectensis episcopi. S. Hincmari abbatis sancti Remigii. Actum Lauduno. Clavato anno Dominicæ incarnationis 947, quarto Idus Aprilis., indictione v, epacta xxvi, regnante Ludovico rege anno xii.. Odo diaconus scripsit et relegit vice et jussu Erchemboldi cancellarii domini Transmari Noviomensis episcopi. »

Neminem moveat quod Transmarus episcopus asserat *hoc anno* dati diplomatis, id est anno Christi 947, Hunegundis virginis corpus *de terra levatum* fuisse, cum ipsa translationis acta annum 946 præferant. His enim verbis antistes rationem habet non anni Christiani, sed anni revoluti a translatione. In diplomatis hujus subscriptionibus duo notanda occurrunt, nempe illud in publico episcoporum ac procerum conventu Lauduni concessum fuisse : deinde episcoporum subscriptiones hic procerum omnium subscriptionibus postponi præter solitum morem, forsan quod ipsi post regem continua serie unum tenerent instrumenti latus ; ecclesiastici vero eodem ordine aliud occuparunt. Ad Bertam revertor.

3. Haudquaquam latos diuturnosve successus habuere piissima Beatæ abbatissæ studia, quæ vergentibus in deteriora monacharum animis sub idem tempus loco cessit, aut forsan exstincta est. Nam anno 968 evocati e Remigiano apud Remos archisterio monachi Humolarias subierunt, ductore Bernero meliorem loco famam reddituri. Id docent Ludovici Transmarini litteræ, quibus subinde Joannes XII, pontificatus anno I astipulatus est. Præfectus Humolariensi cœnobio Bernerus, mirum est quantum et decorem ac bona contulerit : quippe nobilissimi sub eo viri monasticen amplecti gestierunt : in his Landebertus Quintiniani oppidi præfectus, cum vicinis militibus ibidem sæculo valedixit. Auctam a Bernero rem familiarem probat Humolariense chartarium, ex quo catalogus abbatum apud Sancta-marthanos perficiendus est. Anno 964 superstes florebat Bernerus, cum alumnos suos ad Insulanum Quintiniani oppidi monasterium dimisit, qui ejectis malesanis clericis, monasticas inibi leges instituerunt. Berneri incubatio De S. Hunegundis translatione desinit in descriptione miraculorum quæ ante annum 965 patrata sunt.

4. Alia ejus virginis translatio seu corporis mutatio quarto Idus Junias anni 1051 a Macario Humolariensi, Gerardo Insulano apud Augustam Veromanduorum, Rainero S. Præjecti et Waleranno S. Quintini de Monte prope Peronam abbatibus celebrata est. Rem fusius narrat anonymus ejus temporis scriptor, qui Berneri historiam persecutus est. Post hæc, id est anno 878, duodecimo Kalendas Septembris, Petrus eo nomine secundus abbas Humolariensis, conflata exquisitissimi operis theca, S. Hunegundis reliquias in eam inferri curavit per illustrissimum Guillelmum Marafinium, episcopum Noviomensum, cui Joannes abbas S. Quintini Insulanus, Joannes Præjectensis, Joannes Aroasianus, Joannes Vermandensis, aliique cum ex clero, tum ex militibus viri primarii astabant. Tum abbas Humolariensis unam e sanctæ virginis costis Ludovico XI Francorum regi, aliam Guillelmo Noviomensi episcopo, tertiam denique decano et canonicis collegiatæ S. Quintini ecclesiæ concessit. Confectum hac de re instrumentum anno 1679 in ejusdem S. Hunegundis theca repertum est, cum Humolariensibus suis redditas sanctæ virginis reliquias, quæ ob bellorum tempestates diu apud Augustam Veromanduorum detentæ fuerant, illustrissimus Franciscus Claromontius Noviomensis antistes ejusdem anni vi Kalendas Julias aperta theca detexit, et habita solemni concione atque supplicatione, populo venerandas exhibuit. Jam Translationis historiam videamus.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. Magnalia divinæ pietatis, quibus omnipotens Deus merita justorum propalare dignatur, dum fideli devotione mens humana scrutatur, a sui torporis ignavia erigitur animus, et quia ejusdem conditionis qua et ipse subsistit, fuisse conspicit quos miratur, quibus nulla meritorum prærogativa, sed sola divini muneris gratia, tanta virtutum insigni superna concessit clementia, ad hæc promerenda fidem excitat, spem roborat, atque circa divini cultus exercitia ad bene agendum forti annisu exerit brachia; tantoque fidentius prorumpit ad fortia, quanto gloriosius perspicit sexum fragiliorem clara signorum luce splendentem. Aggrediamur ergo modis qualibus valemus quædam perspicua narrare miracula, quæ Dominus in beatissimæ virginis suæ Hunegundis translatione dignatus est demonstrare. Utile quidem

duximus, quatenus lucidiorem reddamus hujus descriptionis textum, ut hujus officii nomina personarum, causas rerum, annorum numerum simul etiam seriem temporum intimemus, sicque fit, ut personarum gravitas levitatis notam abjiciat, certissimæ rationis causa temeritatis maculam diluat; finitus annorum numerus aliquid nobis in eodem numero mysticum innuat, temporum quoque series miraculorum gloriam augeat.

INCIPIT TRANSLATIO

2. Erat igitur quædam sanctimonialis femina Berta nomine, quæ in juventute sua parentibus, ut ferunt cogentibus cum viro juncta fuerat. Quo ab hac luce subtracto statuit in corde suo non amplius mortali servire marito. Nam multis nobilibus et ditissimis viris ad ejus conjugium anhelantibus, vix amicorum manibus elapsa, in urbem Remorum ad beatissimæ Dei genitricis et semper virginis Mariæ tutelam confugiens, capitis velamen (4) devota suscepit. Cui postmodum Deo disponente contigit huic præesse loco, ubi nostris temporibus cunctis imitabilem diutius peregit vitam. Fuit namque miræ abstinentiæ, victricis patientiæ, amatrix paupertatis, devotæ humilitatis, misericordiæ operibus dedita, jejuniis, vigiliis et orationibus convenienter intenta: verumetiam quasdam sanctimoniales, quæ inibi per misera carnalis desiderii lenocinia turpissime volutabantur, crebris exhortationibus ad sui imitationem juxta monita Apostoli, arguendo, obsecrando, necnon etiam increpando, continere invitabat. Sed sicut semper contraria esse solet vita justorum moribus reproborum, gravia eis facta est etiam ad videndum. Unde per multa opprobria et maledicta atque insidiarum jacula quæ ei intorserant, quia amore sanctissimæ virginis Hunegundis hoc in eodem loco detineri videbatur, de ejus sacri corporis absentia quædam ausæ sunt commentari figmenta. Hujus namque rei gratia requirendum tanti corporis sanctissimum thesaurum fidelis intentio provocatur, dicens sibi non eam ibi opportunum esse amplius manere, si locus isdem fraudatus esset tam sancta et gloriosissima matre.

3. igitur anno Incarnationis Dominicæ nongentesimo quadragesimo sexto, Ludovico regnante, quinto die pridie Nonarum Octobris, post plurima jejunia, post crebras vigilias, post multas lacrymas, eamdem noctem cum his omnibus quos vel quas ad hoc provocare potuit, insomnem ducens per uberes et immensos lacrymarum imbres, omnipotentis Domini clementiam humiliter imploravit, ut ei sanctæ virginis suæ sacratissimum corpus revelare dignaretur, factoque mane post peracta missarum solemnia, fidelis ac Deo devota femina, pretiosam sacri corporis gemnam studiose quæsitura, sarculum arripuit: factumque est annuente omnipotentia divinitatis, quæ se in veritate petentibus nihil negare consuevit, ut quod fideliter quærebat, feliciter inveniret. Læta siquidem et gaudens, omnipotenti Domino gratias retulit, qui ei concessit quod cum tanta animi anxietate jam diu postulaverat. Ibat itaque multum hilaris et nimis exsultans, et quasi quadam immensitate lætitiæ absorpta, totius consilii gravitate proposita, superni regis æternalibus ornamentis perenniter inserendam subito levare moliebatur cælestem margaritam. Sed adfuit divini dispositio consilii, quæ circa beati corporis pignora aliquid inconsiderate vel leviter non esse agendum declaravit. Nam mox advenit, non casu, sed Dei providentia venerandus presbyter Giso, sanctorum martyrum Quintini et Victorici pignorum custos idoneus, qui jam dictæ præcipitationi vix finem imposuit, et eorum molimina vehementissima increpatione coercuit, Non, inquiens, rationabile videmur, ut sine auctoritate et consensu hujus diæceseos pontificis levari debeat corpus tam beatissimæ virginis: videlicet ne quæ multo jam tempore fama virtutum longe lateque plurimis clara extiterat, hujus subitanæ ac velut furtivæ translationis elogio vilescat. Tali vero ordine eorum nisibus terminum posuit, atque per triginta et duos dies ita apertum scrinium in quo beatissimum corpus jacebat, intactum observantes, sacrisque vigiliis die noctuque incubantes, episcopi adventum præstolati sunt. Non utique sine causa hanc dilationem omnipotens Deus fieri voluit, sed ut quam coram angelis cunctisque justorum spiritibus jam cum Christo in cœlis regnantibus clarificaverat, eam etiam in terris hominibus adhuc carne corruptibili et peccatorum mole gravatis venerabilem designaret.

4. Erat profecto per idem tempus tanta pluviarum inundatio, ut præ nimia aquarum effusione nequaquam valerent agricultores terram excolere, neque sementem nisi cum desperatione jactare. Eadem vero hora eodemque momento, ut operculum levatum est de sarcophago, sese per fenestram, quæ sita erat secus locum sancti sepulcri, splendidissimus infudit radius solis, qui mirabiliter effulsit super corpus beatissimæ virginis: sicque fugata omni nubium densitate, cum tanta celeritate rediit serenitas aeris, ac si pro corpore almificæ virginis, alius quasi sol oriri videretur in terris: ac velut sol iste visibilis suis vocibus proclamaret, se non posse ei non ministrare instabilem lucem in terris, cui stabiliter in cœlis splendet lumen æternitatis. Tanta denique claritate perfusus est locus sanctissimi corporis, ut incertum foret intuentibus utrum

(4) Velamen istud cælibis vitæ peragendæ tessera fuit. Sic Gundi femina *veste et velamine sanctæ Dei genetricis Mariæ* induta dicitur in placito anni 874, in lib. vi de Re diplomatica edito:

radio solis istius materialiter fulgeret, an lumine divinæ claritatis. Factumque est cunctis diebus, quibus ita reserato jacuit mausoleo, pie quærentibus conspicabilis, ut nunquam omnino recederet vis tanti fulgoris. Nam a pectore et sursum, pro minutiis et sordibus pulveris, nitentia resplendebant fragmina margaritarum; et quibusdam clarissimis scintillis erumpentibus aspicientium reverberabantur obutus. Cum eodem etiam lumine tanta aspersa est miri odoris fragrantia, ut omnium astantium nares ineffabili suavitate replerentur. Quæ omni tempore quo ita jacuit, quotiescumque variis infirmitatibus oppressis ad videndam revelabatur (nam quicunque hanc videre poterant, quacunque infirmitate detinerentur, illico sanabantur), isdem prædictus suavissimus ador esse suavior, et semper in melius reparatus præsentium replebat olfactus. In hac ergo tantæ matris inventione factum est magnum gaudium in omni vicina regioue. Lætabatur tellus se tam clarum diu sidus texisse : exsultat aer tantæ virginis gratia cœli serena se adeptum fore nubila; gaudet solis radius obsequium præbens sacri corporis artubus; gratulatur supercœlestis beatorum turma spirituum, quod videlicet de cujus jam animæ gaudent societate, ejus profecto sacratissima membra ineffabili lætitia in die resurrectionis omnium pro meritis glorificanda, fideliter venerari conspiciunt adhuc in angusta tumuli spelunca.

5. Ad laudes itaque referendas valere credimus omnium conditori, si tradantur posterorum notitiæ, quæ Dominus miracula operari voluit in inventione sanctissimæ Hunegundis virginis suæ. Nam quidem dæmoniacus per manus amicorum, qui spem curandi eumdem quem ducebant in sancta virgine firma fide locaverant, adductus, reluctans et proprium iter totis viribus impediens, tandem cum magno labore multis prementibus in ipsius beatæ virginis ecclesiam impulsus est. Qui dum per manus et brachia versus altare traheretur, quando magis eidem appropinquabat, tanto majori vesania accensus, impellentium nisibus resistebat. Qui diu luctantes, ad ultimum vesanum superant, et coram altari statuunt. Quem inde promoventes ad aspiciendum sanctissimi corporis tumulum oculos inflectere cogunt. Quorum desiderio subvenire cupiens sæpe dicta sanctimonialis Berta scilicet, retecto sepulcro videndum velum, quod super sancta membra jacebat, eis copiam tribuit. Quo viso, qui torquebatur, continuo sensui et omni pristinæ saluti est redditus; moxque jam nullo cogente, in terram prostratus omnipotentis Domini per beatæ virginis meritum clementiam exoravit, de recepta salute gratias referens, de futura custodia deprecans: qui ad perfectæ sanitatis indicium, non post multum tempus cum luminaribus reversus sanctæ virgini honorem detulit, atque in testimonium receptæ salutis, plures ex vicinis suis secum adduxit, seque omni anno quandiu adviveret cumdem locum cum luminaribus et amicorum turba visitaturum promisit.

6. Hoc quoque intervallo quidam rusticus nomine Lupus, qui adhuc superest, et moratur in castro quod dicitur Parrona (5) accessit cum naturali filia quæ vocatur Afflindis, ambo pro ægritudinis suæ molestia istius sanctissimæ virginis postulaturi suffragia. Nam pater obtusis auribus auditum perdiderat; filia vero per non modicum tempus oculorum corporalium lumen amiserat. Supplices igitur et cum nimia amaritudine flentes, omnipotentis Domini misericordiam implorabant, quatenus per meritum beatissimæ virginis eis proveniret remedium sanitatis: quod et factum est. Ab illo namque die et pater auditum, et filia melius habere meruit visum. Eadem quoque hora suprascriptæ inventionis, quidam pauper spiritu nomine Adelbodus jacebat omni membrorum officio destitutus, et pro exitus sui vicinio, die transacta, corporis et sanguinis Dominici sacramentis munitus, cunctis quidem videbatur morti contiguus : mox ut audivit signis concrepantibus tanti somatis orama (6) perspicuum, surgit a lectulo, nullum in motu membrorum ostendens infirmitatis indicium, curritque ad templum sanctæ virginis gestiens videre sepulcrum, et arreptam suis unam ex ovibus hanc sanctæ virgini obtulit in munus, et ab infirmitate protinus convalescens, nullam deinceps transactæ molestiæ sensit injuriam.

7. Eodem vero adhuc reboante tripudio, quædam vidua nomine Wiburgis jacebat nimis ægrota, quæ paulo ante pro exitus sui exspectatione divinis perceptis sacramentis per pœnitentiam et lacrymabilem confessionem a sacerdotibus divinæ pietati fuerat reconciliata. Hæc populi exsultantis plenas lætitiæ voces persentiens, interrogat quod ille sibi strepitus vellet, vel cujus causa festivitatis tanta in populo lætitia personaret; quæ statim circumstantium relatu didicit, quod sacri corporis inventione talis in plebe lætitia sit. Illa vero nomine sanctæ virginis audito, dictu citius caput a lecto erigit, membra componit, vestem inducit, ecclesiam celeriter petit. Cumque ad se reversa superna virtute fugatam infirmitatem, et sibi subito redditam sanitatem, secum tacita volvens miraretur, omnipotentiæ divinæ gratias et laudes retulit, atque illico unam suæ proprietatis ancillam, nomine Isigildim, beatissimæ Hunegundi pro percepto beneficio sanitatis, multis astantibus tradidit : sicque ab illa infirmitate convaluit, et postmodum diutius vixit. His denum peractis, aliisque non paucis miraculorum signis, quibus Dominus declarari voluit gloriam suæ virginis, quæ pro multiplicitate sui incongruum existimo huic pictaciolo ad unguem inseri.

8. Nam omnipotens Deus ut ostenderet cunctis, quantam suæ famulæ concessit gratiam curationis, tantus eodem tempore in hac eadem villa nimiæ

(5) Alias *Perona*, castrum seu regalis fiscus ad Somenam fluvium, veteri palatio insignis, de quo plura in lib. IV De re diplomatica.

(6) Corporis detectionem hic auctor græcizans intelligit.

infirmitatis grassabatur morbus, ut nulla pene remaneret domus, in qua non jaceret infirmus : qui omnes in prædicta solemnitate tanta sunt celeritate sanati, ut beatissima virgine levata de tumulo, nullus eorum infirmus remoraretur in lectulo. Arcessito denique Rodulfo Noviomensis Ecclesiæ archidiacono, postea ejusdem Ecclesiæ episcopo devoto ; et ex congregatione beatissimi martyris Christi Quintini, convocatis Patribus Gisone, Rotberto, aliisque plurimis magna devotione repletis, diu dilatum festinatur ut flat officium. Peractis itaque missarum solemniis, mente humili ac devotis animis acceditur ad tumulum, in ipso adhuc jam dicto divinitus infuso lumine circa caput et pectus beatæ virginis tam clare radiante, ut præ nimietate sui nequaquam pleniter posset intueri. Levatur autem sanctissimum A corpus de sepulcro, septimo Idus Novembris. Nobis autem, fratres charissimi, quibus hæc beatæ virginis gesta aliorumque sanctorum perplurima exempla ostenduntur ad legendum, proponuntur ad imitandum, solerter intuendum, fortiter satagendum est, ne ipsorum expertes operum in illa perenni vita alieni efficiamur a communi lætitia sanctorum omnium. Pulsemus ergo intimi dis suspiriis aures piissimi conditoris, quatenus ipso nobis donante, quod jubet efficaciter complere valeamus. quod salubriter monet : ut venturus in illo districte examine judicii, non in nobis inveniat quod damnet, sed quod cum suis redemptis misericorditer coronet Jesus Christus Dominus noster, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

MIRACULA

9. His præmissis de vita et actibus sæpe dictæ gloriosæ virginis, ratum duximus pauca subsequendo describi miraculorum insignia, quæ Dominus ob tantam sui famulam pie dignatus est operari per gratiam. Nam ea quæ aggressi sumus describere, quibusdam nostræ ætatis referentibus vix valuimus agnoscere : fuerunt etiam innumera virtutis facta, quæ si per incuriam oblivioni tradita non essent, satis digne litteris mandari potuissent. Unum namque signum quod constat mirabiliter esse factum, consequenter brevi locutione est narrandum. Denique quodam tempore homines perversi sua fortiori potestate fidentes, audaci temeritate silvam ipsius sanctæ virginis, quæ sita est secus fluvium Sambram, in villa quæ dicitur Dediniacus ingressi, eam suis porcis edendam pervaserunt, et censum sive aliquod servitium pro eadem silva eidem sanctæ virgini esse deferendum, nulla ratione consenserunt. Quos per seipsam beata virgo increpare, atque a tanta audacia coercere curavit. Nam dum libere tanta silvarum copia læti potirentur, subito eadem Dei virgo pastoribus in terribili specie apparuit, eosque cur sibi fructum subriperent silvæ interrogans ; virga quam manu gestabat percussit, sicque omnis illa porcorum multitudo huc illucque diffusa, versus monasterium Humolariense præcipiti cursu iter arripuit. Inde factum est ut ex quibus domina redditus silvæ habere non poterat, hos postmodum familia ipsius jure quieto possideret. Nam cum magno impetu villam ingressi, circa monasterium per plateas et curtes a se invicem divisi, a nullo unquam postea sunt requisiti. Hujus rei plurimi testes existunt, ex quibus quædam mulier nomine Dodisma nuper ab hac luce subtracta est, quæ se tantæ rei interfuisse ac ex eis suam portionem percepisse veraci assertione fatebatur.

10. Eodem tempore erat quidam miles nobiliori genere exortus, nomine Magenerus, qui cujusdam B sanctimonialis ejusdem monasterii pulchritudine illectus, nequaquam se abstinere potuit ab ejus illicitis amplexibus. Dum igitur quadam die more solito monasterium peteret, ut suæ et ipsius carnis voluptati satisfaceret, ei sancta virgo Humegundis in atrio ejusdem monasterii visibilis apparuit, eumque vehementer increpans quo pergeret requisivit. Qui ad vocem increpantis valde confusus erubuit, et se ab opere nefario compescens, ab accessu simul et actu nefando ad tempus subtraxit. Prædicta autem sanctimonialis, velut labilis et lasciva, se a viro contemptam putans, dum acerrimo dolore fatigata se abominatam ingemisceret, antiqui hostis insidiis armata, eumdem virum calliditate qua potuit ad se revocare tentavit. Affabilis inquiens amice, C cur me spernendam putasti ? non te visio quam vidisti absterreat, quia non fuit præsentia sanctæ Hunegundis, sed aliqua de æmulis meis, cupiens te avertere a me. Ita dato indicio, aliorsum clanculum præparato ostiolo, is spurcissimus vir intermissum nefas iterare tentavit. Cui mox pervigil custos sancta virgo Hunegundis obviam venit, et baculo quem manu tenebat in inguine percussit. Qui mox exsanguis effectus corruit, et in manibus elatus coxa ejusdem intumescente eodem dolore vitam finivit ; cujus coxa anno integro ante obitum suum in terra computruit. Pro cujus tamen curatione amicorum studio maxima donaria ad offerendum sanctæ virgini præparantur, quæ velut immundissima stercora rejiciuntur. Nam iisdem plurimum nummorum offerentibus turbo cœlitus irruit, qui tanta exagitatione D prædictam oblationem exsufflans dispersit, ut nulli deinceps mortalium quidquam de ea appareret. Verum nulli incredibile videri debet, quod sanctam Dei virginem suis hostibus visibiliter apparuisse retulimus, cum simile quid de beato Petro apostolorum principe in libro Dialogorum tertio, sub capitulo vicesimo quarto sanctus papa referat Gregorius.

ait enim quod isdem venerabilis Petrus, cuidam Theodoro suæ ecclesiæ mansionario solito citius surgenti, atque in ligneis gradibus ad refovenda luminaria stanti, deorsum in pavimento stans in stola candida apparuit, cumque cur tam cito surrexisset, increpuit.

11. His breviter tactis, postremo ad ea quæ ad horam intermisimus, quod superest narraturi redeamus. Quidam vir nomine Guntardus, oculorum lumine privatus, causa audiendi missam ad sanctæ virginis divertit ecclesiam : sed cum missarum solemniis ibidem officiose peractis mediante jam die januas inveniret obseratas ecclesiæ, in porticu foris prostravit se in terram, diutius orans adesse sibi Dei misericordiam. Surgens autem post multas lacrymas ab oratione, cœpit oculos manu tergere, restituto visus sibi officio obtentu sanctæ virginis piissimo. Unde et mulieri gressus suos regenti dixit : « Mulier, dimitte me : nunc enim te trahente non indigeo, quoniam, Deo gratias, recepto lumine perfecte video, quod mihi pie obtinuit intercessio meæ dilectissimæ dominæ sanctæ scilicet Hunegundis. » Itaque ingenti lætitia perfusus, laudando Deum reversus est ad propria.

12. Est et aliud magnæ virtutis miraculum, quod abscondi silentio non esse congruum existimo. Alius quoque vir nomine Rotbertus, pedum officio destitutus, scabellis, ut moris est talium, subnixus, ejusdem Dei virginis solemnitati gloriosæ, prout potuit, festinavit interesse. Qui eadem in ecclesia diu remotus, gratiam sospitatis infundi sibi petiit miserabilibus membris. Tandem Deo miserante meritis beatæ virginis et intercessione, perfectæ incolumitati palam cunctis meruit restitui : sicque factum est, ut qui contraciis nervis curvus advenerat, eorumdem compagibus satis apte solidatus, postmodum in gaudio remearet. Sufficiat nos pauca narrasse : calamus etiam nostræ descriptionis plura dicere posset, si licentia temporis permitteret, quamvis multa miraculorum opera per incuriæ culpam sint negligenter amissa. Agamus ergo gratias Deo nostro, qui sanctam sui virginem ita glorificavit in mundo, cujus meritis et obsecratione perducat nos Dominus ad gaudia cœlestis patriæ, in qua ipsa feliciter exultat, et cum choris virginum canticum novum Domino cantat. Ipsi gloria, honor et potestas in æterna sæcula.

13, In narrandis divinæ operationis mirabilibus, ille tota mentis virtute est utique laudandus, cui cantat propheta gratulabundus : *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus* (*Psal.* CXXXIV, 4). Unde nos totis viribus laudemus et benedicamus eum, qui sibi fideliter servientium gloriam perire non patitur meritorum : sed sicut æternaliter eos gaudiis facit interesse cœlestibus, ita etiam temporaliter per quædam mira eorum merita ad memoriam reducit hominibus. Narraturi siquidem quod oculis nostris vidimus magnum miraculum divinæ virtutis, non dubitamus in quorumdam mentibus generari scrupulum dubitationis, quod est, proh nefas ! pessimum genus infidelitatis. Caveant ergo derogatores divinorum operum, ne damnentur cum his de quibus loquitur Scriptura : *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum* (*Psal.* V, 10). Qui cum viderent Dominum Jesum innumera mirabilia facientem, et ea notitia populi occultare non possent, hæc pessima mente calumniari tentabant dicentes : *In Beelzebub principe dæmonum ejicit dæmonia* (*Marc.* I, 15). Nos vero falsiloquos et mendaciis suis infeliciter vacantes, quorum secundum Apostolum cor insipiens obscuratum est, et evanuerunt in cogitationibus suis, recepturos, nisi forte corrigantur, erroris sui mercedem, postponentes, ad propositum redeamus, et piis ac fidelibus animis quod oculis nostris vidimus, fideliter referamus.

14. Anno igitur ab incarnatione Domini nongentesimo sexagesimo quarto, die octavo Kalendarum Septembris, festivitate scilicet beatæ Hunegundis virginis, hoc de quo loquimur divina virtute factum est miraculum. In territorio namque cujusdam villæ quæ dicitur Sasnulficurtis, messores in ipsa festivitate frumentum secabant; quos presbyter eorum nomine. Lantfridus frequenter pro hac temeritate redarguerat, dicens se synodo interfuisse in qua ab episcopo Noviomensis Ecclesiæ Rodulfo hæc festivitas devotissime celebaari jussa fuit. Sed ipsi, suorum vicinorum errorem secuti, dicebant se solos hanc festivitatem non posse celebrare dum cunctos suos vicinos viderent suas necessitates operando implere. Unde contigit ut quædam puella nomine Rotgildis, prædicti presbyteri, sicut ipse nobis retulit, ex sorore neptis, jam dictos messores sequeretur; et spicas quæ eorum manus effugere poterant colligebat. Cumque se inclinasset ut spicas studiose colligeret, unam a terra levavit quam recenti sanguine madidam invenit. Quam mirans unde sanguis ille veniret projecit, aliam nihilominus colligens, eodem cruore madentem similiter projecit; sic tertiam, quartam et quintam, et deinceps usque ad fastidium omnes quas colligere poterat, sanguine plenas videbat. Unde tremens et nimis pavida ad patrem suum, qui tunc forte in campum eumdem advenerat concurrit, et quid ei contigerat indicavit. Quam pater suus velut puellaris levitatis verba narrantem durius increpavit, et ad opus suum redire admonuit. Sed illa tremente atque ita ut dixerat se rem habere affirmante, eam pater suus per campum secutus est, et ejusdem cruoris plurimas spicas inundatione madentes collegerunt, et quæsierunt si forte in eodem campo aliquis ex messoribus manum sibi aut digitum incidisset, unde sanguis ille proflueret. Quod omnibus stupentibus atque cum magna attestatione negantibus, quasdam ex eisdem spicis ad ecclesiam detulerunt; et presbyterum ante altare stantem invenientes, ei spicas sanguine plenas dederunt, et quid eis in campo contigerit per ordinem indicaverunt. Sed presbyter refugiens tantæ famæ

auctor existere, dixit: « Si super hoc quod dicitis amplius aliquid non videro, populo incredibile hoc prædicare non audeo. » Quod dicens grossiores quasi lacrymæ ex summitatibus granorum cœperunt sanguinis guttæ profluere, et ante pedes ejus in terram cadere. Quo viso presbyter tanto tremore perculsus est, ut deficiente spiritu vix sese genibus trementibus super pedes suos teneret; et quod prius timebat indicare, postmodum plus timuit, ne sua negligentia tardius ad notitiam populi perveniret. Sicque tactis signis populum ad ecclesiam convocavit, et pro sua inobedentia eos increpans hoc divinum eis miraculum patefecit. Quos pro insolito miraculo nimius timor invasit, et ad pœnitentiam agendam pro sua temeritate promptissimos reddidit. Egressi denique ab ecclesia per campos, per rura, per agros, per viarum exitus circumquaque discurrentes, cunctis vicinis suis nuntiabant, ne amplius cœpto operi insisterent; sed ad ecclesiam venirent, et divinum miraculum cernerent. Quibus omnibus nimium exterritis, fama celeriter pervolante, ac si paganos rugientes, ex opere proprio exturbabantur, et ne super se cœlitus ira Domini veniret suppliciter precabantur.

15. Quidam itaque rusticus nomine Rotbertus in eadem villa frumentum in area virga cædebat: qui A hoc audiens proprium opus se relicturum promisit, flagellum projecit, sed stultus, quasi hoc levius esset scopam arripuit, et circa aream verrens, frumentum adunare cœpit. Quam vesaniam statim ultio divina secuta est. Nam mox ejus brachium diriguit, et divino verbere tactus in terram cecidit, clamans se reum, se miserum, sese sub omni celeritate esse moriturum: quod factum prædictum timorem auxit, presbyter vero circumquaque discurrens, sanguinolentas spicas in manibus ferens, vicinarum ecclesiarum presbyteris quod factum fuerat nuntiavit. Qui omnes, tantæ novitatis signo turbati, convocatis suarum parochiarum populis, cum crucibus et cereis uno facto agmine, nudis pedibus cum supplicibus votis cum illo cujus brachium diriguerat, et cum B puella spicas sanguinolentas in manibus ferente, ad monasterium sanctæ Mariæ et sanctæ Hunegundis celeriter pervenerunt; et suam culpam confitentes, in terram prostrati, ut fratres pro se orarent humiliter petierunt: quod et factum est. Eant ergo qui non credunt huic signo, et calumniam faciant illi, quod similiter in sanguine factum est in Ægypto sub Pharaone. Nos vero benedicamus eum qui mirabilis est in sanctis suis, Deus Israël dans virtutem et fortitudinem plebi suæ. Benedictus Deus in sæcula. Amen.

APPENDIX

AD TRANSLATIONEM CORPORIS SANCTÆ HUNEGUNDIS VIRGINIS APUD VIROMANDUOS.

Incipit descriptio super mutatione corporis sanctæ Hunegundis virginis almificæ, miraculoque inibi divinitus patrato anno 1051.

1. Sanctorum miracula describere, eorumque facta insignia ob posterorum notitiam chartulis imprimere, fidelibus non pigrum judicari ab omnibus apprime debet, honorificum simulque necessarium. Nam fabularum næniæ dum recitando fatuorum auribus in malum pronis ingeruntur, illectus animus torpet, mens hebet, et propria luce relicta deorsum fluit, corruptionis perniciosa lenocinia concupiscens, probitatis tramitem derelinquens; sicque fit ut cor insipientium auditis fatuitatibus per proclivia gradiens, nectat catenam, qua valeat trahi, tartarumque demum immergi. Verum sanctorum merita dum divulgata in auditum populi proferuntur, virtutesque eorum profectus gratia nuntiantur, fidelis mens de mortis somno exsurgens ad vitam, de tenebris infidelitatis exerit brachia ad studia sanctitatis: consurgensque ad prospera, inardescit ad fortia, malignitatis præcipitia præcavet piæ intentionis iter arripiens. Taliterque perditionis nodis absoluta, libero pede festinat ad gaudia cœlestis vitæ, quatenus Deum deorum valeat videre in Sion, id est in specula pacificæ visionis. Quocirca vestræ, fratres, dilectionis charitatem quoddam non pigeat andire miraculum quod Dominus noster Jesus Christus in mutatione corporis suæ sanctissimæ virginis Hunegundis sua dignatione voluit demonstrare. De qua videlicet mutatione, quia occasionis articulus e vicino sese nobis obtulit, non fiat tædiosum aliquan- C tisper obtentu reverentiæ immorari, ut qualiter facta, vel consummata sit ipsa mutatio, ad fidelium notitiam litteris licet imperitis queat pervenire. Habet enim mercedem suam piæ devotionis affectuosa intentio.

2. Anno igitur Dominicæ incarnationis millesimo quinquagesimo primo, regni Francorum monarchiam gubernante optimo principe Henrico, Philippi regis genitore, abbate quoque Macario (7) Humolariensis cœnobii curam administrante, visum est fratribus beati Benedicti sub regula Domino militantibus, quatenus corpus dominæ suæ Hunegundis, si facultas suppeteret, mutari debuisset, ut cujus scilicet non ambigebant animam inter virginum choros honorari in cœlesti thalamo, ejus gloriosum soma non negligerent in terris condere honorabili mausoleo. Erat enim id ætatis sacra margarita ligneo tantum involuta scriniolo, forinsecus aspicientibus vile prædente domicilium; sed intrinsecus servante D admodum charissimum thesaurum. Ipsum vero ædificiolum laminis ferreis adeo fuerat circumseptum atque præclusum, cui introrsus inhærebant ossa devotissima, ut vix aliquibus pateret apertionibus præter admodum paucis artis mechanicæ machinationibus. Eidem quoque aliud majusculum superpositum exstabat scrinium haudquaquam minori sollertia constructum, ligaminibus identidem ferreis et clavis quamplurimis munitum attentius, sagaci cura

(7) Multa præstitit Humolariensi monasterio suo commoda Macarius abbas, quæ ex ejusdem loci chartario alias Deo dante publicabimus.

ac industria altrinsecus vallatum, ne videlicet facile pateret captiosis, fraudulentisve ingeniolis. Prædari quippe minime cupit, qui se thesaurum suum occultis atque firmissimis tectis recondit. Tali siquidem modo corpus Deo amabilis virginis Hunegundis fuisse conditum ab his qui viderunt nobisque retulerunt, accepimus a tempore scilicet inventionis atque translationis ejusdem virginis, quæ celebrata est anno incarnationis Dominicæ nongentesimo quadragesimo sexto, Ludovico regnante, Berta femina Deo sacrata tunc temporis Humolariensem regente abbatiam. Cujus inventionis necnon et translationis descriptionem simulque miraculorum insignia inibi divinitus declarata, volentibus agnoscere, claro stylo luculentoque sermone studuit elucubrare piæ memoriæ domnus abbas BERNERUS, qui Deo disponente primus huic successit locello, pulsis ob obcena carnalis voluptatis lenocinia, quæ ibi erant, monialibus. At nos ista interim omittentes, cœptum opusculum prout valemus intendamus.

3. Cum igitur cœnobitæ, ut præmisimus, simul cum patre spirituali ad invicem pertractarent, si quo modo ad effectum perducere possent, quod quidem summo affectabant desiderio, nec tamen inchoare præsumebant; fortuna loci summissius arridente, Dei providentia omnia prævidente, contigit quemdam virum de burgo sancti Quintini gloriosi martyris, mercimoniis atque mercationibus vitam suam deducentem, nomine Balduinum, causa devotionis animæque profectu nostrum adiisse cœnobium, quatenus mutuæ dilectionis obtentu fratres dignarentur sibi suam largiri societatem. Quam petitionem fratres cum Patre libenti animo amplectentes propter illud Domini præceptum quod dicitur: *Date et dabitur vobis; et eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis* (*Matth.* VII, 2); et: *Omne quod ad me venit non ejiciam foras* (*Joan.* VI, 37), societatem et beneficia loci, ut moris est monachis, ei gratanter impenderunt. Nam vir ille licet sæcularis, religioni erat intentus, misericordiæ operibus operam dans, fidei devotionem cordis intentione servabat, sicut rei postmodum patefecit exitus. Sumpto enim habitu eodem in loco, postea devotus exstitit monachus. Hac denique familiaritate illectus homo, monasterii frequentare curabat claustra, utpote quasi alter Adam factus ex fratribus. Unde accidit ut sæpe veniens fratres susurrare super memorato negotio frequentius animadverteret. Sed quia incipere pavebant, ceu dictum est, ne videlicet juxta Evangelium illuderent eis dicentes: quia hi cœperunt ædificare et non potuerunt consummare; divino, ut est humana opinio, instinctu commotus præfatus homo (cupiebat enim et ipse honorare sanctæ virginis artus) convocavit seniorum cœtum, hujus allocutionis primordia libans: Quoniam, inquit, Patres venerandi, perpendo ex vobis quosdam vicissim serere colloquia, velle corpus sanctissimæ virginis Hunegundis nostræ dominæ, si facultas suppeteret, lautiori ponere loculo, corde exhilaresco, opemque meam pro posse promitto, opusculum duntaxat concupitum initiare ne moremini. Sin autem nequaquam tale inceptare audetis opificium, ipse ego super me totum negotium accipio, Deique omnipotentis auxilio fretus ad finem usque perducam, concessa mihi tantum populi oblatione. Quod cum audissent monachi ultra modum exhilarati, grates Creatori universorum reddiderunt, et in promissione sua virum benedixerunt, divinitatis prærogativam venerantes cum hoc tanto tam repentino tamque insperato gaudio. Quid opus est verbis? Sumpto siquidem vir ille negotio, componi fecit loculum opere anaglifario, in longum mensura duorum semicubitorum, altitudine continua ab utroque fronte cubitali, utrinque ab lateribus semicubitali, reliqua structura in altum decentissime vergente, instar tabularum expressa, cælato atque sculpto elaborata opificio. In cujus superficie opusculi sanctorum apostolorum atque prophetarum imagines cernuntur expressæ, perpulchris atque politis tabulatis fulgentis auri et splendentis argenti, ter ternis utrobique in ordinem digestis iconibus. Sed et in una frontium imago sanctæ Hunegundis sanctique Eligii Noviomensis antistitis, ejusdem virginis in baptismo patroni, conspicitur dignius elevata; in altera vero Christi Domini nostri majestas cernitur satis eleganter expressa, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula. Quid plura? Accelerato denique simulque, ut dictum est, laute consummato opere, domnus abbas Macarius qui ea tempestate, veluti prælibatum est, loci Humolariensis res administrabat, domnum episcopum Noviomensem invitare curat, vicinosque asciscit abbates, domnum videlicet Girardum Insulanum, domnum Rainerum sancti Præjecti vicarium (8), atque domnum Bonifacium Walcrannum de Monte sancti Quintini, necnon et alios quamplures Viromandensis territorii satrapas et milites. Monachos quoque ac clericos huic actui interesse commonet, ne scilicet tam charum pignus absque notitia testimonioque honestarum religiosarumque personarum tamquam furtivum vel ignotum tractari mutarive clanculum videretur. Ut ventum est ergo ad constituti termini diem, in quo agi habebant hæc, fama volante, quo alter non est velocior nuntius, fit conventus seniorum, occursus nobilium virorum rusticorum ac feminarum turba cum parvulis confluit gratulabunda. Nec immerito: existimabant etenim pro reverentia et honore debito tantæ matri impendendo simulque intercessione se patrocinandos et pro forfactis suffragia postulantes, veniam se fore consecuturos. Interea loci reseratur gloriosi gazophylacii aditus, sublevantur adhibitis malleis cum cunctis ferreis ligaminа sagaci cura innexa, evelluntur opercula, panduntur pretiosi somatis cunabula.

4. Cæterum omnipotens Dominus, volens suæ sponsæ honorare membra occulta dispositionis suæ prærogativa, differri fecit mutationem ossium felicium diem usque in tertium, hujus apologiæ, id est occasionis eventu. Episcopus quippe, in cujus diœceseos procinctu situs est locus nomine Humolarias, regio impeditus obsequio atque negotio ad præfatum diem constituum minime venit: quam ob rem compulsi sunt eum præstolari per triduum. Collocatur ergo venerandum scrinium, sicut erat reseratum, super geminas bases ligneas intra sancta sanctorum inter altare videlicet Dei genitricis semperque virginis Mariæ, et altare sanctæ Hunegundis in honore dedicatum. Inter tot denique devotæ multitudinis millia ad tam claram celebritatem concurrentia, plurimi corporea mole debiles nituntur huic sanctæ actioni interesse, utpote rogaturi Domini misericordiam suo quisque pro incommodo. Unde accidit divina, quemadmodum fati sumus, voluntate, quamdam puellam nomine Emelinam epileptico morbo invasam, cum amicorum auxilio, spe recuperandæ sanitatis ad monasterium deductam esse, in vico natam qui Herleius dicitur, super Somenæ ripam situs, medius etans inter sancti Quintini castrum et Humolariensæ monasterium. (Epileptiam autem Græci vocant appensionem mentis et corporis, quæ passio, spasmos, id est contractiones membrorum generat, fit autem morbus iste ex melancholico humore, id est ex abundantia fellis fusi per membra, contingit autem per phantasiam.) Cæterum dum puellula pro sibi reddendo remedio templo fuisset injecta, sistitur coram altario sanctæ Mariæ virginis incomparabilis, quatenus ejus interventu sanctæque Hunegundis intercessu pristinum consequi mereretur sospitatis gradum. Erat enim ipsa, de qua loqui-

(8) Id est coadjutorem, si bene interpretor abbas Insulanus est S. Quintini de Insula, ad muros quondam, nunc intra muros Augustæ Veromanduorum, abbatia S. Præjecti prope urbem, abbatia de Monte S. Quintini prope Peronam.

mur, puella adeo epilepsi oppressa ut cujusvis quietis non admitteret moras, vim vexationis corpore monstrans gestu. Prodebatur enim se præ nimia gravedine morti appropinquare, spiritumque propemodum exhalare. Qua de re confusa tota populi in admirationem conversa, pietate simulque compassione compuncta, lacrymarum [illegible] gnisque pectus tundens [illegible] mente implorabat [illegible] tione. At puellula [illegible] momentum cessabat, diris vocibus oratorium spargens, seseque manibus feriens, capite vacillante mirandum cunctis per biduum nulla occurrente requie spectaculum præstans. Plebs ergo fidelium supero afflata [illegible] cum fratribus exorat, quatenus charitatis obtentu miserandæ mulierculæ darent copiam visendi almæ virginis Hunegundis ossa, si forte favente Christi clementia, aliquo modo mitigaretur [illegible] igitur eadem et [illegible] Quid ergo? dicam an sileam? quin imo pandam prædicandæ virtutis evidentiam. Nam statim ut oculus ossa conspexit, intromisso vertice, totius corporis compago recepit optatam salutem, interiit dolor, sopitus est languor, avulsus est luctus, rediit pristinus corporis status. Quod cum vidissent qui astabant populi, benedicentes gratias persolverunt Domino Deo universorum, qui suos mirificat sanctos sicut vult et quando vult. Hujus autem divinæ operationis, quam Jesus Christus Dominus et Deus noster dignatus est ostendere per merita gloriosæ virginis Hunegundis ad laudem et gloriam suam, tot revera exstiterunt testes, quot contigit tunc adesse fideles.

5. Igitur super hoc facto abbates cum monachis congaudentes conferebant ad invicem, conveniens non esse mutationem ulterius differri, aut episcopalem præsentiam præstolari, viso præcipue hoc tanto dignoque relatu miraculo, ne scilicet populus longa jam mora protractus diutinaque exspectatione jam lassus pascere spes videretur inanes. Communi siquidem consilio atque decreto feruntur beata pignora in cryptam sanctæ et individuæ Trinitatis in honore dedicatam, retro ejusdem ipsius monasterii tribunal fabricatam atque contiguam. Hoc equidem gemina pro causa actitare studuerunt, scilicet ne vel in aliquo casu offenderent sanctitatis munera nimio tumultu sexus utriusque imminente ac premente, vel ne fragmina margaritarum coram idiotis atque imperitis hominibus pensare nescientibus homines propter homines contrectarent, eo quod dicitur : *Nolite sanctum dare canibus, et ne spargatis margaritas vestras ante porcos* (*Matth.* VII, 6.) Unde ait Isaias : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (*Isa.* XXIV, 16). Obseratis ergo firmiter ostiis quæ a dextris et a sinistris cancelli eamdem cryptam petentibus aditum pandunt, circumdant beata munera pavitantibus animis ob exhibendam reverentiam. Hæsitabant enim quisnam eorum dignius contingere haberet a Christo concessa tam pretiosa donaria : sed demum consueti hanc tradere curam administrationem domno Gerardo abbati Insulano, quoniam erat natu major, ætate provectior, moribus gravior, religione devotior, piisque actibus proclivior. Ut quid moras innectimus? Suscipiens itaque abbas prædictus cum humilitatis subjectione confratrum imperia, exerit lacertos, seseque præparat solemnius adversus votiva officia. Mutantur summa cum reverentia ossa felicia, locanturque decentiori in cuna. O felix virgo, quæ quoniam in cœlo fulgida degis in gloria, sic veneraris in terrena aula. O vere felix virguncula! cui sponsus ille cœlestis arridens locutus est in Salomonis epithalamio : *Veni, soror, mea in hortum meum, et comedas fructum pomorum meorum, sponsa mea, columba mea, immaculata mea, veni de Libano, veni, coronaberis* (*Cant.* IV, 17). O felix, inquam, virgo! quæ sponso vocanti reciproca voce cum virginum choris applaudens, respondere meruisti : *Curremus post te in odore unguentorum tuorum* (*Cant.* I, 4), id est in fragrantia tuarum virtutum.

6. Igitur duo militares viri qui aderant, solemnia peragunt munuscula. Nam hi summopere efflagitaverant, ut eis concederetur mutationi adesse, sanctaque ossa propriis conspicere oculis. Alter igitur eorum nomine Godefridus senior, pallium decentissimum sanctæ virgini contulit in munus; alter vero nomine Rotbertus, cognomento Anguillula, seipsum ob devotionem per cervinan corrigiam (8*) servum obtulit, atque in exhibitione servitutis hortum jure prædii tradidit in villa quæ Marceia fertur. Fratres autem non terrena, sed divina persolvunt officia, et venerationi, ut decebat, satis idonea. Clauso igitur tandem cum diligentia solertiaque honorabili ergasterio, cum cereis et thuribulis et crucibus de crypta erumpunt, lætis apprime mentibus byssinis poderibus, id est albis, palliatis monachis; more patrum feretrum bajulantibus.

7. Verum quia basilicæ capacitas non ad hoc erat sufficiens, ut confluentis vulgi multitudinem recipere posset, in tantum quippe copiosa utriusque sexus exstabat ecclesia referta confluentia, utpote præstolante pro quo venerat sanctitatis dona, quod nec gestantes devotionis pignora volebant egredi per quæ fuerant ingressi ostiola. Qua de re, consilio inter se habito, per ostium ejusdem cryptæ in latere dispositum, quod est pervium euntibus ad capellam sancti Nicolai episcopi miræ sanctitatis confessoris, per claustrellum efferunt venerationis loculum; sicque per quamdam posterulam ejusdem claustrelli in maceria factam ejectum per pomerium atque cimiterium fratrum, ad alium identidem aditum, ignorante populo, perducunt. Sed rursus atrio, quod est pro foribus ecclesiæ, gente rusticana redundante, vix cum ingenti luctamine per portam secus capellam sancti archangeli Michælis sitam extrahunt. Tandemque impenso multo et grandi labore, jamque defessi in campum cultum, prope xenodochium monachorum jacentem deferunt : quo in loco quadam providentia mensa lignea extensa, sanctum thesaurum in eum deponere atque locare festinant, cum reverentia tamen ut dignum erat, quatenus ab omni exspectantium, sed et desiderantium multitudine adiri et venerari absque gravedine potuisset. Siquidem tanta pullularat frequens populatio, quod nec totius villæ capacitas ad capiendum sufficiens erat, sed circumquaque populi per agros vagabantur incerti, quo pacto vel ingenio quave ex parte templum adire quirent. Cum ergo dies jam inclinata esset ad vesperum, sole a meridiano fervore tepente, rursus Patres cum fratribus resumptis cero ferariis et crucibus, induti vestimentis albis sicut prius, glo[illegible] loculum. Nam in principio reversi fuerant necessitate cogente, perpaucis inibi relictis, qui feretrum observarent, et eulogias atque oblationes susciperent, utpote populo plurimum gravedinis simulque molestiæ inferente. Sumpto igitur cum diligentia pretioso gestatorio, etiam tum vulgo in vota grassante, cum honore digno et hymnidica pompa, non modica turba eos comitante, sanctas reliquas referentes in sanctam Dei Ecclesiam inthronizant, ac in sacro peribolo retro altare sanctæ virginis Hunegundis intra pyramidem, quod nos oraculum dicimus, digno cum obsequio componunt, ad honorem Domini nostri Jesu Christi, qui cum coæterno Patre et sancto Flamine vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

(8*) Servitutis species varias rite distinguit Cangius in Glossario, ubi nobilium pia vota laudantur. Traditionis instrumenta cum apud eumdem, tum in nostro De re diplomatica tractatu sæpe notata reperies.

ANNO DOMINI DCCCCLXXXIV

ETHELWOLDUS

WINTONIENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN ETHELWOLDUM.

(Apud Oudin., Script, eccles. tom. III, p. 469)

S. Ethelwoldus Wintoniensis episcopus, natione Angelus, patria Ventanus seu Wintoniansis, quem Chronico Joannis Bromton abbatis Jornalensis, vocat *Patrem monachorum, et solus Anglorum*, col. 877. Vir iste Wintoniæ natus est, qui sub S. Dunstano Glastoniæ educatus et cucullatus est, tempore autem regis Eldredi circa annum 950 factus est abbas Abbendoniensis, tum tempore regis Edgari, anno 961. Wintoniensis episcopus electus. Nam, ut inquit Historia Ramesiæ cap. 13: «Eadem tempestate qua S. Dunstanus ad sedem Cantuariensem provectus est,» hoc est anno 961, « eadem quoque tempestate vir miræ sanctitatis abbas Abbendoniæ Ethelwoldus, S. Dunstani alumnus, Brithelmo Wintoniæ episcopo humanis rebus exempto, ejusdem sedis dignitatem volente Domino adeptus est. » Juxta Symeonem vero Dunelmensem in Chronico, factus est anno 963 episcopus, qui, clericis ab hac sede amotis ob nuptias ad quas passim convolabant, monachos illic jussu regis Edgari substituit. Ita autem Vitam ejus perstringit abbas Jornalensis loco citato: «Factus est episcopus Wintoniensis, ubi monasterium monialium constituit, et corpus S. Swithini transtulit. Vir igitur iste ex monacho Wintoniensis præsul factus, propter profusa convivia quæ tunc in Anglia a Danorum adventu exhibebantur, pane et aqua utebatur. Vir iste per omnia beatæ Mariæ et sancto Cuthberto devotus exstitit; cujus sedem post obitum ejus, nunquam potuit aliquis impune dormitando premere, quin tetris imaginibus resiliret, increpantibus cur sedem episcopi indignus usurparet. Igitur dum semel simultas anxia inter ipsorum episcopum et Godwinum comitem esset exorta, nec die ad hoc statuto pacificari possent, episcopus recedendo iratus dixit : *Per dominam meam Mariam male tibi erit.* Nec ab illa hora quievit Godwinus a viscerum tortura, donec benedictionem ab episcopo reciperet. Tandem vir iste ad Dunelum profectus est, ubi, quod magnæ videbatur audaciæ, revulso sepulcri operculo, cum S. Cuthberto quasi cum amico loquebatur, ubi munus amoris deposuit et obiit, anno Domini 984, episcopatus 24, regis Ethelredi 3, et visionem Domini quam semper optaverat, adeptus est. Huic Ethelwoldo successit S. Elphegus tunc Bathoniensis abbas. » In me, codice 5164 bibliothecæ Bodleianæ, inter mss. codices Francisci Junii cod. 52, num. 2, exstat : *Ethelwoldus episcopus Wintoniensis, De diurna consuetudine monacharum ord. divi Benedicti*, Saxonice ex codice bibliothecæ Cottonianæ sub effigie Tiberii A, 3. Item inter mss. codices Universitatis Cantabrigiensis num. 2427 exstat in bibliotheca publica Cantabrigiæ in mss. codicibus quos Matthæus Parkerus Cantuariensis archiepiscopus huic bibliothecæ dono legavit, codice 247, num. 8 : *Ethelwodus De abbatibus disfarnensibus. 9. De regibus et regnis et episcopatibus totius Angliæ. 10 De tempore regum Britannicorum.* Ob hæc opuscula Gerardus Joannes Vossius hunc Ethelwoldum accensit Historicis Latinis lib. II, cap. 41, pag. mihi 354. Verum non spectant illa ad Ethelwoldum Wintoniensem illum episcopum, qui nunquam de Lindisfarnensibus abbatibus scribere potuit, sed recte de abbatibus Glastoniensibus vel Abbendoniensibus, ubi abbas fuerat. Recte igitur inter mss. codices ecclesiarum Angliæ cathedralium et aliarum celebrium ejusdem regni bibliothecarum codice 6115, in codicibus mss. Thomæ Galei codice 281 : *Ethelwodi Lindisfarnensis De Vitis abbatum Lindisfarnensium* inscribitur ; et ibidem 6183, codice 349 ejusdem Galei, *Ethelwoldi Opera*, liber sic dictus. At opus istud absque dubio spectat ad alium Æthelwulsum ducentis annis et amplius isto antiquiorem, qui dictus est *Bernicius* atque anno 750 clarus, opus suum *De Lindisfarnensibus abbatibus et viris illustribus domino suo Egberto Eboracensi archiepiscopo* inscripsit, in prælatione sua quæ exstat in veteri codice bibliothecæ Bodleianæ, in mss. Bodlei littera B. 4, codice 10 : *Amicorum præstantissimo atque dilectissimo sacerdoti magno Egberto, presbyter meritis Ædilwulf, intimæ charitatie salutem.* Hunc errorem admisit Gerardus Joannes Vossius libro II. De historicis Latinis, cap. 41, qui tamen ibidem cap. 20 illud opus idem tribuit et recte Ethelwolpho Bernicio, quem anno 750 claruisse scribit. Nihil igitur historicum quod sciam Ethelwoldus Wintoniensis episcopus scripsit. Sed *De consuetudine monachorum Saxonice Æthelvoldus* exstat ms in bibliotheca Cottoniana sud effigie Tiberii littera A, codice 3, pag. 171, codex antiquus et optimæ notæ per manus diversorum scriptus ante occupatam Angliam, in quo icones S. Benedicti, Eadgari regis et S. Scholasticæ. Item inter codices mss. colligii Corporis Christi Cantabrigiæ notato S, 6. sub finem codicis, post paginam 263, *Regula S. Benedicti Latine et Sclavonice auctore* Æthelwolfo. Cujus ob translationem Saxonicam, ut Historia Eliensis refert, Eadgerus rex et Alfreth sive Ælfred sancto Etelwoldo monerium de Suthburn cum chyrographo in perpetuum contulerunt. De opera ejus adversus presbyterorum conjugia, vide Vincentium Bellovacensem in Speculo Historiali lib. XXIV, cap. 83, Antonium Florentiæ archiepiscopum in Summa Historiali, parte II, tit. 16, cap. 6, § 4. Agunt de Ethelwoldo Joannes Lelandus in Collectaneis, volumine IV, num. 90, pag. 127, quod exstat inter miss. codices bibliotheæ Bodleianæ in Anglia, cod. 5105 ; Gerardus Joannes Vossius De historicis Latinis lib. II, cap. 41, pag. mihi 354 ; Humphredus Wanleius in Catalogo miss. codicum Anglo-Saxonicorum, in bibliothecis Angliæ occurrentium, Oxonii in fol. an. 1706 edito, pagg. 122 et 199.

VITA SANCTI ETHELWOLDI

EPISCOPI WINTONIENSIS.

Auctore, ut videtur, Wolstano *monacho ejus discipulo,*

Apud. Mabill. Acta SS. Bened. Sæc. V, p. 606.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Quod priscam ecclesiasticæ ac monasticæ rei disciplinam restituere sæculo x conata est Anglicana Ecclesia, id maxime debet pietati ac studio trlum illustrium episcoporum, scilicet Ethelwoldi, Oswaldi et Dunstani, qui cooperante in primis Eadgaro rege, abusus in Ecclesiam invectos sustulerunt, et monachos vitæ strictioris in pristinas sedes postliminio revocarunt. « Ita his tribus vitis agentibus, quasi triformi lumine Ecclesiam serenante, densæ vitiorum tenebræ » evanuere, ait Willelmus Malmesburiensis in lib. II De regibus, cap. 8. Ethelwodum qui et *Athelwoldus,* plures auctores celebrarunt, quorum primus videtur Alfricus Abandaniensis, qui anno ab Edelwoldi obitu vicesimo res ab eo gestas litteris breviter mandavit. Ejus lucubrationem invenimus in ms. codice Fiscamnensi. Proxime post eum idem præstitit scriptor alter anonymus, quem hic damus ; cujus ætas ex prologo et ex cap. 39 intelligitur : testatur quippe se ea referre quæ *præsens viderit, et quæ fideli seniorum relatione didicerit.* Hæc scriptio absque auctoris nomine habetur in codice Uticensi seu sancti Ebrulfi, ea ætate scripto ; sed ejus auctor non alius mihi videtur quam Wolstanus monachus Wintoniensis, de quo hæc Willelmus Malmesburiensis in lib. II De regibus Anglorum, cap. 8, ubi de Ethelwoldo : « Hujus Vitam Wilstanus quidam cantor Wintoniensis, dicipulus ejus scilicet et alumnus, composuit stylo mediocri, » ut vero hanc esse putem Wolstani lucubrationem, hæc fere me movent, nempe quod ætas apprime conveniat, geniusque auctoris poetæ, qui nonnullos versus huic Vitæ inseruit ; deinde relata quædam a Willelmo in lib. II De pontificibus Anglorum, ubi de Ethelwoldo, quæ non ab Alfrico (qui ea prætermisit, nec scio an Willelmo notus fuit tamquam Vitæ S. Ethelwoldi primus auctor) sed ab auctore nostro accepit, haud dubie Wolstano, quem unum laudat Vitæ sancti Ethelwoldi scriptorem. Porro Alfrico Wolstanum idcirco prætulimus, quod hic eadem omnino, et quidem iisdem sæpe verbis referat, quædam vero adjiciat, quæ apud Alfricum desiderantur, referunturque, ut dixi, a Willelmo, ut suo loco notabimus. Alfrici prologum huc referre juvat : « Alfricus abbas, Wintoniensis alumnus, honorabili episcopo Kenulfo et fractibus Wintoniensibus salutem in Christo. Dignum ducens denique aliqua de gestis Patris nostri et magnifici doctoris Atelwoldi memoriæ modo commendare, transactis videlicet viginti annis post ejus migrationem, brevi quidem narratione mea, sed et rustica, quæ apud vos, vel alias a fidelibus didici, huic stylo insero, ne forte penitus propter inopiam scriptorum oblivioni tradantur. Valete. » Alfricum seu Elfricum laudat Pitseus ad annum 1016, ubi ait eum ad episcopatum primo Wiltunensem, dein ad metropolim Cantuariensem promotum fuisse. Alios auctores, qui de Ethelwoldo egerunt, Rogerium Hovedenum, Henricum Huntindoniensem, Matthæum Westmonasteriensem, Joannem Bromtonum, Harpsfeldium, Thomam Maiheuvium indicasse sufficit : quibus adde auctores qui facta sanctorum Oswaldi et Dunstani scripserunt. Fallitur in his Bromtonus, qui Ethelwolfi gesta confundi cum factis Alfwolfi episcopi Schireburnensis.

2. Quid in rem monasticam præstiterit Etelwoldus, probant monasteria Abandoniense, præsertim duo Wintoniensia, vetus ac novum : in quorum altero monachi ejectis clericis suffecti, in altero instituti sunt, ut pluribus dicitur non solum in sequenti Vita, sed etiam in actis Oswaldi et Dunstani, apud Willelmum Malmesburiensem, in Monastico Anglicano, alibi. Audiendus hac de re Willelmus Malmesburiensis in lib. II De regibus Anglorum, cap. 8 : « Quantum efficax fuerit sanctitas et probitas discipulorum suorum », nempe Dunstani, « indicio est Athelwoldus ex monacho Glastoniensi abbas Abendoniensis, idemque post hæc episcopus Wintoniensis, qui tot et tanta monasteria fecit, quod vix modo credibile videatur, ut talia fecerit episcopus urbis unius, qualia vix posset rex Angliæ totius, Fallor, et præcipiti sententia pecco, si non palam sit quid dico. Quantula sunt cœnobia Eliense, Burchense, Torniense, quæ ille a fundamentis suscitavit, et sua industria perfecit ? quæ cum semper exactorum vellicet nequitia, sunt nihilominus habitatoribus suis sufficientia. » Tum laudabo Wolstano ejus Vitæ scriptore, ac deinde Oswaldo, qui Wigorniæ monachos, pro clericis posuit, hæc subdit Willelmus : « Expulerat antea regali jussione Ethelwoldus episcopus clericos de Wintonia, qui cum data a rege sibi optione ut aut regulariter viverent, aut loco cederent, magis vitam mollem elegissent. » Willelmo suffragatur Ordericus Vitalis in Historiæ suæ lib. IV, pag. 517, ubi hæc verba : « Tunc cœnobium Medeshamstede, quod pridem tempore Wolferi regis Merciorum Sexvulfus pontifex construxit, Adelvoldus præsul sub Edgaro rege, in vico qui Burg dicitur, restauravit, et basilicam in honore sancti Petri apostolorum principis editam magnis opibus ditavit. Deinde Torneiense, Eligense et alia multa monasteria pluribus in locis fabricata sunt : et conventus in illis monachorum, aut clericorum, aut sanctimonialium solerter locata sunt. Copia reddituum singulis monateriis largiter impartiebatur, unde sufficiens victus et vestitus theoricis administraretur, ne pro penuria rerum necessariarum in divino cultu aliquatenus vacillantes frangerentur. Sic in Anglia monasticus ordo renovatus est, etc. » Quid in Wintoniensibus monasteriis veteri ac novo actum sit per Ethelwoldum, carmine persecutus est Wolstanus, jam superius laudatus, in epistola ad Elfegum Wintoniensem episcopum, præfixa duobus libris metricis ab eodem Wolstano scriptis De Vita et mi-

raculis sancti Swithuni antistitis itidem Wintoniensis. Hanc epistolam post hanc Vitam referemus. Hoc Wolstani carmen non laudat in superiori loco Willelmus, qui præter librum de Vita Ethelwoldi aliud opus De harmonia ei tribuit his verbis : « Fecit et aliud opus De tonorum harmonia valde utile, eruditi Anglici iudicium, homo vitæ bonæ et eloquentiæ castigatæ. » Eam eloquentiam negligere visus est in Vita S. Ethelwoldi, quæ *mediocri stylo* revera scripta est. De novo monasterio lege quæ diximus supra in Elogio S. Grimbaldi.

3. Pulchra sunt quæ de Thorneiensi monasterio per Ethelwoldum exculto scribit Willelmus in fine libri IV De pontificibus Anglorum, ibi : « Solitudo ingens ad quietem data monachis, ut eo tenacius hæreant superis quo castigatius mortales conspicantur. Femina ibi si visitur, monstro habetur; maribus advenientibus quasi angelis plauditur : cæterum ibi nullus nisi momentanee conversatur. » Ethelwoldus « jam a principio episcopatus eremiticam ibi exercere vitam cœpit, libabatque ut poterat futuræ quietis primitias diebus quadraginta in remotissima, quam ipse construxerat, ecclesia solus Deo vacans. Idcircoque non tantum terrarum illic, quantum alibi congessit, sed quantum sibi et duodecim monachis satis esset. Corpora sanctorum, qui olim in illa eremo diversati fuissent, necnon et aliorum per Angliam tot advexit, ut omnes pene anguli ecclesiæ pleni sint. » Ceteris propter nominum stridorem omissis, Willelmus unum memorat Benedictum abbatem Wiremuthensem, venerabilis Bedæ nutritium, cujus « Benedicti corpus magno coemptum pretio Adelwoldus Thorneiam advexit, et obscurioribus sanctis lucifluum jubar invexit. » Torneia insula, *Thorney*, hic in cap. 24 appellatur, sita prope urbem Eliensem, in comitatu Cantabrigiensi. De eo lege Monasticum Anglicanum a pag. 242, ubi ecclesiæ pars aquilonaris S. Benedicto sacrata fuisse dicitur pag. 243.

4. Ethelwoldi memoriam in rebus sacris jam inde ab ejus obitu celebravit Anglicana Ecclesia, ut præ aliis testatum facit missa hic edita, qualis in ms. codice Uticensi pervetusto habetur. Ejus mortis diem Alfricus assignat tertio Kalendas Augusti (si non fallit apographum nostrum), Wolstanus aliique post eum Kalendis ipsis. Sic enim legitur non solum in cap. 41, sed etiam in ipso Vitæ ejus titulo, qualem mox referemus.

5. Pitseus in libro De illustribus Angliæ scriptoribus Ethelwoldum nostrum commendat, eique tribuit opuscula nonnulla, nempe : *De sua in presbyteros potestate ad Joannem papam XIV, lib.* I *Contra presbyteros fornicarios et eorum concubinas lib.* I. *De abbatibus Lindisfarnensibus lib.* I. *De regibus, regnis et episcopatibus totius Angliæ lib.* I. *De tempore regum Britannorum lib.* I. *De suis visitationibus lib.* I. *De planetis et mundi climatibus lib.* I, *et alia non pauca.* Sed an et quæ vereæ ipsius sint, non facile est definire, cum ea opera non sint in promptu. Non tamen dubitem librum De abbatibus Lindisfarnensibus haud alium esse quam carmen Ethelwolfi monachi Lindisfarnensis de isto argumento, nobis editum in tomo superiori. Addit Pitseus librum de visitationibus opus esse. Ethewoldi monachi Wintoniensis. Cætera, forsan præter duos primos aliena etiam videntur.

VITA SANCTI ETHELWOLDI.

INCIPIT PRÆFATIO

De vita gloriosi Patris Athelwoldi episcopi, cujus sacra memoria celebratur in Kalendis Augusti, qua die regna migravit cœlestia.

Postquam mundi Salvator Christus humano generi per aulam virginalis uteri incarnatus apparuit, et expleta suæ pietatis ac nostræ salutis ineffabili dispensatione, ad paternæ majestatis sedem cum triumpho gloriæ est regressus, multa per universum orbem diffudit apostolicorum luminaria doctorum, qui evangelicæ fidei illustratione perfusi, cæcas ignorantiæ tenebras ab humanis cordibus effugarent, et ut credentium mentes igne superni amoris inflammarent, et elongata diuturnæ mendicitatis esurie, populorum turbas æternæ vitæ epulis satiarent. Ex quorum collegio beatus Pater et electus Dei pontifex Adelwoldus, velut lucifer inter astra coruscans, suis temporibus apparuit, multorumque cœnobiorum fundator et ecclesiasticorum dogmatum institutor, inter omnes Anglorum pontifices solus singulariter effulsit. De cujus ortu, gestis et obitu scire cupientibus, aliqua narrare dignum duximus, et ne tanti Patris memoria penitus oblivioni traderetur, ea quæ præsentes ipsi vidimus, et quæ fideli seniorum relatione didicimus, in his schedulis summatim perstrinximus, illius sanctis confisi suffragiis, hoc et nobis qui scripsimus, et eis qui lecturi vel audituri sunt profuturum.

INCIPIUNT CAPITULA SEQUENTIS LIBELLI.

INCIPIT VITA SANCTI ADELWOLDI

WINTONIENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS.

CAP. I. — Erant igitur parentes sancti pontificis Adelwoldi ex ingenua Christianorum propagine oriundi, Wentanæ civitatis urbani, temporibus senioris Eaduardi regis Anglorum florentes, in mandatis et justificationibus Domini sine querela fideliter incedentes. Qui dum quotidianis bonorum operum pollerent incrementis, eximio Dei munere decorati sunt, quo talem mererentur gignere sobolem, cujus eruditione et exemplis non solum populi præsentis ævi, sed etiam futuri pervenirent ad notitiam veri luminis : ut exuti caligine tenebrosi erroris, gloria fruerentur æternæ charitatis.

CAP. II.— Itaque felix ejus genitrix cum eum in utero conceptum gereret, vidit hujusmodi intempesta nocte somnium, quod erat certum futuri effectus præsagium. Visum namque sibi est se pro foribus suæ domus sedere, et obtutibus suis adesse quoddam D sublime vexillum, cujus summitas cœlum tangere videbatur : quod se inclinando honeste ad terram, fimbriarum suarum velamine circumdedit imprægnatam, rursumque procera altitudine erectum, et in flexibili stabilitate robustum, ipsum unde inclinabatur repetiit cœlum. Exspergefacta autem mulier rursus sopore deprimitur, et ecce repente vidit ex ore suo prosilire et avolare quasi auream miræ magnitudinis aquilam, quæ volando cuncta Wentanæ civitatis ædificia, auratis pennarum remigis obumbravit, et in alta cœlorum se elevando disparuit. Cumque mulier evigilans secum miraretur attonita, et somniorum visionem mente volveret tacita, nec per semetipsam conjicere posset eorum interpretationem, perrexit ad quamdam Christi famulam, nomine Edeldridam, moribus et ætate maturam, quæ in præfata urbe nutrix erat Deo devotarum

vicinum, cui narravit ex ordine quod [illegible] suum fuerat in nocturna visione. [illegible] sagaci animo prudentissima, et in [illegible] futurorum, Domino revelante, præscia, de nascituro infante multa prædixit, quæ vera esse rerum exitus indicavit.

Cap. III. — Nos quoque [illegible] somniorum conjectores esse possumus, in sublimi vexillo intelligentes sanctum virum, qui tunc in utero portabatur, quandoque futurum militis Dei signiferum, sicut et erat, quem multimoda relatione contra antiquum hostem pro defensione sanctæ matris Ecclesiæ congredientem vidimus, ipsoque bellante, imo per ipsum Deo vincente, pravorum machinamenta ad nihilum redacta conspeximus. Et quia aquila ab acumine oculorum vocatur, et testante sacro eloquio thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis; recte per auream aquilam, quæ totam urbem alarum velamento obumbrare visa est, idem præclarus vir totius sapientiæ (thesauro) decoratus exprimitur; qui perspicaci et irreverberata cordis acie divina meditando, semper ad cœlestia per contemplationem volavit, et super Ecclesiam, magni Regis civitatem, quam contrariæ potestates impugnare nitebantur, umbraculum paternæ protectionis longe lateque expandit, et consummato boni certaminis cursu, ad visionem Dei in sanctorum comitatu pervenit, sicut in Evangelio voce Dominica dicitur : *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ.* Quia ubi ipse Redemptor noster est corpore, illuc procul dubio non colliguntur electorum animæ, et in futuræ resurrectionis gloria illuc quoque eorum colligentur et corpora. Hæc de somniorum interpretatione breviter diximus : nunc ad narrationis ordinem redeamus.

Cap. IV. — Quadam namque die cum mater ejus stipata civibus staret in ecclesia, sacræ missæ celebrationi interesse desiderans, sensit animam pueri quem gerebat in utero, venisse, et in eum Dei nutu cuncta moderantis intrasse, sicut postea ipse sanctus qui nasciturus erat, jam episcopus nobis gaudendo referebat. Ex quo ostenditur eum a Deo electum exstitisse etiam antequam nasceretur, et animam procreati hominis non, ut quidam æstimant, a patre vel a matre existendi initium sumere, sed ut vere et absque omni dubietate creditur, a solo Creatore vitalem spiritum vivificari, et singillatim unicuique dari. Nascitur ergo futurus Dei pontifex, et fonte baptismatis in Christo renatus, Adelwold a parentibus est appellatus, sanctique chrismatis unctione confirmatus, gratiæ Dei in omnibus commendatus.

Cap. V. — Accidit enim quadam solemni die, cum more solito nutrix illius ad ecclesiam pergere et orationi incumbere decrevisset, tam validam inundantis pluviæ tempestatem erumpere, ut extra loci limen, ubi in gremio tenens eumdem infantem sederat, pedem movere non posset. Quæ dum mœrens amarissime fleret, eo quod votum [illegible] prouerunt. [illegible] tempestatis [illegible] ubi [illegible] est sedens in ecclesia quam adire disponebat, ubi solemnia missarum presbyter [illegible], et quod nulla ratione [illegible] ut fieret, factum vehementer expavit, [illegible] miraculum magnæ admirationis stupor invasit. Sicut enim propheta quondam ex Judæa repente sublatus, et in Chaldæa cum prandio depositus, sic beatus puer Adelwoldus sub momento cum nutrice in templo est præsentatus, ut sicut ille refecit congruo tempore Danielem prophetam in lacu leonum, sic iste millia populorum pasceret in Ecclesia sanctorum.

Cap. VI. — Igitur quotidiano profectu crevit puer bonæ indolis, et in ipsa mox pueritia sacris litterarum studiis traditus : ut qui aliis viam salutis ostensurus erat, ipse cum Maria secus pedes Domini humiliter sederet, et verbum ex ore illius salubriter audiret. Erat enim agilis natura atque acutus ingenio, ita ut quidquid majorum traditionibus didicerat, non segniter oblivioni traderet, sed tenaci potius memoriæ commendaret. Studebat etiam teneros pueritiæ annos morum honestæ et virtutum maturitate vincere, divinis semper obsequiis omnia membra sua mancipare, et ad Dei implendam voluntatem totam mentis suæ intentionem dirigere : sicque præceptis Christi muneribus recte vivendo gratias exhibere, ut ad majora percipienda dignus mereretur exsistere.

Cap. VII. — Cumque florentis adolescentiæ contingeret ætatem, præconium sanctæ conversationis ejus Ædelstano regi, filio prædicti regis Eadwardi, fama vulgante nuntiatum est, juvenemque festinanter accessiri præcepit, qui cum adductus staret in præsentia regis, invenit gratiam in conspectu ejus, et in oculis optimatum ejus ; ibique individuo comitatu multum temporis agens in palatio, plura a sapientibus regis utilia ac proficua sibi didicit. Et demum jubente rege ab Ælfego Wintoniensi episcopo secundum morem ecclesiasticum prius ad clericatus officium tonsoratus, ac deinde paucis labentibus annorum curriculis in gradum sacerdotalem consecratus est.

Cap. VIII. — Ipse enim beatæ recordationis Pater Elfegus, inter cætera sibi collata spiritualium charismatum dona, prophetiæ spiritu pollebat et [illegible] ordinasse in ipso tempore simul Dunstanum et Adelwodum, et quemdam, Edelstanum vocabulo, qui postmodum monachilem habitum deserens apostata finetenus perduravit. Completa autem missarum celebratione sanctus antistes Elfegus sibi adhærentes ita alloquitur : « Hodie coram Deo tribus viris manus imposui, eosque in sacerdotii ordinem consecravi : quorum duo ad episcopalem pertingent apicem, unus quidem primum in civitate Wigorniensi, deinde in Cantia, quæ est metropolis

Ecclesiæ gentis Anglorum: alter vero mihi quandoque successurus est in pontificii dignitatem, tertius autem per lubrica voluptatum blandimenta miserabili fine tabescet. » Tunc Edelstanus interrogavit sanctum antistitem propinquum suum dicens: « Num mihi continget esse unum ex duobus qui episcopali cathedra sublimandi sunt? » Cui respondit antistes: « Non erit tibi pars neque sors in eo quem præfatus sum ordine; sed neque in ea sanctitate, quam in hominum conspectu videbaris inchoasse, permansurus es. » Cujus prophetiæ verba quam veraciter essent prolata rei probavit eventus. Nam duo (sicut dicit Scriptura: *Justus justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc* ad pontificatus honorem pervenerunt, tertius vero juxta terribilem prioris sententiæ comminationem quæ dicit: *Qui in sordibus est sordescat adhuc*, in fetore luxuriæ vitam finivit.

Cap. IX. — Adelwoldus autem Christi famulus, nomine, mente et opere benevolus, arctam viam quæ ducit ad vitam recto itinere gradiens, quotidiana Deo cooperante studuit melioratione succrescere, dans operam diligenter doctrinis et exemplis Elfregi susceptoris et ordinatoris sui. Nam apud eum præcipiente rege, quo melius imbueretur, aliquandiu commoratus est, ac postmodum Glestoniam perveniens, magnifici viri Dunsteni abbatis ejusdem monasterii discipulatui se tradidit. Cujus magisterio multum proficiens, tandem monastici ordinis habitum ab ipso suscepit, humilique devotione ejus regimini deditus est. Didicit namque mihi liberalem grammaticæ artis peritiam, atque mellifluam metricæ rationis dulcedinem; et more apis prudentissimæ, quæ solet boni odoris arbores circumvolando requirere, et jucundi saporis oleribus incumbere, divinorum carpebat voluminum flores. Catholicos quoque et nominatos studiose legebat auctores, insuper vigiliis et orationibus perseveranter insistens, et abstinentia semetipsum edomans, et fratres semper ad ardua exhortans. Qui cum pro merito sanctitatis ab omnibus amaretur, et monasterii decanus ab abbate suo constitueretur; nullum elationis incurrit periculum, sed tantæ subjectis præbuit humilitatis exemplum, ut quotidiano manuum opere hortum excolendo laboraret, et fratribus ad prandium poma ac diversi generis legumina præpararet: ut post spiritualem animarum refectionem, corporum quoque necessaria ministraret, præ oculis semper retinens illud Dominicum: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus;* et illud: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Hæc et alia memoriæ commendans scripturæ testimonia, per disciplinam subditos et per humilitatem custodiebat semetipsum.

Cap. X. — Contingit interea victoriosissimum regem Ædelstanum, quarto anno postquam hostilem paganorum exercitum maxima strage peremit, obisse, et fratrem ejus Eadmundum pro eo regni gubernacula suscepisse. Cui post annos sex et dimidium crudeliter interempto successit in regnum frater ejus Eadredus, qui erat veteris cœnobii in Wintonia specialis amator atque defensor, ut testantur ea quæ ipso jubente fabricata sunt ornamenta, magna scilicet aurea crux, altare aureum, et cætera quæ larga manu benignus illuc ad honorem beatorum apostolorum Petri et Pauli direxit, ibique æternaliter ad Dei laudem et gloriam conservari præcepit: qui etiam si vita comes fieret, orientalem porticum ejusdem Wintoniensis ecclesiæ deauratis imbricibus adornare disposuit. Cujus regni tempore vir Domini Adelwoldus adhuc cupiens ampliori Scripturarum scientia doceri, et monastica religione perfectius informari, decrevit ultra marinas adire partes. Sed venerabilis regina Eadgiw, mater regis memoriali, prævenit ejus conamina, dans consilium regi ne talem virum sineret egredi de regno suo, insuper asserens tantam in eo fuisse Dei sapientiam, quæ et sibi et aliis sufficere posset, quamvis ad alienæ patriæ fines ob hanc causam minime tenderet.

Cap, XI. — Quibus auditis delectatus rex, magnam circa Dei famulum cœpit habere dilectionem, placuitque ei, suadente matre sua, dare sancto viro quemdam locum vocabulo Abbandum, in quo modicum antiquitus monasteriolum, sed erat tunc neglectum ac destitutum, vilibus ædificiis consistens, et quadraginta tantum mansos possidens; reliquam vero præfati loci terram, quæ centum cassatorum lustris hinc inde gyratur, regali dominio subjectam rex ipse possidebat. Factumque est, consentiente Dunstano abbate, secundum regis voluntatem, ut vir Dei Adelwoldus prænotati loci susciperet (9) curam, quatenus in eo monachos ordinaret regulariter Deo servientes. Venit ergo servus Dei ad locum sibi commissum: quem protinus secuti sunt quidam clerici de Glestonia, scilicet Osgarus, Foldbirhtus Friwegarus, et Ordbirthtus de Wintonia, et Eadricus de Lundonia, ejus discipulatui se subdentes. Congregavitque sibi in brevi spatio gregem monachorum, quibus ipse abbas jubente rege ordinatus est. Dedit etiam rex possessionem regalem quam in Abandonia possederat, hoc est centum cassatos cum optimis ædificiis, abbati et fratribus ad augmentum quotidiani victus, et de regio thesaura suo multum eos in pecuniis juvit; sed mater ejus largius solatia munerum eis direxit. Tantamque gratiam Dominus sibi servientibus contulit, ut ad præfatum cœnobium,

(9) Is abbas Abandonensis Edredi privilegio pro monasterio Crulaudensi subscripsit anno 948 apud Ingultum. Et tamen in Monastici Anglicani tomo I, pag. 16, col. 1, Abbandoniæ abbas dicitur ordinatus anno 954; an legendum 944? *Viros monasticæ disciplinæ exquisite callentes, ex Corbeiensi Galliæ cœnobio* accersisse dicitur Ethelwoldus apud Harsfeldium sæculi x, cap. 9; consule Monastici tomum I, pag. 97.

quod antea rebus erat pauperrimum, omnes simul divitiæ putarentur affluere, et sic cuncta prosperis successibus occurrere, ut palam sententiæ Dominicæ promissio impleri videretur, qua dicitur : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et omnia adjicientur vobis.*

Cap. XII. Venit ergo rex quadam die ad monasterium, ut ædificiorum structuram per seipsum ordinaret; mensusque omnia fundamenta monasterii propria manu, quemadmodum muros erigere decreverat, rogavitque eum abbas in hospitio cum suis prandere. Annuit rex illico, et contigit adesse sibi non paucos optimatum suorum venientes ex gente Nordanhimbrorum, qui omnes cum rege adierunt convivium. Lætatusquæ rex et jussit abunde propinare hospitibus hydromellum *(al* medonem*)*, clausis diligenter foribus, ne quis fugiendo potationem regalis convivii deserere videretur. Quid multa? hauserunt ministri liquorem tota die ad omnem sufficientiam convivantibus ; sed nequivit ipse liquor exhauriri de vase, nisi ad mensuram palmi, inebriatis suatim Nordanhimbris, et vesperi cum lætitia recedentibus,

Cap. XIII. — Non tamen cœpit Adelwoldus abbas designatum sibi opus ædificare in diébus Ædredi regis, quia rex idem celeriter ex hac vita migravit die IX Kal. Decembris. Sed regnante glorioso rege Eadgaro, insigni et clementissimo, præpotente ac invictissimo regis Eadmundi filio, honorabile templum in honore sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ in eodem construxit loco, et consummavit, quod usque in hunc diem visu melius quam sermone ostenditur.

Cap. XIV. — Circa hæc tempora eligitur abbas Dunstanus ad episcopatum Wirgonensis Ecclesiæ juxta prophetiam sancti Elfegi episcopi, sicut supra tetigimus. Et post aliquot annorum curricula factus archiepiscopus, mansit in Cantia triginta et septem annis, quasi columna immobilis, doctrina et actione præcipuus, angelico vultu decorus, eleemosynis et prophetia præpollens : ad cujus tumbam cœlestia sæpe fieri miracula audivimus. Adelwoldus autem misit Oscarum monachum trans mare ad monasterium sancti Patris Benedicti Floriacense, ut regularis observantiæ mores illic disceret, ac domi fratribus docendo ostenderet quatenus ipse normam monasticæ religionis secutus, et una cum sibi subjectis devia quæque declinans, gregem sibi commissum ad promissam cœlestis regni patriam perduceret. In qua congregatione erat quidam frater Elfstanus nomine, simplex et magnæ obedientiæ vir, quem abbas jussit prævidere cibaria artificum monasterii, cui servitio ipse devotissime se subdens, coxit carnes quotidie, et operariis sedulus ministrabat, focum accendens, et aquam apportans, et vasa denuo sponte emundans, existimante abbate hoc illum cum solatio et juvamine alterius ministri peragere. Accidit namque quadam die, dum abbas more solito peragraret monasterium, ut aspiceret illum fratrem juxta ferveus caldarium, in quo victualia præparabat artificibus, et intrans vidit omnia vasa mundissima, ac pavimentum scopatum, dixitque ad eum hilari vultu : O mi frater Elfstane, hanc obedientiam mihi furatus es, quam me ignorante exerces. Sed si talis miles Christi es, qualem te ostendis, mitte manum tuam in bullientem aquam, et unum frustum de imis mihi impiger attrahe; qui statim sine mora mittens manum suam ad imum lebetis, abstraxit frustum fervidum, non sentiens calorem ferventis aquæ. Quo viso, abbas jussit frustum deponi, et nemini hoc indicare viventi. Illum vero fratrem postmodum abbatem vidimus ordinatum, qui etiam deinde pontificali honore sublimatus, Ecclesiæ Wiltuniensi est prælatus, et beato fine (10) in domino consummatus.

Cap. XV. — Erat namque sanctus Adelwoldus ecclesiarum ac diversorum operum magnus ædificator, et dum esset abbas, et dum esset episcopus. Unde tetendit ei communis adversarius solitas suæ malignitatis insidias, ut eum, si ullo modo posset, exstingueret. Nam quadam die, dum vir Dei in structura laboraret, ingens postis super eum cecidit, et in quamdam foveam dejecit, confregitque pene omnes costas ejus ex uno latere, ita ut nisi fovea illum susciperet, totus quassaretur.

Cap. XVI. — Convaluit tamen vir sanctus de hac molestia. Dei omnipotentis adjuvante gratia, et elegit eum Eadgarus felicissimus Anglorum basileus ad episcopatum Wintoniensis Ecclesiæ, antequam ecclesia præfati cœnobii dedicaretur. Et jubente rege, consecravit illam Dunstanus archiepiscopus Dorobernensis Ecclesiæ, anno Dominicæ incarnationis nongentesimo sexagesimo tertio, sub die tertio Kalendarum Decembrium, in vigilia sancti Andreæ apostoli, quæ tunc habebatur in Dominica prima Adventus Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi. Erant autem tunc in veteri monasterio, ubi cathedra pontificalis habetur, canonici nefandi scelerum moribus implicati, elatione et insolentia atque luxuria præventi, adeo ut nonnulli eorum dedignarentur missas suo ordine celebrare, repudiantes uxores quas illicite duxerant, et alias accipientes, gulæ et ebrietati jugiter dediti. Quod minime ferens sanctus vir Adelwoldus, data licentia a rege Eadgaro, expulit citissime detestandos blasphematores Dei de monasterio; et adducens monachos de Abbandonia locavit illic, quibus ipse abbas et episcopus exstitit.

Cap. XVII. — Accidit autem Sabbato in capite Quadragesimæ (11), dum monachi venientes de Abbandonia starent ad ingressum ecclesiæ, clericos missam finire. Communionem canendo : *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore; apprehendite*

(10) Eadem totidem verbis, nec plura refert Willelmus Malmesburiensis in lib. II de Pontificibus Anglorum. cap. 4.

(11) Vides caput Quadragesimæ etiam tunc initum a Quadragesimæ Dominica prima, in qua hæc antiphona ad missæ communionem legitur.

Ecclesiæ gentis Anglorum: alter vero mihi quandoque successurus est in pontificii dignitatem, tertius autem per lubrica voluptatum blandimenta miserabili fine tabescet. » Tunc Edelstanus interrogavit sanctum antistitem propinquum suum dicens: « Num mihi continget esse unum ex duobus qui episcopali cathedra sublimandi sunt? » Cui respondit antistes: « Non erit tibi pars neque sors in eo quem præfatus sum ordine; sed neque in ea sanctitate, quam in hominum conspectu videbaris inchoasse, permansurus es. » Cujus prophetiæ verba quam veraciter essent prolata rei probavit eventus. Nam duo (sicut dicit Scriptura: *Justus justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc* ad pontificatus honorem pervenerunt, tertius vero juxta terribilem prioris sententiæ comminationem quæ dicit: *Qui in sordibus est sordescat adhuc*, in fetore luxuriæ vitam finivit.

Cap. IX. — Adelwoldus autem Christi famulus, nomine, mente et opere benevolus, arctam viam quæ ducit ad vitam recto itinere gradiens, quotidiana Deo cooperante studuit melioratione succrescere, dans operam diligenter doctrinis et exemplis Elfregi susceptoris et ordinatoris sui. Nam apud eum præcipiente rege, quo melius imbueretur, aliquandiu commoratus est, ac postmodum Glestoniam perveniens, magnifici viri Dunsteni abbatis ejusdem monasterii discipulatui se tradidit. Cujus magisterio multum proficiens, tandem monastici ordinis habitum ab ipso suscepit, humilique devotione ejus regimini deditus est. Didicit namque inibi liberalem grammaticæ artis peritiam, atque mellifluam metricæ rationis dulcedinem; et more apis prudentissimæ, quæ solet boni odoris arbores circumvolando requirere, et jucundi saporis oleribus incumbere, divinorum carpebat voluminum flores. Catholicos quoque et nominatos studiose legebat auctores, insuper vigiliis et orationibus perseveranter insistens, et abstinentia semetipsum edomans, et fratres semper ad ardua exhortans. Qui cum pro merito sanctitatis ab omnibus amaretur, et monasterii decanus ab abbate suo constitueretur; nullum elationis incurrit periculum, sed tantæ subjectis præbuit humilitatis exemplum, ut quotidiano manuum opere hortum excolendo laboraret, et fratribus ad prandium poma ac diversi generis legumina præpararet: ut post spiritualem animarum refectionem, corporum quoque necessaria ministraret, præ oculis semper retinens illud Dominicum: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus;* et illud: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Hæc et alia memoriæ commendans

A scripturæ testimonia, per disciplinam subditos et per humilitatem custodiebat semetipsum.

Cap. X. — Contingit interea victoriosissimum regem Ædelstanum, quarto anno postquam hostilem paganorum exercitum maxima strage peremit, obisse, et fratrem ejus Eadmundum pro eo regni gubernacula suscepisse. Cui post annos sex et dimidium crudeliter interempto successit in regnum frater ejus Eadredus, qui erat veteris cœnobii in Wintonia specialis amator atque defensor, ut testantur ea quæ ipso jubente fabricata sunt ornamenta, magna scilicet aurea crux, altare aureum, et cætera quæ larga manu benignus illuc ad honorem beatorum apostolorum Petri et Pauli direxit, ibique æternaliter ad Dei laudem et gloriam conservari præcepit: qui

B etiam si vita comes fieret, orientalem porticum ejusdem Wintoniensis ecclesiæ deauratis imbricibus adornare disposuit. Cujus regni tempore vir Domini Adelwoldus adhuc cupiens ampliori Scripturarum scientia doceri, et monastica religione perfectius informari, decrevit ultra marinas adire partes. Sed venerabilis regina Eadgiw, mater regis memoriali, prævenit ejus conamina, dans consilium regi ne talem virum sineret egredi de regno suo, insuper asserens tantam in eo fuisse Dei sapientiam, quæ et sibi et aliis sufficere posset, quamvis ad alienæ patriæ fines ob hanc causam minime tenderet.

Cap. XI. — Quibus auditis delectatus rex, magnam circa Dei famulum cœpit habere dilectionem, placuitque ei, suadente matre sua, dare sancto viro quemdam locum vocabulo Abbandum, in quo modi-

C cum antiquitus monasteriolum, sed erat tunc neglectum ac destitutum, vilibus ædificiis consistens, et quadraginta tantum mansos possidens; reliquam vero præfati loci terram, quæ centum cassatorum lustris hinc inde gyratur, regali dominio subjectam rex ipse possidebat. Factumque est, consentiente Dunstano abbate, secundum regis voluntatem, ut vir Dei Adelwoldus prænotati loci susciperet (9) curam, quatenus in eo monachos ordinaret regulariter Deo servientes. Venit ergo servus Dei ad locum sibi commissum: quem protinus secuti sunt quidam clerici de Glestonia, scilicet Osgarus, Foldbirhtus Frivegarus, et Ordbirhthus de Wintonia, et Eadricus de Lundonia, ejus discipulatui se subdentes. Congregavitque sibi in brevi spatio gregem monachorum,

D quibus ipse abbas jubente rege ordinatus est. Dedit etiam rex possessionem regalem quam in Abandonia possederat, hoc est centum cassatos cum optimis ædificiis, abbati et fratribus ad augmentum quotidiani victus, et de regio thesaura suo multum eos in pecuniis juvit; sed mater ejus largius solatia munerum eis direxit. Tantamque gratiam Dominus sibi servientibus contulit, ut ad præfatum cœnobium,

(9) Is abbas Abandonensis Edredi privilegio pro monasterio Crulaudensi subscripsit anno 948 apud Ingultum. Et tamen in Monastici Anglicani tomo I, pag. 16, col. 1, Abbandoniæ abbas dicitur ordinatus anno 954; an legendum 944? *Viros monasticæ disciplinæ exquisite callentes, ex Corbeiensi Galliæ cœnobio* accersisse dicitur Ethelwoldus apud Harsfeldium sæculi x, cap. 9: consule Monastici tomum I, pag. 97.

quod antea rebus erat pauperrimum, omnes simul divitiæ putarentur affluere, et sic cuncta prosperis successibus occurrere, ut palam sententiæ Dominicæ promissio impleri videretur, qua dicitur : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et omnia adjicientur vobis.*

Cap. XII. Venit ergo rex quadam die ad monasterium, ut ædificiorum structuram per seipsum ordinaret; mensusque omnia fundamenta monasterii propria manu, quemadmodum muros erigere decreverat, rogavitque eum abbas in hospitio cum suis prandere. Annuit rex illico, et contigit adesse sibi non paucos optimatum suorum venientes ex gente Nordanhimbrorum, qui omnes cum rege adierunt convivium. Lætatusquæ rex et jussit abunde propinare hospitibus hydromellum (*al.* medonem), clausis diligenter foribus, ne quis fugiendo potationem regalis convivii deserere videretur. Quid multa? hauserunt ministri liquorem tota die ad omnem sufficientiam convivantibus ; sed nequivit ipse liquor exhauriri de vase, nisi ad mensuram palmi, in ebrietate suatim Nordanhimbris, et vesperi cum lætitia recedentibus.

Cap. XIII. — Non tamen cœpit Adelwoldus abbas designatum sibi opus ædificare in diébus Ædredi regis, quia rex idem celeriter ex hac vita migravit die IX Kal. Decembris. Sed regnante glorioso rege Eadgaro, insigni et clementissimo, præpotente ac invictissimo regis Eadmundi filio, honorabile templum in honore sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ in eodem construxit loco, et consummavit, quod usque in hunc diem visu melius quam sermone ostenditur.

Cap. XIV. — Circa hæc tempora eligitur abbas Dunstanus ad episcopatum Wirgonensis Ecclesiæ juxta prophetiam sancti Elfegi episcopi, sicut supra tetigimus. Et post aliquot annorum curricula factus archiepiscopus, mansit in Cantia triginta et septem annis, quasi columna immobilis, doctrina et actione præcipuus, angelico vultu decorus, eleemosynis et prophetia præpollens : ad cujus tumbam cœlestia sæpe fieri miracula audivimus. Adelwoldus autem misit Oscarum monachum trans mare ad monasterium sancti Patris Benedicti Floriacense, ut regularis observantiæ mores illic disceret, ac domi fratribus docendo ostenderet quatenus ipse normam monasticæ religionis secutus, et una cum sibi subjectis devia quæque declinans, gregem sibi commissum ad promissam cœlestis regni patriam perduceret. In qua congregatione erat quidam frater Elfstanus nomine, simplex et magnæ obedientiæ vir, quem abbas jussit prævidere cibaria artificum monasterii, cui servitio ipse devotissime se subdens, coxit carnes quotidie, et operariis sedulus ministrabat, focum accendens, et aquam apportans, et vasa denuo sponte emundans, existimante abbate hoc illum cum solatio et juvamine alterius ministri peragere. Accidit namque quadam die, dum abbas more solito peragraret monasterium, ut aspiceret illum fratrem juxta fervens caldarium, in quo victualia præparabat artificibus, et intrans vidit omnia vasa mundissima, ac pavimentum scopatum, dixitque ad eum hilari vultu : O mi frater Elfstane, hanc obedientiam mihi furatus es, quam me ignorante exerces. Sed si talis miles Christi es, qualem te ostendis, mitte manum tuam in bullientem aquam, et unum frustum de imis mihi impiger attrahe; qui statim sine mora mittens manum suam ad imum lebetis, abstraxit frustum fervidum, non sentiens calorem ferventis aquæ. Quo viso, abbas jussit frustum deponi, et nemini hoc indicare viventi. Illum vero fratrem postmodum abbatem vidimus ordinatum, qui etiam deinde pontificali honore sublimatus, Ecclesiæ Wiltuniensi est prælatus, et beato fine (10) in domino consummatus.

Cap. XV. — Erat namque sanctus Adelwoldus ecclesiarum ac diversorum operum magnus ædificator, et dum esset abbas, et dum esset episcopus. Unde tetendit ei communis adversarius solitas suæ malignitatis insidias, ut eum, si ullo modo posset, exstingueret. Nam quadam die, dum vir Dei in structura laboraret, ingens postis super eum cecidit, et in quamdam foveam dejecit, confregitque pene omnes costas ejus ex uno latere, ita ut nisi fovea illum susciperet, totus quassaretur.

Cap. XVI. — Convaluit tamen vir sanctus de hac molestia. Dei omnipotentis adjuvante gratia, et elegit eum Eadgarus felicissimus Anglorum basileus ad episcopatum Wintoniensis Ecclesiæ, antequam ecclesia præfati cœnobii dedicaretur. Et jubente rege, consecravit illam Dunstanus archiepiscopus Dorobernensis Ecclesiæ, anno Dominicæ incarnationis nongentesimo sexagesimo tertio, sub die tertio Kalendarum Decembrium, in vigilia sancti Andreæ apostoli, quæ tunc habebatur in Dominica prima Adventus Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi. Erant autem tunc in veteri monasterio, ubi cathedra pontificalis habetur, canonici nefandi scelerum moribus implicati, elatione et insolentia atque luxuria præventi, adeo ut nonnulli eorum dedignarentur missas suo ordine celebrare, repudiantes uxores quas illicite duxerant, et alias accipientes, gulæ et ebrietati jugiter dediti. Quod minime ferens sanctus vir Adelwoldus, data licentia a rege Eadgaro, expulit citissime detestandos blasphematores Dei de monasterio; et adducens monachos de Abbandonia locavit illic, quibus ipse abbas et episcopus exstitit.

Cap. XVII. — Accidit autem Sabbato in capite Quadragesimæ (11), dum monachi venientes de Abbandonia starent ad ingressum ecclesiæ, clericos missam finire. Communionem canendo : *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore; apprehendite*

(10) Eadem totidem verbis, nec plura refert Willelmus Malmesburiensis in lib. II de Pontificibus Anglorum. cap. 4.

(11) Vides caput Quadragesimæ etiam tunc initum a Quadragesimæ Dominica prima, in qua hæc antiphona ad missæ communionem legitur.

disciplinam ne pereatis de via justa, quasi dicerent: Nos noluimus Deo servire, nec disciplinam ejus servare, vos saltim facite, ne sicut nos pereatis de via, quæ custodientibus justitiam regna facit aperiri cœlestia. Quo audito fratres gravi sunt, intelligentes a Domino suum iter esse prosperatum, et Dei nutu hunc psalmum propter illorum præsentiam fuisse decantatum, moxque Davidicum ad se traxerunt imperium. Osgaro exhortante eos atque dicente: Cur foris moramur? faciamus sicut hortantur nos canonici, ingrediamur, et per viam justitiæ gradientes, Domino Deo nostro cum timore et exsultatione famulemur, ut cum exarserit in brevi ira ejus, mereamur esse participes illorum de quibus subjungitur: *Beati omnes qui confidunt in eo.*

Cap. XVIII. — Misit quoque rex illuc cum episcopo quemdam ministrorum suorum famosissimum, cui nom erat Vulfstan Ætdelham (12), qui regia auctoritate mandavit canonicis, ut unum de duobus eligerent, aut sine mora darent locum monachis, aut suscipere habitum monachilis ordinis. At illi nimio pavore conterriti, et vitam execrantes monasticam, intrantibus monachis illico exierunt; sed tamen postmodum tres ex illis ad conversionem venerunt, scilicet Eadsinus, Vulsinus, et Wilstanus presbyter. Qui cœnobium, quod expulsi reliquerant, humili corde repetentes, Christi jugo colla subdiderunt. Nam hactenus ea tempestate non habebantur monachi (13) in gente Anglorum, nisi tantum qui in Glestonia morabantur et Abbandonia.

Cap. XIX. — Deinde cum prædicti fratres in Veteri cœnobio regularis vitæ normam servare cœpissent, et illuc multi ad Dei famulatum senes conversi, juvenes adducti, et parvuli oblati confluerent; ex invidia clericorum datum est episcopo venenum bibere in aula sua cum hospitibus prandenti, omnemque eis humanitatem exhibenti, quatenus illo exstincto servos Dei expellerent, rursumque in unum congregati pristinis libere frui flagitiis potuissent. Erat namque ei moris statim post tres aut quatuor offulas modicum quid bibere: bibitque nesciens apportatum sibi venenum totum quod erat in calice, et statim in pallorem facies ejus immutata est, et viscera illius nimium vi grassantis veneni cruciabantur. Surrexit autem vix a mensa exiens ad lectulum, serpsitque venenum per omnia membra ejus, jam instantem minitans sibi mortem. At ille tandem recogitans, cœpit exprobare semetipsum, dixitque ad animum suum: Ubi est modo fides tua? Ubi sunt cogitationes sensus tui? Nonne verba Christi vera sunt et fidelia, quibus in Evangelio pollicetur dicens: *Et si mortiferum quid biberint credentes, non eis nocebit?* Nonne ipsi qui hæc loquitur præsens est divinitate, licet absens sit corpore? Ipse procul dubio, ipse hoc veneni virus in te evacuere potest, qui semper omnia potest. His et hujuscemodi verbis accensa fides in eo, omnem lethiferum haustum quem biberat exstinxit, furentisque veneni dolore fugato surrexit, abiens ad aulam hilari vultu, nulla penitus signa palloris se intuentibus ostendens, nec quidquam mali suo venefico reddens, sed ei quod deliquit ignoscens. Sicque Dei virtute dissipatum est malignum consilium clericorum, qui videntes suam nihil prævalere nequitiam, tandiu per diversas gentis Anglorum provincias huc illucque dispersi sunt, quousque vitam finierunt.

Cap. XX. — Exinde Christi aquila antistes Adelwoldus expandit aureas alas suas, et annuente rege Eadgaro canonicos expulit de Novo monasterio, illucque monachos introduxit regulariter conversantes. Edelgarum autem discipulum suum ordinavit illis abbatem, qui postmodum provinciæ australium Saxonum episcopus, ac deinde sancto Dunstano ad cœlestia regna translato, Cantuariorum archipræsul effectus est.

Cap. XXI. — In Abbandonia vero Osgarum pro se constituit abbatem, ditatusque est locus ille sexcentis ut eo amplius cassatis, insuper et æternæ libertatis suffultus privilegiis, divina simul et regia auctoritate conscriptis; quæ laminis aureis sigillata, inibi usque hodie conservantur.

Cap. XXII. — In tertio quoque Wintoniensi cœnobio (14), quod anglice *Nunnamenster* appellatur, in honore semper virginis Mariæ Deo consecratum, mandras sanctimonialium ordinavit, quibus matrem, de qua superius paululum tetigimus, Etheldridam præfecit, ubi regularis vitæ norma hactenus observatur.

Cap. XXIII. — Nec solum in finibus occidentalium Saxonum, verum etiam in remotis partibus Britanniæ, sanctus antistes Adelwoldus ad Dei omnipotentis servitium monachos aggregare curavit. Est enim quædam regio famosa in provincia orientalium Anglorum sita, paludibus et aquis in modum insulæ circumdata, unde et a copia anguillarum quæ in eisdem paludibus capiuntur, *Elige* nomen accepit. In qua regione locus omni veneratione dignus habetur, magnificatus nimirum reliquiis et miraculis sanctæ Etheldridæ (15) reginæ et perpetuæ virginis ac sororum ejus; sed in ipso tempore erat destitutus et regali fisco deditus. Hunc ergo locum famulus Christi pro dilectione tantarum virginum magnopere venerari cœpit, datoque pretio non modicæ pecuniæ, emit eum rege Eadgaro, constituens

(12) Ælfrico: « Misit quoque rex quemdam ministrorum suorum famosissimum, Wolfstanum vocabulo, cum episcopo qui regia auctoritate, » etc.

(13) Spelmannus in tomo I Conciliorum pag. 434, ubi similia refert, id interpretatur de monachis regularibus, non de sæcularibus seu vitæ solutioris, quos in aliis locis exstitisse, et pro canonicis sæcularibus habitos fuisse constat, ut de Gallicanis in monasterio S. Dionysii et Martiniano alibi observavimus.

(14) S. Eadburgæ filiæ Eduardi regis corpus sacrum ibi requiescere legitur in Monastici Anglicani tomo I, pag. 32.

(15) S. Etheldritæ acta dedimus in sæculo II ad annum 679, ubi de Eliensi monasterio actum est.

in eo monachorum gregem non minimum. Quibus ordinavit abbatem Brithnodum præpositum suum, et ejusdem loci situm monasterialibus ædificiis decentissime renovavit, eumque terrarum possessionibus affluentissime locupletatum et æternæ libertatis privilegio confirmatum omnipotenti Domino commendavit.

Cap. XXIV. — Alterum quoque locum in regione Girviorum pretio obtinuit a rege et nobilibus terræ, positum in ripa fluminis *Nen*, cui lingua Anglorum quondam *Medeshamstede* (16) nomen imposuit, nunc autem consuete *Burch* appellatur. Cujus loci basilicam congruis domorum structuris ornatam et terris adjacentibus copiose ditatam, in honore beati Petri principis apostolorum consecravit, ibique simili modo catervam monachorum coadunavit. Ealdulfum (17) vero monachum suum eis præfecit abbatem; qui post excessum domini Oswaldi pontificis Ecclesiæ Eboracensis archiepiscopatum suscepit. Tertium nihilominus acquisivit pretio locum, juxta crepidinem prædicti fluminis situm, qui propter spineta circumquaque succrescentia *Thornig* (18) solito nuncupatum anglice vocabulo, quem pari conditione monachis aptissimum delegavit. Rectorem quoque illis et abbatem Godemmanum præposuit, constructumque monasterium in honore Dei genitricis et virginis Mariæ dedicavit, et bonorum omnium possessione gratulanter ditavit.

Cap. XXV. — Erat autem vir Dei Adelwoldus ad secreta Eadgari incliti regis sermone et opere magnifice pollens, in plerisque locis ecclesias dedicans, et ubique Evangelium Christi prædicans, juxta admonitionem Isaiæ prophetæ dicentis : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.*

Cap. XXVI. — Cujus prædicationem maxime juvit sanctus antistes Suvithunus, eodem tempore cœlestibus signis declaratus, et infra templi regiam gloriosissime translatus, ac decentissime collocatus. Ideoque gemina simul in domo Dei fulsere luminaria, candelabris aureis superposita : quia quod Adelwoldus salubri verborum exhortatione prædicavit, hoc Suvithunus gloriosa miraculorum exhibitione ad laudem nominis Christi mirifice decoravit.

Cap. XXVII. — Sicque factum, consentiente rege, ut partim Dunstani consilio et actione, partim Adelwoldi sedula cooperatione, monasteria ubique in gento Anglorum quædam monachis, quædam sanctimonialibus constituerentur sub abbatibus et abbatissis regulariter viventibus. Circumivitque famulus Christi Adelwoldus singula monasteria, mores instituens obedientes ad bonum proficere verbis admonendo, et stultos ut a malo recederent verberibus acriter corrigendo.

Cap. XXVIII. — Erat namque terribilis ut leo discolis et perversis; humilibus vero et obedientibus se quasi agnum mitissimum exhibebat, ita serpentinæ prudentiæ temperans severitatem, ut columbinæ simplicitatis non amitteret lenitatem. Quem si quando zelus rectitudinis cogeret, ut jura disciplinæ subjectis imponeret; furor ipse non de crudelitate, sed de amore processit; et intus paterna pietate dilexit, quos foris quasi insequens castigavit. Pater erat et pastor monachorum, pervigil procurator sanctimonialium et protector virginum; viduarum consolator, peregrinorum susceptor, Ecclesiarum defensor, errantium corrector, pauperum recreator, pupillorum et orphanorum adjutor; quod plus implevit opere, quam nostra parvitas sermone possit evolvere (19).

Cap. XXIX. — Accidit enim quodam tempore, ut acerba fames universam Britanniæ regionem vehementer premeret, et inopiæ magnitudo plerosque dira cade exstingueret. Vir autem Domini misertus super turbam fame valida pereuntium, omnem pecuniæ portionem quam habebat, in usus pauperum expendit. Cumque pecunia deficeret, tolli jussit ornamenta quæque et argentea vasa perplurima de thesauris ecclesiæ, eaque præcepit minutatim confringi, et in pecunias redigi. Intimo cordis suspirio sic protestabatur, se æquanimiter ferre non posse muta metalla integra perdurare, hominem vero ad imaginem Dei creatum, et pretioso Christi sanguine redemptum mendicitate et inedia perire. Emptis ergo cibis sustentavit innumerabilem multitudinem egenorum, qui periculum famis ev..dere cupientes, ad eum undique confugerant, et eos qui semineces in plateis et compitis omni solatio destituti jacebant, refocillando sublevavit, ab ipsis faucibus mortis eripiens miseros, præbens quoque cibaria quotidiana singulis : donec misericordia Dei de cœlo in terram prospiceret, et humano generi solita pietate subveniens malum inopiæ temperaret. In cujus pietatis opere sectatus imitabile exemplum beati Laurentii levitæ et martyris, qui, instante persecutionis tempore, thesauros et facultates Ecclesiæ dispersit deditque pauperibus, et justitia ejus maneret in sæculum sæculi, et cornu ejus exaltaretur in gloria.

Cap. XXX. — Verum quia Dominus, sicut Scriptura dicit, quem diligit corripit, et omnem filium

(16) De hoc monasterio agri Huntendoniensis lege Willelmum Malhesburiensem in lib. IV, De pontificibus, ubi de episcopis Dorcestrensibus, et sæculum II Benedictinum, pag. 756.

(17) De eo vide Observationes prævias ad acta S. Oswaldi episcopi infra.

(18) De Thorneiensi monasterio actum est supra in Observationibus præviis.

(19) Post hæc Ælfricus, omisso sequenti capitulo, ita subdit : « Infirmabatur sæpe in visceribus et cruribus, insomnes noctes ex dolore ducens; et in die, licet pallidus, tamen quasi sanus ambulans. Minime tamen esu carnium quadrupedum aut avium usus est nisi semel, » etc., ut infra in capite 30, At hujus capitis 29 summam refert Willelmus Malmesburiensis, qui proinde hoc auctore usus est.

quem recipit flagellat; vir Dei infirmabatur frequenter in visceribus, morbumque tumoris sustinebat in cruribus. Noctes plerumque ducebat insomnes præ dolore; et die, licet pallidus, tamen quasi sanus et nil molestiæ sentiret ambulabat, memor apostolicæ consolationis qua dicitur, quia *virtus in infirmitate perficitur*, et rursum : *Quando enim infirmor, tunc fortior sum et potens*, et iterum : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*. Et quamvis acri pulsaretur molestia, minime tamen esu carnium quadrupedum aut avium usus est, nisi semel, cogente maxima infirmitate per tres menses : (quod et fecit jussu Dunstani archiepiscopi) et iterum in infirmitate qua obiit.

CAP. XXXI. — Dulce namque erat ei adolescentes et juvenes semper docere, et Latinos libros Anglice eis solvere, et regulas grammaticæ artis ac metricæ rationis tradere, et jocundis alloquiis ad meliora hortari. Unde factum est, ut perplures ex discipulis ejus fierent sacerdotes atque abbates, et honorabiles episcopi, quidam etiam archiepiscopi in gente Anglorum.

CAP. XXXII. — Placuit inter hæc omnipotenti Deo, ut cœlesti etiam monstraretur indicio, quod ei beneplacitum esset habitare in sancto suo. Nam cum iter quoddam sacer antistes ageret, ut in agro Dominico semen verbi Dei spargeret; contigit (29) clericum ejus, cui sanctum chrisma fuerat designatum, minus olei quam necessitas poscebat accepisse, et hoc parum quod acceperat in ipso itinere perdidisse. Cumque Christi famulus ad destinatum pervenisset locum, post missæ celebrationem, postque dulcia sanctæ prædicationis alloquia, jussit ex more ad confirmandos pueros oleum sibi exhibere. Sed clericus qui ampullam se secum ferre æstimabat, repente quod eam perdidisset agnovit. Turbatus ergo celerrime repetiit iter unde venerat, et diligenter huc illucque circumspiciens, invenit ampullam chrismatis in via jacentem oleo plenam, cujus medietas quidem paulo ante quidquam liquoris habuerat. Qua assumpta, cum timore et gaudio magno reversus est sancto antistiti satisfaciens, et cœlestis stillicidii miraculum veraci relatione pandens. Quod Dei nutu gestum esse probatur, ut qui Spiritus sancti gratia perfundebatur, ejusque unctione corda et facies multorum exhilarabat; ipse non solum interius, sed etiam exterius oleo supernæ lætitiæ remuneraretur.

CAP. XXXIII. — Quidam monachus (21) sub ejus magisterio degebat, qui dæmonico instinctu furti reatum perpetravit. Unde et omnem congregationem magna tristitia dolor invasit, dum quisque subjectus ab altero fratre geri putaret, quod se nequaquam fecisse procul dubio scivit. Pro qua re sanctus antistes in conventu fratrum modestam correptionem mandavit, ut si quis furti illius sibi conscius esset, rem quam abstulerat quantocius cum Dei benedictione redderet, aut in tali loco eam projiceret, ubi inveniri potuisset. Ille vero frater obstinato corde seipsum induravit, et mandatum viri Dei servare neglexit. Transactis itaque tribus diebus et tribus noctibus, cum res furata minime esset inventa, locutus est vir sanctus in capitulo coram omni multitudine fratrum, terribili indignatione et comminatione inquiens : « Noluit sacrilegus ille pecuniam quam furatus est reddere cum benedictione sicut jussimus; reddat eam modo cum Dei omnipotentis maledictione, et sit ipse ligatus non solum in anima, sed etiam in corpore nostra auctoritate. Quid multa? dixerunt fratres : Amen. » Et ecce monachus ille sedens invisibiliter ligabatur, brachiis sibi invicem adhærentibus sub cuculla sua, mansitque stupidus, cogitans quid agere deberet. Omnia tamen reliqua membra sua mobilia et ad usum apta habebat, exceptis brachiis, quæ vir sanctus auctoritate sibi a Deo collata ligavit, et inutilia reddidit. Tandem finito capitulo surrexit, miser ille [sic ligatus, et exiens post sanctum episcopum confessus est ei secreto se fuisse reum, seque latrocinii perpetrasse reatum : nihil tamen ei de ligatione, qua tenebatur astrictus, indicans. Episcopus autem videns eum nimio terrore correptum, sicut ei moris erat pœnitentibus et flentibus clementer ignoscere, et misericordiæ visceribus condolere, blando sermone respondit : « Modo saltim bene fecisti, licet sero confitendo peccatum tuum : habeas nunc nostram benedictionem. » Et statim soluta sunt brachia illius episcopo nesciente. At ille exiens inde vehementer gavisus est, narravitque per ordinem de sua ligatione et solutione cuidam fratri nomine Wlfgaro [*al.* Wfaro], qui admonuit hoc magis silentio esse celandum, et congruo postmodum tempore detegendum. Qua ex redatur intelligi, cujus meriti vir iste fuerit ante Dominum, qui solo sermone tantam virtutem, licet nesciens, ostendit. Nam quia pastoralem sancti regiminis curam fide et moribus digne custodivit, profecto beati Petri principis apostolorum vicem, ligando atque solvendo obtinuit.

CAP. XXXIV. — Igitur cum vir Dei magno conamine veterem renovare decrevisset ecclesiam, jussit fratres frequenter laboribus una cum artificibus et operariis insistere, quibus certatim laborantibus, opus ædificii paulatim in sublime excrevit, plurimis hinc inde suffultum oratoriis, in quibus sanctorum venerantur suffragia cunctis fideliter accedentibus profutura. Contigit autem quadam die, dum fratres starent ad summum culmen templi cum cæmentariis, ut unus eorum, Godus nomine, caderet a summis

(20) Ælfrico : « Contigit aliquando clericum ejus, cui designatum erat ampullam ejus ferre, minus olei accipere, etc., quæ nec medietatem antea habuerat. » Mos erat quondam episcopis, ut nunquam sine chrismate proficiscerentur. Concilium Arausicanum I, can. 2, « Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium sine chrismate usquam debet progredi. » Lege præfationem Sæculi I, num. 101.

(21) Ælfricus : « Quidam monachus sub eo degens, Eadwinus nomine, marsupium cujusdam hominis instinctu dæmonico furatus est, » etc.

usque ad terram. Qui mox ut terram attigit, incolumis surgens stetit, nil mali passus de tanta ruina; seque crucis signaculo benedixit, admirans quid ibi ageret, vel qualiter illuc venerit. Et cunctis qui aderant videntibus, ascendit ad locum ubi antea steterat; et accipiens trullam, operi quod inchoaverat, diligentius insistebat. Cui ergo hoc miraculum ascribendum est, nisi illi, cujus jussu ad opus obedientiæ exivit? qui idcirco lædi non potuit, quia hunc in casu suo viri Dei meritum portavit, et a periculo ruinæ incolumen protexit.

Cap. XXXV. — Tempore quodam hiemali cum fratres secundum regulæ edictum temporius ad vigilias surgerent (*Regulæ S. Bened.* cap. II), et nocturno intervallo psalmodiæ et lectioni inservirent; quidam monachus, nomine Teodricus, ad Dei hominem perrexit, volens indiciis de quadam necessitate ei indicare, eumque luminis candelabrum manu tenentem reperit et legentem, et sedula agilitate palpebrarum seniles obtutus acuentem: ibique diutius stetit, attendens quam studiose oculos paginæ infigeret. Surrexit tandem vir sanctus a lectione, et ille frater residens accepit candelam, cœpitque legere, probans utrum et ipse posset oculos suos sanctos ad legendum tam diligenter acuere, sicut episcopum suos caligantes fecisse viderat. Sed illa temeritas non impune evenit illi. Nam sequenti nocte, cum membra sopori dedisset, apparuit ei quidam vultu incognitus, terribili comminatione dicens ad eum: «Qua temeritate præsumpsisti exprobrare episcopum præterita nocte in legendo! » Cumque tremefactus se hoc fecisse negaret, ille torvis in eum intuens luminibus: « Non potes, inquit, me fallendo ludere, sicut æstimas: sed hoc signum tuæ præsumptionis habeas. » Et hæc dicens incussit violenter ictum oculis ejus digito suo, statimque dolor oculorum validus secutus est, qui cum multis diebus vehementer affligebat, donec satisfactione culpam deleret, quam in sanctum virum incaute commisit.

Cap. XXXVI. — Item accidit cum famulus Christi nocturno tempore lectioni operam daret, eum ob nimiam vigilantiam obdormisse, et candelam ardentem de candelabro super librum in quo legerat cecidisse. Quæ tamdiu ardens super folium jacebat, donec unus frater, nomine Leofredus, adveniret. Qui festinus accepit candelam adhuc flammantem de libro, et intuitus aspexit favillas ipsius candelæ per multas lineas jacentes, et exsufflans eas invenit paginam illæsam. Qua in re meritum sancti viri patuit, quia ardentem candelam flumma consumpsit, et tantum vim virtutis suæ ne paginam læderet amisit.

Cap. XXXVII. — Hæc Christo largientes breviter retulimus, ut et præsentes et futuros quoque fideles ad amorem et reverentiam tanti Patris humili devotione incitaremus. Non enim facile nobis occurrit explicare, quanta vel qualia sanctus Adelwoldus sustinuerit pro monachorum defensione pericula, aut quam benigna diligebat affectu studiosos et obedientes fratres, aut quantum in structura monasterii elaboraret ecclesiam reparando aliasque domos ædificando; aut quam pervigil erat in orationibus, et quam devote hortabatur fratres ad confessionis remedium, aut quam multa millia animarum diaboio subtraxerit, easque Deo redditas cœlo intulerit. Sed ex his paucis plura cognosci possunt, quæ a nobis enarrari nequeunt (22).

Cap. XXXVIII. — Oportebat namque impleri somnium, quod sacer Dunstanus ille gloriosus et angelicus Angelorum gentis archiepiscopus olim de eo se vidisse perhibebat. Nam cum esset abbas monasterii Glestoniensis, et sub ejus regimine militaret omnipotentis Dei famulus Adelwoldus, sicut supra narravimus, vidit in somnis extra dormitorium positus, quasi quamdam miræ celsitudinis arborem, quæ ramos suos expandere visa est ad orientem et occidentem, septentrionem et meridiem, super universam Britanniæ regionem vasta longitudine et latitudine extensa. Cujus arboris rami innumeris erant majoribus atque minoribus cucullis(23) onusti, ipsa vero arbor in summo cacumine gestabat unam prægrandem cucullam, quæ manicarum velamento supereminens protegebat cæteras, et ingenti proceritate supergrediens universas, ipsum contingebat cœlum. Vir autem Domini, Dunstanus, super tali visione vehementer attonitus, interrogabat hæc sibi demonstrantem canis angelicis decoratum presbyterum dicens: « Quæso, venerande senior, quæ est hæc robusta et sublimis arbor, cujus rami longe lateque expansi tam innumerabiles cucullas sustinere cernuntur. » Cui ille respondit: « Arbor hæc quam vides, abba Dunstane, situm designat hujus insulæ: magna autem cuculla, quæ in hujus arboris summitate erigitur, ipsa est monachi tui Adelwoldi, quæ in hoc monasterio devote Christo famulatur; reliquæ vero cucullæ, quibus hi rami videntur onusti, multitudinem designant monachorum, qui ejus eruditione sunt instruendi, et undique in hac regione ad omnipotentis Dei servitium congregandi; ejusque ducatu perventuri sunt ad gloriam regni cœlorum, et ad societatem cum Christo regnantium spirituum beatorum. » Quo accepto responso, vir sanctus evigilat, visionem tacitus secum considerans, eamque postmodum fideli relatione fidelibus indicans. Quæ succedente tempore fama vulgante multis innotuit, et tandem ad nostræ quoque parvitatis notitiam pervenit.

Cap. XXXIX. — Nec minus et aliud oportebat impleri somnium, quod ipse vir Dei sanctus Adelwoldus de se nobis quadam vice referebat, inquiens:

(22) Id commemorat Willelmus Malmesburiensis in lib. II de Pontificibus Anglorum.

(23) Ælfricus inde cæteris omissis sancti obitum ita præstringit: « Obiit autem vigesimo secundo anno sui episcopatus, tertio Kalendas Augusti, regnante Ælredo rege Anglorum, sepultusque in ecclesia beatorum Petri et Pauli, » etc.

« Putabam me stare juxta littus maris, ubi mihi videbatur adesse quædam maxima navis, in qua multitudo copiosa piscium, et maxime anguillarum conclusa tenebatur ab imo usque ad summum. Cumque mecum tacitus cogitarem, quid sibi vellet hoc somnium quod videbam, repente audivi vocem meo nomine me vocantem, mihique dicentem : Adelwolde, Adelwolde, hoc tibi mandatum cœlitum a Deo missum est. Excita hos pisces quibus hæc navis quam cernis impleta est, et orationibus tuis effice ut sint homines, sicut antea fuerunt. Cujus jussioni mox ego obtemperans, steti pro eis ad orationem, et lacrymarum imbre perfusus, ingemiscens dixi : Domine Jesu, cui nihil est impossibile, respice propitius ad animas diabolica fraude deceptas, quæ a sensu humanæ rationis alienatæ sunt, et more bestiali in lubrico hujus sæculi cœno miserabiliter involvuntur. Ne, quæso, bone Jesu, permittas, ut de eis triumphans glorietur humani generis inimicus, sed per tui sancti nominis omnipotentiam resuscitentur ad vitam, ut somnium æternæ mortis evadentes, te verum et unicum mundi Salvatorem cognoscant, et deinceps semper ad tranquillum salutis tuæ portum confugientes, ab omnibus mundi perturbationibus immunes existant, et sub tua gubernatione securæ permaneant. Tuum est enim, Christe, mortuos vivificare, et imaginem tuam quam creasti, in decorem suum pristinum reformare, qui venisti in hunc mundum peccatores salvos facere, et dira mortis supplicia passus in cruce dignatus es fundere sanguinem tuum pretiosum pro salute omnium nostrum. Cum hæc et his similia orationis verba compuncto corde et spiritu humilitatis effunderem, ecce quos antea pisces in luto fæcis et in lacu miseriæ videram involutos, subito homines effectos et a morte resuscitatos video : surrexitque de navi et perrexit festinanter ad terram copiosa hominum multitudo, quorum multos specialiter agnoveram : inter quos unus retrorsum cadens, iterum in anguillam versus est, ille videlicet Adelstanus, qui mecum presbyter quondam fuerat ordinatus, quem deinceps nullo modo excitare, nec ut homo fieret poteram efficere. Reliqui vero omnes unanimiter levaverunt vocem in cœlum, manibus plaudentes, et gratias omnipotenti Deo referentes, quia per ejus ineffabilem clementiam et per meæ parvitatis adventum meruerunt a morte ad vitam revocari et humanæ rationi quam amiserant, restaurari. Ego autem gaudens in Domino, et congratulans illis evigilo, hancque visionem vobis, o filioli mei ! idcirco refero, ut et vos cum bonorum operum cultu perseverantes in sancto proposito, quo per gratiam Dei possitis in eorum numero computari, qui mihi licet indigno commissi sunt, ut de sæculi hujus cœnulenta voragine libenter et in [illegible] salventur. Hæc quæ notavimus somnia tunc quidem visa sunt : sed ex eo tempore usque hodie impleri non cessant, dum quippe divino fervore plures festinant mundum relinquere, cœnobialem vitam ducere ; et dum populares quique satagunt a malo declinare, et bonum facere, et humiliter Regi regnum, Christo, colla subdere : quatenus et monachi simul et laici sequentes sancti Patris Adelwoldi vestigia, cœlestis regni sempiterna mereantur adipisci gaudia.

CAP. XL.— Anno Dominicæ incarnationis nongentesimo octogesimo, renovata et constructa est ecclesia Veteris cœnobii, novem pontificibus eam solemniter cum magna gloria dedicantibus : quorum primi et præcipui arcem tenebant Dunstanus archiepiscopus, et ipse sanctus Adelwoldus episcopus, sub die XIII Kalendarum Novembrium, in præsentia regis Adelredi, et in conventu omnium pene ducum, abbatum, comitum primorumque optimatum universæ gentis Anglorum, qui eamdem biduo cum omni gaudio celebraverunt dedicationem : de qua et nos in Domino congratulantes, hoc carmen cecinimus :

Præsul Adelwoldus sacro aspiramine plenus.
  Fecit ovans opera multa Deo placita.
Istius antiqui reparavit et atria templi
  Mœnibus excelsis culminibusque novis.
Partibus hoc Austri firmans et partibus Arcti,
  Porticibus solidis arcubus et variis.
Addidit et plures sacris altaribus ædes,
  Quæ retinent dubium liminis introitum.
Quisquis ut ignotis hæc deambulat atria plantis,
  Nesciat unde meat, quove pedem referat.
Omni parte fores quia conspiciuntur apertæ,
  Nec patet ulla sibi semita certa viæ.
Huc illucque vagos stans circumducit ocellos,
  Attica dedalei tecta stupetque soli.
Certior adveniat donec sibi ductor, et ipsum
  Ducat ad extremi limina vestibuli.
Hic secum mirans, cruce se consignat, et unde
  Exeat attonito pectore scire nequit.
Sic constructa micat, sic et variata coruscat
  Machina, quæ veterem sustinet ecclesiam.
Quam Pater ille pius summa pietate refertus,
  Nominis ad laudem celsitonantis heri
Fulcivit, texit, dotavit, eamque sacravit,
  Et meruit templi solvere vota sui,
Regis Edelredi facie præsente modesti,
  In regni solio qui superest hodie.
Illic pontifices aderant terni ter ovanter,
  Complentes sanctum rite ministerium.
Quorum primus erat, vultu maturus et actu
  Canitie nivens Dunstan et angelicus.
Hunc comitatus ovans Anglorum lucifer adstat,
  Domnus Adelwoldus corde benignivolus.
Post alii septem, quorum hic sunt nomina scripta
  Carmine versifico cum pede dactylico.
Elfstan, Edelgarus, rursumque Elfstanus et Æswig
  Ælfech, Edelsimus, hic et Athulfus erat.
Et tandem decimus Poca venit episcopus illuc,
  Nulla laboris agens, pocula multa bibens.
Post alii plures aderant proceresque ducesque,
  Gentis et Anglorum maxima pars comitum.

Quos e concilio pariter collegeret illo.
  Quod fuerat vico regis in *Indeceran*,
Idem pastor ovans ac sæpe canendus Adelwold,
  Sicut ei Domini gratia contulerat.
Et celebrant cuncti solemnia maxima templi,
  Plaudentes Domino pectore laudifluo.
Lætanturque bonis super omnibus ille benignus,
  Quæ statuit cunctis præsul opima dari,
Fercula sunt admista epulis, cibus omnis abundat,
  Nullus adest tristis, omnis adest hilaris.
Nulla fames, ubi sunt cunctis obsonia plenis,
  Et remanet vario mensa referta cibo.
Pincernæque vagi cellaria sæpe frequentant,
  Convivasque rogant ut bibere incipiant.
Crateras statuunt, et dulcia vina coronant,
  Miscentes potus potibus innumeris.
Sicque dies alterque dies processit in hymnis,
  Et benedixerunt omnia corda Deum.
Omnibus expletis tandem solemniter hymnis,
  Quos in honore Dei vox sonuit populi.
Unusquisque suas alacer remeavit ad oras,
  In Domino gaudens pectore et ore canens.
Nunquam tanta fuit talisque dicatio templi,
  In tota Anglorum gente patrata, reor,
Qualis erat Wenta celebrata potenter in urbe
  In sancti Petri cœnobio Veteri.
Quod Deus omnipotens sic protegat immaculatum,
  Hoc ut eo dignum juge sit hospitium.
Et quicunque humiles hoc ingrediuntur asylum
  Exsultent plenæ participes veniæ.

Hæc de renovatione et dedicatione Veteris ecclesiæ edita, hic inserere opportunum duximus. Exinde superna pietas sancto pontifici tantam contulit gratiam, ut sublimes illi sæcularium potestatum principes, duces, tyranni, atque judices, et omnis qui ei hactenus contrarii et in via Dei resistere videbantur, subito velut oves ex lupis efficerentur, et eum miro affectu venerarentur; ejusque genibus colla submittentes, ad dexteram illius humiliter exosculantes, orationibus se viri Dei in omnibus commendarent.

Cap. XLI. — Eodem vero tempore quo sanctus antistes Adelwoldus de hac mortali vita erat exiturus, et laborum suorum præmia a Deo percepturus, venit ad villam quæ consueto nomine *Beaddingtun* appellatur, sexaginta millibus ab urbe Wintonia distans. Ibi ergo cum aliquandiu moraretur, acri cœpit infirmitate gravari; et sacrati olei liquore perunctus, Dominici corporis et sanguinis perceptione exitum suum munivit. Sicque valefaciens, et dans pacem filiis suis, inter verba orationis spiritum cœlo reddidit in Kalendis Augusti, anno Dominicæ incarnationis nongentesimo octogesimo quarto, episcopatus autem sui vicesimo secundo, regni moderamina gubernante Ædelredo rege Anglorum. Testati vero nobis sunt qui ibi præsentes aderant, exanime corpus sancti viri subita immutatione fuisse renovatum, lacteo candore perfusum,

A roseoque rubore venustum, ita ut quodam modo septennis pueri vultum prætendere videretur, in quo jam quædam resurrectionis gloria per ostensionem mutatæ carnis apparuit. Jam vero dici non potest, quanta ad exsequias ejus hominum multitudo convenerit. Undique certatim ex vicinis oppidis et castellis simul in unum divites et pauperes, ultimum vale pastori suo dicturi confluxerant. Omnes enim dolore et amaro animo sequebantur feretrum, incomparabili thesauro pretiosum, sacrosanctis Evangeliis et crucibus armatum, palliorum velamentis ornatum, accensis luminaribus et hymnis cœlestibus atque psalmorum concentibus hinc inde vallatum. Quibus sequenti die Wintoniam ingredientibus obviam corpori tota simul civitas unanimiter occurrit.
B Hinc ejulantes turbas conspiceres monachorum; inde pallida agmina virginum; hinc audires in excelso voces psallentium clericorum; inde gemitum flentium pauperum, et ululatum vociferantium egenorum, qui pastoris sui præsentia se privari non sustinentes, dabant infinitos lacrymarum clamores ad cœlum. Perductus est ergo vir Dei cum cœlestibus exsequiis in ecclesiam beatorum apostolorum Petri et Pauli ad sedem suam episcopalem, et expletis vigiliarum missarumque solemniis, sepultus est in crypta ad australem plagam sancti altaris, ubi eum requiescere debere, sicut ipse vobis retulit, olim sibi cœlitus ostensum est.

Cap. XLII. — Anno duodecimo post obitum gloriosi pontificis Adelwoldi, placuit supernæ dispensationi illum per cœlestia signa revelari, ejusque ossa
C de sepulcri munimine levari, ut lucerna quæ ad tempus sub modio latebat, super candelabrum poneretur, quatenus luceret omnibus qui in domo sunt. Est enim civitas quædam modica, commerciis abunde referta, quæ solito *Weallingaford* appellatur, in qua vir strenuus quidam morabatur, cui nomen erat Elehelmus qui casu lumen amittens oculorum, cæcitatem multis perpessus est annis. Huic in somnis tempore gallicinii sanctus Adelwoldus antistes astitit, eumque ut maturius Wintoniam pergeret, et ad ejus tumbam gratia recipiendi visus accederet admonuit, dicens : « Idcirco te in statu tuo recubantem visito, et quæ tibi ventura sunt prænuntio, ut per tuæ salutis signum manifestetur, quia me oportet levari de tumulo in quo jaceo. » Qui hæc au-
D diens, et vocem secum loquentis agnoscens, sancto Patri gratias egit, quod eum visitare dignaretur; et quia ubi sepultus esset, penitus ignoravit, qualiter sepulcrum ejus scire et adire potuisset diligenter inquisivit : cui protinus vir Dei nomen alumni et monachi sui innotuit, cujus hactenus homo ille nescius existit, eique dixit : « Cum festinus Wintoniam perveneris, et Veteris cœnobii ecclesiam intraveris, accersiri fac ad te monachum quemdam Wlesfanum, cognomento Cantorem. Hic cum ex ore tuo verba meæ legationis audierit, te mox indubitanter ad meum perducet tumulum, ubique recipies lumen oculorum tuorum. » Quid multa? credu-

lus vir ille verbis et promissionibus sacri pontificis. Wintoniam citius addit, ecclesiam intravit, fratrem prædictum accersivit, accersitumque postulavit, ut missatica beati Patris impleret, narrans ei et cunctis astantibus ordinem visionis. Erat enim vespera, in qua nativitas sacratissimæ Dei genitricis et perpetuæ virginis Mariæ, per totum mundum solemniter et dignissime celebratur. Ille vero frater admirans, inter spem et timorem se medium posuit, et vicino obedientiæ pede jussis sancti pontificis humiliter obtemperans, ad antrum sarcophagi perduxit cæcum, qui pernox ibidem in oratione permansit, et mane facto jam amplius ductore non indigens, ad propria cum gaudio reversus est videns, corde et animo Dominum benedicens.

Cap. XLIII. — Hæc revelatio longe lateque divulgata est, quæ tam evidenti miraculo fuerat comprobata. Exinde famulus Christi prædicto fratri Wilstano, et plerisque aliis per nocturnam visionem manifestus apparuit, illisque per hæc et hæc indicia aperuit, quia supernæ complaceret voluntati eum de tumulo transferri, et digne in ecclesia collocari. Venerandus ergo pontifex Elfeagus successor ejus animo sagaci talia secum pertractans, humillimas alacri corde omnipotenti Christo gratias reddidit, eo quod suo tempore dignaretur cœlestibus signis sanctum suum mirificare. Nec mora; fratrum cleri, plebisque multitudine congregata, reliquias sancti præsulis Adelwoldi sub die quarta Iduum Septembrium honorifice transtulit, easque in choro ecclesiæ collocavit: ubi in magna veneratione habentur usque in præsentem diem, ubi etiam nobis intuentibus cœlestia sunt perpetrata miracula, e quibus dua breviter ad firmitatis indicium perstrinximus.

Cap. XLIV. — Erat eo tempore in Wentana urbe puella quædam parvula, cujusdam Adelwardi domestici filia, quæ nimis infirmabatur, et usque ad mortem pene torquebatur. Hæc a matre deducta ad viri Dei tumulum, obdormivit paululum. Protinus evigilans sana surrexit, et gaudens cum genitrice domum rediit.

Cap. XLV. — Puer etiam quidam parvulus, Ælffini cujusdam mansueti et modesti viri filius, in ipsa infantia lumine est privatus, et maternis ulnis ad venerandi Patris Adelwoldi sepulcrum perductus. Mirum dictu, mox caligo cæritatis abscessit, et oculos pueri veniens splendor lucis aperuit, omni populo congaudente, et tota devotione Christo, qui cuncta potest, fideliter gratias agente.

Cap. XLVI. — Nec silentio prætereundum est, quod prædictus sancti viri successor Elfagus antistes, quemdam furem pro multiplici reatu flagellis cæsum, mitti jussit in cippum acrioribus suppliciis cruciandum. Cumque diu sic in pœnis jacuisset damnatus, quadam nocte venit ad eum in visione sanctus Dei pontifex Adelwoldus, et ait illi: « Miser, cur tanto tempore sic in trunco jaces extensus? » At ille recognoscens sanctum virum, quem sæpe viderat in vita mortali, respondit: « Dignas, domine mi, sustineo pœnas, et justo judicio episcopi sic torqueor, quia frequenter in furtis deprehensus sum, et ab eis non cessavi: sed mala quæ feci iterum atque iterum repetivi. » Tum sanctus: « Cessa, inquit, vel modo miser a furtis, cessa, et sis solutus a nexu compedis hujus. » Surrexit illico miser ille absolutus, et exiens inde venit, et procidit ante pedes Ælfeagi episcopi, narravitque ei rem gestam circa se per ordinem, et ille pro honore tanti Patris sivit eum abire indemnem. Constat ergo sanctum hunc æternæ vitæ conjunctum virtute meritorum suorum, posse nos a peccatorum nostrorum vinculis solvere, et ad cœlestia regna perducere, cui adhuc in carne degenti cœlitus concessa est potestas ligandi atque solvendi, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo coæterno Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Incipit hymnus in honore S. Adelwoldi præsulis elegiaco et parætérico carmine per alphabetum compositus,

Alma lucerna micat, lumen populoque ministrat
  Præsul Adelwoldus, alma lucerna micat.
Belliger iste Dei victricia bella peregit,
  Acer in arma ruit belliger iste Dei.
Cujus ab ore sacro fluxerunt dogmata vitæ,
  Hausimus omne bonum cujus ab ore sacro.
Dulcia corde pio resonemus cantica Patri,
  Carmina cantemus dulcia corde pio.
Ecce coruscat apex tibi pontificalis abunde
  Hinc illincque tuus ecce coruscat apex.
Fons et origo boni te verba serente cucurrit,
  In te manavit fons et origo boni.
Gloria perpes erit tibi nunc ideoque per ævum
  Quam merito retines, gloria perpeserit.
Hujus amore gregis sprevisti spicula mortis,
  Pellens hinc fortes hujus amore gregis.
Inclytus atque potens te rex adamavit Eadgar,
  Te monitore vigens inclytus atque potens.
Kastra Dei reboant te constituente celeuma,
  Davidicumque melos castra Dei reboant.
Laudibus innumeris tibi turba monastica plaudit,
  Conjubilatque tibi laudibus innumeris.
Mœnia celsa domus tua cura levaverat hujus,
  Hæcque dicavit ovans mœnia celsa domus.
Nocte dieque sacrum celebrasti pectoris hymnum,
  Solvens officium nocte dieque sacrum.
Omnibus inque locis sparsisti semina lucis,
  Expuleras tenebras omnibus inque locis.
Pervigil esto tuis, petimus, defensor alumnis,
  Protector famulis pervigil esto tuis.
Quæque nocent, reseca, quæ sunt et commoda, [præsta;
  Quæ bona sunt, revoca, quæque nocent, reseca.
Rector apostolicæ felix et janitor aulæ
  Hujus et Ecclesiæ rector apostolicæ,
Solve tuos famulos Petri vice, solve ligatos,
  Nos a peccatis solve tuos famulos.

Te duce, stelliferi scandamus ut atria cœli,
Participes regni, te duce, stelliferi.
Versibus hymnidicis hæc carmina pangimus, et te
Patronum colimus versibus hymnidicis.
Christicolas animas quia multiplicare solebas,
Ad cœlos revocans Christicolas animas.
Ydra nocens fugiat, ne nos per devia ludat :
Nos tua dextra tegat, hydra nocens fugiat.
Elus obesse nequit, Christo superante malignum :
Christus adest victor, zelus obesse nequit.
Aspice, sancte Pater, quæ nos adversa fatigant :
Quæ mala nos lacerant, àspice, sancte Pater.
Mitis adesto tuis tibi qui famulantur alumnis.
Qui te collaudant, mitis adesto tuis.
Eripe, pastor, oves, animo quas semper amasti,
Et quas nutrieras eripe, pastor, oves.
Nomina nostra notet quo Christus in arce polorum
Cum sanctisque suis nomina nostra notet. Amen.

Hymnus vespertinalis Saphico metro endecasyllabo editus, Adonium quarto continens in loco.

Inclytus pastor populique rector,
Cujus insignem colimus triumphum.
Nunc Adelwoldus sine fine lætus
Regnat in astris.
Qui Pater noster fuit et magister,
Exhibens sacræ documenta vitæ,
Et Deo semper satagens placere
Corde benigno.
O diem sanctum, celebrem, coruscum,
Quem Dei nobis pietas sacravit,
Ut Patri tanto mereremur almum
Promere cantum !
Nunc eum nisu rogitemus omni,
Abluat nostrum pius ut reatum,
Et sua sancta prece nos ad altum
Ducat olympum.
Sit Deo soli decus et potestas,
Laus in excelsis, honor ac perennis,
Qui suis totum moderans gubernat
Legibus orbem. Amen.

Cœli senator inclyte, sancte Pater Ecclesiæ
Adelwolde, supplices tuos exaudi servulos.
Jam sidus inter sidera, resplendes super æthera,
Nobis benignus impetra Paracleti charismata.
Pronis rogamus mentibus hic coram tuis artubus,
Nostris adesto precibus serenus ac propitius.
Ut tuis necessariis protecti patrocinis,
Ad cœlorum perpetua perveniamus gaudia,
Præstet nobis Ingenitus hoc atque Unigenitus,
Sanctus amborum Spiritus, trinus et unus Dominus.
Amen.

Oremus.

Deus, qui præclari sideris sancti pontificis Adelwoldi illustratione, novam populis Anglorum tribuisti lucem hodierna die clarescere : suppliciter imploramus clementiam, ut cujus magisterio totius re-
A ligionis documenta cognovimus, unus et exemplis informemur, et patrociniis adjuvemur. Per.

Ad missam.

Deus, qui hodiernam diem beati confessoris tui Adelwoldi episcopi transitu nobis honorabilem dedicasti : concede propitius, ut cujus eruditione veritatis tuæ luce perfundimur, ejus intercessione cœlestis vitæ gaudia consequamur. Per.

Secreta.

Oblata servitutis nostræ munera tibi, Domine, quæsumus annua sancti Patris nostri Adelwoldi episcopi solemnitas commendet accepta : ut ejus pia supplicatione muniti, cunctorum nostrorum remissionem peccatorum et beatitudinis sempiternæ mereamur obtinere consortium. Per. B

Præfatio.

V. D. æterne Deus, quoniam adest nobis jucunda et votiva præsentis diei lætitia, quam Apostolici culminis honore sublimem, roseoque martyrii cruore solemnem, gloriosi potificis Andelwoldi moderna celebritate consecrasti, et spem nobis tantæ fiduciæ contulisti, ut nos paternis ejus suffragiis, et a peccatorum nostrorum nexibus solvas et ad cœlestia regna perducas. Per Christum.

Postcommunio.

Refectos, Domine, vitalis alimoniæ sacramentis, sancti confessoris tui Adelwoldi intercessione gloriosa nos protege, et ad æternum cœlestis mensæ convivium pervenire concede. Per.

D *Alia.*

Gregem tuum, Pastor æterne, pii suffragatoris Adelwoldi Patris nostri defensione guberna, quæsumus, Domine, ut cujus benevolentia provocati superni amoris dulcedine pascimur, ejus interveniente patrocinio, et a temporalis vitæ perturbationibus eruamur, et mansuris supernorum civium gaudiis inseramur. Per.

IV IDUS SEPTEMBRIS, IN TRANSLATIONE SANCTI ADELWOLDI.

Deus, qui nobis sanctum pontificem tuum Adelwoldum salutis æternæ doctorem tribuisti : concede propitius, ut cujus annuæ translationis solemnia colimus, ejus semper meritis adjuvemur et precibus. Per.

C *Super oblatam.*

Sacrificium nostrum tibi, Domine, quæsumus, sancti Patris nostri Adelwoldi episcopi commendet oratio : ut nobis eo suffragante fiat sanctæ majestatis tuæ propitiatio, et peccatorum nostrorum exoptata remissio. Per.

Præfatio.

Votivam beati pontificis Adelwoldi translationem pia veneratione celebrantes, teque cernua devotione exorantes, ut ipsum nos apud clementiam tuam sentiamus habere patronum, quem tua gratia largiente salutis æternæ meruimus suscipere magistrum. Per Christum.

Postcommunio.

Ut hæc communio nos, Domine, tibi dignos efficiat, beatus Pater noster Adelwoldus suffragio, quæsumus, piæ intercessionis obtineat. Per.

De horis peculiaribus.

Præterea beatus Pater Adelwoldus horas regulares et peculiares sibi ad singulare servitium instituit, quas in tribus cursibus ordinavit : humillima diligentia quosque subjectos admonens, ut hoc secreto famulatu ignitis Satanæ tentamentis vigilanter resisterent, et ea per Dei gratiam resistendo superarent, et ut fides quæ per nostri Creatoris et piissimi Redemptoris incarnationem luce clarius enituit, instante futuræ persecutionis tempore quæ jam vicinis A Atichristi temporibus ingruit, nullo modo, quod absit, titubando vacillet, sed his divinis roborata præconiis integra jugiter et inviolata permaneat. Est enim primæ psalmodiæ cantilena ad laudem beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ procurata; secunda autem ad honorem beatorum apostolorum Petri et Pauli omniumque nostri Salvatoris humanitati præsentialiter famulantium; tertia vero ad suffragia omnium sanctorum postulanda, ut eorum pia intercessione protecti, multiformem versipellis Antichristi et membrorum ejus fallaciam expugnare, et Christo remunerante cœlestium præmiorum palmam mereamur accipere. Quæ videlicet horæ plerisque in locis habentur ascriptæ, et ideo in hoc codicello sunt prætermissæ.

Tropi.

Patris adest votiva dies, cantemus ovantes. *Statuit ei.*
Pontificem templo sibi quem sacravit in isto. *Et principem.*
Inter apostolicos stola splendente hierarchos. *Ut sit illi.*
Adelwolde, pia prece nos defende misellos. *In æternum.*
Præsul Adelwoldus quia fulsit in ordine magnus. *Statuit ei.*
Constituens illum hodie super æthra polorum. *Et principem.*
Gloria, splendor, honor, decus et veneratio perpes. *In æternum.*

EPISTOLA WOLSTANI MONACHI WENTANI

AD ELFEGUM WENTANUM EPISCOPUM

Libro de Vita S. Swithuni præfixa, in qua multa de sancto ETHELWOLDO.

Incipit ad dominum specialis epistola Patrem,
Elfegum, Wenta residet qui prœsul in urbe,
De sancti Patris Swithuni insignibus, et de
Basilica Petri, reserat qui limen Olympi,

Domino pontifici, Wentanam principe Christo
Qui regit Ecclesiam, prospera cuncta canam
Conferat Ælfhego regni cœlestis honorem,
Qui dedit hunc omni Pontificem populo.
Ipse tibi pacem tribuat sine fine perennem,
Est qui sanctorum gloria pax et honor.
Hoc cupit ore pio, cupit hoc animoque benigno.
Ultimus Anglorum servulus hymnicinum (*i. e.* (sanctorum).
Sit licet ægra mihi sine dogmatis igne loquela,
Nec valeam tanto scribere digna viro :
Hoc tamen exiguum quod defero munus amoris,
Commendare tibi, magne Pater, studui :
In quo perstrinxi quæ fecit Rector Olympi
Swithuni meritis cœlica signa Patris :
Per quem magna suis miracula præbuit Anglis,
Millia languentum corpora sacrificans
Hæc etenim cecini magnalia paupere cantu,
Præsumendo boni de bonitate Dei,
Grandia de minimis est qui pensare suetus,
Suscipiens viduæ bina minuta libens.
B Qua non paupertas, sed erat pensata voluntas,
Quæ victum sprevit et sua cuncta dedit.
Hæc igitur commendo tibi munuscula Patri,
Quæ vovi Domino reddere corde pio :
Ut tua dignetur hæc corroborare potestas,
Hæc et ab infestis protegere insidiis :
Dignus apostolica resides qui præsul in aula,
Instruis et populum dogmate catholicum.
Hocque monasterium variis ornatibus ornas,
Intus et exterius illud ubique levans.
Quod quondam renovavit ovans antistes Adelwold,
Sollicitudo cui nocte dieque fuit
Christicolas augere greges, atque ore paterno
Hos cum lacte soli lacte nutrire poli.
C Qui struxit firmis hæc cuncta habitacula muris,
Ille etiam tectis texit et ipsa novis.
Et cunctis decoravit ovans id honoribus, hucque
Dulcia piscosæ flumina traxit aquæ :
Secessusque laci penetrant secreta domorum,
Mundantes totum murmure cœnobium.

Istius antiqui reparavit et atria templi.
  Mœnibus excelsis culminibusque novis :
Partibus hoc Austri firmans et partibus Arcti.
  Porticibus solidis, arcubus et variis,
Addidit et plures sacris altaribus ædes,
  Quæ retinent dubium liminis introitum.
Quisquis ut ignotis deambulat atria plantis,
  Nesciat unde meat, quove pedem referat.
Omni parte fores quia conspiciuntur apertæ,
  Nec patet ulla sibi semita certa viæ.
Huc illucque vagos stans circumducit ocellos,
  Attica Dædalei tecta stupetque soli :
Certior adveniat donec sibi ductor, et ipsum
  Ducat ad extremi limina vestibuli.
Hic secum mirans cruce se consignat; et unde
  Exeat, attonito pectore scire nequit.
Sic constructa micat, sic et variata coruscat
  Machina, quæ hanc matrem sustinet ecclesiam,
Quam Pater ille pius, summa pietate refertus,
  Nominis ad laudem celsitonantis Heri
Fundavit, struxit, dotavit, et inde sacravit,
  Et meruit templi solvere vota sui,
Regis Ædelredi visi cernente modesti,
  In regni solio qui superest hodie.
Illum Pontifices sequebantur in ordine plures,
  Complentes sanctum rite ministerium.
Quorum summus erat vultu maturus et actu,
  Canitie niveus Dunstan et angelicus.
Hunc sequebatur ovans Anglorum lucifer idem
  Præsul Adelwoldus, corde benignivolus.
Post alii septem, quos nunc addicere promptum est.
  Carmine versifico cum pede dactylico,
Ælfstan Æthelgarus, rursumque Ælfstanus et Æscwig,
  Ælfhean, Æthilsinus, hic et Adulfus erant.
Post alii plures aderant proceresque, ducesque,
  Gentis et Anglorum maxima pars comitum :
Quos e concilio pariter collegerat illo,
  Quod fuerat vici regis in Andeferan,
Idem pastor ovans et sæpe notandus Adelwold,
  Sicut et Domini gratia contulerat.
Et celebrant cuncti solemnia maxima templi,
  Plaudentes Domino pectore laudifluo.
Lætanturque bonis super omnibus ille benignus
  Quæ statuit cunctis Præsul opima dari.
Fercula sunt admista epulis, cibus omnis abundat.
  Nullus adest tristis, omnis adest hilaris.
Nulla fames, ubi sunt cunctis obsonia plenis,
  Et remanet vario mensa referta cibo;
Pincernæque vagi cellaria sæpe frequentant,
  Convivasque rogant, ut bibere incipiant.
Crateras magnos statuunt, et vina coronant,
  Miscentes potus potibus innumeris.
Fecundi calices, ubi rusticus impiger hausit
  Spumantem pateram gurgite mellifluam :
Et tandem pleno se totum produit auro,
  Setigerum mentum concutiendo suum.
Sicque dies alterque dies processit in hymnis,

A   Et benedixerunt omnia corda Deum.
Omnibus expletis tandem solemniter hymnis
  Quos in honore Dei vox sonuit populi,
Unusquisque suas alacer repedavit ad oras,
  In Domino gaudens pectore et ore canens.
Nunquam tanta fuit talisque dicatio templi
  In tota Anglorum gente patrata reor :
Qualis erat Wenta celebrata potenter in urbe,
  In sancti Petri cœnobio Veteri.
Quod Deus omnipotens sic protegat immaculatum
  Ut juge dignetur ipse habitare in eo :
Et cuicunque humiles hoc ingrediuntur asylum,
  Exsultent plenæ participes veniæ.
His super Antistes sacro spiramine plenus
  Adhibuit Domino plurima vota suo.
B Nam fundamen ovans a cardine jecit eorum
  Porticus ut staret ædificata Deo.
Erexitque novum (24) jacto fundamine templum :
  Ne tamen expleret raptus ab orbe fuit,
Pro meritis superam digne translatus in aulam,
  Quorum multiplices nec numerantur opes :
Altithronum primo quibus exhilaravit ab ævo,
  Donec Christo animam redderet ipse suam.
Vestra cui statim successit in arce potestas,
  Et cœptum vigili pectore struxit opus :
Insuper occultas studuistis et addere cryptas,
  Quas sic Dædaleum struxerat ingenium :
Quisquis ut ignotus veniens intraverit illas,
  Nesciat unde meat, quove pedem referat.
Sunt quibus occultæ latitant quæ hinc inde latebræ,
  Quarum tecta patent, intus et antra latent,
C Introitus quarum stat apertus, et exitus harum :
  Quas homo qui ignorat luce carere putat.
Nocte sub obscura quæ stare videntur et umbræ :
  Sed tamen occulti lumina solis habent.
Cujus in exortu cum spicula prima resultant,
  Lucifer ingrediens spargit ubique jubar :
Et penetrat cunctas lucis splendore cavernas,
  Donec in Hesperium sol ruat Oceanum.
Machina stat quarum, sacram supportat, et aram,
  Sanctorumque pias ordine reliquias,
Multplicique modo manet utile culmen earum,
  Exteriora gerens, interiora tegens.
Talia et auxistis hic organa, qualia nusquam
  Cernuntur, gemino constabilita solo.
Bisseni supra sociantur in ordine folles,
D   Inferiusque jacent quatuor atque decem.
Flatibus alternis spiracula maxima reddunt,
  Quos agitant validi septuaginta viri.
Brachia versantes multo et sudore madentes,
  Certatimque suos quique monent socios :
Viribus ut totis impellant flamina sursum,
  Et rugiat pleno capsa referta sinu :
Sola quadringentas quæ sustinet ordine musas,
  Quas manus organici temperat ingenii.
Has aperit clausas, iterumque has claudit apertas,
  Exigit ut varii certa camœna soni.

(24) Hæc tam clare atque indubitanter a Wolstano referuntur de conditione novi cœnobii Wintoniensis, ut ea Ælfredo regi tribui non possit.

Considuntque duo concordi pectore fratres,
Et regit alphabetum rector uterque suum.
Suntque quater denis occulta foramina linguis,
Inque suo retinet ordine quæque decem.
Huc aliæ currunt, illuc aliæque recurrunt;
Servantes modulis singula puncta suis.
Et feriunt jubilum septem discrimina vocum,
Permisto lyrici carmine semitoni :
Inque modum tonitrus vox ferrea verberat aures,
Præter ut hunc solum nil capiat sonitum.
Concrepat in tantum sonus hinc,illineque resultans,
Quisque manu patulas claudat ut auriculas,
Haud quaquam sufferre valens propiando rugitum
Quem reddunt varii concrepitando soni :
Musarumque melos auditur ubique per urbem,
Et peragrat totam fama volans patriam.
Hoc decus ecclesiæ vovit tua cura Tonanti,
Clavigeri inque sacri struxit honore Petri.
Insuper excelsum fecistis et addere templum
Quo sine nocte manet continuata dies.
Turris ab axe micat, quo sol oriendo coruscat,
Et spargit lucis spicula prima suæ.
Quinque tenet patulis segmenta oculata fenestris,
Per quadrasque plagas pandit ubique vias.
Stant excelsa tholis rostrata cacumina turris,
Fornicibus variis et sinuata micant.
Quæ sic ingenium docuit curvare peritum :
Quod solet in pulchris addere pulchra locis.
Stat super auratis virgæ fabricatio bullis.
Aureus et totum splendor adornat opus,
Luna coronato quoties radiaverit ortu,
Alterum ab æde sacra surgit ad astra jubar :
Si nocte inspiciat hunc prætereundo viator,
Et terram stellas credit habere suas.
Additur ad specimen stat ei quod vertice gallus
Aureus ornatu grandis et intuitu.
Despicit omne solum, cunctis supereminet arvis
Signiferi et Boreæ sidera pulchra videns.
Imperii Sceptrum pedibus tenet ille superbis,
Stat super et cunctum Wintoniæ populum.
Imperat et cunctis evectus in aera gallis.
Et regit occiduum nobilis imperium.
Impiger imbriferos qui suscipit undique ventos,
Seque rotando suam præbet eis faciem.
Turbinis horrisonos suffertque viriliter ictus.
Intrepidus perstans; flabra, nives tolerans,
Oceano solem solus vidit ipse ruentem :
Auroræ primum cernit et hic radium.
A longe adveniens oculo vicinus adhæret,
Figit et aspectum dissociante loco.
Quo fessus rapitur visu mirante viator,
Et pede disjunctus lumine junctus adest.
Plura quid his addam? tota virtute laboras
Ut decores totum undique cœnobium.
Cujus nuper erat encænia rite peracta,
Et celebrata satis ordine mirifico :
Octo quod egregii Domino sanxere Hierarchi,
Quos simul hic pietas fecit adesse Dei.
Primus erat quorum Sigericus onomate pulchro,
A Victor honore potens, victor in arce nitens :
Ante retroque micans, habitu venerandus et actu.
Cujus ab eloquio dulcia mella fluunt.
Quem Deus e cœlis tueatur ubique supernis :
Anglorum populis servet et incolumem.
Hunc Ælfstanus ovans, alter comitatur et Elfstan.
Pontifices ambo, plenus uterque Deo.
Ælfheah adest, Ordbirhtus adest, Wilfsinus et Ælfric,
Splendentes cuncti jure sacerdotii.
Incipiuntque omnes modulata voce canentes :
Pax sit huic domui, pax sit et hic fidei :
Pax fiat intranti, pax et fiat egredienti :
Semper in hocque loco, laus sit honorque Deo.
Sic in laude Dei resonant nova mœnia templi,
Omnis et in Domino lingua resultat ovans.
B Hinc adstant proceres, pueri hinc, juvenesque, senesque,
Et celebrant sancti gaudia cœnobii.
Sic optata diu data nunc memoranda per ævum,
Votis plena piis fulsit in urbe dies;
In qua promeruit sua gaudia cernere Pastor,
Officioque sacro reddere vota Deo.
Hinc te Pontifices circumdant, inde ministri.
Te totum cinxit, hinc honor, inde favor.
Et simul hymnisona fratrum coeunte corona :
Quisque tuum votum, qua valet arte, canit.
Cimbalicæ voces calamis miscentur acutis.
Disparibusque tropis dulce camœna sonat.
Insuper et cleri jubilat plebs omnis et infans :
Et Deitatis opem machina trina tonat.
Lætitiæ augmentum quoniam cumulatur in omni
Istius antiqui parte monasterii.
C Lætanturque cibis omnes epulisque refecti,
Potibus et variis omnibus atque bonis.
Sic hujus sancti nituit celebratio templi,
Nomine apostolico sanctificata Deo.
Hæc est aula pii fulgens in onomate Petri,
Qui solet excelsos clave ligare polos :
Qui præstante Deo solvitque ligamina mundo,
Et reserat cunctis cœlica regna piis.
Hæc quoque, Paule, tibi committitur, aula tuenda,
Qui mundi cunctos ore domas populos.
Existantis ut hic speciales ambo patroni :
Est quibus unus apex, gloria parque polo.
Exaudire Deum rogitetis et omnipotentem,
Dignetur populi vota precesque sui.
Quisquis ut hoc templum beneficia poscere quærit,
D Impetret a Domino gaudia plena pio.
Qua vir apostolicus jacet almus et ille Birinus
Has lavacro gentes qui lavit occiduas.
Signipotens in ea pausat quoque demate [*l.* corpore] Swithun
Qui precibus cunctum sublevat hunc populum.
In medio templi fulgent Byrnstanus et Ælfheah,
Jure sacerdotii cultor uterque Dei.
Summus et antistes, patriæ decus, altor egentum,
Spes peregninorum, splendor honorque Patrum;
Noster Adelwoldus pastor, pater atque magister,
Cujus in æterna luce coruscat apex.
Cujus in Anglorum micat omni limine nomen,

Inque monasteriis, pluribus inque locis.
Quæ vovens Domino construxit, eique sacravit,
Centenos in eis accumulando greges;
Qui inter Pontifices minimus nullatenus exstat,
Cujus doctrinæ splendet ubique jubar :
Inter apostolicos sed lucet [illegible],
Per quem signa facit [illegible] Deus,
Illustrans oculos [illegible],
Et revocans nervis languida membra suis.
Ad cujus sacrum veniunt quicunque sepulcrum,
Cum precibus plenam percipiunt veniam.
Quique fide pleni quærunt beneficia Christi,
Munera quæ cupiunt cœlitus inveniunt.
Comperit hoc nuper quidam vir nobilis Ælfelm,
Insomnis tumbam jussus adire sacram;
Cujus erant oculi nimio glaucomate clausi,
Nec valuit phæbum cernere nec radium.
Qui mox huc veniens, Sanctus mandavit ut idem
Percepit clarum luminis intuitum,
Et nullo ducente redit, miratur et in se
Qualis erat veniens, qualis et hinc rediens.
Sic etiam quædam nimis infirmata puella.
Ducitur ad tumulum matre gemente sacrum.
Protinus obdormit vigilans sanissima surgit,
Incolumisque domum cum genetrice redit.
Talia quid mirum rutilant quod signa per illum,
Et quod post mortem clarus in æthre micat?
Cujus vita fuit virtutibus undique plena :
Qui jugiter studuit corde placere Deo;
A Temporibusque suis clara atque exempla futuris
Præbuit, altithronum semper amando Deum,
Multiplici jubilo gaudens feliciter : unde
Exsultat Christi nobilis Ecclesia.
Est quoniam Dominus mirabilis et metuendus,
Qui facit in sanctis signa stupenda suis.
Sunt alii plures etiam hinc atque inde locati,
De quibus est scriptum quod canit Ecclesia :
Corpora Sanctorum sunt hic in pace sepulta,
Et vivunt eorum nomina in æternum.
Quorum facta sequens et dicta fideliter implens,
Sedulus, injunctum perficis officium.
Lumen apostolicum populis tua lingua ministrat.
Et verbum Domini te reserante patet.
Pauperibus victum, nudis largiris amictum,
Dividis et miseris munera larga pius :
B Ut commissa tibi duplicata talenta reportans,
Introeas Domini gaudia vera tui.
Suscipe, quæso, tibi quæ defero munera patri,
Atque ea quæ meritis debita solvo tuis.
Hæc tibi vita diu rogo prospera cuncta ministret,
Luxque futura tibi prosperiora ferat.
Hic Domino multos solvas pia vota per annos,
Ut tibi commissæ multiplicentur oves.
Et subeas regnum grege te comitante supernum
Cum sanctis semper lætus in arce poli.
Quod tibi concedat qui cuncta elementa gubernat
Unus ubique potens in Trinitate Deus. Amen.

ANNO DOMINI DCCCCLXXXIII.

WIDUKINDUS

MONACHUS CORBEIENSIS

NOTITIA HISTORICA IN WIDUKINDUM

(Fabric. Bibl. med. et inf. Lat.)

Witikindus, alias *Widukindus,* patria Saxo, monachus *Corbeiensis,* discendi causa monasterium Hirsaugiense adiit, post ad Corbeienses rediit, ibique scholis præfuit. Magnoaldus Ziegelbaur in Conspectu rei litterariæ ord. S. Benedicti part. I, p. 99. Scripsit circa an. 980 *De rebus Saxonum gestis* libros III, editos primum inter Scriptores Germanicos Hervagii, Basil. 1532, fol., postea Reinero Reineccio, Frf. 1580 fol. ab Henrico Meibomio seniore, Frf., 1621, fol. cum adnotationibus quas nepos Scriptorum Germanicorum Collectionis tom. I repetiit. Tandem Leibnitius *Summam Capitum Witichindi ex codice antiquo Casinensi* inseruit tomo I S. R. Brunsvicensium p. 208 sequuntur, ibidem p. 211 variæ lectiones ex codice archivi Dresdensis, et p. 221 codicis Casinensis. Poetica ejus, teste Sigeberto c. 129, sunt *Passio Theclæ virginis* et *Vita Pauli Eremitæ*, quæ prosam habuit admistam : utrumque opus nondum typis est editum, Adde Lyseri Historiam poetarum medii ævi p. 283, 284; Paulinum De viris illustribus Corbeiæ Saxonicæ, p. 96.

VIDUKINDI
RES GESTÆ SAXONICÆ

EDENTE

D. GEORGIO WAITZ, PH. D.

(Apud Pertz Monumenta Germaniæ historica, Script. tom. III.)

LECTORI

Widukindum, libri quem jam edituri sumus auctorem, Saxonem et monachum fuisse Corbeiensem satis constat, et ipse præfatione profitetur. Vixit medio sæculo decimo. Chronico brevi Corbeiensi (25) teste, Folkmaro abbate, qui inde ab an. 917-942 monasterio præfuit, monàchus receptus est; inter quadraginta novem ipse ultimo proximus nominatur, ita ut postremis Folkmari annis demum cœnobium intrasse videatur. Folkmari successorem Bovonem, qui annis 942-948 monasterium Corbeiense rexit, a Deo ostensum non concessum memorat (26), cujus tempore an. 946 obsides Boemorum jussu Ottonis populo præsentatos vidit (27). Sigebertus Gemblacensis tam in Chronico an. 973 quam in libro de SS. eccl. (28) ipsius librorumque ab ipso relictorum mentionem facit. Trithemius (29) vero plus quam 40 annis eum scholæ Corbeiensi præfuisse monet, et ipsum Meginradi scholastici Hirsaugiensis fama allectum hunc adiisse et per aliquot dies apud eum commoratum fuisse tradit. De Widukindi vita præter hæc nihil constat; de se ipso nihil adnotavit; neque quo anno obierit compertum habemus (30).

Widukindi memoriam quæ scripsit opera nobis servarunt. Tradit Sigebertus, eum præter historias etiam Vitam S. Pauli eremitæ et passionem Teclæ virginis composuisse (31). Idem monet Trithemius, præterea vero plura ejus scripta recenset. Ita librum de studiis veterum monachorum eum confecisse testatur, ex quo hæc affert verba (32): « Monachorum ille (Meginradus) doctissimus præceptor veluti Hieronymus alter divinarum interpres Scripturarum profundissimus sua nos eruditione vertit in stuporem, ut vere cœlestis sapientiæ dici queat armarium, quippe quem nihil lateat doctrinarum. » Sermones ad fratres, epistolarum ad diversos librum A unum, epigrammaton librum unum in catalogo illustrium virorum (33) ei tribuit, quorum alibi nullam fecit mentionem, quæque an revera a nostro sint conscripta, non sine causa dubitari posse videtur (34). Certe omnia deperdita sunt aut hucusque nos latent; longe his vero præstant quæ de Saxonum imperatorumque Saxonicorum historia scripsit Widukindus. Sigebertus Saxonum historiam usque ad mortem Ottonis primi et præterea hujus Vitam eum scripsisse tradit. Sigeberto ut videtur auctore, hæc repetivit Trithemius (35), in Chron. Hirsaugiensi (36) vero nonnisi de gestis Heinrici I, Ottonis I, et origine Saxonum historiam tribus libellis digestam ei tribuit. Denique vero in annalibus ejusdem cœnobii opera historica quatuor recenset (37). Supersunt libri tres rerum gestarum Saxonicarum, quibus auctor tam populi originem quam res ab Heinrico atque Ottone gestas descripsit. Eum de populi sui regumque historia alia quædam confecisse, omnino negarim. B Trithemius fœdo errore modo totum opus, modo singulos libros in catalogum recepisse videtur; quæ de Vita Mathildis adjecit, unde hauserit nescio (38); Vitam editam nostro nequaquam tribui posse, satis constat; hujus scriptor vero aliam Vitam nullam cognovit, sed cum talis desideraretur a reginæ nepote, imperatore Heinrico II, istam confecit. — Sigebertus vero fortasse ipsius Widukindi verbis in errorem ductus est. Librum primum enim his incipit: « Post operum nostrorum primordia, quibus summi imperatoris militum triumphos declaravi, » etc. Hæc procul dubio ad martyrum, Dei militum, Vitas supra allatas spectant, Sigebertus vero de imperatore Ottone cogitasse videtur, ideoque ejus gesta jam antea separatim descripta et edita esse statuit.

Libros rerum gestarum Saxonicarum Widukindus

(25) Meibom. I, p. 756. Ann. Corbeienses ap. Leibn. II, p. 301. quos dubiæ fidei esse facile est intellectu a. 971: « Claruit, inquiunt, Wittichindus noster, præclarus historicus, Mathildæ reginæ specialiter charus. »

(26) III, 2, *codd.* 2, 3.

(27) II, 40.

(28) C. 129 ap. Fabricium bibl. eccl. p. 108.

(29) Ann. Hirsang. p. 98.

(30) Soli Annales Corbeienses recentiores ap. Leibn. SS. I, 302, tradunt, a. 1004 Hosed monasterii abbatem ipsi monumentum erexisse; pium et doctum scholæ magistrum et historicum etiam regi et reginæ charum ibidem vocatum esse, addunt; quod quanti sit habendum, certo definire nolo.

(31) In Actis Sanctorum utriusque Vitæ nulla mentio fit; ideo deperditæ esse videntur.

(32) Ann. Hirsang. l. l.

(33) Opera Francof. 1601, II, p. 129.

(34) Versus quos edidit ex cod. Corbeiensi Widukindi nomine inscriptos Letznerus in Vita Ludowici Pii c. 19, f. 63, ad ipsum pertinere omnino negarim.

(35) Cat. ill. virorum l. I.; SS. eccl. c. 301, apud Fabr. p. 78.

(36) Opera II, p. 32.

(37) Ann. Hirs. p. 98: « Hic inter reliqua ingenii sui opuscula scripsit de origine Saxonum libros III, ad Mathildam quoque filiam Ottonis primi scripsit gesta Heinrici primi regis librum unum, ad eamdem vitam et gesta Mathildis reginæ uxoris ejusdem Heinrici regis primi; Ottonis quoque primi gesta ad eamdem conscripsit. »

(38) Nisi fortasse libri tertii continuationem hoc nomine indicaverit.

Mathildi, Ottonis regis filiæ, inscripsit; Heinrici et Ottonis, avi et patris, gesta scribere summum ejus fuit propositum; de Saxonum origine pauca tantum præmisit. Studuit brevi sed eleganti et perspicuæ narrandi et scribendi rationi; « strictim, inquit, et per partes scribimus, ut sermo sit legentibus planus, non fastidiosus.» Dol[illegible] sermonisque claritate egere; sed qu[illegible], cum hæc affectasse ostendit. Et revera Widukindus apta et quasi rotunda verborum constructione, narratione perspicua et gravi, tantum non omnibus hujus sæculi scriptoribus longe præstat. Quæ descripsit magnam partem ipse vidit, alios libros nusquam fere exscripsit, ideoque inter præstantissimos historiæ medii ævi fontes est referendus. De temporibus antiquissimis solam pene famam secutum se scripsisse ipse testatur (39); vidit historias Anglo-Saxonum, nisi fallor, Bedæ (40), Langobardorum Pauli Diaconi (41), Gothorum Jordanis (42), Francorum Gesta (43), sed pauca tantum ex his libris suo inseruit. In bellis a Francis cum Saxonibus gestis (44) et Ottonis habitu moribusque describendis (45) Eginhardi Vitam Caroli præ oculis habuisse videtur. Ruodolfii vero translationi sancti Alexandri eum usum fuisse (46), vix putarim; uterque ex eodem fonte, prisca traditione, hausisse mihi videtur; ideoque valde inter se conveniunt, neque tamen omnino concordant. Ubi cum Liudprando in rebus enarrandis congruit (47), idem fere statuerim; certe ipsius libros non vidit. Etiam postea ex populi rumore, ex carminibus vulgaribus plura in historiam suam recepit; quæ de Hattonis perfidia erga Adalbertum traderentur, tanquam vulgi rumore ficta, postea respuit quidem (48), vix tamen majorem fidem ea merentur, quæ de dolo adversum Heinricum excogitato narrat. Hoc loco et sæpius (49) vocabulo *fertur* similibusque fontem illum indicare videtur; mimorum carmina et ipse affert (50); et haud errare mihi videor, si magnam libri primi partem ad hæc revocandam esse statuam. Primis Heinrici ducis annis ipse nondum natus aut puer fuit primæ ætatis; quæ postea de his scripsit, ex sola traditione haurire potuit. Nam libro scripto in his rebus narrandis se usum esse, nusquam indicavit; ex chronico quodam Corbeiensi eum hausisse, quod plures statuerunt, ostendi nequit. Chronicon sub hoc nomine a Cl. Wedekind editum sæcuo superiori ex ipso Widukindo magnam partem est compilatum; annales vero Corbeienses supra editos non vidisse, certe non ad librum scribendum adhibuisse videtur (51). Nam annorum computationem, quam illi satis accuratam exhibent, noster prorsus neglexit, præterea plura in illis relata ipse omisit. Widukindi Historiam non ex annalibus confectam, sed ex rerum cognitione aliunde hausta scriptam esse, cuique librum pervolventi perspicuum fore confido. Ultimis Heinrici annis et præsertim Ottonis temporibus res quas narrat bene compertas habuit; his fuit coævus, regiæ domui et ipse conjunctus, ideoque procul dubio rerum cognitione satis instructus. Errores etiam hac parte commisit; sed quæ in ipsa Saxonia gesta sunt, recte perspexit, et hæc ipsi credere fas est.

Libri editi usque ad Ottonis primi mortem historiam deducunt; maximam vero partem jam antea conscriptam esse facile est demonstratu. Nam Ottone imperatore vivo se scripsisse, Widukindus sæpissime indicat (52); et codex Dresdensis non integrum tertium librum exhibet, sed c. 69 his verbis finitur: « Is finis Wichmanno talisque omnibus fere qui contra imperatorem arma sumpserunt, patrem tuum. »

Hucusque vero, ni fallor, a. 967 vergente Widukindus scripsit. Sunt quidem quæ ipsum jam antea libro finem imposuisse, innuere videantur. Wichmanno subacto, rebusque, ut ipsius verbis utar, rite compositis, Ottonem iterum in Italiam profectum esse tradit, res vero ibidem gestas quam brevissime attingit. Hæc « nostræ, » inquit, « tenuitatis non est edicere, sed, ut initio historiæ prædixi, in tantum fidei devotione elaborasse sufficiat. Cæterum erga tuam claritatem serenitatemque — magna devotio opus humile magnificet. At finis civilis belli terminus sit libelli. » Hæc verba quam maxime fini convenire nemo non videt. Res sive in Italia sive in Germania a. 964-967 gestas, si bella Slavica excipias, nullæ ne indicantur quidem a nostro. Usque ad medium a. 964 c. 63 res perstringit: a. 965 incipiente Otto in Germaniam rediit, mense Junio Gero, Octobri Bruno obierunt. Anno sequenti Mathildis, Ottonis filia, abbatissa Quedlinburgensis electa et constituta (53), imperator vero iterum in Italiam profectus est. De his omnibus nihil Widukindus. — Attamen jam a. 964 librum ejus conscriptum esse statuere non licet. Post obitum Brunonis archiepiscopi (54), dum imperator Otto cum filio Ottone in Italia morabatur (55), tricesimo anno post victoriam de Ungariis a. 938 in Saxonia reportatam (56), Widukindus in historia scribenda occupatus fuit. Wichmannus, de cujus interitu ultimis capitibus dicit, mense Septembri a. 967 mortuus esse videtur (57); in nativitate Domini ejusdem anni Otto II imperialem accepit

(39) I, c. 2.
(40) I, c. 8.
(41) I, c. 14.
(42) I, c. 18.
(43) I, c. 15
(44) I, c. 15.
(45) II, c. 36.
(46) Mon. II, p. 673.
(47) Cf. I, c. 19, de Ungariis; I, c. 22, de Adalberti morte.
(48) I, c. 23.
(49) I, 23, II, 23.
(50) I, 23.
(51) Quæ annis 963 et 964 leguntur cum Widukindo III, 63, quodammodo conveniunt; de Calabria ab Ottone a. 964 subacta Corbeiam rumorem pervenisse hæc ostendunt, id quod noster libro suo inseruit, monachus quidam — fortasse ipse Widukindus — in Annales retulit.
(52) « Ex hoc res Francorum cœperunt minui, Saxonum vero crescere, donec dilatatæ ipsa sua jam magnitudine laborant, ut videmus in amore mundi et totius orbis capite patre tuo; — habeamus te advocatum apud terrenum regem, tuum scilicet patrem et fratrem. » I, c. 34: — « quam in Africam Asiamque patris tui jam potestas protendatur » (II, præf.); — (Otto) « Romana lingua Slavanicaque loqui scit, sed rarum est, quo earum uti dignetur..., tabularum ludos amat, etc. (II, 36); — nati sunt regi filii — tertius paterni nominis majestate designatus, quem jam post patrem dominum ac imperatorem universus sperat orbis. » (III, 12.)
(53) Ann. Quedl. h. a. Ideo jam Bouquet VIII, 217, h. a., ipsi jam antea librum Widukindi dedicatum esse putavit.
(54) I, 31: « quem pontificis summi ac ducis magni vidimus officium gerentem. » Cf. II, 36. De Gerone, qui paucis post mensibus obiit, III, c. 54, dicit: « Erat Gero, » etc.
(55) III, 63: « quam (Mathildam) patris fratrisque celsitudo patriæ, ad omnem honorem nobisque ad solatium reliquit. »
(56) II, 4.
(57) Sigebertus, quem Ann. Saxo et Chron. S. Bavonis secuti sunt, in anno 967 Wigmanni mortem collocavit, qui quamvis in annis indicandis nullibi certam fidem meretur, ex verbis c. 70, quibus continuatio incipit, hæc recte fere statuit. Meibomius p. 701 et van Spaen *Inleiding tot de Historie van*

coronam. Cujus rei cum nonnisi in continuatione A post addita, mentio fiat (58), ultimis anni 967 aut primis a. 968 mensibus (59) librum esse absolutum, recte statuere mihi videor. Sed res ab Ottone his annis gestas per partes scripsit; usque ad a. 958 res Saxonicas satis fuse exposuit; postea cum imperator in Italiam profectus esset ibique per plurimos annos degeret, quæ ibidem gesta sunt memoriæ tradere noluit (60). Tumultus vero quos Wichmannus in Saxonia et Slavia excitavit finem descripsit. Denique, Ottone Magno imperatore mortuo, pauca historiæ adjicienda esse judicavit. Imperatoris epistola (968), bella cum Græcis gesta (969), nuptiæ Ottonis secundi (972), obitus Mathildis reginæ, Wilhelmi et Bernardi pontificum (968), Hermanni ducis, ipsius denique imperatoris (973) his referuntur. In plerisque codicibus cum prioribus arctissime conjuncta leguntur, jam Thietmarus iis usus est, Sigebertus, Ekkehardus, Annalista Saxo eadem adhibuerunt; ideoque quin etiam hæc ab B ipso Widukindo addita sint, minime dubito, quamvis dicendi rationem paulo diversam offendere mihi videar, et Trithemius Widukindi historiam ab alio quopiam completam esse moneat (61). Quæ ad Vitam Mathildis prope accedere videntur, ex ea revera hausta esse nullo modo concesserim. Procul dubio paulo post Ottonis mortem hæc scripta sunt, ab ipso Widukindo addita, ut imperatoris res absolveret, quas in Germania gestas ipse vidit. Non continuam horum annorum confecit historiam, sed pauca tantum quæ huc facere viderentur, memoriæ tradidit. Utinam hæc quoque accuratius exposuisset, utinam alter Widukindus Ottonis II et III historiam conscripsisset!

Ipse vero, cum postea continuatione illa librum augeret, etiam III, c. 2, de Bovone Corbeiensi quæ in codice Dresdensi desiderantur addidisse videtur; historiam vero Hattonis et Adalberti qualem in eodem codice legimus jejunam et nimis timidam (62) C non Widukindo, sed nescio cui Moguntinæ dioceseos scribæ, tribuendam esse puto.— Postea vero totum librum retractasse videtur. In codice enim Casinensi, quæ de Adalberti interitu et de Bovone scripta erant omittuntur, quædam aliter expressa, verba verbis mutata leguntur. Libros in capita divisos hic solus habet, singulisque libris eorum indicem præmittit. Quod, cum Widukindus ultimam operi manum imponeret, factum esse videtur.

Novæ vero Widukindi editioni procurandæ hæc fuerunt subsidia :

A. Codex olim archivi, jam vero bibliothecæ, regiæ Dresdensis, membr. 21 fol., olim monasterii Veteris Cellæ, Pertzio qui ipsum vidit teste, sæculi XII. Ebert ex codice quodam Corbeiensi eum descriptum esse putavit (63). Finitur c. 69 verbis supra allatis, continuatione destitutus; ideoque primum locum ei tribuendum esse censui. Alioquin optimus judicari nequit, scriptor non ubique satis accuratus D fuisse, nomina interdum mutasse, neque verecunde antiquam scribendi rationem servasse videtur; Hattonis historiam, nisi fallor, interpolatam sistit. Hoc codice Fabricius in libris suis usus est; Reineccius ex eodem editionem suam adornavit; postea varias lectiones a Tenzelio secum communicatas Leibnitz edidit (64), denique b. m. Ebert a. 1821 codicem cum Meibomii editione accuratius contulit, eoque duce integram lectionis varietatem annotavi. Duo ejus desunt folia (65).

Reliqui codices et editiones omnes usque ad annum, 973 historiam deducunt :

1. Monasterii Casinensis n. 289 membr. 4, fol. 39-120, sæc. XI, vergente vel XII incipiente, manu Beneventana, scriptus (66), cujus lectiones a L. Zacoagnio bibl. Vaticanæ custode sibi transmissas Leibnitz edidit (67). Codicem iterum cum editione Frechtii Pertz contulit eumque accuratius descripsit (68). Est omnium qui supersunt antiquissimus, et Widukindi libros ab ipso singulis locis retractatos servasse videtur. Neque tamen mendis vitiisque caret. Læpius quam cæteri contra linguæ Latinæ regulas peccat, quod an Widukindo tribuendum sit valde dubito; verborum scribendorum ratio sæpius a vulgari recedit, et multa sunt quæ scriptorem Italicum comprobent (69).

2. C. olim monasterii Steinvelt (70); medio ut videtur sæc. XII scriptus, fol. 135-138, quem ipse quam accuratissime possim contuli. Bis (71) quæ in codice Casinensis omittuntur, postea ut videtur a Widukindo deleta, hic exhibentur. Codex quamvis non ubique pari diligentia scriptus, magni faciendus est et in singulis verbis exhibendis vix minoris auctoritatis quam Casinensis. Scriptor quod habuit exemplar plerumque accurate secutus esse videtur, verborum tamen ordinem interdum turbavit, aliisque mendis nonnihil laborat.

3. Primam Widukindi editionem curavit Frecht typis Hervagianis Basileæ a. 1532 fol., usus codice monasterii Erbaci (Eberbach) prope Rhenum cujus ætatem et conditionem non indicavit. Locis supra allatis cum codice 2 convenit, attamen ex ipso transcriptus esse nequit. Multa quæ in 2 desunt vocabula apud 3 recte leguntur, quæ codex Steinvelt, depravata exhibet, Frecht sana expressit, alibi Widukindi verba mutavit quæ in 2 integra exstant. Utroque accurate collato, majori inter se quam cum cæteris affinitate eos conjungi, si duos illos locos allatos excipias, vix deprehendes. — Cæterum Frechtianum exemplar Widukindum satis depravatum exhibet, nihilominus vero lectiones omnes adnotandas judicavi.

Hanc editionem codicis Dresdensis ope Reineccium emendasse (Francf. ex officina Wecheli 1577 fol.) jam dixi; eleganti vero studens sermoni, auctoris verba sæpe mutavit (e gr. *quia* semper in *quod*), alia addidit, alia omisit, præterea typorum erroribus valde librum maculavit; ideoque nullam

Gelderland, p. 35, Wichmannum ante Geronem defunctum esse putarunt; cum hujus mors demum in continuatione III, c. 75, tradatur.

(58) Ipse imperator in epistola 18 Jan. 968 scripta Saxonlbus hanc rem indicavit.

(59) Antequam epistola ista in Saxoniam perlata erat.

(60) Libros enim *rerarum gestarum Saxonicarum* scribendos susceperat.

(61) Chron. Hirs. præf. opp. II, p. 2.

(62) Widukindo, et in caldis Frithurici archiepiscopi Mogunt., recensendis nimis timido, narrationem recensionis primæ de Hattone, certe magis jejunam quam res postulabat, sed et loco Cassella indicato ditiorem, haud adjudicaverim. Pertz.

(63) Arch. III, p. 605. Sed omnes Widukindi codices haud dubie ex libris Corbeiensibus derivandi sunt.

(64) SS. I, p. 211.

(65 II, c. 11 : « pacem fecit cum rege; » — c. 24 : « constantia ac imperio. »

(66) An jussu Wibaldi abbatis Corbeiensis et Casinensis ? P.

(67) SS. I, p. 221.

(68) Arch. V, p. 144.

(69) Ita scribitur : *Judicabit, judicabimus* pro *judicavit*, etc., *ververibus* pro *verberibus, vesticam* loco *festucam; structio* pro *strutio; joseppo* pro *josepho : impuero; discendendi, oppunguare, hammaburgnensem; scissitare; progecit, ogebat* pro *aiebat; atho, omerus, erimannus, odiernum, reveunt; afinitas, afirmare, caliditas, conexerat, rarisumus, redidit; crumpanno, diffi*c*le, palulum* pro *paululum; odoni* pro *odonis, generis* pro *generi* etc.

(70) Cf. Archiv. VII, p. 364.

(71) I, 22; III, 2.

ejus rationem habui, nisi quod lacunam illam codicis Dresdensis ex ipso supplere conatus [illegible]. Nam folia duo jam Tenzelii tempore deperdita [illegible] legit; ideoque [illegible] capitis ejus [illegible], quamvis [illegible] annotavi et littera [illegible].

4. Meibomius [illegible] Widukindum edidit [illegible] nendis illustravit [illegible] ne primo SS. rerum Germ. [illegible] repetivit. Ille ope manuscripti codicis, etsi non integri, sed alicubi mutilati, se editionem adornasse, plerumque vero Frechtianum exemplar secutum esse, testatur. Codicis vero nonnisi bis mentionem facit (72). Cæterum modo Frechtium, modo Reineccium, nullo certo consilio ductus, secutus est, in notis quoque nonnisi Reineccii et Urspergensis lectiones cum Frechtii editione comparat. Quamvis igitur codicem, fortasse ipsum Dresdensem, eum vidisse haud negarim, nusquam tamen eo usum esse satis apparet. Editorum menda [illegible] accesserunt, sive typorum errore, sive editoris incuria, sive corrigendi audacia. Nonnisi paucis locis lectiones annotavi.

Leibnitz SS. rer. Br. I, pag. 79, et Bouquet. SS. rer. Gall. VIII, pag. 217, etiam Widukindi fragmenta receperunt, nullius vero codicis ope adjuti.

Codicem monasterii Corbeiensis penes se habuisse Falke testatur (73), atque in codice traditionum Corbeiensium plures ex illo affert lectiones (p. 159, 307, 401, 416, 456, 465, 471, 574, 584). Codicem pariter atque chronicon Corbeiense esse fictitium, lectiones vero ex illis quas edidit Leibnitz desumptas, sane putarem (74), nisi Grupen, vir summæ fidei, se ipsum hunc vidisse codicem professus esset (75), quem a Falkio delusum esse, equidem haud facile dixerim. Codicis vestigia nulla reperi, sive sit deperditus, sive tenebris obrutus. Ut nihil desit editioni nostræ, lectiones varias a Falkio enotatas recepi easque β signavi.

Sæculo XVI incipiente Widukindi codicem in monasterio Novi operis prope Halam fuisse, Ebert ostendit (76); nisi vero idem sit qui Dresdensis, deperditus haberi debet. — De aliis libris mss. per tria sæcula fama nihil vulgavit.

Per medium ævum vero plura fuisse exemplaria videntur; nam Widukindi librum multi chronographi secuti sunt ipsumque pro parte ad verbum exscripserunt. Primo loco Thietmarus nominandus est, quem magnam primi et secundi libri partem ex nostro hausisse jam satis constat. Attamen nullibi fere ipsius verba retinuit, sed suo more easdem res mutato sermone expressit. Ideo magis ad Widukindum explicandum quam ad verba restituenda adhiberi potest.

5. Annales Metenses, sæc. X aut XI conscripti, ex Widukindo quam plurima sumpserunt ejusque narrationem in epitomen redegerunt. Codex a Chesnio editus verbis, I, c. 36, « acceptoque sacramento » finitur (77) et plerumque veris lectionibus concordat.

6. Ekkehardus Uraugiensis magnam Widukindi partem ad verbum fere descripsit, codice usus qui ad 2 prope accedere videtur (78). Ex ipso vero ad chronographos medii ævi quam plurimos Widukindi narratio pervenit, monachum Hamerslebensem, chronographum Saxonem, chronici Halberstadensis [illegible] Pantaleonis scriptorem, Heinricum de Hervordia, Andream Ratisbonensem, Trithemium, Staindelium [illegible] Widukindi librum haud habuisse videntur (80), sed in rebus Saxonicis enarrandis Ekkehardum secuti sunt.

Sigebertus Gemblacensis vero ipso Widukindo ad Chronica sua scribenda usus est, sed brevi narrationi studens sermonem ubique fere mutavit, ita ut vix semel aut bis codicis lectionem perspicere liceat; his locis vero cum 1 fere convenit.

7. Annalista Saxo et Ekkehardum et Widukindum adhibuit, hujus codicem 2(3) et 6 similem secutus, quem satis accurate expressit, ita ut sæpius ad veram lectionem firmandam facere possit.

Chronographi Saxonici posterioris ævi plures fortasse Widukindum habuerunt (id quod de Gobelino Persona (81) constat), sed integra verba nullus exscripsit ante Trithemium, qui quamvis plerumque Ekkehardo usus sit, certe tamen electionem et coronationem Ottonis Widukindo duce narravit (82), quam plurima vero ex ingenio addidit.

His subsidiis adjutus Widukindi libros integritati restituere conatus sum, maxime codicem Casinensem tanquam antiquissimum secutus, quem ope Dresdensis et Steinveldensis emendavi. Alius ex alio minime descriptus est; ideoque errores et vitia communia vix deprehendas; unius vero menda ne Widukindo obtruderem cavi. Ita quod sæpe neque tamen semper 1 exhibet: *urbs qui*, recipere nolui, *fluvius quod* vero ex 1 et A scribendum esse duxi. In verbis exprimendis plerumque 1 et 2 secutus sum; ubique scripsi *namque, tamquam, umquam, aliquamdiu, dampno, tempto, sumptus, promptus*, etc., *adm., adn., adp., adq., adt., inb., inm.*, et *inp.*, exceptis verbis *imperio* et *imperatore, obp., obt., subc., subp.*, quod in utroque codice plerumque, in 2. semper fere legitur; præterea *heremitis*; ex 1., *nothus*, ex 2 *totiens* etc. 1 et 2 exhibent *indutiæ, contio, convicia, deliciæ*, cæterum vero in ejusmodi verbis inter se valde discordant neque sibi ipsi semper constant. 1: *otium, pretium, nuntius, negotium, initium, audatia, tertius, vitium, palatium*, ubi 2: *ocium*, etc.; hic etiam: *amicitia, spacium, hospicium, sentencia*, econtra vero: *conditio, militia*, quæ apud 1: *condicio, milicia*. In hac varietate maxime 1 secutus sum et *ti* prætuli. Ubique etiam *æ* et *œ* scripsi quamvis 2 sæpissime *e* pro *æ*, et e pro *æ* et *œ* exhibeat; *æ* vero in his verbis: *pæne, ælatus, æpiscopus, æquus, variæ*, etc. ex 1, *æquus, lægatus* ex 2. recipere nolui, neque de his omnibus codicum lectiones singulis locis adnotavi; ubi vero singularia quædam in 1. occurrunt ut *redidit, afirmare, neglego*, et., hæc in notas criticas retuli.

Cæterum in adnotationibus adjiciendis id maxime consilii egi, ut auctoris errores corrigerem, locos obscuriores explanarem, res geographicas et chronologicas illustrarem. Quæ recte jam Meibomius

(72) Ad locum illum interpolatum de Hattonis perfidia monet (p. 675) pro *æquius* legi *iniquius*, quod alius nullus suppeditat codex; I, c. 35, vero quædam exemplaria habere *Rietni*, quædam *Kiesm* dicit (p. 82) Reineccius ex cod. Dr. edidit *Rietni*; *Kietni* ibidem legi jam constat.

(73) Braunschw. Anz. 1752, p. 1443.

(74) Loco p. 456 exscripto cum ed. Meihomiana et lectt. cod. Casinensis collato, hoc sane etiamnum verisimile mihi est.

(75) Obss. I, p. 553.

(76) Arch. V, 526.

(77) Cf. Archiv VII, p. 385.

(78) Ita p. 143 (ed. a. 1609) in dolo ab Hattone contra Adelbertum excogitato enarrando cum 2. omnino convenit.

(79) Ita historia: *Quomodo Saxones primo venerunt ad terram Saxoniæ* a Ludewig Rel. mss. VIII, p. 154 edita, et quæ scripsit anonymus de Suevorum origine (Goldast SS. rer. Suev. p. I.) ex Ekkehardi chronico hausta sunt.

(80) Chron. Saxo quæ Ekkehardus omisit ex Ann. Saxone recepisse videtur.

(81) Cf. VI, c. 38.

(82) Ann. Hirs. I, p. 73.

vidit, ipsi tribuere fas duxi, plerasque tamen ejus notas rejeci. Quæ Leibnitz et Bouquet adnotarunt, vix semel aut bis quæ repeterentur digna visa sunt. Ubique vero in hac Widukindi editione adornanda A me summo Pertzii consilio et auxilio adjutum fuisse gratissimo animo profiteor.

Hannoveræ a. d. III *Idus Febr.* 1839.

G. WAITZ.

AD DOMINAM MAHTHILDAM [1] IMPERATORIS FILIAM.

LIBRI PRIMI INCIPIT PRÆPHATIO [2].

Flore [3] virginali cum majestate imperiali ac sa- B pientia singulari fulgenti dominæ Mahthildæ ultimus servulorum Christi martirum Stephani atque Viti, Corbeius [4] Widukindus [5], totius servitutis devotissimum [6] famulatum veramque in Salvatore salutem. Quamvis te paternæ potentiæ [7] gloria singularis magnificet ac clarissima decoret sapientia, nostra tamen humilitas præsumit de proxima sceptris semper clementia, quia nostra devotio a tua pietate suscipiatur, etiamsi non mereatur. Nam cum nostro labore patris potentissimi avique tui gloriosissimi res gestas memoriæ traditas legeris, habes unde ex optima et gloriosissima melior gloriosiorque efficiaris. Nec tamen omnia eorum gesta nos posse comprehendere fatemur, sed strictim et per partes scribimus, ut sermo sit legentibus planus, non fastidiosus. Sed et de origine statuque gentis, in qua ipse rerum dominus Heinricus [8] primus regnavit, pauca scribere curavi, ut ea legendo animum oblectes, curas releves, pulchro otio vaces. Legat igitur tua claritas istum libellum ea pietate nostri memor, qua est conscriptus devotione. Vale [9].

EXPLICIT [10] PRÆFATIO.

VARIÆ LECTIONES.

[1] mathildam 1. [2] *Ita* 1; *desunt hæc* 2 *et* A: ad mathildam reginam witichindi præfatio 3. [3] mahthildi 2; *hic et plerumque* mathildæ, *semel tamen* mahtilda; mahtildi A. [4] chorbeius 3. [5] widikindus 2; V. 3. A. [6] devotissimus 1. [7] sapientiæ A. [8] henricus 3. *semper; deest* A. [9] *deest* 1. [10] *Hæc ex* 1. *addita sunt.*

INCIPIUNT CAPITULA

VARIÆ LECTIONES.

[11] thriadricus *c.* [12] irring *c.* [13] thadricum *c.* [14] thadricus *c.* [15] hinrico *c.* [16] euuthardo *c.* [17] euuhardus *c.* [18] regnus *cod.* [19] captiva *c.*

EXPLICIUNT CAPITULA

INCIPIT LIBER PRIMUS RERUM GESTARUM SAXONICARUM [20].

1. Post operum nostrorum primordia, quibus summi Imperatoris militum triumphos declaravi, nemo me miretur principum nostrorum res gestas litteris velle commendare; quia in illo opere professioni meæ, ut potui, quod debui exolvi, modo generis gentisque meæ devotioni, ut queo, elaborare non effugio.

2 [21]. Et primum quidem de origine statuque gentis pauca expediam, soam pene famam sequens in hac parte. nimia vetustate omnem fere certitudinem obscurante. Nam super hac re varia opinio est, aliis arbitrantibus de Danis Northmannisque [22] originem duxisse Saxones, aliis autem æstimantibus, ut ipse adolescentulus audivi quendam predicantem, de Græcis, quia ipsi dicerent, Saxones reliquias fuisse Macedonici exercitus, qui secutus magnum Alexandrum im matura morte ipsius per totum orbem sit dispersus (83). Cæterum gentem antiquam et nobilem fuisse non ambigitur; de quibus et in contione Agrippæ ad Judæos in Josepho [23] oratio [24] contexitur (84), et Lucani poetæ sententia probatur (85).

3. Pro certo autem novimus Saxones his regionibus navibus advectos (86), et loco primum applicuisse qui usque hodie nuncupatur [25] Hadolaun [26] (87).

4. Incolis vero adventum eorum graviter ferentibus. qui Thuringi traduntur fuisse, arma contra eos movent; Saxonibus vero acriter resistentibus, portum obtinent. Diu deinde inter se dimicantibus, B et multis hinc inde cadentibus, placuit utrisque de pace tractare, fœdus inire; actumque [27] est fœdus eo pacto, quo haberent Saxones vendendi emendique copiam, cæterum ab agris, a cæde hominum atque rapina abstinerent; stetitque illud [28] fœdus inviolabiliter multis diebus. Cumque Saxonibus defecisset pecunia, quid venderent aut emerent non habentibus, inutilem sibi pacem esse arbitrabantur [29].

5. Ea igitur tempestate contigit adolescentem [30] quendam egredi de navibus oneratum multo auro [31] torque aurea, simulque armillis aureis; cui obvius quidam Thuringorum : *Quid sibi vult,* inqnit [32], *tam ingens aurum circa tuum famelicum collum? Emptorem,* inquit, *quæro, ad nichil aliud istud aurum gero* [33]*; quia enim fame periclitor, quo auro delecter* [34] *?* At ille qualitatem quantitatemque pretii C rogat. *Nullum,* inquit, *michi est* [35], Saxo, *discrimen in pretio; quidquid dabis gratum teneo.* Ille vero [36] subridens adolescentem : *Quid si,* inquit, *de iste pulvere sinum tibi* [37] *impleo?* erat enim in præsenti loco egesta humus plurima. Saxo nichil cunctatus aperit sinum et accipit [38] humum, illicoque Thuringo tradidit aurum; lætus uterque ad suas repedat. Thuringi Thuringum laudibus ad cœlum tollunt, qui nobi[li fraude Saxonem, deceperit, fortunatumque eum inter omnes mortales fuisse, qui vili pretio tam ingens aurum possederit. Cæterum certi [39] de victoria, de Saxonibus jam quasi triumphabant. Interea Saxo privatus auro, oneratus vero multa humo, appropiat navibus. Sociis igitur ei occurrentibus,

VARIÆ LECTIONES.

[20] *Hæc desunt* 2. 3. [21] *Hic cap.* 2. *numerum posui, et numeros sequentes usque octavum emendavi* [22] Nortmannisque 3. A. [23] joseppo 1. [24] *deest* A. [25] vocatur vel nuncupatur 2. [26] hadolam 1. [27] ictumque 3; initumque A. 6. [28] *deest* 1. [29] arbitrantur 3. [30] adolescentulum 2. [31] auro multo 2. [32] inquid 1. *et ita sæpius;* sibi, inquit, vult A. [33] fero 2. [34] delector 1. [35] saxo michi est 2. 6. [36] *deest* 1. [37] tibi sinum 2. [38] accepit 3. [39] ceteri. A.

NOTÆ.

(83) Fabulosa Saxonum origo. qui a Macedonibus usque arcessuntur, quantum constam primum habuit assertorem Widukindum nostrum. MEIBOM.

(84) Locus Josephi extat lib. II, cap. 16, de bello Judaico, ubi tamen non Saxonum fit mentio, sed in genere de Germanis dicitur. MEIBOM. Hegesippum in hist. belli Judaici Josephum de Saxonibus perorantem inducere, alii adnotarunt; nonne noster de hoc loco cogitavit?

(85) Apud Lucanum I, v. 423, antea legebatur :
Et Biturix, longisque leves Saxones in armis.
jam vero ex Micylli et Turnebi sententia, optimorum D codicum fide confirmata, *Suessones*.

(86) Cf. Ruodolfum de transl. S. Alexandri Mon. II, p. 674, qui addit, ab Anglis Britanniæ incolis egressos esse Saxones; id quod noster minime innuere videtur. Cf. Lappenberg Hist. Angl. I, p, 87. — Noster Saxones his regionibus, i. e. Saxoniæ quæ Nordalbingiam complectitur, navibus advectos tradens, eos ex regione quadam remota ut Ruodolfus ex Britannia advectos opinatur; quod traditionis rationi congruum supra monui. PERTZ.

(87) In Haduloha (*Hadeln*) nunquam Thuringos sedisse satis constat.

et quid ageret admirantibus, alii eum irridere cœperunt amicorum[40], alii arguere, omnes pariter amentem eum crediderunt. At ille postulato silentio : *Sequimini*, inquit, *me, optimi Saxones, et meam vobis amentiam probabitis utilem.* At illi, licet dubii, sequuntur[41] tamen ducem. Ille autem sumpta humo, per vicinos agros quam potuit subtiliter sparsit, et castrorum loca occupavit.

6. Ut autem viderunt[42] Thuringi castra Saxonum, intolerabilis res eis visa[43] est, et missis legatis conquesti sunt de rupto fœdere ac violato pacto ex parte Saxonum. Saxones respondent se hactenus fœdus inviolabiliter servasse; terram proprio auro comparatam cum pace velle obtinere, aut certe armis defendere. His auditis, incolæ jam maledicebant aurum Saxonicum, et quem paulo ante felicem esse prædicabant[44], auctorem perditionis suæ[45] suæque regionis fatentur. Ira deinde accensi, cæco marte sine ordine et sine consilio irruunt in castra; Saxones vero parati hostes excipiunt sternuntque, et rebus prospere gestis, proxima circumcirca loca jure belli obtinent. Diu itaque crebroque cum ab alterutris pugnatum foret, et Thuringi Saxones sibi superiores fore pensarent, per internuntios postulant, utrosque inermes convenire, et de pace iterum tractare, condicto loco dieque. Saxones postulatis se obœdire[45*] respondent. Erat autem[46] illis diebus Saxonibus magnorum cultellorum usus, quibus usque hodie Angli utuntur, morem gentis antiquæ sectantes. Quibus armati Saxones sub sagis suis, procedunt castris occurruntque Thuringis condicto loco. Cumque viderent hostes inermes, et omnes principes Thuringorum adesse, tempus rati totius regionis obtinendæ, cultellis abstractis, super inermes et improvisos irruunt et omnes fundunt, ita ut ne unus quidem ex eis superfuerit. Saxones clari existere, et nimium terrorem vicinis gentibus incutere cœperunt.

7. Fuerunt autem et qui hoc facinore nomen illis inditum tradant[47]. Cultelli enim nostra lingua salis (88) dicuntur, ideoque Saxones nuncupatos, quia cultellis tantam multitudinem fudissent.

8. Dum ea geruntur[48] apud Saxoniam[49] quæ ita modo vocitatur regionem, Brittannia[50], a Vespasiano principe jam olim inter provincias redacta et sub clientela Romanorum multo tempore utiliter degens, a vicinis nationibus impugnatur, eo quod auxilio Romanorum destituta videretur. Populus namque Romanus, Martiali imperatore a militibus interfecto (89), externis bellis graviter fatigatus, non sufficiebat solita auxilia administrare amicis. Exstructo tamen ingenti opere ad munimen regionis inter confinia a mari usque ad mare, ubi impetus hostium videbatur fore, relinquebant regionem Romani. Sed hosti acriori et ad bellandum prompto, ubi gens mollis et pigra belli resistit, nulla difficultas in destruendo opere fuit. Igitur fama prodente de rebus a Saxonibus prospere gestis, supplicem mittunt legationem ad eorum postulanda auxilia (90). Et procedentes legati : *Optimi*, inquiunt, *Saxones, miseri Bretti*[51] *crebris hostium incursionibus fatigati et admodum contriti, auditis victoriis a vobis magnifice patratis, miserunt nos ad vos, supplicantes ut ab eis vestra auxilia*[52] *non subtrahatis. Terram latam et spatiosam et omnium rerum copiam refertam vestræ mandant ditioni parere. Sub Romanorum hactenus clientela ac tutela liberaliter viximus; post Romanos vobis meliores ignoramus; ideo sub vestræ virtutis alas fugere quærimus. Vestra virtute, vestris armis hostibus tantum superiores inveniamur, et quicquid imponitis servitii, libenter sustinemus.* Patres ad hæc pauca respondent : *Certos amicos Brettis Saxones sciatis, et eorum necessitatibus atque commodis æque semper affuturos.* Legati læti redierunt in patriam[53], exoptato nuntio socios lætiores reddentes. Deinde promissus in Britanniam[54] mittitur exercitus, et gratanter ab amicis susceptus, in brevi liberat regionem a latronibus, restituens patriam incolis. Neque enim in id agendo multum laboris fuit, quippe qui jam olim audita fama Saxonum perculsi terrebantur, dummodo præsentia eorum procul pellantur. Erant enim hæ gentes Brettis adversæ, Scotti et Pehti[55], adversus quos militantes Saxones, accipiebant a Brettis omnia ad usum necessaria. Manserunt itaque in illa regione aliquanto tempore, vicaria Brettorum bene usi amicitia. Ut autem viderunt principes exercitus terram latam ac fertilem et incolarum manus ad bellandum pigras, se vero ad maximam

VARIÆ LECTIONES.

[40] Cœperunt amicorum alii 3. [41] secuntur A. *semper.* [42] videre 3. [43] res visa est eis 2. [44] prædicabant esse 2, [45] *deest* 3. [45*] *Ita ex* 1 *recepi.* [46] *deest* 3. [47] *deest* A. [48] *add.* quæ 2. [49] saxonicam 2. [50] britannia 3 *semper*, [51] britti A. *postea vero* bretti; 3 *semper* bracti. [52] auxilia vestra 2. [53] in patriam redierunt A. [54] brittaniam 1. [55] scothi et pechti 1, *postea vero* scotti et pehti; scoti et pehiti 2, post scotti; scotti et pehtti A; schoti pehiti 3.

NOTÆ.

(88) Cf. Nennium Hist. Briton. cap. 48. Schaten Hist. Westphal. (ed. II), pag. 119 : « Usus, inquit, hujus vocis hodiedum in Saterlandia obtinet apud incolas prisci sermonis retinentissimos, apud quos coram audivi loquentes, sachs *cultrum* sonat. »

(89) An Martiali hic idem quod bellicoso, Maximo scilicet. LEIBN. Certe imperatoris Martialis alibi nulla mentio fit; neque Widukindum de Marco imperatore in Britannia electo, paulo post vero interfecto (cf. Zosimus VI, 2) cogitasse verisimile est. — Cum hic de traditionibus agatur, Marciani imperatoris nomen, eodem sæculo quinto clari, perperam immisceri, aut mirum. PERTZ.

(90) Legationem missam esse etiam Beda II, c. 15, tradit; hanc vero orationem noster solus exhibet.

A partem Saxonum sine certis sedibus, mittunt ad revocandum (91) majorem exercitum [56], et pace facta cum Scottis et Pehtis [57] (92), in commune contra Brettos consurgunt, eosque regione propellunt, suæ ditioni regionem distribuunt. Et quia illa insula in angulo quodam maris sita est (93), Anglisaxones usque hodie vocitantur. De quibus omnibus si quis plenius scire voluerit, historiam gentis ejusdem legat (94), et ibi [58] inveniet quomodo aut sub quibus ducibus hæc omnia acta sint, vel qualiter ad christianitatis nomen per virum suis temporibus sanctissimum, papam videlicet Gregorium, pervenerint. Nos vero cœptam historiæ viam recurramus [59].

9. Post hæc moritur Huga [60] rex Francorum, nullumque alium heredem regni relinquens præter unicam filiam nomine Amalbergam, quæ nupserat Irminfrido [61] regi Thuringorum. Populus autem Francorum, a seniore suo humane clementerque tractatus, pro gratiarum actione rependenda filium quem ex concubina genuit, nomine Thiadricum [62], ungunt [63] sibi in regem (95). Thiadricus autem designatus rex, mittere curavit legationem ad Irminfridum pro pace atque concordia; et ingressus legatus ad Irminfridum: *Mortalium*, inquit, *optimus maximusque dominus meus Thiadricus misit me ad te, exoptans te bene valere et lato magnoque diu imperio vigere, seque tibi non dominum sed amicum, non imperatorem sed propinquum, propinquitatisque jura inviolabiliter tibi fine tenus velle servare demandat; tantum ut a populi Francorum concordia non discordes rogat; ipsum [64] namque sibi regem sequuntur constitutum.* Ad hæc Irminfridus, juxta quod regatem decuit dignitatem, clementer legato respondit, placita sibi placere populi Francorum [65], ab [66] eorum concordia non discordare, pace [67] omnimodis indigere, super negotio vero regni responsionem suam in amicorem præsentiam velle differre. Virumque honorifice tractans, fecit [68] eum secum aliquandiu manere. Audiens autem regina legatum fratris A supervenisse et locutum cum rege super negotio regni, suasit Iringo [69], ut pariter persuaderent viro, quia sibi regnum cessisset jure hereditario, utpote quæ filia regis erat et filia reginæ; Thiadricum vero suum [70] servum, tamquam ex concubina natum, et ideo indecens fore, proprio servo unquam manus dare [71]. Erat autem Iring [72] vir audax, fortis manu, acer ingenio, acutus consilio, pertinax in agendis rebus, facilis ad suadendum quæ vellet, hisque rebus animum sibi Irminfridi connexerat [73] Convocatis principibus et necessariis amicis, Irminfridus verba legati in præsentiam eorum contulit; at illi unanimiter suadebant quæ pacis atque [74] concordiæ sunt eum sentire [75], quia impetus Francorum ferre non posset, maximo qui acrioribus hostium armis ex alia parte premeretur. Iring vero votis lascivæ mu- B lieris satisfaciens, suasit Irminfrido Francis cedere non debere, super negotio regni justiorem causam se habere, latum præterea imperium, militum manus [76] et arma cæterasque belli copias sibi ac Thiadrico parum procedere (96). Secundum hæc verba Irminfridus respondit legato, amicitiam quidem sui et [77] propinquitatem Thiadrico non negare, mirari tamen [78] non posse, quomodo usurpare vellet prius imperium quam libertatem; servum natum, et quomodo sui quæreret dominium [79]? Proprio servo non posse manus dare. Legatus contra hæc satis commotus: *Mallem*, inquit, *hoc caput meum tibi tradere, quam hujuscemodi verba a te audire* [80], *sciens ea multo sanguine Francorum atque Thuringorum deluenda* [81]. Et hæc dicens reversus est [82] ad Thiadricum; quæ au- C divit non celat. Thiadricus autem nimiam iram vultu celans sereno [83]: *Oportet nos*, inquit, *ad servitium* [84] *Irminfridi festinare, quatinus qui libertate privamur inani saltem vita fruamur.* Et cum gravi exercitu appropians terminis Thuringorum, invenit cum valida quoque [85] manu generum (97) suum se expectantem in loco qui dicitur Runibergun [86] (98); et commisso certamine pugnatum est ancipiti bello una die et se-

VARIÆ LECTIONES

[56] ad rev. m. ex. mittunt 2. [57] cum scottis et pehttis facta A; cum scotis et pehitis firmata 3. [58] *deest* 3. 1? [59] recurramus *corr.* decurramus A *rec. manu.* [60] hugo 2. A. [61] *semper* ermenfrido; 1 *interdum* yrminfridus. [62] 2 *semper* thiedericus; 3 *plerumque* thiadericus; A *semper* theodericus. [63] ungent 3. [64] ipsum *usque* constitutum *desunt* 1? [65] placita s. f. p. placere 2. [66] ad 1. [67] pacem 1. [68] facit A. [69] hiringo 3. [70] *deest*. 3. [71] daret A. [72] irring. 1. *alibi vero* iring. hiringus 3 *semper*. [73] conexerat 1. connexuerat 3. [74] et 2. [75] consentire 2. [76] manus militum 2. [77] ac 3. [78] *add.* satis 6. *Rein.* cf. *tamen* c. 13. [79] dominum (dñm) 1. [80] audire a te 1. [81] diluenda 2. *sec. manu*. 3. [82] *deest* A. [83] sereno celans 2. [84] servitutem 1. [85] quoque cum valida 2. [86] runibergum 2. rumbergum 3.

NOTÆ

(91) Cf. III, 54, *totum exercitum revocavit.*

(92) Beda II, 15, *inito ad tempus fœdere cum Pictis*; Cf. Lappenberg p. 70, n. 4.

(93) Cf. Jordanem De rebus Geticis c. 2: *Britannia insula quæ in sinu Oceani inter Hispanias Gallias et Germaniam sita est.* Mirum est Widukindum veram nominis originem latitasse; Procopium et Gregorium papam primos novos Britanniæ incolas omnes Anglos vocasse, Lappenberg monuit p. 88, 118; quo tempore vero nomen Anglo-Saxonum increbuerit, nusquam indicatum legi.

(94) Quin Bedæ Historiam indicaverit non dubito, ibi et Saxonum gesta et conversio (II, 23) narrantur.

D (95) Hæc omnia quam maxime a vero abhorrere neminem fugiet; Theudericus rex Francorum cum tribus fratribus patri Chlodovecho successit; ipsum e concubina natum fuisse etiam Gregorius Turonensis II, c. 28, tradit; de patris nomine Huga cf. Ann. Quedl. Amalberga, Irminfridi uxor, neptis fuit Theoderici Gothorum regis Jordan. c. 58. Cf. Procop. I, 14.

(96) I. c. parum inter se differre. Cf. II, c. 10.

(97) *Generum* a Widukindo sæpissime pro *sororio* dici, jam Meibomius adnotavit. Cf. I, c. 22; II, c. 18, et sæpius. Interdum etiam latiori sensu eodem verbo utitur. Cf. I, c. 39; II, c. 2.

(98) Hodie Ronneberg. MEIBOM. — Ronnenberg

cunda; tertia vero devictus Irminfridus cessit Thiadrico, et fugiens tandem se recepit cum reliquo comitatu in urbe [87] quæ [88] dicitur Scithingi [89] (99), sita super fluvium quod[90] dicitur Unstrode[91]. Thiadricus autem, congregatis ducibus ac militum principibus, exercitus sui rogat sententiam, utrumnam censerent Irminfridum persequendum, an patriam remeandum. Inter. quos Waldricus [92] consultus : *Censeo*, inquit, *causa cæsis sepeliendi, vulneratos curandi, majorem exercitum congregandi, patriam remeandum; neque enim arbitror, multis milibus tuorum amissis, sufficere nos posse ad peragendum præsens bellum. Si enim barbaræ nationes innumeræ in nos consurgunt*[93], *multis nostrorum debilitatis, per quos vincis*[94]? Erat autem Thiadrico servus satis ingeniosus, cujus consilium expertus est sæpius probum, eique propterea quâdam familiaritate [95] conjunctus. Hic rogatus sententiam dare : *In rebus*, inquit, *honestis pulcherrimam semper esse arbitror perseverantiam, quam ita coluerunt majores nostri, ut acceptis* [96] *negotiis raro vel nunquam defecerent* [97]; *nec tamen labores nostros eorum æquandos putaverim, qui parvis copiis ingentes geutium copias superaverunt*[98]. *Nunc terra in nostra est* [99] *potestate, et discessione nostra victis occasionem vincendi præstabimus? Amplecterer et ipse patriam redire, familiarem necessitudinem videre, si hostem nostrum eo spatio scirem otio vacare. Sed vulnerati nostri forsitan hac re indigent. Castrorum esto labor; inpigris animis, reor, pro maxima voluptate est, Ergo cæsa multitudine exercitus est vehementer attenuatus. Hostesne omnes evaserunt* [100]? *certe rarissimus* [101]; *ipse namque dux ut quædam bestiola suo munitur latibulo, urbis circumdatur claustro, nec ipsum cœlum secure audet inspicere, nostro cogente timore. Sed non desunt ei pecuniæ, quibus conducantur nationes barbaræ; non deest militum manus, licet lassa. Quæ tamen omnia* [102] *nostra absentia redintegrantur. Indecorum est victoribus, victis vincendi locum dare. Num singulis urbibus administranda sufficimus* [103] *præsidia? Et eas omnes perdimus, dum imus et redimus.* Hæc eo prosequente, placuit Thiadrico omnibusque gloria [104] victoriæ avidis, manere in castris et mittere ad Saxones, qui jam olim erant Thuringis acerrimi hostes, quatinus ei essent in[105] auxilio : si quidem vincerent Irminfridum urbemque caperent, terram eis in possessionem æternam traderet. Saxones nichil cunctati, novem duces cum singulis milibus militum destinare non dubitant. Et ingressi duces in castra singuli cum centenis militibus, reliqua multitudine extra castra dimissa, salutant Thiadricum verbis pacificis. Quod [106] cum Thiadricus hilarior suscepisset, duxtris datis et acceptis, copiam viris fandi concessit. At illi : *Populus*, aiunt, *Saxonum tibi devotus et tuis parens imperiis, misit nos ad te; et ecce assumus, parati ad omne quodcumque* [107] *tibi* [108] *voluntas suggesserit, parati, ut aut hostes tuos vincamus, aut, si fortuna aliud jusserit, pro te moriamur; aliam enim causam nullam Saxonibus esse scias, nisi* [109] *vincere velle, aut certe vivere nolle; neque enim gratiam majorem amicis exibere possumus, quam ut pro eis mortem contempnamus; et ut hoc experimento discas, omnino desideramus.* Illis hæc loquentibus, mirati sunt Franci præstantes corpore et animo viros; mirati sunt et novum habitum, arma quoque et diffusos scapulas cæsarie [110], et [111] supra omnia ingentem animi constantiam. Nam vestiti erant sagis, et armati longis lanceis, et subnixi stabant parvis scutis, habentes ad renes cultellos magnos. Erant etiam qui dicerent tantis ac talibus amicis Francos non indigere; indomitum genus hominum fore, et si præsentem terram inhabitarent, eos procul dubio esse, qui Francorum imperium quandoque destruerent. Thiadricus vero, propriis utilitatibus consulens, suscepit in fide viros, demandans ut ad obpugnandam urbem præparentur[112]. Illi a rege regressi, castra metati sunt ad meridianam plagam [113] urbis in pratis fluvio contiguis; et postera die prima luce surgentes, sumptis armis obpugnant[114] oppidum (100) incenduntque. Capto oppido et incenso, aciem ordinant ex adverso portæ [115] orientalis. Clausi muris dum acies vident ordinatas, ac se in ultimis [116] necessitatibus constitutos, audacter erumpunt portis cæcoque furore irruunt in adversarios, et telis emissis, gladiis proinde res agitur. Cumque grave bellum orietur, plures hinc, plures inde sternuntur; istis[117] pro patria, pro uxoribus ac [118] natis, postremo pro ipsa vita pugnantibus, Saxonibus vero pro gloria et

VARIÆ LECTIONES.

[87] urbem 3. [88] qui 1. [89] scidingi A; scithinge 3. schidingin 2. schidinga 6. [90] qui 2. 3. [91] unstredæ 1. unstrod 2. unstruod 3. [92] waldericus 2. 3. [93] consurgant A. 2 3. nationes in nos consurgant innumeræ 2. [94] vincis 3. [95] quadam fam. propterea 2. [96] a ceptis ? [97] defieeret 1. [98] superaverint 1. superavere 3. [99] est in nostra 2. [100] evasere 3. [101] rarisumus 1. [102] *deest.* 1. [103] sufficeremus 1. [104] gloriæ 3. [105] *deest* 3. [106] quos A. [107] quod 2. [108] voluntas tibi 3. [109] ni A. * m. s. *desunt* 3. et novum habitum. mirati sunt 2. [110] *Ita* 1. *pr. manu et* 3. diffusas 1. *sec. manu et* 2, diffusos scapulis cæsarie A. diffusam scapulis cæsariem 6. [111] et ut s. 1. [112] et præparentur 2. A. [113] *deest* 3. [114] oppungnant 1. [115] ex adversa parte A. [116] ordinatos ac se multitudinis 1. [116] illis 2. 6. [118] et 2.

NOTÆ.

villa, hora et dimidia ab Hannovera inter meridiem et occidentem distans, in pago Marstem, mallo antiquo celebris : v. supra Ann. Quedlinburg p. 32. PERTZ.

(99) Hodie Burg-Scheidungen. Thuringos a Theuderico rege victos usque ad Unstrud fluvium fugatos esse, etiam Gregor. Turon. III, c. 7, narrat.

(100) Oppidum ædificia significat extra murum sita, nullo munimine tuta, ideoque plerumque primo impetu capta. Cf. III, 45.

pro terra adquirenda certantibus. Attollitur clamor [119] virorum invicem exhortantium, fragor armorum et gemitus morientium, talique spectaculo tota dies illa trahitur. Cumque ubique [120] fierint cædes, ubique ululatus et neuter [121] agmen loco cessisset, jam tardior hora prælium diremit. Eo die ex Thuringis multi interfecti, multi sauciati; de Saxonibus vero numerati [122] sunt sex milia cæsa.

10. Mittitur igitur Iring ab Irminfrido cum supplici legatione et omnibus suis thesauris ad Thiadricum pro pace ac spontanea deditione. Et accedens Iring hæc ait : ***Misit tibi quondam tuus propinquus, modo servus, ut*** [123] *si non sui miserearis, miseræ saltem tuæ* [124] *sororis miserearis, nepotum quoque tuorum* ***in ultima necessitate constitutorum.*** Dum hæc lacrimans [125] dixisset, interpellatio principium auro corruptorum adjecit, quia decens foret clementiæ regali, quo talem supplicationem non superneret, communium quoque naturæ rerum non obliviscitur, utiliusque esset [126], eum in fide suscipere, quem jam superatum haberet tamque [127] contritum, ut numquam se contra eum possit levare, quam illud genus hominum indomabile et ad omnem laborem perdurabile, a quo nichil expectaret Francorum imperium nisi solum periculum. In peracto [128] quoque bello considerare posset, quam duri [129] et insuperabiles [130] existerent Saxones, ideoque melius esse, ut susceptis Thuringis pariter eos ejicerent de finibus suis [131]. His dictis, licet invitus, flectitur tamen Thiadricus, promisitque postera die generum suum se [132] suscepturum Saxonesque abjecturum. His auditis, Iring vestigiis prosternitur regis, laudavitque sententiam clementiæ imperialis, et misso ad dominum optato nuntio, lætum eum omnemque urbem securiorem reddidit, mansitque ipse [133] in castris, ne quid adversi nox ipsa moliretur. Interea urbe ex pace promissa securiore reddita, egressus esse quidam cum accipitre, victum quæritans supra litus fluvii supradicti. Emisso [134] vero volucre, quidam ex Saxonibus in ulteriore ripa ilico eum [135] suscepit. Quo rogante [136], ut remittetur, Saxo dare negavit. Ille autem : *Da*, inquit, ***et secretum tibi sociisque*** [137] ***utile prodam.*** Saxo econtra : ***Dic, ut accipius quod quæris. Reges,*** inquit, ***inter se pace facta decretum tenent, si cras inveniamini in castris, capiamini, aut certe occidamini.*** Ad hæc ille : *Serione* [137*] *hæc an ludo* [139] *ais?* — ***Secunda hora,*** ait, *sequentis diei probabit, quia vos* A *oporteat sine ludis agere? Quapropter consulite vobis* ***ipsis, et fuga salutem quærite.*** Saxo statim emittens accipitrem, sociis retulit [139] quæ audivit. Illi satis commoti, in promptu [140] non inveniebant quid super hoc agere debuissent.

11. Erat autem tunc in castris quidam de veteranis militibus [141] jam senior, sed viridi senectute adhuc vigens, qui merito bonarum virtutum pater patrum dicebatur, nomine Hathagat (101). Hic arripiens signum quod apud eos habebatur sacrum, leonis atque draconis et desuper aquilæ volantis insignitum effigie [142], quo ostentaret fortitudinis atque prudentiæ et earum rerum efficatiam, et [143] motu corporis animi constantiam declarans, ait : *Huc usque inter optimos Saxones vixi, et ad hanc* B *fere ultimam senectutem ætas me perduxit, et nunquam Saxones meos* [144] *fugere vidi; et quomodo nunc* [145] *cogor agere quod nunquam didici? Certare scio, fugere ignoro. nec valeo; si fata non sinunt ultra vivere, liceat saltem, quod michi dulcissimum est, cum amicis occumbere. Exempli* [146] *michi paternæ virtutis* [147] *sunt amicorum corpora circa nos prostrata, qui maluerunt* [148] *mori quam vinci, impigras animas amittere quam coram inimicis loco cedere. Sed* [149] *quid necesse habeo exhortationem protrahere tantisper de contemptu mortis? Ecce ad securos ibimus, ad cædem tantum, non ad pugnam; nam de promissa pace ac nostro gravi vulnere nichil suspicantur adversi; hodierno quoque prælio fatigati, quemadmodum sunt sine metu, sine vigiliis et solita custodia manent. Irruamus* [150] *igitur super improvisos et somno se-* C *pultos; parum laboris est! Sequimini me ducem, et hoc canum caput meum vobis trado, si non evenerit quod dico.* Illius igitur optimis verbis erecti, quod supererat diei in reficiendis suis corporibus expendebant; deinde prima vigilia noctis dato signo, qua solet sopor gravior occupare mortales, sumptis armis, præcedente duce, irruunt super muros, invenientesque sine vigiliis ac custodiis, ingressi sunt urbem cum clamore valido. Quo excitati adversarii, alii fuga salutem quæsierunt, alii per plateas et muros urbis ut ebrii erraverunt, alii in Saxones, cives suos putantes, inciderunt. Illi vero omnes perfectæ ætatis morti tradiderunt, impuberes prædæ servaverunt [151]. Eratque nox illa plena clamoribus, cæde atque rapina, nullusque locus in omni urbe D quietus, donec aurora rutilans surgit, et incruentam declarat victoriam. Cumque penes regem, vi-

VARIÆ LECTIONES.

[119] *deest* 3. [120] ibi 2. [121] neutrum 2. 3. 6. [122] numerata 3. 1? 6. [123] et A. [124] sororis tuæ 2. 6. [125] lacrimis 1. [126] eum esset 1. esse A. 2. 3. [127] tamquam A. [128] imperato 1. imperacto A. [129] quandiu 1. quam diu 3. [130] superabiles A. [131] 1 *hic caput* 11. *incipit, quod cum indice præmisso haud convenit; scriptorem errasse inde apparet, quod postea c.* 17. *bis numeravit.* [132] *deest* 2. [133] in castris ipse 3. [134] emissa [131] eam 3. [136] in ulteriore — Quo rog *in* A. *secunda manu alius erasis scripta sunt.* [137] *add.* tuis A. [137*] serio A. 6. [138] an Indo hæc 2. [139] rettulit 1. [140] non inu. in promptu 2. A. [141] de vet. mil. *desunt* 4. [142] effige 2. [143] *deest* 2. A. [144] meos saxones 2. [145] *deest* 2. A. [146] exempla 2. exemplo 3. 6. [147] virtutes 2. 3. 6. [148] maluere 3. [149] set 1. [150] irruere 3. [151] quæsiere — erravere — incidere — tradidere — servavere 3.

NOTÆ.

(101) Eum tunc Saxonum ducem fuisse, Ruodolfus dicit l. I.

delicet Irminfridum (102), summa victoria [152] esset, requisitus, cum uxore ac [153] filiis ac raro comitatu evasisse repertus est.

12. Mane autem facto ad orientalem portam ponunt aquilam, aramque victoriæ construentes, secundum errorem paternum sacra sua propria veneratione venerati sunt; nomine Martem, effigie [154] columpnarum imitantes [155] Herculem, loco Solem [156], quem Græci appellant Apollinem (103). Ex hoc apparet æstimationem [157] illorum utumque probabilem, qui Saxones originem duxisse putant de Græcis, quia [158] Hirmin vel Hermis [159] Græce Mars dicitur; quo vocabulo ad laudem vel ad vituperationem usque hodie etiam ignorantes utimur (104). Per triduum igitur dies victoriæ agentes et spolia hostium dividentes exequiasque cæsorum celebrantes, laudibus ducem in cœlum attollunt, divinum et animum inesse cœlestemque virtutem acclamantes, qui sua constantia tantam eos egerit perficere victoriam. Acta sunt autem hæc omnia, ut majorum memoria prodit, die [160] Kal. Octobris, qui dies erroris religiosorum sanctione virorum mutati sunt in jejunia et orationes, oblationes quoque omnium nos præcedentium Christianorum (105).

13. His itaque omnibus patratis [161], reversi sunt ad Thiadricum in castra, et ab eo suscepti satisque laudati, et [162] terra præsenti in æternam possessionem donati sunt. Socii quoque Francorum et amici appellati, urbem, cui ab igne ut propriis mœniis pepercere, primum incoluerunt. Qui autem finis reges secutus sit, quia memorabilis fama est, pro-

A dere non neglego [163]. Missus denique Iring ad Thiadricum eo die quo capta est civitas, proxima nocte susceptus ab eo permansit in castris. Audito autem quia elapsus esset Irminfridus, egit, ut dolo revocaretur, et Iring eum interficeret, tamquam claris muneribus ab ipso donandus ac magna potestate in regno honorandus, ipse vero Thiadricus cædis illius quasi alienus existeret. Quod cum Iring ægre suscepisset, falsis promissionibus corruptus, tandem [164] cessit seque parere voluntati illius confessus est. Revocatus itaque Irminfridus, prosternitur vestigiis Thiadrici. Iring vero, tamquam armiger regalis stans secus evaginato gladio, prostratum dominum trucidavit [165]. Statimque ad eum [166] rex: *Tali facinore omnibus mortalibus odiosus factus, dominum tuum interficiendo, viam habeto apertam a nobis disce-* B *dendi* [167]*: sortem vel partem tuæ nequitiæ nolumus habere. Merito*, inquit Iring, *odiosus omnibus mortalibus factus sum, quia tuis parui dolis; antequam tamen exeam, purgabo hoc scelus meum vindicando* [168] *dominum meum*. Et ut evaginato gladio stetit, ipsum quoque Thiadricum obtruncavit, sumensque corpus domini, posuit [169] super cadaver Thiadrici, ut vinceret saltem mortuus, qui vincebatur vivus; viamque ferro faciens discessit. Si qua fides his dictis adhibeatur [170], penes lectorem est (106). Mirari tamen non possumus [171], in tantum [172] famam prævaluisse [173], ut Iringis nomine, quem ita vocitant, lacteus cœli circulus usque in præsens sit notatus (107).

C 14. Saxones igitur possessa terra summa pace

VARIÆ LECTIONES.

[152] victoriæ 2. 3. [153] effigie 2. [154] innitentes 4. [156] solis 3. *codices ita verba distinguunt, ut recepti.* [157] existimationem 2. æst. illorum app. 3. [158] qua A. [159] chermis 3. [160] *deest* 3. [161] peractis A. 2. 3[8] [162] *add.* in 3. [163] neglego 1. [164] *deest* 1. 3. [165] truncavit 2. [166] *add.* ait 3. 6. [167] discendendi 1. [168] vindicabo 1. 3. [169] *deest* 3 [170] adhibeatur dictis 2. [171] *add.* satis 6. cf. *supra c.* 9. [172] tantam 1. [173]. prævaluisse famam 2.

NOTÆ.

(102) I. e. in rege Irminfrido capiendo vel occidendo.

(103) Deum Hirmin victoria reportata Saxones venerati sunt; Hirmin eumdem quem Hermem Widukindus putavit, quem vero Hermem. i. e. Mercurium, appellat a Græcis Martem dici, errones statuit. Cæterum verba V, clarissimi I. Grimm. litteris mecum communicata affero: « Widukind sagt also: der sachsiche Hirmin bedeutet dem namen nach den Mars (d. i. den Mercur), dem bilde nach den Hercules (weil er heldenmassig gerustet erscheint, wie Wuotam in der regel nicht) dem orte der aufrichtung nac die Somne; das kann, wie Sie selbst schon anmerken, bloss auf die orientalis porta bezogen werden. » De deo Hirmin cf. ejusdem Myth., p. 209-etc., ubi vero priorem lectionem secutus est. — Locum, Ruodolfi sententia de Irminsula (supra SS. II, 676) allata, ita explicaverim: in censtruenda ara Victoriæ deos suos veneratione cuilibet eorum propria venerati sunt, scilicet Martem nomine ejus i. e. Irmin ... imposito, Herculem forma ejus effigie columnarum (*bild-saule*) imitata, columna lignea in altum erecta quæ Herculis signum quodammodo exprimeret, solem loco aræ ad portam orientalem selecto. Ea Widukindi sententia; narrat itaque Saxones in signum victoriæ ad portam Schidingæ orientalem aram Irminsul erexisse. Hinc et loco Taciti Ann. I, 61: « truncis arborum antefixa ora; lucis propinquis barbaræ aræ apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactaverant, » lux affunditur. PERTZ.

(104) « Heissem die letzten worte: vir verwendem das verstarkende præfix irmin — ohne seinem sinn zu verstehen bei wortern guter und ubler bedeutung? » Ita I Grimm Myth., p. 210, dubio procul D recte hæc verba interpretatus est. Cf. ib. p. 82 sqq. — Mihi relativum ad Mars referendum esse videtur, quo vocabulo ignorantes, — nam Hirmin minime ignorabant, — Saxones lingua sua ad laudem in voce *mari, mar*, clarus, ad vituperationem in voce incubum significante *mara* et compositis earum utebantur. PERTZ.

(105) Inde a Dominica proxima post festum Michaelis incipit hebdomas illa *die gemeine Wochen*, cujus vestigia usque ad s. XVI et ultra inveniuntur, quamque etiam chron. vetus ducum Brunsw. Leib. II, p. 16. cum hac Saxonum victoria conjunxit. Plura de eo testimonia collegit Halthaus cal. medii ævi p. 131. Iisdem diebus etiam festum cisæ deæ Suevicæ celebratum esse, Grimn adnotavit Myth. pag. 188.

(106) Hanc narrationem ex priscis carminibus haustam esse nemo non intelligit.

(107) Cf. Grimm Myth., p. 214 sqq.

quieverunt, societate Francorum atque amicitia usi. Parte quoque agrorum cum amicis auxiliariis vel manumissis distributa, reliquias pulsæ gentis tributis condempnaverunt [174]; unde usque hodie gens Saxonica [175] triformi genere ac lege præter conditionem servilem dividitur [176] (108). A tribus etiam principibus totius gentis ducatus administrabatur, certis terminis exercitus congrgandi potestate contenti [177], quos suis locis ac vocabulis novimus signatos, in Orientales scilicet populos, Angarios atque Westfalos [178]. Si autem universale bellum ingrueret [179], sorte eligitur, cui omnes obedire oportuit [180], ad administrandum imminens bellum. Quo peracto æquo jure ac lege, propria contentus potestate unusquisque vivebat (109). De legum vero varietate nostrum non est in hoc libello disserere, cum apud plures inveniatur lex Saxonica diligenter descripta. Suavi [181] vero Transbadani [182] (110) illam quam incolunt regionem eo tempore invaserunt, quo Saxones [183] cum Longobardis Italiam adierunt [184], ut eorum narrat historia (111), et ideo aliis legibus quam Saxones utuntur (112). Igitur Saxones variam fidem Francorum experti, de quibus nobis non est dicendum, cum in eorum gestis (113) inveniatur scriptum, paterno errore obligati usque ad tempora Karoli [185] Magni perdurarunt [186].

15. Magnus vero Karolus cum esset regum fortissimus, non minori sapientia vigilabat. Enim vero considerabat, quia suis temporibus omni mortali prudentior erat, finitiam gentem nobilemque vano errore retineri non oportere; modis omnibus satagebat, quatenus ad viam [187] veram duceretur, et nunc blanda suasione, nunc bellorum impetu ad id cogebat, tandemque tricesimo imperii sui anno obtinuit; imperator quippe ex rege creatus est, quod multis temporibus elaborando non defecit. Ob id qui olim socii et amici erant Francorum, jam fratres et quasi una gens ex christiana fide, veluti modo videmus, facta est.

16. Ultimus vero Karolorum apud orientales Francos imperantium Hluthowicus [188] ex Arnulfo [189] fratruele Karoli, hujus Lotharii regis proavi (114), natus erat. Qui (115) cum accepisset uxorem nomine Liudgardam [190], sororem Brunonis ac magni ducis Oddonis [191], non multis post hæc vixerat annis. Horum pater erat Liudulfus [192], qui Roman profectus transtulit reliquias beati Innocentii papæ (116). Ex quibus Brun [193] cum ducatum administrasset [194] totius Saxoniæ, duxit exercitum contra Danos, et inundatione repentina circumfusus, non habens locum pugnandi, periit cum omni exercitu (117), fratri natu quidem [195] minori, sed omni virtute multo potiori, relinquens ducatum (DCCCLXXX). Regi autem Hluthowico non erat filius, omnisque populus Francorum atque Saxonum (118) quærebat Oddoni diadema imponere regni. Ipse vero quasi jam gravior (119) recusabat imperii onus; ejus tamen consultu Conradus [196] quondam dux [197] Francorum unguitur [198] in regem; penes Oddonem tamen summum semper et ubique fiebat [199] imperium.

VARIÆ LECTIONES.

[174] condemnave 3. [175] saxonia 3. [176] præter — dividitur *desunt* 2. [177] contendendi 2. [178] westvalos 3. [179] ingruerit 2. *sec. m. et* A. [180] oporteat 2. [181] suavi 1. suabi 2. suevi 3. [182] transpadini 2. transalbini 3. [183] saxonis 1. [184] adiere 3. [185] 1. 3. (A) *semper* carolus. [186] perdurabant A. 2. 3. [187] ueram uiam A. 2. 3. [188] *ita ubique scripsi, duce Ann. corb. et* 1. *ubi interdum* hluthouicus et hluthuuicus *sæpius vero* luthuuicus *aut* luthouicus ludewicus *postea* ludewicus A. ludowicus 2.; 3 *semper fere* Lothowicus. [189] 3. *plerumque*: Arnulpho. [190] 2. *modo* luidg., *modo* liudg.; A. *semper* ludgarda. [191] 2. *modo* otto, *modo* oddo, A. et 3. *semper* otto. [192]. 2. luidolfus *et* liudolfus, A. *semper* ludolfus, 3. *plerumque* luidolphus. [193] Bruno 3. [194] administraret 3. [195] quoque A. [196] conradus 2. chunradus A. Cunradus 3. [197] *deest* 2. [198] ungitur A. 2. 3. [199] vigebat 2. 3. 7.

NOTÆ.

(108) Saxones bello attenuatos terræ partem maxime orientalem colonis tradidisse, Ruodolfus narrat p. 675; postea quatuor gentis ordines affert, quarto loco servos ponens. Ipso auctore nostrum hæc scripsisse, vix tamen putarim.

(109) Cf. Bedam v, c, 11: « Non enim habent regem iidem antiqui Saxones, sed satrapas plurimos suæ genti præpositos, qui ingruente belli articulo mittunt æqualiter sortes, et quemcumque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur et huic obtemperant; peracto autem bello rursum æqualis potentiæ omnes sunt satrapæ. » Hæc verba Widukindo haud repugnare videntur; Frecht etiam ex illis nostrum sua hausisse statuit.

(110) I. e. Suevi trans Badam (Bode) in pago Suevego habitantes. Cf. Grupen Origines ii, p. 397 sqq.

(111) Paulus Diaconus ii, c. 6.

(112) Hujus rei vestigia per totum medium ævum mansisse, ex speculo Saxonum, quod dicunt, apparet. Cf. Homeyer Index s. v. Schwabe, p. 372.

(113) Fortasse Eginhardi liberi, Caroli Vita et Annales, ex quibus quæ sequuntur hausta possunt videri.

(114) Lotharius inde ab a. 954 rex Francorum occidentalium; Widukindus vero ejus abavum (non proavum) Carolum Calvum et Carolum Crassum Arnulfi patruum inter se confundit, Cf. c. 28.

(115) Non Ludovicum Arnulfi filium, sed Ludovicum quem dicunt juniorem, Ludovici Germanici filium, Pii nepotem Liudgardam duxisse, jam Meibominus satis probavit.

(116) De hac translatione cf. Agium Vita Hathumodæ cap. 1, Hrotsuith de cœnon. Gandersh. v. 118 *sqq.*; Wedekind (Noien I, p. 159 *sqq.*) eam a. 844 factam esse ostendit.

(117) Cf. Ann. Fuldenses a. 880, de loco prælii vero Grupen Orr. Germ. II. p. 214 *sqq.*; Wedekind Noten I, p. 295 *sqq.* Idem monuit, cum Thietmaro (p. 32) fluminis, neque cum Ann. Saxone (a. 879) copiarum inundatione esse intelligendam.

(118) Cf. i, c. 26; ii, c. 1.

(119) Jam a. 866 ante quadraginta sex annos pater ejus Liudulfus mortuus est. Vide Ann. Xantenses h. a.

17. Natus est autem ei filius toto [200] mundo necessarius, regnum maximus optimus, Heinricus, qui primus libera potestate regnavit in Saxonia (120). Qui cum primæva ætate omni genere virtutum vitam suam ornaret, de die in diem proficiebat præcellenti prudentia et omnium bonorum actuum [201] gloria; nam maximum ei ab adolescentia studium erat in glorificando gentem suam et pacem confirmando in omni potestate sua. Pater autem videns prudentiam adolescentis et consilii magnitudinem, reliquit [202] ei exercitum et militiam adversus Dalmantiam [203] (121), contra quos diu ipse militavit. Dalamanci [204] vero inpetum [205] illius ferre non valentes, conduxerunt adversus eum Avares, quos modo Ungarios [206] vocamus, gentem belli [207] asperrimam (DCCCCVI).

18. Avares autem, ut quidam putant, reliquiæ erant Hunorum [208]. Huni egressi sunt de Gothis, Gothi autem de insula, ut Jordanis [209] narrat (122), nomine Sulza egressi sunt. A proprio autem duce, nomine Gotha [210], Gothi appellati sunt. Coram quo cum quædam mulieres in exercitu suo rerum veneficarum arguerentur, requisitæ sunt et inventæ culpabiles, Quarum cum esset multitudo, a merita quidem pœna abstinuit, ab exercitu tamen omnes ejecit. Ejectæ autem silvam proximam [211] petierunt; quæ cum mari cingeretur [212] et Meoticis paludibus, inde exeundi aditus non patebat, Prægnantes autem [213] jam quædam [214] ex illis ibidem partum ediderunt. A quibus cum alii atque alii nascerentur, facta est gens valida; ferarumque more viventes, inculti et indomiti, facti sunt venatores acerrimi. Post multa vero sæcula, cum aliam mundi partem illic commorantes penitus ignorarent, contingit cervam venatu inveniri eamque persequi, donec ipsa præcedente, omnibus retro mortalibus intransmeabilem hactenus viam per Meoticas paludes transmearent; ibique urbes et oppida et invisum antea genus hominum videntes, eadem via reversi sunt, sociis talia referentes. Illi autem curiositatis causa cum multitudine perrexerunt audita probare. Finitimæ autem urbes et oppida, cum ignotam multitudinem et corpora cultu habituque horrenda vidissent, dæmonia esse credentes, fugiebant. Illi vero ad novas rerum facies stupentes, admirati [215], primum quidem a cæde atque rapina abstinuerunt, sed nemine resistente, humana tacti cupidine [216], multa cæde hominum facta, nulli rei proinde parcebant; et capta præda magna, ad sedes suas reversi sunt. Videntes autem, quia res eis secus cederent, cum uxoribus ac filiis et omni agresti [217] suppellectili iterum venientes, et finitimas gentes circumquaque vastantes. Pannoniam postremo inhabitare cœperunt.

19. Victi autem a magno Karolo [218] et [219] trans Danubium pulsi ac ingenti vallo circumclusi [220] (123), prohibiti sunt a consueta gentium depopulatione. Imperante autem Arnulfo, destructum est opus, et via eis nocendi patefacta, eo quod iratas esset imperator Centupulcho [221] regi [222] Marorum [223] (124). Deinde quantam stragem quantamque injuriam imperio Francorum fecerint, urbes ac regiones adhuc desolatæ testantur. Hæc ideo de hac gente dicere arbitrati sumus, ut possit tua claritas agnoscere, cum qualibus avo tuo patrique certandum fuerit, vel a [224] quibus hostibus per eorum providentiæ virtutem et armorum insignia tota jam fere [225] Europa liberata sit.

20. Prædictus igitur exercitus Ungariorum a Slavis [226] conductus, multa strage in Saxonia facta, et iufinita capta præda, Dalamantiam [227] reversi, obvium invenerunt alium exercitum Ungariorum, qui comminati sunt bellum inferre amicis eorum, eo quod auxilia eorum sprevissent, dum illos ad tantam prædam duxissent. Unde factum est, ut secundo vastaretur Saxonia [228] ab Ungariis, et priori exercitu in Dalmantia secundum expectante, ipsa quoque in tantam penuriæ miseriam ducta sit, ut aliis nationibus eo anno, relicto proprio solo, pro annona servirent.

21. (DCCCCXII). Igitur patre patriæ et magno duce Oddone defuncto, illustri et magnifico filio Heinrico totius Saxoniæ [229] reliquit [230] ducatum. Cum autem ei essent et alii filii, Thancmarus [231] et Liudulfus, ante patrem suum obierunt. Rex autem Conradus cum sæpe expertus esset virtutem novi ducis, veritus est ei tradere omnem potestatem patris (125). Quo factum est, ut indignationem incur-

VARIÆ LECTIONES.

[200] toti 3. *deest* 2. [201] bonarum artium A. [202] reliquid 1. [203] 2. *semper* dalmatiam. [204] dalanci 1. dalamanti A. dalmati 2. Dalmatæ 3. [205] impetus 2. [206] 3. *semper* Ungaros. [207] *deest* 2. [208] hunonum 1. [209] Jordanus 3. [210] Gotho 3. [211] *deest* 2. [212] cingerentur 2. 3. [213] *deest* 1. [214] quædam jam 2. [215] admirari 2. [216] sed — cupidine *desunt* 2. [217] aggresti 1. [218] karolo magno 2. [219] *deest* A. [220] circumfusi 3. [221] Centupulchro 3. [222] *deest* 3. [223] maurorum 2. Moravorum 3. [224] *deest* 2. [225] *deest* 1. [226] 1. *plerumque* slavi, *nonnunquam c. littera superscripta*, 2. *modo* slavi, *modo* sclavi. A. *et* 3. sclavi. [227] in Dalmatiam 3. [228] vastarent saxoniam 1. [229] *add.*: ipse 3. 1? [230] reliquid 1. [231] thangmarus A. 2.

NOTÆ.

(120) Hæc verba ex alio Widukindi loco (I, c. 34) interpretanda esse jam Meibomius intellexit; Heinricus primus ita Saxoniam rexit, ut omni alia potestate semota ipse rex et dux totum terræ imperium teneret.

(121) Hæc Slavorum provincia, ab ipsis Thietmaro teste (p. 4) Glomaci vocata, prope Albiam in territorio Misnensi sita fuit.

(122) Jord. c. 3, qui insulam Scandza appellat; quæ sequuntur ex eodem c. 24 desumpta sunt.

(123) Carolum Magnum Avares vallo magno circumclusisse, sæculo x vulgaris fuit opinio. Cf. Liudprand. I, c. 13.

(124) Swatopluk sive Zwentibaldus dux Moravorum.

(125) Thietmar (p. 6.): « hæreditatem jure et

reret totius exercitus Saxonici [232]. Ficte tamen pro laude et gloria optimi ducis plura locutus, promisit se majora sibi daturum, et honore magno glorificaturum [233]. Saxones vero hujuscemodi simulationibus non adtendebant, sed suadebant [234] duci suo, ut si honore paterno cum nollet sponte honorare, rege [235], invito, quæ vellet obtinere posset. Rex autem videns vultum Saxonum erga se solito austeriorem nec posse publico bello eorum ducem conterere, subpeditante [236] illi fortium militum (126) manu, exercitus quoque innumera multitudine, egit, ut quoquo modo interficeretur dolo.

22. (127) [237] Erat autem ea tempestate Magontiacæ sedis antistes nomine Hatho [238], acutus consilio, acer ingenio, et qui varietate sibi consueta multos mortales præcederet. Hic volens placere regi Conrado Francorumque simul populo, arte solita virum nobis proprie a summa clementia concessum aggressus est, fecitque ei torquem auream (128) fa-
A bricari, et invitavit ad convivium, quo magnis ab eo muneribus honoraretur. Interea pontifex opus considerandi gratia ingreditur ad aurificem, et visa torque, ingemuisse fertur. Gemitus causam aurifex interrogat. Cui respondit, quia optimi viri [239] et sibi carissimi, scilicet Heinrici, sanguine illa torques deberet intingui. Aurifex audita silentio texit [240], et opere perfecto traditoque, missionem petit [241] et accipit; et obvians duci eunti ad ea negotia, indicavit ei quæ audivit. Ipse autem vehementer iratus, vocat legatum pontificis qui jampridem aderat invitandi eum gratia: *Vade*, inquit, *dic Hathoni* [242], *quia durius* [243] *collum non gerit Heinricus quam Adelberhtus* [244], *et quia melius rati sumus, domi sedere, et de ejus servitio tractare, quam comitatus nostri multitudine modo eum gravare*. Is, ut ferunt, Adel-
B berhtus, ab ipso quondam pontifice in fide susceptus, ejus est consilio deceptus; quod quia non probamus, nunquam affirmamus, sed fulgi rumore magis

VARIÆ LECTIONES.

[232] saxonici exercitus 2. [233] et - - glorificaturum *desunt* 1. [234] sed suadebant *desunt* 1. [235] regi A. 1? [236] suppetente. 3. [237] *De hoc loco cf. præfationem; textum codd.* 2. 3, *etiam* 6, 7, *legerunt*. [238] hatto 1. [239] *deest* 1. [240] tegit 2, *prima manu*. [241] petiit 1. [242] athoni 1; 3 *semper* Hattoni. [243] duriorem 1. [344] adelberthtus 1, *postea vero* adelberhtus; 2, 3, *semper* adelbertus.

NOTÆ.

maximam beneficii partem gratuito regis suscepit ex munere. » Conradus Thuringiæ pagos a patre Ottone administratos novo duci denegasse videtur.

(126) Milites Widukindo vassalli majores sunt. Cf. c. 22, II, 1.

(127) *Codd.* 2, 3. Ad hocque negocium habens, ut fertur, maxime idoneum Mogonciacæ sedis episcopum, nomine Hathonem (Hattonem 3). Hic obscuro genere natus ingenioque acutus, ut (et 3) qui difficile discerneretur, melior consilio foret an pejor. Quod ex uno ejus actu colligi potest. Nam cum bellum esset Cuonrado (Chuonrado β), regis Cuonradi patri (patre 2), et (et cum β) Adelberto (Adalberto β) (Heinrici ex sorore nepoti (nepote β. h. e, s. n. *desunt* 2), primus (primum 3 β) interfectus est frater Adelberti; postea (est, f. A. p. β) in ultionem fratris Cuonradus quoque occisus est ab Adalberto, nec (ne 2) ullus regum tam ingens bellum inter eminentes viros potuit sedare (s. p. 6), Summus postremo pontifex mittitur ad sedandam tam ingentem discordiam; et ingressus civitatem Adelberti. sub jurejurando spospondit, aut ei pacem cum rege facturum, aut incolumem loco suo restituturum (const. 3.) His pactis consentiens Adelbertus, fidei gratia et amicitiæ quod dignaretur aliquid gustare, rogavit. Quo negante, ilico egressus est urbem. Cumque pertransisset oppidum cum omni comitatu, fertur clamasse (proclamasse 3): *Proh*, inquit, *sæpius petit, qui oblata spernit; tædet me longioris viæ, tardiorisque horæ; nam jejuni tota die non possumus ambulare.* Lætus Adelbertus inclinatur (inclinavit se 3) ad genua pontificis, et ut gustandi gratia in urbem reverteretur deposcit. Pontifex in urbem reversus cum Adelberto, liberatur a lege juramenti, ut sibi videbatur, eo quod incolumem eum loco suo constituisset. Post hæc regi a pontifice præsentatus Ludwico et dampnatus, capitalem accepit sententiam. Hac igitur perfidia quid nequius (*ms.* niquius 4?) Attamen uno capite cæso, multorum capita populorum salvantur. Et quid melius eo consilio, quo discordia dissolveretur, et pax redderetur. Ea itaque varietate virum nobis *etc. ut codex* 1, *omissa tamen sententia.* « Is ut ferunt Adelberhtus.. credimus. » *usque* dissolutus post tertium diem (deest 2) defecisset.

Codex A. Denique ab amicis regiis ei insidiæ (insidiare *e*) machinantur. Quæ tamen ab aurifice, torquem auream ad usus doli fabricante, deteguntur.
C Quidam enim insidias tendentium ingressus ad aurificem opus considerandi gratia, eoque inspecto, altins ingemuisse fertur. Tanti gemitus causam dum faber interrogat, hoc responsi accepit, quia optimi viri Heinrici post modicum deberet illa torques sanguine infundi. Audita faber tamquam parvipendens silentio texit. Opere perfecto traditoque, missionem petit et accepit, occurrensque duci juxta locum qui dicitur Cassala, secreto interrogat, quo iturus esset. Ille se ad convivium munusque honorificum invitatum, et ad hoc ire velle respondit. Aurifex ilico audita prodit et ducem ab itinere prohibuit. Vocat autem legatum qui ea hora invitandi eum gratia aderat, imperatque suis dominis gratias agere pro fideli invitatione, non posse vero in præsenti eos visitare propter repentinas barbarorum incursiones; ceterum in sui servitio incunctanter permansurum. Ad orientem autem versus cum suo comitatu, collecta manu, omnia quæ erant pontificis qui eo tem-
D pore Maguntiæ præerat, Hatonis, in omni Saxonia vel Thurinhorum terra occupavit. Buchardum quoque et Bardonem, quorum alter gener regis erat, in tantum afflixit et bellis frequentibus contrivit, ut terra cederent, eorumque omnem possessionem suis militibus divideret. Hatho (Hattho *c*) autem videns suis artibus finem impositum, Saxonumque res florescere, nimia tristitia ac morbo pariter confectus, non post multos dies deficiens, diem extremum obiit, vir magnæ prudentiæ, et qui tempore Ludewici adolescentis super imperio Francorum acri cura vigilabat, multas discordias in regno reconciliabat, templum Maguntiæ nobili structura illustrabat.

(128) De hoc mortis genere cf. Waltharium 1059, ed. Grimm, p. 39. Cf. p. 72.

fictum credimus. Et statim omnia quæ juris ipsius[245] (129) erant in omni Saxonia[246] vel Thuringorum terra occupavit Burghardum[247] quoque et Bardonem (130, quorum alter gener regis erat, in tantum afflixit, et bellis frequentibus contrivit, ut terra cederent (131), eorumque omnem possessionem militibus[248] suis divideret. Hatho autem videns suis calliditatibus finem impositum, nimia tristitia[249] ac morbo pariter non post multos dies confectus interiit. Fuerunt[250] etiam, qui dicerent, quia fulmine cœli tactus eoque ictu dissolutus, diem postremum defecisset (DCCCCXIII, *Mai* 15) (132.)

23. DCCCCXV) Rex autem misit fratrem cum exercitu in Saxoniam eam devastandam. Qui appropians urbi quæ[251] dicitur Heresburg[252], superbe locutum tradunt, quia nichil ei majoris[253] curæ esset, quam quod Saxones pro muris se ostendere B non auderent quod cum eis dimicare potuisset. Adhuc sermo in ore ejus[254] erat, et ecce Saxones ei occurrerunt miliario uno ab urbe, et inito certamine, tanta[255] cæde Francos mulctati[256] sunt, ut a mimis (133) declamaretur, ubi tantus ille infernus esset, qui tantam multitudinem cæsorum capere posset. Frater autem regis Evurhardus[257], liberatus a timore absentiæ[258] Saxonum — nam eos præsentes vidit — et ab ipsis turpiter fugatus, discessit.

24. Audiens autem rex male[259] pugnatum a fratre, congregata[260] omni virtute Francorum, perrexit ad requirendum Heinricum. Quem compertum in præsidio urbis quæ dicitur Grona[261] (134), tomptavit illud obpugnare præsidium. Et missa legatione pro spontanea deditione, spondet, se per hoc C sibi amicum affuturum, non[262] hostem experturum (135). Huic legationi intervenit Thiadmarus[263] ab Oriente (136), vir disciplinæ militaris peritissimus, varius consilioque magnus, et qui calliditate ingenita[264] multos mortales superaret. Hic superveniens legatis regis præsentibus, interrogat, ubi A vellet exercitum[265] castra metari[266]. At ille jam suasus cedere Francis, accepit fiduciam, audiens de exercitu, credens ita esse. Thiadmarus vero ficte loquebatur; cum quinque enim[267] tantummodo viris venerat[268] De numero autem legionum sciscitante[269] duce, ad triginta fere legiones se producere[270], respondit[271]; et ita delusi legati regressi sunt ad regem. Vicit vero eos calliditate sua Thiadmarus, quos ipse dux ferro vincere[272] non potuit Heinricus. Nam antelucanum relictis castris[273] Franci, unusquisque rediit[274] in sua.

25. Rex autem profectus in Bojoariam[275], dimicavit cum Arnulfo (137), et ibi, ut quidam tradunt, vulneratus, revertitur in patriam suam (DCCCCXVIII). Cumque se morbo sensisset laborare pariter cum defectione primæ fortunæ, vocat B fratrem, qui eum visitandi gratia aderat[276], quemque[277] ita alloquitur: *Sentio*, inquit, *frater*, *diutius me istam vitam tenere non posse, Deo, qui ordinavit ita*[278], *imperante gravique morbo id cogente. Quapropter considerationem tui habeto, et quod ad te maxime respicit, Francorum toto*[279] *regno consulito*[280], *mei*[281] *attendendo fratris tui consilio. Sunt nobis, frater, copiæ exercitus congregandi atque ducendi, sunt urbes et arma cum regalibus insigniis, et omne quod decus regium deposcit, præter fortunam atque mores. Fortuna, frater, cum nobilissimis moribus Heinrico cedit, rerum publicarum secus Saxones summa est. Sumptis igitur his insigniis, lancea sacra*[282], *armillis aureis cum clamide, et veterum gladio regum ac diademate, ito*[283] *ad* C *Heinricum, facito pacem cum eo, ut eum fœderatum possis habere in perpetuum. Quid enim necesse est, ut cadat populus Francorum tecum coram eo? ipse enim vere rex erit et imperator multorum populorum.* His dictis frater lacrimans se consentire respondit. Post hæc autem rex ipse moritur, vir fortis et potens, domi militiaque[284] optimus, largitate serenus, et

VARIÆ LECTIONES.

[245] sui juris 2. [246] saxonia omni 2. [247] Burchardum 2. [248] suis militibus 2, 3. [249] justitia 4. [250] fuere 3. [251] qui 1. [252] heresburch 2, A. [253] majori 3. [254] *deest* 2. [255] tantos 2. [256] multati 2, A. [257] 2, 3, *semper* everhardus. A. *semper* eberhardus. [258] absentium A. [259] turpiter A. [260] congregato 1. [261] Gruona 6,7. [262] ne 1. [263] thiatmarus 2. *pr. manu et* 3. *semper*; thietmarus 2, *sec manu et postea semper*; A *semper* diethmarus. [264] ingenti 2, ingenii 3, 7. [265] exercitus 1. [266] castra metiri 2, *pr. manu.* [267] *deest* A. [268] veniebat 2; cum quinque — venerat *desunt* 1. [269] scissitante 1. [270] p. posse 3, A. [271] de numero — respondit *desunt* 2. [272] vincere ferro A. [273] *deest* 1. [274] redit 1. [275] bawariam A, 2; *interdum vero* 2, boioariam; Baioariam 3. [276] adierat 2, 3, 5, 7. [277] quem 3. [278] ita ordinavit 2. [279] toti 3. [280] consuito 1. [281] *deest* 3, meo 6, 7. [282] sacra lancea 2. [283] et ito 1. [284] militiæque 3.

NOTÆ.

(129) I. e. Hathonis, ut et Thietmarus locum intelligit.

(130) Burchardum et Bardonem filios fuisse Burchardi ducis, a. 908 occisi, recte Wenck (Hist. Hass. II, p. 545, n. e.) statuisse videtur; uter gener i. e. sororius regis fuerit, non constat.

(131) Comites illos in australi Thuringiæ parte possessiones suas habuisse, iisque potitum, totam Thuringiam Heinricum inde ad hoc tempore tenuisse, verisimile est.

)132) Ekkehardo teste Italica febre consumptus est.

(122) Joculatores, histriones, scurræ sæculo IX et X sæpius memorantur; iidem mimi etiam in epistola D Hermenrici Augiensis nominati sunt.

(134) Grona villam prope Cottingam intelligendam esse, verisimillimum videtur; de Grohnde et Gronau alii cogitarunt.

(135) Cf. III, 53 : *Amicum per hoc adepturum, non hostem experturum.*

(136) Comes pagi Nordthuringowe, Heinrico rege inter primores Saxoniæ cf. c. 36. Quæ vero de ipso hoc loco traduntur, vix historiæ conveniunt.

(137) Arnulfum a. 917 rebellasse, tradunt Ann. Alam. tunc secundo contra eum profectus est Conradus eumque Liudprando teste (II, 19) ad Ungarios expulit.

omnium virtutum insigniis [285] clarus; sepeliturque in civitate sua Wilinaburg [286] (138) cum mœrore ac lacrymis omnium Francorum (139).

26. Ut ergo Rex imperarat, Everhardus [287] adiit Heinricum, seque cum omnibus thesauris illi tradidit, pacem fecit, amicitiam promeruit, quam fideliter familiariterque usque in finem obtinuit. Deinde congregatis principibus et natu majoribus exercitus (DCCCCXIX) Francorum in loco qui dicitur Eridisleri [288] (140), designavit eum regem coram omni populo Francorum atque Saxonum. Cumque ei offerretur unctio cum diademate a summo pontifice, qui eo tempore Hirigerus [289] erat (141), non sprevit, nec tamen suscepit: *Satis*, inquiens, *michi est, ut præ majoribus meis* [290] *rex dicar et designer, divina annuente gratia ac vestra pietate; penes meliores vero* B *nobis unctio et diadema sit; tanto honore nos indignos arbitramur* [291]. Placuit itaque sermo iste coram universa multitudine, et dextris in cœlum levatis, nomen novi regis cum clamore valido salutantes frequentabant.

27. Eo ordine rex factus Heinricus, perrexit cum omni comitatu suo ad pugnandum contra (DCCCCXX) Burghardum [292], ducem Alamanniæ [293]. Hic cum esset bellator intolerabilis, sentiebat tamen quia valde prudens erat, congressionem regis sustinere non posse, tradidit semet ipsum ei cum universis urbibus et populo suo [294]. Et rebus prospere gestis, transiit inde in Bojoariam, cui præsidebat Arnulfus dux. Quo comperto in præsidio urbis quæ [295] dicitur Raginesburg [296], obsedit eum. Videns autem Arnulfus, quia resistere regi non sufficeret, apertis portis, C egressus est ad regem, tradito semet ipso [297] cum omni regno suo. Qui honorifice ab eo susceptus, amicus regis appellatus est. Rex autem de die in A diem [298] proficiens et crescens, robustior majorque ac clarior pollebat. Cumque regnum sub antecessoribus suis ex omni parte confusum civilibus atque externis bellis colligeret [299], pacificaret et adunaret, signa movit contra Galliam et Lotharii regnum.

28. Lotharius enim erat filius Hluthowici [300] imperatoris, a magno Karolo nati; huic erant fratres Karolus et Hluthowicus. Karolo Æquitaniæ [301] et Wascanorum [302] cessere regiones, terminum habens [303] ab occidente Barcillonam [304], Hispaniæ [305] urbem, ab aquilone Brittanicum mare et ad [306] meridiem juga Alpium, ad orientem vero Masam [307] fluvium. Inter Masam [308] vero fluvium et Renum [309] Lothario regnum cessit. Hlutbowico [310] autem a Reno usque ad fines Illirici [311] et Pannoniæ, Adoram B (142) quoque [312] fluvium et terminos [313] Danorum imperium erat. Sub his fratribus bellum famosum actum est in Phontinith [314], antequam hæc divisio regni fieret. Postea vero facta inviolabiliter mansit, quousque jure hereditario hæc regna omnia cederent Karolo (143), hujus Lotharii [315] proavo, de quo supra (144) mentionem fecimus.

29. Hunc quidam ex orientalibus Francis adiens, nomine Oda, vir fortis et prudens, egitque [316] consilio suo, ut cum Danis bene pugnaretur, qui jam multis annis Karoli regnum [317] vexabant, unaque die ex eis ad centum milia cæderentur (145). Ex hoc ille Oda clarus et insignis habitus et a rege secundus significatus, cum ad eum venerit uno tantum servulo comite contentus [318]. Moriens autem Karolus, jussit Odonem memorem beneficii sui [319] fore, C et misericordiam sibi præstitam filio, si nasceretur, non negaret. Nam filius ei tunc non erat [320], sed regina prægnans fuit (146); cumque post mortem patris filius nasceretur, Oda eum et regno pariter et

VARIÆ LECTIONES.

[285] insignis A. [286] wilnabuch 2; Quidelingaburg 3. [287] euuthardus 1. *et ita sæpius*. [288] fridislere 2. [289] hirigerus 2. Herigerus 3. [290] mei A. [291] arbitramus 2. [292] 2. A. *semper* burchardum; Burckhardum 3. [293] alemanniæ A. [295] *deest*. 2. [295] qui 1. [296] ræginesburch 1. reginesburg A. 3. ragenesburg 5. [297] semed ipso 1. [298] die 1. [299] *add*. et 3. [300] luthonici 1. [301] equitaneæ 2. *pr. manu*. aquitaneæ 2. *sec. manu*, aquitaniæ A. 3. [302] uuasconorum A. [303] habentes 2. [304] barcilonam A. Barcinonam 3. [305] spanie A. [306] *deest* A.. [307], [308] masan 1. Mosam 3. [309] A. 3. *semper* rhenum. [310] ludowicus 2. [311] illyrici A 3. [312] ad oram quoque 3. odoramque 2. [313] terminum 3. [314] Fontinith 3. [315] Ludovici 3. [316] egit 2. [317] regnum karoli 2. [318] contentus comite 2. [319] benef. sui mem. 2. [320] fuit 2.

NOTÆ.

(138) Weilburg; regem in Fuldensi monasterio sepelitum esse, Contin. Reginonis (I. p. 615) dicit, ex quo Annales Metenses (5) hæc recepisse videntur: *sepeliturque in monasterio Fuldensi*.

(139) *Cum lacrimis et planctu plurimarum gentium* I, 41; *cum gemitu et lacrymis omnium Saxonum*, II, 57; *cum fletu et planctu omnium Francorum*, III, 47; *cum luctu et planctu multorum populorum* III, 57.

(140) Fritzlar.

(141) Archiepiscopus Moguntinus, successor Hathonis.

(142) Oder.

(143) Hæc non de Karolo Calvo, Lotharii abavo, sed Karolo Crasso dici possunt, quem Karoli Simplicis patrem a nostro fingi, jam Bouquet annotavit. — Noster æque ac Liudprandus Antap. I, 5, 14. Karolos duos Calvum et Crassum pro uno habuit, et D pro filio ejus Karolum Simplicem, Hludowici Balbi posthumum. PERTZ.

(144) C, 16.

(145) De urbis Parisiacæ adversus Nordmannorum impetum defensione noster fortasse cogitavit, ceterum quæ de Odone et Karolo Simplice tradit omnino falsa sunt; ille filius fuit comitis Rotberti, post Karoli Crassi depositionem a Francis occidentalibus rex constitutus, quam dignitatem Karolus Simplex Ludowici Balbi filius ei eripere conatus est. Similes errores etiam Richerus commisit, ita ut Ekkehardus utrumque secutus verum invenire non potuerit.

(146) Ludowici Balbi uxor Adelheidis marito mortuo demum filium Karolum peperit, ideo Karolus Crassus regnum sibi vendicavit.

nomine paterno declaravit [321]. Sed Arnulfus imperator, qui seniorem (147) Karolum Germania expulit [322], port mortem ejus [323] omne regnum ipsias [324] sibi vendicavit. Huic Odo et [325] diadema et sceptrum et cætera regalia ornamenta obtulit (148), imperiumque domini sui gratia [326] imperatoris Arnulfi obtinuit. Unde usque hodie certamen est de regno Karolorum stirpi et posteris Odonis [327], concertatio quoque regibus Karolorum et orientalium Francorum super regno Lotharii.

30. Ob quod Heinricus rex movit castra contra Karolum, ejusque sæpius fudit exercitum (149), juvitque virum fortem fortuna. Nam Huga [328] cujus pater Rodberhtus [329] (DCCCCXXIII) filius Odonis, ab exercitu Karoli occisus est (150), misit, et dolo eum cepit (151), posuitque in custodia publica, donec vitam finiret. Heinricus autem rex audiens casum [330] Karoli, dolebat, humanæque mutabilitatis communem [331] admiratus est fortunam, quia non minor claruit religiositate quam armorum virtute. Judicavitque [332] abstinere quidem ab armis, verum potius arte superaturos speravit Lotharios (152), quia gens varia erat et artibus assueta, bellis prompta mobilisque ad rerum novitates. Eo tempore erat quidam de Lothariis nomine Cristianus [333], qui videns regi cuncta prospere procedere, quæsivit, quomodo majori gratia apud regem honoraretur; et [334] simulata infirmitate, vocavit ad se Isilberhtum [335] (153), cui principatus regionis paterna successione cessit (154), cepitque eum arte, et sub custodia regi Heinrico transmisit. Erat autem Isilberhtus nobili genere ac familia antiqua natus. Quem rex satis lætus suscepit, quia per ipsum solum totum Lotharii regnum se habiturum arbitratus est. Deinde videns adolescentem valde indnstrium, genere ac potestate, divitiis quoque clarum, liberaliter eum cæpit habere, ac [336] postremo desponsata sibi filia nomine Gerberga (155), affinitate [337] pariter cum amicitia junxit cum [338] sibi, sublegato [339] omni ei Lotbarii regno.

31. Genuit quoque ei et alios filios clara et nobilissima ac singularis prudentiæ regina, nomine Mahthilda [340], primogenitum mundi amorem [341], nomine Oddonem, secundum patris nomine insignitum, virum fortem et industrium Heinricum, tertium quoque nomine Brunonem, quem pontificis summi ac ducis magni vidimus officium gerentem (156). Ac ne quis cum culpabilem super hoc dixerit, cum Samuhelem [342] sanctum [343] et alios plures sacerdotes pariter legamus et judices. Aliam quoque genuit [344] (157) filiam, quæ nupserat Hugoni duci. Erat namque ipsa domina [345] regina [346] filia Thiadrici [347], cujus fratres erant Widukind, Immed et Reginbern. Reginbern [348] autem ipse erat, qui pugnavit contra Danos, multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque eos, liberans patriam ab illorum incursionibus usque in hodiernum [349] diem [350]; et hi erant stirpis magni ducis Widukindi, qui bellum potens [351] gessit contra magnum Karolum per triginta ferme annos.

32. (DCCCCXXIV) Cumque jam civilia bella cessarent, iterum Ungarii totam Saxoniam percurrentes, urbes et oppida incendio tradiderunt, et tantam cædem ubique egerunt, [352] ut ultimam depopulationem comminarent [353]. Rex autem erat in præsidio urbis quæ dicitur Werlaon (158). Nam rudi adhuc militi et bello publico insueto et contra tam sævam gentem non credebat. Quantam autem stragem fecerint [354] illis diebus, aut quanta monasteria succenderint, melius judicavimus [355] silere, quam calamitates nostras [356] verbis quoque iterare. Contingit autem, quendam ex principibus Ungariorum capivinctumque ad regem duci. Ungarii vero ipsum in tantum dilexerunt [357], ut pro redemptione illius [358] innumera auri et argenti pondera offerrent. Rex autem spernens aurum, expostulat pacem, tandem-

VARIÆ LECTIONES.

[321] deprivavit 2. [322] expulslt 1. [323] p. m. ejus *desunt* 1. [324] ejus 2. [325] *deest* 3. [326] inperioque d. s. gratiam 2. [327] odoni 1. A., *sed paulo post* odonis. [328] hugo A. [329] robberhtus 1. rodbertus 2. 2. robertus A. [330] casu 2. [331] communemque A. [332] judicabitque 1. [333] christianus A. 3. [334] *deest*. A [335] 2. A. *semper* isilbertum, isberthum *vel* hisberhtum 1.; 3 *plerumque* Giselbertum; isliberhtum 3. [336] et 3. [337] afinitate 1. [338] *deest* 3. [339] legato 1. [340] mahtilda A. mathilda 1. [341] amatorem 2. [342] samuelem A. 2. 3. [343] *deest* 2. [344] filiam genuit A. 2. 3. [345] domna 3. [346] *deest* 1. [347] thiaderici 1. [348] uuidukin. inmed et raeginberth (*corr.* raeinbern). raeinbern autem 1. uuidikint i. et reinbern r. autem 2. widikind i. et reinbern. Reimbern autem A. Widekind Immet Reginbern. Reginbern autem 3. W. Immed et Rainbern ex Raginbern. Rainbern autem 3. (ex *pro* et *in coll. cod. Dr. apud Leibnitium falso legitur*). [349] odiernum 1. [350] *deest* 3. [351] *deest* 2. [352] egere 3. [353] comminarentur 3. [354] fecerint stragem A. [355] judicabimus 1. [356] nostras calamitates 2. [357] dilexere 3. [358] *deest* 2.

NOTÆ.

(147) I, e. Karolum Crassum; sed de eodem Widukindus jam antea dixit.

(148) Cf. Ann. Vedastini a. 888.

(149) Wid. has res nimis breviter perstringit ideoque quin errores commiserit fieri non potuit.

(150) In pugna Suessionica; Rotbertus vero frater neque filius Odonis fuit.

(151) Non Hugonem sed Heribertus Karolum captum tenuisse, constat.

(152) Eodem fere modo c. 39 legitur: *ut etiam ludenti non crederent se dissolvendum.*

(153) Saxones hoc nomen sine G aut K scripsisse, codices Widukindi omnes et Annales Corbeienses supra editi ostendunt.

(154) Gisilbertus patre Reginario mortuo Lothariorum princeps fuit et dux; quo anno vero hanc dignitatem acceperit, non constat. Cf. infra Richerus. Hanc ejus captivitatem solus Wid. tradit.

(155) Gisilbertus Gerbergam non ante a. 928 duxisse videtur.

(156) V. supra col. 118.

(157) Glaber Rodulfus hist. l. I, c. 4. Hadviden vocat. Meib.

(158) Palatium regale prope Goslariam; cf. Grupen Obss. I p. I. *sqq.* — hodie Burgdorf prope Goslariam. *P.*

que obtinuit, ut reddito captivo cum aliis muneribus, ad novem annos pax firmaretur [359].

33. Quando [360] vero rex Renum transierat ad dilatandum super Lotharios imperium suum, occurrit ei legatus Caroli, et salutato eo [361] verbis humillimis: *Dominus meus*, inquit, *Karolus, rex, quondam potestate præditus, modo pauperculus, misit me ad te, demandans, quia nichil ei ab inimicis circumvento jocundius, nichil dulcius esse possit, quam de tui magnifici profectus gloria aliquid audire, fama virtutum tuarum consolari. Et hoc tibi signum fidei et veritatis transmisit;* protulitque de sinu manum pretiosi martiris Dyonysii [362], auro gemmisque inclusam. *Hoc*, inquit, *habeto pignus fœderis perpetui et amoris vicarii. Hanc partem unici solatii Francorum Galliam inhabitantium, postquam nos deseruit insignis martir Vitus ad nostram perniciem, vestramque perpetuam pacem Saxoniam visitavit, communicare tecum maluit. Neque enim postquam translatum est corpus ejus* [363] *a nobis, civilia vel externa cessavere bella; eodem quippe anno Dani et Northmanni* [364] *regionem nostram invaserunt* (159). Rex autem munus divinum cum omni gratiarum actione suscipiens, prosternitur reliquiis sanctis, et deosculans eas, summa veneratione veneratus est.

34. Inclitus vero martir, de quo legatus Caroli disseruit, erat in Licia [365] provincia nobili natus familia, sed pagana (160). Quem pater præsidi provinciæ Valeriano præsentavit, cumque ipse [366] præses ad inmolandum simulacris coegit; sed [367] interea manum perdidit, et oratione ipsius iterum sanam recepit. Brachia tortoribus aruerunt, sed meritis martiris restituta [368] sunt eis. Videns autem pater, quia tormenta irrisit, domum reduxit, cubiculo omnibus deliciis affluenti reclusit. Ibi cum archana quædam Hylas [369] — sic enim vocabatur pater ejus — conspiceret, cæcus efficitur. Et coactus idolis abrenunciavit, Christum confessus est. Illuminatus autem per merita filii sui Viti, Christum negavit, et filium interficere quæsivit. Monitu angelico atque ductu Modestus, jam gravior pædagogus, puerum sumit, mare navigat [370], ad Siler fluvium pervenit. Ibi sub arbore quadam requiescentes, vacant orationibus, aquilis victum cotidianum [371] ministrantibus [372]. Populis eum [373] visitantibus puer prædicat Christum, plures convertit, plures baptismum suscipere fecit. Post hæc a Diocletiano cæsare vocatus Romam proficiscitur, et filio imperatoris per orationem [374] Viti a dæmonio purgato, thura [375] diis offerre cogitur. Illi [376] vero durius [377] imperatori respondente, bestiis projicitur, nec læditur. Deinde in medium clibani ardentis jactatur, et [378] angelo flammas sedante, illæsus egreditur. Vinculorum ingenti ferro oneratus carceri traditur, sed ibi a Domino et multitudine angelorum visitatur. Postremo tormento quod catasta dicitur cum Modesto et quadam nobili femina Crescentia figitur, et fractis omnibus membrorum motibus, a Christo consolatur. Nam fulmine cœli tortores tacti et tonitru [379] ingenti perterriti ab eo fugantur; subitoque repertus est [380] in loco [381], ubi prius orationi vacabat, angelo Domini ibi eum restituente, et ultima oratione celebrata, animas cœlo tradiderunt. Corpora vero Florentia quædam illustris femina terræ tradidit in eodem loco, qui dicitur Marianus. Ejus ultimam orationem tuæ gloriæ significare curavi, ut inde sumas [382], quo ejus amore ardeas, et ardore ipsius amoris perpetuum ejus patrocinium merearis. *Domine*, inquit, *Jesu Christe* [383], *fili Dei vivi, perfice desiderium cordis eorum* [384], *et libera eos ab omnibus impedimentis hujus sæculi, et perduc eos ad gloriam tuam, qui pro me glorificant te, et volunt gloriari de mei martirii passione* [385]. Hanc vocem subsecuta est sponsio divinæ promissionis [386], rata et firma esse omnia quæ rogasset. Post multa vero (161) tempora Romam veniens quidam, Fulradus [387] nomine, et ibi gesta legens pretiosi martiris, notavit locum sepulcri; veniensque levavit reliquias sacras, et collocavit [388] eas in pago Parisiaco. Inde regnante Hluthowico imperatore, translatæ sunt in Saxoniam, et ut legatus Karoli confessus est, ex hoc res Francorum cœperunt minui, Saxonum vero crescere, donec [389] dilatatæ ipsa sua jam [390] magnitudine laborant, ut videmus in amore mundi et totius orbis capite, patre tuo, cujus potentiæ majestatem non solum Germania, Italia atque Gallia, sed tota fere Europa non sustinet. Colito itaque tantum [391] patronum, quo adveniente, Saxonia ex serva facta est libera et ex tributaria multarum gentium domina. Neque enim talis ac tantus summi Dei [392] amicus tui gratia indiget, nos vero famuli ipsius indigemus. Unde ut eum possis habere intercessorem apud cœlestem

VARIÆ LECTIONES.

[359] confirmaretur 3. [360] quoniam A. [361] *deest* 1. [362] dionisii *alibi* dyonisii 1. dionysii A. 3. [363] *deest* 3. [364] nortmanni A. Normandi 3. [365] litia 2. lycia A. 3. [366] præses ipse 3. [367] set 1. [368] restituti 1. [369] ylas 1. Hilas 3. [370] navigavit 1. [371] cottidianum 2. [372] administrantibus 2. [373] enim 1. [374] *add.* beati 1. *sec. manu.* [375] tura 1. [376] illo 3. [377] diutius 2. [378] *deest* 2. [379] tonitruo 2. [380] *deest.* 2. [381] in loco *desunt* 1. [382] ut inde sumas *desunt* 4. [383] Jesu Christe, inquit 3. [384] *add.* qui in tuo nomine volunt gloriari de mei martyrii passione 2. [385] et volunt — passione *desunt* 2. [386] div. sp. prom. 2. [387] folradus A. [388] collocavitque 3. [389] *deest.* 2. [390] ipsa jam sua A. [391] *deest* A, [392] dei summi 2.

NOTÆ.

(159) Translatio S. Viti a. 836 facta est; et inde ab annis 834 et 836 Nordmannorum incursiones revera increbuerunt.

(160) Hanc sancti vitam Wid. ex passione ipsius sec. VI aut VII scripta hausit, quam vide in Actis SS. Boll. Juni Vol. II. (die 15) p. 1021. *sqq.*

(161) cf. Translatio S. Viti Mon. II. p. 576 *sqq.*

imperatorem, habeamus[393] te advocatum[394] apud terrenum regem, tuum scilicet patrem atque fratrem.

35. Igitur Heinricus rex accepta pace ab Ungariis ad novem annos, quanta prudentia vigilaverit in munienda patria et in expugnando barbaras nationes, supra nostram est virtutem edicere, licet[395] omnimodis non oporteat taceri. Et primum quidem ex agrariis militibus nonum quemque eligens, in urbibus habitare fecit[396], ut cæteris confamiliaribus suis octo habitacula extrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet servaretque; cæteri vero octo seminarent et meterent frugesque colligerent nono, et suis eas locis reconderent. Concilia et omnes conventus atque convivia in urbibus voluit celebrari; in quibus extruendis die noctuque operam dabant, quatinus in pace discerent, quid contra hostes in necessitate facere debuissent[397]. Vilia aut nulla[398] extra urbes fuere mœnia. Tali lege ac disciplina cum cives assuefaceret, repente irruit super Slavos qui dicuntur Heveldi[399] (162), et multis eos prœliis fatigans[400], demum hieme asperrima castris super glaciem positis, cepit urbem quæ[401] dicitur Brennaburg[402], fame, ferro, frigore. Cumque illa urbe potitus omnem regionem[403], signa vertit contra Dalamantiam, adversus quam jam olim reliquit ei pater militiam; et obsidens urbem quæ dicitur Gana[404] (163), vicesima tandem die cepit eam. Præda urbis militibus tradita, puberes omnes[405] interfecti, pueri ac puellæ captivitati servatæ[406]. Post hæc Pragam adiit[407] cum omni exercitu, Boemiorum[407*] urbem, regemque ejus in deditionem accepit; de quo quædam mirabilia prædicantur, quæ quia non probamus, silentio tegi judicamus (164). Frater tamen erat Bolizlavi[408], qui (165) quamdiu vixit, imperatori fidelis et utilis mansit. Igitur rex Boemias tributarias[409] faciens, reversus est in Saxoniam.

36. Cumque vicinæ gentes a rege Heinrico factæ A essent tributariæ, Apodriti[410] (DCCCCXXIX), Wilti[411], Hevelli[412], Dalamanci[413], Boemi, Redarii (166), et pax esset, Redarii defecerunt a fide, et congregata multitudine, inpetum fecerunt in urbem quæ dicitur Wallislevu[414] (167), ceperuntque eam, captis et interfectis omnibus habitatoribus ejus, innumerabili videlicet multitudine. Quo facto omnes barbaræ nationes erectæ, iterum rebellare ausæ sunt. Ad quarum ferocitatem reprimendam traditur exercitus cum præsidio militari Bernhardo, cui ipsa Redariorum provincia erat sublegata[415], additurque legato collega[416] Thiatmarus, et jubentur urbem obsidere quæ dicitur Lunkini[417] (168). Quinto obsidionis die venere custodes, exercitum barbarorum[418] non longe esse adnuntiantes[419], et quia nocte contigua inpetum in castra facere decrevissent. B Cumque plures eadem confirmarent, populus fidem paribus dabat dictis; et cum conventus[420] esset populi[421] circa tentoria legati[422], eadem hora, collega dictante, præcepit, ut per totam noctem parati essent, ne qua forte irruptio[423] barbarorum in castra fieret. Cum autem dimissa esset multitudo, in castris varia vere mœstitia pariter[424] atque lætitia, aliis bellum formidantibus, aliis autem desiderantibus; et pro qualitate morum inter spem metumque versabantur bellatores[425]. Interea dies transit, et nox solito tenebrosior cum ingenti pluvia adest nutu divino, quatinus consilium pessimum inpediretur[426] barbarorum. Ut ergo jussum est, tota nocte illa armati erant Saxones, et primo diluculo dato signo[427], sacramentoque accepto[428], primum ducibus, deinde C unusquisque alteri operam suam sub juramento promittebat ad præsens bellum (169). Orto autem sole, — nam post pluviam clara redit[429] serenitas — erectis signis procedebant castris[430]; in prima quidem fronte legatus in barbaros inpetum faciens. Sed cum pauci non prævalerent adversus innumerabiles, reversus est ad exercitum, referens, quia barbari non plures haberent equites[431], peditum vero innu-

VARIÆ LECTIONES.

[393] habeat 1. *aliis erasis.* [394] advocatam 3. 1? [395] liceat 1. [396] fecit habitare 2. [397] deberent 2. [398] *Reineccius nescio unde recepit* autem; *Leibnitz in cod.* Dr. (A) ola *legi annotavit, quod falsum esse Ebert diserte monet. Locus vexatissimus igitur sanus et integer.* [399] hevelli 2. 3. A. [400] fatigare 2. [401] qui 1. [402] berneburch 2. brinnaborg 5. [403] et omni regione 3. [404] Grona 3. Grana 6. 7, kietni A. [405] deest 2. [406] reservatæ 1. sunt servati 2. [407] adito 3. [407*] 3 *semper* Bohemorum. [408] boritlavi 1. borizlavi 2. bolizlai A. Bolizlavi 3. bolizlawi 6. [409] boemos tributarios 2. boemios tributarios A. 7. [410] Abotriti 3. [411] *deest* 1. uiulti 2. Vulzi 3. 7. [412] hevelle 2. [413] dalmaci 2. dalmatæ 3. [414] uuallislevi 2. 3. wallisleu A. wallisleheim 5. [415] subjugata 5. 7. [416] legato *corr.* collega 1. [417] lunkani 2. [418] barbarum A. [419] dicentes vel annuntiantes 2. [420] ventus 1. [421] *deest* 2. [422] tentoria, legatus 3. [423] yrruptio 1. [424] pariter mestitia 2. [425] versabant... *corr.* versantibus 1. [426] impeditur 1. [427] *deest* 1. [428] *Hucusque* 5. [429] rediit 3. 7. [430] *deest* 3. [431] equitates 1.

NOTÆ.

(162) Heveldi Slavi sedes habuerunt ad Havelam MEIB. urbs eorum Brandenburg.

(163) Jahna inter Meissen et Lammatsch esse videtur. Grona aut Kietni contra optimorum codicum consensum legere jam minime licet.

(164) Sanctum Wenceslaum satis aperte Wid. indicat; nomen regis vero cum fuisse videtur.

(165) I. e. Wenceslaus.

(166) Redariorum in terra Strelitziensi sedes nu- D perrime V. Cl. Lisch in Annalibus Societatis historicæ Megalopolitanæ T. III. I. *sqq.* accuratissime investigavit.

(167) Walsleben prope Albiam, inter Werben et Arneburg.

(168) Chron. Quedlenburgense hanc urbem collocat ad Albim; erit igitur Leontium, Lentzen. MEIB.

(169) Idem in prœlio adversus Ungarios a. 955 commisso factum esse, noster tradit III. 41.

merabilem multitudinem, et nocturna pluvia in tantum impeditam, ut vix [432] ab equitibus coacti ad pugnam procederent. Igitur sole cadente in humida vestimenta barbarorum, fumum ascendere fecit usque in cœlum, spem fiduciamque præstans Dei populo [433], cujus faciei claritas atque serenitas circumfulsit illos. Igitur dato signo, et exhortante legiones legato, cum clamore valido irruunt in hostes. Cumque nimia densitate iter pertranseundi hostes non pateret, dextra lævaque ferro erumpentes, quoscumque a sociis seccernebant [434], neci dabant. Cumque [435] jam bellum gravaretur [436], et multi hinc atque inde caderent, et adhuc barbari ordines tenerent, legatus collegam, ut legionibus auxilio esset, expostulat. Ille vero præfectum cum quinquaginta armatis lateri [437] hostili immisit, et ordines conturbavit; ex hoc cædi [438] fugæque tota die hostes patebant. Cum ergo per omnes agros cæderentur, ad urbem vicinam fugere temptabant. Collega autem hoc eis præcavente, proximum mare (170) ingressi sunt, et ita factum est, ut omnis illa nimia multitudo aut gladio consumeretur aut in mari mergeretur. Nec peditum ullus superfuit, equitum rarissimus, deponiturque bellum cum casu omnium adversariorum. Ingens interea oritur lætitia ex recenti [439] victoria, dum omnes laudant duces, unusquisque vero militum prædicat alium [440], ignavum quoque, ut in tali fortuna solet fieri. Postera [441] autem luce movent signa urbi præfatæ, urbani vero arma deponunt, salutem tantummodo deposcunt ac merentur. Inermes igitur urbe egredi [442] jussi; servilis autem conditio et omnis pecunia cum uxoribus et filiis et omni suppellectili barbarorum regis [443] captivitatem subibant. Ceciderunt etiam ex nostris in illo prælio duo [444] Liutharii [445] (171) et alii nobiles viri nonnulli. Igitur legatus cum collega et aliis principibus Saxoniam victores reversi, honorifice a rege sunt suscepti satisque laudati, qui parvis copiis, divina favente clementia, magnificam perpetraverint victoriam. Nam fuere qui dicerent, barbarorum ducenta milia cæsa. Captivi [446] omnes postera die [447], ut promissum habebant, obtruncati.

37. Itaque recentis victoriæ lætitiam augebant nuptiæ regales, quæ eo tempore magnifica largitate celebrabantur [448]. Nam rex dedit filio suo Oddoni conjugem filiam Ethmundi (172) regis Anglorum, sororem Adalstani, quæ genuit ei filium nomine Liudulfum, virum magnum, meritoque omnibus populis carum, filiam quoque nomine Liudgardam [449], quæ nupserat Conrado Francorum duci.

38. Rex autem cum jam militem haberet equestri prælio probatum, contra antiquos hostes, videlicet Ungarios, præsumpsit inire certamen. Et (DCCCCXXXII) convocato [450] omni populo, tali oratione [451] eos est [452] affatus: *Olim ex omni parte confusum a quantis periculis imperium [453] vestrum modo sit liberum, vos ipsi melius nostis, qui civilibus discordiis et externis bellis totiens attriti laborabatis. At nunc, propitia nobis summa divinitate [454], nostro labore, vestra [455] virtute, pacatum collectumque cernitis, barbaros superatos et servituti subjectos. Quod superest, necesse habemus, ut contra communes hostes Avares pariter [456] consurgamus. Vos hucusque, filios filiasque vestras expoliavi, et ærarium eorum replevi; nunc templa templorumque ministros ut expoliem cogor, absque nudis corporibus nulla nobis alia remanente pecunia. Consulite igitur vobis ipsis, et quid super hac re nobis sit faciendum, eligite. Thesaurum divinis officiis santificatum tollamne [457], et dabo pro nostra redemptione Dei inimicis? an certe addam cultui divino pecuniæ [458] honorem, ut ab [459] ipso potius redimamnr, qui vere noster extat creator pariter et [460] redemptor?* Ad hæc populus levavit voces in cœlum, inquiens, se a Deo vivo et vero redimi omnimodis desiderare, quia fidelis et justus si in omnibus viis suis et sanctus in omnibus operibus suis. Operam suam deinde promittens regi [461] contra gentem acerrimam [462], dextris in cœlum elevatis, pactum firmavit. Tali itaque pacto cum populo peracto, dimisit rex multitudinem. Post hæc legati Ungariorum adierunt regem pro solitis muneribus; sed ab eo spreti, in terram suam vacui sunt [463] reversi. Hæc audientes [464] Avares, nichil morati [665] cum gravi hostilique manu festinant intrare Saxoniam. Et iter agentes per [466] Dalamantiam, ab antiquis opem petunt amicis. Illi vero scientes, eos festinare ad Saxoniam, Saxonesque [467] ad pugnandum cum eis [468] paratos, pinguissimum pro munere eis [469] projiciunt canem. Et cum non esset injuriam vindicandi locus ad aliam pugnam festinantibus, cum ridiculosa satis vociferatione longius prosecuntur amicos. Igitur quam potuerunt repentino (DCCCCXXXIII) impetu intrant fines Thuringorum illam totam terram hostiliter pervagantes [470], ibique divisis sociis, alii ad occidentem perge-

VARIÆ LECTIONES.

[432] *deest* 3. [433] populo dei 2. [434] se sternebant 3. [435] cum 2. [436] dextra lævaque — gravaretur *desunt* 1? [437] lætari 2. [438] cæde A. [439] crescenti 1. [440] *add.* evangelium 3. [441] postea 1. [442] degredi 1. [443] *post* regis 1. *et* A. *punctum collocantum.* [444] *deest* 1. [445] luitharii 2. lutharii A. [446] captivi *corr.* capiti 1. [447] die postera 2. [448] celebrantur A. 3. [449] lintgardam 1. 2. [450] vocato 1. [451] ratione A. 2. 3. [452] est eos A. [453] *deest* 1. [454] divina 2. [455] vestraque 3. [456] *add.* simul 3. [457] tollam 2. [458] pecuniam 1. pecunia A. 3. [459] *deest* 2. [460] ac 1. [461] *deest* 1. [462] asperrimam 2. [463] reversi sunt 1. [464] *deest* 2. [465] *add.* sunt A. [466] *deest* 2. [467] saxones A [468] *add.* esse 2. [469] eis pro munere A. [470] totam illam terram pervagantes hostiliter 2.

NOTÆ.

(170) Prope Lenzen duo quamvis minores lacus sunt.

(171) De his cf. Thietmarus I. (p. 8.)

(172) Edgitham filiam Ethwardi regis.

imperatorem, habeamus[393] te advocatum[394] apud terrenum regem, tuum scilicet patrem atque fratrem.

35. Igitur Heinricus rex accepta pace ab Ungariis ad novem annos, quanta prudentia vigilaverit in munienda patria et in expugnando barbaras nationes, supra nostram est virtutem edicere, licet[395] omnimodis non oporteat taceri. Et primum quidem ex agrariis militibus nonum quemque eligens, in urbibus habitare fecit[396], ut cæteris confamiliaribus suis octo habitacula extrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet servaretque; cæteri vero octo seminarent et meterent frugesque colligerent nono, et suis eas locis reconderent. Concilia et omnes conventus atque convivia in urbibus voluit celebrari; in quibus extruendis die noctuque operam dabant, quatinus in pace discerent, quid contra hostes in necessitate facere debuissent[397]. Vilia aut nulla[398] extra urbes fuere mœnia. Tali lege ac disciplina cum cives assuefaceret, repente irruit super Slavos qui dicuntur Heveldi[399] (162), et multis eos prœliis fatigans[400], demum hieme asperrima castris super glaciem positis, cepit urbem quæ[401] dicitur Brennaburg[402], fame, ferro, frigore. Cumque illa urbe potitus omnem regionem[403], signa vertit contra Dalamantiam, adversus quam jam olim reliquit ei pater militiam; et obsidens urbem quæ dicitur Gana[404] (163), vicesima tandem die cepit eam. Præda urbis militibus tradita, puberes omnes[405] interfecti, pueri ac puellæ captivitati servatæ[406]. Post hæc Pragam adiit[407] cum omni exercitu, Boemiorum[407*] urbem, regemque ejus in deditionem accepit; de quo quædam mirabilia prædicantur, quæ quia non probamus, silentio tegi judicamus (164). Frater tamen erat Bolizlavi[408], qui (165) quamdiu vixit, imperatori fidelis et utilis mansit. Igitur rex Boemias tributarias[409] faciens, reversus est in Saxoniam.

36. Cumque vicinæ gentes a rege Heinrico factæ A essent tributariæ, Apodriti[410] (DCCCCXXIX), Wilti[411], Hevelli[412], Dalamanci[413], Boemi, Redarii (166), et pax esset, Redarii defecerunt a fide, et congregata multitudine, inpetum fecerunt in urbem quæ dicitur Wallislevu[414] (167), ceperuntque eam, captis et interfectis omnibus habitatoribus ejus, innumerabili videlicet multitudine. Quo facto omnes barbaræ nationes erectæ, iterum rebellare ausæ sunt. Ad quarum ferocitatem reprimendam traditur exercitus cum præsidio militari Bernhardo, cui ipsa Redariorum provincia erat sublegata[415], additurque legato collega[416] Thiatmarus, et jubentur urbem obsidere quæ dicitur Lunkini[417] (168). Quinto obsidionis die venere custodes, exercitum barbarorum[418] non longe esse adnuntiantes[419], et quia nocte contigua inpetum in castra facere decrevissent. Cumque plures B eadem confirmarent, populus fidem paribus dabat dictis; et cum conventus[420] esset populi[421] circa tentoria legati[422], eadem hora, collega dictante, præcepit, ut per totam noctem parati essent, ne qua forte irruptio[423] barbarorum in castra fieret. Cum autem dimissa esset multitudo, in castris varia vere mœstitia pariter[424] atque lætitia, aliis bellum formidantibus, aliis autem desiderantibus; et pro qualitate morum inter spem metumque versabantur bellatores[425]. Interea dies transit, et nox solito tenebrosior cum ingenti pluvia adest nutu divino, quatinus consilium pessimum inpediretur[426] barbarorum. Ut ergo jussum est, tota nocte illa armati erant Saxones, et primo diluculo dato signo[427], sacramentoque accepto[428], primum ducibus, deinde C unusquisque alteri operam suam sub juramento promittebat ad præsens bellum (169). Orto autem sole, — nam post pluviam clara redit[429] serenitas — erectis signis procedebant castris[430]; in prima quidem fronte legatus in barbaros inpetum faciens. Sed cum pauci non prævalerent adversus innumerabiles, reversus est ad exercitum, referens, quia barbari non plures haberent equites[431], peditum vero innu-

VARIÆ LECTIONES.

[393] habeat 1. *aliis erasis.* [394] advocatam 3. 1? [395] liceat 1. [396] fecit habitare 2. [397] deberent 2. [398] *Reineccius nescio unde recepit* autem; *Leibnitz in cod.* Dr. (A) ola *legi annotavit, quod falsum esse Ebert diserte monet. Locus vexatissimus igitur sanus et integer.* [399] hevelli 2. 3. A. [400] fatigare 2. [401] qui 1. [402] berneburch 2. brinnaborg 5. [403] et omni regione 3. [404] Grona 3. Grana 6. 7, kietni A. [405] deest 2. [406] reservatæ 1. sunt servati 2. [407] adito 3. [407*] 3 *semper* Bohemorum. [408] boritlavi 1. borizlavi 2. bolizlai A. Bolizlavi 3. bolizlawi 6. [409] boemos tributarios 2. boemios tributarios A. 7. [410] Abotriti 3. [411] *deest* 1. uiulti 2. Vulzi 3. 7. [412] hevelle 2. [413] dalmaci 2. dalmatæ 3. [414] uuallislevi 2. 3. wallisleu A. wallislcheim 5. [415] subjugata 5. 7. [416] legato *corr.* collega 1. [417] lunkani 2. [418] barbarum A. [419] dicentes vel annuntiantes 2. [420] ventus 1. [421] *deest* 2. [422] tentoria, legatus 3. [423] yrruptio 1. [424] pariter mestitia 2. [425] versabant... *corr.* versantibus 1. [426] impeditur 1. [427] *deest* 1. [428] *Hucusque* 5. [429] rediit 3. 7. [430] *deest* 3. [431] equitates 1.

NOTÆ.

(162) Heveldi Slavi sedes habuerunt ad Havelam Meib. urbs eorum Brandenburg.

(163) Jahna inter Meissen et Lammatsch esse videtur. Grona aut Kietni contra optimorum codicum consensum legere jam minime licet.

(164) Sanctum Wenceslaum satis aperte Wid. indicat; nomen regis vero cum fuisse videtur.

(165) I. e. Wenceslaus.

(166) Redariorum in terra Strelitziensi sedes nu- D perrime V. Cl. Lisch in Annalibus Societatis historicæ Megalopolitanæ T. III. I. *sqq.* accuratissime investigavit.

(167) Walsleben prope Albiam, inter Werben et Arneburg.

(168) Chron. Quedlenburgense hanc urbem collocat ad Albim; erit igitur Leontium, Lentzen. Meib.

(169) Idem in prœlio adversus Ungarios a. 955 commisso factum esse, noster tradit III. 41.

merabilem multitudinem, et nocturna pluvia in tantum impeditam, ut vix [432] ab equitibus coacti ad pugnam procederent. Igitur sole cadente in humida vestimenta barbarorum, fumum ascendere fecit usque in cœlum, spem fiduciamque præstans Dei populo [433], cujus faciei claritas atque serenitas circumfulsit illos. Igitur dato signo, et exhortante legiones legato, cum clamore valido irruunt in hostes. Cumque nimia densitate iter pertranseundi hostes non pateret, dextra lævaque ferro erumpentes, quoscumque a sociis secernebant [434], neci dabant. Cumque [435] jam bellum gravaretur [436], et multi hinc atque inde caderent, et adhuc barbari ordines tenerent, legatus collegam, ut legionibus auxilio esset, expostulat. Ille vero præfectum cum quinquaginta armatis lateri [437] hostili immisit, et ordines conturbavit; ex hoc cædi [438] fugæque tota die hostes patebant. Cum ergo per omnes agros cæderentur, ad urbem vicinam fugere temptabant. Collega autem hoc eis præcavente, proximum mare (170) ingressi sunt, et ita factum est, ut omnis illa nimia multitudo aut gladio consumeretur aut in mari mergeretur. Nec peditum ullus superfuit, equitum rarissimus, deponiturque bellum cum casu omnium adversariorum. Ingens interea oritur lætitia ex recenti [439] victoria, dum omnes laudant duces, unusquisque vero militum prædicat alium [440], ignavum quoque, ut in tali fortuna solet fieri. Postera [441] autem luce movent signa urbi præfatæ, urbani vero arma deponunt, salutem tantummodo deposcunt ac merentur. Inermes igitur urbe egredi [442] jussi; servilis autem conditio et omnis pecunia cum uxoribus et filiis et omni suppellectili barbarorum regis [443] captivitatem subibant. Ceciderunt etiam ex nostris in illo prælio duo [444] Liutharii [445] (171) et alii nobiles viri nonnulli. Igitur legatus cum collega et aliis principibus Saxoniam victores reversi, honorifice a rege sunt suscepti satisque laudati, qui parvis copiis, divina favente clementia, magnificam perpetraverint victoriam. Nam fuere qui dicerent, barbarorum ducenta milia cæsa. Captivi [446] omnes postera die [447], ut promissum habebant, obtruncati.

37. Itaque recentis victoriæ lætitiam augebant nuptiæ regales, quæ eo tempore magnifica largitate celebrabantur [448]. Nam rex dedit filio suo Oddoni conjugem filiam Ethmundi (172) regis Anglorum, sororem Adalstani, quæ genuit ei filium nomine A Liudulfum, virum magnum, meritoque omnibus populis carum, filiam quoque nomine Liudgardam [449], quæ nupserat Conrado Francorum duci.

38. Rex autem cum jam militem haberet equestri prælio probatum, contra antiquos hostes, videlicet Ungarios, præsumpsit inire certamen. Et (DCCCCXXXII) convocato [450] omni populo, tali oratione [451] eos est [452] affatus: *Olim ex omni parte confusum a quantis periculis imperium [453] vestrum modo sit liberum, vos ipsi melius nostis, qui civilibus discordiis et externis bellis totiens attriti laborabatis. At nunc, propitia nobis summa divinitate [454], nostro labore, vestra [455] virtute, pacatum collectumque cernitis, barbaros superatos et servituti subjectos. Quod superest, necesse habemus, ut contra communes hostes Avares pariter [456] consurgamus.* B *Vos hucusque, filios filiasque vestras expoliavi, et ærarium eorum replevi; nunc templa templorumque ministros ut expoliem cogor, absque nudis corporibus nulla nobis alia remanente pecunia. Consulite igitur vobis ipsis, et quid super hac re nobis sit faciendum, eligite. Thesaurum divinis officiis santificatum tollamne [457], et dabo pro nostra redemptione Dei inimicis? an certe addam cultui divino pecuniæ [458] honorem, ut ab [459] ipso potius redimamnr, qui vere noster extat creator pariter et [460] redemptor?* Ad hæc populus levavit voces in cœlum, inquiens, se a Deo vivo et vero redimi omnimodis desiderare, quia fidelis et justus si in omnibus viis suis et sanctus in omnibus operibus suis. Operam suam deinde promittens regi [461] contra gentem acerrimam [462], dextris in C cœlum elevatis, pactum firmavit. Tali itaque pacto cum populo peracto, dimisit rex multitudinem. Post hæc legati Ungariorum adierunt regem pro solitis muneribus; sed ab eo spreti, in terram suam vacui sunt [463] reversi. Hæc audientes [464] Avares, nichil morati [665] cum gravi hostilique manu festinant intrare Saxoniam. Et iter agentes per [466] Dalamantiam, ab antiquis opem petunt amicis. Illi vero scientes, eos festinare ad Saxoniam, Saxonesque [467] ad pugnandum cum eis [468] paratos, pinguissimum pro munere eis [469] projiciunt canem. Et cum non esset injuriam vindicandi locus ad aliam pugnam festinantibus, cum ridiculosa satis vociferatione longius prosecuntur amicos. Igitur quam potuerunt repentino (DCCCCXXXIII) impetu intrant fines D Thuringorum illam totam terram hostiliter pervagantes [470], ibique divisis sociis, alii ad occidentem perge-

VARIÆ LECTIONES.

[432] *deest* 3. [433] populo dei 2. [434] se sternebant 3. [435] cum 2. [436] dextra lævaque — gravaretur *desunt* 1? [437] lætari 2. [438] cæde A. [439] crescenti 1. [440] *add.* evangelium 3. [441] postea 1. [442] degredi 1. [443] *post* regis 1. *et* A. *punctum collocantum.* [444] *deest* 1. [445] luitharii 2. lutharii A. [446] captivi *corr.* capiti 1. [447] die postera 2. [448] celebrantur A. 3. [449] lintgardam 1. 2. [450] vocato 1. [451] ratione A. 2. 3. [452] est eos A. [453] *deest* 1. [454] divina 2. [455] vestraque 3. [456] *add.* simul 3. [457] tollam 2. [458] pecuniam 1. pecunia A. 3. [459] *deest* 2. [460] ac 1. [461] *deest* 1. [462] asperrimam 2. [463] reversi sunt 1. [464] *deest* 2. [465] *add.* sunt A. [466] *deest* 2. [467] saxones A [468] *add.* esse 2. [469] eis pro munere A. [470] totam illam terram pervagantes hostiliter 2.

NOTÆ.

(170) Prope Lenzen duo quamvis minores lacus sunt.

(171) De his cf. Thietmarus I. (p. 8.)

(172) Edgitham filiam Ethwardi regis.

bant ab occidente et meridie Saxoniam quærentes intrare. Sed [471] Saxones pariter cum Thuringis congregati, inito cum eis certamine, cæsis ducibus, cæteros illius exercitus occidentalis[472] per totam illam regionem errare fecerunt. Quorum alii fame consumpti, alii[473] frigore dissoluti, alii autem cæsi vel capti, ut digni erant, miserabiliter perierunt. Qui autem in oriente remansit exercitus, audivit de sorore regis quæ nupserat Widoni (175) Thuringo [474] — erat namque illa [475] ex concubina nata, — quia vicinam urbem [476] inhabitaret [477] et multa pecunia ei esset auri et argenti. Unde tanta vi urbem obpugnare [478] cæperunt, ut nisi nox visum pugnantibus impediret, urbem caperent. Ea vero nocte audientes de casu sociorum regisque super eos adventu cum valido exercitu — nam castra metatus est rex juxta locum qui dicitur Riade [479] (174,) timore perculsi[480], relictis castris more suo igne fumoque ingenti agmina diffusa collegerunt. Rex vero postera die producens exercitum, exhortatus est, ut spem suam divinæ clementiæ committerent, divinum sibi auxilium quemadmodum in aliis præliis adesse non dubitarent; communes omnium hostes esse Ungarios; ad vindictam patriæ parentumque solummodo cogitarent; hostes cito [481] terga vertere vidissent, si viriliter certando persisterent. His optimis verbis erecti [482] milites, imperatoremque in primis mediis et ultimis versantem videntes, coramque eo angelum — hoc enim vocabulo effigieque signum maximum erat insignitum (175,) acceperunt fiduciam magnamque constantiam. Rex vero veritus est, quemadmodum evenit, ut hostes, viso milite armato, fugæ statim indulsissent; misit legionem Thuringorum cum raro milite armato, ut inermes prosequerentur, et usque ad exercitum protraherentur [483]. Actumque est ita; sed nichilominus videntes axercitum armatum, fugerunt [484], ut per octo milliaria [485] vix pauci cæderentur vel [486] caperentur. Castra vero invasa, et omnis captivitas liberata est.

39. Rex vero victor reversus, modis omnibus gratiarum actiones divino honori, ut dignum erat, solvebat pro victoria de hostibus sibi divinitus concessa; tributumque [487], quod hostibus dare consuevit, divino cultui mancipavit et largitionibus pauperum deservire constituit. Deinde pater patriæ, rerum dominus imperatorque ab exercitu appellatus (176, famam potentiæ virtutisque cunctis gentibus et regibus [488] longe lateque diffudit. Unde et aliorum regnorum proceres eum adierunt, gratiamque in conspectu ejus invenire quærentes, fidem talis ac tanti viri probatam habentes dilexerunt. Inter quos Hiriberthus [489] gener Hugonis (177), cum ei adversaretur Rodulfus [490], contra jus fasque omne rex constitutus, ut ei [491] apud dominum suum pro [492] præsidio esset, supplicavit. Ipse enim rex talis erat, qui nichil negaret amicis. Perrexit igitur [493] Galliam rex, regem alloquitur, et perfecto negotio, reversus est in Saxoniam. Cumque esset in exaltando gentem suam, rarus fuit aut nullus nominatorum virorum in omni [494] Saxonia, quem præclaro munere aut officio vel aliqua quæstura non promoveret. Et cum ingenti polleret prudentia sapientiaque, accessit et moles corporis, regiæ dignitati omnem addens decorem. In exercitiis quoque ludi [495] tanta eminentia superabat omnes, ut terrorem cæteris ostentaret. In venatione [496] tam acerrimus [497] erat, ut una vice [498] quadraginta aut eo amplius feras caperet; et licet in conviviis satis jucundus esset, tamen nichil regalis disciplinæ minuebat; tantum enim favorem [499] pariter et timorem militibus infundebat [500], ut etiam ludenti non crederent ad aliquam lasciviam se dissolvendum [501]

40.-(DCCCCXXXIV) Cum autem omnes in circuitu nationes subjecisset, Danos, qui navali latrocinio Fresones incursabant, cum exercitu adiit vicitque, et tributarios faciens, regem eorum [502] nomine Chnubam [503] (178) baptismum percipere fecit. Perdomitis itaque cunctis circumquaque gentibus, postremo Romam proficisci statuit, sed infirmitate correptus iter intermisit.

41. Cumque se jam gravari [504] morbo sensisset, convocato omni populo, designavit filium suum Od-

VARIÆ LECTIONES.

[471] *deest* 2. [472] occidentales 2. [473] *deest* A. [474] thuringorum 2. [475], [476] *deest* 1. [477] inhabitarent 2. A. [478] expugnare 3. [479] riede A. 7. riæde 3. [480] perculsæ *corr.* perculsi 2. [481] vero A. [482] certi A. [483] et — protraherentur *desunt* 1? [484] fugierunt 2. [485] ut peracto miliario 3. [486] aut 2. [487] tributum A. 7. [488] et regibus *desunt* 1. [489] hiribertus 2. Hiriberthus 3. heribertus A. [490] adverses rothulfus 1. rudolfus A. Ruodolfus 3. [491] *deest* 2. [492] *deest* A. 3. 6. 7. [493] *add.* in 3. [494] *deest* 2. [495] *deest* 1. [496] veneratione 1. [497] acer 2. 6. [498] *deest* 2. [499] fervorem 3. [500] tantum — infundebat *desunt* 2. [501] dissolvendos 3. 6. [502] *deest* 2. [503] chonpam 1. *cujus lectioni Sigebertus Gembl. accedere videtur, apud quem regis nomen* Chuipia *aut* Chinpa *scribitur;* cnubam 2. Nubam 3. 7. Chnutam β, [504] gravi 1. morbo gravari 2.

NOTÆ.

(173) De Widone, ejus uxore atque urbe certi nihil constat; cf. Gott. gel. Anz. 1v38. Nrc. 204. p. 2036.

(174) De hujus loci situ equidem nihil statuere audeo.

(175) cf. III. 44.

(176) Idem de Ottone dicitur l. 1.

(177) Hugo filius erat Beatricis filiæ Heriberti I., patris hujus Heriberti, ac proinde sororis Heriberti. Hinc per generum hic intelligitur avunculus. Bouquet. Fortasse vero Heribertus sororum Hugonis matrimonio sibi junxit; nam filius ejus postea (III. c. 3.) nepos Hugonis vocatur.

(178) De Cnutone (ita Thietmarus I. p. 12.) regis Gormi filio, in australi parte Daniæ regnante, Wid. cogitasse videtur; nomen tamen procul dubio cum b aut p scripsit. Kunt pro Knut etiam codex Viennensis Adami Bremensis exhibet. Illum vero baptismum accepisse, nostri error esse videtur.

donem regem, cæteris quoque qliis prædia cum thesauris distribuens; ipsum vero Oddonem, qui maximus et optimus fuit, fratribus et omni Francorum imperio præfecit DCCCCXXXVI Jul. 2. Testamento itaque legitime facto, et rebus omnibus rite compositis, defunctus est ipse rerum dominus et regum maximus Europæ, omni virtute animi corporisque nulli secundus, relinquens filium [504*] sibi ipsi majorem[505], filioque magnum latumque imperium, non a [506] patribus sibi relictum, sed per semetipsum adquisitum et a solo Deo concessum. DCCCCXXXVI Erant autem dies quibus regnavit 16 anni (179), vitæ autem fere 60. Translatum est autem [507] corpus ejus a filiis suis in civitatem quæ [508] dicitur Quidilingaburg [509], et sepultum in basilica sancti Petri ante altare cum planctu et lacrimis plurimarum gentium.

EXPLICIT [510] LIBER PRIMUS.

INCIPIT SECUNDUS GESTARUM RERUM SAXONICARUM.

AD DOMINAM MATHILDAM IMPERATORIS FILIAM

LIBRI SECUNDI INCIPIT PRÆPHATIO [511]

Ingens opus cœpturus, vel certe iteraturus — nam magna ex [512] parte peractum est — tua gratia fulciatur, quæ domina esse dinosceris [513] jure totius Europæ; quamquam in Africam [514] Asiamque patris tui jam [515] potestas protendatur. Spero enim, quicquid in eo invenitur minus idoneum, gloriosa tuæ clementiæ lenitate sublevetur, permaneatque ea devotione dedicatum, qua est conscriptum [516].

EXPLICIT PRÆPHATIO [517]

INCIPIUNT CAPITULA.

EXPLICIUNT [527] CAPITULA.

VARIÆ LECTIONES.

[504*] *deest* 3. [505] majori 3. [506] non a *in* A. *erasa sunt*. [507] *deest* A. [508] qui 1. [509] quidelingeburg A. 3. [510] *ita* 2.; Explicit liber primus A. [511] *ita* 1; Prologus in librum secundum A. Præfatio ad Reginam 3. [512] ex magna 2. [513] dinoscetur 2. [514] affricam 2. Aphricam 3. [515] *deest* A. potestas jam 2. [516] inceptum A. 2. 3. [517] *ita solus* 1. Explicit prologus, incipit liber secundus A. [518] victoriæ *cod.* [519] evuthardo *cod.* [520] cibililius *cod.* [521] *ita* 1. pro Isilbertho. [522] convertunt *c.* [523] hinrico *cod.* [524] presidæ *c.* [525] authumaro *cod.* [526] opsidionibus *cod.* [527] explicit *c.*

NOTÆ.

(179) Heinricum inde a mense Aprili anni 919 usque 936 diem 2 mensis Julii septemdecim annos et tres fere menses regnum tenuisse facile apparet.

INCIPIT LIBER SECUNDUS [528]

1. Defuncto itaque patre patriæ et regum maximo optimo [529] Heinrico (DCCCCXXXVI,) omnis populus Francorum atque Saxonum jam olim designatum regem a patre, filium ejus Oddonem, elegit sibi in principem; universalisque electionis notantes locum jusserunt esse [530] ad Aquasgrani palatii [531]. Est autem locus ille proximus Julo (180), a conditore Julio Cæsare cognominato. Cumque illo ventum esset, duces ac præfectorum [532] principes cum cætera principum [533] militum [534] manu congregati in sixto [535] (181), basilicæ magni Karoli cohærenti, collocarunt novum ducem in solio ibidem constructo, manus ei [536] dantes, ac fidem pollicentes, operamque suam contra [537] omnes inimicos spondentes, more suo fecerunt eum regem. Dum ea geruntur a ducibus ac cætero magistratu, pontifex maximus cum universo sacerdotali ordine et omni plebe infra in basilica [538] præstolabatur processionem novi regis. Quo procedente, pontifex obvius læva sua dextram tangit regis, suaque dextra [539] lituum gestans, linea indutus, stola planetaque [540] infulatus, progressusque in medium usque fani subsistit [541]; et reversus ad populum, qui circumstabat [542] — nam [543] erant deambulatoria infra supraque in illa basilica in rotundum facta (182) — quo ab omni populo cerni posset [544]: *En*, inquit, *adduco vobis a Deo electum, et a domino rerum Heinrico olim designatum, nunc vero a cunctis principibus regem factum Oddonem; si vobis ista electio placeat, dextris in cœlum levatis significate.* Ad hæc omnis populus dextras in excelsum [545] levans, cum clamore valido imprecati sunt propera novo [546] duci. Proinde processit [547] pontifex cum rege, tunica stricta more Francorum induto [548], pone [549] altare, super quod insignia regalia posita erant, gladius cum balteo, clamis cum armillis, baculus cum sceptro ac diadema [550]. Eo quippe tempore erat summus pontifex nomine Hildiberthus [551], Franco genere, monachus professione, nntritus vel doctus in Vuldo monasterio, et ad id honoris merito progrediens, ut pater ejusdem loci constitueretur, deinde summi pontificatus Mogontiacæ [552] sedis fastigium promeruisset. Hic erat vir miræ sanctitatis, et præter naturalem animi sapientiam, litterarum [553] studiis satis clarus. Qui inter cætera gratiarum dona spiritum prophetiæ accepisse prædicatur. Et cum quæstio esset pontificum in consecrando rege, Treverensis (183) videlicet et coloniæ Agrippinæ — illius, quia antiquior sedes esset, et tamquam a beato Petro apostolo [554] fundata; istius vero, quia ad [555] ejus diocesim pertineret locus; et ob id sibi convenire arbitrati sunt hujus consecrationis honorem — cessit tamen uterque eorum Hildiberthi cunctis notæ almitati. Ipse autem accedens ad altare, et sumpto inde gladio cum balteo, conversus ad regem ait: *Accipe*, inquit, *hunc* [556] *gladium, quo ejicias omnes Christi adversarios, barbaros et malos christianos, auctoritate divina tibi tradita, omni potestate totius imperii Francorum, ad firmissimam pacem omnium christianorum.* Deinde sumptis [557] armillis ac clamide, induit eum: *His cornibus*, inquit, *humitenus* [558] *demissis* [559] *monearis, quo zelo fidei ferveas, et in pace tuenda perdurare* [560] *usque in finem debere.* Exinde sumpto sceptro baculoque: *His signis*, inquit, *monitus, paterua castigatione subjectos corripias, primumque Dei ministris, viduis ac pupillis manum misericordiæ porrigas; numquamque decapite tuo oleum miserationis deficiat, ut in præsenti et in futuro sempiterno præmio coroneris.* Perfususque illico [561] oleo sancto et coronatus diademate aureo ab ipsis pontificibus Hildiberhto et Wicfrido [562] (184), ac omni legitima consecratione completa, ab eisdem pontificibus ducitur ad solium, ad quod per cocleas adscendebatur, et erat inter duas marmoreas miræ pulchritudinis columpnas constructum, unde ipse omnes videre et ab omnibus ipse videri posset.

2. Divina deinde laude dicta, sacrificioque sollempniter celebrato, descendebat rex ad palatim, et accedens ad mensam marmoream regio apparatu ornatam, resedit cum pontificibus et omni populo; duces vero ministrabant, Lothariorum dux Isi[illegible]erhtus, ad cujus potestatem locus ille pertinebat, omnia

VARIÆ LECTIONES.

[528] *Hæc unus* 1. [529] optimo maximo. 3. [530] *deest* 3. locum duxerunt etiam 2. [531] palatium 2. [532] ettorum 1. *scribendi errore.* [533] *deest* 2. [534] milifumque A. ac militum 7. [535] sexto 2. sistorio 3. [536] et 1. [537] *deest* 1. [538] infra basilicam 2. 7. [539] *deest* 2. [540] plantaque 3. *Ex codd. hanc verborum distinctionem recepi.* [541] substitit A. [542] circumstabant 1. [543] *deest* 1. [544] possit 1. [545] in cœlum A. 7. [546] novoque 1. [547] procedit A. 2. 3. [548] induta 2. [549] penes 1. [550] diademate 3. [551] hilberhtus 1. hildeberht A. hildibertus 2. 3. *et ita infra.* [552] mogantiacæ 1. moguntiacæ 2. maguneiacæ A. Mogonciacæ 3. [553] *dee[illegible]* 2. [554] apostolo petro A. [555] ejus ad A. 2 3. [556] hoc 1. [557] desumptis (*deest* deinde) 1. [558] humetenus 3. [559] dimissis 3. [560] perducere 3. [561] perfusus itaque 3. [562] wichfrido 2. 3.

NOTÆ

(180) Iulich; vulgo creditur a Julio Cæsare conditum et appellatum. MEIB.

(181) Ita Widukindum scripsisse, xystum vero, i.e. porticum, intellexisse, putarim; de basiliea a Karolo Magno ædificata cf. Einhardi vita c. 26.

(182) Adsunt adhuc, basilica in eadem forma servata. *P*.

(183) Rothertus. — Eucharium a S. Petro missum cum sociis Treverim venisse ibique fidem christianam docuisse, vulgo credebatur cf. Gesta Trev. c. 21. *sqq*.

(184) Archiepiscopo Coloniensi.

procurabat, Evurarhdus mensæ præerat, Herimannus [563] Franco pincernis [564], Arnulfus equestri ordini et eligendis locandisque castris præerat. Sigifridus [565] vero, Saxonum optimus et a rege secundus, gener quondam regis, tunc vero affinitate [566] conjunctus (185), eo tempore procurabat Saxoniam (186), ne qua hostium interim irruptio accidisset, nutriensque juniorem Heinricum secum tenuit. Rex autem post hæc unumquemque principum juxta munificentiam regalem congruenti sibi munere honorans, cum omni hilaritate dimisit multitudinem.

3. Interea barbari (187) ad novas res moliendas deserviunt, percussitque Bolizlav [567] fratrem suum (188), virum christianum et, ut ferunt, Dei cultura religiosissimum, timensque sibi vicinum subregulum, eo quod paruisset imperiis Saxonum, indixit ei bellum. Qui misit in Saxoniam ad expostulanda sibi auxilia. Mittitur autem [568] ei Asic [569] cum legione Mesaburiorum [570] et valida manu Hassiganorum [571] (189), additurque ei exercitus Thuringorum. Erat namque illa legio collecta ex latronibus. Rex quippe Heinricus cum esset satis severus extraneis, in omnibus causis erat clemens civibus; unde quemcumque videbat furum aut latronum [572] (190) manu fortem et bellis aptum, a debita pœna ei parcebat, collocans in suburbano [573] Mesaburiorum, datis agris atque armis, jussit civibus quidem parcere, in barbaros autem, in [574] quantum auderent, latrocinia exercerent. Hujuscemodi ergo hominum collecta multitudo plenam in expeditionem produxit legionem. Bolizlav autem audiens de exercitu Saxonico, et quia Saxones seorsum, et [575] seorsum Thuringi irent contra se, divisis et ipse sociis, sicuti erat acerrimus [576] consilio, utroque [577] exercitui [578] occurrere disposuit. At Thuringi ut hostes inprovise sibi [579] occursitare viderunt, fuga periculum devitaverunt. Asic [580] autem cum Saxonibus et cæteris auxiliariis nichil cunctatus in hostes ruit, maximamque partem ex eis armis fudit [581], cæteros fugere compulit, victorque ad castra reversus est. Et cum ignorasset de exercitu qui insecutus fuerat Thuringos, minus caute usus est victoria perpetrata. Bolizlav autem videns exercitum nostrum dispersum, et alios in extrahendis spoliis cæsorum, alios in suis corporibus reficiendis, alios in paleis equorum congregandis occupatos, fugatum reversumque [582] coadunans exercitum, super improvisos ac recenti victoria securos [583] subito irruit, et ducem [584] cum omni nostro [585] exercitu delevit. Pergensque inde ad urbem subreguli (191), primo eam impetu cepit, et usque in hodiernum diem solitudinem fecit. Perduravitque illud bellum usque ad quartum decimum regis imperii [586] annum (192); ex eo regi fidelis servus et utilis [587] permansit.

4. Rex autem, audito hujuscemodi nuntio, minime turbatur, sed divina virtute roboratus [588], cum omni exercitu intrat terminos barbarorum (193) a refrenandam illorum sævitiam. Datum quippe erat illis et antea a patre suo bellum, eo quod violassent legatos Thancmari filii sui, de quo in sequentibus plenius [589] dicturos arbitramur. Placuit igitur novo regi novum principem militiæ constituere; elegitque ad hoc officium virum nobilem et industrium satisque prudentem, nomine Herimannum. Quo honore non solum cæterorum principum, sed et fratris sui Wichmanni [590] (194) offendit invidiam. Quapropter et simulata infirmitate, amovit se ab exercitu. Erat namque Wichmannus [591] vir potens et fortis, magnanimus, belli gnarus et tantæ scientiæ, ut a subjectis supra hominem plura nosse prædicaretur. Herimannus autem cum esset in prima acie, in introitu regionis in hostium pugnam incidit, eosque fortiter vicit, et ob hoc majori invidia inimicos accendit [592], inter quos Ekkardus [593], filius Liudulfi, qui in tantum ægre passus est fortunam Herimanni, ut sese promitteret majora facturum, aut vivere

VARIÆ LECTIONES.

[563] A. *semper* hermannus. [564] pincerna 2. [565] sifridus A. 3. [566] afinitate 1. [567] bolizlaf 2. 3. *semper*. [568] ei autem 2. [569] aesic A. 3. [570] Mersaburiorum 3. [571] Hasiganorum 3. hassigavorum? [572] furem aut latronem 3. [573] suburdio 1. [574] *deest* 2. [575] et a 1? [576] sociis sicuti erant, acerrimus 3. [577] utrique 2. 3. 7. [578] exercitu 1. [579] *deest* 1. [580] aesic A. 3. [581] fudit armis A. [582] reversusque 2. [583] *deest* 1. [584] *add.* eum 2. [585] *deest* 1, 7. [586] *deest* 1. [587] fidelis etulis 2. *vocabulum* servus *in* 1 *erasum est.* [588] corroboratus 3. [589] *ante* plenius *in* 1 *vocabulum* nos *superscriptum est*; plenius nos 2. [590], [591] *Hoc loco omnes (A semper fere)* : wichmannus, *et ita ubique scripsi*; *plerumque* 1. uuicmannus, 2 uuigmannus. [592] maiorem invidiam accendit 2. [593] Eckardus A, ekkehardus 2, 3.

NOTÆ.

(185) cf. c. 9.

(186) I. e. regis absentis loco imperium in Saxonia tenebat. De his Widukindi verbis alio loco (Iahrbucher I. 1. p. 159) accuratius dixi (cf. II. 26. 34. III. 23. urbem procurare II. 15).

(187) Barbaros Slavos esse gentiles (cf. II. c. 19. 20. III. 48), neque Boemos christianos hoc nomine indicari, Kopke satis probavit (Iahrbuch. I. 2. p. 85). — Sed haud omnes Bohemi tunc christiani fuerunt. *P.*

(188) Wenseslaum die 28 Sept. 936 occisum esse, plurimi sibi persuaserunt. Cf. Dobner ad Hagecium III. p. 652-657; rectius vero a. 935 statuendus esse videtur.

(189) Incolæ pagi Hasgowe, in qua et ipsa urbs Mersburg sita fuit.

(190) Cf. Cont. Reg. a. 920: ***Multi enim illis temporibus etiam nobiles latrociniis insudabant.***

(191) De regulo ejusque urbe quid cogitarint annalistæ Boemici, vide Dobnerum ad Hagecium III, p. 658.

(192) Cf. III, c. 8. Anno 950 bellum compositum est.

(193) Non contra Boemos, quod vulgo statuitur, sed aliam Slavorum gentem Otto hanc expeditionem sumpsit; ipse vero hoc anno contra Riadros i. e. Redarios se profectum esse profitetur. Cf. dipl. ap. Schannat hist. Fuld. Cod. probb. p. 143.

(194) Cf. Wedekind Not. II. p. 63.

nolle. Unde collectis ex omni exercitu fortissimis A viris, interdictum regis rupit, et paludem, quæ erat inter urbem hostium et castra regis, cum sociis transiit, statimque hostes offendit, et ab his circumfusus, cum omnibus suis periit. Erant autem qui cum eo ceciderant [594] electorum ex omni exercitu virorum decem et octo. Rex autem cæsa hostium multitudine, et cæteris tributariis factis, reversus est in Saxoniam. Acta sunt autem hæc 7 [595] Kalend. Octobr.

5. Post hæc antiqui hostes Ungarii venerunt [596] virtutem probare novi regis (DCCCCXXXVII). Intrantes autem Franciam, statuerunt, si possent, ab occidentali plaga invadere Saxoniam. Rex autem audiens, nichil moratus, cum exercitu valido occurrit illis, fugavitque et a terminis suis abegit.

6. Cessantibus autem bellis externis, civilia oriri B cœperunt. Nam Saxones imperio regis gloriosi [597] facti, dedignabantur aliis servire nationibus, quæsturasque quas habuerunt [598] ullius alii [599], nisi solius regis gratia, habere contempserunt. Unde iratus Evurhardus contra Bruningum, [600], collecta manu, succendio [601] tradidit civitatem illius vocabulo Elmeri [602] (195), interfectis omnibus ejusdem civitatis habitatoribus. Qua præsumptione rex audita, condempnavit Evurhardum centum talentis æstimatione equorum (196), omnesque principes militum, qui eum ad hoc facinus adjuvabant, dedecore canum, quos portabant usque ad urbem regiam, quam vocitamus Magathaburg [603].

7. Eodem tempore transtulit rex reliquias [604] Innocentii martyris in eandem urbem (197). Ipse au- C tem rex, ut erat clementissimus, dum turbatores pacis merita castigatione afflixit, illico cum pietate suscepit, et unumquemque eorum regio munere honorans, dimisit in pace [604*]. At illi nichilominus duci suo hærebant [605] ad omne nefas, quia ille quidem erat jocundus animo, affabilis mediocribus [606], largus in dando, et his rebus multos Saxonum sibi associavit.

8. Ea tempestate defunctus est Arnulfus Bojoariorum dux, et filii ejus in superbiam elati, regis jussu contempserunt [607] ire in comitatum.

9. Illo quoque tempore defunctus est Sigifridus [608] comes, cujus legationem [609] (198) cum sibi vendicasset [610] Thancmarus [611], eo quod propinquus ei esset [612] — nam mater ejus filia erat materteræ Sigifridi [613], de qua genuit rex Heinricus Thancmarum (199), [614] et regali dono cessisset — Heroni comiti, afflictus est Thancmarus tristitia magna. Rex autem transivit in Bojoariam, et rebus ibi rite compositis [615], reversus est in Saxoniam (DCCCCXXXVIII).

10. Dissensio autem, quæ [616] facta est [617] inter Evurhardum et Bruningum, ad hoc pervenit, ut cædes publicæ fierent, depopulationesque agrorum agerentur, et ab incendiis nusquam abstinerent. De legum quoque varietate facta est et contentio, fueruntque [618] qui dicerent, quia filii filiorum non deberent computari inter filios hereditatemque legitime cum filiis [619] sortiri, si forte patres eorum obissent avis superstitibus. Unde exiit edictum a rege, ut universalis populi conventio fieret apud villam quæ dicitur Stela (200) factumque est, ut causa inter arbitros judicaretur debere examinari. Rex autem meliori consilio usus, noluit viros nobiles ac senes populi inhonestate tractari, sed magis rem inter gladiatores discerni jussit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant [620] inter filios, et firmatum est, ut æqualiter cum patruis [621] hereditatem dividerent pacto sempiterno. Ibi quoque pacis [622] turbatores facti sunt [623] manifesti, qui hactenus [624] se negabant contra regiam potestatem aliquid fecisse, sed injuriam tantummodo in socios vindicassent [625]. Rex autem se contemptum ab eis animadvertens — neque enim ad placitum juxta jussum venire dignati sunt, — arma distulit, veniæ locum dedit, proxima sibi semper solitus clementia. Sed hæc dilatio ad majorem perniciem multos protraxit [626]. Fiebant præterea multa nefaria a seditio-

VARIÆ LECTIONES.

[594] occiderant 3, 1? [595] VIII, 2. [596] venere 3. [597] facti gloriosi A 2, 3. [598] habuere 3. [599] alius 2, 3. [600] brunignum A. [601] incendio 2. [602] elmeri vocabulo 2, v. Elveri 3, v. Helmeri β. [603] magathaburch 2. maoedeburg A. Magadaburg 3. [604] *add.* sancti 1, *vocabulo superscripto.* [604*] in paac dimisit 2. [605] adherebant 2, 7. [606] mediocris in rebus 3. [607] aontemserant 1. [608] 3 *semper* Sisfridus, A. sifridus. [609] ditionem 3 [610] vindicasset 3. [611] thangmarus A. [612] esset ei 1. ejus esset 2, A. 7. [613] sifridis A. materteræ erat Sifridi 3. [614] concessit 1. [615] rebus positis 1. [616] *deest* A. [617] erat 2. [618] fuereque 3. [619] cum filiis legitime 2. [620] computabat 1. [621] patrius *corr.* patribus 1. [622] *deest* 2. [623] facti sunt *desunt* 1. [624] quia actenus A. [625] vindicasse 2. A 7. [626] pertraxit 3, 7.

NOTÆ.


(195) Helmershausen ad Dimelam inferiorem, ut D jam Meibomius voluit, aut Elmershausen aut Helmarshausen in eadem regione esse videtur.

(196) Cf. Grimm. Ant. juris, p. 715, qui antiquius hujus pœnæ testimonium non vidit.

(197) Has ipsi Rudolfus rex Burgundiæ transmisit. Cf. Ottonis diplomata ecclesiæ Magdaburgensi 21 et 27 die Septembris 937 data apud Meibomium I, p. 741.

(198) *Legatio* comitis limitum significat dignitatem; cf. I, 36.

(199) Ita hi inter se conjuncti fuerunt:



(200) E regione Werdenæ ad Ruram fluvium, hodie Steil. MEIBOM. Regem ibidem die 18 Mai 938 fuisse, diploma ostendit apud Moser hist. Osnabr. I. App. p. 4.

sis, homicidia, perjuria, depopulationes, incendia; æquum pravumque, sanctum perjuriumque illis diebus parum procedebant.

11. Junctus est autem et Thancmarus Evurhardo, collectaque valida manu, oppugnat [627] præsidium quod dicitur Badiliki [628] (201), in quo erat Heinricus junior, dataque præda urbis suis commilitonibus, abiit, secum adducens [629] Heinricum quasi vile quoddam mancipium [630]. Interfectus est autem ibi Gevehardus [631], Udonis filius [632], fratris Herimanni ducis, ob cujus necem, Deo omnia ordinante, duces Francorum inter se sunt [633] divisi (202). Tantis igitur spoliis Thancmari milites [634] ditati, jam ad omnia parabantur. Post hæc cepit urbem quæ dicitur Heresburg [635], et collecta valida multitudine, sedit [636] in ea, multa inde exercens latrocinia. Evurhardus autem secum tenuit Heinricum. Eo quoque tempore occisus est Dedi [637] ante portas urbis quæ dicitur Larun [638] (203), in qua erant milites Evurhardi. Wichmannus autem, qui se primum alienavit a rege, audiens tantum facinus seditiosorum, conversus [639] pacem fecit cum rege, quia prudentissimus erat, et utilis ac fidelis usque [640] in finem permansit (204). Thancmarus autem, filius Heinrici regis, natus erat ex matre nobili (205) manu promptus, acer ingenio, bellandi peritus, sed inter arma honesta minus pudicitia usus. Erat autem mater ejus multam habens possessionem [641], qui licet a patre alia plura [642] sit ditatus, materna tamen se hereditate [643] privatum ægre valde tulit, et ob hanc causam arma sumit [644] ad perniciem sui suorumque contra dominum suum regem. Rex autem, licet invitus, videns rem ad tam ingens periculum procedere, ad edomandam Thancmari insolentiam cum multo comitatu perrexit ad [645] Heresburg. Cives autem urbis illius cognoscentes de rege, quia [646] super se cum valida manu appropinquasset, apertis portis, introduxerunt exercitum, qui obsederat urbem. Thancmarus autem fugit in æcclesiam a Leone papa beato Petro apostolo dedicatam (206). Exercitus autem persecutus est eum usque in templum, et maxime satellites Heinrici, dolentes ac vindicare contendentes injuriam domini sui; nec veriti januas ferro incidere, cum armis ingressi sunt sacram ædem [647]. Thancmarus autem stabat juxta altare, depositis desuper armis cum torque aurea. Cumque ex adverso telis urgeretur, Thiadboldus [648] quidam, nothus Cabbonis, cum conviciis vulnus ei inflixit, ilicoque ab eo recepit, quo vita cum tearibili insanio in brevi caruisset. Quidam autem militum, Maincia [649] vocabulo, per fenestram altari contiguam lancea a tergo perfossum ibi secus aram extinxit Thancmarum. Ipse autem fraternæ fautor [650] discordiæ, in Biertanico postea bello vitam cum auro ab altari nequiter rapto miserabiliter perdidit (207). Earum rerum rex ignarus et absens cum audisset, super temeritate militum indignatus [651] est, sed fervente [652] adhuc bello civili, non potuit eos contristari [653]. Miseratus autem fratris fortunam, suique ingenii ostendens clementiam, pro laude ejus ac industria pauca locutus, Thiadricum [654] et tres amitæ illius filios, qui Thancmaro manus junxerant [655], lege Francorum dampnatos strangulo [656] fecit deficere. Inde vertit militem avidum pugnæ et præda urbis ditatum in Laras [657]. Illi autem, urbis præfecto auctore acriter resistentes, lapides lapidibus, tela telis obicere non cessabant. Aggravatique bello, super consulto [658] ducis (208) indutias deposcunt. Quibus concessis [659], ducis eis præsidium [660] negatur [661]. Unde urbe egressi, potestati se regiæ tradiderunt [662]. Ea [663] pugna Tamma [664] pincerna, multis aliis rebus bene gestis alim famosus, factus est clarus. Evurhardus autem audiens de nece Thanmari et [665] defectione suorum militum, fractus animo, prosternitur captivo suo, veniam petit, ac nequiter promeretur.

VARIÆ LECTIONES.

[627] oppugnant 2. [628] Badilici 2. [629] abducens 3. [630] mancipium quoddam A. [631] geuuthardus 1. everhardus 2. gebehardus A. Gevehardus 3. [632] filius udonis 2. Udunis f. 3. [633] *deest* 1. [634] *deest* 2. [635] heresburch 2 *semper*. [636] sedet 3. [637] dendi 1, 3. [638] laerum 2. [639] *Quæ sequuntur usque ad verba* ac imperio usus est cap. 24. *in A., cujus folia duo desunt, desiderantur.* [640] *deest* 2. 3. [641] possessionem habens 2. [642] aliis pluribus 2. 3. 7. [643] hereditate se 2. [644] sumsit 3. 7. [645] *deest* α. [646] quod α. [647] *add.* tunc. 1. [648] thialbodlus 2. 3. Theobaldus α. [649] mancia 1. [650] fautor *corr.* auctor 2. [651] dedignatus 2. 7. [652] ferventi 2. [653] contristare α. [654] thiedericum 2. thiadericum 3. theodericum α. [655] vinxerant 3. [656] strangula 3. a. [657] Lares 3. Larum 7. [658] consulta 2. [659] concessit 2. [660] *add.* non 3. α. [661] negavit 1. [662] tradidere 3. [663] et 1. [664] tammo 2. α. 7. Damno 3. [665] et de α.

NOTÆ.

(201) Belike e meridie civitatis Lippstadt.

(202) Francorum duces hi fuerunt :

N

Conradus		Gebehardus		Eberhardus
Conradus rex † 918	Eberhardus dux † 939	Hermannus dux Suavorum † 947	Udo	Conradus Curcipoldus † 948
			Gebehardus † 938	

(203) Larum in pago Westfalon, castrum ditionis Arensberg, esse videtur.

(204) Obiit 23 die Aprilis 944.

(205) Cf. Thietmar I. (p. 5.)

(206) Ecclesia ædificata est a. 785 (v. Ann. Laureshamenses h. a.); Leonem papam eam consecrasse, nemo quod sciam præter Wid. tradit : diploma vero ab eodem ecclesiæ a. 789, in ipsa urbe Heresburg datum extat, v. Meibom. SS. III. p. 21.

(207) Cf. c. 17.

(208) I. e. contra ducis sive præfecti voluntatem. — Ducem scil. Everhardum consulturi. P.

12. Heinricus autem erat [666] eo tempore nimis adolescens (209), fervens [667] animo; et nimia regnandi cupiditate illectus, eo pacto crimine solvit eum, quo conjuratione secum facta contra regem dominum suum et fratrem, sibi regni diadema, si possibile foret, imponeret. Fœdus itaque invicem percussum. Inde liberaliter Heinricus ad regem reversus, puriori fide ac caritate ab eo est susceptus quam ingressus.

13. Suasione quoque optimi imprimis viri et omni religione probatissimi Frithurici [668], successoris Hildiberhti (210) archiepiscopi, Evurhardus adiit regem, supplex veniam [669] deposcit, se suaque omnia ipsius arbitrio tradens. Ne igitur ingens scelus inemendatum maneret, quasi in exilium in Hildinensem [670] urbem a rege dirigitur. Sed non post multum temporis in gratiam clementer recipitur, et honori pristino redditur.

14. Dum ea interea loci geruntur, antiqui hostes nostri Ungarii subito irruunt in Saxoniam [671] et castris super litus Badæ [672] fluminis conlocatis, inde in omnem regionem diffunduntur. Dux autem missus a castris cum parte exercitus, eo die ad vesperam signa movit circa urbem quæ dicitur Stedieraburg [673] (211). Urbani autem videntes hostes et ex itinere et ex pluvia, quæ ingens erat, segniores [674], audacter erumpunt portis [675], et clamore primum territantos, demum repente in adversarios irruentes, plurimis ex eis cæsis et copiosa equorum multitudine cum aliquibus signis capta, cæteros fugere compulerunt [676]. Urbes quas obvias habuere [677], illorum fugam animadvertentes, armis eos omnibus locis urgebant, et maxima ex eis parte prostrata, ducem ipsum in quendam luti [678] puteum cogentes obpresserunt. Altera autem pars [679] exercitus ad aquilonem versus, et arte cujusdam Slavi in locum [680] qui dicitur Thrimining [681] (212) deductus, difficultate locorum ac manu circumfusus armatorum periit, timoremque nimium cæteris incussit. Dux autem illius exercitus cum paucis elapsus, comprehenditur, et ad regem deductus, pretio magno redimitur. His auditis, castra hostium omnia [682] turbata, fuga salutem quæsierunt [683], nec ultra per triginta annos (213) in Saxonia apparuerunt [684].

15. (DCCCCXXXIX) Post hæc Heinricus ardens cupiditate regnandi, celebre parat convivium in loco qui dicitur Salaveldum [685] (214). Cumque esset magnus ac potens, majestate et potestate regali plurimis plurima donat, et factionis hujuscemodi plurimos ob id sibi associat. Fuere tamen multi, qui [686] rem celare potius arbitrati sunt, ad hoc tantum, ne rei [687] fraternæ discordiæ invenirentur. Dabant tamen consilium, quo facilius bellum solveretur, ut videlicet [688] ipse relinqueret Saxoniam sub præsidio militari, et [689] sese inferret [690] Lothariis [691], generi hominum inbelli; et ita factum est, ut primo inpetu eos rex devinceret, et uno certamine fatigaret. Commilitonum itaque consulto [692] Saxonia, ut diximus, relicta et urbibus [693] Saxoniæ uel in Thuringorum terra præsidio militari traditis [694], ipse cum amicis Lotharios adit. Cujus rei fama undique omnes perculsi, quia tam subitaneæ recessionis a rege ac repentini belli causam penitus ignorabant [695]. Rex autem audita hujuscemodi fama, primum non credidit, postremo certum de belli negotio probans, nichil moratus cum exercitu prosecutus [696] est fratrem. Et ut [697] appropriat urbi præsidiis fratris munitæ, quæ dicitur Thortmanni [697*] (215), milites qui erant in ea, non immemores fortunæ Thancmari, nequaquam sunt ausi inibi regem expectare, sed egressi urbe [698], tradiderunt se ipsos regi. Erat autem Agina [699], qui illam urbem ad manum Heinrici procurare deberet. Hic a rege vehementi juramento constrictus, quatinus, si posset, dominum suum a bello ad pacem et concordiam revocaret, vel certe ipse ad regem reverteretur; ita dimissus, addit dominum suum. Ductus autem exercitus a rege, pervenit usque ad litora Reni fluminis.

16. Eo tempore (216) quo erat bellum Evurhardi cum rege, missus Hadaldus [700], qui erat super cubiculum regis, ad Isilberhtum [701], pro concordia et pace, cum necdum ad neutram partem palam declinaretur [702], indigne suscipitur, et responsio [703] de [704] die in diem differtur. Ipse autem simultates ducis sentiens, nec ultra talibus versutiis contentus [705]:

VARIÆ LECTIONES.

[666] *deest* 1. [667] *deest* 3. [668] friederici 2. α *semper*. [669] *deest* 3. [670] Aildenensem 3. Hildesheimensem α. [671] Saxones 3. [672] Bode α. [673] stederburg *corr.* stedieraburg 2. Stediereburg. 3. Steidiereburg α [674] seniores 3. [675] portas 3. [676] compulere 3, 1? [677] habuerunt α. [678] loci α. [679] alteræ autem partes 3. alter autem Ung. exercitus α. [680] loco α. [681] thriminig 1. triminig 7. [682] *deest* 1. [683],[684] quæsiere — apparuere 3. [685] Salaveldum 3. Solaveldun α. [686] quæ 1. [687] regi 3. [688] scilicet α. [689] ut 3. 1? [690] inferior 2. [691] Lotharius 3. [692] consultu 3. 7. [693] ut diximus — urbibus *desunt* 3. [694] tradito 3. [695] ignorabat 1. [696] persecutus 2. α. [697] *deest* 1. [697*] thormanni 1. throtmanni 2. 3. [698] urbem 2. [699] α *semper* Hagina. [700] Haaldus nobilissimus et regi consanguinitate conjunctus β *procul dubio Falkii figmentum* (p. 584.) [701] isberthtum 1. [702] declinaret 3. α. 7. [703] responseo 1. [704] a α. [705] contemptus.

NOTÆ.

(209) Heinricus inter annos 919 et 922 natus tunc decimum sextum vel octavum annum agebat.

(210) Hildibertus obiit a. 937 die 31 Maii mensis.

(211) Stederburg prope Wolfenbuttel.

(212) Intelligit saltum qui hodie nominatur : *der Dromling*. Meib. Palustris regio Dromling, in qua Aleræ et Oræ fontes; supra Ann. Corbei. Belxa dicunt. P.

(213) Anno 967 vergente Widukindum hæc scripsisse supra monui.

(214) Saalfeld.

(215) Dortmund.

(216) Prioris belli tempore a. 938.

Imperio, inquit, *tibi regali denuntio, teste populo* [706], *tribunati regis condicto die præsentari, aut certe hostem te scias judicari.* Simili modo et pontificem Berthardum [707] (217), a rege missum inhonoratum et responsi incertum a se dimisit. Fertur etiam et regalium litterarum sæpius sigilla corrupisse. Post hæc vero [708] verba legatum meliuscule [709] cœpit habere, et cum honore transduci fecit.

17. [710] Igitur copias belli parantes [711] Heinricus et Isilberhtus, decreverunt ad Renum occurrere regi. Agnia quoque memor jurisjurandi, præcedens exercitum, transito Reno, regi sese præsentavit; et salutare eo verbis humillimis, ait: *Frater tuus dominus meus, salvum te et incolumem magno latoque imperio diu regnare exoptat, tuumque* [712] *ad servitium demandat se* [713] *quantocius festinare.* Rege autem interrogante de eo, pacem bellumne cogitasset, prospiciens vidit multitudinem nimiam erectis signis tractim procedere, et ad sui partem exercitus, qui (quæ?) jam Renum transierat, tendentem. Et conversus ad Aginam: *Quidnam vult,* inquit, *illa multitudo, aut quæ est?* At ille satis otiose [714]: *Dominus meus,* inquit [715], *est, frater tuus. Si meæ suasioni dignaretur animum inclinare, aliter venisset* [716]. *Modo ut ipse jurari veni* [717]. Rex autem his auditis, dolorem animi motu corporis non celebat, eo quod non adessent [718] naves, per quas Renum transcendere posset; et ingens flumen aliud iter non præbebat [719], nec tempus subitanei certaminis in ulteriore [720] ripa constitutos aliud sinebat cogitare, nisi aut coram hostibus cadere debere [721], aut certe armis vitam defendere [722]. Unde ad Deum [723] supplices expandens manus rex, ait [724]: *Deus* [725], inquit, *omnium rerum auctor et rector, respice populum tuum, cui me præesse voluisti, ut ereptus ab inimicis, sciant omnes gentes, ullum mortalium tuæ dispositioni* [726] *contraire non posse, qui omnia potes et vivis et regnas in æternum.* Qui autem erant in ulteriore [727] ripa, sarcinas et impedimenta quæque transmittunt in locum qui dicitur Xantum [728] (218); ipsi vero parati hostes expectant [729]: Cumque esset piscina inter nostrates et hostes, Saxones divisis sociis, pars una [730] ex adverso ruit in hostes, altera pars a tergo insequitur, in mediis hostes [731] opprimens, pauci plures vehementer urgebant. Neque enim [732] nostratium [733] supra centum

A armatos fuisse perhibetur, adversariorum vero magnus satis exercitus. Sed cum a fronte pariter et a tergo urgerentur, qua parte potissimum cavere debuissent, in promptu non erat. Ex nostris etiam fuere, qui Gallica lingua ex parte loqui sciebant [734] qui clamore in altum Gallice levato [735], exhortati sunt adversarios ad fugam. Illi socios hujuscemodi clamasse arbitrati, fugam, ut clamatum est, inierunt. Eo die ex nostris multi [736] vulnerati, aliqui etiam cæsi, inter quos [737] Ailbertus [738], qui cognominatus est Candidus, telo ducis Heinrici vulneratus, non multis interjacentibus diebus defunctus est. Hostes autem omnes aut cæsi vel capti vel certe fugati; sarcinæ omnes et omnis hostium suppellex [739] inter victores divisa. Ex parte Lothariorum B bene pugnasse prædicabatur illo certamine Godofridus [740], Niger cognominatus. Sed et Maincia, cujus supra mentionem fecimus, eo die cecidit.

18. Dadi [741] autem Thuring [742] mandavit ad præfectos urbium, qui [743] erant in oriente partis ducis Heinrici, de victoria regis, et quia ipse dux in bello cecidisset; egitque callide, ut omnes se traderent regiæ potestati. Heinricus autem hoc factum nequaquam [744] reliquit inultum. Ipsi autem duæ tantummodo ex omnibus remanserant [745] urbes, Mersburg [746] et Scithingi [747]. Regi [748] autem post victoriam visum [749] est persequi fratrem suum generumque.

19. Audiens vero de defectione urbium suarum [750], fractusque recenti regis victoria, cum novem [751] tantum armatis iter arripuit, Saxoniamque jam C tardius [752] adiens, urbem Mersburg [753] ingressus est. Quo rex comperto, et ipse reversus est Saxoniam, urbemque, in qua frater erat, cum exercitu obsedit. Sed cum non posset fortiori ac majori resistere, post duos ferme menses, tradita urbe, egressus [754] est Heinricus ad regem. Datæ sunt autem ei indutiæ triginta dierum, quatinus cum militibus sibi cohærentibus secederet a Saxonia; si cui vero illorum regem adire placuisset, locum veniæ haberet. Quievitque Saxonia post hæc ab intestinis bellis paucis diebus.

20. Barbari autem labore nostro elati, nusquam ab incendio, cæde ac depopulatione vacabant, Gero- D nemque, quem sibi rex præfecerat (219), cum dolo

VARIÆ LECTIONES.

[706] imperium tibi, inquit, regale facio (i. i. r. t. f. α) præsente populo 2. 3. α. *Hic locus est quem ipse W. mutasse videri potest.* [707] berthardum 1. [708] *deest* 1. [709] melius 3. [710] *hoc loco* cap. 17., *in codice omissum, posui.* [711] parentes α. [712] totumque α. [713] *deest* 1. [714] sciose 3. [715] dominus, inquit, meus 2. [716] veniret *corr.* venisset 2. [717] venit 2. [718] essent 2. [719] præberet 1. [720] ultiori 3. α. 7. [721] deberet 3. *deest* 2. [722] defenderet 3. [723] dominum *a.* [724] *deest* α. [725] domine α. dominus 3. [726] dispositione 1. [727] ulteriori 2. 3. 7. [728] xanctum 2. Sanctum 3. [729] expectarent [730] uno 1. [731] altera — hostes *desunt* 1. [732] *deest* 3. [733] nostratum α. [734] qui gallicam linguam ex parte sciebant 1. [735] elevato α. [736] multi ex nostris 2. [737] quas α. [738] Elibertus α. Albertus 3. [739] supplex 1. [740] frid 2. Godefridus α. [741] Dedi α. [742] Thuringus α. [743] quæ α. [744] nequaquam hoc factum α. [745] remanserunt α. [746] 1. *semper* mesburg. [747] scitingi 2. Schidingi α. [748] regiam 3. [749] jussum 3. [750] *add.* Henricus α. [751] novis 3. [752] tardus 2. tarde 7. [753] mesbug 2. [754] ingressus α. congressus 7.

NOTÆ.

(217) Halberstadensi.

(218) Pugnam prope Biertanam (Birthen), commissam esse Cont. Reg. a. 939 et Liudprandus IV. c. 23. narrant, ideoque Wid. quoque hoc bellum Biertanicum appellat c. 11. et III. 16.

(219) Gero præter pagum Suevon jam a. 937 etiam

perimere cogitant. Ipse [755] dolum dolo præoccupans, convivio claro delibutos ac vino sepultos ad triginta fere principum barbarorum una nocte extinxit. Sed cum non sufficeret contra omnes nationes barbarorum — eo quippe tempore et [756] Apodriti [757] rebellaverant, et cæso exercitu nostro, ducem ipsum nomine Haicam [758] extinxerunt, — ab ipso rege sæpius ductus exercitus eos læsit et in multis afflixit et in ultimam pene calamitatem perduxit. Illi vero nichilominus bellum quam pacem elegerunt, omnem miseriam caræ libertati postponentes. Est namque hujuscemodi genus hominum [759] durum et laboris patiens, victu levissimo assuetum, et quod nostris gravi oneri [760] esse solet, Slavi pro quadam voluptate ducunt. Transeunt sane dies plurimi, his pro gloria et pro magno latoque imperio, illis pro libertate ac ultima servitute varie certantibus. Multos quippe illis diebus Saxones patiebantur hostes, Slavos ab oriente, Francos a meridie, Lotharios ab occidente [761], ab aquilone Danos itemque Slavos; proptereaque barbari longum trahebant certamen.

21. Fuit autem quidam [762] Slavus a rege Heinrico relictus, qui jure gentis paterna successione dominus esset eorum qui dicuntur Heveldi [763], dictus Tugumir. Hic pecunia multa captus et majori promissione persuasus, professus est se [764] prodere regionem. Unde quasi [765] occulte elapsus, venit in urbem quæ dicitur Brennaburg [766], a populoque [767] agnitus et ut dominus susceptus, in brevi quæ promisit implevit. Nam nepotem suum, qui ex omnibus principibus gentis [768] supererat [769], ad se invitans, dolo captum interfecit [770], urbemque cum omni [771] regione ditioni regiæ tradidit. Quo facto, omnes barbaræ nationes usque in Oderam [772] fluvium simili modo tributis regalibus se subjugarunt.

22. Heinricus igitur discedens a Saxonia, Lotharios iterum adiit, et cum genero suo, duce scilicet Isilbertho [773], cum suis militibus aliquamdiu moratus est. Iterum ducitur exercitus a rege contra Isilberthum [774], et omnis regio Lothariorum illius imperio subjacens igni traditur. Obsessusque in urbe [775] quæ dicitur Kievermont (220), elapsus inde proficiscitur. Et cum obsidio difficultate locorum parum procederet, vastata undique regione, rex in Saxoniam revertitur.

23. Sciens autem comitem Isilberthi [776] versutum et callidum nimis, nomine Immonem [777], artibus illius melius arbitratus est pugnare quam armis. Ille vero, ut erat astutissimus, meliori ac majori se subdens, arma sumit contra ducem; quod ipse dux omnium laborum gravissime tulit, quia eum sibi adversum sustinere debuisset, cujus consilio ac fidei hactenus se maxime credebat. Augebat quoque indignationem ducis [778] grex porcorum ab Immone callide captus. Nam subulci ducis cum contra portas [779] urbis transirent, Immo porcellum pro porta agitari fecit, et omnem gregem porcorum apertis portis intra urbem recepit. Quam injuriam dux ferre non valens, coacto exercitu, obsedit Immonem. Ille autem plurima apum examina habuisse fertur (221), quæ frangens projecit [780] contra equites. Apes autem aculeis equos stimulantes, in insaniam vertebant, ita ut equites periclitari cœpissent. Quo viso Immo prospiciens de muro, eruptionem cum sociis minitavit [781]. Hujuscemodi igitur artibus sæpius dux ab Immone delusus, solvit obsidionem. Discedens vero fertur dixisse: *Immone mecum sentiente, omnes Lotharios facile captos tenui, modo ipsum solum cum omnibus Lothariis capere nequeo.*

24. Tractum tamdiu bellum Evurhardus considerans, ultra non quiescit. Quin contempto rege, et jure spreto juramentorum, ut initio [782], conserta manu cum Isilbertho [783] ad incentiva bellorum pariter conspirant [784]. Nec contenti [785] regno occidentali solummodo, in Reni orientalem agrum depopulandum cum exercitu demerguntur. Hæc cum audiuntur in castris regis — nam ea tempestate [786] rex erat pugnans contra Briseg [787] (222) et alias urbes, quæ erant Evurhardi ditionis, — multi se a [788] castris eruebant, nec ultra spes erat regnandi Saxones. Rex vero ea [789] turbatione tanta constantia ac imperio usus est, licet raro [790] milite constiparetur, ac si nichil ei difficultatis obviasset. Nam summi pontifices, relictis tentoriis et alia qualibet suppellectili, ipsi etiam defecerunt a fide.

25. Defectionis causam edicere et regalia misteria pandere, super non est; verum historiæ satisfaciendum arbitramur; quicquid in hac parte peccemus veniabile [791] sit. Summus pontifex missus ad Evurhardum pro concordia et pace, cum esset earum rerum desiderantissimus [792], pacto mutuo suum interposuit juramentum, et ideo ab eo non posse desinere [793] fertur narrasse. Rex autem per pontificem officio suo congruentia dirigens responsa, nil ad se

VARIÆ LECTIONES.

[755] *add.* vero α. [756] *deest* 3. [757] Abotriti α. *semper*. [758] haincam 1. [759] hominum genus α. [760] g. oneris 2. gravioris 1. [761] Francos — occidente *desunt* 1. 7. [762] quidam autem 3. [763] Hevelli α. *semper*. [764] *deest* 1. [765] quia α. [766] Brandenburg 3. [767] populo α. [768] gentibus 1. [769] superaret 2. [770] interficit 1. [771] *deest* 3. 7. [772] Odoram 3. [773] isbertho 1. Isilbertho 3. [774] hisberthum 1. [775] arce 4. [776] Giselbertum, 3. [877] Ymmonem α *semper*. [778] duci 3. ipsius α. [779] porcos 3, [780] progecit 1. [781] minitatus est 3. [782] in initio α. [783] hisbertho 1. iselbertho 3. *sæpius*. [784] conspiraret α. [785] contempti 1. [786] potestate 2. [787] Brisag *a*. [788] *deest* 3. [789] in ea 3. [790] coram 3. [791] veniale 2. [792] desideratissimus 3. 1, A? [793] *ita corrigendum videtur*; desipere 1. 2. deficere 3.

NOTÆ.

Nordthuringowe rexit, et his annis marchio limitis Saxonici constitutas esse videtur.

(220) Chevremont prope Leodium.

(221) Sunt qui, ex vocabulo Germanico *Imme*, (*impi*), apis, hanc famam natam esse, putent.

(222) Cf. SS. I. 618. III. 324.

pertinere voluit, quicquid episcopus egisset sine suo imperio. Quare quia contra auctoritatem regi quasi praecellenti noluit subici, sed recessit ab eo [794], in Hammaburgensem [795] urbem quasi in exilium destinavit, Rothardum [796] vero episcopum [797] (223) novam Corbeiam direxit. In brevi vero utrisque clementer ignoscit, in sui gratiam suscipit [798], et honori pristino reddidit.

26. Ad coercendam [799] igitur ducum [800] præsumptionem missus Hermannus (224) cum exercitu, invenit eos super litus Reni, magnamque partem exercitus [801] abesse, eo quod jam Renum cum præda transissent [802]. Circumfusus itaque dux ipse Evurhardus militum armis, multis vulneribus acceptis ac viriliter redditis, perfossus tandem telis corruit. Isilberhtus autem fugiens, navem [803] cum pluribus [804] ascendit, quæ onere prægravata subcumbens mergitur, ipseque dux cum cæteris mersus, numquam est inventus (225). Rex autem audita, victoria suorum [805] militum ac morte ducum, gratias egit [806] omnipotenti Deo, cujus sæpius auxilium expertus est oportunum; præficiensque regioni Lothariorum Oddonem, Riewinis [807] filium [808], et ut nutriret nepotem suum filium Isilberhti, optimæ spei puerulum, nomine Heinricum, reversus est in Saxoniam. Mater, autem pueri copulata est conjugio Hluthowico [809] regi, et Heinricus frater regis discedens a Lothariis, secessit in regnum [810] Karoli. (DCCCXL.) Necem ducum asperrima hiemps, hiememque secuta est fames validissima [811] (226).

27. Post hæc Immo [812], revera [813] nescio an falso, arma sumit contra regem, et media hieme circumdatus exercitu, se pariter cum urbe [814] tradidit, ac deinceps fidelis et utilis permansit.

28. Nepotes quoque Isilberhti servituti regiæ se subjiciebant [815], urbibus quas tenebant nichilominus retentis. Kievermont etiam ab Ansfrido [816] et Arnaldo [817] adhuc tenebatur, ad quos Immo mandatum hujuscemodi [818] dirigens ait: ***De me non sentio nisi quod vos sentitis, de vobis autem notum est, quia hujus gentis principes estis. Nulli ergo dubium, quin duabus manibus quisque magis valeat quam una. Certum est itaque, tres unum fortitudine praecedere. Et nunc quæ necessitas cogit, ut serviamus Saxonibus, nisi nostra discordia? Quando vos armis circumdederunt, num victoria lætati sunt? Victoribus certe turpe est servire. Optimum omnium mortalium, qui me a puero nutrivit et inter amicos semper habuit et magna potestate clarificavit, nostrum communem dominum deserui, et Saxoni me [819] periculo capitis mei sociavi; modo, ut scitis, pro merito honore contumelia ab eo affectus, armis circumdatus, pene ex libero servus factus sum [820]. Ut ergo noveritis, me ex fide communi utilitati velle consulere, tibi Ansfrid unicum filiam meam desponsabo, quo nullo apud vos infidelitatis scrupulo notari queam. Date igitur locum mutui [821] colloquii, et ex me ipso fidem probabitis, quam per nuntium necdum potestis.*** Ipsi ad hæc, quamvis ferrei pectoris essent, et illum jam olim suspectum haberent, tantæ tamen calliditati [822] cedentes, suasibilibus emolliti verbis [823], mutuo dabant locum conspectui. At ille armatos habens locis oportunis absconditos, dolo ambos cepit, et sub custodia regi destinavit, mandato [824], in hæc verba pariter directo: ***Elatior*** (227), inquit, ***est mollior, vinctis [825] aut verberibus [826] non indiget, minis [827] pandit universa quæ scit. Ansfrid vero durior ferro est [828], hunc si tormenta accerrima rimentur, magnum est.*** Quos cum rex suscepisset, aliquando tempore custodiæ mancipatione castigavit; postea suæ gratiæ lenitate sibi associans, in pace dimisit. Cum ergo causæ causis et res [829] rebus ita copulatæ sint [830], ut sententiarum ordine discerni adeo non debeant, nemo me temporum [831] vicissitudine accuset, dum posteriora anterioribus præposuerim gesta.

29. Rex igitur vicina sibi [832] semper clementia graves [833] fratris miseratus labores, aliquantis urbibus suis usibus concessis [834] permissus est intra [835] regionem Lothariorum habitare.

30. Eo [836] tempore barbarorum [837] bellum fervebat. Et cum milites ad manum Geronis præsidis conscripti crebra expeditione attenuarentur, et donativis vel tributariis præmiis minus adjuvari possent, eo quod tributa passim negarentur, seditioso odio in Geronem exacuuntur. Rex vero ad communes utilitates rei publicæ Geroni semper juxta erat.

VARIÆ LECTIONES.

[794] ab eo *desunt* 2. [795] hammaburgnensem 1. hammenburgensem 2. Hommaburgensem 3. [796] ruthardum A. Ruodhardum 3. [797] episcopum vero 3. [798] suscepit 2. 3. [799] coercendum 2. [800] ducis 2. [801] *deest* 2. [802] transisset 2. [803] navim 2. [804] multis 2. [805] *deest* 2. [806] agit 1. [807] riewini 2. Ricuinis 3. [808] *add.* ut et regnum procuraret 6. *quod in codd. omissum esse, fere putarim.* [809] luthuuico 1. ludwico A. [810] regionem 3. [811] fames ral. secuta est 2. [812] Ymmo A. *semper.* [813] vera 3. [814] orbe A. [815] subjacebant 1. [816] Anfredo 3. [817] arnoldo 2. 3. A. [818] hujuscemodi mandatum 3. [819] saxonibus me 1, Saxoniæ 3. 7. [820] *deest* A. [821] *deest* 1. mutuo colloquio A. [822] caliditati 1. [823] verbis emolliti 2. [824] *deest* 2. [825] vinculis A. 3. [826] ververibus 1. [827] minuc 1. [828] ferro durior est 2 d. est ferro A. [829] 1. ac rebus res 3. [830] sunt 2. [831] temperum 2. [832] semper sibi A. 3. [833] gravis 1. [834] concessis usibus [835] 2. in terra 3. [836] *cod.* 1. *cap.* 30 *verbis :* Et cum milites *incipit.* [837] b. barbarum 2. bellum barbarorum A. 3.

NOTÆ.

(223) Strazburgensem.

(224) De Herimanno Alamannorum duce cogitare videtur.

(225) De die mortis nihil constat.

(226) Cf. Ann. Colonienses a. 939. (Mon. I. p. 98) et Ann. majores San Gall. a 940 (ib. p. 78.)

(227) Arnaldus.

Unde factum est, ut nimis exacerbati, odia sua in ipsum quoque regem vertissent.

31. Quæ causa Heinricum minime latuit [838], et — solet, amaris animis dum [839] dulce aliquid offertur, — facile persuadebat [840] hujuscemodi homines sibi concordare, spem habens iterum regnandi, dum nosset [841] exercitum regi offensum. Denique multis intercurrentibus legatis, et munusculis invicem missis, omnes pene orientalium partium milites sibi colligavit. (DCCCCXLI). Quæ res ad tantum nefas processit, ut conjuratione valida facta, in paschali festivitate, quæ erat proxima, cum ipse Heinricus ad [842] palatium adisset [843], regem occidere cogitassent, ipsi vero regni diadema imponerent [844]. Earum rerum dum non esset publicus proditor, semper se protegente summa divinitate, notæ factæ sunt regi insidiæ modicum ante pascha. Qui fidelium militum [845] vallatus manu die ac nocte, nichilque decoris vel majestatis regiæ coram populo ea sollempnitate minuens, nimium hostibus intulit timorem. Post diem vero sollempnem, consilio maxime Francorum qui eo tempore [846] sibi adstabant, Herimanni [847] scilicet. Udonis atque Conradi [848] qui dictus est Rufus (228), secrete proditos jubet comprehendi vel certe occidi. Inter quos erat primus in cæteris omnium bonarum virtutum rebus absque hac noxa fortissimus optimusque Erich. [849]. Hic cum armatos ad se properasse intellexisset, conscius causarum, equum ascendit, arma sumit, circumfususque hostium turmis, memor pristinæ virtutis ac nobilitatis, elegit mori quam inimicorum dominationi subici. Nam lancea perfossus occubuit, vir omni virtute ac industria civibus carus atque clarus. Cæteri autem insidiarum conscii in alteram hebdomadam [850] differuntur, et secundum leges [851] sceleribus suis meritas pœnas solventes, capite cæduntur. Heinricus autem fugiens regno cessit.

32. Eo anno et portenta quædam apparuere [852], scilicet cometæ. Nam a quinta decima Kalendas Novembris [153] usque in ipsas Kalendas visæ sunt. Quibus visis [854] multi mortales [855] territi, aut nimiam pestilentiam vel certe regni mutationem metuebant; quoniam [556] quidem ante regis Heinrici excessum multa prodigia monstrata sunt, ita ut solis splendor forinsecus aere [857] absque nubilo pene nullus appareret [858], inirinsecus autem per fenestras domorum rubeus tamquam sanguis infunderetur. Mons quoque, ubi ipse rerum Dominus sepultus est, fama prodidit, quia multis in locis flammas evomeret. Hominis (229) etiam cujusdam manus sinistra ferro amputata, post annum fere integrum restituta est ei dormienti, qui pro signo miraculi singuinea linea loco conjunctionis notabatur. (DCCCCXLII). Sed cometas inundatio nimia, inundationemque boum pestilentia subsecuta est.

33. (DCCCCXLIII). Defuncto autem Oddone [859], Lotharioram præside (230), ac regis nepote Heinrico, ducatus regionis conceditur Conrado, cui et unicam filiam suam rex desponsavit (231), qui [860] erat adolescens acer et fortis, domi militiaque [861] optimus, commilitonibus suis carus.

34. Illis diebus Bertholdus [862], frater [863] Arnulfi, procurabat Bajoariam, pugnansque contra Ungarios, victorque existens, triumpho celebri factus est clarus (232).

55. Rex autem de die in diem proficiens, paterno regno nequaquam est contentus, sed abiit Burgundiam, regem cum regno in suam accepit potestatem (233). Hugonem (234) alterum armis edomuit [864] sibi subjectum fecit. (DCCCCXLIV.) Cujus fibulam auream regi [865] dono concessam, gemmarum varietate mirabilem, videmus in altari protomartiris Stephani rutilantem [866].

36. (DCCCCXLV.) Igitur cum omnia regna coram eo silerent, et potestati ipsius omnes hostes cederent, monitu et intercessione sanctæ matris ejus recordatus est multis laboribus fatigati fratris [867], præfecitque eum regno Bojoariorum, Bertholdo [868]

VARIÆ LECTIONES.

[838] causæ — latuere 2 [839] ut solet armis, dum amaris animis A. [840] persuadebat facile 5. [841] nossent 2. [842] *deest*, 2. 7. [843] adiisset 3. isset A. [844] imponere 2. 7. [845] militum fidelium 2. [846] *add.* maxime 3. [847] herimannus 1. [848] Chuonradi 3. *et ita sæpius*. [849] Erik 3. [850] ebdomadam 2. [851] legis 1. [852] apparens 1. [853] Novembres d. [854] visus 1. [855] mortales multi 1. [856] quo 1. A. quomodo 3. 7. [857] aereni 2 [858] appareat 1. [859] udone 3. [860] qui A. 2. 3. [861] militiæque 3. [862] bertoldus 2. A. Bertholdus 3. [863] *deest* 1. [864] edomavit 2. [865] regni 3. [866] in altari — rutilantem *desunt* 2. [867] *add. iterum* recordatus est 1. [868] Bertholdo 1. 3. bertholdo 2. A.

NOTÆ.

(228) Conradus aut Curcipoldus ille, ducis Eberhardi fratruelis, cum Udone contra Eberhardum et Giselbertum a. 939 missus, a. 948 mortuus, aut Conradus Werinheri filius, post gener regis et dux Lotharingiæ, habendus est.

(229) Hoc miraculum non Heinrici mortis tempore, sed his annis factum esse, ex Flodoardo a. 944 apparet.

(230) Oddonem a. 944 mortuum esse, Flodoardus h. a. tradit; Cont. Regimonis mortem in a. 943 collocat. Apud Calmet hist. Loth. Probb. p. 340 legitur, Ottonem diploma Adalberonis ep. confirmasse; notæ chronologicæ tamen non satis inter se concordant. De Heinrici morte nihil constat.

(231) cf. l. c. 37. Nuptias a. 947 celebratas esse, Cont. Reg. tradit.

(232) Bertholdus jam a. 937. Bavariæ dux constitutus, prope Wels Ungarios magna cæde prostravit, quæ victoria cum Ann. mai. San Gall. in a 943 collocanda esse videtur, quamvis Cont. Reginonis et Ann. Salisburgenses a. 944. exhibeant. Diem 11. Aug. Adventinus IV, 23, 17 annotavit.

(233) Hoc jam diu ante factum esse, ex Flodoardo a. 940 apparet.

(234) Hugonem magnum, quocum his annis Ottonem modo amice modo hostiliter egisse, Flod. tradit.

jam defuncto (225), pacem atque[869] concordiam cum eo faciens, qua usque in finem fideliter perduravit[870]. Erat autem ipse dominus Heinricus copulatus matrimonio filiæ ducis Arnulfi (236), feminæ egregiæ formæ mirabilisque prudentiæ. Fratrum vero post pax atque concordia, Deo acceptabilis hominibusque amabilis, toto orbe fit[871] jam celebris, dum unanimes res publicas augent, hostes debellant, civibus paterna potestate præsunt[872]. Ducatu igitur Bojariorum accepto, nequaquam desidia torpuit, sed abiens Aquilegiam[873] cepit, Ungarios duabus vicibus armis superavit[874] (237), Ticinum transnatavit, et præda magna intra regionem hostium capta, exercitum incolumen patriam[875] reduxit (238). Talium igitur et tantorum mores habitum formamque, quos summa clementia mundo ad delicias omnemque decorem destinavit, nostræ[876] non est omnimodis virtutis[877] exponere. Verum devotionem, quam erga eos habemus, penitus celare nequimus. Ipse denique dominus rerum, fratrum natu maximus optimus, imprimis pietate erat clarus, opere omnium mortalium constantissimus, præter regiæ disciplinæ terrorem semper jocundus, dandi largus, dormiendi parcus, et inter dormiendum semper aliquid loquens, quo cum semper vigilare æstimes, amicis nichil negans, et supra hominem fidelis. Nam quosdam audivimus accusatos et peccati manifestos, ipsum eorum advocatum et intercessorem et criminis nullo modo credulum, et[878] ab eo post habitos[879], tamquam nichil nmquam in eum peccassent. Ingenium (239) ei admodum mirandum, nam post mortem Edidis[880] reginæ, cum antea nescierit, litteras in tantum didicit, ut pleniter libros legere et intelligere[881] noverit. Præterea Romana lingua (240) Slavanicaque[882] loqui scit[883]. Sed rarum est, quo[884] earum uti dignetur[885]. In venationibus creber, tabularum ludos amat, equitatus gratiam regia gravitate interdum exercens. Accessit ad hæc et moles corporis, omnem regiam ostendens dignitatem capite[886] cano sparsus capillo; oculi rutilantes et in modum fulguris[887] cita repercussione[888] splendorem quendam emittentes; facies rubicunda, et prolixior barba, et[889] hæc contra morem antiquum; pectus leonis[890] quibusdam sparsum jubis: venter commodus; incessus quondam citus, modo gravior; habitus patrius, et[891] qui nunquam sit peregrino[892] usus. Quotienscumque autem sit opus corona portanda, jejunium semper præcedere[893] pro vero traditur. Heinricus vero morum gravitate pollebat, et ob id ab ignotis minus clemens jocundusque prædicabatur, constanti admodum animo; fidelis et ipse amicis, ita ut mediocris[894] substantiæ militem conjugis suæ sororis matrimonio honoraret, socium sibi[895] amicumque faceret (241). Erat corpore præstanti, et qui in adolescentia omnem hominem egregia forma ad se inclinaret. Junior vero fratrum domus Brun[896] magnus erat ingenio, magnus scientia et omni virtute ac industria. Quem cum rex præfecisset genti indomitæ Lothariorum (242), regionem a latronibus[897] purgavit, et in tantum disciplina legali instruxit, ut summa ratio summaque pax illis in partibus locum tenerent.

37. Igitur cum bella intestina externaque cessarent, leges divinæ atque humanæ auctorali vigore pollent. Gravisque persecutio monachis oritur in diebus illis, affirmantibus[898] quibusdam pontificibus, melius arbitrati[899], paucos vita claros quam plures negligentes inesse[900] monasteriis oportere; obliti, nisi fallor, sententiæ patrisfamilias[901] prohibentis servos[902] zizania colligere, sed utraque crescere oportere et[903] zizania et triticum usque ad messem (*Matth.* XIII, 29). Quo factum est, ut plures propriæ infirmitatis conscii, deposito habitu et relictis monasteriis, grave onus sacerdotum devitarent. Fuerunt autem quidam qui summum pontificem Frithericum[904] hoc non pure, sed ficte fecisse arbitrati sunt[905], quatinus venerabilem virum regique fidelissimum abbatem Hadumarum[906] quoquo modo[907] posset[908] dehonestaret.

38. Ipse enim erat vir[909] magnæ prudentiæ ac

VARIÆ LECTIONES.

[869] et 3. [870] permansit 3. 6. [871] *deest* A, [872] præsumit 3. [873] aquilegam 2. A. [874] superavit armis 2. [875] in p. 3. [876] nostrum 3. [877] virtutibus 1. *deest* 3. [878] *deest* 3. [879] posthabitos 3. [880] odidis 1. [881] intellegere 1. [882] slavicaque 2. Sclavonicaque 3. [883] sciebat 3. [884] qua 2. quod 3. [885] dignaretur 3. [886] *deest* 1. [887] fulgoris *corr.* fulguris 2. [888] f. citharæ percussione 2. [889] *add.* ad A. [890] leonis 2. leoninum 3. ita 3. [891] ut 3. [892] peregrino sit 2. [893] cædere 2. [894] melioris 1. [895] *deest* 1. [896] dominus Bruno 3. [897] *add.* ita 3. [898] affirmantibus 1. [899] arbitrari 2. 3. 7. videri 6. [900] esse 2. [901] patrisfamiliæ 1. A. 3. [902] servo 1. [903] *deest* 3. [904] fridericum 2. A. friedcrichum 3. [905] arbitrati sunt fecisse A. [906] hadumarem 2 [907] quomodo 2. [908] possit A. [909] *deest* A.

NOTÆ.

(225) Obiit a. 945 teste Cont. Reginonis; die 23. Nov., si Aventino credere licet (IV. 23, 21).

(236) Judithæ.

(237) Ungarios a. 950 a. Bawariis occisos esse, Annales Hersfeldenses tradunt.

(238) De hac Heinrici expeditione nihil certi compertum habemus. Hansiz de Tiza (Theiss), Ungariæ fluvio, cogitavit, cui an assentiar dubito, cum fortasse in Italia Ungarios, cum patriarcha Aquileg. confœderatos Heinricus debellarit. Cf. Staindelii Chron. Bawariæ a. 948.

(129) In sequentibus Widukindum Einhardi vitam Karoli præ oculis habuisse, legenti facile patebit. *P.*

(240) Non de lingua Latina, quam Ottonem ne intellexisse quidem facile est demonstratu (Flod. a. 949, Liudpr. hist. Ott. c. 11. Ekkehard. de casibus Mon. II. 139), sed de vulgari Galliæ lingua, supra quidem Gallica, alibi vero quam sæpissime Romana appellata (Nithard. III. c. 5. cf. Hist. littéraire de France, vol. VII, Avertiss. p. XI, *seqq.*) Widukindus dicere videtur.

(241) Judithæ soror (Adelheid ?) comiti Burchardo nupsit.

(242) An. 953.

industriæ. Sed ejus temporibus templum famosum Vuldense igne consumptum est (243), et ab eo restauratum et multo majore [910] decore perfectum [911]. Hic pontificem sub custodia tenuit, secunda conjuratione culpabilem (244, primum honorifice, sed cum litteras ab eo scriptas reprehendisset, satis severe. Pontifex vero dimissus dum ultionem quærit, contra [912] tantum virum leges non prævalent, humillima monasteria auctoritate temptavit, ut ad excellentissima æqualiter procederet. Sed hujuscemodi simulationes incassum profusæ. Nam abbas in gratia et amicitia regis permansit, et causis intercurrentibus, pontifex quod cogitavit non implevit.

39. Soror igitur regis [913] (245) Illuthowico regi genuit tres filios, Karolum, Lotharium et Karlomanum [914]. Ipse enim [915] Illuthowicus [916] rex a ducibus suis circumventus, et a Northmannis [917] captus, consilio Hugonis Lugdunum [918] (246) missus custodiæ publicæ traditur. Filium autem ejus natu majorem Karlomannum [919] (247) Northmanni secum duxerunt Rothun [920] (248) ibi [921] et mortuus est. Audiens A autem rex, super fortuna amici [922] satis doluit, imperavitque expeditionem in Galliam contra Hugonem in annum secundum.

40. Eo tempore (DCCCCXLVI) cum moraretur rex [923] in campis silvestribus venationem agens, obsides Bolizlavi [924] ibi [925] vidimus, quos populo rex [926] præsentari jussit, satis super eis lætatus.

41. Ille annus notabilis casu calamitoso totius populi, de morte scilicet beatæ memoriæ Edidis reginæ, cujus dies extrema septimo [927] Kal. Februar. celebrata est cum gemitu et lacrimis omnium Saxonum. Hæc nata ex gente Anglorum, non minus sancta religione quam regali potentia pollentium stirpe claruit. Decem annorum regni consortia tenuit, undecimo obiit. Saxoniam vero decem et novem annis inhabitavit. Reliquit filium nomine Liu- B dulfum, omni virtute animi corporis ea ætate nulli [928] mortali [929] secundum; filiam quoque nomine [930] Liudgardam, quæ nupserat Conrado duci. Sepulta est autem in civitate Magathaburg [931] in basilica nova, latere aquilonali [932] ad orientem.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS [933].

AD DOMINAM MAHTHILDAM IMPERATORIS FILIAM.

LIBRI TERTII INCIPIT PRÆFATIO [934].

Quemadmodum cœli terræque facies, hominum [935] voces, vultu ac mores mille modis concordi discordia variantur, sed [936] unius luminis sensusque ducatu, Dei cuncta regentis providentia, coguntur, ita publicis ac privatis rebus intentis imperiale decus, quod te ut serenissimum splendorem gemmamque lucidissimam mundo effudit, unum justitiæ modera- C *men est normaque rectitudinis. Unde laboris nostri opus, quod a diversis moribus diverse accipitur, eo quod [937] ingenii sermonisque claritate egeat, sinu gloriosæ clementiæ tuæ suscipiatur, nec in eo [938] nostra insipientia, sed major consideretur devotio, humiliter deposco.*

EXPLICIT [939], PRÆPHATIO. INCIPIUNT CAPITULA.

1. Quomodo creavit rex filium suum Liudulfum post se regem.
2. De Gallia profectione, et altercatione regis et Hungonis ducis, et rege Luthowico.
3. Quomodo rex Lucdunum adiit.
4. Quomodo Rothun adiit et inde Saxoniam reversus est. D
5. Quomodo Huga occurrit regi juxta fluvium Car.
6. De Liudulfo filio regis, quomodo Italiam adiit.
7. De Bernhario rege Longobardorum.
8. Quomodo rex duxit exercitum contra Bolizlavum.
9. Quomodo rex reginam [940] sibi sociavit, et Liudulfus ideo tristis inde discedit.

VARIÆ LECTIONES.

[910] majori 2. [911] *add.* est 3. [912] et tantum A. [913] regis igitur 2. autem regis 3. [914] carlomannum 1. 3. karolomannum 2. [915] autem A. 2. 3. [916] luthuuicus 1. *jam semper.* [917] normannis 1. nortmannis A. 3. [918] lucdunum 1. [919] carlomannum 1. *et Sigbertus;* Karolum A.2.3. [920] Rothum 3. [921] ubi A. [922] amicis 1. [923] *deest* 3. [924] bolizlai A. [925] *deest* A. 2. 3. [926] *deest* A. [927] VI. Kal. A. [928] nullo 3. [929] mortalium A. [930] Liutgardam nomine 3. [931] magdeburg A. [932] aquiloni A. 3. [933] *ita* A.; 1. 2, 3, *hæc omittunt.* [934] *ita* 1. Prologus in librum tertium. A. Epistola Witichindi ad regiam Mathildim Ottonis imperatoris filiam 3. *Haec omnia desunt* 2. [935] homines 2. [936] sed ad u. l. s. ducatum A. 2. 3. [937] *add.* in A. [938] ea 1, 2, 3. [939] Explicipit 1. [940] reginas *cod.*

NOTÆ.

(243) A. 937; ecclesia nova dedicata est a. 948; v. Flod. h. a.

(244) Cf. supra c. 25.

(245) Gerberga.

(246) I. e. Laudunum, Laon; v. Flod. a. 945, 946.

(247) De Karlomanno regis Karoli filio nihil compertum habemus. Flodoardus dicit, Gerbergam filium minorem, id est Karolum, a. 945 natum misisse; hic vero ibidem minime mortem obivit.

(248) Rothomagus, Rouen.

EXPLICIUNT[952] CAPITULA.

VARIÆ LECTIONES.

[941] bertharius *cod.* [942] facturus? [943] augustanam *cod.* [944] dano *corr.* dadano *cod.* [945] uulhelmo *cod.* [946] etberhto *cod. sæpius.* [947] acipit *cod.* [948] hirimanno *cod. sæpius.* [949] boioaries *c.* [950] qui *c.* [951] ergo *c.* [952] explicit c.

INCIPIT LIBER III [953]

1. Post excessum [954] Edidis reginæ (DCCCCXLVI) omnem amorem maternum transfudit rex in unicum filium [955] suum Liudulfum, factoque testamento creavit eum regem post se. Ipse autem tener adhuc erat adolescens, ætatis non habens amplius quam sedecim annos.

2. Rex vero in Galliam [956] proficiscens expeditionem, coacto apud Camaracam [957] urbem exercitu, festinat intrare regnum Karoli, vindicandæ causa [958] injuriæ generis [959] sui Hluthowici. Quo audito Hugo, missa legatione, jurat per patris sui (249) animam, qui jam olim periit Deo regique [960] proprio repugnando [961], quia tanta sibi esset copia armorum [962], quantam [963] hactenus rex numquam vidisset; additque [964] contemptum, vane tumideque super Saxones loquendo, quia inbelles essent, et quia facile posset una potione telorum Saxonicorum septem obsorbere [965]. Ad quod rex famosum satis reddit [966] responsum: sibi vero fore [967] (250) tantam multitudinem pilleorum ex culmis contextorum (251) quos ei præsentari oporteret, quantam nec ipse nec pater suus unquam viderit. Et revera cum esset magnus valde exercitus, triginta scilicet duarum legionum, non est inventus, qui hujusmodi non uteretur tegumento, nisi rarissimus quisque. Certus autem factus de adventu regis Hugo, timore quoque perterritus, dimisit Hluthowicum [968]. Dimissus igitur Hluthowicus regi occurrit, jungiturque cum sociis exercitui illius.

3. Rex autem cum exercitu Lugdunum [969] adiit; eamque armis temptavit, inde Parisius [970] perrexit, Hugonemque ibi obsedit, memoriam quoque [971] Dyonisii martiris digne honorans veneratus est. Ductus inde exercitus contra urbem Remensem, ubi erat nepos Hugonis (252) contra jus fasque omne subrogatus episcopus, legitimo pontifice (253) adhuc superstite. Armis autem urbem capiens, injuste constitutum expulit sacerdotem, legitimum ecclesiæ sedique propriæ restituens.

4. Exinde, collecta ex omni exercitu electorum militum manu, Rothum Danorum [972] urbem adiit (254), sed difficultate locorum, asperiorique hieme ingruente, plaga eos quidem magna percussit; incolumi exercitu, infecto negotio, post tres menses Saxoniam regressus est, urbibus Remense atque Lugduno cum cæteris armis captis Hluthowico regi concessis.

5. (DCCCCXLVII.) Huga [973] autem expertus potentiam regis virtutemque Saxonum, non passus est ultra terminos suos hostiliter intrare, sed per-

VARIÆ LECTIONES.

[953] *Ita* 1. Explicit prologus. Incipit liber tertius A.; *etiam haec desunt* 2. [954] discessum A. [955] *deest* 3. [956] gallicam 2,3,6,7. [957] cameracam A. [958] causæ [959] 1. generis 1. [960] regi 2. [961] repugnando 1. [962] armatorum 3. [963] quanta 1. A. [964] addiditque A. 2, 3. [965] absorbere 3. [966] reddidit 2, 3, 6. [967] esse 3. [968] luthuvicum 1. *jam semper.* [969] lucdunum 1. *semper.* [970] parisium A. 2, 3. [971] *add.* sancti 1. *sec. manu.* [972] rothundanorum 2. A. [973] hugo A. 2, 3.

NOTÆ.

(249) Rotberti regis, cf. I. c. 30.

(250) *Cod.* A., tantam multitudinem pilleorum fœninorum, quos ei præsentari oporteret, quantam nec ipse, nec pater suus umquam viderit. Et revera cum esset magnus valde exercitus, triginta scilicet duarum legionum, fere non est inventus, qui fœnino non uteretur pilleo —*Codd.* 2, 3, tantam multitudinem pilleorum fœnnorum, quos ei præsentari oporteret, quantam nec ipse, nec pater suus umquam (deest 2) viderit (viderit 3, 6). Et reversa cum esset magnus valde exercitus, triginta scilicet duarum legionum, non est inventus, qui fœnino non uteretur pilleo, nisi Corbeius abbas, nomine Bovo (nomine Bovo *et* Hic erat *om.* 6), cum tribus suis sequacibus. Hic erat vir sapiens ac clarus, a Deo nobis ostensus non concessus (*a*). Hujus patris avus (hujus pater β) Bovo (*b*) Græcas litteras coram Cuonrado rege legendo factus est clarus; et huic ejusdem nominis avus erat, ut natu major, omni (sic omni β) virtute ac sapientia potior Sed et ipse nepos erat Warini, qui ex milite factus est monachus et primus omnium apud Novam Corbeiam regulariter electus est (*deest* β) in patrem. Qui cum esset admirandæ sanctitatis, ad augmentum virtutum suarum beatæque memoriæ Saxoniæ preciosum attulit thesaurum, reliquias videlicet pretiosi martis Viti.

(251) Subjicimus hic potissimum Ratherii Veronensis episcopi locum, unde pileos stramine confectos Saxonibus proprios fuisse constat; exscripsi eum ex codice regio Monacensi sæc. x. fol. 7: « Sanctus iste nuda seminudus et inequalissima volutabatur diebus ac noctibus per septennium humo nos criminosi veniam rogaturi, pilleum villosum capillis, quos extrahere lugendo debueramus, ne infregidemur, superinducimus, ejus cuphia nix grando et aura erat imbrifera. Hiemalis satis rigor incommodus, qui lavaret utique quod commiserat scelus. Pro pilleo, quem moris est incesta etiam generalitati adversa vel ejusdem estimationis innumera plangentes, pelliculis exoticis intus farcire, brumali caput ipsius operiebatur lanugine. Stipularis illa ritus Saxonici camera quam vertici pro vitando solis imponunt ardore, Phœbus illi erat flamivomus ipse. Pertz.

(252) Hugo Heriberti Viromandensis filius, qui Remensem episcopatum invaserat, consobrinus erat Hugonis comitis. Bouquet. Cf. tamen supra col. 153, nota 177.

(253) Artoldo.

(254) De hac Rothomagi urbis Nordmanniæ obsidione, a Flodoardo prætermissa, cf. Dudo S. Quintini decanus lib. III. ap. du Chesne SS. R. Norm. p. 130 *sqq*.

(*a*) Nam nonnisi annos sex monasterio præfuit, an. 942-48.

(*b*) Bovo, ut ex Annalibus Corbiensibus, patet abbas 900-16 fuit; Conradus vero rex anno 913 Corbeiam visitavit; senior Bovo denique anno 879-90 abbatiam rexit.

genti [974] in eandem expeditionem anno sequenti, occurrit (255) juxta fluvium qui dicitur Char [975] (256), manus dedit, juxtaque imperium regis pactum iniit, utilisque proinde permansit.

6. Videns autem rex filium suum Liudulfum virum factum, dedit ei conjugem divitiis ac nobilitate claram, ducis Herimanni filiam, nomine Idam. Quam cum accepisset, in brevi post hæc socer moritur (DCCCCXLIX), cum ducatu omni ei possessione relicta. Accepta autem potestate, animum tranquillum, quem in puero [976] gessit, exuit, armatumque militem in Italiam ducens, aliquantis ibi urbibus captis et sub custodia traditis, ipse revertitur in Franciam (DCCCCL).

7. Eo tempore usurpato imperio, regnavit in Longobardia homo ferus [977] et avarus, et qui omnem justitiam pecunia venderet, Bernharius [978] (257). Veritus autem singularis prudentiæ reginæ virtutem [979], a Hluthowico rege (258) relictæ, in multis eam afflixit, quo tanti decus splendoris [980] extingueret, vel certe obscuraret.

8. Illo tempore rex proficiscitur in militiam contra Bolizlavum [981] regem (259) Boemiorum, et cum capienda esset urbs quæ nuncupabatur Nova (260), in qua clausus obsidebatur Bolizlavi [982] filius, prudenti rex consilio diremit prælium, ne miles in rapiendis hostium spoliis aliquod periculum incideret [983]. Considerata itaqne virtute regis ac innumera multitudine exercitus, Bolizlav [984] urbe egressus, maluit tantæ majestati subjici, quam ultimam perniciem pati; sub signisque stans, et regem audiens [985] responsaque reddens, veniam tandem promeruit. Inde plena victoria gloriosus factus rex. Saxoniam regreditur [986].

9. (DCCCCLI.) Cumque eum virtus præfatæ reginæ non lateret, simulato itinere Romam profisci statuit. Cumque in Longobardiam ventum esset, aureis muneribus amorem reginæ super se probare temptavit. Quo fideliter experto, in cenjugium sibi eam sociavit, cumque ea [987] urbem Papiam, quæ est sedes regia, obtinuit. Quod cum vidisset filius ejus

A Liudulfus, tristis a rege discessit, profectusque in Saxoniam, aliquamdiu moratus est in loco consiliis funesto (261) Salaveldun.

10. Rex vero in Italia celebratis juxta magnificentiam regalem nuptiis (262), proficiscitur inde cum novi matrimonii claritate, acturus [988] proximum pascha in Saxonia, lætitiam patriæ magnamque gratiam conferens. Persuasus quoque rex Bernharius a Conrado duce, cui Papia cum præsidio militari relicta [989] erat custodienda, regem subsecutus est in Germaniam, pacem cum eo facturus, et omnibus quæ imperavisset obtemperaturus. Cui regiæ urbi (263) appropinquanti, occurritur miliario ab urbe a ducibus et præfectis palatinorumque primoribus, et regaliter susceptus, ductus in urbem, jussus est in hospitio sibi parato [990] manere.

B Neque enim faciem regis intra tres dies videre promeruit. Quod ægre ferens Conradus, qui eum adduxerat, unumque cum eo sentiens filius regis Liudulfus, suspectum super [991] hac causa Heinricum, fratrem regis, habentes, quasi antiqua stimulatum invidia, devitaverunt eum. Heinricus autem sciens adolescentem maternis destitutum [992] suffragiis, contemptui cœpit [993] eum habere, in tantum ut a conviciis ei quoque non parceret. Interea rex regem alloquitur, in gratiamque regis ac reginæ susceptus, deditionis sponsionem dat, fœderisque [994] spontanei [995] diem locumque [996] apud urbem Augustanam [997] designans.

11. Ubi cum [998] conventus fieret, Bernharius manus filii sui [999] Adalberhti [1000] suis [1001] manibus im-

C plicans, licet olim Hugonem fugiens regi subderetur (264), tunc tamen renovata fide coram omni exercitu famulatui regis se cum filio subjugavit. Et ita dimissus, in [1002] Italiam remeavit cum gratia et pace. Ibi miræ magnitudinis lapis grandinis tonitru [1003] ac tempestate turbulenta de cœlo jactus, ingens miraculum multis visentibus præbuit.

12. Nati sunt autem regi filii ex serenissima regina primogenitus Heinricus (265), secundus Brun [1004] (266), tertius [1005] paterni nominis majestate

VARIÆ LECTIONES.

[974] Perg. ei 2. [975] car A. 2. 3. Kar. 6. [976] quam impuero 1 [977] fortis 3. [978] brenharius 2. *post vero* bernharius; 8 *semper* Berngarius. [979] virtutum A. [980] ducis splendorem A. [981],[982] bolizlaum — bolizlai A. [983] milites — inciderent 2. [984] bolizlaf 2. Bolizlaf 3. [985] adiens 1. [986] regressus est 3, 6. [987] eam 1. [988] acturusque 3. [989] relicto 2. [990] præparato 3. [991] *deest* 2. [992] destinatum 2. [993] eum cœpit 1, 3. [994] fœderis 3, [995] *deest* 1? [996] *deest* A. 3. [997] Augustam 3, 6. [998] *deest* 2. [999] filii sui manus 2. [1000] adalberthi 1. adalberti A. adelberti 2,3. [1001],[1002] *deest* 2. [1003] tonitruo 2. tonitrui 3. [1004] Bruno 3. [1005] *add.* Otto 3.

NOTÆ.

(125) Intrante mense Augusto cf. Flod. a. 947.
(256) Chiers.
(257) I. e. Berengarius.
(258) Lotharii vidua fuit.
(259) Insolens est, quod Boleslaum regem appellat Bohemorum; idem tamen facit Frodoardus ad a. 950. Meib. Cf. Dobner ad Hageccium III pag. 640, 642.
(260) Nova urbs (*Nivunburg* in dipl. Ottonis Mon. Boica XXVIII, p. 183) urbis Pragæ pars esse videtur. — Est Nivumburg, in cujus suburbio, Beheim. Otto 17. Kal. Aug. donationem pro S. Emmeramno edidit, urbs vel a. 1343 Neumberbe appellata, hodie

D Niemburg vel Fimburg, ad confluentem Albiæ et Marlini ab oriente Pragæ. Boemer.
(261) Cf. II, c. 5.
(262) De nuptiarum die non constat, certe ante natale Domini celebratæ sunt.
(263) Magadaburg.
(264) Cf. Liudprand. V. 12.
(265) Quo anno natus et mortuus sit, non constat; a. 953 tamen filii mentio fit (Flod. h. a.). Diem mortis 7 Aprilis Necrologium Merseburgense indicavit.
(266) Brun obiit d. 8 Sept. a. 957. Nécrol. Fuld.

designatus (267), quem jam post patrem dominum [1006] ac imperatorem universus sperat orbis; filiam quoque sanctæ matris ejus vocabulo insignitam (268), de qua non præsumimus aliquid dicere, cum ejus claritas præcellat omne quod dicere aut scribere valemus [1007].

12. (DCCCCLIII.) Enim vero rex cum regiones Francorum urbesque circuiret, audivit, quia ei insidiæ pararentur a filio generoque; quapropter summus pontifex revocatus, ubi austeriorem vitam more solito cum hemeritis et solitariis ante Pascha agebat, suscepit regem Mogontiæ, ibi ei aliquamdiu ministrans [1008]. Nefanda consilia prodita, a filio generoque animadversa; purgandi locum criminis cum consilio pontificis petunt [1009] et impetrant. Qui licet sceleris manifeste arguerentur, paruit tamen rex eorum sententiis in omnibus [1010], locorum temporumque angustia.

14. Et cum apparatus paschalis apud [1011] Aquas fieri oporteret, comperit, quia nichil sibi dignum ibi paratum esset [1012] (269); maternum gaudiis et officiis decenter curatur, regemque quem in Francia [1013] pene perdidit, in patria magnifice recepit.

15 [1014]. Nam confortatus amicorum gentisque propriæ præsentiæ, irritum [1015] fecit [1016] pactum, quod coactus inire confessus est; edictumque est filio generoque, auctores sceleris puniendos tradere, aut certe se [1017] hostes [1018] publicos nosse. Pactis pristinis pontifex intercessit, tamquam paci et concordiæ consulturus; ob id regi fit suspectus, amicis regalibus consiliariisque omnimodis spernendus. De eo nostrum [1019] arbitramur nequaquam aliquid [1020] temere judicare; sed quod de eo probamus, quia magnus erat in [1021] oratione die noctuque, magnus elemosinarum largitate, præcipuus verbo prædicationis, non silere dignum duximus; cæterum de accusatis [1022] causis qui judicat Dominus est.

16. Earum rerum dum ibi finis non fieret, universalis populi conventus esse jubetur apud villam quæ dicitur Fridesleri [1023], super his causis discutiendum [1024]. Ubi cum frater regis Heinricus adesset, multas ac graves causas summo pontifici objiciebat; proptereaque regis totiusque pene exercitus offensam incurrit, dum eum penitus culpabilem ex illius [1025] dictis censerent. Præterea [1026] rex severiorem [1027] animum gerens ex recenti injuria, eminentissimos viros ac sibi quondam caros et in Biertanico [1028] bellos fideles, fratri [1029] traditos exilio dampnavit, dum accusati rationem redderent, nec [1030] se [1031] purgare [1032] sufficerent. Hi erant [1033] Thuringi genere, potestatis præfectoriæ, Dadanus (270) et Willehelmus [1034] nomine. Hoc facto multi scelerum conscii satis [1035] perterriti, soluta contione, multitudine dimissa, sese rex in orientales partes contulit.

17. Lotharii autem cum regem duci Conrado sensissent offensum, cum jam olim ei infesti essent, eo quod ducatum super eos administraret ipsis invitis, arma contra eum sumunt [1036]. Ille vero imperterritus, leoninum exerens [1037] animum, signo signis contraria invexit, et incredibilem multitudinem ex eis propria manu fudit, dum sanguine amici, quem in prælio amisit, Conradi scilicet Evurhardi filii (271), ut fera [1038] sævissima acueretur. Itaque illi fortissimo subpeditante [1039] fortium militum manu, adverso exercitui dum novus semper additur, a meridie usque in vesperum protrahitur bellum; nocte prælium dissolvitur, nullus victoria lætatur.

18. Rex autem circa Kalendas Julii [1040] moto exercitu, armis filium generumque quærere temptavit; obvias urbes partis adversæ aut armis cepit aut in deditionem accepit, quousque Mogontiam perveniret, quam filius cum exercitu intravit, patremque, dictu [1041] miserabilius, armatus expectavit. Ibi plus quam civile et omni calamitate acerbius bellum cœptum; multæ machinæ muris admotæ, sed ab urbanis destructæ [1042] vel incensæ; crebræ ante portas pugnæ, raro forinsecus stationes [1043] fusæ. Cunctando enim res [1044] universæ variavere, dum dominatorem regni [1045] foris, intus successorem metuebant. Obsidio itaque dum sexaginta ferme dies [1046] excederet, sermo fit de pace; unde datus est obses in urbem consobrinus regis (272 Ecberhtus) [1047], quo libera via

VARIÆ LECTIONES.

[1006] dominum post patrem 2. [1007] valeamus 3. [1008] ministrabat 2. [1009] petierunt 3. [1010] in omnibus *desunt* 1. [1011] aput. . [1012] esse A. [1013] q. infantia 2. [1014] 1. *a verbis* est filio *hoc incipit caput.* [1015] initium 1. [1016] facit 2. [1017] *deest* 2, 7. [1018] publicos hostes 3. [1019] necessarium 3. [1020] aliquod 1. [1021] *deest* A. 2, 3. [1022] actis 2. [1023] fridislar A. [1024] discutiendis 3, 7. [1025] illis 3. [1026] propterea 3. [1027] sæviorem A. 3. [1028] Britannico 3. [1029] *deest* 3. [1030] et 3. ac. 7 [1031] *deest* 2. [1032] *add.* non 3, 7. [1033] hic erat 1. [1034] uulelmus 1. wilhelmus A. 3. [1035] *deest* 3. [1036] sumit 1. [1037] exercens 2, 3, exhibens 7. [1038] sera 1. [1039] suppetente 3. [1040] A julias 3. [1041] dicto 1. *deest* 3. [1042] muris — destructæ *desunt* A. [1043] stationis A. [1044] rex 1. [1045] regens 2. [1046] desierme 1, 3. [1047] elberhtus 1. ekbertus, 2, 6. *semper.* ecbertus A. 3. *semper.*

NOTÆ.

(267) Otto filius natus est a. 955, si Cont. Reginonis fidem præbemus.

(268) I. e, Mahtildis, quam Ann. Quedl. et ipsam a. 955 natam fuisse tradunt.

(269) Hoc loco quamvis non addendum, cum Reineccio tamen supplendum esse videtur: *Quare cum in Saxoniam perrexisset.* Cf. Cont. Reg. a. 953.

(270) Dadanus procul dubio idem, quem supra (II. 18) Dadi nominavit. Cf. Wedekind Noten 1.

(271) Conradum Eberhardi ducis Francorum filium esse habendum, alii negarunt (Wenck. II, p. 655 n. a.), alii defenderunt (Leutsch p. 40 n. 75). De prælio hoc contra Raginerum comitem commisso cf. Flodoardus a. 953.

(272) De cognatione ejus cf. Ann. Quedl. a. 955; ipsum et Wichmannum juniorem fratres fuisse, Scheidl Orr. Guelf. IV, p. 568 sqq. n. probavit.

cuilibet pateret in castra crimen purgandi, de pace atque concordia tractandi. Filius cum genero [1048] castra ingressi, regalibus vestigiis prosternuntur, pro scelere omnia sustinere paratos fore, saltem ut amici auxiliatores in fide suscepti, nichil adversi paterentur. Rex autem non inveniens, quomodo meritas pœnas filio inferret, fautores insidiarum expostulat. Illi autem juramentis vicariis obligati, et quodammodo arte antiqui hostis constricti, hoc omnino negabant. Ingens interea oritur lætitia in castris, et a castris circumquaque fama diffusa, nunquam urbe egressos [1049], nisi omnibus essent a lege imperatis obtemperaturi [1050]. Eæ [1051] spes incassum conceptæ; nam cum non [1052] obædirent edictis regis, motus Heinricus adversus adolescentem: *Nichil te*, inquit, *jactitas contra dominum meum regem fecisse, et ecce omnis exercitus usurpatorem te regni invasoremque novit. Ipse ergo si accusor reus criminis, si culpabilis existo, quare non contra me legiones ducis? Signa adversum me move*; et festucam [1053] de terra sumens: *Hujus*, inquit, *pretii a me meaque potestate rapere non poteris. Quid tibi visum est sollicitare hujuscemodi rebus patrem tuum? Contra summam divinitatem agis, dum domino [1054] patrique tuo repugnas. Si aliquid scis vel vales, in me furorem tuum evome [1055], ipse enim tuam non timeo iram.* Ad hæc adolescens nichil respondit, sed audito rege, cum suis urbem ingressus est.

19 [1056]. Consobrinus autem regis Ecberhtus cum obses datus esset in urbem, suasibilibus [1057] corruptus verbis, regi fit aversus, cum et antea ei iratus esset, eo quod argueretur incauti [1058] certaminis, ubi oculum perdidisset (273).

20. Cum hæc agerentur, proxima nocte Bojoarii [1059] comites [1060] fratris [1061] regis, relicto eo [1062], juncti sunt Liudulfo; qui pergens cum eis, cepit urbem regiam quæ dicitur Rainesburg [1063] cum cæteris in ea regione munitissimis; omnemque pecuniam ducis [1064] suis militibus divisit, conjugem cum filiis patrui et amicis non solum urbe sed et regione excedere cogit. Hæc omnia a Deo credimus acta, ut qui [1065] serenissimum regem plurimis populis ac gentibus præficere voluit, disceret parum in se, in Deo vero omnia posse.

21. Erat autem junior Arnulfus cum fratribus, qui id consilium machinatus est contra Heinricum, eo quod paterno regno subrogaretur, ipse autem honore patrio privatus esset. Porro exercitus diutino labore fatigatus, missionem petit et accepit, rege [1066] cum paucis admodum filium in Bojoariam subsequente.

22. (DCCCCLIII.) Ipse namque erat patiens laborum, supra quam [1067] credi possit de homine ab adolescentia delicate nutrito. Multitudine denique deficiente a fide, rari admodum erant, qui partes regis adjuvarent; inter quos erat quidam Adalberhtus [1068] et alii cum eo admodum pauci.

23. Militante adversum [1069] Mogontiam [1070] rege, Herimannus dux Saxoniam procurabat (275) Cum novus exercitus a Saxonia ad supplementum veteris mitti debuisset (276), Thiadricus (277) juniorque Wichmannus ei præfuere. Attingentes terminos Francorum, a Liudulfo duceque Conrado subito circumfusi, in desertum quoddam coguntur castellum. Quod cum obpugnare nituntur, jactu rotæ signifer ante portam brachium perdidit; quo facto bellum est sedatum, indutiæque concessæ trium dierum in Saxoniam revertendi.

24. [1071] Thiadricus a Liudulfo magnis promissionibus est temptatus, Wichmannus autem admodum corruptus [1072], patruum (278) exin [1073] arguere, paternæ hereditatis raptorem dicere et suorum thesaurorum prædonem vocare cœpit. Ipse autem consilii nequaquam ignarus, quanta sapientia quantaque prudentia contra propinquos et hostes manifestos vigilaverit difficile [1074] est omnimodis edicere.

25. Jungitur quippe Ecberhtus Wichmanno, eademque sententia consurgunt in ducem, nullumque ei dant [1075] quietis otium. Ille autem nobili patientia juvenum furorem frangens, cavet tumultum aliquem rege absente illis in partibus accrescere.

26. Bojoarii repentino regis adventu nec ad pacem

VARIÆ LECTIONES.

[1048] gerone 1. [1049] egressuros 2, 3. [1050] a rege esset imp. optemperatura 2 [1051] Hæ 2. hæ A. [1052] *deest* 3, 7 [1053] vestucam 1. [1054] domno 2. [1055] evove 1. [1056] *Cum caput* 19 *in codice non legatur, indiem secutus hic ejus signum posui.* [1057] sensualibus 2. [1058] incepti 2. [1059] boiarii 1. Boidarii 3. bawarii. A. *ut semper.* [1060] comiti 2. [1061] fratres 1. [1062] ei 1. [1063] rainesburg. 1. Remesburg 3. regnerburg A. [1064] ducis pecuniam 2. [1065] quem *Wid scribere debuisset.* [1066] regem 1. [1067] *add.* quod A, 3. [1068] adalbertus A. 2, 3. [1069] adversus A. [1070] maguntiam A. [1071] *indicem secutus hoc loco caput* 24, *posui, et ita deinceps numeravi; in codice ordo sæpius turbatur.* [1072] correptus *corr.* corruptus 2. [1073] exinde 2. [1074] difficile 1. [1075] dede 2.

NOTÆ.

(273) Inde monoculus sæpius a recentioribus nominatur.

(274) Comites Sueviæ potens cf. Ann. mai. San. Gall. a. 954, Vita S. Udalrici N. 38, 39.

(275) Hermanno idem quod supra (II, 2.) Sigifrido tribuitur; neque tamen tunc temporis dux fuit constitutus (Wedekind Noten. II.).

(276) Quæ a Widukindo de Thiadrici et Wichmanni expeditione narrantur, jam antea gesta sint oportet; nam Liudulfus tunc Radasponam, Conradus Metim se receperat, neque juncti obviam his copiis ire potuerunt. Exercitum non in Bawariam sed Franciam ductum esse. Wid. ipse indicat, et fortasse e cap. 25 conjicere licet, jam ante Ecberti defectionem hæc acta esse. Hoc loco referuntur, ut Saxoniæ motus causæ appareant.

(277) Thiadricus idem esse videtur, qui Geroni in marchia septentrionali regenda successit. V. Leutsch Gero p. 92, n. 149; Wichmannus filius fuit Wichmanni, cujus II, c. 4, et II mentio fit, cf. Wedekind Noten II.

(278) Hermannum.

vertuntur[1076], nec bellum publicum præsumunt, sed clausi muris grandem exercitui laborem suæque regionis solitudinem parant. Unde minus procedente negotio, absque animabus[1077] exercitus a nulla re abstinebat, sed omnia vastabat.

27; Summus pontifex interea, ut[1078] ipse aiebat[1079] timore regis, officio pontificali amisso, heremiticam cum solitariis ducebat vitam. Non minima quoque cæteris pontificibus cunctatio erat in Bojoaria dum favent partibus nunc regi assistendo, nunc alienas[1080] partes adjuvando, quia[1081] nec sine periculo alienabantur a rege, nec sine sui[1082] detrimento ei adhærebant.

28. Agens tres integros[1083] menses, a Mogontia[1084] recedens, rex in illis regionibus, demum citra Kalend. Januar. (279), infecto negotio, amissis duobus principalibus viris ac potestate claris, Immede et Mainwerco[1085] quorum uterque ictu sagittarum periit, alter Mogontiæ, alter in itinere Bojoariam pergentibus, revertitur in Saxoniam.

29. (DCCCLIV.) Causas dicentibus coram rege Herimanno suisque nepotibus, omnis justi tenaces sententiam ducis[1086] laudavere, adolescentes castigandos judicantes[1087]. Rex autem amans parcebat[1088] illis, sub custodia militari tantum intra palatium tradens Wichmannum.

30. Interea audit, quia Avares intrantes Bojoariam jungerentur adversariis, disponentque publico bello eum temptare. At ille satis inperterritus tali necessitate, numquam se gratia Dei dominum ac regem oblitus est, sed collecta valida manu, obviam procedit acerrimis hostibus. Illi autem divertunt[1089] ab eo, acceptique ducibus a Liudulfo, omnem Franciam pervagati sunt, et tantam stragem dederunt, primum amicis, ut cuidam Ernusto[1090] vocabulo, qui erat partis adversæ, sui juris familias supra millesimum numerum captivassent, deinde cæteris omnibus, ut dictu fidem excedat. Dominica ante pascha Wormatiæ[1091] eis est publice ministratum, et muneribus auri et argenti plurimum donatum. Inde[1092] Galliam profecti, par aliam viam (280) in patriam revertuntur.

31. Bojoarii civili exercitu externoque fatigati — nam Ungariis egressis, exercitu regali premuntur — coacti sunt de pace tractare; factumque est, ut pax daretur usque in 16[1093] Kalend. Julii, et

A locus esset apud Cinnam[1094] (281) rationis dandæ et responsionis reddendæ.

32. Ad condictum locum dum universalis populi conveutus fieret, talem rex orationem exorsus est: *Paterer*[1095] inquit, *si indignatio filii mei cæterorumque insidias tendentium me solum torqueret, et non totum christiani nominis populum perturbaret; parum esset, urbes meas more latronum invasisse, regionesque*[1096] *a mea*[1097] *potestate rapuisse, nisi*[1098] *propinquorum meorum ac carissimorum comitum sanguine satiarentur. Ecce sine filiis sedeo orbatus, dum filium gravissimum hostem patior. Quem* (282) *plurimum amavi et a mediocri loco ad summum gradum summumque honorem provexi, unicum filium meum habet*[1099] *adversum me.*[1100] *Tolerabile*[1101] *hoc* B *utcumque*[1102] *foret, si non*[1103] *Dei hominumque inimici his causis*[1104] *introducerentur. Modo regnum meum habent desolatum, populum captum vel interfectum, urbes destructas, templa succensa, sacerdotes extinctos; adhuc madent sanguine plateæ; auro meo et argento, quibus filium generumque ditavi, hostes Christi sedes suas remeunt*[1105] *referti*[1106]. *Quid igitur*[1107] *supersit sceleris, quid perfidiæ, excogitare nequeam*. His dictis, tacuit rex. Heinricus laudans sententiam regis, subjunxit, quia hostes secundo victi[1108] publico certamine. maligne ac pessime conducerentur, quo via eis iterum lædendi aperiretur; omnem calamitatem omnemque laborem consultius[1109] vel pati, quam communem hostem umquam in fidem[1110] susciperet[1111] His dictis, Liudulfus procedens ait: *Conductos adversum me pecunia,* C *fateor, obtinui, ne me michique subjectos læderent; si in hac parte culpabilis prædicor, sciat me omnis populus hoc non*[1112] *voluntarie, sed ultima necessitate coactnm fecisse.* Postremum pontifex summus rationem redditurus intravit, promittens, se quocumque[1113] rex[1114] imperavisset judicio significaturum, numquam contra regem sensisse vel velle vel fecisse; timore coactum a rege discessisse, offensum sibi eum quia[1115] intellexisset, innocentem gravissimis accusationibus obrutum; de cætero jurameatorum omnibus argumentis[1116] fidem servaturum. Ad hæc rex: *A vobis non exigo juramentum, nisi pacis et concordiæ consilium*[1117] *in quantum possitis, adjuvetis.* Et hoc dato, in fide ac pace eum D dimisit[1118].

VARIÆ LECTIONES

1076 revertuntur 1. 1077 a manibus 3. 1078 *deest* 1. 1079 agebat 1. 1080 alienos 1. alias 3. 1081 qui 1. 1082 *deest* 3. 1083 menses integros 3. 1084 mogontio 1. moguncia 2. *saepius vero* moguntia; A. *plerumque* maguntia. 1085 meinuuerco 2. A. 1086 ducis sententiam A. 1087 judicandos 2. 1088 parcens 2. 1089 diverterunt A. 3, 7. 1090 ernesto A. 2, 3. 1091 uurmaciæ 1. 1092 *add.* in A. 2, 3. 1093 XVII, 3. 1094 ricinam 2, 1095 pater A. 1096 regiones 3. 1097 antea A. 1098 ni 3. 1099 habeo 2, 3. 1100 aversum a me 2. A. 1101 tollerabile 2. 1102 totum 3. 1103 *deest* A. 1104 *add.* non A. 1105 remeant A. 3. *corr.* remeunt 2. redeunt 7. 1106 referri 2. 1107 ergo 3,7. 1108 victo 2. 1109 consultus 2. 1110 fide A. 1111 suscipere 2. 1112 *deest* A. 1113 quemcumque 2. 1114 *deest* A. 1115 qua 2. 1116 juramentis 3, 1117 consilio 2. 1118 dimisit eum 1.

NOTÆ

(279) I. e. die 14-31 mensis Decembris; natalem Domini rex jam in Saxonia celebravit. Cont. Reg. a. 954.

(280) Cont. Reg. a. 954: *per Italiam redierunt.*

(281) Langen-Zenn prope Nurnberg. cf. Wedekind Noten. I.

(282) Scil. Conradus dux.

33. Pontifex cum duce Conrado cum adolescentem non possent inclinare, quatinus patri subderetur ejusque sententiam secutus sustineret, discesserunt ab eo, Deo regique sese [1119] jungentes.

34. Proxima nocte Liudulfus cum suis a rege discedens, urbem Rainesburg [1120] cum exercitu intravit. Rex autem sequens filium, urbem [1121] offendens, quæ dicitur Horsadal [1122] (283) obsedit eam.

35. Eacta autem pugna, durius certamen circa murum nemo unquam viderat [1123] mortalium. Multi ibi ex utraque parte cæsi, plures sauciati; noctis tenebræ prælium dirimere [1124]. Saucius ancipiti bello postera luce ducitur inde [1125] exercitus, diutius ibi non morari [1126] visum ad graviora tendentibus.

36. Trium dierum iter [1127] proinde ad Rainesburg [1128]. Castrorum loca occupata munitionibusque circumsepta, obsidio [1129] urbis diligenter est incepta. Sed cum multitudo machinas muris adplicari non sineret, satis dure interdum ab utrisque pugnatum [1130] pro muris. Diu tracta obsidie cogit clausos [1131] belli negotiis aliquid actitare. Arbitrati sunt enim fame pejus torqueri, si ad id cogerentur, quam in acie fortiter mori. Jussum itaque, occidentali porta erumpere equites, quasi impetum in castra facturos alios naves ascendere, et per flumen [1132] urbi contiguum [1133], dum equestri prælio pugnaretur, castra armatis deserta invaderent (DCCCCLIV.) Urbani signo nolæ congregati, condicta peragere; quod in castris usu non ignotum. Quapropter et ipsi non segniter præparantur. Moram facientibus in erumpendo [1134] equitibus, classis [1135] ab urbe longius elabitur [1136], exsilientesque de navibus irruunt [1137] in castra, offendentesque [1138] armatos, dum trepidi fugæ consulunt, circumfusi undique cæduntur. Alii naves ingredi nisi [1139], timore perculsi deviantes, flumine absorbentur; alii naves plus æquo ingressi, dimerguntur, factumque est, ut vix pauci de pluribus superessent. Equites vero ab equitibus fatigati devictique, plures saucii, in urbem [1140] coguntur. Miles regius victor in castra reversus, unum solumnodo letali vulnere percussum pro portis secum revehunt [1141]. Pecus omne urbis loco herboso delatum, qui erat inter Rain [1142] et Donov [1143] fluvios [1144], sed a fratre regis Heinrico captum, et inter socios divisum est. Urbani crebris præliis triti, fame quoque periclitari cæperunt.

37. Unde egressus [1145] urbe Liudulfus cum principalibus viris, pacem postulat, sed non impetrat, quia patri obedientiam negat. Ingressus vero urbem, portam orientalem obsidentem armis temptat Geronem, tot victoriis quot præliis clarum. A tertia hora usque in nonam acriter pugnatum [1146]; ante portam urbis, equo [1147] cadente. ascensor Arnulfus armis exutus ilicoque telis [1148] perfossus occubuit. Post biduum a muliere famem urbis fugiente mors illius notificatur, dum antea incertum esset. Cujus morte urbani satis confusi, jam de pace tractabant.

38. Interventu proinde principum iterum Liudulfus cum sociis urbe egressus, dum mense integro [1149] et dimidio obsideretur, pacem obtinuit usque ad condictum diem, dum de his causis dijudicaretur; locusque concilii [1150] apud Fridesleri [1151] notabatur. Rex inde patriam reversus [1152].

39. Heinricus vero Novam urbem (284) obtinuit; Rainesburg pene omnis proxima nocte concremata [1153].

40. Exercitandi gratia venationem agens rex in loco qui dicitur Suveldun [1154] (285), filius [1155] patri [1156] nudatis plantis prosternitur, intima tactus pœnitentia; oratione flebili patris [1157] primum, deinde omnium præsentium laarimas extorquet. Amore itaque paterno susceptus in gratiam, spondet [1158] se obtemperaturum consensurumque [1159] omni paternæ voluntati.

41. Interea summus pontifex ægrotasse nuntiatur ac desperari. Quapropter regis placitum modice est dilatum [1160]. Finem summi pontificis qui interfuere satis laudabilem prædicant. Defuncto pontifice, universalis conventus [1161] populi celebratus (286;) Mogontia [1162] post annum et dimidum regi tradita cum omni Francia; filius ac gener in gratiam suscepti, qua et in finem usi sunt fideliter.

42. Eo anno Slavi [1163] qui dicuntur Uchri [1164] a Gerone cum magna gloria devicti, cum ei præsidio

VARIÆ LECTIONES.

[1119] se 3. [1120] reinesburg 1. reinesburg 2. Reinespurg. 3. regenshurg A. [1121] urbemque A. 7. [1122] horse dal A. 2. 3. [1123] vidit A. [1124] dirimeræ 1. diremere A. 3. [1125] exercitus inde 3. [1126] majori 1. [1127] i. e. iter. — itenere 2. iter A. 7. itur 3. [1128] ræinesburg 1. Reinespurg 3. regensburg A. *et ita deinceps.* [1129] obsidia 2. [1130] *add.* est 2. 6. 7. [1131] clausis 2. 3. [1132] fluvium A. 3. [1133] urbem contignam 2. [1134] erumpando 1. [1135] clausis 3. [1136] elabuntur 3. [1137] irrunt 1. [1138] offendentes 2. [1139] non 3. [1140] urbe 1. [1141] reveunt 1. [1142] raim 1. rein 3. erat in terra 2. [1143] danubium 1. 3. Donan 7. [1144] fluvius 2. [1145] *add.* est 1. [1146] *add.* est A. 3. [1147] *ex* 1. 2. *hanc verborum distinctionem recepi.* [1148] telo *corr.* telis 2. [1149] integra 1. [1150] consllii 3. *deest* A. [1151] fridislar A. [1152] rex redit inde in patriam 3. [1153] est arsa A. arsa 3. exusta est 6. incensa est 7. [1154] seveldun *corr.* suveldun 2. [1155] si filius A. [1156] patris A. [1157] patri 3. 1? [1158] spondit 1. [1159] consenseruntque 1. [1160] dilalatum 3. [1161] *add.* est A. [1162] moguncia A. [1163] A. *hic et deinceps* flavi. [1164] uheri A.

NOTÆ.

(283) Rossthal in præfectura Cadolzburg, Wedekind. I.

(284) Fortasse recentiorum urbis Regensburg partem, ad sinistram Danubii ripam, noster ita appellavit.

(285) Fortasse Saufeld in districtu Berka ad Ilmam in terra Wimariensi cf. Acta societ. hist. Thuring. Sax. IV, 2, p. 172.

(286) D. 17. Dec. in loco Arnstedt cf. Ann. Augienses h. a.

esset dux Conradus a rege missus. Præda inde ingens ducta; Saxoniæ lætitia magna exorta.

43. (DCCCCLV.) Proximum agens rex pascha [1165] cum fratre, ducit post hæc exercitum contra Rainesburg, iterum armis machinisque urbem torquens. Dum præsidio Saxonum destituitur ac fame vexatur, portis urbani egressi, cum urbe tradiderunt semet ipsos regi. Qui principes exilio dampnans, reliquæ multitudini parcit, victoriaque gloriosus remeavit in patriam, omni regione Bojoarica fratri restituta.

44. Ingressusque Saxoniam circa Kal. Julii, obvios habet legatos Ungariorum, tamquam ob antiquam fidem ac gratiam eum visitantes, re autem vera, ut quibusdam videbatur, eventum belli civilis [1166] considerantes. (DCCCCLV.) Quos aum secum aliquantis [1167] diebus retinuisset et aliquibus munusculis donatos remisisset in pace, audivit a nuntiis fratris, ducis scilicet Bojoariorum: *Quia* [1168] *ecce Ungarii diffusi invadunt terminos tuos, statuuntque tecum inire certamen.* His auditis rex, quasi nichil laboris [1169] præterito bello toleravisset, cæpit ire contra hostes, sumptis [1170] secum paucis admodum ex Saxonibus, eo quod jam bellum Slavanicum [1171] urgeret. Castris positis in confiniis Augustanæ urbis, occurrit ei exercitus Francorum Bojoariorumque; cum valido quoque equitatu venit in castra Conradus dux, cujus adventu erecti milites [1172], jam optabant non differre certamen. Nam erat natura audacis animi, et quod rarum est audacibus, bonus consilii [1173], et dum eques et dum pedes iret in hostem, bellator intolerabilis, domi militiaque [1174] sociis carus. Igitur ab utriusque exercitus latrocinantibus agminibus notificabatur, non longe exercitus ab altero fore. Jejunio in castis prædicato [1175], jnssum est omnes in crastino [1176] paratos esse ad bellum. Primo diluculo surgentes, pace data et accepta, operaque sua primum duci, deinde unusquisque alteri cum sacramento promissa [1177], erectis signis procedunt castris [1178], numero quasi octo legionum. Ducitur exercitus per aspera et difficilia loca, ne daretur hostibus copia turbandi sagittis agmina, quibus utuntur acerrime, arbustis ea protegentibus. Primam et secundam tertiamque legionem direxerunt Bojoarii, quibus præfuerunt præfecti ducis Heinrici; nam ipse [1179] bello interim aberat, eo quod valitudine corporis laborasset, qua et mortuus est (287). Quartam [1180] ordinavere Franci, quorum rector ac [1181] procurator erat [1182] dux Conradus. In quinta, quæ erat maxima, quæ et dicebatur regia, ipse princeps vallatus lectis [1183] ex omnibus [1184] militum milibus [1185] alacrique juventute, coramque eo angelus, penes quem victoria, denso agmine circumseptus. Sextam et septimam construerunt Suavi [1186], quibus præfuit Burghardus [1187], cui nupserat filia fratris regis (288). In octava erant Boemi electi milites mille, armis potius instructi quam fortuna; in qua et sarcinæ omnes ac [1188] inpedimenta quæque, quasi ipsa esset tutissima, quæ esset novissima. Sed aliter res acta est ac [1189] arbitrabatur; nam Ungari nichil cunctantes, Lech fluvium transierunt, circnmeuntesque [1190] exercitum, extremam legionem sagittis lascessere [1191] cœperunt, et impetu cum ingenti vociferatione facto [1192], aliis cæsis vel [1193] captis, sarcinis omnibns potiti, cæteros legionis illius armatos fugere compulerunt. Similiter septimam ac sextam aggressi, plurimis ex eis fusis, in fugam verterunt. Rex autem cum intellexisset, bellum ex adverso esse [1194] et post tergum novissima agmina [1195] periclitari, misso duce cum quarta legione, captivos eripuit, prædam excussit, latrocinantiaque [1196] hostium agmina proturbavit [1197]. Fusis latrocinantibus undique adversariorum agminibus, signis victricibus dux Conradus ad regem revertitur; mirumque in modum [1198] conctantibus veteranis militibus, gloria victoriæ assuetis, cum novo milite et fere bellandi ignaro [1199] triumphum peregit.

45. Dum ea geruntur in Bojoaria, varie pugnatum est a præside Thiadrico (289) adversus barbaros. Cum capere nisus [1200] esset quandam urbem illorum, usque [1201] introitum portæ persecutus est adversarios, cogens illos intra murum, oppido potito et incenso, et omnibus quæ [1202] foros murum erant captis vel interfectis. Cum jam incendio extincto reverteretur, et paludem, quæ erat urbi [1203] adjacens, medietas militum transisset, Slavi videntes nostros in arto sitos ob difficultatem [1204] loci, nec copiam habere [1205] pugnandi nec locum adeo fugiendi, insequebantur a tergo revertentes clamore magno. Per-

VARIÆ LECTIONES.

[1165] rex in pascha 1. pascha rex 3. [1166] civilis belli 2. [1167] aliquot 3. [1168] *add.* et 1. [1169] quasi laboris oblitus, quem p. 3. [1170] sumtisque A. [1171] sclavonicum 3. [1172] milites erecti 2. 6. [1173] boni consilii 2. bono consilio 3. bonus consilio 6. 7. [1174] militiæque 3. [1175] indicto 3. [1176] crastinum 3. 7. [1177] promisso 2. [1178] e castris 3. 6. [1179] ipso 3. 1? [1180] *add.* vero 3. [1181] p. etr. 3. [1182] *deest* 2. [1183] electis 2. 7. [1184] multis 3. [1185] militibus 2. 7. [1186] suevi A. 3. 6. 7. [1187] burgardus 1. burchardus 2. A. Burcardus 3. [1188] et A. [1189] quam A. 7. [1190] circueuntesque 2. 7. [1191] lacessere A. 3. [1192] facta 1. [1193] alliis 3. 6. [1194] *deest* A. 7. [1195] *deest* A. [1196] latrocinantium 2. [1197] perturbavit A. 2. 3. [1198] immodum 1. [1199] ignara 1. [1200] uisus 3. [1201] *add.* ad 2. A. 7. [1202] præ 1. [1203] *deest* 3. [1204] diffucultatem 1. [1205] haberet A.

NOTÆ.

(287) Obiit die 1 Novembris.

(288) Burchardus, filius, ut videtur, ducis Burchardi a. 926 occisi, filiam Heinrici Hadwigem duxit, et Liudulfo deposito, a. 955 ducatum Sueviæ recepit.

(289) Cf. c. 23; præses a Widukindo idem qui marchio dici videtur, cf. II. 30. III. 54. 67. de Gerone, III. 51. de Heinrico; II. c. 33. Oddo Lothariorum dux hoc nomine appellatur, in diplomate a. 932 (Schannat tradd. Fuld. p. 234.,) quod tamen vix genuinum haberi potest, Meginwardus comes.

emerunt [1206] ex eis ad [1207] quinquaginta viros fœda A [1208] fuga nostrorum facta.

46. [1209]. Ingens interea pavor omnem Saxoniam trepidam pro rege et exercitu [1210] ejus pro hac re adversa [1211] invasit. Terrebant nos præterea portenta inusitata. Templa denique plerisque in locis tempestate valida concussa visentibus et audientibus horrorem nimium incussere; utriusque sexus sacerdotes ictu fulminis interierunt, et alia multa illo tempore contigerunt dictu horrenda et propterea nobis prætereunda. Totum pondus prælii ex adverso jam adesse [1212] conspiciens rex, exhortandi [1213] gratia allocutus est socios [1214] hoc modo: *Opus esse*[1215] *nobis bonorum animorum* [1216] *in hac tanta necessitate, milites mei, vos ipse videtis, qui hostem non longe sed coram positum toleratis. Hactenus enim in-* B *pigris manibus vestris ac armis semper invictis gloriose usus, extra solum et imperium meum ubique vici* [1217], *et nunc in terra mea et regno meo terga vertam? Superamur scio multitudine, sed non virtute, sed non armis; maxima enim ex parte nudos illos armis omnibus penitus cognovimus, et quod maximi est nobis solatii, auxilio Dei. Illis est sola pro muro audatia,* [1218] *nobis spes et protectio divina. Pudeat jam nunc dominos pené totius Europae inimicis manus dare. Melius bello, si finis adjacet, milites mei, gloriose moriamur, quam subjecti hostibus vitam serviliter ducamus, aut certe more malarum bestiarum strangulo deficiamus. Plura loquerer, milites mei, si nossem verbis virtutem vel audatiam animis vestris augeri. Modo melius gladiis quam linguis colloquium incipiamus!* Et his dictis, arrepto clipeo [1219] ac C sacra lancea, ipse primus equum in hostes vertit, fortissimi militis ac optimi imperatoris officium gerens. Hostium audaciores [1220] primum resistere [1221], deinde ut socios viderunt terga vertere, obstupefacti nostrisque intermixti, extinguuntur. Cæterorum vero alii, equis fatigatis, villas proximas intrant, circumfusique armatis, cum mœniis [1222], pariter [1223], concremantur; alii flumen contiguum transnatantes, dum ripa ulterior [1224] ascendentes non sustinet, flumine obvolvuntur et pereunt. Eo die castra invasa, captivique omnes erepti; secundo die ac tertio a vicinis urbibus reliqua multitudo in tantum consumpta est, ut nullus aut rarus evaderet [1225], D Sed non adeo [1226], incruenta victoria fuit de tam sæva gente.

47. Conradus quippe dux [1227], fortiter pugnans, animi fervore solisque ardore, qui eo die nimius erat, accensus æstuat, vinclisque [1228] solutis, dum aurum captat, vulnere sagittæ adverso gutturis defixæ cadit. Cujus corpus juxta regis imperium honorifice collectum transportatur Wormatiam [1229], ibique sepelitur vir omni virtute animi et corporis magnus atque famosus, cum fletu et planctu omnium Francorum.

48. Tres duces gentis Ungariæ capti, ducique Heinrico præsentati, mala morte, ut digni erant, multati [1230] sunt; suspendio namque crepuerunt.

49. Triumpho celebri rex factus gloriosus [1231], ab exercitu pater patriæ imperatorque appellatus est. Decretis proinde honoribus et dignis laudibus summæ divinitati per singulas ecclesias, et hoc idem sanctæ matri ejus per nuntios demandans [1232], cum tripudio ac summa lætitir Saxoniam victor reversus, a populo suo [1233], libentissime suscipitur; neque enim tanta victoria quisquam regum intra ducentos annos (290) ante eum fætatus est. [Nam ipsi bello Ungarico aberant, Slavanico [1234] certamini reservati [1235].]

50. Igitur, ut supra retulimus, cum deficeret in ratione reddenda contra suum patruum Wichmannus, intra palatium custoditur. Cum vero [1236] rex in Bojoariam proficisci vellet (291,) simulata infirmitate, ipse iter negavit; unde monitus ab imperatore, quia destitutus a patre et matre loco filiorum eum assumpserit liberaliterque educaverit, honore paterno promoverit, rogatque [1237], ne ei molestiam inferret, cum alia plura gravaretur. Ad hæc nichil utile audiens imperator discessit, commendato eo Iboni [1238] comiti. Aliquantis diebus cum eo degens, petit post hæc venandi gratia [1239] silvam ire [1240] liceret. Ibi [1241] absconditos socios secum sumens, perrexit in patriam, et occupatis [1242] aliquibus [1243] urbibus, juncto sibi Ecberhto, arma sumit contra imperatorem. Industria autem ducis Herimanni facile eos oppressit, trans Albiamque [1244] coegit. Illi cum se sensissent duci resistere non posse, sociaverunt sibi

VARIÆ LECTIONES.

[1206] et peremerunt 2. [1207] *deest* A. [1208] *deest* 2. [1209] *inde ab hoc capite codicis numeri cum indice conveniunt.* [1210] exercitui A. [1211] adverso 1. adversam 3. invasit adversa A. [1212] esse 2. [1213] hortandi 1. [1214] *deest* 1. *add.* suos 3. [1215] esset 2. [1216] bonis operibus 3. [1017] vici ubique 2. [1218] audacia pro muro A. [1219] gladio et clypeo 3. [1220] auditores A. [1221] restitere A. 3. restiterunt 6. [1222] menibus 2. 6. [1223] quoque 1. [1224] alterior 1 altior A. [1225] discederet A. [1226] *deest* 1. [1227] dux quippe 1. [1228] vinculisque loricæ 6. [1229] uurmatiam 1. vormaciam 3. [1230] mala — multati *desunt* 1. [1231] gloriosus factus 1. [1232] *add.* ut 1. [1233] *deest* 3. [1234] sclavonico 3. [1235] nam ipsi — reservati *desunt* 1., *quæ quamvis glossatori cuidam tribui possent, quum tam* 2. (3) *quam* A. *exhibeant, omittere nolui.* [1236] igitur A. 3. [1237] rogatusque 2. [1238] bono 2. [1239] post hæc petit ut cum venandi gratia 2. [1240] inire 2. intrare 3. [1241] ibique 3. [1242] *add.* ibi 3. [1243] aliquibibus 1. [1244] transabiamque A. trans Albimque 3.

NOTÆ.

(290) Widukindus de Karoli Martelli victoria 732 de Sarracenis reportata cogitasse videtur.

(291) Loquitur de expeditione anno 954, Ungariis fugatis, suscepta (c. 31.)

duos subregulos barbarorum (292,) Saxonibus jam olim infestos, Naconem et fratrem ejus.

51. Ductus exercitus a duce, reperti sunt in urbe quæ [1245] dicitur Suithleiscranne [1246] (293); et pene erat, ut cum urbe [1247] caperentur, nisi [1248] clamore cujusdam citarentur [1249], et ad arma prosilirent; cæsis iamen ante portam urbis ad [1250] quadraginta armatis, cæsorumque [1251] spoliis potitus dux Herimannus discedit [1252]. Erant autem qui eum adjuvarent Heinricus præses cum fratre Sifrido [1253], viri eminentes et fortes, domi militiaque [1254] optimi. Facta sunt autem hæc initio [1255] quadragesimalis jejunii [1256].

52. Barbari vero post proximum pascha irruunt in regionem, ducem habentes Wichmannum, ad facinus tantum, non ad imperium; nullam moram agens [1257] sed et ipse dux Herimannus, cum præsidio militari adest, vidensque exercitum hostium gravem, sibique parvas admodum belli copias affore [1258], civili bello urgente, arbitratus est consultius [1259] differre certamen in dubiis rebus constitutis, multitudinique imperare [1260], quæ maxima in unam urbem confluxerat, dum cæteris diffiderent [1261], quoque [1262] pacto possent, pacem expostularent. Quod tamen consilium milites ægre valde tulerunt, et maxime Sifridus, qui erat bellator acerrimus. Faciunt tamen cives Cocarescemiorum [1263] (294), ut dux imperarat, pacemque eo pacto obtinent [1264], quo liberi cum uxoribus et natis supra murum inermes ascenderent, conditione servili et omni suppellectili in medio urbis hostibus relicta. Cum intra urbem irruerent barbari, quidam illorum suum mancipium agnoscit in cujusdam liberti uxore; quam cum rapere de manu viri niteretur, ictum [1265] pugni [1266] accipit, irritumque pactum ex parte Saxonum proclamitat; unde fit, ut omnes ad cædem verterentur, nullumque relinquerent, sed omnes perfectæ ætatis neci darent, matres [1267] cum natis captivos ducerent [1268].

53. Quod scelus imperator ulcisi gestiens, victoria jam de Ungariis patrata [1269], regiones barbaro- A rum hostiliter intravit. Consultum de Saxonibus, qui cum Slavis conspiraverant [1270], judicatum [1271] est, Wichmannum et Ecberhtum pro hostibus publicis habere [1272] oportere, cæteris vero parcere, si quidem remeare voluissent ad suos. Aderat et legatio barbarorum, tributa socios ex more velle persolvere nuntians; cæterum dominationem regionis velle tenere; hoc pacto pacem velle, alioquin pro libertate armis certare. Imperator ad hæc respondit, pacem quidem eis nequaquam [1273] negare, sed omnimodis dare non posse, nisi injuriam perpetratam digno honore ac emendatione purgarent; omniaque vastando et incendendo per illas regiones duxit exercitum, donec tandem, castris positis super Raxam (295) fluvium ad transmeandum paludibus difficillimum, ab hostibus circumfunditur. A tergo B namque via [1274] arborum robore obstruitur, eademque armatorum manu vallatur; ex adverso fluvius fluvioque contigua palus, et cum ingenti exercitu Slavus [1275], bellatores et ab opere et ab itinere prohibens. Vexatur autem et aliis incommodis exercitus, morbo pariter ac [1276] fame. Dum talia agerentur per plures dies, mittitur ad principem barbarorum, qui dicebatur Stoinef, Gero [1277] comes, quatinus imperatori se dedat, amicum per id adepturum, non hostem experturum.

54. Erant quippe [1278] in Gerone multæ artes honæ [1279], bellandi peritia, in rebus civilibus bona consilia, satis eloquentiæ, multum scientiæ [1280], et C qui prudentiam suam opere [1181] ostenderet [1282] quam ore; in adquirendo strenuitas, in dando largitas, et quod optimum erat, ad cultum divinum bonum studium. Igitur præses super paludem et flumen, cui palus adjacens erat, barbarum salutabat. Cui Slavus æqualia respondit. Ad quem præses: *Satis tibi esset, si bellum gereres contra unum nostrum de servis domini mei, et non etiam contra dominum meum regem. Quis tibi exercitus, quae arma, ut talia præsumas? Si aliqua vobis virtus adsit, si artes, si audatia, date nobis locum ad vos transeundi, sive nos vobis huc ve-* D *niendi; et æquato loco fortitudo appareat pugnatoris.*

VARIÆ LECTIONES.

[1245] qui 1. [1246] suithelei scrannæ A. Suuithleiscranne 3. [1247] cum urbe *desunt* 2. cap. cum urbe 3. [1248] 3. A. [1249] excitarentur 3. [1250] *deest* 2. 7. [1251] cæsorum A. [1252] discessit 2. 7. [1253] 2. 3. *semper* sigifrido. [1254] militiaque 3. [1255] in initio 3. 7. [1256] quadragesimæ vel jejunii 1. [1257] agentes 2. [1258] adesse 3. [1259] consulcius 1. [1260] imperarat 2. [1261] differrent 1. [1262] quo 1. [1263] *hoc vocabulum erasum est* 1. convocare. sceniorum 2. [1264] optinerent 1. [1265] ictu 1. jectum A. [1266] pugne 1. pugnæ 2. pugno 7. [1267] matresque 3. [1268] matres — ducerent *desunt* 1. [1269] parta 3. [1270] conspiraverunt 2. conspirant A. [1271] judicatumque 2. 3. [1272] haberi 2. 7. [1273] non 3. 7. [1274] *deest* 1. 2. 3. 7. [1275] slavus *corr.* slavos 1. sclavos 2· 3. slavi — prohibentes 7. [1276] et 2. A. 7. [1277] stoinefgero 3. [1278] *deest* 2. [1279] bonæ artes A. [1280] multum scientiæ *desunt* 1. [1281] *add.* magis 3. 7. [1282] ostenderat 1.

NOTÆ.

(292) Cf. Ann. mai. Sangall. a. 955.

(293) De urbe Schwedt Hahn. H. G. II. p. 62. n. i. et Wedekind Noten I, cogitarunt; aliam proposuit sententiam Leutsch Gero p. 97 n. 153.

(294) De urbis situ adhuc sub judice lis est; cf. libri n. f. allati. — Vox Slavica locum aut prope Albiam aut in altera Albiæ ripa haut procul a Magdeburg situm fuisse indicat, ubi complures loci extant, qui aliquam vocis similitudinem præferunt. *P.*

(295) Minime cum Ann. Saxone Taxa legi fluviumque Dosse intelligi posse, omnium codicum consensus ostendit; videtur igitur esse Reckenitz ducatus Megalopolitani fluvius, populus quibuscum bellum erat pertransiens.

Slavus barbarico more frendens, et multa convicia evomens, irrisit Geronem imperatoremque et omnem exercitum, sciens eum multis [1283] molestiis aggravatum. Gero ad hæc commotus, ut erat animi ardentissimi: *Crastinus*, inquit, *dies declarabit, tu et populus tuus fortes* [1284] *viribus sitis, an non; cras enim nos vobiscum congredientes procul dubio videbitis*. Gero denique olim licet multis gestis [1285] insigniis [1286] clarus haberetur, jam tamen magnus ac celebris ubique prædicabatur, eo quod Slavos qui dicuntur [1287] Uchri cum magna gloria cepisset (296). Gero, reversus in castra, retulit quæ audierat. Imperator vero, de nocte consurgens, jubet sagittis et aliis [1288] machinis ad pugnam provocare [1289], et quasi vi flumen paludemque transcendere velle. Slavi autem hesterna comminatione nichil aliud arbitrati, ad pugnam pariter conspiravere, iter totis viribus defendentes. At Gero cum amicis Ruanis [1290] (297) miliario ferme uno a castris descendens [1291], hoste ignorante [1292], tres pontes celeriter construxit, et misso nuntio ad imperatorem, totum exercitum revocavit. Quo viso barbari, et ipsi obviare legionibus contendunt. Pedites barbarorum dum longiorem viam currunt, et certamen ineunt, fatigatione [1293] dissoluti, militibus citius cedunt; nec mora, dum fugæ præsidium quærunt, obtruncantur.

55. Stoinef [1294] autem colle eminenti cum equitibus eventum rei expectabat; socios inire fugam cernens, fugit et ipse, lucoque [1295] quodam cum duobus satellitibus repertus, a viro [1296] militari, cujus vocabulum erat Hosed, certamine fatigatus armisque nudatus, capite cæsus est. Satellitum alius vivus captus, imperatorique cum capite et spoliis reguli ab eodem milite præsentatus est. Ex hoc Hosed clarus et insignis habitus; merces tam famosi gesti [1297] donativum imperiale cum reditu [1298] viginti mansuum. Eo die castra hostium invasa, et multi mortales interfecti vel capti, cædesque [1299] in multam noctem protrahebatur. Postera luce [1300] caput subreguli in campo positum, circaque illud septinginti [1301] captivorum capite cæsi, ejusque consiliarius, oculis erutis, lingua est [1302] privatus, in medioque cadaverum inutilis relictus. Wichmannus vero et Ecberthus [1303] scelerum conscii in Galliam profecti, ad Hugonem ducem fuga elapsi sunt.

56. Crebis victoriis imperator gloriosus factus atque famosus, multorum regum ac gentium timorem pariter et favorem promeruit; unde plurimos legatos suscipit, Romanorum scilicet et Græcorum Sarracenorumque [1004], per eosque diversi generis munera [1305], vasa aurea et argentea, ærea quoque, et mira varietate operis distincti [1306], vitrea vasa, eburnea etiam, et omni genere modificata, stramenta [1307], balsamum et totius generis pigmenta, animalia Saxonibus ante invisa, leones et camelos, simias et struthiones [1308]; omniumque circumquaque Christianorum in illo res atque spes sitæ.

57. (DCCCCLVI-LVII.) Liudulfus autem, imperatoris [1309] filius, cum fidem vult servare amicis, patria cessit, Italiamque cum eis adiit; quo agente annum fere [1310] totum, diem extremum [1311] obiit, toto [1312] Francorum imperio relinquens suo vulnere vulnus durum. Funus autem ejus a militibus debito honore curatum, et ab Italia Mogontiæ [1313] corpus translatum, in basilica [1314] Albani martiris sepultum est, cum luctu et planctu multorum populorum. Reliquit post se filium patris vocabulo insignitum (298).

58. Litteræ autem obitus ejus allatæ sunt imperatori, cum esset in militia [1315], qua militavit contra Redarios; quapropter [1316] satis plurimum lacrimarum pro filii interitu fudit; de cætero, qui adhuc ordinavit imperium suum, rectori omnium Deo fideliter commisit.

59. Eodem tempore Wichmannus sciens [1317] Saxoniam bellatoribus vacuam, a Gallia profectus, Saxoniam occulte intravit, domum conjugemque revisit, inde se iterum alienigenis inmersit. Ecberhtus [1318] vero interventu magni pontificis Brunonis in gratiam recipitur.

60. (DCCCCLVIII.) Ductus exercitus contra Wichmannum tertia vice (299), vix obtinuit ut in fide Geronis filiique sui susciperetur, ipsique apud imperatorem obtinerent, quo patria conjugisque patrimonio cum gratia imperiali frueretur. Jussus [1319] sacramentum terribile dedit, se contra imperatorem imperatorisque regnum numquam aliquid inique consilio aut actu facturum [1320] Ita fide data, in pace est dimissus [1321], et bonis promissionibus ab imperatore erectus.

61. Peracta cæde barbarorum, eo anno prodigiosæ res apparuerunt [1322], notæ scilicet crucis in vesti-

VARIÆ LECTIONES.

[1283] *deest* 1. [1284] fortis 2. A. [1285] gestiis 1. [1286] insignibus 2. 3. [1287] eo — dicuntur *desunt* A. [1288] alios 2. [1289] *add.* hostem 3. [1290] ruianis 2. rivanis 7. suis 3. [1291] discedens 3. [1292] ignorante hoste 2. [1293] fugatione 2. [1294] stoinefgero 3. [1295] locoque A. [1296] r. auro 2. [1297] facti A. [1298] reditu *corr.* redditu 2. [1299] cædes 3. [1300] die 3. [1301] septuaginta 3. [1302] ejus 2. [1303] echberthus 1. [1304] saracenorumque 1. 3. [1305] *deest* 1. [1306] distincta A. 7. *ex 2 et A. verborum distinctionem recepi.* [1307] modificata stramenta A. 2. 3. [1308] structiones 1. strueiones A. 7. struthiones 3. [1309] filius imperatoris A. 2. 3. [1310] fere annum 2. [1311] die extremo 2. [1312] toti 3. [1313] mogonciam 3. 7. [1314] *in* 1. sancti *alia* [1315] italia 1. [1316] qui 3. [1317] sciens wigm. 2. [1318] *egmanu superscriptum est.* berhtus 1. [1319] Injussus A. 2. 3. *quod an præferendum sit nescio.* [1320] acturum 2. [1321] dimissus est. 2. [1322] apparuere A. 2. 3.

NOTÆ.

(296) Cf. c. 42.

(297) Rani, Ruani et Rugiani iidem sunt, variata tantum pronuntiatione. MEIB.

(298) Ottonem, natum a. 954.

(299) Primo a Hermanno a. 955 (c. 51), secundo a rege eodem anno (c. 53).

mentis plurimorum. Quibus visis, plurimi salubri timore perculsi, adversa formidabant; idemque[1323] vitia multa ex parte emendaverunt. Fuerunt et qui lepras vestium[1324] interpretarentur[1325], eo quod subsequens lepra multos mortales corrumperet[1326]. Sapientiores autem signum crucis salutem victoriamque præfigurasse[1327] prædicabant. quibus et nos fidelem assensum præbemus.

62. Eo tempore imperator et ipse ægrotare cœpit, sed meritis sanctorum, quibus fidele jugiter obsequium præbet, maximeque patrocinio incliti martiris[1328] Viti, cui aperuit os suum, de infirmitate convalescit, et mundo ut sol lucidissimus post tenebras ad omnem decorem et delicias condonatur.

63. Rebus igitur rite compositis per omnem Franciam Saxoniamque et vicinas[1329] circumquaque gentes, Romam statuens proficisci, Longobardiam[1330] perpexit (DCCCCLXI). Ergo qualiter regem Longobardorum Bernharium[1331] duobus annis obsessum, cum conjuge et filiis captum, in exilium destinaverit, Romanos duobus præliis vicerit (DCCCCLXIV), Romamque[1332] expugnaverit, duces Beneventorum subjecerit, Græcos in Calabria Apuliaque[1333] superaverit, terra Saxonia[1334] venas argenti aperuerit[1335], imperiumque cum filio quam magnifice dilataverit, nostræ tenuitatis[1336] non est edicere, sed ut[1337] initio historiæ prædixi (300), in tantum fideli devotione elaborasse[1338] sufficiat. Cæterum erga tuam claritatem serenitatemque, quam[1339] patris fratrisque celsitudo patriæ ad omnem honorem nobisque ad solatium reliquit, magna devotio opus humile magnificet[1340]. At finis civilis belli terminus sit libelli.

64. (DCCCCLXIII.) Enimvero donatus patriæ Wichmannus æquanimiter se continuit, donec imperatoris adventum speravit. Cum autem[1341] ejus reversio differretur, ad aquilonales[1342] partes se contulit, quasi cum rege Danorum Haraldo[1343] (301) bellum ab integro machinaturus. At ille mandavit ei[1344], si ducem necasset vel alium quemlibet principum, nosset sine dolo eum[1345] sibi sociare velle[1346], aliter rem fraudulenter agitasse[1347] non dubitaret. Interea ab emptore prætereunte latrocinia ejus produntur, sociorumque aliqui[1348] comprehensi, et tamquam contra publicam rem agentes, a duce dampnati, strangulati vitam perdiderunt; ipse autem cum fratre (302) vix evasit.

65. Dani antiquitus erant Christiani, sed nichilominus idolis ritu gentili servientes. Contigit autem altercationem super cultura deorum fieri in quodam convivio rege præsente[1349]. Danis affirmantibus Christum quidem esse deum, sed alios eo fore majores deos, quippe qui potiora mortalibus signa et prodigia per se ostenderent. Contra hæc clericus quidam, nunc vero religiosam vitam ducens, episcopus (303), nomine Poppa[1350], unum verum Deum Patrem cum Filio unigenito domino nostro Jesu Christo et Spiritu sancto, simulacra vero dæmonia esse et non deos, testatus est[1351]. Haraldus[1352] autem rex, utpote qui velox traditur fore[1353] ad audiendum, tardus ad loquendum, interrogat, si hanc fidem per semetipsum declarare velit. Ille incunctanter velle respondit. Rex vero custodire clericum usque in crastinum jubet. Mane facto, ingentis[1354] ponderis ferrum igne succendi jubet, clericumque ob fidem catholicam candens ferrum[1355] portare jussit. Confessor Christi indubitanter ferrum rapit, tamdiuque deportat, quo ipse[1356] rex decernit; manum incolumem cunctis ostendit, fidem catholicam omnibus probabilem reddit[1357]. Ad hæc rex conversus, Christum Deum solum colendum decrevit, idola respuenda subjectis gentibus imperat, Dei sacerdotibus et ministris honorem debitum deinde præstitit. Sed et hæc virtutibus merito patris tui adscribuntur, cujus industria in illis regionibus ecclesiæ sacerdotumque ordines in tantum fulsere.

66. Gero igitur comes non inmemor juramenti, cum Wichmannum accusari vidisset reumque cognovisset, barbaris, a quibus eum assumpsit, restituit. Ab eis libenter susceptus, longius degentes barbaros crebis præliis contrivit. Misacam[1358] regem (304), cujus potestatis erant Slavi qui dicuntur Licicaviki, duabus vicibus superavit, fratremque ipsius interfecit, prædam magnam ab eo extorsit.

67. Eo quoque tempore (DCCCCLXIII) Gero præses Slavos qui dicuntur[1359] Lusiki (305) potentissime vicit et ad[1360] ultimam servitutem coegit, non sine sui tamen gravi vulnere nepotisque[1361] optimi viri casu (306), cæterum[1362] quoque quam plurimorum[1363] nobilium virorum.

VARIÆ LECTIONES.

[1323] iidemque 3. [1324] deest. A. [1325] interpretaretur 1. [1326] corrumperent 1. [1327] præfigurans se 2. [1328] *in* 1. sancti *superscriptum est.* [1329] vicinos 1. A. 3. [1330] in long. A. 3. [1331] bernhardum 2. berengarium 3. [1332] romam 3. [1333] appuliaque 3. [1334] terræ saxonia *corr.* saxoniæ 1. terra saxonica 6. in terra saxonia 3. [1335] aperuit 2. [1336] tenuitati 1. [1337] *add.* in 3. [1338] laborasse 3. [1339] *deest* 2. [1340] magnifice 2. [1341] *deest* 3. [1342] aquilonares 3. [1343] halardo A. [1344] ei *corr.* eis 1. [1345] quum 3. [1346] vellet 3. [1347] egisse 2. [1348] alii 3. [1349] regio (*deest* præsente) 2. [1350] poppo 2. A. [1351] est testatus 2. [1352] haroldus 2. alardus A. aroldus 7. araldus *Sigeb. Gembl.* [1353] *deest.* 2. 7. fuisse 3. [1354] ingens 1. [1355] igne — ferrum *desunt* 3. 4. [1356] *deest* 2. [1357] reddidit A. 7. [1358] misicam 1. miscam 3. *et ita deinceps.* [1359] ducuntur. 1. [1360] in 2. [1361] *add.* sui 2. [1362] cæterum 1. [1363] plurimum A. plurium 3.

NOTÆ.

(300) Cf. præfatio libri primi.

(301) Loquitur auctor de Heraldo cognomento Blaatand Gormonis filio. MEIB.

(302) De Ecberto dicere videtur.

(303) Cf. Adamus Brem. II, 26; episcopatum Sleswicensem Poppo recepit.

(304) Misaca rex sive dux fuit Polonorum; Licicaviki iidem qui Lechi.

(305) Lausitzer.

(306) De filio, cujus mentionem facit Thietmar. I. II. (p. 30) hæc intelligenda esse, tantum non omnes minus recte statuerunt.

68. Erant [1364] duo subreguli Hermanno duci, inimicitiæ a patribus vicariæ relicti, alter vocabatur Selibur, alter Mistav. Selibur præerat Waaris [1365] (307), Mistav Abdritis [1366]. Dum invicem quam sæpe accusantur [1367], victus tandem ratione Selibur [1368], condempnatus est quingentis talentis argenti a duce. Eam dampnationem graviter ferens, arma sumere contra ducem cogitavit. Sed cum ei belli copiæ non sufficerent, missa legatione, postulat præsidium ab [1369] Wichmanno contra ducem. Ille nichil jocundius ducens, quam aliquam molestiam inferre posset [1370] patruo, cito cum sociis adest Slavo. Ut autem suscipitur in urbem Wichmannus, statim urbs obsidione vallatur ab inimico. Ductus quoque exercitus a duce urbem [1371] obsedit; interim, casu nescio an prudenti consilio, Wichmannus cum paucis urbem est egressus, quasi ad extrahenda sibi de Danis auxilia. Pauci dies intererant, dum victus [1372] bellatoribus et pabulum jumentis defecerat [1373]. Fuerunt etiam qui dicerent, Slavum speciem quidem belli gessisse, non verum bellum; incredibile omnimodis fore, hominem a puero bellis assuetum bellicas res tam male præparatas habuisse; sed id consilii machinatum ducem [1374], ut quoquo pacto posset nepotem vinceret, ut saltem [1375] in patria salutem [1376] recuperaret, quam inter paganos penitus perdidisset. Fame [1377] itaque urbani ac fœtore pecorum aggravati, urbe egredi sunt coacti. Dux Slavum austerius [1378] alloquens, de perfidia et nequam ejus actibus arguit; hocque [1379] ab eo responsi accepit: *Quid me*, inquit, *de perfidia arguis? Ecce, quos nec tu, nec dominus tuus imperator vincere potuistis, mea* [1380] *perfidia inermes assistunt* [1381]. Ad hæc dux conticuit, eum suæ ditionis regione privans, filio ipsius, quem antea obsidem accepit, omni ipsius [1382] potestate tradita. Milites Wichmanni variis pœnis afflixit, urbis prædam suis militibus donavit, simulacro Saturni (308) ex ære fuso, quod ibi inter alia urbis spolia repperit, magnum spectaculum populo præbuit, victorque in patriam remeavit.

69. Audiens autem Wichmannus [1383] urbem captam sociosque oppressos [1384], ad orientem versus [1385] iterum se paganis inmersit, egitque cum Slavis qui dicuntur Vuloini [1386] (309), quomodo Misacam, amicum imperatoris, bello lacesserent [1387]; quod eum minime latuit. Qui misit ad Bolislavum [1388] regem Boemiorum [1389] — gener enim [1390] ipsius erat (310) — accepitque ab eo equitum duas acies. (DCCCCLXVII ?) Cumque contra eum Wichmannus duxisset exercitum, pedites primum ei inmisit [1391], cumque ex jussu ducis paulatim coram Wichmanno fugerent, a castris longius protrahitur, equitibus [1392] a tergo inmissis, signo fugientes ad [1393] reversionem hostium monet [1394]. Cum ex adverso et post tergum premeretur [1395] Wichmannus, fugam inire temptavit [1396]. A sociis igitur arguitur sceleris, quia ipse eos ad pugnam [1397] instigaverit, fidensque equo, cum necesse fuerit, fugam facile inierit. Coactus itaque equo cessit, pedestris [1398] cum sociis certamen iniit, eoque die viriliter pugnans armis defenditur. Jejunio autem et longiori via, qua [1399] per totam noctem armatus incessit, mane cum paucis admodum aream cujusdam jam [1400] fessus intravit. Optimates autem [1401] hostium cum eum reppperissent, ex armis agnoscunt quia vir eminens esset, interrogatusque ab eis quisnam esset [1402], Wichmannum se fore [1403] professus est. At illi arma deponere exhortati sunt; fidem deinde spondent, salvum eum domino [1404] suo præsentari, hocque apud ipsum obtinere, quatinus incolumen imperatori restituat [1405]. Ille licet in ultima necessitate sit constitutus, non inmemor pristinæ nobilitatis ac virtutis [1406], dedignatus est talibus manum dare; petit tamen, ut Misaco [1407] de eo adnuntient, illi velle arma deponere, illi manus [1408] dare. Dum ad Misacam ipsi pergunt, vulgus innumerabile eum circumdat, eumque [1409] acriter inpugnat [1410]. Ipse autem quamvis fessus, multis ex eis fusis, tandem gladium sumit, et potiori hostium cum his verbis [1411] tradidit: *Accipe*, inquit, *hunc gladium, et defer domino tuo* [1412], *quo pro signo victoriæ illum teneat, impera-*

VARIÆ LECTIONES.

[1364] *add.* autem 2. [1365] waris A. [1366] addritis 3. [1367] acc. quam sæpe 3. [1368] *add.* alter mistau 2. [1369] a A. 3. [1370] *deest* 3. [1371] urbe A. [1372] victis A [1373] defecerant 3. [1374] ducem mach. 2. [1375] *deest* A. [1376] salutem in p. A. [1377] fame 2. [1378] hasterius 2. [1379] hoc quoque 1. 3. [1380] in ea 3. [1381] existunt 1. [1382] quem — ipsius *desunt* A. [1383] wichmannus β, *ex quo hunc locum se descripsisse Falke p.* 456 asserit. [1384] afflictos 2. 3. circumventos A. [1385] reversus 1. β. [1386] wlovii A uulouuini β. [1387] egitque — lacesserent *desunt* 2. [1388] boliz Alium. β. boluzlavum 3. [1389] boemorum 2 β. [1390] *deest* 1. [1391] in eum misit 2. [1392] equitibusque β. [1393] *deest* β. [1394] movet 3. [1395] premeret 1. premerentur A. [1396] tentavit β (4). [1397] ad pugnam eos β (4). [1398] pedestre 2. [1399] *deest* 1. quam A. [1400] *deest* 3 [1401] *deest* 1 [1402] interrogatusque — esset *desunt* A. [1403] esse A. 3. β. 7. [1404] domno β. [1405] restituit 2. [1406] non immemor — virtutis *desunt* 1. [1407] misaco *corr.* misiconi 1. misacæ 3. [1408] manum β. 4. [1409] eum 3. [1410] impugnant 3. [1411] *deest* 2. [1412] suo 3.

NOTÆ.

(307) Wagrii, ducatus Holsatiæ orientalis incolæ, Abodritorum vicini esse videntur.

(308) Saturnum glossæ Boemicæ ab Hanka editæ Sytivrat appellant.

(309) Slavos Wilinos afferunt Adamus Brem. II c. 10. et Helmoldus I. 2; recentiores ad lacum Bellinensem et urbem Fehrbellin eorum sedes collocarunt.

(310) *Hic* (M.) *a Boemia regione nobilem sibi uxorem senioris Bolizlavi duxerat sororem; — Bobrawa — Sclawonice dicebatur*, Thietmar. IV. (p. 97.)

torique amico transmittat [1413] *quo sciat aut hostem occisum irridere vel certe propinquum deflere.* Et his dictis, conversus ad orientem,ut potuit,patria voce Dominum [1414] exoravit,animamque multis miseriis et incommodis repletam pietati Creatoris omnium effudit (311). Is finis Wichmanno,talisque omnibus fere,qui contra imperatorem arma sumpserunt [patrem tuum] [1415].

CONTINUATIO

70. (DCCCCLXVIII.) Imperator itaque, acceptis armis Wichmanni, de nece ejus jam certus [1416] factus,scripsit epistolam ad duces et præfectos Saxoniæ in hunc modum : ***Oddo divino nutu imperator augustus, Herimanno et Thiadrico*** [1417] ***ducibus*** [1418] ***cæterisque*** [1419] ***publicæ rei*** [1420] ***nostræ præfectis omnia amabilia. Deo volente,salus omniaque prospera plane succedunt.Cæterum nuntii Constantinopolitani regis, dignitate satis insignes, nos adeunt,pacem,ut intelleximus, admodum quærentes. Quoquo modo tamen res agatur, bello, Deo volente,nullo modo nos temptare audebunt. Apuliam*** [1421] ***et Calabriam provincias, quas hactenus tenuere, nisi conveniamus, dabunt. Si vero voluntati nostræ paruerint, ut præsenti æstate conjugem cum æquivoco nostro in Franciam dirigentes,per Fraxanetum*** [1422] ***ad destruendos Sarracenos, Deo comite, iter arripiemus, et sic ad vos,disponimus***[1423]***. Præterea volumus,ut si Redares, sicut audivimus,tantam stragem passi sunt***(312)***—scitis enim quam sæpe fidem fregerint, quas*** [1424] ***injurias attulerint, — nullam vobiscum*** [1425] ***pacem habeant. Unde hæc cum Herimanno*** [1426] ***duce ventilantes, totis viribus instate, ut in destructione eorum finem operi inponatis. Ipsi, si*** [1427] ***necesse fuerit, ad eos ibimus. Filius noster in nativitate Domini coronam a beato apostolico in imperii dignitatem suscepit. Scripta 15 Kal. Febr. in Campania juxta Capuam.***

His litteris lectis in conventu populi, in loco qui dicitur Werla,coram principibus et frequentia plebis, visum est,pacem jam datam Redariis oportere stare, eo quod tunc bellum adversus [1428] Danos urgeret,et quia copiæ minus sufficerent ad duo bella pariter conficienda.

71. (CMLXIX.) Græcorum itaque legatis imperator satis credens, partem [1429] exercitus cum plerisque principalibus viris direxit ad condictum locum,quo eis secus [1430] sponsionem legatorum [1431] puella traderetur, et cum honore filio adduceretur. Græci vero ad artes paternas [1432] conversi,— nam erant ab exordio fere mundi plurimarum gentium domini,et quos virtute nequibant, artibus [1433] superabant, — subito super [1434] improvisos et nichil adversi suspicantes iruunt, castra diripiunt, plures occidunt, plures capiunt,quos et Constantinopolim imperatori suo [1435] præsentant. Qui vero effugere poterant, reversi ad imperatorem, quæ acta sunt nuntiant [1436].

72. At ille super his commotus, ad hoc dedecus diluendum cum gravi manu viros eminentes, domesticis et externis rebus jam sæpe claros factos, Guntharium et Sifridum [1437] mittit in Calabriam. Græci autem præterita victoria elati et minus cauti, acciderunt in manus eorum ; ex quibus innumera multitudine cæsa, quos supererant [1438] capientes, obtruncatis naribus,novam Romam remeare permiserunt. Tributum in Calabria et Apulia a Græcis extorserunt,talique victoria illustres facti,et spoliis hostium dilati, ad imperatorem reversi sunt (313).

73. Populus autem Constantinopolitanus audiens a suis [1439] male pugnatum, consurrexerunt adversus imperatorem suum, et machinatione conjugis propriæ cujusdam militis insidiis occiderunt, locoque domini militem imperio [1440] designantes (314). Constitus [1441] autem rex continuo captivos absolvit, puellam cum magno exercitu et claris muneribus ad imperatorem destinavit. (DCCCCLXXII.)Quam ipse statim filio tradidit,celebratisque magnifice nuptiis, omnem Italiam super hoc et Germaniam lætiores reddidit. Eo tempore, quo hæc intra Italiam gerebantur, summus pontifex Wilhelmus (315), vir sapiens et prudens, pius et cunctis affabilis, a patre sibi commendatum regebat Francorum imperium.

74. Cujus mater licet peregrina,nobili tamen erat genere [1442] procreata (316). Hic cum audisset ægrotare cœpisse matrem imperatoris(DCCCCLXVIII)miræ sanctitatis feminam,nomine Mahthildam[1443]dumque ejus expectat funus,proprio funere ipsius funus

VARIÆ LECTIONES.

[1413] illum tradat vel transmittat 2. illum transmittat 7. [1414] deum A. [1415] patrem tuum *unus cod.* A., *qui his verbis finitur.* [1416] certior 3. [1417] thiederico 2. 3. [1418] *deest* 1. [1419] cæteris 1. [1420] rei publicæ 2. 7. [1421] *semper* Appuliam. [1422] fraxinetum 3. 7. [1423] disponemus 3. [1424] quasi I. [1425] nobiscum 2.7. [1426] erimanno 1. [1427] *deest* 2. [1428] adversum 2. 7. [1429] par. 2. [1430] *deest* 1. [1431] legatis 2. [1432] primas 1. [1433] arte 3. [1434] *deest* 1. [1435] *deest* 1. [1436] nunciabant 2. 3. [1437] sigifridum 2. 3. [1438] superant 2. [1439] a suis audiens 3. *In* 2. *folio exciso quæ sequuntur usque ad verba* c. 75. a externis cuncta retro etc. *desiderantur.* [1440] in imp. 3. [1441] constitutus 1. [1442] genere erat 3. [1443] mathildam 1. 3.

NOTÆ.

(311) Diem mortis Necrol. Luneburgense (Wedekind Not. III. p. 70.) nobis indicare videtur : x Kal. Oct. (22. Sept.) : *Wichmannus comes et multi alii occisi et Hoico occisus.*

(312) De hoc bello nihil compertum habemus.

(313) Hujus victoriæ præter Widukindum soli Annales Cavenses (ap. Pratillum hist. Long. IV, p. 416) mentionem faciunt.

(314) Imperator Nicephorus Phocas uxoris Theophanu insidiis a Joanne Tzimiske d. 11. Dec. 969 occisus est ; Joannes imp. constitutus Theophanu, uxoris suæ neptem, Romani II filiam, transmisit.

(315) Successerat Friderico a. 954.

(316) Natus a. 928 (Cont. Reg.)

procedit [1444]. De cujus laude [1445] si aliquid dicere cupimus, deficimus, quia omne argumentum ingenioli nostri superat virtus tantæ feminæ. Quis enim digne possit explicare ejus [1446] vigilantiam erga cultum divinum? Omnis nox (317) omnibus modis et omni genere cellulam suam divinorum carminum melodia implebat. Erat enim ei [1447] cellula ecclesiæ proxima, in qua modice requiescebat; de qua omnibus noctibus consurgens intrat ecclesiam, nichilominus cantoribus et cantricibus [1448] intra cellulam et pro foribus et in via triformiter constitutis, qui divinam clementiam laudarent atque benedicerent. Ipsa intra ecclesiam in vigiliis et orationibus perseverans, missarum sollempnia expectabat. Deinde infirmos, ubicumque audivit, in vicino visitavit, necessaria præbuit, deinde pauperibus manum porrexit, deinde hospites, qui semper aderant, cum omni largitate suscepit; neminem sine affatu blando dimisit, nullum fere [1449] sine munusculis vel necessariis adjumentis vacuum reliquit. Sæpe viatoribus, quos longius de cella prospexit necessaria transmisit. Talia opera licet valde humiliter diebus ac noctibus exerceret, tamen nichil de honore regio minuebat, et sicut scriptum est, quamvis sederet tamquam regina [1450] circumstante populo, semper et ubique tamen erat mœrentium consolatrix (*Job* XXIX, 25). Domesticos omnes famulos et ancillas variis artibus, litteris quoque instituit; nam et ipsa litteras novit, quas post mortem regis lucide satis didicit (318). Ergo si omnes virtutes ejus velim narrare, hora deficeret; facundia Homeri [1451] vel Maronis michi [1452] si adesset, non sufficeret. Igitur plena dierum, plena omni honore, plena operibus bonis et elemosinis, cunctis divitiis regalibus distributis servis Dei et ancillis ac pauperibus, secundo Idus Martias animam Christo reddidit [1453]. Illo quoque tempore Bernhardus, ut ab omni populo prædicabatur suis temporibus sacerdotio dignissimus, diem funxit [1454] extremum. Piam famam super his nemo nos vituperet prodidisse, dum veri [1455] periculo non subcumbimus. Audivimus enim a quodam solitario, in spiritu nescio an manifesta visione, animam reginæ et episcopi infinita multitudine [1456] angelorum cum gloria ineffabili cœlos deferre [1457] vidisse. Igitur imperator audita morte matris et filii cæterorumque principalium virorum,— nam et Gero, vir magnus et potens, jam antea defunctus est [1458] (319), — judicavit ab expeditione Fraxaneti [1459] abstinere, et dispositis in Italia rebus, patriam remeare. Pulsavit quoque fama eum, quasi plerique Saxonum rebellare voluissent; quod quia inutile erat, nec relatione [1460] dignum arbitramur. (DCCCCLXXII.) Egressus est itaque [1461] de Italia cum magna gloria, capto rege Longobardorum, superatis Græcis victisque Sarracenis; cum victricibus aliis Galliam ingressus est, inde Germaniam transiturus, et proximum Pascha loco celebri Quidilingaburg [1462] celebraturus, ubi diversarum gentium multitudo conveniens, restitutum patriæ cum filio cum magno gaudio celebrabant [1463]. (DCCCCLXXIII) Manens autem ibi decem et septem non amplius [1464] diebus, descendit inde, ascensionem Domini apud Mersburg [1465] celebraturus. Tristis autem illa [1466] loca perambulat obitu optimi viri ducis Herimanni, qui prudentiæ ac justitiæ miræque vigilantiæ in rebus civilibus et externis, cunctis retro mortalibus [1467] æternam reliquit memoriam. Post susceptos ab Africa [1468] legatos, cum [1469] regio honore et munere visitantes, secum fecit manere. Tertia autem feria ante Pentecosten [1470], locum [1471] devenit qui dicitur Miminlevu [1472]. Proxima nocte juxta morem diluculo de lecto consurgens, nocturnis et matutinis laudibus intererat. Post hæc paululum [1473] requievit. Missarum deinde officiis celebratis, pauperibus juxta morem manus porrexit, paululum gustavit, iterumque in lecto requievit. Cum autem hora esset, processit lætus et hilaris, ad mensam resedit. Peracto ministerio, vespertinis laudibus interfuit. Peracto cantico evangelii [1474], æstuari atque fatigari jam cœpit. Quod cum intellexissent principes circumstantes, sedili eum imposuerunt. Inclinantem [1475] autem caput, quasi jam defecisset, refocillaverunt [1476], expetitoque [1477] sacramento divini corporis ac [1478] sanguinis et accepto, sine gemitu cum magna tranquillitate ultimum spiritum cum divinis [1479] officiis pietati Creatoris omnium tradidit. Transportatur inde in cubiculum; et cum esset jam sero, nuntiatur populo mors ejus. Populus [1480] autem pro ejus laude et gratiarum actione multa locutus, memoravit, eum paterna subjectos rexisse pietate, ab hostibus eos liberasse, superbos hostes Avares, Sarracenos [1481], Danos, Slavos armis vicisse, Italiam subjugasse, delubra deorum in vicinis gentibus destruxisse, templa ministrorumque ordines constituisse; multaque alia

VARIÆ LECTIONES.

[1444] præcedit 3. [1445] *deest* 1. [1446] *deest* 1. [1447] *deest* 1. [1448] cantatricibus 3. [1449] sine munusculis fere 3. [1450] regio 3. [1451] omeri 1. [1452] nichil 1. [1453] redidit 1. [1454] finivit 3. [1455] vero 3. [1456] infinitam multitudinem 3. [1457] deferri 7. [1458] erat 3. [1459] Fraxineti 3. [1460] ratione 3. [1461] itaque est 3. [1462] Quidilingeburg 3. [1463] celebrant 3. [1464] diebus non amplius 3. [1465] mesburg. 1. merseburg. 3. [1466] perambulabat 3. [1467] *hic pergit* 2. [1468] africa 2. aphrica 3. [1469] cum 2. eum cum 7. [1470] pentecostes 1. [1471] loco 3. [1472] Mimileuu 3. [1473] palulum 1. [1474] euuangelii 2. [1475] inclinante 1. [1476] refocilaverunt 1. [1477] *add.* jam. 2. [1478] et 2. 3. [1479] divino 2. [1480] populo 1. [1481] saracenos 1.

NOTÆ.

(317) Cf. Vita Mathildis § 12 et § 6, ubi similia narrantur.

(318) Cf. Vita Math. § 13, ad fin.

(319) D. 19. (Necrol. Fuld.) aut 20 Maii (Thietmar. II, p. 30) 965.

bona invicem conferentes, regali funeri insistebant. A

76. Mane autem jam facto, licet jam olim unctus esset in regem et a beato apostolico designatus in imperatorem, spei unicæ totius ecclesiæ, imperatoris filio, ut in [1482] initio certatim manus dabant, fidem pollicentes et operam suam contra omnes adversarios sacramentis militaribus confirmantes. Igitur ab integro ab omni populo electus in principem, transtulit corpus patris in civitatem, quam ipse magnifice construxit, vocabulo Magathabur [1483]. Itaqu defunctus est Nonis Maii, quarta feria ante Pentecosten, imperator Romanorum, rex gentium, divinarum humanarumque rerum multa ac gloriosa [1484] sæculis relinquens monimenta [1485].

EXPLICIT LIBER III RERUM GESTARUM SAXONICARUM [1486]

VARIÆ LECTIONES.

[1482] *deest* 3. [1483] magadaburg 2 Magdaburg. 3. [1484] religiosa 3. [1485] *in* 3. et 4. *procul dubio ex* 6 *hæc in codd. haud obvia adduntur* : Hujus anno primo, qui est a Dominica incarnatione DCCCCXXXVII Ungari Franciam et Alemanniam et Galliam usque Oceanum Burgundiamque devastantes, per Italiam redierunt. Monasteria sancti Galli et sancti Bonifacii cremantur. Rudolphus rex Burgundiæ, et Arnoldus dux Noricorum obierunt. [1486] *ita* 1. *et* 2.

ANNO DOMINI DCCCCLXXXIII.

JOANNES

ABBAS SANCTI ARNULFI METENSIS.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Fabricium, Bibliotheca med. et inf. Lat.)

JOANNES abbas S. Arnulfi Metis ord. Bened. scriptor *Vitæ Joannis abbatis Gorziensis* a. 962. in Actis Sanctor. tom. III, Febr. 27 pag. 690-715 cum notis Bollandi : et in Mabillonii sæc. V Benedict. p. 369. Idem scriptor post a 951 *Vitæ et translationis duplicis S. Glodesindis* virginis, quæ temporibus Childerici circa a. 608 traditur claruisse. Exstat apud Labbeum T. I. Bibl. novæ mss. pag. 720-740. Et in Actis sanctor. tom. VI, Julii 25, pag. 210, et in Mabillonii Actis Benedictinis sæc. II, pag. 1087, et sæc. IV, pag. 435. Vitam, sed interpolatam ediderat Surius 25 Jul. testatus codices quosdam auctorem habere quemdam Bernardum abbatem, alios Albertum monachum. * Admonuisse juvat scriptorem hunc non quidem ex integro scripsisse Vitam S. Glodesindis, sed ab alio quopiam, forte a Bernardo abbate, vel Alberto monacho datam reformasse, atque additis de suo quibusdam auxisse, uti monent auctores Historiæ litterariæ Gallicæ tom. VI, pag. 423, qui addunt Joannem hunc scriptorem in vivis adhuc egisse anno 977, sicut et anno 984, non amplius inter mortales exstitisse.

VITA SANCTÆ GLODESINDIS (320)

ABBATISSÆ METENSIS

Auctore Joanne abbate sancti Arnulfi Metensis.

(Apud Mabill., Acta SS. ord. S. Bened., Sæc. V, pag. 1087.)

PROLOGUS

1. Multa jam diu prece sanctitatis vestræ, sorores in Christo charissimæ, paulo immoderatius me B perurgente, ne quid vestro denegaram amori id demum effecit : quia quod petebatis, non modo ho-

(320) S. Glodesindis memoria, celebris semper apud Metenses, in antiquis Martyrologiis (si Metenses Fastos excipias) desideratur. Sigebertus monachus in Chron. ad ann. 615 ejus mentionem facit his verbis : « Glodesindis Metensis claret, quæ sponsum fugiens, velamine capitis misso sibi a Deo per angelum, se et sua Deo delegavit. » Ejus monasterium S. *Glosinæ*, truncato (ut fit) nomine, appellatum, sanctimonialibus Benedictinis hactenus addictum intra Metarum urbis mœnia subsistit.

nestum, verum omnino constabat religiosum, idque me recusare cum indignum, tum etiam sentiebam periculosum. Etsi vires aliquantulum reputabam præponderare negotio, rursus animum subibat, quod charitas, quæ non sua, sed quæ proximorum sunt cogit curare, quo difficilioribus ejus causa instatur, eo tum faciliorum successuum novit aditus ministrare. Neque in causa Dei verendum, cum cui res agitur, pro se operando deesse: tantum fide non infirmari contingat. Impellitis itaque, ut sacratissimæ virginis Christi Glodesindis, cui devotis continue adhæretis excubiis, quæ conversationis initia, qui medii actus in finem usque feliciter consummatum exstiterint quantum ex scriptis quæ ad nostram ætatem qualibuscunque litteris adnotata perdurant queam advertere stylo quoquo possibile sit audeam pertentare. Quo tanto tempore tantaque instantia flagitatum, quia indecens videtur obniti, ope ejusdem præstantissimæ virginis Deo spiritu mundo inhærentis virtutibus, tum vestris pariter fretus orationum subsidiis; etsi non sine quodam rubore, uti qui parcitatem proprii perpendam ingenii, non diu per longa moratus exordia ocius narrationi accedam.

INCIPIT VITA.

2. Temporibus Childerici (321) apud historicos celebratissimi regis Francorum, in Gallia Belgica quæ ex gente postea Franciæ nomen mutavit, virgo Domini Glodesindis eximia, satis nobili generis stemmate procreata, patre illustrissimo eodemque duce clarissimo, cui vocabulum Wintro (322), matre Godila luce generositatis on dispari, ab ineuntis ætatis ingressu multa virtutum dote insignis, multisque exemplo in via castitatis futura, vita et moribus clara enituit. Hæc cum in domo parentum quoad puellares annos excederet, integre et sub omni esset educata diligentia : ubi jam tempus quo se dignis natalibus despondi deberet accessit, juveni cuidam nomine Oboleno a parentibus ex more sponsa decernitur : Christo vero se ubique protegente, non minus corpore quam mente servatur intacta. Et (quam semper mira in electis suis Dei miserentis custodia!) cum tempore desponsationis exacto juvenis virginem, ut fit, a parentibus suscepisset, domum cum grandi frequentia nuptias paraturus deducit. Sed quia sancta virgo cœlesti sponso jam corpus et animam suam consecraverat, eodem forte prædicto sponso, consilio utique Divinitatis, jussu regio evocato, palatium juvenis sine mora contendit. Quo cum pervenisset, multis et nefariis ei ingestis sceleribus graviter in eum regalis est incensa severitas. Ita arcta retrusus custodia, annoque integro ibi dignus squalore confectus, eo exacto eductus judiciali damnatus sententia capite detruncatur. Sic virginitas sancta, dum toto nisu carnali oblectationi repugnat, cunctam gloriæ temporalis pompam nihili reputat; Domino Christo quem omnibus labentium rerum præferebat deliciis pro se decertante, ei uni quem semper optaverat, corde inhærens et corpore, læta et victrix de totius jam damno corruptionis triumphat.

3. Nec se quoque adversæ potestatis defecere doli. Pater nece sponsi prioris audita puellam venerabilem rursus cogit ad thalamum. Illa quæ jam sponsum Christum cordis medullis imbiberat, totis nisibus resultare, nec in eam labem virtuti semel fixum animum inductione qualibet inclinare. Die interea nuptiarum ex condicto parentum instante, beata virgo præ ejus specie quem oculis mentis incorruptibilem, immarcessibilem, immortalem conceperat, hunc post paululum putredinem et filium hominis vermem attendens, patre pie contempto, Dei ac sanctæ matris Ecclesiæ confugium petiit. Erat patri soror memorandæ sanctitatis Rotlindis nomine, fama religionis Treveris opinatissima. Ad hanc eam secum abducere tentabat, ut saltem ejus suasu animus puellæ emollitus paternis non recusaret obtemperare consiliis. Sed quid contra lumen æternitatis cæca molitur instantia? Sancta virgo patris jussis animo virili obluctans, urbem populis, potentia, ipsaque sui antiquitate terra marique memorabilem Mettim seu Mediomatricum maluit expetendam. Est in eadem urbe basilica beatissimi protomartyris Stephani, quam multis sæpe operatio divina miraculis illustravit. Hanc ancilla Christi cum jam sibi res prope ad vim spectaret, ingressa, ibi intra altare et confessionem, ubi cum ejusdem martyris sanguine (323) plurimorum continentur sanctorum reliquiæ, se profugam collocavit. O sæclis omnibus castitatis studium merito efferendum! Quo enim fluxa mortalitas natura ipsa quamvis pœnaliter vitiata trahente descendit captiva, hoc puella spiritus vigore se fortiter retinente, quasi immanis præcipitii voraginem exhorrescens, quia alias evadendi aditus sibi obducitur, fugæ solius capit præsidium. Nec sane in sinu egens (*mendum*) aut quicunque de turba erant qui cogerent. Dux certe præpotens pater erat, qui et ipsis terrori locupletibus esset, eumque circumstipantium cohors minax instabat atque terribilis. Sed illa mori paratior quam florem virginitatis et splendorem gloriosæ amittere integritatis, nec minis concussa, nec blanditiis mota, tanquam tutissimo portu manebat interrita. Discant

(321) Legendum *Chilperici*, quanquam auctor in Hist. Translationis S. Glodesindis, regis *Childerici nomen tantum sub opinione appositum* fuisse fatetur, deficientibus aliis notis chronologicis.

(322) Is est Quintrio seu Vuintrio dux Campaniæ, in Fredegarii Scholastici Chron. cap. 14 memoratus, qui rursus cap. 18 *instigante Brunechilde* dicitur *interfectus anno tertio regni Theudeberti*, Childeberti filii, id est anno eræ Christianæ 598.

(323) Donatus in Vita S. Trudonis supra ad ann. 698 in ecclesia S. Stephani *pretiosissimum ejus sanguinem custodiri* affirmat cap. 8.

virgines præsenti exemplo non pulchrum sibi esse maritalibus subjici vinculis, non in possessionum amplitudine, non in servorum ancillarumque gregibus, non in ornamentorum diversi generis apparatu, non in quorumcunque obsequentium cuneis delectari, cum hæc omnia variis sibi casibus non sine multo utique dolore noverint amittenda, nec quidquam eorum se morte omnia prorumpente vel comitari posse, vel sequi : quin potius quæ majus omnibus est species beati pudoris, Deo angelicisque unice chara agminibus, super omnia hæc infima et mundi caduca oblectamenta sui solius voluptate, sanctoque et immaculato allici desiderio.

4. Sed ut cœpta sequamur, parentes puellam fugientem e vestigio insecuti, facto stupentes, iraque incensi, maxime cum sponsalium administri se conquesti delusos acriori instimularentur dolore ; ancillam Christi ex sacro confugii loco, si qua arte valerent, conabantur abstrahere. Fit jugis ante ostium ædis sanctæ pernoctatio, intentaque die noctuque observatio, ut qualibet forte sibi facultate oblata vi abducere properarent. Puella venerabilis spiritu robustiori, animoque se obstinato immobilem tenens, ut sacrosancto adhærebat altari, nulla inde ratione vel puncto temporis aliquatenus quivit avelli, et (mirum dictu !) sex continuis diebus manens in ecclesia, non modo non egressa, sed et omni prorsus cibo abstinet et potu. Verum qui dat escam omni carni, et replet omne animal benedictione, famulam suam humanis frustratam, divinis recreat alimentis, eamque precibus assiduis cœlo intentam angelica duntaxat probatur pavisse refectio. Fide interea tam constanti perseverantiæ suæ remunerationem exigente consolationis divinæ, quæ tandiu contractam nubem mœroris abstergeret, lux repente grata resplenduit. Instante namque jam septima die quæ Dominica erat, ecce vir quidam vultu angelico, sequentibus pueris duobus pulcherrimis sub omnium conspectu advenit, partemque altaris qua virgo sacratissima pudorem tuendo celabatur, recta ingressus, velamine in sanctæ specimen religionis cernentibus cunctis B. virginis caput obnubit. Nec mora, oculis intuentium, cum his quibus apparuit sublatus, magnitudine facti, stupore et miraculo perculit universos, cum terror ipse eos ac si stolidos et mentis vacuæ sic reddidisset, ut neque proloqui, neque unde, aut qui essent qui venerant, possent ediscere.

5. Cum vero post discessum tantæ visionis ad se reversi sanctam virginem eo habitu astantem perspicerent, facile animadvertentes angelicam apparuisse præsentiam, totumque id divinitus factum esse quod viderant, nihil quo ultro resisterent erat. Tantum solo strati, vestigiisque beatæ virginis submissi, jam omni feritatis tumore supplicem in gestum converso, veniam solam pro illatis exorant injuriis. Non erat apud cor cui spiritus pietatis et rex præsidebat mansuetudinis, hic labor difficilis indulgendi : ac repente tanquam nullis læsa, omnibus quæque ea exstiterant posthabitis, in integram cum parentibus et cæteris rediit gratiam. Attendant hic virgines, et castitatis thesauro nihil Deo gratius vel angelis discant familiarius. Virginitati Christus inter omnia adest discrimina, spiritus cœlestes uti sponsæ imperatoris sui famuli devotissimi obsequuntur. Hæc sola immaculata Agnum sequitur ubique immaculatum : quantoque ei adhæret vicinius, tanto ad quælibet postulata auditur velocius. Ecce quam præsto huic ancillæ suæ gratia illa inæstimabilis adfuit. Vere prope Dominus omnibus qui obtriverunt cor, et prope timentes eum salutare ipsius. Quo vero putas ore eam tunc in laudem sui erupisse Creatoris, aut cujus genere vocis hymnum inæstimabili fudisse cum jubilo, cum oculos lucis illius invisibilis tam placide in se dejectos, et aures illas secretissimas voci suæ tam propere cognovit admotas, tamque facili via preces datas effectui, ut angelum sanctum sub ipsis mortalium oculis ad se lætificandum et consolandum præpotenti majestate advenisse gauderet? Prophetica nimirum exsultatione, jam sponsa cœlestis effecta, uti poterat ac dicere : *Induit me Dominus vestimento salutis et indumento justitiæ circumdedit me* (*Isa.* LXI, 10). Itemque voce universalis Ecclesiæ ex utroque sexu collectæ uni capiti suo gratulabunda proclamare : *Sicut sponso imposuit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornamento* (*ibid.*, *juxta LXX*).

6. Beata itaque virgo cum (ut præmissum est) visceribus affluens pietatis cunctos sibi pridem infensos veniæ clementer admisisset, et parentibus deinceps in nullo impatiens placidam se subdidisset ; ad prædictam amitam suam Rothildam magnæ probitatis fama celebrem quam in secundo actu de nuptiis, pudori metuens, non contumaci mente refugerat, jam in gratia percepta non minimum gerens fiduciæ, Treviros sponte contendit. Ibi pro modo conversationis tempore non multo exacto, cunctis jam bonornm studiis morum actuumque statu ad normam cœlestis disciplinæ quidquid divinitus et humanitus æquo competit et honesto plenissime informata, urbem sibi patrociniis divinis amicam Mettim repetiit. Vitæ illico arctioris ingressum, cui jam dudum sanctus ejus spiritus toto desiderio aspirabat, ancillarum Christi se cum grege collecto summa vi atque ope nitens arripuit. Est locus infra mœnia urbis ipsius, jure hereditario tunc parentum possessio, religiosiori institutio admodum opportunus. Hunc sancta virgo divinis usibus dono dari sibi expostulans, nec mora paratissima eorum liberalitate adeptum monasterium puellarum Dei hodie usque insigne pulchro materialiter decore construxit pulchriori nihilominus virtutum robore nobiliter gubernavit : in quo usque ad centenum numerum collegium Christo famulantium adunavit, eique omni vigilanter se dulitate institit gloriosa. Quæ hujus deinceps sancti certaminis conversatio fuerit, qui in omni genere spiritalis incrementi ei profectus quotidiano usu accesserit, sub quo disciplinæ rigore et seipsa com-

presserit, et cæteris superni dux facta itineris, in se quod sequerentur præstiterit, atque ei potius quam sibi vixerit; fide atque arbitratu sanæ intelligentiæ, quam scriptis æstimo commendandum. Consideranti enim attentius, liquido caret quod B. virgo visitationem illam in se tam a supernis jucunde effusam præ oculis cordis continue versans, exterioris operis exsecutionem interiori non disparem servabat fervori.

7. Postquam idem monasterium ad numerum sex illorum dierum, quibus præparationis sanctæ integritatis mirabili illo in ecclesia duraverat jejunio; sex item annos feliciter rexerat, Deo hominibusque grata, vita quoque et signis magnifica; in sanctitatis proposito cursu fideliter consummato, coronam justitiæ perceptura a Domino. Sponsoque diu cupito cœlesti jam socianda in thalamo, immaculata migravit a sæculo (324). Totum præterea hujus spatium mortalitatis triginta annorum cursu eam emensam esse confirmant. Nec sane de ætatis quid plenitudine perquirendum, cum quidquid fructum annosæ senectuti esset accessurum, hoc brevi consummata nihil juventus detraxerit. *Sunt* enim juxta Sapientiam, *cani sensus hominis, et ætas senectutis via immaculata* (*Sap.* IV), Quin potius magno Dei dono justi æterna quiete recepti mundo provide subtrahuntur, ne videntes mala quæ fiunt sub sole, aut internis paululum remorentur deliciis; aut vitiis ipsius mortalitatis, quorum ipse quoque obnoxius est visus, contactu assiduo corrumpantur, attestante hoc eadem Sapientia: *Raptus*, inquit, *ne malitia mutaret sensum ejus, aut fictio deciperet animam illius* (*Ibid*). Funus interea ex consequenti debito honore curatur, et de more a se in eodem monasterio jam inde ab initio instituto corpus ad basilicam sanctorum apostolorum haud longe a mœnibus urbis ad portam meridiem versus effertur, atque ibi in crypta longe inferius demersa ad latus sinistrum deponitur. Nam hoc idem ipsa vivens ut fieret jusserat: eo quod cœmeterium sanctarum puellarum ejusdem loci in prædicta apostolorum ecclesia tunc temporis haberetur: necdum (325) corpus gloriosissimi confessoris Christi Arnulfi, quem post multa exinde tempora magnis vitæ et virtutum ibi constat enituisse insignibus, eadem ecclesia augusto (ut nunc cernitur) tumulo suscepisset. Unde huic loco postea tam propter crebra miracula ejus, quam propter nobilitatem generis ejus nomen inditum, nec præterquam beati ipsius antistitis nomine, ullius alterius sancti apud vulgum ibi notatur memoria. Mansit venerabile pignus per annos circiter viginti et quinque in eodem loco in pace sepultum, spiritu inter præmia æternitatis omni jam temporis mutabilitate subacta ipsi qui vere solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem, adhærente, vitaque eo vere immortaliter, quo immutabiliter, cum ipso perfruente, cui immortalitati, invisibili soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(324) Nempe VIII Kalend. Aug., quo die in Addit. ad Usuardum et in Adonis Martyrologio interpolato ejus memoria celebratur. Atqui quo anno S. Glodesindis obiisse dicenda est? Certe annum 610 haud excessisse videtur. Quippe tricenaria obiit, postquam pater ea semel et iterum nuptiis devoverat. Cum secundis sponsalibus nuntium remisit, viginti circiter annos nata erat vivo adhuc patre, quem anno 698 exstinctum fuisse diximus. Porro S. Glodesindis ante S. Arnulfum anno circa 640 mortuum decessit, uti auctor paulo infra tradit.

(325) Hic locus aliter apud Labbeum legitur; at Suriana lectio præferenda visa est.

HISTORIA

TRANSLATIONIS SANCTÆ GLODESINDIS

ABBATISSÆ METENSIS,

Auctore Joanne abbate sancti Arnulfi Metensis.

(Apud Mabill., Acta SS. Sæc. V. pag. 435.)

MONITUM

Tres leguntur in subjecto libello sanctæ Glodesindis corporis translationes: prima sæculo VIII facta, anno incerto; altera anno 830 per Drogonem episcopum, in cujus epitaphio istius rei memoriam consignatam lego his versibus:

Iste Glodesindis solemniter ossa levavit,
Condigneque loco condidit eximio.

Ad hanc quæ solemnior fuit alias duas revocare visum est, nempe eam quam sæculo VIII factam dixi; et tertiam, quæ anno 951 ab Adalberone episcopo curata est. Omnes sequens libellus commemorat.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. Partibus primis gestorum sacræ virginis, ut dicendi siccitas patiebatur, ex veterum illarum litterarum situ in nova quadam facie Deo miserante reductis, priusquam reliquis expediendis succedam, lectorem, si quis forte hæc in manus post illa sumere non fastidiet, bona venia paucis oratum volo, ne me quasi temerarium et omnibus forsitan seriis vacuum mentis quadam nobilitate ad hæc denotem prorupisse, causasque æquo animo non aspernetur addiscere. In primis quam exordio professus sum, quæque cæteris præponderat flagitatio sanctarum nimium importuna, eademque diutina subegit sororum, in quibus quidpiam denegare offensæ pene videbatur in Deum. Deinde materia tam perspicabilis, quam merito sui præstantissimis quibusque (libere pronuntiaverim) coæquanda, in sui commendationem per seipsa sufficiens, animum in se tota cupiditate convertit. Nec scriptura illa quamvis silenti feratur auctore, viribus rerum aliquid detrahit, cum semine utrique ac si raro aspersa non sterilem usibus nostris in immensum extendendam messem produxerit. Neque enim refert quovis indicio ex quacunque cavernula gemma pulcherrima extrahatur, dummodo avaritiam mortalium usu expleat et decore. Et quoniam tanti pretii margaritam pluribus pretiosis merito præferendam inter vitæ hujus ærumnas multiplices infirmitati nostræ solatium tam efficax divina præstitit pietas, indignum omnimodis judicabam, si ad tantam gratiam linguæ improba et ingrata torperent silentia, ut si non quanto dignum esset eloquii nitore, oratio posset vestiri, nudus saltem sermo præstaret, ne salus, quæ erat in commune, videretur mortalibus intercludi.

2. Non autem certius nos aliquid allaturos hac scripti novitate fatemur, neque enim inactam ordimur rem, cum alienis tantum vestigiis innitamur. Sed quoniam historia illa beatæ virginis simplici, ut forte antiquitas de repente mandavit memoriæ, stylo compacta vulgo solum erat accommoda; considerantes jam Christo propitio plures disciplinarum studiis eminentes, lectionem insulsioris scripturæ non sine quadam nausea fastidire; eorum deliciis nostram operam non incogruum æstimavimus deservire. Fidem ergo gestorum et in priori parte, ut scripta præfata monstrabant, interpretatione fida, ut puto, usque ad obitum beatæ virginis transposuimus et nunc sequentibus deinceps pari nihilominus puritate, Christo Domino nostro prævio, meritisque ipsius sponsæ divinæ faventibus, narrandi ordine eadem vestigia persequemur.

3. Gratum præterea admodum habemus, quod hæc posteriora certiori jam aliquantulum ducunt itinere, temporis maxime notitia, quæ superiores partes nonnihil infuscat, lucidius insignita. Nam excepto prima fronte nomine Childerici (326) regis, et hoc sub opinione apposito per totam exinde narrationem; quid, sub quo rege vel principe gestum sit, ita siletur, ut etiam ipse Childericus, qui in nece sponsi beatæ virginis sententiam ferens reperitur, non satis certos temporis reddat. Hunc siquidem Childericum, si tamen ipse est, fama tantum fert Caroli Senioris non multum superius tempora contigisse, eique adhuc superstite genitorem ipsius Caroli Pippinum prius ducem et majorem domus, ut tunc dicebatur, in regio culmine superductum, nimia illo socordia et inerti demerso ignavia, rebus regendis non solum minus idomeo, sed per omnia prorsus inutili reddito. Hoc utrum sic se habeat, necne non equidem in magno ponam discrimine. Cæterum annales seu historici, quos inspicere potui, præter solam Caroli Vitam, Raganfredum quemdam continent, de cujus manu Carolus principatum sustulit; Childericum unus tantum ille annalis quam brevissime adnotat, et famam supradictam sequitur eo deposito de regno et tonsorato, Pippinum ei superductum. Si tamen is de quo fama jactat, ea ætate fuisse credendus est; quomodo id, quod in præsenti libello reperitur, quod locus cœmeterii sanctimonialium ad sanctos apostolos necdum temporis corpore beati Arnulfi haberetur insignis, possit probari, non satis elucet: cum constet beatum Arnulfum longius multo antequam is Childericus fuisse dicatur, e mundo receptum, et ut sacra gestorum ejus scripta declarant, vixdum anno dormitionis suæ exacte a loco sepulturæ Mettis relatum. Ea utcunque sint quibusque pro arbitratu in medium relinquentes, non multum utique sententiarum pondus hac adimente ambage; quæ restant omnino, Domino conatum juvante, jam persequi contendamus, et translationibus geminis beatæ virginis, quæ successerint virtutum miracula, quæque ad sacratissimam tumuli ejus reverentiam diversorum langorum sint ostensa remedia, officio non minus devoto quam debito explicemus.

NARRATIO TRANSLATIONIS PRIMÆ S. GLODESINDIS.

4 Ut superior narrationis series comprehendit, postquam sacratissimæ virginis corpus intemeratum in basilica sanctorum apostolorum extra muros urbi per annos 254 quieverat, quædam forte religiosa-

(326) Legendum Hilperici, ut in sæculo II admonui, eo nomine primi Childericum Chlodovei II filium ignorasse videtur auctor.

rum supra memorati sanctimonialium cœnobii revelatione divina se testata est fuisse commonitam, uti majori ecclesiæ, quæ erat loco sublimiori, alia adjacens extrinsecus in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ construeretur basilica; cujus modum ipsa revelationis hoc ordine referebat. Videbatur, inquiens, mihi quiescenti beata virgo Domini Glodesindis super murum civitatis stans, lapidem eminus veluti loco designando manu dejicere, meque verbis insuper compellare: Ibi, inquit, ecclesia fabricetur, et quem in locum lapis casu devenit, in eo beatissimæ semper virginis Mariæ erigatur altare. Monstrato denique aliam quamdam in partem latere seorsum: Hic, ait, ostium fiat, quod ex ecclesia majori, hoc est, monasterio, in eamdem pervius novam sororibus aperiatur ingressus. Hoc somno discusso, cum cæteris retulisset, ancipiti diu hæsere consilio, eo quod tunc temporis regiæ tutelæ locus subesset, nec nisi ad eum rogatione perlata tale quid aggrediendi eis suggerebatur fiducia. Itaque re celerrime principi insinuata, eoque auctore in negotio exsequendo, ut visio docuerat, summa facilitate adducto, opus strenue curatur atque perficitur. Edictum insuper regiæ liberalitatis eisdem sanctimonialibus est adjectum, ut eadem nova, quæ condenda esset, basilica cœmeterium sororum denuo solemniter haberet, ac mox in eamdem basilicam corpus sacræ virginis ex loco prioris tumuli venerabiliter referretur humandum. Sic et longitudini itineris, quod funeribus ancillarum Dei urbe (327) exportandis laboriosum cernebatur temperatum, et patrocinium multitudini fidelium est copiosissime divinitus provisum. Nec ex eo tempore jam, ut prius moris erat, vel ad memoratam apostolorum, nunc beati Arnulfi nomine celebrem, vel cæteras circa urbem basilicas cujuslibet earum est funus elatum; sed veluti matri filias ut viventes devotis obsequiis, ita sæculo functas sub tempus glorificationis suæ debita corporis videas adhærere quiete.

5. Fabrica igitur nova ecclesiæ ad summam manum perducta, ad locum sepulcri plebe tota certatim undique accurrente, mira alacritate contenditur, effossaque humo circumjecta, ac lapide monumento subducto, reperiunt sanctam toto adhuc corpore integram, nulla illius tam diutini sepulcralis situs signa in carne monstrantem, sed ac si die eodem esset deposita, gratiam totius corporis referebat. Quæ ibi lætitia, quæ intimi calore gaudii lacrymæ prorumpentes beatam illam de tanta visione tenuerint frequentiam, melius verbis succumbere, quam parum digne dicere, quod utique dicendo minus reddiderim. Nam et si quid forte sermo possit explicare, id multo uberius ea fidelis populi tunc evicerunt obsequia. Tandem incomparabilem thesaurum pia aviditate exceptum cum solemni cœlestis pompa triumphi laudes Deo sacris ordinibus concentu religioso in cœlum tollentibus ad præparatum sibi novæ basilicæ deferunt habitaculum. Ibi sanctimoniales inæstimabili in eam devotione ferventes, corpus beatissimum, tanquam tunc primo vita excessisset, de more ecclesiastico lavant atque exornant. Inter lavandum quædam sanctimonialium longo languore obsessa, vitamque ipsam in ancipiti trahens, spe salutis non frustra præsumpta, ad locum lavacri fiducialiter venit, et faciem sanctæ digito levi tactu compressit. Illico digitum redeuntem sanguis ex facie virginea prodigio mirabili est subsecutus. Omnibus ibi pariter consistentibus, et in exemplum Dominici lateris miraculo stupentibus, cruor isdem palam apparuit. Cumque eadem vix, ut dixi, religiosa femina supremum halitum retineret, repente vires jam morbo exhaustas paulatim sibi redire persensit, et mensibus sex tantæ rei testis postmodum supervixit. Expleto omni pii amoris circa sanctam virginem ministerio, deposuerunt eam item in sarcophago novo, ad dexteram partem altaris sanctæ Dei Genitricis, humoque desuper aggesta, diligenter componunt.

6. Aliquantum postea fluxerat tempus, et ecce nocte quadam cuidam vitæ continentioris feminæ in visu a quodam dicebatur, quod corpus ipsius beatæ virginis mus infra sepulcrum corrumperet, atque id ipso sopore monumentum sibi videbatur aperiri, et murem, qui jam pollicis pedis dextri partem corroserat, ipsa quæ hæc videbat, expelleret. Expergefacta diluculo, rem matri congregationis, cæterisque sororibus narrat. Ad id explorandum ministros sacrorum acciri continuo placuit. Qui de more Christianæ religionis litaniis et oratianibus pro re prosperanda peractis tumulum reverenter aperiunt, et ad certa indicia visionis pollice pedis dextro cruentato reperto, soricem depellentes, et via in reliquum penetrandi obstructa, sepulcrum, ut prius, obcludunt et muniunt.

7. Quievit in eodem loco corpus sacratissimum usque ad tempora imperatoris piissimi Ludovici Carolo famosissimo ac maximo imperatore progeniti, ubi pluribus se frequenter virgo beata publicavit virtutibus, multaque infirmantium curatio sanctitatis ejus et meriti apud Dominum præstantissimi testimonio fuit. Ea quamvis incuria antiquitatis scripto minus sint tradita, memoria tamen ex narratione præcedentium subinde in succedentes transfusa, quæ res omnes vetustate et senio fugientes durabili reparat novitate, semper eam ostensione signorum floruisse non tacet. Quæ autem posteriori ætate, otio jam segniori submoto, litteræ signaverunt, facile insinuant quanta fides præteritis possit haberi, nec minus claris in illo tanti temporis spatio miraculis eam celebrem exstitisse. Frustra autem hæc in commendationem ejus requiri videntur, cum certe id unum tanta præsentia deitatis concessum corpus scilicet per tot annos sine corruptione servatum cuncta exsuperet admiranda, quocunque casu

(327) Cœmeteria olim extra urbes locata erant, etiam sanctimonialium extra cœnobia, ut multis exemplis probari potest.

extra potuerant provenire. Ubi simul datur intelligi in quanta gloria beatæ immortalitatis ejus spiritus illic ubi vere est, totius mutabilitatis expers triumphat, cum hic et illud, quod corruptibile fuerat datum, ingentis meriti viribus ipsa conditioni mortalium jura imposita tam potenti gratia superaverit.

8. Quod utique Dominus ad commendendam gloriam purissimæ castitatis ejus oculis humanis ostendere voluit, ut palam clarescceret, quo præmio apud eum soleat compensari carne præ ejus amore contempta solis ipsius hærere complexibus, quodque virginitas, quæ supra quam jussum est facit, plusquam promissum est meretur. Posse sane ex divino duntaxat munere ante illam generalem corporum resurrectionem carnem hominis cujusdam integram per tempora durare aliquanta, licet pluribus idoneis scriptoribus multa lectio testis defendat, unum tamen in hanc partem sanctum (328) Bedam presbyterum adduxisse sufficiat; qui in historia gentis suæ, quæ jam ecclesiasticis auctoritatibus merito rectæ fidei et sanæ doctrinæ adminiscetur, de beato pontifice Gutperto refert, quod postquam 12 esset annis sepultus, integro corpore sit repertus. Idque plenius in libro de Vita ipsius exsequitur. Simile etiam de quadam miræ sanctitatis reginæ Edeltrude commemorat. Sanctum quoque Patrem Hilarionem Hieronymus non solum carne, sed etiam vestibus intaminatis post aliquantum temporis sepulturæ, a discipulo ejus scribit inventum et sublatum. Cæterum non hac in obfuscationem illius supereminendi et Domini gloriæ singularis de præconio sanctorum attolimus. Christus siquidem naturæ nostræ particeps factus, non culpæ, sicut præ filiis hominum gratia ampliori plenius, vere et naturaliter Dei Filius exstitit Deus; ita caro ejus juxta prophetam paululum in sepulcro requievit in spem resurrectionis quantocius secuturæ; et anima, quæ inferno nullatenus potuit detineri, citius corpus repetente, Sanctus ipse sanctorum, nec in ipsa carne, quam mortalem assumpserat, ullam est corruptionem expertus. Est maxima utrique servorum ac Domini distantia. Ille, ut qui animam, quando vellet, ponendi, et cum vellet, iterum sumendi, solus habuit potestatem, morte sibi sponte admissa, infra brevé tempus claustris sepulcri contentus virtute mox propriæ majestatis mortis legibus fractis victor per se ipse surrexit; sancti vero corpore hoc mortali natura ipsi toti mortales egressi, spiritu ad eum qui illum miserat, revolante, caro lege primi hominis ad terram reducitur. Sed quia mirabili commercio natura utraque carnis ac spiritus concreta, dum in præsenti ad divina se exercet, mutua inter se expendunt operandi officia, ut spiritus per carnem, caro per spiritus bona quælibet operentur, et hæc simul dum vivunt, Christi templum, et quasi quædam arca testamenti divinam servans scientiam habentur; mox ut spiritus ab auctore reposcitur, corpus in quo tot sacrata diu servabantur, vice templi Dei, et arcæ illis sacramentis plenissimæ digne a fidelibus reverendum excipitur et servatur, donec in fine temporalium æterna utraque substantia reddita in unam, ut prius, compaginem, gloria tamen præstantiori, amicis postea nulloque inter se dissidentibus nexibus reparentur. Si ergo bonitas potentiæ Dei, quæ suam sanctam ex virgine carnem nulli corruptioni subdi permisit, sanctorum quorumdam per aliquot tempora gratuito munere servari voluit corpora incorrupta; hæc laus inferiorum nihil illam summe singularem Dei Christi omnium superioris comminuit: quin potius hæc, quæ per se obscurarentur, luce illius immensitatis ornantur. Jam de secunda transpositione seu translatione sacratissimæ virginis ordinem prosequamur, et quantis signorum splendoribus ad consolationem mortalium sponsam suam rex illustravit angelorum, meritis ipsius juvandi cœpti operis termino intendamus.

NARRATIO SECUNDÆ TRANSLATIONIS.

9. Ludovicus imperator, de quo præmisimus, filius Caroli Magni, cognomento Pius, post patris gloriosissime exactum imperium, in nullo inferiori fastigio rerum potiebatur, anno ab obitu patris decimo septimo, cum incarnationis Daminicæ octingentesimus tricesimus ageretur annus, et sedem apostolicam Romæ Gregorius quidam occuparet, qui duobus Eugenio et Valentino festina tunc recens sese morte consequentibus, quorum prior tantum triennum, sequens vix mensem superfuit, successerat, tuncque tertium apostolatus sui annum agebat. Hanc autem sanctam sedem Mettensem Drogo ejusdem imperatoris Ludovici frater jam per annum tuebatur octavum (329), qui etiam vices apostolicas in cunctis Galliarum partibus privilegio ab ipsa sede Romana cum pallii auctoritate et nomine summi (330) archiepiscopatus accepto, ut amplissimæ dignitatis vir sustinebat. Cum igitur ad id usque temporis, corpus beatæ virginis in dexteriore, quam prædiximus, parte altaris basilicæ nova sanctæ Dei Genitricis

(328) Sic lego, non *secundum*, ut apud Labbeum S. Cuthberti Vitam a V. Beda scriptam habens in sæculo II.

(329) Recte; nam Drogonem Mettensi Ecclesiæ anno 823 impositum fuisse testantur Eginhardi Annales. Adso abbas in libro De gestis S. Waldeberti Luxoviensis abbatis refert mortis genus Drogonis, quem Ligone fluvio inter piscandum absorptum fuisse tradit. Obitum ejus v. Id. Decemb. notat Necrologium S. Galli.

(330) Eodem privilegio affecti sunt Chrodegangus, Angilramnus, et Walo, ejusdem sedis episcopi.

humo mansisset reconditum; dispositio illa superna, cui cum omnium quæ condidit, tunc maxime suorum cura exstat præcipua, in ipso quoque corpore ad oculos hominum merita ipsius sacræ virginis, quanti apud se semper existerent, patenter voluit demonstrare. Cœpit enim tunc temporis sepulcrum ipsum de terra se sponte subrigere, et mirum in modum, ita ut nec in terra eadem viciniora tumuli loca apparerent, nec in murali constructione desuper composita. Hujus rei novitas, dum ad notitiam supra memorati pontificis pervenisset, morarum impatiens mox in crastinum fidos ad hoc inspiciendum sacrorum ministros cum archidiacono majore, quem chorepiscopum dicunt, direxit. Qui venientes et cuncta viris, ut relatio pertulerat, approbantes, ad rem continuo certam renuntiant. Episcopus ad hanc relationem de eadem sacratissima virgine, quæ fuerit, quæve ei conversatio vel vita viventi fuerit, quæ utique nondum satis vulgata claruerant, sollicitius disquirit.

10. Ubi cuncta ex ordine ab ipsis qui vivam ipsam in corpore videre potuerant, quorum pars multa adhuc supererat, didicit, gaudio misto admirationi non minimum percitus, ac divino nescio quo nutu impulsus, ad hoc hortatu addito plurimorum, de ea sublevanda ocius capit consilium. Ne cui autem incredibile videatur ejus temporis aliquos tunc esse potuisse superstites, chronica a tempore Childerici regis ex Pippino per Carolum in Ludovicum deducta, facili id probat indicio, quæ utique non multum super octogesimum reperitur annum : idque tempus ætate unius hominis non difficile durare convincitur. Antistes igitur reverentissimus cum sacra clericorum ac populorum frequentia, ad locum per semetipsum accedens, religiosis votorum supplicationibus ritu solemni præmissis, patefacto sepulcro, ipse propriis ulnis miro, et supra quam credi possit, religioso in eam fervens officio, sancta virginalia membra, quæ utique tota adhuc compage integre tenebantur, e tumulo sublevat, et feretro impositam, laudes Deo, gloriam Christo, totis certatim turbarum et populorum agminibus personantibus, ad majorem ingenti triumpho basilicam perferunt. Est ipsa basilica major, quæ adhuc cernitur, paulo a muro civitatis disjuncta : in cujus fronte orientali foris murum urbis, illa nova, de qua supra exposuimus, sanctæ Dei Genitris exstiterat ad cœmeterium puellarum exstructa. Ipsa autem major basilica antiquo ab initio (331) nomine et honore sancti Sulpicii Biturici episcopi et confessoris sacrata habebatur. Ipsa est, quam beata virgo, dum viveret, a parentibus suis ad usus divinos prædio concesso jactis fundamentis monasterium instituerat. Edicta quoque publica de possessionibus ejusdem monasterii in cunctis scriptis, vel polypticis, vetusto stylo et calamo edictis, nomen ipsius beati Sulpicii continent, et tota ratio juris hæreditarii ipsius loci rerumque supputatio, quam abbatiam dicunt, ejus nomine appellatur. Dicitur tamen et nomine sanctæ Dei Genitricis, addito etiam beati Petri apostoli, aram ipsam majorem simul cum ipso confessore esse dicatam. In hac ergo basilica, sarcophago novo post sacrum altare venerabiliter præparato, sanctum et pretiosissimum pignus honore et cultu, quo ampliori valuerunt, diligentissime collocarunt.

11. Mirabilia mox per virtutem Christi tam jucunda et salutaria illic cœperunt clarescere, ut quanti virginei meriti gloria apud Deum constare crederetur, ad hæc ipsa nostra, id est humana judicia, certioribus ipse Dominus comprobare dignaretur præconiis. In quibus corporaliter quoque non desinit adimplere quod per virum Dei in libro Regem loquentem ad Heli protestatur: *Quicumque*, inquiens, *honorificaverit me, honorabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles* (*I Reg.* II, 30) Quia enim hæc sancta el sæpe dicenda sancta puella, Dominum in suo corpore juxta Apostolum glorificavit, et reverenter amore virginitatis portavit; ideo gratia copiosor, ut jam de illa immensi ponderis cœlesti taceamus mercede, etiam in hac mortalitate eam et manentem in corpore est comitata, et exstincta nunc ipsa illius membra ingenti honore prosequitur. Contemptoribus autem Dei et conculcantibus ea quæ sancta sunt, et qui juxta Sapientiam videntes justos, et non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia, illa quæ in eodem libro contexuntur jure conveniunt. *Condemnat autem justus mortuus vivos impios* (*Sap.* IV, 16). Et paulo post : *Post hæc erunt decidentes sine honore et in contumelia inter mortuos in perpetuum.*

12. Verum de ipsis signorum virtutibus jam plenius disseramus. Feretro, ut superiora retulerunt, ex sepulcro priore imposita, priusquam altero reconderetur sepulcro, quidam ex multo jam tempore cæcus, nec ultra in reliquum videndi sperans subsidia, ad feretrum subito spe meliori animatus accessit. Nec mora, ope sacratissimæ virginis desperatum diu lumen perfecte recepit. Item mulierquædam multorum similiter annorum cæcitate tabescens, sub ipsa fere hora ibidem per gratiam Christi illuminata est.

13. Postquam vero tumulo sacra sunt membra recondita, quædam simili modo longa luminis amissione multata, ut signa, quæ Dominus per merita beatæ virginis operabatur, quæque fama veloci jam totam commoverant urbem, audivit, quanta potuit celeritate ad sanctum sepulcrum contendit : ubi divinum per famulam ipsius humo porrecta implorans auxilium, dum aliquot ibidem excubat noctes, quæsitum tandem integre lumen adepta est.

(331) An S. Sulpicii nomine primitus insignita sit ea basilica, non immerito dubitari potest, cum S. Sulpicius Bituricensis episcopus, eo nomine primus, Glodesindis æqualis fuerit, secundum epocham de Glodesindis ætate a me præstitutam. Certe potius S. Petri nomen ab initio tulisse videtur ista ecclesia, cui postea patronus accessit S. Sulpicius Bituricensis episcopus, primus an secundus.

14. Sub idem tempus feminæ tres febribus nimiis ex diutissime tracto languore omnibus pene membris exbaustæ, quæ in vana medicorum cura multoties sibi frustra adhibita, censu pauperum perdito, et onus geminaverant paupertatis, et remedii nihil omnino attulerant; audita relatione ingentium mirabilium, ad virginis sanctæ sepulcrum se fide non cassa propere contulerunt. Hæ mox ut limina ædis sanctæ contingerunt, virgine in sui auxilium precibus credulis invocata, integerrimam membris omnibus recuperaverunt salutem. Et in quo avaritia semper, curationum carnalium comes, illa suæ, qua in miserorum corpora vel opes desævit, artis expensa potentia, tota defecerat: fides sola, quæ gratis cuncta ferre consuevit, quod suum est, solita velocitate restituit.

15. Alia item femina morbo adeo gravissimo longissimæ ægritudinis lecto decubans tenebatur, ut solo spiritu tantum superesset, cui quidquid humana adhibuerat manus, frustra totum id fuerat: quia etiam ipsa spe salutem sibi ultra posse restitui jam penitus deserebatur. Hæc, quo nescitur instinctu, nisi forte ut post satis claruit, Deo cui suorum omnium cura est, inspirante, qui eam ex hujusmodi fovea desperationis gratuita bonitate sua eximere voluit, et fomentum boni operis, quamvis tenuiter in ea accensum, non prorsus patiebatur exstingui, ad limina sacri monasterii inter manus se ferri fecit: quæ ubi jam septum seu atrium, quo monasterium ambiebatur, ingressa est, gratia omnipotenti Deo voce, qua valuit, agere cœpit; quia quod nunquam sperare potuerat, sed nec aliquando fieri posse credebat, illuc se divina misericordia venire concesserit. Cum vero portas sanctæ basilicæ primis attingere cœpisset vestigiis, paulatim languore mitigato se convalescere; quantoque proprior sacrosancto corpori accedebat, tanto longius ægritudinem a se removeri, et melius subinde sibi vires et sospitatem sentiebat succrescere. Deinde cum ipsa sui ipsius quodam miraculo stupens, huc illucque quasi spatiabunda basilicam obambulare cœpisset, et gratias vocibus apertis non modicas resonaret; post modicum ad sacri tumuli pavimenta supplicatura prosternitur. Ibi enixius oratione profusa, et aliquandiu inter altare et sepulcrum pernoctans, paucis post diebus integre sanitati est restituta, ut illius diutini et desperati languoris nulla in se indicia senserit resedisse.

16. Die quadam sanctimonialibus rem divinam in ecclesia agentibus, mulier ignota, oculis capta, alia quadam sibi manuductum præbente, in conspectu earumdem puellarum Dei psallentium, ad gradus usque, quibus ad altare conscenditur, pervenit. Quos ubi prætergressa, propius altare sola tunc ipsa concessit, palpebris, quæ longo et tenaci situ diu hærebant occlusæ, in aliis quantulum lumen percipiendum repetente divisis, ignotam quadam se ducere mirata conspexit; subitoque clamore emisso, suam quæ solito sibi dabat manum, cœpit inquirere. Qua divinitus forte subducta nusquam accurrente, ab ipsa ignota, quam sub dubia adhuc luce vix cernere poterat, usque ad sepulcrum virginis, parte quæ caput respicit, est perducta. Ibi orationi prostrata, ubi surgens tremebunda et stupida e regione tumuli constitit, pro sepulcro ipso nubem quamdam sibi apparere putabat; et mirabatur quod nubes, quæ altius iu aere ferri consueverunt, tam vicinæ tunc terram tangere videbantur. Sensim deinde ei lux clarius magis ac magis cœpit infundi, donec caligine tota oculis submota certo et vero intuitu, quia sepulcrum esset, quod præ oculis situm habebat, plane cognosceret. Tunc ubi esset, vel qualiter illuc advenisset, attonita, nihilque circa se quod recognosceret videns, anxia hærebat et stupens; et quod adhuc pavorem augeret, jam nec ipsam ignotam personam, quam se paulo ante præcedere, et illuc adduxisse mirabatur, ultra videre prævaluit. Dum ergo in hoc mœrore diu contabesceret, tandem ad se reversa, beatam Glodesindem sibi apparuisse, et se illuc perduxisse, ac suis meritis lumen sibi recuperasse, certissime cognovit, atque in gratiarum actionem prorumpens, jamque clare omnia cernens, Dominum et sanctam virginem publicis vocibus collaudabat, nec jam ulterius duce indigens, viam libere quaquaversum exultans ingreditur.

17. Non multis hinc exactis diebus, rursus alia multi item temporis cæca ad tumbam sanctam deducitur, illucque cum cæteris languentium turbis illic excubantium per totam noctem divinum cum precibus præstolans subsidium, matutinali officio de more ab ancillis Dei peracto, vidit sibi beatam virginem propius accessisse, et digitis propriis oculorum palpebras, quasi violenter ab invicem separare. Nec mora, puro lumine reddita, meritis virginis sacræ plurimis postea annis testis superfuit.

16. Quidam præterea mirabili narium horrore graviter spirans, ita ut ne eminus quidem ei a quoquam facilis esset accessio, in quo cura a diversis mederi cupientibus ei sæpe adhibita, vane per omnia cesserat, ut rumorem longe lateque currentium gaudiorum, quæ in Mettensi civitate ad memoratum monasterium per gloriosi meriti virginem Glodesindem fiebant, audivit, illuc festinus accurrere studuit. Quo postquam pervenit, et ecclesiam ingredi visus est, omnes nimio ex naribus prodeunte offensi fœtore, fugere ab eo in diversa cœpere. Ille quem anxii doloris causa præsens monebat, et pœnam suam secum circumferens se fugere ipse non poterat, pudorem hominum necessitate devincens, et de eo, qui leprosorum et cruore fluentium contactum non sprevit, et morbos atque infirmitates miserorum curare descendit, nullatenus diffisus, ad sepulcrum omnibus salutare cum cæteris infirmis processit, ibique lucernam, votum sanctorum manu protendens, et pro salutis suæ recuperatione enixius supplicans, misericordiæ cœlestis exspectabat adventum. Nec prius a fidei suæ instantia destitit, quam ope ingentis meriti virginis, illa omni obsceni odo-

[illegible] de carcere, et [illegible] frequentia, et [illegible] salutationum et [illegible]num [illegible] fruretur.

18. Item [illegible] in reliquum visus retinens potiendi, divinitus, ut æstimatur, commonita monasterium petiit. Quæ ecclesiam [illegible] plurimi [illegible], audiret, [illegible] in auxilium sui [illegible] eadem, itemque nomine ingeminans invocabat. Deumque sibi peccatrici propitium fieri precabatur. Mox virtutis supernæ largitate luce recepta, læta discessit.

19. Et ne singulis quibusque [illegible] immorati tædiosi, et ob hoc merito refugiendi scriptoris culpam incurrisse videamur, si quid memorabilius duntaxat exstiterit, quam succincte notato, turbam curatorum in numerum quemdam redegisse suffecerit. Ordinem sane, ut sibi subinde operatio virtutum successit, quoquam cavemus invertere; sed sicut scriptura ipsa veterior retulit, quæ utique unamquamcunque narrationem juxta ordinem temporis ita antecedenti subtexuit, ut quod prius factum sit, prius scriberet, et quod deinde mox est subsecutum, e vestigio redderet; sicque usque ad certum tempus serie totius catalogi texeretur, licet fidi interpretis vitio denotandi, per omnia sequimur.

20. Quinque ibi feminæ, diutina olim cæcitate multatæ, Christo Domino illuminante ad gloriam et commendationem sacratissimæ virginis diu desiderati luminis gratiam receperunt. Exinde mulier quædam per tres eatenus annos pedem utrumque et manum unam gerens distortam, auditis tot mirabilibus, illo ocius se ferre rogavit, allataque pavimento sepulcri prostrata, fletuque multo et precibus se ob peccata propria hæc pertulisse testata, tandem in commendationem piæ et recte actæ virginitatis, in conspectu multorum circumstantium directa in integrum perfectæ sanitatis officium, discessit incolumis.

21. Septem post hanc, mares tres, feminæ, quatuor, tenebris oculorum jamdudum damnati, ad laudem clarissimæ virginis, et semper lumine æternitatis splendentis, luci videndæ sunt restituti.

22. Parum est circa præsentiam ejus sacratissimi corporis crebras factas esse virtutes, absentes quoque nomine ejus invocato per gratiam Christi, qui in omni parte mundi cum sanctis suis et manet et operatur, plurima sibi adfuisse sensere subsidia, quod vel ex his, quæ licet exigua subjicimus, colliquebit.

23. Clericus monasterii ipsius vicem officii ecclesiastici in ordine proprio administrans, cui nomen Fulgubertus erat, fluvium civitati a parte orientali [illegible], qui S[illegible] (*la Selle*) dicitur, [illegible] [illegible] trajicere gestiebat, qui ubi ripæ accurrens navigium nusquam vidit adesse, diu si quis forte quacunque ex parte fluminis adveniret, operiebatur. Hac exspectatione, ut fit, tandem defatigatus, humoque paululum reclinatus, somno corripitur; experrectus, nec quid etiam tum ad trajiciendum spectans consilii, dum jam semetipsum morarum, quas sibi tandiu frustra insumpsisset, accusans, [illegible] recedere, repente [illegible] sanctam virginem nomine inclamare. Postquam vocem aliquot intra se momenta sustinuit, et ecce respiciens navim sibi in loco littoris, quo stabat, ex improviso videt assistere, quæ quo ordine absque humano ministerio adducta sit, cum omnino non posset conjicere, divinum tantummodo opus, cui omnia famulantur, et merita sacræ virginis, quam invocasset, sibi id certum tenuit præstitisse. Stupensque hoc tanto miraculo, et gratias, ut per erat, immensas omnipotenti Deo sanctæque virgini reddens, fluvium, ut desideraverat, transit. Hucusque tam ingentis facti ipse post fideilis relator sancte juratus asseruit nihil se confinxisse, sed, ut sibi vere contigerat, fideliter enarrare.

24. Pauper quidam longe ab urbe commanens, qui vitam arte tantum piscatoria tuebatur, die quadam ut monasterium prædictæ virginis adiret, mente concepit. Qui simplicitate rustica, non tamen improbanda, vacuus illuc procedere nolens, quia aliud forte sibi non suberat, flumen petere, piscemque, si quis forsitan occurreret, ferre disponit. Mox navicula conscensa, jacto recte piscem præter spem involvit non modicum; dumque littus tenere deproperat, ocius piscis ex recte violenter eluctatus in flumen elabitur. Hic rusticus vehementer animo consternatus, voce lacrymabili: Sancta, inquit, Glodesindis, redde quod tibi ferre disposui. Hoc dicto, rursus rete flumini merso, idem qui prius piscis præda fugitiva concluditur, votumque, ut mente decreverat, monasterio delatum et redditum.

25. In curatione vexatorum non minori gratia sanctam hanc meritis potentibus prævalere plurima prodidere frequentius documenta, quibus hæc fidem facere vel sola sufficiant.

26. Rustico, de quo prædiximus, piscem votum ferente et abeunte, sub ipso fere articulo temporis in loco eodem faber quidam imperatorius de villo Judicio (332) advenit. Hic jam per annos undecim graviter dæmone agitatus, multa sanctorum martyrum loca etiam in longinquiora Franciæ ad sanctum Sebastianum Suessionis, cujus non multo ante idem temporis reliquiæ ab urbe Roma illuc dicebantur delatæ et apud sanctum Medardum reconditæ; seu ad sanctum Quintinum Viromandis, atque sanctum Dionysium Pari-

(332) Locum hunc notavit Jacobus Sirmundus in notis ad capitulare II Caroli Calvi, ubi Judicium, vulgo *Judiz* vocari scribit, situm haud procul a Theodonis villa.

sius (333), multorumque præterea sanctorum memorias spe recuperandæ salutis circuierat: sed ejus curatio divino quodam arcano, non per impotentiam sanctorum differebatur, sed huic sanctæ virgini, cum qua manus Domini tam efficaciter operabatur, certissime est reservata. Huic quoque carnalis medicinæ industria, si qua posset arte succurrere, multa vane remedia adhibere conata est, nihilque opis prorsus attulerat. Tandem Dominus volens apertius demonstrare frustra eum tot in longinqua toties expetisse subsidia, cum de proximo velocior ei salus posset occurrere, ut de miraculorum tanta, quæ ad sepulcrum reverentissimæ virginis Glodesindis fiebant, audivit frequentia, Mettis quam celerrime potuit, pervenit, atque basilicam beatæ virginis ingressus, penes tumbam ipsius se collocavit. Ubi cum aliquandiu jacuisset, impurus ille ac teterrimus spiritus præsentiam tantæ sanctitatis non ferens, nihil deinde viris in homine possidens, violenter pulsus abscessit.

27. Post hunc multus quidam ab infantia illuc accedens repente ante corpus sacratissimum absolutissimam oris libertatem est consecutus. Eodem modo et mulier itidem, ex quo nata est, muta, virtute virginis loquelam ibidem recepit. Item femina quædam dæmone diu atrociter captivata illuc deveniens adversario depulso, sui compos atque integra mente regressa est. Claudus quidam ex villa Lauriaco in loco eodem potenti virtute virginis pedes, quos valida tabes distorserat, in usum libere gradiendi directos recepit. Mulier ab annis plurimis cæca, de villa Arcuntiaco, aliquo tempore ad sanctum sepulcrum cum infirmis cæteris excubans non post multum temporis luce donata est. Similiter et aliæ duæ cæcitate damnatæ gratiam diu amissi luminis per beatam virginem receperunt.

28. Multa præter hæc et pene innumerabilia apud ejus perpetua virginitate beatissimum corpus ex tempore memorati Drogonis archiepiscopi per annos circiter sexaginta sub præsulatu Adventii eidem succedentis episcopi, imperantibus Lothario seniore, et post eum Lothario juniore, sunt ostensa miracula, usque ad tempora Walonis, qui præfato Adventio successit, quæ ex incuria scripto non sunt commendata. Quæ vero sub ipso Walone, vel successore ipsius Rotberto, sunt gesta, ordo subsequens declarabit.

29. Antequam ad reliqua progrediamur, quando res ita monet, et se occasio præbuit de memoratis primis duobus se subinde consequentibus episcopis, sed et de statu temporum aliqua breviter adnotanda putavimus, ea præcipue causa, quod alterius eorum, id est, Adventii, temporibus, monasterio hujus sanctæ, virginis plurima regali munificentia sunt collata beneficia, regisque Lotharii Junioris edicta testamentalia penes ipsas ancillas Dei usque hodie manent, quæ suasu conjugis suæ Teutbergæ reginæ, interveniente eodem Adventio episcopo, eis et de noviter datis, et de antiquioribus restitutis, sive etiam de immunitatibus ejusdem monasterii regia auctoritate constant liberalissime attributa. Nam et ipsa Teutberga regina loci ipsius regimen tunc tenebat, quæ etiam ibi quiescit; sed et quis iste Lotharius fuerit, et ex occasione ejus aliqua supra repetere non ingratum esse lectori arbitramur, ut ex notitia temporum validiores narrationi vires accrescant. Hic est Lotharius junior filius illius Lotharii senioris ex Ludovico Pio geniti, qui post mortem ipsius piæ memoriæ patris sui diutina dissensione cum fratribus suis Ludovico Germanorum rege et Carolo, qui post imperator factus est, cupiditate imperii habita, tandem gravibus et intestinis odiis funesto ritu inter se longe prius protractis, in pago Autissiodorensi loco, qui dicitur Fontanetum, prælio atrocissimo, et absque exemplo cruentissimo, cæde miserabili conflixerunt, adjuncto eis Pippino Aquitanorum rege. Pace tamen post inter eos facta, divisoque regno, hæc pars Franciæ, quæ Rheno et Mosella limitatur, additis pro consensu et firmitate pacis quibusdam civitatibus et regalibus abbatiis ultra citraque, eidem Lothario cessit, ejusque exinde in id usque temporis nomine regnum Lotharii appellatur. Ipse non multo post cuncti sæculi rebus sponte abjectis, monachum in Prumia monasterio professus, ibidem quievit, ubi et sepulcrum ejus celebre usque habetur. Successit eidem filius et æquivocus hic junior Lotharius, de quo fama satis dolenda vulgatur, odio Teutbergæ hujus quam diximus, reginæ, et illicita superductione Waldradæ. Quæ miserabilis species facti cum faciem rerum luctuoso fœdasset exemplo, totum pene orbem in sui commovit invidiam. Nam et quod multo amplius expavescendum, primarum sedium antistites Tietgaudus Treverensis et Gonterus Coloniensis hujus exsecrandi connubii assentatores, cum viderentur sapientes esse ingenio, et litteris divine humaneque eruditi, insipientiæ deterrimi sunt facti fautores. Unde a papa Nicolao Romam evocati et ante sacratissimum corpus beati Petri synodo, tam Italiæ pene totius, quam et pluribus Galliarum episcopis congregata auditi, et culpam prætextu conjugii ornare diu conati, tandem fraude captiosa, qua capere se alios arbitrabantur, ipsi capti, papa Nicolao cunctis assentientibus damnati, et gradibus sunt ecclesiasticis multati; rex quoque cum Waldrada et cunctis ejus scandalis participantibus pariter anathematizati. Et, ut multo ad alia tendens prætercam, qualiter ipse Gonterus factum suum tuens, in papam ipsum publice multis invectus, injusto se judicio alligatum testatus sit, et ut parvipendens apostoli-

(333) Id est, in agro Parisiensi. Sic veteres nonnunquam loquebantur, ut notavit eruditus vir Hadrianus Valerius in Disceptatione de basilicis, capp. 8 et 9, et in Defensionis parte posteriori capp. 5 et 6. Idem legitur in Vita Adalberonis Mettensis episcopi, qui donaria multa S. Dionysio Parisius, id est, monasterio S. Dionysii, quod quinto ab urbe Parisiorum lapide distat, transmisisse perhibetur.

cam censuram, domum nec venia petita, nec impetrata reversus, missas, et in die sacrosanctæ cœnæ absolutionem et chrismatis actionem victus peregerit. Hoc tantum in terrorem eorum, si qui forte talium unquam erunt participes, dixisse sufficiat, quod socius ejus Tietgaudus Treverensis peregre Romæ excommunicatus interiit. Lotharius rex, licet correctionem promiserit, et reginam Teuthergam in honore suo, ut videbatur, receperit; post tamen Romam veniens a papa super fide conjugis requisitus, et metu culpam inficiatus, ea conditione, si vera fateretur, missas a domno papa in sancto Anastasio audivit, et corpus Dominicum de manu ejus infelix præsumpsit. Inde patriam repetens, repente miserrima clade suorum pene in ipsis Romæ portis exorta, nec mora, nec requies morientium erat, donec tandem dum ocius festinat, jam fere omnibus suis assumptis, Placentiam usque cum paucis pervenit : ubi circa horam nonam cum incolumis resideret repente percussus obmutuit, et mane morte misera, bili defunctus ibi in quadam vilissimi operis basilica est obrutus. Ejus morte Adventius episcopus cognita, nuntium ocius Carolo regi Franciæ occidentalis dirigit, eumque Metim deductum, associato sibi Hincmaro Remorum archiepiscopo; corona secunda, præter eam, quam habuerat, in ecclesia beati Stephani, quæ dicitur domus episcopii, capiti iterato imposita, regem super duo regna constituit. Hæc, ut episcopi cujus mentio facta fuerat tempus magis claresceret, paucis inserta sunt.

Huic Adventio successit, ut diximus. Walo episcopus, quo tempore Berthulfus Treveris præerat archiepiscopus, ipso adhuc Carolo superstite, et Joanne quodam universale nomen papæ tenente, a quo et ipse Walo pallium promeruit. Qui Walo, dum vix septem annis ecclesiam rexisset, excursione Nortmannorum, postquam plures Galliarum partes pervagata fuerat, usque Treviros accedente, dum eis incaute manuque impari congredi parat, usque ad locum, qui dicitur Remicha, in littore Mosellæ, obviam venit Nortmannis impetum minaciter facientibus: dum his nullæ ad resistendum suppetunt vires, non prælium jam illud, sed strages miserorum fuit, ibi episcopus cum cæteris obtruncatur. Corpus post cladem Metim relatum, et in basilica sancti Salvatoris, quam ipse in sepulcrum sibi pridem a fundamentis exstruxerat, sepultum. Hujus igitur temporibus jamjamque obitu ipsius imminente, luctiferum quid monstro ipso præsagante, a parte sepulcri sacræ virginis, quæ pedes respicit, oleum non phantasticum, sed verum, dictu mirabile ! visum est emanasse. Hoc non modo ipsis sanctimonialibus vel æditui, qui noctu atque interdiu sacri sepulcri adhærebant excubiis, verum toti urbi perclaruit. Viderit quisque in quam partem hoc interpretari velit. Illud certe multorum et visus probavit et tactus ; diuque ita emanans ille liquor effluxit, ut specie et usu oleum palpabile repræsentaret, et a parte pedum ad capitis usque confinia sepulcrum madefaceret, et (quod magis stupeas) vase exceptum diutius postea est servatum, multique pro diververis incommodis eo tacti et uncti vera retulerunt remedia. Opinio vulgi erat, et quibusdam revelationibus sibi plures ostensum esse dicebant, lacrymas eas sanctæ virginis esse, quibus imminente urbis interitu, iram Domini avertere laborabat. Non usquequaque error damnandus, qui licet et ex simplici mente descendens, nonnihil tamen intelligentiæ perspicitur continere : siquidem oleum figuram misericordiæ, lacrymæ motum exprimunt indulgentiæ. Etsi enim in illa summæ lætitiæ civitate dolor nullus, nullæ omnino sint lacrymæ, ubi absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum ; non incongrue tamen Dominus oculis humanis hujusmodi speciem ostendere voluit, per quam prudens quisque colligeret, qua suavitate, quove lumine in conspectu claritatis Dei anima illa sancta gauderet, cujus hic exstinctus cinis tam jucundo cordibus et pulcherrimo oculis mysterio resplenderet. Exitus tamen rerum edocuit, quid beata virgo in occulto pro civitate obtinuerit, cum eam ita periculo proximam a barbarorum infestatione, et si non lacrymis, certe precibus virginis inenarrabilibus Christus inenarrabiliter flexus immunem reddiderit.

30. Sub eo etiam, qui huic post annum subrogatus est, episcopo Ruotperto gentis Alemannorum viro clarissimo, olei similiter emanatio ex ipso sacro sepulcro frequentius visa est profluxisse, ut a latere monumenti longius in rivum per pavimentum decurreret. Hoc ab ancillis Dei spongia collectum, et vase vitreo dum impleretur destrictum, super sanctum sepulcrum est reverenter appensum ; de quo, ut prædictum est, plures sibi remedia præsumpserunt.

31. Et ut non vani quid simile hoc æstimari daretur, illud palam cunctis et tunc temporis factum est, et per multorum ora, qui viderant, exinde ad nos usque cucurrit, quod ibi ex ipso oleo contigit. Erat sanctæ ædis illius custos, nomine Doda, quam una sororum, cujus curæ erat oratorium quoddam sanctæ crucis infra septa ipsius monasterii, importune rogavit, ut vas vitreum, quod oleum illud divinum continebat, sibi ad idem curæ suæ oratorium, quasi majori reverentia a se ibi servandum tribueret. Quæ dum levitate admodum temeraria manum super sepulcrum, quo vas appensum meminerat, porrexisset, ut poscenti daret, nusquam invenit. Mirata et tremens, dum item itemque palpando sollicitius exploraret, nec sentire ullo modo posset, cum tamen ibidem vas idem ut positum fuerat dependeret, ridiculo satis diludebatur errore. Cum cæteras advocasset, ipsæque similiter cum ea diutius errabundæ præ oculis semper haberent, nec viderint ; lucerna adhibita circa sepulcrum huc illucque vana indagine perquirebant : tandem postquam satis jam ludibrio hujuscemodi sunt fatigatæ, vix aliquando contingere potuerunt depositum. Partem ipsius liquoris eadem custos sibi præsumens, fratri suo

viro religioso presbytero Angelerio ad ecclesiam sancti Salvatoris in eadem urbe pro reliquiis munere misit, vas ipsum cum reliqua parte petenti sociæ tribuit, et oratorio supra dicto ab ipsa est deportatum. Mox ipsa custos temeraria pro tam improbo ausu amentia se satis digna pœna corripitur; nec prius medelam consequi potuit, quam ex utrisque, quibus largitio illa inepta fuerat facta, quod illicite datum erat, reciperetur, et loco suo super sepulcrum, ut prius, integre reponeretur: nam mox ut id factum est, vix spatio duarum horarum intercedente sanæ mentis et plenissimi sensus effecta est. Ex eodem postea, ut dictum est, oleo plures caput, oculos vel cætera loca corporis dolentes dum contingerent, meritis sanctæ virginis sæpissime se recreatos et perfecte senserunt curatos.

32. Multa præterea temporibus ejusdem Rotberti episcopi, nec minora, superioribus ad idem sacrosanctum sepulcrum Dominus Jesus Christus est operari dignatus miracula, ex quibus subsequens stylus expedire aliqua tentabit eo securius, quo multos, qui his interfuerunt, nostra ætate superfuisse certo comperimus, quos in idoneum testimonium advocatos nemo est qui possit refellere. Ex ipsa quoque curatorum turba nonnulli hæc ipsa nostra tempora attigerunt.

33. Mulier, cui Hildigardi nomen erat, annis octo oculorum luce privata, spe non cassa, salutiferum sepulcrum expetiit. Ibi nocte in excubiis permanens, antequam dilucesceret, miseratione divina virgine intercedente, nihil noctis obstantibus tenebrrs, lumine puro donata est. Item adolescens cæcus, dum aliquandiu infra basilicam visitationem supernam exspectaret, meritis virginis visum perfecte recepit. Femina, nomine Osa, quinquennio clauda, illuc se rogans deferri, mensibus sex ibidem languida jacens, divinum indeficientibus animis præstolabatur auxilium: nec prius a fidei suæ instantia destitit, quam mercedem fidelis perseverantiæ, soliditatem omnium membrorum perciperet, pedibusque propriis gaudens rediret, quæ manibus alienis illuc allata fuit.

34. Quidam similiter claudus vespertino aliquando tempore grabato deportatus, et pro foribus basilicæ positus, dum copiam sibi ea nocte intra ædem sanctam quiescendi deprecaretur, nec obtinere valuisset, ibi ante januam fide non vacua usque in lucem pernoctat. Ecce autem mane subito viribus validioribus accedentibus, miro celerique quodam saltu lecto excussus relicto in loco eodem grabato, gradu directo ad tumulum sanctum processit clare et palam virginem sanctam Glodesindem divino auxilio auctorem suæ sospitatis proclamans, et gratias quanto prævalebat referens ampliores, vocibus magnis Dei sanctæque virginis glorificabat clementiam.

35. Alius item infirmus et omni virtute corporis destitutus, cum aliquandiu in ipso sancto loco opem sui præstolaretur, quadam die sopore correptus obdormisset, videt sibi in somnis beatam virginem assistentem et cum quodam imperio jubere ut surgeret, et his qui tunc forte pavimento instabant, operator ipse conjungeretur, opusque ipsum perfici adjuvaret. Statim experrectus, et nihil pristinæ debilitatis in se recognoscens, lætus exsiliit, et ut jussus fuerat, mirantibus universis ad opus accessit, nulloque segnior in operando apparuit, sciens profecto beatissimam virginem desideratam sibi præstitisse salutem.

36. Adelburga mulier dicebatur, ore et naribus plurimo sanguine diutus fluens, jam in ipso vitæ agens discrimine, cum nihil undecunque ei remedii posset occurrere. Forte dies natalitius sanctissimæ virginis in crastinum imminebat; spem illico salutis ex divino præsumens solatio, candelam, quæ nocte vigiliarum ipsius solemnitatis ante aram sanctam lumen præberet, voto propriæ sanitatis direxit. Mox ea perlata optatam Christo per sanctam virginem operante salutem promeruit. Simili modo vir quidam ex villa Fadiliaco, nomine Hilleicus, habens filium debilem et membris omnibus inutilem, votum sanctæ candelas altari ipsius intulit, ac pro eo ibi precem profundens domum reversus invenit filium sanum. Quid femina illa, quæ diu contracta, dum vota illo candelam misisset, priusquam ecclesiæ candela ipsa intromitteretur, perfectam emeruit sospitatem. Hæc ex villa Columbaria fuit, et per totum æstivum tempus ita languida membris omnibus pene emarcuerat, ut nec gressum figere, nec nisi alienis manibus valeret efferri. Alia non dispari modo diu debilis et clauda decumbens, ad ecclesiam perducta, integre ibi est sanata.

37. Audiant aliud divinæ animadversionis documentum hi, qui ea quæ semel Domino voverant, illicita præsumptione non timent effringere; et vel pœnis manifestioribus discant, quanti sit periculi promissa non reddere, quæ Scripturæ testimoniis noluerunt agnoscere. Vir Metis inter suos non obscurus, cui Adelmanno nomen erat, filiam in ipsis primis annis Dei et hujus sanctæ Glodesindis famulatui in habitu sanctitatis voto delegavit. Hæc ubi adulta est, patre, ut dicunt, ignaro et invito, quemdam extra urbem clandestino secuta est matrimonio. Cumque in tali conjugio tempus aliquod effluxisset, forte aliquando fuit, ut parentes et propinquos in urbe vellet revisere: ubi dum dies aliquot moraretur, ita repentina membrorum omnium dissolutione contracta est, ut nec lecto exsurgere, nec nisi alieno ministerio loco posset moveri. Tum pater voti reminiscens ad monasterium eam fecit deferri. Quæ ibi dimissa, postquam multum temporis in languore tabida jacuerat, ab ancillis Dei ei suasum est, ut sacrum velamen sibi imponens se Deo servituram promitteret. Factum est, et die tertio sana et incolumis reddita est, ut pristini doloris ne vestigium quidem aliquod in se persentiret, et de reliquo in eodem monasterio sub habitu religionis permansit.

38. Item femina quædam, duodecim jam annorum

pedes languidos trahens, nomine Alda, ad monasterium adducta per sex annos ibidem debilis mansit. Cumque crebris coram altare supplicationibus divinum sibi adesse sæpius precaretur auxilium, die quadam inopinato ita perfecte sanata est, ut libero gressu ubique gaudens incederet.

39. Dæmoniacus quidam ex villa Marlei, Wolferus dictus, ita atrocissimo et vesano spiritu fuerat pervasus, ut omnium se notitiam habere linguarum et situs cunctarum jactaret nosse terrarum. Hic ad sacrum perductus monasterium, ac per dies octo ibi detentus, gratia Christi ac meritis virginis hoste fugato, mentis libertati integre restitutus abscessit. Item adolescens quidam ex villa Lauriaco, et feminæ quatuor fœdis spiritibus obsessæ, ibi similiter ope sacratissimæ virginis curari meruerunt.

40. His illa non incongrue inserenda censentur, in quibus fidei, cui omnia Salvator perhibet possibilia, ingens ostenditur documentum, ut quod natura negare convincitur, sancta et innocens virginitas merito suis efficere posse probetur.

41. Ex his quæ habitu inter laicas religioso oblationes altario deferre consueverunt, quædam fuit, nomine Raginaldis, quæ ad basilicam virginis veniens, vasculum, quo vinum ad sacra (334) secum hujusmodi circumferri solet, plenum detulerat : ex quo dum ipsa obtulisset, et cæteris, quæ plures oblaturæ convenerant, dum quod superfuit totum divisisset, repente vasculum ipsum quod jam omnino exhaustum putabat, attentans, vino ut prius, repletum maximo cum stupore invenit.

42. Custos quædam ejusdem sacræ ædis, dum die quadam missis celebrandis vinum quæsitum nequaquam in promptu posset inveniri, ad arcam illam qua nescio de causa accessit, ubi jam retro a mensibus fere tribus vasculum, quod in modum flasconis parvuli (butticulam appellant) vacuum et siccum dependebat. Arca aperta vasculum ipsum vino ad summum usque impletum vidit: ex quo et sacrificiis tunc ministrum est; et quædam ipsius loci femina dudum graviter languida, dum ex eodem vino parum quid sibi absorbendum poposcisset, mox gustato salutem integram recuperavit.

43. Paschali quadam solemnitate puella cæca, cujusdam Joannis civis Metensis filia, ad sanctum sepulcrum perducta, dum per tres dies ibidem mansisset, ipsa quarta sacræ hebdomadis feria per gratiam cœlestem visum pleniter est consecuta.

44. Hæc, ut valuimus, ex prioribus, quas invenimus, transfudimus litteris, non quod eamdem scripturam nullam æstimaremus, quæ utique plena fidei et ad rerum gestarum ordinem vires maximas subministrat; sed quia, uti præfatus sum, litteriorum, quibus jam Domino miserante tempora florent, hoc expetere voluptas videbatur. Quanquam ne ad hanc quidem partem mihi aliquam scientiæ prærogaverim facultatem, qui, ut vere fateor, frequentius tamen in dictis quam scriptis nimio rubore suffundor : et nisi aliquorum, qui forte in me amore labuntur improvido, stimuli incitarent, penitus conticerem, ob hoc vel maxime, quia etsi scientia, qualiter præsentes, et qui ex ipsa inter nos consuetudine quidquid ore exciderit probant, accipiant; secuturos certe aut omnino ingratos, aut non multum hæc curaturos satis perspicio. Quibus tamen quod acerrimo dente in æmulos Hieronymus procœmio Hebraicarum quæstionum fixit, objiciendum : « Peregrina merces tantum volentibus navi defertur. Balsamum, piper, et poma palmarum rustici non emant. » Ita et illi si pespexerint, ne quidem legant, moneo et oro, dum tandem voti mei apud Deum et sanctam ejus virginem, cujus me amor traxit immodicus, spem fideliter præsumptam mihi non penitus invideant, vel intercludant.

45. Jam quia ad nostram ætatem res perducta est liberioribus spatiis decurrentes, breviter, quæ Dominus nobis videre concessit, adnotamus. Post Rotpertum qui 40 præfuit annis. Wigirico 10 annis pontificio exacto vita decedente, dum Benno quidam, in eremitica conversatione dudum famosus, bona intentione Heinrici tunc regis, patris gloriosi postea Cæsaris domni Ottonis, eidem esset subrogatus, vixque biennium in sacro ordine exegisset; infanda et nimis lacrymabili servulorum quorumdam factione excæcatus, et inutilis redditus, quo fungi non poterat officio sese ipse abdicavit : inde a principe electione petita et impetrata, virum magni post futurum præconii, dominum Adelberonem, hæc sancta sedes adepta est. Hic monasteria quæcunque per amplitudinem suæ erant providentiæ, retro a multis jam annis interius et exterius spiritalibus et corporalibus opibus nimium lapsa studio præter cætera egregie animum recuperare induxit. Et primum quidem ejus operum spiritualium Gorzia monasterium fuit, ubi magnarum virtutum viro domno Eginoldo (335) promoto, et brevi copiosa religiosorum turba eo confluente, et in beatitudinem pauperum spiritu sub regula beati Benedicti conspirante, ad ejus exemplar reliqua extra vel infra virorum ac feminarum, si qua etiam sub nomine canonicorum erant, composuit monasteria. Unde et hoc idem beatæ virginis collegium præfecta ibi domna Himmiltrude, sanguine, et (quod majus est) spiritu sibi propinqua, ad monasticam institutionem (336) coegit. De cujus sancti pontificis dignis Deo operibus proprium est merito quod desideretur opus (337), nec hujus articuli brevitate tantam concludi fas fuerit

(334) Locus notatu dignus, ex quo discimus, vini oblationem a laicis factam in missa etiam sæculo x.

(335) Hæc fusius descripta sunt in Actis S. Joannis abbatis Gorziensis.

(336) Ergo jam eo tempore a monastica ad laxiorem canonicarum vitam defecerant sanctimoniales istæ, quibus Adalbero Hasteriam villam pagi Leodicensis assignavit, ubi quædam monachæ sub regimine decanæ aliquandiu vixere, ut legitur in Chronico Valciodorensi tomo VII Spicilegii, pag. 529 et 531.

(337) Exstat in tomo I bibliothecæ Labbeanæ libellus de vita istius Adalberonis.

majestatem. Quod ad præsens attinere videtur, brevi subjicimus.

46. Anno pontificatus sui 23, cum nongentesimus quinquagesimus primus Dominicæ Incarnationis ageretur, matrem prædictam loci ipsius reparandi, quia vetustas et brevitas monere videbatur, cupido cœpit immodica. Id per se, quoniam non nisi sacro corpore interim submoto fieri poterat, non præsumens, quid animo conceperat, episcopo intimat. Ille de fabrica ut fieret gratum omnino habens, suamque benigne pollicitus operam, de sublevatione sacri corporis diu cunctabundus, tandem Domini super hoc voluntatem ut exquirerent, imperavit: communicato deinde negotio patribus tunc venerandis Einoldo, de quo præmisimus, et Ansteo (338) æque viro religioso e proximo sancti Arnulfi collegio, ipsisque animos eidem sancto pontifici vel abbatissæ magis addentibus, in communi decretum est, ut fieret. Instabat tunc dies Ascensionis Dominicæ, in quem populus universus missarum solemniis condicto jussus adesse. Præsul reverendissimus post verbum sacræ diei populo redditum, de hac ipsa re palam aperiens, Domini misericordiam cunctos monuit exorare, ut prosperum conatibus fidelium suorum largiri dignaretur effectum. Quod cum in crastinum sextæ feriæ multa cum devotione sacris ædibus circunquaque lustratis alacriter peregissent, in sequenti mox Dominica omnes ad sacrum confluunt locum. Ibi ab ipso sancto pontifice missis dictis, itemque plurima exhortatione plebe in Deum animata, cunctis acclamantibus, et ministris sacrorum solitis supplicationibus preces in cœlum tollentibus, ad arcam virginis aperiendam pontifex venerandus, cumque eo patres monasteriorum simul et cæteri ex clero religiosi digne Deo sanctæque virgini submissi reverenter accedunt; moxque sacrosanctos artus loculo tunc pro tempore præparato exceptos in proximam quamdam domum interim conservandos transponunt. Eadem die a parentibus quidam illuc dæmoniacus adductus, cum penes loculum in domo eadem populo abscedente esset relictus, post modicum intervallum, Domino et meritis virginis suffragantibus, a vesano spiritu est liberatus.

47. Sub ipsa fere hora sanctimonialibus a loco, in quo sacrum corpus extulerant, ad corpora curanda residentibus, puerulum naturali membrorum compage damnatum penitusque ab ipsa nativitate contractum bajulus, ut brachio ferebat, ecclesiæ intulit. Inde a quadam ex sanctimonialibus intra domunculam, qua corpus sanctissimæ virginis servabatur, sub ipso loculo solus relictus, parva mora intercedente, nimio repente clamore puer emisso, ad vocem cæteris accurrentibus, membris officio naturæ directis sanus divino auxilio est inventus. Hunc multo postmodum tempore eadem incolumitate gaudentem prospero ubique gradu conspeximus ingredi. Alter itidem puerulus oculis captus, sed et quorumdam membrorum inæqualitate confectus, alio ferente illo deportatus, et ante loculum projectus, visu et cæterorum membrorum integritate virtute Christi et obtentu sacratissimæ virginis repente cunctis stupentibus et gratias Deo clamantibus, est muneratus.

Plura deinde et usque in præsens tempus pene quotidie cum fide petentium ibidem Dominico Christo operante exhibentur solatia, tum corporum, tum (quod præstantissimum est) animarum: ubi conscientia uniuscujusque supplicantis satis persentit, quantam inde efficaciam precum suarum reportet; et nisi diffidentia sola retundat, vere Christi certus, fatebor, nullius illic suspiria, nullius gemitus, vel lacrymas pleno corde profusas, quæcumque illa fuerit necessitas vel angustia, inde aliquando vacuo fructu reversas.

(328) De Einoldo Gorziensi et Ansteo S. Arnulfi abbatis Gorziensis sæculo sequenti referendis. abbatibus egregia mentio est in Actis S. Joannis

VITA JOANNIS

ABBATIS GORZIENSIS

AUCTORE JOANNE ABBATE S. ARNULFI.

[Apud Pertz, Monumenta Germaniæ historica, Script. tom. IV, p. 335.]

ADMONITIO PRÆVIA.

Inter monumenta historica statum rei publicæ, Ecclesiæ, litterarum, morum per sæculum x illustrantia vita Joannis Gorziensis abbatis præcipuum locum obtinet. Scripta est diffusiori quidem stylo, sed a viro doctrina litterarumque (339) cultu insigni et rerum quas narravit apprime gnaro, Joanne abbate S. Ar-

(339) Patres, nec minus classicos Romanorum auctores legit.

nulfi Metensis (340), qui plurima quæ narravit ipse testis vidit, reliqua autem a Joanne, aut a sociis ejus se accepisse testatus (341), libros etiam ab illo compositos, Miracula S. Glodesindis (342) et S. Gorgonii, consuluit, et veritatis æque capax atque cupidus ex scriptis suis comprobatur. Ipse inter abbates, qui Joannis moribundi lectum mœrentes circumstabant, jussu Deoderici episcopi Metensis designatus. Vitam amici egregii scribendam suscepit. Primam ejus partem (343-44), res a Joanne dum in sæculari habitu conversabatur perpetratas et introitum in monasterium complexam, anno 978 (345) absolverat, quo circa nativitatem Domini a Deoderico domi conventus atque ab ipso et a Poppone Trajectensi episcopo iterum excitatus, operi perficiendo manum rursus admovit (346). Sed partis secundæ, qua Vitam Joannis per quadraginta annos monachi et abbatis scribendam susceperat, nonnisi ea exstant quæ narrationem usque ad a. 956 producunt; reliqua omnia, scilicet reditus a legatione Cordubensi, quæque abbas annis 960-973 egit, et tertia operis pars, qua de obitu ejus se scripturum pollicitus fuerat, omnia aut perierunt, aut, quod magis credam, auctore morte prærepto (347) nunquam scripta sunt. Quæ quanto historiæ damno interciderint, cuique patet (348). Obiit noster ante annum 984.

Liber de vita Joannis Gorziensis, addita in eodem volumine Vita et translatione S. Glodesindis, Metis apud S. Arnulfum asservatus, ibique ab auctore gestorum abbatum monasterii ejusdem (349) exscriptus est, qui tamen, nulla ut videtur auctoritate fultus, Joannem Gorziensem (350) etiam Ansteo in monasterio sancti Arnulfi, eique demum Joannem alterum successorem facit, aliaque de Joanne juniore addit, quæ ut dubiæ fidei infra referenda curavi (351). Codex postea monasterio S. Germani Parisiensi illatus, a Labbeo in Nova Bibl. mss. I, 741 sqq. et a Bollando in Actis SS. Febr. III, 686 sqq., lucidatus est. Mabillonius textum, adhibito codice unico in Actis SS. O. S. B. Sæc V. p. 363 sqq. editum, adnotationibus illustravit. Quæ editiones cum ultimis membranæ paginis vetustate exesis, textum lacunis deformatum exhiberent, conandum statui an nova lectione textus integrior restitui posset. Quod pro parte aliqua ex votis successit. Evoluto enim codice unico, qui hodie in bibliotheca regia Parisiensi inter Sangermanenses n. 1410 insignitur, membranaceo in-4to sæculi x, in membrana, exesa quidem, reliquas tamen aliquas litterarum vocabulorumve legi, quarum ope voces et sententias interdum integras restituere contigit. Integriorem igitur quam hucusque legebatur textum proponimus. Cæterum quæ

1) scriptor ipse aliquot in locis erraverat,

ut 2) manu secunda sed ejus temporis correcta sunt, in textum recepi. Liber in media pagina desinit.

Divisionem capitum a Mabillonio institutam servavi.

(340) Abbatem fuisse ex præfatione patet, S. Arnuli ex cap. 66.

(341) Præf. c. 48, 77.

(342) Vide supra.

(343-44) Capp. 7, 45.

(345) Cum Poppo a. 977 Baldrico successerit, et Deodericus a. 980 Ottonem II in Italiam comitatus sit, nativitatem Domini anni 978, qua episcopos a Gallica expeditione reduces Metis commoratos fuisse suspicor, annis 977 et 979 præhabui.

(346) C. 46-48.

(347) Si annis quinque 973-978 prima 45 capita scripsit, haud mirum, quod biennium, trienniove, quo supervixit, peracto in capite 136 substitit.

(348) In charta Deoderici ap. Meurisse p. 326 jam defunctus memoratur.

(349) Martene Coll. III, 1199 sqq. et Calmet I, *Preuves* p. 546 sqq.

(350) Theutberto comiti palatino, uxorem ejus A Ermentrudem filiam edituram esse, prædixit; quod ad Joannem juniorem spectare videtur.

(351) « Joannes a fratribus sancti Arnulfi postulatus ut eorum pastor fieret, benignissime consensit. Statim eorum loci famam jam ubique celebrem studio litterarum adeo nobilitavit, ut non solum ex proximis civitatibus, verum ex Saxoniæ atque Bajoariæ partibus undecumque ad ejus magisterium quamplurimi confluerent, ex quibus nonnullos et vitæ merito et sapientiæ excellentia post ad episcopatus apicem vel ad regenda monasteria electos fuisse cognovimus. Inter coævos suos et morum elegantia et ingenio capax laudabilis eminebat. Hic denique piæ memoriæ Joannes inter perplura, quæ intra gymnasium sophiæ peregit, exercitia responsoria beatæ virginis et martyris Luciæ authentica modulatione composuit, necnon et beatæ Glodesindis Vitam cum officio nocturnali. Vitam vero antecessoris sui domni abbatis Joannis scribere agB gressus, imperfectam immatura morte præreptus reliquit. »

PREFATIO SEQUENTIS HYSTORIÆ DE VITA DOMINI JOANNIS [1487] CORZIE CŒNOBII ABBATIS.

Nostrum, in omnibus quæ piæ, probæ vel honestæ vitæ sunt, rari nostra ætate exempli, patrem Johannem jam pridem, eo adhuc superstite, animus erat ad multorum profectum scriptis proponere, et ne tantus vir ex nimia desidia, quod nefas utique et non sine reatu reputaretur, obscuri nominis fama tectus lateret, literis qualibuscumque committere [1488]. Interea nobis diversa curantibus, et pro ocio inpeditius forsitan negotium exspectantibus, spes in longinqua male porrectas casus rernm, ut adsolet, repente præcidit mortalium. Nam dum cunctamur, idem vir sactissimus inicio sanctæ quadragesimæ (352) [DCCCCLXXIV, *Febr.* 23] prima ipsa die post horam vespertine refectionis, sane

VARIÆ LECTIONES.

[1487] *ita c. hoc loco.* [1488] committeret *c.*

NOTÆ.

(352) Cum anno 933 habitum monachi induisset, anno 973 aut 974 ineunte obiisse existimandus est; nominatur in charta anno 973 (non 974) Aug. 22 edita, in Tabouillot *Histoire de Metz*.

ut sibi semper moris parcissimæ, id est panis tantum et aquæ, acutissima febre corripitur, quam post quintam exinde diem exitus est subsecutus. Tum vero acsi per sera suspiria altius nobis tempora eatenus tam præsentia ex manibus prærepta ingenuimus, qui utique, quæque dicenda essent de ipso, ab ipso melius dum advixisset — ad quem scilicet, si quo opus fuisset, facilis esset recursus — disceremus; si tamen quisquam ille intimus ei existeret, qui aliqua ex eo extorquere se posse confideret : adeo humanæ semper fugitans gloriæ, quicquid egerat, Deo soli operum ac cordis [1489] sui testi committebat. Sed miro modo ut gloriam quique appetentes ab ea amplius deseruntur, ita econtra se fugientes ipsa magis insequitur. Unde sancti viri quanto latere desiderant, tanto conspectius, licet inviti, produntur. Hoc igitur casu mente pene consopita, cum a tante rei, quam dudum conceperamus, exorsu nos graviter dejecisset, quid rursum jacentes et desperatos paulatim in vires reduxerit, ad deinde jam volentes magis ac magis impulerit, ferme id fuit. Cum vir sanctus ex tam valido, ut dictum est, morbo lecto statim decubuisset, festino mox nuntio, qui circumquaque curam monasteriorum habentes sumus inventi, ad se in crastinum omnes contraxit. E quibus nutu divino neminem tunc contigit defuisse, additis ex primoribus domus sanctæ sedis beati Stephani (353) viris [1490] religiosis, ad hoc minorum quorumcumque turba non modica, ille singulos accedentium ex lecto ipso in osculo sancto, vultu admodum gaudente, exceptos, ac pro tempore et re causis aliquibus determinatis, tum præterea cunctis in commune solita sibi semper exortatione, quantum morbus paciebat, de infelicitate hujus, de felicitate alterius vitæ pauca locutus, multitudine vale facto dimissa, patres reverentissimi Kadhroe (354), Berhardus, Hudo, Adelmodus, cumque his ego infimus, cum nonnulla parte nostrorum sanctorum exitu illius observando substitimus. Ibi per quatuor quibus superfuit dies, admixtis pariter loci ejusdem sancti collegii fratribus, qui unico ei famulatu assidue inhærebant, dum ei tristi admodum officio assidemus, atque ex ejus sacro ore, quo et inter ipsa vitæ mortisque certamina doctrinæ salutaris gratia profluebat, pendemus : variæ inter nos cedi sermones ceperunt, quomodo summus ille opifex, cunctorum dispositor et ordinatissimus moderator, hunc tanto tempore sibi fideliter famulantem — quadragesimus siquidem in sancto proposito annus ei tunc erat —

A tam acerrime circa exitum sineret fatigari Neque enim vehementiori cujusquam alias discrimine intremuimus. Pia vero potius unicuique cogitatio æstuabat, si forte pro attestanda vita ejus probatissima aliquo eum Dominus ad gloriam suam evidentiori declarare dignaretur indicio. Inter hos fluctus animorum, cum fere nulla ægris mentibus clarior aura rationis se aperiret, sibi tantum quisque diffisus, ex dolore nimio reputabat, quid sibi fieret, cum nec illi tantæ perfectionis viro supera [1491] parceret dispensatio. Sed hanc temerariam mentis affectionem ipsa citius ratio [1492] revera [1493] compescuit, qui certis utique scripturarum documentis revincebamus, et vitam hominum non in ostentatione [1494] corporum, sed in virtute æstimandum [1495] meritorum et

B morum. Nec adtendendum, quo exitu quisque hinc exeat, sed qualis exeat. Quacumque enim occasione, moriendum omnibus inevitabiliter est. Et mors undecumque pio bonum est. Nec refert, innocentem mori naufragio an febre, dummodo innocens sit. Et sive hinc [1496], sive inde moriatur, querendum, qualis sit qui moriatur, quo post mortem iturus est, non unde de vita exiturus est. His et hujuscemodi firmamentis liquido satis collegimus, illam examinationem viri justi, quam quidem ipse, ut inter cuncta semper inflexibilis, sapienter et æquo animo tolerabat, non modo laudi illius nihil detrahere, sed ad amplioris quoque meriti fructum accedere; nam electis qui ad perpetuam vitam tendunt, quid obest, si aliquando [1497] dure moriuntur? Nec item signorum vel miraculorum novitatem plerumque differentiam

C facere sanctitatis, vel inde patenter ostenditur, quod per malos hæc aliquando fiant, multosque æcclesia summo honore, memoriis studiose exstructis colit, de quibus, an uno saltem signo claruerint, reticetur. Jamque ut cæteros taceamus, Johannes ipse, quo nemo in natis mulierum major, teste Evangelio, signum fecit nullum, et dum in carcere gladio feriretur, utrum vel extrema qualibet nota a quolibet homicidarum seu latronum distiterit [1498], perpetuo omnium scripturarum silentio consopitur. Proinde [1499] frustra aliquid ejusmodi splendoris corporei in commendationem [1500] tanti viri desiderari, de quo firma sati et absque cunctatione [1501] fides constaret, eaque in operibus suis et sancta conversatione atque indefessa usque in finem in bonis perseve-

D rantia visa sint [1502] signis omnibus mirabilibusque præstare, et saluti animarum non sine plurimo fructu conducere. Cum hæc et multa his similia in eodem sancto conventu mutuis confabulationibus

VARIÆ LECTIONES.

[1439] acordis *c.* [1490] viros *c.* [1491] superas 1. [1492] raro 1. ratio 2. [1493] reversa 1. vel revera 2. [1494] hostentatione *deleto* h. *c.* [1495] æstimanda meritorum *c*; *in margine manu* 2.... ndendum *absciso initio.* [1496] s. inde 1. vel hinc 2. [1497] a. dicit 1. *deletum* 2. [1498] destiterit 1. [1499] prop(terea) 2. *in marg.* [1500] commendatione 1. [1501] con 2. [1502] sunt 1. vel sint 2.

NOTÆ.

(353) Cathedralis ecclesiæ Metensis.

(354) Abbates cœnobiorum extra muros Metenses sitorum, S. Clementis, Vincentii, Symphoriani, Martini et Arnulfi esse videntur. Certe Kadhroe et Joannes SS. Clementi et Arnulfo præerant.

sererentur, universis in eandem [1503] sententiam venientibus, utile nimis et pernecessarium jactabatur, ut ejusdem beati viri conversatio, in quantum vel videri potuerit vel majorum relatio docuisset, ad multorum profectum se digna memoria scriberetur. Ego jam inde ab initio tanti negotii avidus, hac consultatione factus accensior, etsi tenuitatis ingenii non immemor etiam, ad hoc et mens laborans præsaga ab aliis ad me revolvendum persentiret, voce tamen cæteris addita, ut fieret item itemque ingeminabam. Cum dubie cogitationi verus [1504] continuo successisset, tumque meque omnes ad hoc potissimum delegissent, inter ruborem et aviditatem temporis articulo deprehensus, dum quid deliberarem non facile occurreret, tandem impatientia vicit, meque ad quod solvendum non sufficiebam, nimium præceps et impudens obligavi. Et plane fateor, ut improbum scriptorem me sumpsisse materiam non viribus æquam; sed spes tandem ea solatur, quod miseratione divina, quicquid illud erit oneris, meritis ejusdem viri, qui certa fide mea in præsentia claritatis Christi assistit, levandum non dubito; et qui licet immeritum, dum nobiscum esset, sancta familiaritate sui [1505] non judicavit indignum, nunc pie operi sui amoris instantem, ope amicæ olim pietatis pro gratia sua, ut libere præsumo, non deseret. Preterea cum plurimos sanctorum virorum deinceps ceperim hortatores, accedente præcipue tamquam pulcherrimo culmine totam fabricam miro lumine venustante domino et præcellentissimo præsule, gloria tam divina quam humana clarissimo, Deoderico, nostro speciali patrono, et non modo hortatu, verum, quod inevitabilius est, jussu me impellente, tantorum mihi suffragia non defutura confido, ut quod ex me est impossibile, per eos quorum voluntati parere desidero, ea, de cujus plenitudine omnes quod habemus boni accepimus, gratia superna supplere dignetur. Quæ igitur a primis gesserit annis, quorum raram admodum ad nos constat pervenisse notitiam, in medium relinquentes, ea tantum, quibus in virum perfectum assurgens, plurimo videntibus et imitari volentibus emolumendo fuit, ut misericordia Christi stilum regere dignabitur, expedire temptabimus. Primo videlicet quanto in sæculari adhuc habitu degens, bonæ actionis germine viruerit, vel qualiter, ipsa optima fruge in terra sui cordis uberius fructificante, ad monasterialem inde vitam transierit. Deinde quo studio in eodem sancto proposito, quo labore, qua jugiter vigilantia in omni virtutum exercitio, et prius in contubernio ceterorum sub majoris imperio, et postmodum in regimine substitutus, locum quem semel in acie spirituali ceperat tenuerit, nec quocumque hostis impulsu gradu excesserit, donec, Domino secum certante seque servante, victor evaserit. Postremo quis ei finis feliciter consummati certaminis fuerit, cui nos misericordia divina etiam præsentes fuisse concessit.

TEXTUS IPSIUS YSTORIÆ.

7. Præcepta sæcularis doctrinæ quæ rhethorica [1506] dicitur, in personis singulis demonstrandis inter cætera esse traduntur, ut majores illius qui prædicandus est altius repetantur, et ita per gradus quasi filo quodam ad ipsum linea deducatur tanquam ex illis, ex quibus originem ducit, illustrior esse possit et clarior, comparatione data ab arbore, quæ annosa jam in ramis aruerit, ut sterilitatem, inquiunt, ramorum radix fecunda compenset, et quod in fructu non teneas, mireris in trunco. Fuerit hoc institutum illorum, qui tantum quæ carnis sunt sapiebant, et non tam de propriis unumquemque clare vel obscure gestis quam de alienis famosos reddi vel infames putabant; cum stet contra ratio, plerosque ex obscuris sepissime claritatem, ex clarissimis item alios probrosæ [1507] vitæ calamitatem mutuasse [1508]. Longe autem diverso itinere ab his nostra incedit religio, in qua mentium ac morum potius ingenuitas, et vera spiritus dominio vitiorum exuta libertas, quam carnis vana ac tumens et in morem fumi vanescens celebratur nobilitas. Apud hanc de pulvere suscitatur egenus, et de stercore pauper erigitur, ut [1509] cum principibus cœlestis populi sedeat gloriosus. Nec desunt probationi documenta, cum David ex pascuis gregum in regnum, Petrus cum consciis paupertatis ex retibus piscium in orbis totius attollitur principatum; quæque abjecta sunt mundi et ignobilia eliguntur, ut potentia et nobilia confundantur. Dicente autem ipso hujus principe instituti: ***Si vos manseritis in sermone meo, vere liberi eritis, et veritas liberabit vos*** (***Joan.*** VIII, 31, 32); quod non est aliud nisi liberos vos faciet; itemque ipsius principis præcone: ***Ubi spiritus Domini, ibi libertas*** (***II Cor.*** III, 17), cuicumque de tanto munere libertatis gloriari licebit, frustra ei illius antiquitatis enumeratio [1510] et nomina cineresque majorum in laudis titulo conquiruntur; nisi forte spiritui carnem prætulerimus, cujus caduca nobilitas illi permanentis dedecus ignobilitatis superducere consuevit.

8. Sed quorsum hæc tam longis anfractibus circumducta? Quoniam scriptoribus quibusque in quo-

VARIÆ LECTIONES.

[1503] eadem 1. [1504] consensus *sententia flagitare videtur. Labbeus* metus *correxit, quod Mabillonius supplendum censet.* [1505] sua 1. vel sui 2. [1506] rhetorica 1. [1507] probosæ 1. [1508] mutasse 1. vel mutuasse 2. [1509] et 1. [1510] enumeratio 1.

libet quem dicendum susceperint talia fere ex more sumuntur inicia, ut qua regione terrarum, sub quo cœli climate, cujus linguæ vel gentis, qua conditione, cujusve fortunæ parentibus prodierit, quasi pro viribus futuræ rationis, primo statim jaciant fundamento. Quod ego in hoc nostro, quem tam copiosa spiritus generositas commendat [1511], superfluum judico [1512] laborari, cum eum tanta consumatæ virtutis gloria, tot perfectorum retro virorum prosapiæ sic aut æquet aut proximet, ut quicquid felicium operum dignis de aliis laudibus celebratur, in isto velud mundissimo speculo totum resplenduisse monstratum sit. Ne cui tamen curiosiori minus fecisse, et tanquam ex inopia materiæ hanc dicendi partem sermo subterfugisse culpetur, quam succincte si qua forte talium inserere oportebit comprehensis, melioribus et fructu salutari plenissimis [1513] tempopora transferantur.

9. Oriundus itaque hic Johannes ex territorio fuit partim Metensi partim Tullensi, villa olim regia vocabulo Vinderia (355), parentibus utique non [1514] nimium obscuris, substantiæ sane locupletioris. Pater provectæ omnino ætatis, ut fere nonagenarius crederetur, inter suos ut facultate sufficiens omnibus æquus et bonus ac sine querela habitus, usque ad infimum quemque cunctis se præbens accommodum. Dumque ruri intentus ac regendæ familiæ, quam secundum mediocritatem vitæ non minimam procurabat, plura ei ex justo labore succrescerent, essetque possessionibus, sumptibus, pecunia, ex benedictionibus Domini admodum auctus, hospitalitati, elemosinis ecclesiæ quoque prout poterat honorificentiæ, cæterisque bonarum fructibus actionum studiosius insistebat. Conjuge denique liberioris generis in ipso ævo senili junioris etatis sumpta, hunc Johannem duosque post ipsum procreat.

10. Ipse in domo paterna ea teneriori cura educatus [1515], quo animus senis ut ad id ætatis editum omnem impatiens arcebat injuriam. Litterarum tamen primis vix elementis traditus addiscendis [1516], aliquandiu non longe a conspectu patris postmodum, licet ægre eodem patre ferente. Metis eis quæ tunc esse poterant scolis instituebatur. Nonnulla etiam tempore in monasterio sancti Michælis super Mosam fluvium (356) ad studia moratus est, ubi tunc temporis Hildeboldus quidam grammaticam professus ex discipulis domni Remigii (357), doctissimi ea ætate magistri, scolas habebat. Cujus [1517] doctrina, ut ipse multoties postea fatebatur, incertum incuria an quodam, ut apparebat, supercilio, cum tamen a patre sepissime non mediocriter muneraretur, macram satis frugem scientiæ eum contingit retulisse.

11. Patre jam inde brevi deficiente, cum ipse adolescentiam jam videretur ingressus, post aliqua, matre utpote juniore thalamum innovante, solus fratrum totiusque familiæ domesticæ curator relinquitur. In ea parte actualis scientiæ vel rerum omnium domesticarum amministratione quam stremus, cantus, et ingenio cæteris propemodum hominibus præstantiori emicuerit, ut agro, pecore [1518], familia, et his instituendis atque alendis substantia non mediocri locupletatus, deinde in artium diversarum, quæ ad variam supellectilem usui sunt, exercitio et dispositione quantum valuerit, ut fere in mundanis negotiis nihil esset quod eum præteriret — de his omnibus silere melius puto, quam parum digne conscribere; presertim cum multorum adhuc horum reminiscentium testimonia sufficienter supersint, ex quibus, si quos hæc cura pulsat, facile possint doceri.

12. Usque ad exactam itaque virilem ætatem in domo propria versatus, diversorum tam secularium quam et ecclesiasticorum, honeste dumtaxat vitæ hominum, familiaritatti in variis officiis et negotiis per omne id tempus, prout oportunum fuit, adhæsit, ex quorum contubernio optimam sibi formam vivendi [1519] exemplumque conduxit. In domo comitis Riquini, præstantissimi ea tempestate et in omni genere agendarum rerum prudentis et sagacissimi viri, per annos aliquod obversatus, plurimum exinde sibi cœpit profectum. Nam et æcclesiam villæ ipsius ex qua ortus est dono ejusdem comitis possidebat. Dadonis etiam, summi ingenii et famosissimæ sanctitatis episcopi Virdunensis (358), non parvo tempore frequentia usus est, qui sibi quoque eum ob bene meritam indolem vivaxque [1520] in perspectum ingenium, perpetuum facere cupiebat, sed quas ob causas non obtinuerit, parum comperimus.

13. Cuidam deinde nobili viro Warnerio in confinio Tullensi causa æcclesiæ sancti Laurentii in villa Fontaneto (359) eidem civitatis adjacentis se nomine Domini socians, ejus officiis quam familiariter insistebat. Ea occasione Tullo ei tunc temporis frequens recursus, quia cum hac ex proximo, altera quoque quam simul genitalis soli retinebat ecclesia, ejusdem erat diocescos. Unde Bernerum diaconum ipsius sanctæ sedis in subjectione ecclesiastica sortitus magistrum, virum sane et opinione sanctitatis et litterarum scientia eo loci satis celebratum, studio lectionis apud eum intentiori cura operam tunc cœpit impendere. Altius autem sibi eatenus sic

VARIÆ LECTIONES.

[1511] comitatur 1. vel commendat 2. [1512] judicio 1. *delcto* 1. [1513] plenissimi 1. [1514] Nota valde 2. *in marg.* [1515] eductus 1. vel educatus 2. [1516] id est pars — 2. [1517] pro « de cujus »; nam ablativus... (nece)ssario dixit 2. [1518] peccore 1. [1519] videndi *corr.* vivendi *c.* [1520] juvaxque 1. alius vivax (*deleta*) vel vi... 2.

NOTÆ.

(355) Vendière, paulo infra Pont-à-Mousson ad Mosellam.

(356) Saint-Mihiel.

(357) V. Ademar. III, 5, et Flod. H. R. IV, 9.

(358) Sedit a. 880-945.

(359) Fontenay ad Mosellam.

tempora præterisse dolebat, ut de integro rursus scolas innovare cogeretur. Puerulus siquidem in diversa, ut dictum est, præceptoribus ad studia commissus, quantulumcumque aurem inde vaporatam retulisse visus erat, totum id consequentium curarum mole pene sopitum amiserat. Sed facilitatem ingenii gratia juvante divina, ea etiam dampna lucri sequentis felici reparavit successu. Prima itaque elementa grammatica primasque tantum partes Donati ex ipso Bernero [1521] audivit, eaque introductoria aspersione contentus, divinis se omnino transtulit scriptis. In quibus intra breve tempus tantum intelligentiæ prætulit lumen, ut omnium novo miraculo ad quascumque sapientum non difficulter occurreret quæstiones.

14. Ecclesiam porro sancti Laurentii, quam diximus, unico amore excoluit, et in ministerio æcclesiastico necessariis quantum religiosius potuit exornavit. Quotiens denique vacuum erat, strato ibi locato per plures dies inde non recedebat, noctesque creberrimas orationibus continuabat. Et quamquam seculo adhuc voluptatem laxare videretur, secretius in oculis Domini pro locis et temporibus spiritalibus inhiabat. Ibi feminam quandam [1522] ex geniceo [1523] domini sui divinis officiis sub velamine deputavit. Quæ ut integra corpore loco sancto est tradita, ita usque sub debito fine naturæ sancta manens carne et spiritu, sub stirpe ipsius æcclesiæ, nulla umquam attacta infamia, felix consenuit. Ibidem quoque peregrinum quendam jam provectæ ætatis presbiterum exceptum, dum beato fine excederet, aluit et omni cura servavit. De quo plura bonæ actionis nobis pater Johannes narrare consueverat : quod scilicet operi divino nocte ac die intentus, nullo fere tempore præter corporeæ necessitatis curam limen æcclesiæ excesserat. Psalmos verbis et sensu distincte, ut pene sillabas eum recensere putares, assiduo ore volvebat. Oratione pura noctis plurimum occupabat. Cum ipsis cogitationibus voce ipsa confligens, eaque quasi manu deverberans : « Abite, inquit, vani et ignavi, non mihi psalmiculum ore subtrahite! » Ad martirem quoque plerumque querula voce clamitans : « Laurenti, quid hic agis, cur non me ab his væsanis defendis? » Demones variis proludiis sibi obversari corporeis oculis testabantur, ut sæpe sibi infestissimi usque in quosdam corporis cruciatus dejicerent, lectoque per aliquod dies non consurgeret.

15. Hic idem de se referre solitus erat, tempore quo Nortmanni irruptionibus sævis circa Sequanam et Ligerim populabundi excurrebant se ab eis comprehensum, et in puteo quodam nimiæ altitu-

A dinis, quales in patria que Belsa (360) dicitur plurimi conspiciuntur — nam inde oriundus erat — dejectum, in nulloque penitus lesum; inde item extractum in alio profundiori præcipitatum; cum nec sic opprimi potuisset, eductumque gladio ferire decerneret [1524], tandem uno ex ipsis dicente, necdum eum pervenisse in genus terræ quo mori deberet, divinitus ut creditur dimissum; cum post aliquod orarum spatia Nortmannis prætergrossis, puteo se reptando utcumque [1525] exemisset, et iter ingressus fame pene deficeret — nam triduo jam fere sine cibo manserat —, repente in media via tres jacentes reperit panes, ex quibus usque ad prædictam æcclesiam sancti Laurentii pervenit. Is sine ulla cunctatione firmabat, psalmorum virtute,
B quos semper in ore versabat, quos in ipsis etiam puteis consistentem se assidue decantasse fatebatur, de tot periculis liberatum. Ab eo idem Johannes se ex multis, quæ forte leviter gesserat, crebro monitum, et aliquando acrius redargutum, multipliciterque correctum, sepius gratulari soledat.

16. Sed et aliis quam pluribus, si quos probatæ vitæ ac doctrinæ compererat, solitario comitatu quamquam secreto interim adhærebat, paulatimque et quasi per partes a quibuscumque mundi oblectamentis subducens, castigatioribus se actibus applicare satagebat. Paulo ante dicto Bernero diacono maxime delectabatur, eumque honore et officio amplissimo venerationi habebat, pro eo quod non modo doctrina et vita ejus, que item vicem gerebat doctrine, apud ipsum proficiebat; set et quod, si qua in
C se reprehendenda forte vidisset, nequaquam his vel ad momentum parcere noverat, quin statim severius, et si ita res exposceret, etiam publice objurgaret. Erat idem Bernerus inter cætera, que bono odore de eo fama resperserat [1526], religionis [1527] et præcipue vitæ pudicissimæ a puero insignis [1528], in vitia mordax, ut nec superioribus aliquando cederet personis. Eloquii nihilominus mulita ei venustas, et plurima in exortando et persuadere fecilitas. Census ei non nullo [1529] sumptuosus, sed nec omnino abjectus. Simplici enim victu vel tegumento contentus, si quid tamen eorum fuerat, lautioris cultus et ut pene notaretur erat. Ita vir puri animi, sordium exteriorum attactum prorsus quadam sibi insita natura horruerat. Tantumque pudicitiæ [1530] vir-
D tus mentem [1531] ejus totam pervaserat, ut quo forte ioco mulierem sedisse conspexerat, nullo pacto illa recedente eodem ipse vel fatigabundus succederet.

17. Interea Joannes et Metis monasterio sancti Petri, ubi et domum vicinam habebat, sub occasione æcclesiæ quam tenebat, quæ cum villa pro-

VARIÆ LECTIONES.

1521 B. *c.* 1522 quendam 1. 1523 geneceo 1. 1524 *ita c. an* decernerent 2. 1525 atcumque *c.* 1526 *hinc 7 alia manu ejus temporis scriptæ.* 1527 relionis *c.* 1528 insignia *c.* 1529 multu *c.* 1530 pudititiæ *c.* 1531 *hinc prior rursus manus.*

NOTÆ.

(360) Beauce ad Ligerim.

pria eidem monasterio subjacet, ebdomadarius sacri altaris ascitus, post aliquod quam ibidem offitium ceperat tempus, tali ordine salutis ei occasio divinitus providetur. In collegio puellarum ejusdem loci, quod nunc feliciter Domino miserante procedit, erat quedam moribus et conversatione remotior a ceteris, annis admodum puellaribus, nomine Geisa, quam amita eidem religiosa secretiori apud se custodia educebat; hec Fredeburg dicebatur. Ea itaque Geisa cum ad artiora se cotidie sancte conversationis extenderet, inter cætera sancti propositi ornamenta, etiam sub omni veste cilicii usum addiderat. Johannes ejus instituti [1532] adhuc [1533] vix (361) aut omnino ignarus, dum quadam die, quonam incertum loco, cum ea familiaribus, ut cum ceteris adsolebat, sermonibus quedam insereret, a pectore puellæ intra interulam, quæ fuerat subtilior, umbram cilicii ad carnem latentis sub dubio visu prospexit. Manu protinus ad explorandum quid esset injecta, ubi rem asperior tactus edocuit, stupore vehementi et toto corpore tremore exhorruit. Quid deinde hic habitus prætenderet, percuntatus, verecundior illa et rubore vultu aspersa, postquam aliquandiu obticuerat: « Nescis, inquid, nos non isti sæculo vivere aut deservire debere? Hec ad quæ [1534] plerosque deditos video, vana prorsus et animarum perditionem esse perpendo. Longe alius mihi animus ab his, proprii tantum periculi sollicitam [1535] cogit existere. » Plura in hunc modum sancti desiderii verba cum replicasset, Johannes ab imo pectoris in alta excitatus suspiria: « Ve, inquid, misero mihi et ignavissimo, qui tamdiu moras non modo steriliter, sed etiam perdite vivendo protraxi! Scilicet me virum, hunc fragiliorem sexum virtute præire oportuit. Nam summo probro et contumelia, non solum non consequor jam ambulantem, sed nec deses et totus herens terre ullo motu progredior aut comitor. »

18 His igitur acrius stimulatus et supra quam alius antehac cujusquam exemplo virtutis accensus, de perfectioris vitæ institutione fixa mente delliberat. Studium itaque lectionis divinæ cum eisdem ancillis Dei summa vi statim arripuit, et primum sacræ bibliothecæ historiam Veteris ac Novi Testamenti percurrens ex integro, deinde quecumque in divinis officiis certis temporibus in æcclesia frequentatur, lectionis libri qui Comitis dicitur (362), orationes et si qua sunt sacramentarii in usus diversos, regulas supputationum temporalium, quæ coram antedicto Bernero diacono prius ex multa parte relegerat, memoriæ vicaciter (363 ut nemo superius commendavit. Præcepta canonicæ institutionis, hoc est decreta conciliorum, judicia penitentum, ordinem actionum ecclesiasticarum, ad hoc et secularium edicta legum, ad unum usque ut ita dicam verbum corde recondita mire continuit. Omeliarum, sermonum, ac diversorum tractatuum in lectionibus epistolarum vel evangeliorum, sed et gesta sanctorum si qua sunt memorabilium, tantam concepit notitiam, ut quociens postmodum ei oportunitas forte accessisset loquendi, acsi præ oculis liber adesset, a prima usque in extremam sententiam ex ordine tamquam visa persequens vestigia verbis communibus universa revolveret. Cantibus ecclesiasticis sub idem temporis insudare, nec erubuit nec desperavit. Et licet nonnulli ut alieniori ætate deludi tacite riderent ingenium, pertinacia boni desiderii quamvis duro eluctabo labore prorsus evicit.

19. Hæc ei interim sanctorum negociorum ocia cum prædictis ancillis Dei fuere. Ex cujus etiam collegii multitudine plerasque [1536] ab infimis delectationibus ad cœlestium desideriorum flammas igne divini eloquii permutavit. Que nunc usque testes ordinis vitæ virtutumque ejus existunt. Jam vero in cæteris exercitiis spiritalibus, continentia, jejunio, vigiliis, orationum frequentia, vel reliquo labore corporeo, carnisque castigatione, quanta se virtute accinxerit, et de die in diem melioribus se præparans, gratia Christi comitante in ulteriora semper tetenderit, sequentium attestatione operum forsitan melius demonstrabitur.

20. Ad mundi contemptum et facultatum renuntiationem ex integro, omni desiderio estuabat. Sed quo locorum se conferret, non facile pervidebat, adeo exemplorum copia se ex tota hac regione subduxerat, nec ullum omnino monasterium in cunctis Cisalpinis partibus sed et vix in ipsa Italia audiebatur, in quo regularis vitæ diligentia servaretur. Quia igitur quo se verteret ignorabat, qnod solum poterat virorum quorundam, quos fama vulgatior [1537] a sæcularium conversatione sejungere videbatur frequens limina obterebat, eorumque actionibus intentus, nec in conlaborando [1538] inferior, mensem plerumque aut eo amplius, nunc in istius nunc in illius contubernio et quoquo poterat obsequio exigebat. Metis per id temporis duo continentis vitæ præconio satis celebres habebantur; alter Rotlandus scole cantorum in domo sancti Stephani præsidens, et in remotioribus oratorii sancti Michaelis, quod erat in superiora ejusdem basilicæ sancti Stephani, orationibus, psalmis, missarumque celebrationibus, noctes diesque continuans; alter Warimbertus apud basilicam sancti Salvatoris non longe a claustris clericorum, pari nihilominus

VARIÆ LECTIONES.

[1532] *Ita Lab.* uistitutu *corr.* uestituti *c.* [1533] adhuc pa *c. quod Labb.* parum *explicat.* [1534] *ita l.*; atque *c.* [1535] solicitiam *corr.* solicitam *c.* [1536] plurasque *c.* [1537] fulgatior *c.* [1538] co : laborando *c.*

NOTÆ.

(361) Scil. *gnarus.*
(362) Hieronymo tributi.
(363) Id est *pervicaciter.*

studio in rebus divinis Christo deserviens. Quorum vite omnibus acceptissimæ testes adhuc multi supersunt, ex quibus, si quis velit, plenius potest addiscere.

21. His itaque non parvo tempore cohærens, et multo divini operis labore se ipsum exercens, etiam apud eandem sancti Salvatoris basilicam retrusionis cellulam, in qua perpetuo clauderetur, adorsus est. Sed credo loci incommoditate offensus, utpote medio urbis, et potius secreta quelibet silvarum animo meditatus, interim statuit differendum. Audita interea fama viri venerabilis Humberti, qui Virduni reclusus, et scientia litterarum sanctarum, et laudabilis vitæ testimonio clarus, et merito sanctus ab omnibus eo loci habebatur, celeriter ad eum contendit, et brevi mutuis confabulationibus animo inter se coadolescentes, aliquod dies cum eo exegit. Omninm ibidem excessuum suorum puram confessionem deponens, ex eodem venerabili viro formam penitentiæ cepit. Carnibus ut putatur ab ipso tempore omnino abstinuit, et jejunia sibi semper amica infatigato rigore arripuit.

22. Cum vero comperisset, et alterum quendam solitarium in vicinia ejusdem civitatis, intra remotiora saltus qui Argonna (364) dicitur, commorari, etiam hunc eadem fervoris instantia adiit, si forte ibidem desiderio diu concepto de heremi habitatione satisfacere posset. Hic autem solitarius, Lantbertus nomine, et moribus et scientia omnino rusticanus erat, et nisi quod multus labor, quo satis superque durissimo et velut inrationabili se ipsum atterebat, eum aliquatenus in rebus divinis commendabat, alias stolidus et agrestis totus parebat, ut qui forte infirmiorum eum conspexerat, risum tenere vix posset. Tegendi corporis etiam et verecundiorum ei cura postrema; similiterque cibi vel potus longe ceteris mortalibus usus dissimilis. Modium integrum farinæ in unum plerumque panem redegerat, qui mensem aut certe duos ei sufficeret, donec præ nimia duritia nisi securi non posset effringere, indeque sibi particulam ad pondus cotidie præriperet. Item lebetem permaximum, holere ac legumine simul plenum, in unum excoxit, quod repositum cotidie, dum quid residui fuit, ad mensuram aqua cruda resolutum percepit. Subito quolibet mentis impulsu ex heremo se poripiens, villas [1539] et civitates subintravit, itemque repente cellulæ condidit. Noctis plerumque medio missas exorsus, etiam si sic animus tulit vesperi, aut ante, aut sub lucis crepusculo, post bidui triduive jejunium, ut defectio corporis fuit, non diei non noctis ullum tempus in reficiendo servatum est.

23. De cujus conversationis vario preludio Johannes nihil motus, multotiens etiam tantas in inbecillo corpore vires cum quodam stupore secum compensans — erat enim macie et squalore nimio confectus — cum eo aliquandiu est commoratus, cellulam quoque sibi ad habitandum compegit. Plures tunc ex vicinio civitatis illuc visendi gratia venientes, et queque necessariis usibus conferentes, non minimum in sancto desiderio accendebantur. Inter quos et præfatus Humbertus plerumque accedens subindeque recedens, nonnunquam et aliquod dies subsistens; et quidam vir natione Britto, Andreas nomine, liberalibus adprime studiis eruditus, sed et animi virtute præpollens, et quod his majus est, in divina admodum studiosus. Hic de patria insula infestatione Nortmannorum, cunctis ejusdem insulæ incolis aut occisis aut fugatis, cum pluribus aliis doctis æque ac sapientibus viris pulsus, a reverendo sanctitatis episcopo Dadone, cujus supra mentio facta est (365), in Monte-Falconis (366) cum nonnullis qui eum eo advenerant Brittonibus exceptus, et satis liberaliter est procuratus.

24. Cum his communicato consilio, utrum loco eodem sibi salubre ac frugiferum esset manere, illi ut cauti et illius portentuosæ stoliditatis heremitæ morum non ignari, ab ejus cohabitatione omnimodis animum deflexerunt; maxime eodem Humberto suadente, ut Romam memoriam beatorum apostolorum supplicatum prius adire temptaret, quod iter ipse jam dudum Deo propitio exegerat, et sic demum vita comite rediens, quod in commune ratio demonstraret pariter exsequerentur [1540]. Mox moras omnes animi fervore disrumpens, sumptu sane non ignobili facto, iter magna ope maturat. Sociatus est ei Bernacer quidam clericus, multo ante tempore cum Warimberto illo, de quo supra dictum est, Metis apud ecclesiam sancti Salvatoris versatus, manu libraria ceteris ejus temporis non inferior, canendi disciplina admodum præstans, sed et artis calculatoriæ studiosissimus, cæteroque ingenio in rebus non minimum pollens, tenui quidem re, sed devotione in divina optime cumulata.

25. Postquam vero Romam veniens vota sancti desiderii circa loca queque sancta explevit, cupido eum in ulteriora tendendi amplius cœpit. Ibique aliquibus ex comitatu relictus, ipse cum prædicto Bernacro paucisque quibusdam expeditior, usque montem sancti Angeli cognomine, qui Garganus dicitur, ocius percucurrit. Ipso tamen itinere montem Cassinum beato Benedicto insignem et congregatione monachorum frequentem conscendit, cumque ipsis servis Dei aliquod dies remoratus [1541], sancti præpositi vestigia, que ibi nonnulla supererant, curiosius exploravit. Interioria etiam illa marini sinus, quæ

VARIÆ LECTIONES.

[1539] uulas *corr.* uuilas *c.* [1540] et sequerentur 1. vel exsequerentur 2. [1541] remotus 1.

NOTÆ.

(364) Hodieque Argonne.
(365) C. 12.
(366) Montfaucon; vide Flod. II. R. IV, 39.

civitati Neapoli adjacent, servorum Dei habitacula A sub nomine sancti Salvatoris, montem Bebium (367) haud procul perpetuo vapore fumantem miratus, penetravit, eorumque orationibus se commendans, nonnihil benedictionis ex his que secum tulit eisdem servis Dei largitus est.

26. Tandem Christo duce, felici cursu et cunctis prospere sibi cedentibus domum regressus, nec mora, monitore suo Humberto convento, consilio ipsius, quia locus desideriis eorum aptus nusquam occurrebat, secum interim domi subsistere, et si qua piæ actionis poterat ibidem exercere, quamquam admodum ægre satius [1542] duxit. Eratque utpote qui figuram hujus mundi præterire quantotius adtendebat, habens tamquam non habens, emens tamquam non possidens, utens hoc mundo tamquam non B utens. Et jam totus cœlestibus flagrans, specie sola res transitorias disponere videbatur. Ceterum vita ejus in quo a monachi instituto differret, haud facile quisquam discerneret. Ita pernox in vigiliis, orationibus noctes diesque conjungens, lectionibus sacris studio vix aliquando interciso inhærens, omnique castigatione corporis sese coercens, crucis auctorem, satis in sublime cruce levata, nisu indefesso cotidie sequebatur.

27. De tenore jejuniorum ipsius an quid sermo digne valeat explicare, prorsus non sentio. Quæ tanta pertinatia ab ipsis initiis sibi indixit, ut si qui forte erant ex sibi adhærentibus qui hec cognoscere poterant, miraculo stuperent ingenti, quomodo vel extremo spiritu respirare [1543] in tanta austeritate sufficeret, qui pocius in augmentum admirationis C postquam diem aut etiam biduum plerumque sine ullo cibo ac potu, ut nec modicum quid gustaret, transegerat, incredibili virium integritate et facie lætiori agilis et constans ad opus quodcumque incederet. Id vero ipsum ex ore ipsius nobiscum confabulantis sepe audivimus, quod in diem alterum frequenter omni cibo vel potu carens jejunia extraxerit. Fatebatur enim, dum quidam fratrum dura aliqua refugientium aquam in potu male sibi conducere quererentur, nemini æque ac sibi prius præ continuo usu vini, aquæ perceptionem exosam fuisse : « adeo, inquiens, ut si qua dierum mihi vino fuerat abstinendum, aquam stomacho nausiante, panem etiam ipsum per totam diem cum omni cibo funditus respuerim. » D

28. Præterea quam celer et tamquam ne quis se prior irrueret festinus, armaturam cœlestem induerit, quoque robore contra virtutes contrarias bellum Christo fretus susceperit, carneque ac spiritu relactantibus, cum pars [1544] melior de palma semper contenderit, tamen semper periculi metuens redivivi, brachia numquam remiserit, utque inter hec, viciis hinc propulsis, virtutibus hinc intromissis, edificium morum optime compositorum stuctura perpulchra erexerit, magnorum ingeniorum [1545] vires vix posse expedire existimo ; cum certe hec ad ea, que divino munere post in conversatione monasteriali peregit, inicia quedam velut et abjecta valeant reputari. Hec autem omnia intra abdita domus, Deo solo teste, vix aliquibus ex familia a consciis, operabatur, cavens omnino scire sinistram quid faceret dextera, et ut teneræ plantationis virgultum, priusquam sufficienti irrigatione radicem defigeret, manus atque ventorum contactum non bene credulum devitabat. His ergo, quoniam ad dicta rebus exæquanda ariditas ingenii minime sufficit, prætermissis, ordinem rerum potius exsequamur.

29. Sanctus Pater et unicam in his regionibus postmodum lumen monachorum, domnus Einaldus, ipso tempore Tullo in summo omnium bonorum exemplo vitam ducebat. Is [1546] n scientia literarum tam secularium quam divinarum ea [1547] tempestate inter suos nulli secundus, cum esset sedis ejusdem primo quidem primiscrinius, postea autem etiam primus archidiaconus, cunctarumque opum affluentia dilatatus, amore cœlestis desiderii tactus, cunctis quæ habuerat usque ad siliquam ut dicitur distributis, tantum simplici veste retenta et libris ac veste sacerdotali, in cellula claustro clericorum adherente sese cohibuit, et triennium fere in summa et ardua continentia vitam agens, raro usquam præterquam ad ecclesiam missas celebraturus aut nocturnæ orationis obtentu processit. Servulo tantum uno contentus fuit, qui ad queque forinsecus necessaria mittebatur. Nam nisi quæ episcopus loci vir venerabilis Gauzlinus, in misericordiæ operibus sane memorabilis, aut religiosorum quicumque misissent, nullis aliis sustentabatur. Clientulus quoque ex clericis unus, qui missas celebranti assisteret, derelictus. De qualitate indumenti, cibi, vel potus, qua cilicii assiduitate, jejuniorum frequentatione, penitentiæ austeritate sese damnavit, superfluus esse vereor in dicendo, cum etiam copiam quamcumque verborum operationis ipsius superet magnitudo.

30. Hic dum die quadam solus resideret in cellula, vocem de repente, unde aut a quo editam nescius, claro omnimodis sono hoc audivit dicentem : *Sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hereditate Jacob patris tui*; *os enim Domini locutum est hæc* (*Isa.* LVIII, 14). Paululum inde attonitus et secum ut fit multa animo reputans, postquam misso circumquaque ministro, si forte puerorum aliqui e scolis vicinis, dum recitant, hoc protulissent, ac neminem toto id temporis spatio in quolibet loco contiguo fuisse renuntiante, vir prudentis ingenii, gratiæ divinæ sibi oraculum in spem fiducialius dein-

VARIÆ LECTIONES.

[1542] spatiis *c.* [1543] respirare *c.* [1544] pras 1. [1545] uirex *corr.* uires *c.* [1546] His *corr.* is c. [1547] ex *corr.* ea *c.*

NOTÆ.

(367) Vesuvium, 55.

ceps de donis Domini præsumendi detrectam, taliter intellexit. Quod apud se quidem ipse forti custodia animi servare studuit reconditum, rebus autem postea in ipso omnium eorum fides est subsecuta. Et hec quidem de iniciis tanti viri breviter pro loci negocio inseruimus; ceterum tanta felicium gestorum ejus extat materies, ut et proprium opus doctioribusque merito arripiendum desiderent, et amplissimo audientibus et imitari volentibus fructui possint existere.

31. Cum itaque hic Johannes et ipse domnus Eginoldus tam propinquis locorum intervallis abessent, alter alterum nisi facie sola et locutione communi non noverat; adeo uterque popularis fugitans gloriæ sese tantum testibus fruebatur a Deo [1548]. Cum interea casu quodam supra memoratus Humbertus e cellula, qua se jam dudum Virduni recluserat, ea quo nescitur obtentu effracta [1549], eumdem venerabilem patrem Einoldum ex improviso Tullo convenit. Is enim inter raros alios vitæ ipsius jam pridem conscius fuerat. Viro sancto ad tam insperatam ejus præsentiam stupefacto, præsertim quod fama ad se certo detulerat, lege reclusionis eum intrusum fuisse, causisque egressionis acceptis, inter quas præcipua erat, ob hoc se advenisse, ut heremum potius simul expeteret [1550], ibique multo melius quam in urbium frequentia omni hominum molestia liberi Domino deservirent: consilio clam inter se conflato, ipsi per se, cunctis arbitris procul, flumine Mosella oppidum ipsum præterfluente trajecto, et specu quodam in saltu vicino reperto, ibidem se tamquam perpetui heremitæ futuri recipiunt. Mox quibusdam religiosis ex oppido virum sanctum requirentibus, et quamvis locum aditu difficilem amore superantibus, ubi eos convenerunt, ceptum hujusmodi, quod nulli utique bono umquam esset probabile, saniori consilio dissiparunt. Tanta siquidem loci iniquitas fuerat, ut nec ipsi cuiquam labori ibi insistere, nec a quoquam facile eis quicquam necessariorum posset conferri. Sed et ipse ut erat vir consilii non difficulter meliori sententia flexus, amicam continuo repetit cellulam, Humberto Virdunum ad sua se interim recipiente.

32. Qui dum rursus eum crebrius reviseret, quadam die inter cetera que familiaritas illa parere adsolet colloquia, dum, si qui forte alicubi ad id temporis qui ad sancta desideria aspirarent existerent, vicaria interrogatione percunctantur, hunc de quo agimus Johannem sibi, ut præmissum est, optime notum adduxit in medium. De cujus laudabili conversatione cum plurima replicaret: « Hominem inquid domus Einoldus, olim cognosco, et ad me crebro venientem usu communi expertus sum; utrum autem harum rerum, quibus nunc prædicatur, ei mens inesset aut studium, necdum vel tenuiter advertere potui. » At ille: « Ita, inquid, homo est, non passim cuicumque se nisi notissimo aperit, et id non facile quidem. Apud se enim omnimodis latens, vitam, qua in secretioribus sub oculis superni arbitri districte admodum esse coartat, oculis hominum, ubi in publicum exierit, offerre summa vi atque arte dissimulat. Attamen a vobis evocatus citius aderit, et mutua vestri collocutio me nihil extra quam res est de eo afferre facile comprobabit. » Nuntio mox se eum velle videre et alloqui insinuans, ita condixit, ut ipsius staret arbitrio, utrum ipse eum domi, an ille se Tullo conveniret, quidque horum mallet resignaret. Johannes ad totius probabilis officii semper executionem non segnis: « Discipulum, inquid, potius obviam decet ire magistro. Ergo, ut dignum est, Tullo eum convenio. » Ut ergo advenit, Humberto adhuc ibidem eum operiente, quam familiariter sibi alterutrum atque officiosissime adgaudentes, omnibus e conspectu remotis, de causa, propter quam accersitum illum miserant, conferre cœperunt. Tandemque ubi, post non modicam rerum celestium confabulationem, desiderii sui alter alteri jam fida secreta refuderat, consilium exinde sibi vitæ ducendæ, uti quibus seculo penitus erat animus renunciandi, cura sollicitiore disquirunt.

33. Sub hoc Johannes causam sibi ratus oportunam cecidisse, totius suæ conventionis cum viris religiosis ei seriem pandens, et maxime apud quos Metis sibi frequens tunc solum erat recursus — nam a ceteris aliorum locorum jam dudum abstinebat — quanta viri ipsi in eamdem sententiam concordia conspirassent, aperuit. Illo quam facile animis ad hoc inclinatis, ut secum ipse eosdem viros conveniret, hortatus est. Ita Humberto tunc propria repetente, ipse post dies aliquod Metis accedens, et super sancto virorum illorum instituto non modico delectatus, aliquandiu etiam apud eos est commoratus. Interdum vero ad propria sub tempore recurrens, memoria [1551] semel accepte dulcedinis quasi moras diutinæ absentiæ egræ ferentem, suam [1552] eis præsentiam [1553] citius revocabat. Erant autem religiose ille, de quibus supra dictum est (*cap.* 17), apud Sanctum Petrum feminæ, Geisa et amita ejus aliæque nonnullæ, et Salecho clericus sancti Martini ultra fluvium Mosellæ, et Randincus presbiter tituli sancti Simphoriani extra portam urbis meridianam, apud quem et crebrius pro loco secretioris usu conveniebant, et Bernacer diaconus, comes Johannis jam pridem Romani itineris; nam dum illi de quibus memoravimus (*cap.* 20) vite præstantioris, Rotlandus et Warimbertus, jam vita decesserant. Cum his, veluti in quibusdam cœlestium disciplinarum scolis sanctorum ingeniorum viribus se ipsos cotidie in studiis omnium probatarum virtutum exercentes duo ipsi viri præcipui aut lectionibus aut orationibus seu certe mutuis ad celestia cohortationibus insistebant, ipsosque cum quibus versabantur ad majora sui

VARIÆ LECTIONES.

[1548] ado *c.* et Deo *L.* ac Deo *M.* [1549] efracta *c.* [1550] *an* expecterent? [1551] *in marg. manu* 2. Hic ui | ... sensu | (*i. e.* Hic videtur sensus esse). [1552] *addit* 2. [1553] *addit* 2.

imitatione amplius atque amplius provocabant.

34. Sed et idem venerabilis Einoldus jam et ipsa, ad quæ interdum recurrere videbatur, propria civitatis Tullensis funditus sibi præcidens, dum cum ipsis tamquam mansionem perpetuam statuit, eosdem pariter omnes ad renuntiationem quoque rerum omnium impellebat. Unde cum de his instantius consultarent, loca, in quibus communem vitam professi pariter habitare possent, sollicite pertractant; ad hoc nullo eis in his dumtaxat regionibus, qui sibi ad eaque mente conceperant oportunus videretur, occurrente — adeo seculi macula quadam cuncta fere cœnobia offuscaverat — longinqua queque et peregrina delegere statuerunt. Hoc cum omnibus uno animo eademque sententia placuisset, Johannes superiore profectione sua Italica circa Beneventanas regiones loca se quedam in desertis valde oportuna asserit conspexisse, in quibus labore manuum ad exemplar antiquorum sanctorum facili victu vitam ducere possent, quæ utique et vinctis et situ et vastitate obductis copiosa, et cetero usu mortalibus per omnia essent accommoda. Ad hoc et montis Cassini, quem subierat et propriis visibus exploraverat, mentionem adducens, simul et illius abditi intra sinus marinos sancti Salvatoris cœnobii quod monti Bebio imminet, postremo in id omnes assensi sunt, ut quantotius profectionem illuc maturæ decernerent.

35. Cum ecce, divinitus ut certum est hoc procurato, ad notitiam episcopi, magni postmodum rerum divinarum recuperatoris, domni Adelberonis, hec omnia perferuntur. Bernacer enim unus ex ipsis, dum ecclesiæ sancti Salvatoris post domnum Warimbertum stipe domini ejusdem ecclesiæ magni et memorabilis viri Lantberti deserviret, eodem domino suo secretius evocato rem omnem ordine aperit, meritisque sanctitatis domni Einoldi atque hujus Johannis ceterorumque qui cum eis erant et fervore sanctorum desideriorum eidem plenius intimatis, et qualiter, quoniam in his regionibus non eis aptus occurreret locus ad serviendum Domino, exteras destinarent petere regiones, id ab eo interim accepit responsi, ut quoque pacto eos retinere temptaret, dum ipse oportunitate temporis capta episcopo ea insinuaret. Quod Domino faciente cicius ex voto cadente, queque sibi super viris eisdem erant comperta, pleniter explicat, addens ad hoc summo utique probro hanc maculam eis omnibus post seculis inurendam, si hi famuli Christi tanta spacia ejus episcopii, Deo propicio sic in immensum dilatati, ita sibi causarentur præclusa, ut quia nusquam exciperentur, in longinqua quedam sub cœlo incognito properarent, frustraque tot dicionis ipsius esse monasteria, si modo ab his tam brevis numeri homines pellerentur.

36. Episcopus cum nihil sibi umquam magis desiderio fuisse respondisset, quam ut penes se retinerentur, ac vicissim ab ipso Lantberto de loco habitationis eorum exquireret, ille Gorziam monasterium, non multum ab urbe longius, eis optime posse concedi respondit. Ibi repente viro prudentissimo, quid aliquando, antequam apicem pontificalis honoris attingeret, super loco eodem sibi in voto fuerit, secum animo reputante, nec humano consilio sed divina cura rem agi considerans, nihil omnino cunctatus firmat sententiam. Interim rem taceri jubet, dum tempus eos detur acciri. Erat locus idem ex qua olim fuerat specie præstantissima longa jam situ pene præferens solitudinem, et præter paucos in veste monachi inibi habitantes, quibus divinæ stipis vix modicum quid inferebatur, cetera ornatu omni submoto [1553*] fœda locum facies obsidebat. Possessionum quicquid exterius fuerat, Adelbertus comes, vir genere quidem clarus, ingenio autem ferox ac violentus, nec bono cuiquam fere umquam morum probitate probabilis, ex beneficio episcopi cui militabat, gratia sane ingrata, tenebat. Cognatus ipse jam dicti Lantberti — nam ejus sororem habebat — idemque inter se quibusdam animositatibus dissidebant. Erbo idem Lantbertus postquam animos episcopi ad hoc inclinatos persensit, Bernacro celerius refert, ut viris quantum potest persuadeat, quo mox coram venientes, quem sibi locum deligere malint, fuerint percunctati, omnibus prætermissis Gorziam postulent.

37. Dum hec clandestinis inter hos agitantur consiliis, omnium horum adhuc illis ignaris et de peregrinatione maturanda tractantibus, alius item ipsorum, cui nomen Randinco, absque licentia episcopi, sub quo stipe canonica alebatur et titulo supra memerato deserviebat, se vel quibus deputatus esset deserere, vel quoquam perpetuo posse secepere, non satis integrum sibi videri, suggescit. Domno Einoldo cum nullo modo improbante, immo canonicam sic se habere regulam asserente, ad hoc et ceteris ut ocius fieret in commune ferentibus, Bernacro mediante per virum clarissimum omniumque apud episcopum consiliorum intimum Lantbertum conspectibus episcopi præsentatur. Ubi cum, gratia habitus postulandi quid reliquis quoque esset in voto, ex ejus narratione palam perclaruisset, omnes qui forte constiterant ammiratione gaudio intermixto, ne tales ac tanti desiderii usquam dimitterentur, dignaque eis provideretur pocius habitatio, vocibus orabant et precibus.

38. Mox omnibus coram accitis seque digne ac reverenter exceptis, post audita ac reddita vicissim colloquia ubi episcopus, quam promti in eos animi esset, exposuit, locum sibi ad votum quocumque in suo episcopio copiam eis dat eligendi. Illi spatio brevi inter se conferendi petito et accepto, Bernacer, ut clam doctus erat, Gorziam nominat. Ceteris incerto nutantibus, eo quod peregrinatio eis multo dulcius complaceret, Johannes, quo majore nemo ardore exilii estuabat, astu quodam, tamquam id omnino esset impossibile: « Optime, inquid, neque

VARIÆ LECTIONES.

[1553*] submotu c.

alter quisquam melius postularetur [illegible] videlicet, eo sibi denegato, pro eo quod Adelberto nullatenus terra videretur posse extorqueri, ubi qui magnitudine potentia ac ferocitate cum sui tum fratris Bernuini Virdunensis episcopi, acerrimæ pariter mentis viri, plurimum ac pene in immensum niteretur [illegible] remoranda. Quod longe aliter Domino disponente provenit. A consultatione namque mox introgressis, cum quid convenisset retulissent, episcopus nihil omnimodo differens, sine ulla cunctatione, ut jam dudum animi fervore conceperat, locum protinus juri eorum contradidit. (368). Nec multo post etiam (DCCCCXXXIII) terram eidem Adelberto sublatam, que res [1554] (369) utique ad vim non minimam spectare videbatur, licet ei præ magnitudine devotionis postrema haberetur, monachis ex integro reddidit.

39. Quanto autem studio vel ipsos vel locum unice præter cetera dilexerit atque voluerit, oculorum magis quam sermonum fide petendum est, ut brevi ex illo dudum squalore deterrimo [1555] cuncta loci illius habitacula in novam quandam lucem et gratam aspectibus resplenduerint venustatem; ubi etiam, ut mox inde ab initio præoptaverat, sepulchro sibi quam longissime ante obitum collocato, Domino miserante venerabiliter est tumulatus. Præstititque ei gratia Christi opere adimplere, quod quondam ante nonnulla ordinationis suæ tempora tacito sibi in mentem voto obvenerat. Nam (370) tempore Wigirici prædecessoris sui cum quadam dierum populo admistus [1556], qui ex urbe ad idem monasterium, angustia siccitatis compellente, pedibus nudis processerat, ipse quoque ad martyris ibi quiescentis beati Gorgonii sepulchrum usque venisset, horrentemque loci situm vidisset, ita ut juxta altaria ipsa vestigia fœda animalium deprehenderet, ubi se ad orandum prostravit, altius præ tanta prælatorum injuria circa loca sanctorum ingemiscens, in hec, ut ipse postea referre consueverat, verba inter orandum prorupit : « Si indignum me, inquid, o pietas Christi immensa, et tuum, qui hic ades testis Domini, pium auxilium, hujus sancte sedis tuæ ministrum unquam promovere dignaberis, hanc loci hujus miserabilem, quam cerno oculis, faciem in aliam ab hac habitudinem, te mihi adjutore facto propicio, commutabo. »

40. (DCCCCXXVII *Mart.* 1.) Audivit Omnipotens, et Wigirico non post multum tempus absumpto (371) cum ei Benno quidam genere Suevus, in heremitica apud Turegum vastum solitudinem (372) aliquando vita famosus, zelo utique pio optimi tunc principis Heinrici, Octonis cesaris postmodum gloriosissimi genitoris, successisset, eoque, quo profundo judiciorum Domini abisso incertum, a pristine sanctitatis et heremo quæsitæ laudis dignitate defervente, ad ultimum lacrimabili rerum serie a nefandissimis servulis in abditis excecato (DCCCCXXVIII), dum sese postea in concilio episcoporum idem publice officio abdicasset (DCCCCXXIX), ipse Adelberto, præter spem omnium, cum esset regi quidem paterna simul ac materna stirpe longe retro usque ab hominum memoria sanguinis (373-74), sed ob rei familiaris inopiam, qua secundis matris nuptiis laborabat, censu aliquanto tenuior, consensu omnium publicisque æcclesiæ

VARIÆ LECTIONES.

[1554] *ita Labbeus corrrexit*, quereus *c.* sublatam querens, utique *Mab.* [1555] *i. e.* teterrimo. [1556] admittus *c.*

NOTÆ.

(368) Chartam exhibet Calmet *Hist. de Lorraine* T. I, Preuves p. 338.

(369) Scilicet *terræ oublatio.*

(370) Cf. Joannis Gorziensis Miracula S. Gorgonii c. 8.

(371) Cf. Translat. S. Glodesindis, c. 46.

(372) In eremo Einsiedeln.

(375-74) Filius Wigerici comitis, consanguineus Evæ comitissæ (matris Odalrici Remensis archiepiscopi), cujus et maritus Hugo comes a. S. Arnulfo descendit. Cognatio Adalberonis hæc est.

Illudovicus Pius (?)
N.
N.
Wigericus comes — Tidericus
Richizo — N. obiit in monasterio Harsteria. — monachus Gorz. abbas S. Huberti.
Gozilinus et alii. — Fridericus Brunonis vices gerens a. 959. dux a. 960. † 984? uxor a. 954. Beatrix Hugonis M. filia — Adalbero I. episcopus Mettensis 929 † 964 (cf. Flodoard a. 942, 947, 948, 950, 951, 953, 954, 959.)
Theodoricus dux a. 984. (Richer. 3, 103) † 1024. — Adalbero II. Episcopus Mettensis 984 † 1005.
Fredericus II. dux † 1032. — Adalberto III. episcopus Mettensis 1046 † 1072.
Beatrix nupta Bonifacio Tusciæ marchioni. — Sophia (*a*)

(*a*) Albericus in Chronico ad a. 1033 Beatriecm et Sophiam filias Sifridi, fratris Friderici II, fuisse scribit.

itimisque suffragiis in sacræ Metensis cathedræ A ontificium Domino promovente sustollitur.

41. Cujus deinceps actus de die in diem felicius procedentes ut Christo duce succreverint, et ut in monasterium præcipue reparatione (375) studium præ cunctis transfuderit, nequaquam brevi sermone stringi quisquam quesierit, neque mihi id, si sapiam, arrogare præsumpserim. Et certe res ipsa ita se cunctorum ingerit oculis, ut quicquid dictum fuerit, minus videatur, et multitudo factorum nequaquam exæquari valeat facultate verborum. Ecclesiam siquidem, quam superiorum temporum perturbatione ab omni pæne studiorum bonorum fervore tam in divinis quam et humanis detritam susceperat, ita secum Domino operante ex nullo, ut ita dixerim, in summum repente statum provexit, ut quecumque B diocesi suæ suberant monasteria, longo jam et veteri morbo ab opere rectitudinis languida et pene desperata, regularibus disciplinis reddiderit, viros vita et doctrina probatos singulis quibusque locis præficiens, qui mundo perfecte abdicato, ceteris documento et disciplina proficerent. Clericorum ipsorum conciliabula, eo quod divisam cum sæculo conversationem non satis probabat, in monachorum instituta mutavit. Sanctimonialium habitacula, quod ea, etsi non re, fama tamen obscurari quam ægre ferebat, omni sinistræ suspitionis morsu eripuit, et ad idem quo monachos institutum, et in nullo dispares observationes, pro sexus virtute coercuit. Nec jam antiquioribus et eminentioribus contentus locis, ipsas quoque cellulas longius ritu vago dispersas, in quibus vix octo aut certe minoris numeri cle- C rici rurales nuda verborum reddebant [1557] officia, monachorum habitu et observationibus insignivit. Utque tempora resque tulerunt, terras sumptibus eorum necessarias et quæ locorum erant restituit, et propriis usibus subtractas egregia liberalitate additis testamentis contradidit.

42. Sed quamquam omnium miro studio cum cura tenuerit, Gorzia tamen, ut dixi, unico sibi semper fuit amori, pro eo quod et principium operum ejus extiterat, et sanctitas prædictorum virorum Einoldi atque Johannis eum præcipue oblectabat, quibus etiam, præ excellentia virtutis, fidei et sapientiæ, in omnibus fere deinceps divinis seu humanis est usus consiliis. Nec ferme aliquando, quicquid eorum promulgavit sententia, frustra temptatum est, ut D contra, si quo extra egressum, sero penituit.

43. Ingressi sunt autem idem monasterium anno incarnationis dominicæ 933, obtinente partem Franciæ regni quondam Lotharii Heinrico Germanorum rege, quo gloriosissimus Otto Cesar, omnium retro præconia superans et universo orbi non minus gloriæ quam fructui natus, exortus est; Franciam autem occidentalium partium Ludowico, filio Karoli, qui bello apud Suesionum civitatem nota fama nec victus nec victor, in custodiam ad mortem usque detrusus est. Ut autem eos pariter superior descripsit conventus, ita omnes sacræ miliciæ successerunt, id est ipsi primi et novi duces exercitus præstantissimaque ejus seculi lumina, Einoldus atque Johannes, deinde Salecho ex clericis sancti Martini citra Mosellam, Randincus presbiter tituli sancti Simphoriani, Bernacer diaconus de quo supra memoratum est, cumque his adulescentuli duo, Teuthincus minister domni Einoldi, et Teutherus, qui adhuc bone conversationis superest, cum Randinco presbitero, cujus erat nepos, admissus. In vestibus clericorum aliquandiu incesserunt, donec episcopo illuc veniente, et more monastico electione de sibi præficiendo patre petita et accepta, cum institutione vitæ regularis, habitum quoque monachi commutarunt.

44. Uno enim voto et pari sententia domno Einoldo ab omnibus exclamato, ipse primus omnium episcopo regularem conversationem ex instituto beati Benedicti scripto professus, et cruci dominicæ dedicandus, cucullo induitur. Sequentes abbati ex ordine profitentes, in miliciæ celestis et obedientiæ sacramenta sub ipso omnes similiter pari [1558] modo conjurant. Ad res extra curandas domnus Johannes doctus et gnarus earum eligitur. Pauci qui ex vetusta conversatione ibi supererant monachi, ad exemplum novorum coacti in communionem vite etiam ipsi assensi sunt. Census eis vel substantia primo admodum tenuis fuit, quam tamen interioris animi tesaurus facile tolerabilem faciebat, fidesque in Deo plena, quæ nescit defectum, religiosos quosque ex locis diversis in eam tunc primum nascentis gratiæ venustatem excitos, quibuscumque necessariis [1559] impendendis ardore certatim altero alteri inruentibus impellebat.

45. Ad hoc ipse Johannes quæcumque in facultatibus pridem supererant, tamquam fidele Christo mancipium, immo probans in modico, quam fidelis in majori esset futurus, illuc cuncta contraxit, ita ut ne propinquis aliquibus, vel ipsis etiam carne germanis, quicquam ex quibuscumque possessionibus relinqueret, quin potius ad cumulum gloriarum celestium ipsos, qui tantum duo fuerant sibi germani, ad divinum post modicum temporis secum subegit servitium. Resque omnes tam in domibus quam in agris cum vinearum pulcherrima admodum copia, quæcumque partibus erant venture, in unum redactas, usibus communibus monasterii delegavit; condicione tamen ea proposita, ut dum ipse adviveret in jus monasterii retenta, eo decedente non aliter ab heredibus, si qui forte proximiores tunc essent, repeterentur, nisi prius in libris argenti 30

VARIÆ LECTIONES.

[1557] reddebat c. [1558] patri *corr.* pari *c.* [1559] necessarius *c.*

NOTÆ.

(375) Cf. chartas a calmeto in *Preuves de l'Histoire de Lorraine* collectas, p. 338 sqq.

monasterio datis redemerent. Matrem quoque secundo viro viduam, post nonnullum tempus cum aliquibus ex familia ad se recurrentem, quod jam provectioris esset ætatis, in stipe monasterii [1560] extra suscepit. Ubi etiam plures annos ipsa sancta anus postea in bona conversatione, fratribus congregationis ipsius serviens deguit, et quæque in vestibus erant necessaria, ipsa cum suis aliquibus, quæ secum in eadem stipe monasterii manebant, strenue satis ac fideliter exercebat. Ibique in ipso devotionis obsequio diem clausit extremum.

46. Cum ad hunc [1561] usque locum nisi admodum debiliore evectus, in documentum prorsus hebetationem ingenii, veluti viribus cunctis effusis, a cœpto tandem segnis et tamquam multo opere delassatus, brachia penitus dejecissem, nec ulterius viam qua B procederem aut nullam aut difficulter inveniendam mihi superesse, sperarem, inopinato studiorum omnium lux hac nostra nominandus ætate, et cum usui tum ornatui rerum omnium totus natus, maximus et inclitus præsul domnus supervenit Deodericus. Quo videlicet hortatore atque impulsore, ut in principiis reddidi, unice præter cetera usus, ad hoc opus nimium audax prorupi. Is ubi me casu domi convenit, si quid jussi operis seu quantum confecerim requisivit. Cui cum verebundus, uti egeni conscius ingenii, nec negare, nec libere, quod quoquo modo ineptum et plenum nugarum edideram, offerre præsumerem, atque inter utrumlibet hæsitans trepidarem, ille, scedulis sibi deferre jussis, ordine cuncta cucurrit. Tum vero velut eos, qui sub luce maligna diversum ab eo quod se habet res intuentur, modo quam erant dissimili cum cuncta efferre, et quibusque obviis palam jactare, satis quod mirarer nosse non potui.

47. (DCCCCLXXVIII. *Dec.* 25.) Forte ibi tunc Trajectensis seu Dabentrensis ecclesiæ pontifex clarissimus atque in grege doctorum admodum celebratus domnus Popo (376) adfuerat, festis natalis dominici in communicationem gaudiorum ab eodem nostro antistite, cum suo, id est ipsius Poponis, genitore, viro in rerum publicarum cura strenuissimo atque comite palatino, cui nomen Berno, ascitus. Ei cum eadem pariter verbis non semel sufficientibus ingeminans extulisset, ad me cum ipso ora conversus, ut cœpta nullo cunctabundus explerem, hortatu magis ac magis ampliore animos addere et favore quam plurimo mihi tamen erubescendo non desistebat accendere.

48. Quibus cum in aliquam forte facilitatem sese A [illegible], ut pene jam sola pos[illegible] esse ad quod tanto [illegible] [illegible]met paululum post tamen relapsus, et virium itidem ut erant consideratione remensus, non minus quam a principio propriæ inercie veternum, solo hærere compulerat. Sed ut cito moras cunctationis dirrumpam, cum hæc utcumque animationis [1562] excitassent, tum qui immutationem amor viri quem suscepimus nescit admittere, præ omnibus quicquid virium mihi posset superesse, superque ipsas vires contendere sibi coegit expendere. Itaque reliqua ab ipso religionis habitu accepto, que ei conversatio fuerit, quantum scilicet aut ex testibus cunctis piis ejus actibus adherentibus, viris utique religiosis, aut ex ipso narrante, ut casus tulit — quod tamen, dum gloriam respuit, ratum fuit — audivimus, vel quæ ipsi, quibus nulla potior fides, persensimus, hinc ut Domini erit misericordiæ prosequemur.

49. Ceterum ne cui seu interrupta aut extraordinaria series videatur, si qua de personis, quarum [1563] quippiam eorum que dicentur interesse videbitur, inserentur, quarum et nonnullas superior propositio intulit, et decurrens alias pro causarum oportunitate et temporum sermo plures inducet, de quibus utique prioribus consequentia non reddere, ratio ipsa, etiam si conaremur, resisteret. Simul vir isdem longe incomparabilis cum ita vitam egerit, ut solitarius inter multitudines vixerit — nam frustra nisus recederet, si quis ejus robore virtutum se posse aspirare confideret — non sibi tamen soli quo fece- C rat arrogabat, verum cæteros secum operari quicquid illud vel secreti solius esset judicabat. Nihilque præ se superius quam communis vitæ actionem umquam alicubi fecerat. Quocirca qui ei pariter versabantur, eorum non inmerito gestis ipsius acta intererunt, qui non modo nullam tamquam superiores ei invidiam facient, sed illis potius ex tanti viri contubernio fulgor [1564] quodammodo amplior cumulabitur et claritas crescet et gloria.

50. Antequam ergo ultra promoveam, primo quia non alias forsitan magis oportune se locus offerre videtur, de viris quoque illis venerabilibus, quos textus superior memoravit (*cap.* 23), Andrea atque Humberto, dignum arbitror dicere quorum uterque his item utrisque Einoldo atque Johanni non imparis D sanctitatis incitamenta et quidam quasi stimuli ac virtutes fuere. Hi enim ut fama vulgante loco prædicto se viros eosdem recepisse et plures undique ad eos divinæ servitutis amore compererant festinare,

VARIÆ LECTIONES.

[1560] monasterii *c.* [1561] adhuc *c.* [1562] animationes *Mab.* [1563] quorum *c.* [1564] furgor *c.*

NOTÆ.

(376) Poppo sive Folcmarus sedit annis 977-990. Utrumque nomen idem esse in vita Brunonis vidimus. Jbm igitur cum Thietmaro IV, 1, 2, et Annalista Saxone Pappo Trajectensis intelligendus et dicendus erit; et recte abbas Fuldensis et Laureshamensis, qui ab aliis Bobbo, a Thietmaro VIII. 5, appellatur Wolcmarus. Aliud exemplum nominis hujusmodi duplici modo usitati in Miraculis Adalheidis occurrit, et Liudolfum et Liudgardam Dudonem et Dudicham vocari vidimus. Eodem modo apud Anglos hodieque Robertus et Wilhelmus nomina *Bopp* quoque et *Dick* efferuntur.

itimisque suffragiis in sacræ Metensis cathedræ pontificium Domino promovente sustollitur.

41. Cujus deinceps actus de die in diem felicius procedentes ut Christo duce succreverint, et ut in monasterium præcipue reparatione (375) studium præ cunctis transfuderit, nequaquam brevi sermone stringi quisquam quesierit, neque mihi id, si sapiam, arrogare præsumpserim. Et certe res ipsa ita se cunctorum ingerit oculis, ut quicquid dictum fuerit, minus videatur, et multitudo factorum nequaquam exæquari valeat facultate verborum. Ecclesiam siquidem, quam superiorum temporum perturbatione ab omni pæne studiorum bonorum fervore tam in divinis quam et humanis detritam susceperat, ita secum Domino operante ex nullo, ut ita dixerim, in summum repente statum provexit, ut quecumque diocesi suæ suberant monasteria, longo jam et veteri morbo ab opere rectitudinis languida et pene desperata, regularibus disciplinis reddiderit, viros vita et doctrina probatos singulis quibusque locis præficiens, qui mundo perfecte abdicato, ceteris documento et disciplina proficerent. Clericorum ipsorum conciliabula, eo quod divisam cum sæculo conversationem non satis probabat, in monachorum instituta mutavit. Sanctimonialium habitacula, quod ea, etsi non re, fama tamen obscurari quam ægre ferebat, omni sinistræ suspitionis morsu eripuit, et ad idem quo monachos institutum, et in nullo dispares observationes, pro sexus virtute coercuit. Nec jam antiquioribus et eminentioribus contentus locis, ipsas quoque cellulas longius ritu vago dispersas, in quibus vix octo aut certe minoris numeri clerici rurales nuda verborum reddebant [1557] officia, monachorum habitu et observationibus insignivit. Utque tempora resque tulerunt, terras sumptibus eorum necessarias et quæ locorum erant restituit, et propriis usibus subtractas egregia liberalitate additis testamentis contradidit.

42. Sed quamquam omnium miro studio cum cura tenuerit, Gorzia tamen, ut dixi, unico sibi semper fuit amori, pro eo quod et principium operum ejus extiterat, et sanctitas prædictorum virorum Einoldi atque Johannis eum præcipue oblectabat, quibus etiam, præ excellentia virtutis, fidei et sapientiæ, in omnibus fere deinceps divinis seu humanis est usus consiliis. Nec ferme aliquando, quicquid eorum promulgavit sententia, frustra temptatum est, ut contra, si quo extra egressum, sero penituit.

43. Ingressi sunt autem idem monasterium anno incarnationis dominicæ 933, obtinente partem Franciæ regni quondam Lotharii Heinrico Germanorum rege, quo gloriosissimus Otto Cesar, omnium retro præconia superans et universo orbi non minus gloriæ quam fructui natus, exortus est; Franciam au-A tem occidentalium partium Ludowico, filio Karoli, qui bello apud Suesionum civitatem nota fama nec victus nec victor, in custodiam ad mortem usque detrusus est. Ut autem eos pariter superior descripsit conventus, ita omnes sacræ miliciæ successerunt, id est ipsi primi et novi duces exercitus præstantissimaque ejus seculi lumina, Einoldus atque Johannes, deinde Salecho ex clericis sancti Martini citra Mosellam, Randincus presbiter tituli sancti Simphoriani, Bernacer diaconus de quo supra memoratum est, cumque his adulescentuli duo, Teuthincus minister domni Einoldi, et Teutherus, qui adhuc bone conversationis superest, cum Randinco presbitero, cujus erat nepos, admissus. In vestibus clericorum aliquandiu incesserunt, donec episcopo illuc veniente, B et more monastico electione de sibi præficiendo patre petita et accepta, cum institutione vitæ regularis, habitum quoque monachi commutarunt.

44. Uno enim voto et pari sententia domno Einoldo ab omnibus exclamato, ipse primus omnium episcopo regularem conversationem ex instituto beati Benedicti scripto professus, et cruci dominicæ dedicandus, cucullo induitur. Sequentes abbati ex ordine profitentes, in miliciæ celestis et obedientiæ sacramenta sub ipso omnes similiter pari [1558] modo conjurant. Ad res extra curandas domnus Johannes doctus et gnarus earum eligitur. Pauci qui ex vetusta conversatione ibi supererant monachi, ad exemplum novorum coacti in communionem vite etiam ipsi assensi sunt. Census eis vel substantia primo admodum tenuis fuit, quam tamen interioris animi tesaurus C facile tolerabilem faciebat, fidesque in Deo plena, quæ nescit defectum, religiosos quosque ex locis diversis in eam tunc primum nascentis gratiæ venustatem excitos, quibuscumque necessariis [1559] impendendis ardore certatim altero alteri inruentibus impellebat.

45. Ad hoc ipse Johannes quæcumque in facultatibus pridem supererant, tamquam fidele Christo mancipium, immo probans in modico, quam fidelis in majori esset futurus, illuc cuncta contraxit, ita ut ne propinquis aliquibus, vel ipsis etiam carne germanis, quicquam ex quibuscumque possessionibus relinqueret, quin potius ad cumulum gloriarum celestium ipsos, qui tantum duo fuerant sibi germani, ad divinum post modicum temporis secum D subegit servitium. Resque omnes tam in domibus quam in agris cum vinearum pulcherrima admodum copia, quæcumque partibus erant venture, in unum redactas, usibus communibus monasterii delegavit; condicione tamen ea proposita, ut dum ipse adviveret in jus monasterii retenta, eo decedente non aliter ab heredibus, si qui forte proximiores tunc essent, repeterentur, nisi prius in libris argenti 30

VARIÆ LECTIONES.

[1557] reddebat c. [1558] patri *corr.* pari *c.* [1559] necessarius *c.*

NOTÆ.

(375) Cf. chartas a calmeto in *Preuves de l'Histoire de Lorraine* collectas, p. 338 sqq.

monasterio datis redimerent. Matrem quoque secundo viro viduam, post nonnullum tempus cum aliquibus ex familia ad se recurrentem, quod jam provectioris esset ætatis, in stipe monasterii [1560] extra suscepit. Ubi etiam plures annos ipsa sancta anus postea in bona conversatione, fratribus congregationis ipsius serviens deguit, et quæque in vestibus erant necessaria, ipsa cum suis aliquibus, quæ secum in eadem stipe monasterii manebant, strenue satis ac fideliter exercebat. Ibique in ipso devotionis obsequio diem clausit extremum.

46. Cum ad hunc [1561] usque locum nisi admodum debiliore evectus, in documentum prorsus hebetationem ingenii, veluti viribus cunctis effusis, a cœpto tandem segnis et tamquam multo opere delassatus, brachia penitus dejecissem, nec ulterius viam qua B procederem aut nullam aut difficulter inveniendam mihi superesse, sperarem, inopinato studiorum omnium lux hac nostra nominandus ætate, et cum usui tum ornatui rerum omnium totus natus, maximus et inclitus præsul domnus supervenit Deodericus. Quo videlicet hortatore atque impulsore, ut in principiis reddidi, unice præter cetera usus, ad hoc opus nimium audax prorupi. Is ubi me casu domi convenit, si quid jussi operis seu quantum confecerim requisivit. Cui cum verebundus, uti egeni conscius ingenii, nec negare, nec libere, quod quoquo modo ineptum et plenum nugarum edideram, offerre præsumerem, atque inter utrumlibet hæsitans trepidarem, ille, scedulis sibi deferre jussis, ordine cuncta cucurrit, Tum vero velut eos, qui sub luce maligna diversum ab eo quod se habet res intuentur, modo quam erant dissimili cum cuncta efferre, et quibusque obviis palam jactare, satis quod mirarer nosse non potui.

47. (DCCCCLXXVIII. *Dec.* 25.) Forte ibi tunc Trajectensis seu Dabentrensis ecclesiæ pontifex clarissimus atque in grege doctorum admodum celebratus domnus Popo (376) adfuerat, festis natalis dominici in communicationem gaudiorum ab eodem nostro antistite, cum suo, id est ipsius Poponis, genitore, viro in rerum publicarum cura strenuissimo atque comite palatino, cui nomen Berno, ascitus. Ei cum eadem pariter verbis non semel sufficientibus ingeminans extulisset, ad me cum ipso ora conversus, ut cœpta nullo cunctabundus explerem, hortatu magis ac magis ampliore animos D addere et favore quam plurimo mihi tamen erubescendo non desistebat accendere.

48. Quibus cum in aliquam forte facilitatem sese A [illegible], ut pene jam stilo posse [illegible] esse ad quod [illegible] plenius [illegible] promitteret, ac semet paululum post tamen relapsus, et virium itidem ut erant consideratione remensus, non minus quam a principio propriæ inercie veternum, solo hærere compulerat. Sed ut cito moras cunctationis dirrumpam, cum hæ utcumque animationis [1562] excitassent, tum qui immutationem amor viri quem suscepimus nescit admittere, præ omnibus quicquid virium mihi posset superesse, superque ipsas vires contendere sibi coegit expendere. Itaque reliqua ab ipso religionis habitu accepto, que ei conversatio fuerit, quantum scilicet aut ex testibus cunctis piis ejus actibus adherentibus, viris utique religiosis, aut ex ipso narrante, ut casus tulit — quod tamen, dum gloriam respuit, rarum fuit — audivimus, vel quæ ipsi, quibus nulla potior fides, persensimus, hinc ut Domini erit misericordiæ prosequemur.

49. Ceterum ne cui seu interrupta aut extraordinaria series videatur, si qua de personis, quarum [1563] quippiam eorum que dicentur interesse videbitur, inserentur, quarum et nonnullas superior propositio intulit, et decurrens alias pro causarum oportunitate et temporum sermo plures inducet, de quibus utique prioribus consequentia non reddere, ratio ipsa, etiam si conaremur, resisteret. Simul vir isdem longe incomparabilis cum ita vitam egerit, ut solitarius inter multitudines vixerit — nam frustra nisus recederet, si quis ejus robore virtutum se posse aspirare confideret — non sibi tamen soli quo fece- C rat arrogabat, verum cæteros secum operari quicquid illud vel secreti solius esset judicabat. Nihilque præ se superius quam communis vitæ actionem umquam alicubi fecerat. Quocirca qui ei pariter versabantur, eorum non inmerito gestis ipsius acta intererunt, qui non modo nullam tamquam superiores ei invidiam facient, sed illis potius ex tanti viri contubernio fulgor [1564] quodammodo amplior cumulabitur et claritas crescet et gloria.

50. Antequam ergo ultra promoveam, primo quia non alias forsitan magis oportune se locus offerre videtur, de viris quoque illis venerabilibus, quos textus superior memoravit (*cap.* 23), Andrea atque Humberto, dignum arbitror dicere quorum uterque his item utrisque Einoldo atque Johanni non imparis sanctitatis, incitamenta et quidam quasi stimuli ac virtutes fuere. Hi enim ut fama vulgante loco prædicto se viros eosdem recepisse et plures undique ad eos divinæ servitutis amore compererant festinare,

VARIÆ LECTIONES.

[1560] monasterii *c.* [1561] adhuc *c.* [1562] animationes *Mab.* [1563] quorum *c.* [1564] furgor *c.*

NOTÆ.

(376) Poppo sive Folcmarus sedit annis 977-990. Utrumque nomen idem esse in vita Brunonis vidimus. Jbm igitur cum Thietmaro IV, 1, 2, et Annalista Saxone Pappo Trajectensis intelligendus et dicendus erit; et recte abbas Fuldensis et Laureshamensis, qui ab aliis Bobbo, a Thietmaro VIII. 5, appellatur Wolemarus. Aliud exemplum nominis hujusmodi duplici modo usitati in Miraculis Adalheidis occurrit, et Liudolfum et Liudgardam Dudonem et Dudicham vocari vidimus. Eodem modo apud Anglos hodieque Robertus et Wilhelmus nomina *Bopp* quoque et *Dick* efferuntur.

ipsi quoque nullo remorati, etsi non tempore animo tamen atque intentione pari, illuc convolarunt, et monasticam institutionem professi, quibus fuerant prius prævii et magistri, eorum magisterio et ducatui subjici nec abnuerunt nec erubuerunt. Et cum Andrea quidem germanus ipsius Maginfredus, postea alii quidam gentis ejusdem sunt subsecuti. Cum Humberto autem puerulus quidam ei ministrans, Milo nomine, susceptus est, bone ipse indolis et non minimo postmodum usui profuturus.

51. Præterea quod de eodem viro venerabili Humberto primo cum narrationi incideret est prætermissum (*cap.* 21), hic breviter reddendum videtur, qualiter ipse quoque divino impulsu in habitum religionis transierit. Ex parentibus hic etsi ruralibus non adeo tamen re familiari subtritis, dum adulescens cum eisdem versaretur, quadam forte die, uti se vita illa invicem retinet privatorum, noti aliqui vel affines in domo eorum venerant convivæ. Illis, ut forte hora tulit, ibi nocte retentis cubitumque petentibus, lanceolas quas de more bajulantes attulerant, feni acervo, quod propter fuerat, verso sursum ferro apponunt. Casu idem adulescens paulo ante acervo conscenso [1565] ibidem obdormierat. Ad multam fere noctem somno excitus, cum extra nescio quo ante condixerat egredi vellet, per acervum se sensim dimittens, inter erectos cuspides vicino nimium est illisus periculo, ita ut veste corpori adhærente comprehensa ferroque terebrata, per hastile usque ad terram decurreret. Hastili subacto et re palpatu solicitius explorata, stans et tam præsentem circa se Dei custodiam etiam prava molientem considerans, gradum ab incepto jam meliora deliberans retinet, atque in reliquum Deo servire mente tota pertractat.

52. Nec multo post, licet patre plurimum obsistente, rebus cunctis posthabitis, Romam proficiscitur, et in id perlustrationis tempore non parvo exacto, reversus cellulam reclusoriam Virduni sibi constituit. Ubi diuturna absentia ceterisque bonorum operum studiis, pluribus visus est profuisse. Lectioni quoque assidue operam dans, brevi non modicum scientiæ tesaurum sibi comparaverat. In quo illud miraculo fuerit [1566], quod ante horum fere expers, spiritu tantum magistro sapientibus repente non dispar, certe superior in multis apparuit. Ibi per idem tempus duæ oppidi ipsius religiosæ feminæ cellula seorsim remotæ ab eo instituebantur, et ex fenestra tantum cellulæ verbum doctrine seu ceteræ institutionis sumebant. Aliæ item duæ apud eamden urbem ejus sunt exhortatione accensæ, quarum altera mater plurimarum ancillarum Christi postea facta est (377) in territorio Tunlensi [1567], loco qui Buxerias dicitur (378). Ubi monasterium ab episcopo bonæ memoriæ Gozlino (379) ex novo constructum, postquam he duæ primum sunt intromissæ, multiplex deinde ex diversis mundi lateribus sancti fervoris se ibidem examen infudit, ut usque hodie nova quadam gratia inter cetera resplendere videatur. In ea itaque cellula reclusiora multos agens [1568] annos, postquam, ut supra memoravimus, gratia domnum Einoldum visendi Tullo veniens domnum Johannem ei innotuit, indeque propria repetiit, mox certæ sedis ipsorum famam percepit, cum eis et ipse habitaturus accurrit. In qua societate de reliquo pio admodum labore est conversatus, donec causa religionis exinde monasterio beati Apri Tullo translatus est; ubi et in cura gregis dominici beato fine quievit.

53. Andreas quoque et ipse postquam in eadem sacra milicia plurimam ætatem confecerat, jam senex et mentem candore capitis referens, Romam ad postulationem pape Agapiti mittitur, qui litteris cum nuncio quodam idoneo viro multum a domno Einoldo efflagitaverat, aliquos sibi religiosos, quos in monasterio beati Pauli, quod tunc ad monasticum ordinem transferre moliebatur, cum auxilio regis Albrici collocaret, transmitti (DCCCCL . Quo cum altero quodam fratre, qui ex monasterio Luxovio Gorziam ante aliquod annos advenerat, perductus, regulari institutione loco informato, non multo post receptus ad Dominum, ibidem est tumulatus.

54. Et quia mentione duorum augmentum congregationis ejusdem tangere cœpimus, de aliis quoque quæ [1569] memoratu dignæ successerunt personæ, quam succincte res pacientur, mox inferre non inconsequens arbitramur. Ita enim, plano quodammodo spatio, de viro quo proposuimus decurret narratio libera atque omnibus expedita sibi primum absolutis, soli tantum proposito continuus et nullo intercisus labor incumbat negotio. Ut ergo suave fragans [1570] odor, in qua Christus recubuerat, domus ibique juxta vel procul respersus est, fideles quique eo adtracti, mira celeritate undique cepere concurrere. Nec solum qui sancto desiderio jam dudum accensi, vel spiritu occultius inspirati, vel lectione divina excitati, qui eis viam rectæ conversationis ostenderet exspectabant, mox tota aviditate quod oblatum cernebant amplexi sunt, verum alii quoque, qui catenus frigidi torpuisse videbantur, horum exemplis concitati, tamquam carbonibus vivis sibi admotis calefacti, ad eorum consortium ardentissime festinabant.

55. Neque hi fere quicumque de trivio, sed urbanarum deliciarum gloriæque et sumptuum fuere non ignobilium, quorum etiam opibus non modica supellectile locus est auctus. In his patruus jam dicti ve-

VARIÆ LECTIONES.

[1565] consenso *c.* [1566] fuerat *corr.* fuerit *c.* [1567] *ita c.* [1568] ei gens *c.* [1569] *deest in c.* [1570] fraglans *c.*

NOTÆ.

(377) Anno 962.

(378) Bouxières-aux-Dames, hodie diœc. Nanceiensis.

(379) Obiit a. 963.

nerabilis domni Adelberoni: fuit Fridericus, qui infantulus quidem monasterio sancti Humberti [1571] (380) fuerat mancipatus, sed simili cæteris [1572] loco eorum morbo pallente, ipse quemadmodum majorum ducebatur, exemplis, indifferenter seculo convivebat. Eratque ad id temporis, quia jam admodum ætate processerat, et magnorum quantum ad secularia sensuum virque industrius videbatur, episcopo adhuc tunc junioris ætatis adherens, cujus et consultu pleraque tunc in episcopio agebantur. Animis prætera, ut vere patruus, severioribus, a pluribus quam sepe non necessariis juvenilia molimina revocabat. Hic tandem aliquando secum retractans, cum tantam eorundem virorum Dei videret instantiam, corde compunctus, cunctis quæ se male illexerant posthabitis commodis, ocius eis accessit. Nec multo post loci ipsius præpositus post abbatem [1573] statuitur, ac domnus Johannes ei solatio subponitur [1574]. Postea autem rogatu episcopi (381) Leodicensis Richarii monasterio proprio sancti Humberti restitutus et regulari ordine abbas præfectus, usque in finem laudabili conversationis rigore rem divinam optime monastico tenore continuit. Situs est Treveris in monasterio sancti Maximini, quo dum sollempnitas dedicationis (382) eum invitat, morbo repente pervasus diem extremum ingressus est; novaque novæ fabricæ ecclesiæ novo ospiti novum primo sinum aperuit.

56. Simili (383) modo Virdunensis æcclesiæ primus ab episcopo curam herens Odilo, vir natalibus clarus, facultate sufficiens, in rebus agendis admodum strenuus, et si clericum forte non impediret, nullo [1575] que mundi fert ambitus loci sui cuiquam impar, cunctis illis mordacibus [1576] curis rejectis, huic sancte paupertati pauper spiritu factus se contulit, exiguumque ac vile stipendium cunctis seculis opibus gloriosius et sufficientius estimavit. Is quoque post bene adultum sanctæ conversationis robur, petitus reformationi monasterii, quod dicitur Stabulaculum, ibidemque promotus (384), ad rectitudinis lineas, quæ prava forte invenerat, Christo auxiliante correxit; ubi etiam cursum naturæ persolvit.

57. Ad idem ferme tempus, specimen ut ita dicam et flos ejus quod tunc cœlestis compingebatur serti, jucundisssimus atque spectatu dignissimus Angilramnus, primo Tullensis, deinde sanctæ quoque Metensis æcclesiæ primicerius, nobilitate et opibus ea ætate, quodque consequenter satis esset gloriæ præstans, moles secum auri atque argenti cæteræque cumulos supellectilis trahens, instar primitivi illius apostolici populi in usus pauperum redigenda, sanctam illam societatem expetiit. Predii quoque non ignobilem quantitatem monasterio sub testamento perpetuo obtinendam contradidit. Cujus quæ postmodum fuerint conversationis insignia, quantaque fortitudine robur structure ejus in reliquum se tenuerit, gratius forsitan audietur, si prius, quo paululum initia ejus impulsa visa sunt vacillasse [1577], breviter perstringetur; cum præsertim concussus, non statione penitus sit exturbatus, eoque firmius postea pedem fixerit, quo ad tempus sese neglegentius locum quem ceperat observasse doluerat.

58. Is itaque ubi cum eo quo diximus sumptu susceptus est, eo quod ampla erat persona et ex deliciis, cunctisque ipsorum ante notissimus, mollius ceteris tractabatur atque honorabatur. Nam et ex ejus clientibus aliqui ad idem se propositum contulerant. Ipse interea, uti qui necdum quam semel male admiserat gloriam perfecte corde dispulerat, nequaquam æqua aliis pati, et pro his quæ loco contulerat paulo incontinentius elevari. Jamque quod consequens, increpationibus obstrepere [1578], correptionibus non adquiescere, et uti qui se minores cunctos attenderet, quasi de superiori loco sententiam ferre, sed et si qui forte infirmioris animi sibi pro moribus accessissent, eos contra majorum prolata pro libitu contueri. Ad hec pater Einoldus cæterique jam perfectæ in Christo ætatis, multa pro rebus et temporibus reclamare, hortari, obsecrare, et prout ætas pateretur paulo severius objurgare. Quibus tamen nonnunquam fere acerbiora in facie referens, vix contumelis temperabat.

59. Quid plura? Cum tempore hæc tracta plus opere longiore, ingrata nimium tedia peperissent,

VARIÆ LECTIONES.

[1571] *corrige* Hucberti. [1572] ceteris *c.* [1573] habatem *c.* [1574] subpunitur. [1575] *i. e.* nullo eorum quæ. [1576] mordatibus *c.* [1577] facillasse *c.* [1578] obtrepere *c.*

NOTÆ.

(380) Saint Humbert.
(381) Annis 922-945.
(382) Anno 942.
(383) Kadroles quoque sub Agenoldo Gorziam degit, ut ex Vitæ ejus cap. 24 discimus: « Rumor igitur ubique nomen ejus detulerat, et de virtutibus viri omnes gentes narrabant. Adalbero præsul nobilis nobilem Metensium nobiliter gubernabat cathedram. Cumque e diversis partibus multa ad eum perferret fama, hujus quoque viri nomen detulit; et ut erat amator religiosorum, venerabiles viros Agenaldum et Ansteum ad se advocatos, de viro interrogavit, et quomodo ad eum perveniat, inquirit. Venerabiles jam igitur dicti viri, desiderio domni pontificis rescito, sæpe virum Dei super eo alloquuntur. Solemnis erat dies, qua beati martyris Gorgonii agebatnr festiva memoria (v *Idus Sept.*), et undique confluentibus populis, ipse quoque homo Dei Kaddroe advenerat. Nacti itaque locum, ei præsulis voluntatem exponunt, et suas preces ante eum prosternentes, ut secum dignaretur manere, exposcunt. Sed quis eorum non diligeret in terris societatem, qui in cœlestibus castris jam meruerant æternam dignitatem. Precibus ergo supplicantium evictus consentit, et locum non longe ab urbe Mettensi positum, et multorum sanctorum corporibus et reliquiis inclitum, sed tunc jam ad nihilum redactum, suscepit commendatum.
(384) Anno 947 synodo Virdunensi interfuit.

quadam forte dierum, dum pro simili nescio qua insolentia acrius argueretur, majorem in modum animo concitato, e conspectu abbatis et ceterorum pariter assidentium sese proripuit, et male jam seculo, nisi Christus obvius repulisset, revolvendus, claustrum egressus est. Fratres tristes ac pavidi insecuti, cum eum in porticu exteriori, in qua exiens resederat, invenissent, ejus genibus advoluti, modis omnibus quibus poterant aggrediuntur, et nunc divini nominis obtestatione, ne faceret, obsecrare, ne quod bene cœperat bonum male amitteret; nunc perpetuam, quæ se apud sæculum consequeretur, ignominiam objectare : reminisceretur magis ante exacti laboris, quem tam turpiter in medios conatus desereret; reminisceretur ad ultimum districti examinis, cui forsitan senex jam jamque se cerneret propinquare; astutias [1579] insuper diaboli præcaveret, qui fructum totius laboris ei gestiret præripere. Multa in hunc modum replicantes, cum ille adhuc inflexibilis, sua tantum sibi redderentur — se deinceps, quid se fieret, satis curare — reposceret, illi majoribus instare, et pro viribus quæ mensuram nesciunt caritatis, animos viri in diversa versare, sermones sermonibus, preces precibus instaurare.

60. Nec prorsus, Domino cooperante, loco dicessum est, donec occulus ille miserationis antiquæ, ut tunc Petrum, ita et hunc modo respiceret, atque in quendam alterum ut ita dicam hominem commutaret. Nam et iste in amaras profluens lacrimas, illico rediit, et corpore nudato fascibus virgarum manu prælatis, pœnam clamoribus postulans, pedibus abbatis prosternitur, non modo gemitibus, verum totius gestu corporis doloris magnitudinem protestatus. Quis, putas, ibi lacrimas tenuit? Quis eam caniciem se vestigiis omnium intuens providentem, non corde solutus est? Qui, cum lacrimosis ille vocibus inclamaret : « Credite reum! cedite rebellem! ne parcite quæso superbo et væcordi et contemptori! » non gaudio mixto fletibus in ejus veniam proclamavit?

61. Tandem pater plenus pietatis assurgens, aliique [1580] cum eo, manibus caritatis suppositis solo erigunt, et cunctis clementer, ut tanta dejectio merebatur, indultis, in numerum tota alacritate recipiunt. Is vere dies in tantum ei extitit salutaris, ut quisquis illum deinceps attenderet, vix aliquid in eo viri qui prius fuerat recognosceret. Summa etenim vi, quantum in se fuit, abjectionem sui et quæque extrema semper appetiit. Delicias et mollia omni genere respuens, difficilia et austeriora magis amplexus est. Honorem impensum miro pudore non ferens, gravabatur potius quam oblectaretur. Parcitatem cibi vel potus ea arte quasi callidus quidam observator assumpsit, ut de singulis quæ apponebantur cotidianis momentis paulatim quiddam subtraheret, donec ad minimam [1581] quandam quantitatem rediret. Interdum etiam quibusdam penitus, tamquam obessent, abstinebat. Nunc quidem piscem omnem minorem generis, dum grandiores, rarius posse conquiri estimat, respuens, nunc eos ipsos quos magis appetere videbatur, dum undecumque quesiti offerentur, post non multum temporis quodammodo fastidiebat, tantaque ut ita dictam obstinatione, victor sui, quod semel animo statuerat custodivit, ut pulticulis tandem farinæ contentus esset, quanquam [1582] inter hæc creberrima, quæ etiam, dum in seculo viveret, diebus jejuniorum fortiter perferebat, panis tantum et aquæ jejunia exerceret. Ut enim multorum fide percepimus, adhuc in seculo ei biduum totum sine ullo cibo et potu omnino transire quasi nihil videbatur.

62. Illud autem stupori videntibus erat, quod vigor corporis ei tam vividus perseverabat, ut nihil de opere fratribus consueto prætermitteret, coquinam, vestium ablutionem, horti communem operam, caltiamentorum lavationem, missæ ebdomadam [1583], ordinem omnem claustri et oratorii, vivido robore adimpleret, vultusque ei hilaris et gaudens continue superesset. Tantum post aliquot temporis intervallum, a pristina corpulentia venter ei subsederat. Orationum et vigiliarum ejus instantiæ teste illud fuit tugurium, quod penes tumbam domni Chrodegangi, tamquam cellam solitariam, usque vocationis suæ tempus incoluit. In quo mox sinaxi fratrum expleta solus ostio se obcluso recipiens, gemitibus et planctibus et infinitis genuum inflexionibus noctes diesque continuabat. Et cum plerumque fratrum vigilias præveniens plurimum noctis in precibus occuparet, finitis eisdem vigiliis, quantumcumque noctis hieme vel æstate superesset, somnum deinceps nullatenus [1584] noverat, nisi ob sanguinis forte, quod vix tamen fuerat, minutionem; sed toto deinceps usque horam secundam vel terciam spacio in ea sancta contrictione et cœlestis januæ pulsatione perseverabat.

63. De continuatione silentii quod prædicem nescio, cum ipsa quoque licita colloquendi invicem tempora fugiens, in psalmorum potius melodiam commutaret. Et si forte compellaretur, breve quiddam reddens, ad solita et amica silentia protinus recurrebat. Curis quibuslibet corporis, balneis, quod [1585] ceteris recreationibus communi usu regulæ indultis, cilicium, vilitatem vestium, et ceterorum cultum horridum præferebat. Extremum quidem fuerit quod dico, animi tamen ejus virtuti comprobandæ permaximum. Dum fratres sabbato, ante mandatum vel feria quarta, ex more antiquo quidem sed tunc noviter nobis tradito (385)

VARIÆ LECTIONES.

[1579] astituas *c.* [1580] aliisque *c.* [1581] *ita correxit Labb.* nimiam *codex.* [1582] quandam *c.* [1583] ebdomedam *c.* [1584] lullatenus *c.* [1585] balneisque et *Mab.*

NOTÆ.

(385) Mos igitur per complura monasteria iterum invaluit; cf. Joannis Vitam Odonis Clun. II, 23.

calciamenta sibi abluerent, ille cuilibet ex improviso post veniens, dum frater unum abluendum manu teneret, alterum quodammodo invito violenter subripiens abluebat. Item dum vel faciem mane vel manus pransuri lavarent, nunc quidem ad vas illud, ex quo aqua quibusdam forulis fratribus ministrabatur, præcurrens, et obicem illum quo forulum illud obstruitur, dum frater lavaret, tenens, nunc linteum quod ad tergendum dependet offerens, voluntatem cordis ardentis ministrabat.

64. Plura in hunc modum obsequiorum ejus studia in omnes serviebant. Et cum hec et his similia humilitati cordis ejus fuerint documento, ad hoc et locum ordinis sui in choro, quem superiorem tenebat, tamquam infirmitate impediretur non ferens, in ultimum usque commutavit. Revera enim post tantam austeritatem viribus defetiscens, non jam vel ad standum in choro vel ad ceterum laborem sufficiebat. Quanta autem et vitæ puritas fuerit, ex fine perclaruit. Nam non longe ante obitum nocte quadam nescio quid divini audiens, nulli quicquam dicens, mane in fenestra prædicti tugurii exaravit sic : « V Id. Septembris somniavi me moriturum. » Fides his cicius facta est. Nam poet paucos dies febre correptus, mense plus lecto decubans, ad præfixum usque diem languore valido perductus est. Totumque id spacium absque ullo omnino permanens cybo, sola tantum aqua sustentatus est, et ita usque in nativitatem sanctæ Dei genitricis perdurans, — quam in crastinum beati Gorgonii martiris, cujus corpore idem monasterium percelebre est, dies consequitur, quo tunc maxima diversis ex partibus religiosorum virorum turba confluxerat, — plerisque eorum eum invisentibus, per totam fere diem nunc hoc nunc illo ad se introeunte, verbis salutaribus communicans, integra mente et sermone ante mediam fere noctem decessit. Funus multitudo quæ convenerat decenter digneque tanto viro curavit.

65. Eadem denique nocte, et ut conici potuit ipsa ora qua obiit, cuidam congregationis ipsius, Adelgero nomine, in monasterio quod dicitur Senonias (386) in partibus Vosagi cum fratribus quiescenti, quidam in sommis apparens : « Surge, inquid, et quis domnus Angilramnus defunctus est, campanas pro eo facito concrepare. » Experrectus ille et quibusbam excitatis, dum signo tantum innueret nec certo intellegeretur quid vellet, luce data eadem referens nec adhuc creditus, tercia die epistola obitus ejus allata, noctem et oram nullo diversam fuisse compertus est.

66. His super hoc, quæ omittenda [1586] non erant, commemoratis, quoniam de omnibus illius collegii, qui singuli fere digni memoratu pro merito egregiæ conversationis esset, longitudine obstante non sufficimus, patrem nobis in monasterio sancti Arnulfi postea datum domnum Ansteum (387) fas non est præterire.

Hic item in seculari habitu domno Einoldo socius, cui et sanguine jungebatur, post aliquot annos, relictis omnibus facultatibus, ex [1587] archidiacono in pauperem Christi vere mutatus est, et in eandem societatem commigrans, vita non inferior cæteris claruit. Fuit autem lingua quantum ad exteriorem sermonem facundissimus, sed et in ecripturis sacris studiosissimus, quamquam et artium nonnulla ei notitia fuerit; corporis quoque gratia quædam virtutem ejus animi insignibat. Vultu ac statura decentissimus, vox ipsa virium plena, grato ut nihil supra modulamine in sacris concentibus aures implebat. Quod tamen quantum in se erat cœlestium desiderio famulabatur, et ædificationi audientium serviebat. Verbo gratia multo redundans, exhortationi et animis undecumque movendis ad omnem facultatem in quolibet dicendi genere, ut rhetorem diceres, sufficiebat. Ad hoc et architecturæ non ignobilis ei pericia suberat, ut quicquid semel disposuisset, in omnibus locorum et edificiorum sinmetriis vel commensurationibus non facile cujusquam argui posset judicio.

67. Aliquandiu ergo in eodem monasterio decanus et abbatis in omnibus onera strenue sustentans, vita, verbo omnique sancte conversationis exemplo forma gregi dominico factus, ut pene per ipsum post abbatem omnia disponi viderentur, tandem viro egregio Heriberto apud Sanctum Arnulfum — qui primus eidem loco a domno Adelberone pontifice [1588], clericis inde submotis (388), regulari monachorum ordine præfectus est — vita decedente (389), pastor in Domino profuturus statuitur. Ibi brevi ejus industria claruit. Habitacula enim monastico ordini pulcherrimo scemate construens, locum, quem omnino incultum et nullis ad religionem institutionibus suscepit, ad omnes usus Domino serviendi aptissimum reddidit, et cum interioribus extruendis sine intermissione operam dederit, non minus exterioribus, quæ item misere ubique locorum delapsa fuerant, reficiendis strenuus et prudens incubuit. Ruris quicquid monasterio subjacebat, ita in vineis, pratis, agris, silvisque excoluit, ut cum rem omnino pauperrimam et vix paucissimo numero parcam nimis stipem promittentem invenerit, post annum exactum — nam is gravis et quasi pestilentia [1589] attactus [1590] fuit — in omnem copiam rerum necessariarum Domino benedicente supereffluxerit; cunctisque intrinsecus fratrum habitationibus intra quadriennium expletis,

VARIÆ LECTIONES.

[1586] quomittenda *c.* [1587] *vox crasa.* [1588] pontificis *c.* [1589] *ita Labb. correxit;* stipilentia *c.* [1590] actatus *c.*

NOTÆ.

(386) Senones.

(387) Hinc auctorem Vitæ sub Ansteo in monasterio S. Arnulfi vixisse patet.

(388) Anno 941.

(389) Anno 944.

quadam forte dierum, dum pro simili nescio qua insolentia acrius argueretur, majorem in modum animo concitato, e conspectu abbatis et ceterorum pariter assidentium sese proripuit, et male jam seculo, nisi Christus obvius repulisset, revolvendus, claustrum egressus est. Fratres tristes ac pavidi insecuti, cum eum in porticu exteriori, in qua exiens resederat, invenissent, ejus genibus advoluti, modis omnibus quibus poterant aggrediuntur, et nunc divini nominis obtestatione, ne faceret, obsecrare, ne quod bene cœperat bonum male amitteret; nunc perpetuam, quæ se apud sæculum consequeretur, ignominiam objectare : reminisceretur magis ante exacti laboris, quem tam turpiter in medios conatus desereret; reminisceretur ad ultimum districti examinis, cui forsitan senex jam jamque se cerneret propinquare; astutias [1579] insuper diaboli præcaveret, qui fructum totius laboris ei gestiret præripere. Multa in hunc modum replicantes, cum ille adhuc inflexibilis, sua tantum sibi redderentur — se deinceps, quid se fieret, satis curare — reposceret, illi majoribus instare, et pro viribus quæ mensuram nesciunt caritatis, animos viri in diversa versare, sermones sermonibus, preces precibus instaurare.

60. Nec prorsus, Domino cooperante, loco dicessum est, donec occulus ille miserationis antiquæ, ut tunc Petrum, ita et hunc modo respiceret, atque in quendam alterum ut ita dicam hominem commutaret. Nam et iste in amaras profluens lacrimas, illico rediit, et corpore nudato fascibus virgarum manu prælatis, pœnam clamoribus postulans, pedibus abbatis prosternitur, non modo gemitibus, verum totius gestu corporis doloris magnitudinem protestatus. Quis, putas, ibi lacrimas tenuit? Quis eam caniciem se vestigiis omnium intuens providentem, non corde solutus est? Qui, cum lacrimosis ille vocibus inclamaret : « Credite reum! cedite rebellem! ne parcite quæso superbo et væcordi et contemptori! » non gaudio mixto fletibus in ejus veniam proclamavit?

61. Tandem pater plenus pietatis assurgens, aliique [1580] cum eo, manibus caritatis suppositis solo erigunt, et cunctis clementer, ut tanta dejectio merebatur, indultis, in numerum tota alacritate recipiunt. Is vere dies in tantum ei extitit salutaris, ut quisquis illum deinceps attenderet, vix aliquid in eo viri qui prius fuerat recognosceret. Summa etenim vi, quantum in se fuit, abjectionem sui et quæque extrema semper appetiit. Delicias et mollia omni genere respuens, difficilia et austeriora magis amplexus est. Honorem impensum miro pudore non ferens, gravabatur potius quam oblectaretur. Parcitatem cibi vel potus ea arte quasi callidus quidam observator assumpsit, ut de singulis quæ apponebantur cotidianis momentis paulatim quiddam subtraheret, donec ad minimam [1581] quandam quantitatem rediret. Interdum etiam quibusdam penitus, tamquam obessent, abstinebat. Nunc quidem piscem omnem minorem generis, dum grandiores, rarius posse conquiri estimat, respuens, nunc eos ipsos quos magis appetere videbatur, dum undecumque quesiti offerentur, post non multum temporis quodammodo fastidiebat, tantaque ut ita dictam obstinatione, victor sui, quod semel animo statuerat custodivit, ut pulticulis tandem farinæ contentus esset, quanquam [1582] inter hæc creberrima, quæ etiam, dum in seculo viveret, diebus jejuniorum fortiter perferebat, panis tantum et aquæ jejunia exerceret. Ut enim multorum fide percepimus, adhuc in seculo ei biduum totum sine ullo cibo et potu omnino transire quasi nihil videbatur.

62. Illud autem stupori videntibus erat, quod vigor corporis ei tam vividus perseverabat, ut nihil de opere fratribus consueto prætermitteret, coquinam, vestium ablutionem, horti communem operam, caltiamentorum lavationem, missæ ebdomadam [1583], ordinem omnem claustri et oratorii, vivido robore adimpleret, vultusque ei hilaris et gaudens continue superesset. Tantum post aliquot temporis intervallum, a pristina corpulentia venter ei subsederat. Orationum et vigiliarum ejus instantiæ teste illud fuit tugurium, quod penes tumbam domni Chrodegangi, tamquam cellam solitariam, usque vocationis suæ tempus incoluit. In quo mox sinaxi fratrum expleta solus ostio se obcluso recipiens, gemitibus et planctibus et infinitis genuum inflexionibus noctes diesque continuabat. Et cum plerumque fratrum vigilias præveniens plurimum noctis in precibus occuparet, finitis eisdem vigiliis, quantumcumque noctis hieme vel æstate superesset, somnum deinceps nullatenus [1584] noverat, nisi ob sanguinis forte, quod vix tamen fuerat, minutionem; sed toto deinceps usque horam secundam vel terciam spacio in ea sancta contrictione et cœlestis januæ pulsatione perseverabat.

63. De continuatione silentii quod prædicem nescio, cum ipsa quoque licita colloquendi invicem tempora fugiens, in psalmorum potius melodiam commutaret. Et si forte compellaretur, breve quiddam reddens, ad solita et amica silentia protinus recurrebat. Curis quibuslibet corporis, balneis, quod [1585] ceteris recreationibus communi usu regulæ indultis, cilicium, vilitatem vestium, et ceterorum cultum horridum præferebat. Extremum quidem fuerit quod dico, animi tamen ejus virtuti comprobandæ permaximum. Dum fratres sabbato, ante mandatum vel feria quarta, ex more antiquo quidem sed tunc noviter nobis tradito (385)

VARIÆ LECTIONES.

[1579] astituas *c.* [1580] aliisque *c.* [1581] *ita correxit Labb.* nimiam *codex.* [1582] quandam *c.* [1583] ebdomedam *c.* [1584] lullatenus *c.* [1585] balneisque et *Mab.*

NOTÆ.

(385) Mos igitur per complura monasteria iterum invaluit : cf. Joannis Vitam Odonis Clun. II, 23.

calciamenta sibi abluerent, ille cuilibet ex improviso post veniens, dum frater unum abluendum manu teneret, alterum quodammodo invito violenter subripiens abluebat. Item dum vel faciem mane vel manus pransuri lavarent, nunc quidem ad vas illud, ex quo aqua quibusdam forulis fratribus ministrabatur, præcurrens, et obicem illum quo forulum illud obstruitur, dum frater lavaret, tenens, nunc linteum quod ad tergendum dependet offerens, voluntatem cordis ardentis ministrabat.

64. Plura in hunc modum obsequiorum ejus studia in omnes serviebant. Et cum hec et his similia humilitati cordis ejus fuerint documento, ad hoc et locum ordinis sui in choro, quem superiorem tenebat, tamquam infirmitate impediretur non ferens, in ultimum usque commutavit. Revera enim post tantam austeritatem viribus defetiscens, non jam vel ad standum in choro vel ad ceterum laborem sufficiebat. Quanta autem et vitæ puritas fuerit, ex fine perclaruit. Nam non longe ante obitum nocte quadam nescio quid divini audiens, nulli quicquam dicens, mane in fenestra prædicti tugurii exaravit sic : « V Id. Septembris somniavi me moriturum. » Fides his cicius facta est. Nam poet paucos dies febre correptus, mense plus lecto decubans, ad præfixum usque diem languore valido perductus est. Totumque id spacium absque ullo omnino permanens cybo, sola tantum aqua sustentatus est, et ita usque in nativitatem sanctæ Dei genitricis perdurans, — quam in crastinum beati Gorgonii martiris, cujus corpore idem monasterium percelebre est, dies consequitur, quo tunc maxima diversis ex partibus religiosorum virorum turba confluxerat, — plerisque eorum eum invisentibus, per totam fere diem nunc hoc nunc illo ad se introeunte, verbis salutaribus communicans, integra mente et sermone ante mediam fere noctem decessit. Funus multitudo quæ convenerat decenter digneque tanto viro curavit.

65. Eadem denique nocte, et ut conici potuit ipsa ora qua obiit, cuidam congregationis ipsius, Adelgero nomine, in monasterio quod dicitur Senonias (386) in partibus Vosagi cum fratribus quiescenti, quidam in sommis apparens : « Surge, inquid, et quis domnus Angilramnus defunctus est, campanas pro eo facito concrepare. » Experrectus ille et quibusbam excitatis, dum signo tantum innueret nec certo intellegeretur quid vellet, luce data eadem referens nec adhuc creditus, tercia die epistola obitus ejus allata, noctem et oram nullo diversam fuisse compertus est.

66. His super hoc, quæ omittenda [1586] non erant, commemoratis, quoniam de omnibus illius collegii, qui singuli fere digni memoratu pro merito egregiæ conversationis esset, longitudine obstante non sufficimus, patrem nobis in monasterio sancti Arnulfi postea datum domnum Ansteum (387) fas non est præterire.

Hic item in seculari habitu domno Einoldo socius, cui et sanguine jungebatur, post aliquot annos, relictis omnibus facultatibus, ex [1587] archidiacono in pauperem Christi vere mutatus est, et in eandem societatem commigrans, vita non inferior cæteris claruit. Fuit autem lingua quantum ad exteriorem sermonem facundissimus, sed et in ecripturis sacris studiosissimus, quamquam et artium nonnulla ei notitia fuerit; corporis quoque gratia quædam virtutem ejus animi insignibat. Vultu ac statura decentissimus, vox ipsa virium plena, grato ut nihil supra modulamine in sacris concentibus aures implebat. Quod tamen quantum in se erat cœlestium desiderio famulabatur, et ædificationi audientium serviebat. Verbo gratia multo redundans, exhortationi et animis undecumque movendis ad omnem facultatem in quolibet dicendi genere, ut rhetorem diceres, sufficiebat. Ad hoc et architecturæ non ignobilis ei pericia suberat, ut quicquid semel disposuisset, in omnibus locorum et edificiorum sinmetriis vel commensurationibus non facile cujusquam argui posset judicio.

67. Aliquandiu ergo in eodem monasterio decanus et abbatis in omnibus onera strenue sustentans, vita, verbo omnique sancte conversationis exemplo forma gregi dominico factus, ut pene per ipsum post abbatem omnia disponi viderentur, tandem viro egregio Heriberto apud Sanctum Arnulfum — qui primus eidem loco a domno Adelberone pontifice [1588], clericis inde submotis (388), regulari monachorum ordine præfectus est — vita decedente (389), pastor in Domino profuturus statuitur. Ibi brevi ejus industria claruit. Habitacula enim monastico ordini pulcherrimo scemate construens, locum, quem omnino incultum et nullis ad religionem institutionibus suscepit, ad omnes usus Domino serviendi aptissimum reddidit, et cum interioribus extruendis sine intermissione operam dederit, non minus exterioribus, quæ item misere ubique locorum delapsa fuerant, reficiendis strenuus et prudens incubuit. Ruris quicquid monasterio subjacebat, ita in vineis, pratis, agris, silvisque excoluit, ut cum rem omnino pauperrimam et vix paucissimo numero parcam nimis stipem promittentem invenerit, post annum exactum — nam is gravis et quasi pestilentia [1589] attactus [1590] fuit — in omnem copiam rerum necessariarum Domino benedicente supereffluxerit; cunctisque intrinsecus fratrum habitationibus intra quadriennium expletis,

VARIÆ LECTIONES.

[1586] quomittenda *c.* [1587] *vox erasa.* [1588] pontificis *c.* [1589] *ita Labb. correxit;* stipilentia *c.* [1590] actatus *c.*

NOTÆ.

(386) Senones.

(387) Hinc auctorem Vitæ sub Ansteo in monasterio S. Arnulfi vixisse patet.

(388) Anno 941.

(389) Anno 944.

muro in modum castri forinsecus cuncta circumdare animum intendit; quod, opem undique præbente eodem venerabili pontifice, quatuor mensibus laboratum pene ad summam esset perductum, nisi infausta regni dissensio, quæ inter domnum et gloriosissimum, tunc adhuc regem postmodum Cesarem, Ottonem et filium ejus Liutulfum et generum Cuonradum exorta (DCCCCLIII), usque ad gentis inimicæ Deo Ungrorum in nos eruptionem deseviit (DCCCCLIV), impedisset. Proxima tamen æstate Domino cooperante ocius peractum.

68. Cumque horum extra perpetua sollicitaretur cura, nihil tamen de his quæ vel ad vite vel conversationis puritatem vel ad pastoralis solertiæ vigilantiam pertinebant, est aliquando prætermissum, quin cotidie solitum pensum orationum, psalmorum ve lectionum sanctarum expleret. Omnibus dominicis et festivitatibus sanctorum celebrioribus missas publice dixit. Ad hoc una quaque quarta feria privatim. In quibus quantis gemitibus et lacrimarum victimis se ipsum conficeret, ne referri quidem potest; et ut fiducialiter efferam, in visceribus piætatis et simplicitate cordis et mansuetudine animi, condescensione infirmorum, recreatione miserorum, et omnibus omnino misericordiæ actibus, non alter eo fuit præstantior. In his 16 annorum exactis laboribus, in sanctæ perseverantiæ fine cursum consumans, pridie nativitatis beatæ Dei genitricis decedens (DCCCCLX *Sept.* 7), in monumento a se jam olim longe retro a primis annis süi regiminis præparato. plurima devotorum virorum frequentia, domno et venerabili antistite Adelberone munus exequiarum explente, depositus est ex parte basilicæ aquilonari, anno Domini 960.

69. Sanctæ Metensis ecclesiæ archidiaconus Blidulfus jam in processu loci eisdem servi Dei non sine magno multorum miraculo sociatus est. Vir enim cum et nobilitate generis et rerum copia non mediocri fultus, et multa in quamcumque partem arte animi callens, prudentiane ea dicenda sit an astutia, ad hoc et litterarum ceteros ejus loci præiret scientia, quippe qui ex scolis adhuc supererat Remigii, tum secularibus ita deditus videbatur, ut vix cujusquam in eo religionis vestigia viserentur. Is ut dicitur morbo repente præreptus, venerabilem Einoldum citius advocans, monachum profitetur. Statimque habitum sumens, eger monasterio devehitur, ac post paucos dies integer Deo propitio redditus[1591], mentis meliore integritate felix et multis deinceps exemplo futurus convaluit. Atque in sancta conversatione fere inferior nulli apparuit. Is post plures annos majori calore virtutis tactus, heremum, altero quodam cui Gundelach vocabulum fuit sibi sociato, in remotioribus Vosagi expetiit; ibique in illa divinæ contemplationis suavitate, acerba admodum corporis castigatione, et mundo vere, ut veratium qui eum noverunt fert sententia, mortuus, decem aut eo amplius annos exigens, felix decessit, atque in ejusdem cellulæ suæ oratorio ab eodem sotio suo, viro æque sanctissimo, sepultus, eundem ibi reliquit vitæ vel rerum paupercularum heredem.

70. Porro isdem sotius ejus ex monasterio Fulda olim retro ante complures annos flore juvenili conspicuus, Treveris apud Sanctum Maximinum[1592] ob insignem religionis conversationem commigraverat. Deinde domni Eginoldi fama accensus Gorziam veniens, ei individuus fere comes per aliquot tempus adhesit, donec eodem jubente, cum prædicto venerabili Blidulfo, in monasterio sancti viri Ogonis magni et præclari prius in Sancto Maximino abbatis (390), et post Leodicensis æcclesiæ egregii pontificis (391), delegatus, post obitum ipsius domni Ogonis utrique inde Gorziam regressi, mox brevi ad ea quæ prædixi heremi remotiora pari consensu[1593] secedunt, et ut dictum est, ipsi domno Blidulfo succedens, locellum ipsum usque in finem vitæ incoluit, doctrinaque et vitæ puritate clarus ibidem quievit.

71. Virdunensis etiam æcclesiæ vir religiosus Isaac in vita canonica satis decenter conversatus, jam canicie ipsa reverendus, cum alio bonæ spei, tunc juniore nunc Domino auspicabiliter provehente ejusdem sancti collegii patre, domno Odolberto (392), fere post duos quam superior Blidulfus venerat annos susceptus est. Quique ut erat magnæ simplicitatis et totus interioribus animæ bonis deditus, sine querela et innocentissima actione conversatus, etiam finem sui divino meruit præscire responso. Quiescentibus namque quadam nocte fratribus domnus Einoldus vigilans, repente vocem producto sono ter inclamantem audivit sic : « Isaac, Isaac, Isaac! » Qui[1594] cum mane eodem accito finis sui eum commoneret, et quid audisset ediceret : « Et ego, inquid ille, easdem voces audivi et vocationem meam adesse cognosco. » Ilico autem morbo tactus, brevi decessit. De his igitur, qui quodammodo eminentiores in ea congregatione viguerunt, hic commemorasse sufficiat, non quod omnia quæ digna memoratu essent de eis dicta sint, cum utique de singulo quoque eorum proprium condi possit volumen. Sed et plurimi (393) in eodem sancto collegio magnarum virtutum viri extiterunt, qui merito in exemplum scriptis et laudibus offerendi essent.

72. Sed a proposito, quo aliquandiu divulsi su-

VARIÆ LECTIONES.

[1591] *secunda iterum manus incipit.* [1592] maximum *c. bis.* [1593] *hinc prima manus iterum incipit.* [1594] Quid *c.*

NOTÆ.

(390) Vide Sigehardi Miracula S. Maximi, c. 12.
(391) Anno 945-947.
(392) Odolbertus Gorziæ inde ab a. 974 sedit, anno 987 Immonem abbatem legimus.
(393) Exempli gratia Rambertus abbas Senoniensis. MABILLON.

mus, jam quodam clamore revocamur. Unde his quæ præteriti indignum censuimus expediti, ad viri venerabilis Joannis acta, cui hic proprie stilus sudat, Domino misericorditer præeunte recedamus. Primum quæ ei institutio conversationis et animi virtus fixa ab ipsis principiis in finem usque ductu continuo fuit, ut in neutram partem mirabili vigore deflexerit, iu quadam veluti brevi tabella describere cupio. Quod sicut a me expleri posse non mihi prorsus arrogaverim, ita vix umquam a quoquam, quamvis dissertissimo, estimem comprehendi. Nec vero penitus reticendum, ne ipsa parva quæ dicentur, si pigro sudario defodiantur, puos possent lucris dominicis subtrahant.

Subjectionem patri et obedientiam tanta pertinatia tenuit, ut quicquid semel ore ille imperans emisisset, hic, tamquam famulus verberum metuens, sine dilatione arriperet. Et in ipsis statim principiis, dum pater Einoldus credito sibi regimine loci vehementer angeretur, si sibi exteriora curanda essent, qui longe alia divine speculationis meditabatur, idem domus Johannes ei accedens : « Non horum, domine, inquid, cura sollicitemini, ergo hoc vos fasce levabo. Interioribus tantum, ut cupitis, animum intendite; quicquid exteriorum est, ego Christi gratia et meritis vestris adjutus mihi susceperim. » Cum itaque ita omnia ei commiserit, et ipse in solo Deo vacationem assumpserit, non tamen quid umquam parvum vel majus idem domnus Johannes nisi eo conscio aut consilio ejus et voluntate egit. Et horum ipse domnus Einoldus, si quando ita intererat, testis erat : « Numquam, inquiens, mihi inobœdiens fuit, nec fuit aliquando, qui me et illum in pacem reduceret. »

73. Nec destitit prudens et sagax in uiramvis partem domnus Einoldus eum diversis exercere mutationibus. Nam plerumque ab exterioribus de industria cum revocans ad interiora, etiam ad infimum quodque reduxit officium, in quo ne nutu quidem aliquando visus est renuisse. Jussus præpositus, paret continuo. Præpositura deposita, esto decanus! jugum quietus admittit. Eo abiens, cellarium cura! manum ilico profert. Alio ibi succedente, vestes fratrum serva! nihilo plus reluctatur. Sic hospitibus, sic si ita contigit infirmis, sic quibusque aliis imperatis, summa cum alacritate, moræ nescius ministravit. Quæcumque nummis vel quibuslibet aliis rebus expendit, summam eorum in breve notatam abbati post ebdomadam aut mensem reddidit, nec minus quæque extrinsecus de ratiociniis quibusque illata recepisset. Cumque domnus Einoldus hec audire fastidiens, quia nihil superfluo eum expendere satis sciret, non ultra sibi hæc referri interdiceret, nihilominus tamen ipse cuncta usque ad siliquam, ut dicitur, annotata servabat.

74. Pacientiam, humilitatem, seu abjectionem, et quæ omnia superat caritatis in Deum et in omnes fervorem, incredibile dictu est, quanta fortitudine servaverit. De quibus singulis quibus frequenter documento fuerit, si recensere velim, nimium scripta ferrentur[1595] in longum. Unde saltem simplicia annotamus. Preposituram monasterii vir venerabilis Fridericus, de quo supra meminimus (*cap.* 55), et sub eo hic domnus Johannes gerebat. Ille ut superior, hunc gravibus verborum contumeliis persepe etiam publice et præsentibus[1596] secularibus irritabat. Illo diutius perstrepente, hic tantum item itemque ad satisfaciendum terræ se sternens, perpetuum tenebat silentium. Cum ille crebro eadem clamore ingeminans, ira fessus jam et in verba deficeret, Joannes acsi simulacrum sine voce diu immotus persisteret, ad ultimum columpnam vel parietem tangens, et ut eis potius verba quam sibi faceret dicens, e conspectu se proripiebat. Ille eo tamquam contemptus incensior, quolibet forte residebat. Inde post paululum motu subsidente, ubi placidior ad se mentem redierat, secrecius eodem Johanne abducto, pedibus ejus advolutus : « Occidisti me! » aiebat. Cum Johannes : « Ego in quo? Patientia tua me, dicebat, occidit » — : « Non ita, inquid iste, sed animositas vestra vos occidit. » Nec pluribus, lites ilico rumpebantur. Nam isdem vir reverendus hoc uno licet esse notabilis, cetera egregius, et ut magno natu conspicuus et insignis omnibus habebatur. Et hos ipsos motus animi, quos vetus adhuc conversatio integrabat, prudens citius compescebat, doloribusque ac planctibus uberrimis postmodum sese conficiens condempnabat.

75. Nec dissimile huic est, quod inferimus. Cellarium ipse Johannes, Bernacer autem jam ante dictus vestiarium sive cameram fratrum servabat. Is quadam die cellarium ingressus, vas quoddam, quod imapum (394) dicunt, guttulæ excipiendæ vasi vinario suppositum invenit. Eo arrepto, questibus Johannem agressus, et vas quod sui ministerii esset cur ita perditum dedisset, multa congeminans, illeque nihil læsum assereret : « Pro carraria, inquid, vini non sic attaminatum vellem. » Cai Johannes : « Decem, ait, vascula hujusmodi, carraria una vini possunt adquiri. » Is domnus Einoldus superveniens, et altero jam abeunte, dum extrema, quæ vixdum finiens Johannes illi eminus loquebatur, audisset : « Quid hoc, inquid, est? An contenditis. » Illo protinus terræ prostrato : « Non, inquid, præter panem, aquam et salem quicquam percipias, dum licentiam dedero. » Jussa suscipiens, nec ipsi quid referens, nec cuiquam verbum inde ullo modo fa-

VARIÆ LECTIONES.

1595 ferentur *c.* 1596 præsentis *c.*

NOTÆ.

(374) Fortasse idem quod hanapum, vas, Germanice *napf.*

muro in modum castri forinsecus cuncta circumdare animum intendit; quod, opem undique præbente eodem venerabili pontifice, quatuor mensibus laboratum pene ad summam esset perductum, nisi infausta regni dissensio, quæ inter domnum et gloriosissimum, tunc adhuc regem postmodum Cesarem, Ottonem et filium ejus Liutulfum et generum Cuonradum exorta (DCCCCLIII), usque ad gentis inimicæ Deo Ungrorum in nos eruptionem deseviit (DCCCCLIV), impedisset. Proxima tamen æstate Domino cooperante ocius peractum.

68. Cumque horum extra perpetua sollicitaretur cura, nihil tamen de his quæ vel ad vite vel conversationis puritatem vel ad pastoralis solertiæ vigilantiam pertinebant, est aliquando prætermissum, quin cotidie solitum pensum orationum, psalmorum ve lectionum sanctarum expleret. Omnibus dominicis et festivitatibus sanctorum celebrioribus missas publice dixit. Ad hoc una quaque quarta feria privatim. In quibus quantis gemitibus et lacrimarum victimis se ipsum conficeret, ne referri quidem potest; et ut fiducialiter efferam, in visceribus piætatis et simplicitate cordis et mansuetudine animi, condescensione infirmorum, recreatione miserorum, et omnibus omnino misericordiæ actibus, non alter eo fuit præstantior. In his 16 annorum exactis laboribus, in sanctæ perseverantiæ fine cursum consumans, pridie nativitatis beatæ Dei genitricis decedens (DCCCCLX *Sept.* 7), in monumento a se jam olim longe retro a primis annis süi regiminis præparato. plurima devotorum virorum frequentia, domno et venerabili antistite Adelberone munus exequiarum explente, depositus est ex parte basilicæ aquilonari, anno Domini 960.

69. Sanctæ Metensis ecclesiæ archidiaconus Blidulfus jam in processu loci eisdem servi Dei non sine magno multorum miraculo sociatus est. Vir enim cum et nobilitate generis et rerum copia non mediocri fultus, et multa in quamcumque partem arte animi callens, prudentiane ea dicenda sit an astutia, ad hoc et litterarum ceteros ejus loci præiret scientia, quippe qui ex scolis adhuc supererat Remigii, tum secularibus ita deditus videbatur, ut vix cujusquam in eo religionis vestigia viserentur. Is ut dicitur morbo repente præreptus, venerabilem Einoldum citius advocans, monachum profitetur. Statimque habitum sumens, eger monasterio devehitur, ac post paucos dies integer Deo propitio redditus[1591], mentis meliore integritate felix et multis deinceps exemplo futurus convaluit. Atque in sancta conversatione fere inferior nulli apparuit. Is post plures annos majori calore virtutis tactus, heremum, altero quodam cui Gundelach vocabulum fuit sibi sociato, in remotioribus Vosagi expetiit; ibique in illa divinæ contemplationis suavitate, acerba admodum corporis castigatione, et mundo vere, ut veratium qui eum noverunt fert sententia, mortuus, decem aut eo amplius annos exigens, felix decessit, atque in ejusdem cellulæ suæ oratorio ab eodem sotio suo, viro æque sanctissimo, sepultus, eundem ibi reliquit vitæ vel rerum paupercularum heredem.

70. Porro isdem sotius ejus ex monasterio Fulda olim retro ante complures annos flore juvenili conspicuus, Treveris apud Sanctum Maximinum[1592] ob insignem religionis conversationem commigraverat. Deinde domni Eginoldi fama accensus Gorziam veniens, ei individuus fere comes per aliquot tempus adhesit, donec eodem jubente, cum prædicto venerabili Blidulfo, in monasterio sancti viri Ogonis magni et præclari prius in Sancto Maximino abbatis (390), et post Leodicensis æcclesiæ egregii pontificis (391), delegatus, post obitum ipsius domni Ogonis utrique inde Gorziam regressi, mox brevi ad ea quæ prædixi heremi remotiora pari consensu[1593] secedunt, et ut dictum est, ipsi domno Blidulfo succedens, locellum ipsum usque in finem vitæ incoluit, doctrinaque et vitæ puritate clarus ibidem quievit.

71. Virdunensis etiam æcclesiæ vir religiosus Isaac in vita canonica satis decenter conversatus, jam canicie ipsa reverendus, cum alio bonæ spei, tunc juniore nunc Domino auspicabiliter provehente ejusdem sancti collegii patre, domno Odolberto (382), fere post duos quam superior Blidulfus venerat annos susceptus est. Quique ut erat magnæ simplicitatis et totus interioribus animæ bonis deditus, sine querela et innocentissima actione conversatus, etiam finem sui divino meruit præscire responso. Quiescentibus namque quadam nocte fratribus domnus Einoldus vigilans, repente vocem producto sono ter inclamantem audivit sic : « Isaac, Isaac, Isaac! » Qui[1594] cum mane eodem accito finis sui eum commoneret, et quid audisset ediceret : « Et ego, inquid ille, easdem voces audivi et vocationem meam adesse cognosco. » Ilico autem morbo tactus, brevi decessit. De his igitur, qui quodammodo eminentiores in ea congregatione viguerunt, hic commemorasse sufficiat, non quod omnia quæ digna memoratu essent de eis dicta sint, cum utique de singulo quoque eorum proprium condi possit volumen. Sed et plurimi (393) in eodem sancto collegio magnarum virtutum viri extiterunt, qui merito in exemplum scriptis et laudibus offerendi essent.

72. Sed a proposito, quo aliquandiu divulsi su-

VARIÆ LECTIONES.

[1591] *secunda iterum manus incipit.* [1592] maximum *c. bis.* [1593] *hinc prima manus iterum incipit.* [1594] Quid *c.*

NOTÆ.

(390) Vide Sigehardi Miracula S. Maximi, c. 12.
(391) Anno 945-947.
(392) Odolbertus Gorziæ inde ab a. 974 sedit. anno 987 Immonem abbatem legimus.
(303) Exempli gratia Rambertus abbas Senoniensis. MABILLON.

mus, jam quodam clamore revocamur. Unde his quæ præteriti indignum censuimus expediti, ad viri venerabilis Joannis acta, cui hic proprie stilus sudat, Domino misericorditer præeunte recedamus. Primum quæ ei institutio conversationis et animi virtus fixa ab ipsis principiis in finem usque ductu continuo fuit, ut in neutram partem mirabili vigore deflexerit, iu quadam veluti brevi tabella describere cupio. Quod sicut a me expleri posse non mihi prorsus arrogaverim, ita vix umquam a quoquam, quamvis dissertissimo, estimem comprehendi. Nec vero penitus reticendum, ne ipsa parva quæ dicentur, si pigro sudario defodiantur, puos possent lucris dominicis subtrahant.

Subjectionem patri et obedientiam tanta pertinatia tenuit, ut quicquid semel ore ille imperans emisisset, hic, tamquam famulus verberum metuens, sine dilatione arriperet. Et in ipsis statim principiis, dum pater Einoldus credito sibi regimine loci vehementer angeretur, si sibi exteriora curanda essent, qui longe alia divine speculationis meditabatur, idem domnus Johannes ei accedens : « Non horum, domine, inquid, cura sollicitemini, ergo hoc vos fasce levabo. Interioribus tantum, ut cupitis, animum intendite; quicquid exteriorum est, ego Christi gratia et meritis vestris adjutus mihi susceperim. » Cum itaque ita omnia ei commiserit, et ipse in solo Deo vacationem assumpserit, non tamen quid umquam parvum vel majus idem domnus Johannes nisi eo conscio aut consilio ejus et voluntate egit. Et horum ipse domnus Einoldus, si quando ita intererat, testis erat : « Numquam, inquiens, mihi inobœdiens fuit, nec fuit aliquando, qui me et illum in pacem reduceret. »

73. Nec destitit prudens et sagax in uiramvis partem domnus Einoldus eum diversis exercere mutationibus. Nam plerumque ab exterioribus de industria eum revocans ad interiora, etiam ad infimum quodque reduxit officium, in quo ne nutu quidem aliquando visus est renuisse. Jussus præpositus, paret continuo. Præpositura deposita, esto decanus! jugum quietus admittit. Eo abiens, cellarium cura! manum ilico profert. Alio ibi succedente, vestes fratrum serva! nihilo plus reluctatur. Sic hospitibus, sic si ita contigit infirmis, sic quibusque aliis imperatis, summa cum alacritate, moræ nescius ministravit. Quæcumque nummis vel quibuslibet aliis rebus expendit, summam eorum in breve notatam abbati post ebdomadam aut mensem reddidit, nec minus quæque extrinsecus de ratiociniis quibusque illata recepisset. Cumque domnus Einoldus hec audire fastidiens, quia nihil superfluo eum expendere satis sciret, non ultra sibi hæc referri interdiceret, nihilominus tamen ipse cuncta usque ad siliquam, ut dicitur, annotata servabat.

74. Pacientiam, humilitatem, seu abjectionem, et quæ omnia superat caritatis in Deum et in omnes fervorem, incredibile dictu est, quanta fortitudine servaverit. De quibus singulis quibus frequenter documento fuerit, si recensere velim, nimium scripta ferrentur[1595] in longum. Unde saltem simplicia annotamus. Prepositaram monasterii vir venerabilis Fridericus, de quo supra meminimus (*cap.* 55), et sub eo hic domnus Johannes gerebat. Ille ut superior, hunc gravibus verborum contumeliis persepe etiam publico et præsentibus[1596] secularibus irritabat. Illo diutius perstrepente, hic tantum item itemque ad satisfaciendum terræ se sternens, perpetuum tenebat silentium. Cum ille crebro eadem clamore ingeminans, ira fessus jam et in verba deficeret, Joannes acsi simulacrum sine voce diu immotus persisteret, ad ultimum columpnam vel parietem tangens, et ut eis potius verba quam sibi faceret dicens, e conspectu se proripiebat. Ille eo tamquam contemptus incensior, quolibet forte residebat. Inde post paululum motu subsidente, ubi placidior ad se mentem redierat, secrecius eodem Johanne abducto, pedibus ejus advolutus : « Occidisti me! » aiebat. Cum Johannes : « Ego in quo? Patientia tua me, dicebat, occidit » — : « Non ita, inquid iste, sed animositas vestra vos occidit. » Nec pluribus, lites ilico rumpebantur. Nam isdem vir reverendus hoc uno licet esse notabilis, cetera egregius, et ut magno natu conspicuus et insignis omnibus habebatur. Et hos ipsos motus animi, quos vetus adhuc conversatio integrabat, prudens citius compescebat, doloribusque ac planctibus uberrimis postmodum sese conficiens condempnabat.

75. Nec dissimile huic est, quod inferimus. Cellarium ipse Johannes, Bernacer autem jam ante dictus vestiarium sive cameram fratrum servabat. Is quadam die cellarium ingressus, vas quoddam, quod imapum (394) dicunt, guttulæ excipiendæ vasi vinario suppositum invenit. Eo arrepto, questibus Johannem agressus, et vas quod sui ministerii esset cur ita perditum dedisset, multa congeminans, illeque nihil læsum assereret : « Pro carraria, inquid, vini non sic attaminatum vellem. » Cai Johannes : « Decem, ait, vascula hujusmodi, carraria una vini possunt adquiri. » Is domnus Einoldus superveniens, et altero jam abeunte, dum extrema, quæ vixdum finiens Johannes illi eminus loquebatur, audisset : « Quid hoc, inquid, est? An contenditis. » Illo protinus terræ prostrato : « Non, inquid, præter panem, aquam et salem quicquam percipias, dum licentiam dedero. » Jussa suscipiens, nec ipsi quid referens, nec cuiquam verbum inde ullo modo fa-

VARIÆ LECTIONES.

[1595] ferentur *c.* [1596] præsentis *c.*

NOTÆ.

(374) Fortasse idem quod hanapum, vas, Germanice *napf.*

ciens, triduo continuo abstinuit. Et forte tunc ferventissimi et ipsa estate dies fuerant longissimi, nec ob id soliti quicquam operis prætermisit, quia alacrior et celer ad universa discurreret. Nam valitudo corporis ei justa, et in neutram partem nimia, facili motu per gratiam celestem ad quæque agenda sufficiebet.

76. Ab infimis quoque probra multotiens infinita sustinuit. Alii eum hypocritam, alii avarum, alii tenacem, alii fraudatorem publice appellabant. Nonnulli non eum seculum reliquisse calumpniantes, in oculis familiam domus suæ, quæ cum matre monasterio serviebat, ingrebant dicentes : « Tua huc subdolus contraxisti, ut liberius ea hic possideres, et melius quam domi sufficeres hic procurares. Ecce et gencceum [1597] claustrum monachorum fecisti. » Hoc et plura in faciem dum jacularentur, ipse ut rupes immota manebat, nec umquam fuit, quod quidem a quoquam rescire ipse potuerim, qui ex ore ejus contumeliosum verbum retulerit. Et hoc sane silentium inter clamores tenebat iratum. Nihil ibi præterquam terræ stratus veniam tacitus postulabat; quod et ipsis, qui longe ultimi ordine erant, eum frequenter fecisse percepimus. Quippe qui ad hoc animum dederat, ut nil tam esset abjectissimum, quo non se ultroneus inclinaret. Unde et ipsas latrinas fratrum eum frequenter purgasse, non dubiæ fidei virorum relatione cognovimus.

77. Si quando ex more communi ebdomadam vicis suæ susceperat in coquinam, et ex consequenti munditiarum faciendarum, non fere aliquando, nisi gravis eum occupasset utilitas, vicarium requisivit. Ipse aquam a puteo hausit [1598] humero, coquinæ illatam igni suspendit, legumina vel holera lecta vel manibus propriis concisa infudit, lavit, coxit et apposuit, vasa refectorum solus elavit, nec in pedibus fratrum abluendis, quod erat finitimum, alteri mandavit officium. Et hoc quidem commune cum cæteris. Illud autem ex ore ejus ipsi percepimus, quod farinam ad usus totius congregationis, duorum vel trium modiorum, solus ipse, uno tantum puerulo aquam infundente, commiscuit, fermentavit, in massam subegit, sudore nimio in formulas panum expressit, dum pistoribus opera reliqua succederet. Et hoc multi, quamvis in conclavi clam omnibus id egerit, nota quadam nimiæ parcitatis inurebant, cum ille fidele Christo mancipium, ne quid rerum monasterii deperiret, pervigil observaret, et quod majus ac verius est, causa sudoris sui præmiis cœlestibus munerandi.

78. Sui ipsius curam quam minimi duxerit, ex his satis potest perpendi. Cibos lautiores, vestes splendidiores, calciamentorum nitorem, strati molliciem, balnearum fomenta, medicamentorum in morbis quibusque ingruentibus adibitionem, et quicquid omnino ad corporis aliquam delectationem accedere præter inevitabilem necessitatem perpenderet, hec velut crimini ducens, penitus respuebat; cum tamen nulli alii usu eorum, quibus forte opus fuerat, interdiceret. Et hæc magna in eo erat discrecio, ut cum ipse sibi austerus et pene indiscretus videretur, aliis nemo misericordior esset. Ipse jejunans, alios ad cibum cohortabatur; ipse vigilans, alios somnum indulgebat; ipse laborans, alios quiete remittebat; ipse dum balneis penitus abstinens, ab ipso conversationis suæ tempore numquam eis usus fuisse diceretur, nisi forte aliquando post gravem ægritudinem lecto resurgens, si quibus tamen aliis competeret, numquam dampnavit vel interdixit. A perceptione cibi vel potus ante horam vel postea, in perpetuum sibi obstrusa, nullum, si causa infirmitatis expetiit, suspendit; quin et ægrotantibus usum carnium ultro ipse obtulit et non rogatus ingessit. Sic in vestibus, caltiamentis, stramento lectuli, cum ipse sibi viliora, abjectoria, parciora et duriora semper elegerit, ceteris ad omnem copiam et quantum professioni non nimis [1599] obstaret, elegantiora et molliora exhibuit.

79. Fallatiam viciorum in his vigilantissime observabat, in quibus non facile cuiquam, etiam si esset superior, cessit; sed mox vitio aut fraude quemlibet aliquid petere sensit, omnimodis denegavit. Cum enim, ut dictum est, sub motibus irarum ita mutus quodammodo existeret, ubi corrigendi locus advenerat, ibi linguam excandescere et in verba acriter pungentia vehementi quodam terrore videres effundi. Nec omnino adulatio, quo communi pro dolor! morbo plerique laboramus, in eo quod foveri posset habebat. In quo [1600] simul et mendatii maculam ut capitale quiddam horrebat, ut si in gratiam potentium aliqua eum aliquando dicere necessitas loci aut temporis compulisset, ita inter utramque viam cautus verbo incederet, ut et eos quantum satis esset attolleret, et veritatis limitem non excederet. Præterque communem hodie hominum observantiam illo apostolico eum insignem vel solum, quantum humana paterentur, esse persensimus : *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir* (*Jac.* III, 2).

80. Vigilias ab jejunia in eo prædicare si cepero, omnium qui eum noverunt ora me oppriment, cum vix quempiam hujus ætatis qui ei in his æquari potuerit extitisse, concordi omnes miraculo clament. Cumque perpetua pene lex ei esset, post vigilias quantacumque profunditate noctium actas somnum in lucem usque nescire, audires illum in illo, quod mos habet monasticus inter nocturnum et matutinale officium, intervallo, vario huc illucque perreptare curriculo, et in morem apis psalmos tacito murmure continue revolvendo, nunc circa altaria genua flectere, nunc paululum residendo mox exurgere, et aliquandiu stare, itemque egressus celo

VARIÆ LECTIONES.

[1597] egeneceum *c.* [1598] hausis *c.* [1599] *ita Labb. correxit;* minus *c.* [1600] qo *c.*

tempus noctis inspicere, deinde lucernis aut emungendis aut reficiendis assistere, tum etiam scolas canentium revisere, interdumque retibus texendis quod nocti superesset expendere. Sepissime ipsas communes præveniens vigilias, et lucernas dormitorii, tamquam hæc sibi specialiter cura esset indicta, plerumque etiam ut videbatur ex superfluo, cum clare lumen effunderent, corrigens; mox oratorium quam latenter posset ingressus, et coram altare prostratus, diutinis planctibus et suspiriis, ut custodes audirent, cum multo lacrimarum flumine sese conficiebat.

81. Inde aliquando ipse signum ad vigilias concrepans, nihilo segnius cum ceteris psalmorum, orationum vel lectionum communium opus exequebatur. Que tunc temporis utique ut ferventibus conversationis iniciis, et numero et longitudine et mora dicendi multiplicius extendebantur, quæ postmodum pusillanimitas imbecillium in nonnullis compulit coartari. Nam et orationes noctu ternæ mox signo dato ad vigilias multo prolixiores fiebant, et post ipsas, omnibus pariter in choro residentibus, 30 psalmi a 119$^{m^{\circ}}$ usque in finem psalterii, in ternas orationes denis distributis psalmis, singillatim silentio dicebantur. Erantque primi decem defunctorum, medii familiarium, extremi generalium. Brevioribus estivis noctibus et festis diebus 15 tantum cantica graduum, terna similiter oratione distincti. Lectiones hiemalibus vigiliis ita producebantur, ut prophetis, qui Kalendis Novembribus ponuntur, duabus fere ebdomadibus expensis, aut denuo a quocumque eorum repeteretur [1601], aut alia quedam adderentur. Unde et eundem virum sub una quondam lectione Danielem totum, dum tertius lecturus assurrexisset, explevisse percepimus. Item post dies natalicios apostolus, et a septuagesima eptaticus (395) usque ad dies passionum, et in ipsis Jeremias integre, ad vigilias legebantur, quorum nunc plurimum ad mensas suppletur.

82. Et super hoc post reliquum cursus [1602] nocturni vel psalmorum consuetudinalium, usque ad signum crepusculi a pluribus plerumque psalterium singillatim ex integro dicebatur. In quibus cum ceteri aliquando quid remissionis expeterent, hic ita infracto robore somno repugnans ad nullam fere cedebat lassitudinem, ut et toto quantum id protenderetur pervigil staret intervallo, et matutino officio [1603] vel primæ horæ, quæ continue subsequitur, cum psalmis septem penitentiæ et letania expleto, mox lectioni accederet. Ubi cum ei aliquando ipsa vincente natura somnus obreperet, a codice se statim excutiens, huc illucque psalmi quid semper demurmurans spaciabatur. Maximumque æstivis matutinis hujusmodi in eo cernere erat spectaculum, quibus aut raro illum aut numquam lectulum repetisse, nisi minutio sanguinis interesset, cognovimus. Nam noctu vel intervallis, hieme vel estate, si ita forte intempestive vigiliæ longe ante lucem explerentur, ut nimia fatigatio compelleret, paululum se lecto reclinans, tam festinus ilico resurgebat, ut nec obdormisse quidem crederetur. Illud autem sepe ex ore ejus ipsi audivimus, quod ab ipsis conversationis initiis hoc adversus somnum matutinis horis continuum traxerit bellum, quod numquam superare valuerit, quin hisdem horis semper sibi rediret infestior : « Ex veteri, inquiens, sæculi consuetudine hunc mihi blandum hostem nutrivi ! » — quia noctibus vigilans mane somno usque in multam diem indulgebat — « Unde huc usque etsi non videam, crepusculum tamen adesse ipse cotidie somnus pronuntiat. »

83. Ad superiorem scientiam ante conversionem, usum lectionis in quibuscumque divinarum litterarum libris tanto studio adjecit, ut eminentissimorum doctorum fere nullus eum præterierit, donec Spiritu sancto prævio ad omnem, quantum mortalibus fas est, noticiam [1604] scripturarum pervenerit. In his primum moralia beati Gregorii ordine quam sepissime percurrens, pene cunctas ex eo continentias sententiarum ita memoriæ commendavit, ut in communibus exortationum sive locutionum confabulationibus omnis ejus oratio ex ejusdem libris decurrere videretur. Nec minor ei Augustini, Ambrosii, Jeronimi, vel si quis antiquorum ad manus venissent, lectio erat; et quia ad id temporis, utpote studiis frigentibus, pene nec ipsi codices inveniebantur, Augustini in Johannem et psalmos et de civitate Dei integre perlegit, postremum in libris de Trinitate multa intentione sudavit. In quibus cum de dialecticis rationibus quædam offendisset, maxime ubi propter demonstrandam relationem Patris ad Filium et Spiritus ad utrosque, eam quæ dicitur «ad aliquid» cathegoriam introducit, ejusque occasione de omnibus quoque decem prædicamentis strictim quædam commemorat, scolasticam mox super his sibi aperiendis expetens, ab ipsis introductionibus Isagogarum laborem arripuit lectionis. In quo cum diu ingenita sibi vivacitate ingenii, et ut in rebus ceteris quas umquam arripuerat, indefatigato [1605] labore luctaretur, repente domnus pater Einoldus medios præcidit conatus. Is enim rerum earundem jam olim studiosissimus, et quanto labore ea constarent expertus, tempora eum in his frustra nolens expendere, brevi prohibitione avertit, et ut animum pocius sacra lectione occuparet, ubi satis superque et scientiæ et, quod majus est, edificationis ei doctrina suppeteret.

VARIÆ LECTIONES.

[1601] repeterentur ? [1602] *ita Mab.* rursus. nocturni *c.* [1603] efficio *c.* [1604] nocitiam *c.* [1605] indefetigato *c.*

NOTÆ.

(395) Idem quod Eptateuchus, id est Pentateuchus, additis libris Josue et Judicum.

Ille qui obœdientiæ limitem transgredi non [1606], semel juraverat, mox incepto renuntiat, et in divina ut a principio se totum transponit. Præterea Gregorii in Jezechielem multo usu detrivit, ut pene memoriæ commendasse videretur Ad summam ejusdem quæcumque essent beati Gregorii, unice præter cetera amplexus est.

84 Quamquam non inter hæc vitæ conversationes vel dicta quorumcumque sanctorum, peculiari stilo de eis conscripta, non cum præterierint, quippe qui ex ipsis in usum proprie conversationis normam sibi assumpserit Antonium, Paulum, Hilarionem, Macharium, Pachomium, et reliquos heremi sectatores, tum Martinum maximum et sanctissimum episcopum, Germanum ad hoc et quoscumque austerioris vitæ perlegerat, si tempora paterentur, forsitan attemptare moliretur; quod utique ex ea quam arripuerat castigatione dabatur conjicere. Quem tamen etsi in laboribus corporeis disparem, in virtutibus animæ non fere alium magis ipsorum æmulum, nostram vidisse ætatem, certo proferre non trepidaverim. Johannis cujusdam Alexandrini patriarchæ, quem Eleimonem cognominant, actus pene memoriæ retinens, in omnibus fere sermonibus eum grata et amica dulcedine reducebat, audientesque ex eo multa attentionis suavitate retinebat.

85. Et quia de singulis persequi operosum nimis videtur, quorum non minor eum scientia vel imitatio assuefecerat, illud miraculo omnibus erat, quod cum in his tantum exercitii haberet, nichilo tamen quæcumque in rebus exterioribus agenda essent remittebat, quin circa diversa discurrens et singulis ordinandis præcepta constituens, omnem totius monasterii in tam multiplicibus artibus vel officiis rem strenue procuraret. Cumque possessionum monasterii universa in eum cura recumberet, rarus tamen illi ad eas processus, potiusque de ipso monasterio queque foris agenda essent dictabat, brevique sub tempore ministris evocatis, mensis aut amplius quod ipsi expletum referrent edicebat. Cum eminentior quælibet causa eum extraxisset, et ad causas agendas residere eum necessitas impulisset, id quanto citius negocia rerum paciebatur acceleratum, festinus, interdum quoque [1607] nec pransus, monasterium repetebat. Si quando foris manere res aut tempus exigeret, in quantum poterat cybi vel potus mensuram monasterio solitam continebat. Nam stratus numquam regulam commutavit, ut plumam sibi ullatenus præter capiti tantum substerni permitteret. Quod ex ipso magistro suo domno Einoldo, qui ex ipsis iniciis hoc in finem usque domi forisque servavit, ut vere discipulus doctori regenerans pedibus est subsecutus.

86. Sed et in ipsis prandiis secularium causa plurimum gravabatur, non tamen ut quisquam eorum hoc vel leviter persentiret; nam ad omnem copiam eis quantum vellent non deerat, et ipse cum eis multa jucunditate et condescensione sese gaudentem et comem in omnibus exhibebat. Sed dum postmodum spiritualibus quibusque colloqueretur, dolendo ingeminabat, se numquam ita secularium conversationi vel ad breve posse interesse, quin aliquid de consueto sibi modo conversationis deperderet, insuper et rerum fratrum plura invitus expenderet. Nam ita familiariter dicebat, dum sermocinatio aliquando incideret de fratribus res foris curantibus, quod non tam crebro eos per se ea agere expediret, et verbo potius ministris laicis mandarent, ipsique claustro se cohiberent: « Nemo, inquiens, aliquando me magis caninus extitit, et qui plus tenatiæ argueretur, et revera qui parcior [1608] foris esset, dummodo monasterio totum, ut opus esse cernebam, conveheretur. Sed numquam, inquid, potui tantam adhibere diligentiam, ut quociens cum eis comedi, non fere tanta expenderem, quanta fratribus diario consueto sufficerent. Cum enim quilibet, inquid, viantes privatorum seu majorum, si qui in illa vel illa possessione, quæ esset monasterii, ex monachis adesset, perquirerent, ut forte me ibi compererant, specie salutandi divertentes, non congrue inrogati mensa poterant ablegari. Et sic utique non poteram observare, ut queque fratrum foris erant, vel quæque quoquo ingenio adquirebantur, integre, ut animus erat, monasterio inferrentur [1609].

87. In ipsis judiciis, etsi ab aliquibus notaretur, rectitudinis vel justitiæ limitem nullatenus excedebat. Ubi superbia vel contumacia quosdam supinos vel effrænes reddiderat, dum equata forte ceteris colla refringeret, etiam si potentiorum patrocinia sibi parare contenderent, nullo poterat inclinari. Ad id demum tota sibi spectabat intentio, quicquid justitia adquireret, totum fideliter monasterio inferre; et illud optime cavit, ne sacculus monasterii qualibet umquam doli vel miserorum fraude vel calamitate contaminaretur. Æstimaverit quisque quod velit, ego certa fide libere pronuntiaverim, illum et semper odisse iniquitatem et cavisse, et Domino gressus ejus secundum eloquium dirigente, non eam illi quantum humana paciebantur dominatam fuisse. Qui usuris eum inservisse, et sub specie monasterii necessitatum lucra undecumque æstimant congessisse, ex suomet illum ingenio metiuntur.

88. Non quod in eo tale quit aut viderint aut certo didicerint. Commodabat equidem plurima et recipiebat, cautus ne quo dolo debitorum falleretur, et secundum illut Persii (396):

Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso,

VARIÆ LECTIONES.

1606 in *c.* 1607 qq*c.* 1608 partior *c.* 1609 inferentur *c.*

NOTÆ.

(396) Imo Juvenalis Sat. I, 57.

quod iste meliori mutaverat arte, ut prudens dispensator dominicæ substantiæ, summa industria observabat, ne quid rerum monasterii deperiret; illud sepe de dictis beati Gregorii ad quendam diaconum res ecclesiasticas curantem commemorans: « Res, inquit, hæ nec meæ sunt nec tuæ; ita age, ut de his ei cujus sunt rationem redditurus. » Si frumentum, vinum, sal, vel quæcumque ad cibum pertinentia, similiter ad vestitum commodabantur, ejusdem mensuræ vel quantitatis reposcebantur, ut nihil supra exigeretur. Argentum pondere justo commodabatur [1610]; nec ipsum quod moneta jure extorquet, ullatenus petebatur, sed quantum quis accipiebat aut dabat, æqua lance refundebatur.

89. Nam ex laboribus agrorum vel vinearum, in quibus summa arte præcellebat summoque studio erat assiduus, in tantam suppellex monasterii copiam ei divina cooperante gratia exuberaverat, ut nulla eum inopiæ causa ad aliquid eorum impelleret, quin potius ex ipsis laboribus cum fratribus abundanter superessent, plurima venundata quibuscumque rebus vel in præsentibus vel in futurum proventuris sufficiebant. Inde et res omnis familiaris alebatur, et ornatui multa suppeditabant. Nec alia erant ei rerum temporalium lucra, quam opus ruris strenue exercere, salinas, quæ una tantum parte regionis ipsius que Vicus (397) dicitur habentur, extruere, ut in loco eodem plures quas dicunt patellas, partim ex integro cum ipsis sedibus emptas, partim que juris monasterii erant reparatas, multo usui imposterum profuturas paraverit; cum molendinis fluminibus causa piscium obcludendis, piscinis privatis parandis, gregibus armentorum, pecudum, avium domesticarum seu agrestium, tum quoque ferarum alendis instare, ut quibuscumque usibus fratrum aut infirmorum, extrinsecus quoque, vel præsentium vel supervenientium, ad omnem semper copiam superesset.

90. Magistris artium diversarum undecumque conductis, primum claustrum muro in modum castri undique circumsepsit, quod hodieque non modum munitioni, sed et si opus sit oppugnationi adesse perspicitur. Deinde officinis intrinsecus necessariis, quoniam antiquarum ruine patebant, dum ex novo resurgerent, instituit indefessus. Tum demum decori domus Dei in diversis ornamentorum generibus studium adjecit. Pallia, diversorum generum velamina, in usus sacros varia indumenta, ut sacerdotalibus ministeriis nulla deessent, tum et vasa usibus sacrorum ex argento, omnia opere solido atque eleganti paravit. Inde et tumbam martiris agressus, tam ipsam quam quæcumque in diversis oratoriis erant altaria, lamminis argenteis auro docenter insignitis, ad hoc et ambonem evangelio recitando operuit, et durabili robore compegit. Taceo coronas tam luminoso fulgore a laquearibus dependentes, lampades locis et ordinibus tam [1611] diversas, candelabra tantorum ponderum ac speciërum, simul cum his vasa pene sine nomine, omnia argento solido perfecta; ad ultimum campanarum eam quæ visitur et numerositatem et enormitatem, ceteraque operum ejus insignia, quibus peritissimum ejus, ut erat in omnibus fere artibus, enituit ingenium.

91. Quæ ubique et memoriam prætorlabuntur, et si quo succedere possunt, persequi temptavero, nec prorsus ad explendum sufficiet pauperrimi sermonis angustia; ot in tantam ea exuberant copiam, ut etsi ab aliquo forsitan possent explicari, non edificatoriam oblectationem, sed ut nostri mores scio etatis, tediosam omnino facerent lectionem. Unde ad alia censeo transeundum. Sed ne forte quis supra quam res se habeant in hujus viri favorem ferri nos tacite denotet, ei hec que huic asscribimus magistri pocius cuncta fuisse, id nequaquam abnuimus, immo ita esse plane efferimus. Ejusdem enim patris et magistri domni Einoldi jussionibus et ordinatione cuncta perficiebantur, nec aliquid hic aliquando temere arripiebat, nisi quod ore illius primo exisset. Verum citius his occurritur, quoniam facta discipulorum in laudes redundant magistrorum, et nec ipse domnus Johannes ad se umquam quicquid egerat replicabat, sed: *Sic ipse*, inquiens, *jussit*, *ita et exsequor*. Sed non ob id iste expers operum eorundem merito dicetur, cui labor totus sudavit, illo dictata tantummodo dante. Quid vero inter quosquam hinc frustra causa contrahitur, cum inter ipsos neuter neutri quid aliquando disconveniret invenerit. Pater suum esse quod filius, filius quicquid ipse congrue egerat patri reputabat. Nec conjunctiora a seculis Christo teste paria sibi convenisse fatebor. Si creditur, fidei merces certa; sin minus, nobis, quod certo cognovimus, certo et proferre nemo obstiterit.

92. Cum mens multa suggerat, et ad specialia ac singularia quedam ipsius tangenda jam impaciens non retineat, de lege jejuniorum quam sibi indixerat, quia supra pene prætereram, quam breviter potero prius perstringere cupio. In ipso mox conversionis initio, totum deinceps tempus, exceptis festis diebus vel occasione alicujus inevitabilis cure corporis vel infirmitate seu hospitum condescensione, jejunio disposuerat dedicare. Quod et aliquandiu, et robore adhuc juventutis et pristine olim in seculo fiducia castigationis, vivaciter tenuit, et tamquam nihil omnino gravaretur, ut leve quiddam nec fere sentiens, agili corpore, corde vultuque lætiore peregit; hisque diebus nihil præter panem sumebat et aquam, et in ipsis quoque omni parcitate adhibita, ut non fere plus medietate panis qui integer libra appendi-

VARIÆ LECTIONES.

[1610] commodabatur 1. vel commutabatur *in marg.* [1611] eam *c.?*

NOTÆ.

(397) Vic.

tur caperet, aquæ quoque similiter ultra medium mensuræ quæ fratribus apponitur vini, vix quicquam adiceret. Salis, herbarum virentium, aut alicujus talium, quæ abstinentibus non interdicuntur, quicquam penitus nec adtingebat. Hoc et ipse domnus Einoldus, dum ipse se ipsum experiretur, interim permisit. Post aliquod deinde tempus cum eum valde perspiceret defecisse, nec tamen a cœpto cessare sed ultra vires contendere, moderate compescuit, et ut magis quod ferre posset eligeret monuit. In tantum namque jam sese confecerat, ut die quadam cum fratribus ad ortum egressus dum operi enixius incubuit, corde repente deficiens citiusque claustro se festinans recipere, in media via prolapsus sit atque inter manus deductus.

93. Itaque regulam tolerabiliorem assumpsit, ut duas tantum quadragesimas in anno perageret, unam ante nativitatem dominicam, alteram ante pascha. Priorem quidem ab Idibus Septembribus, cum nona hora fratres prandium repetunt, incipiens, sequente mox ab octavis epiphaniæ[1612] dominica tertia et quinta communem ceteris tenens refectionem, reliquos *[1613] quatuor abstinebat dies, pane tantum et aqua lege ipsa contentus quam diximus. Sin vero festus quilibet dies incidisset aut hospites supervenissent, eosdem quoque refectione mutabat. In sanguinis quoque minutione, quam plus mense differre vix poterat, curam corporis non respuebat. Ideo autem tanto prius tempora præveniebat, nec propinquiora ipsis[1614] solempnitatibus exspectabat, ut si forte quemcumque dierum dispositorum alicujus talium casus præciperet, superesset ei in reliquum, quo eosdem dies recompensare[1615] sufficeret. Unde multotiens cum ita contigisset, ut ex prædictis occasionibus aut aliis quibusque accidentibus tota sibi ebdomada aut forte duæ vel amplius voto explendo impedirentur, mox obtata redditus libertate, numerum prætermissorum dierum, continuata binis aut amplioribus ebdomadibus continentia, dominica dumtaxat vacante, cunctis qui videbant stupentibus vel dolentibus instaurabat; itaque, ne ex votivis quadraginta diebus illo vel illo tempore quisquam præteriret, callidus nimium observator invigilabat. Plerumque cernere erat illum ipsa quoque præscire futura, cum talem continuationem jejunii tamquam ex improviso arripere videbatur. Nam ita sepenumero animadversum est, quod cum sic omnis remissionis ignarus ferveret, subsenter aut nuntio aut aliqua inevitabili necessitate monasterio progredi cogebatur; nam quamdiu foris erat, humani diei (398) latrocinia[1616] sollerter attendens, secreti sui, cujus Deo tantum mercedem servabat, seculares arbitros esse cavebat. Quamquam igitur et aliorum temporum certa jejunia, aut quatuor anni temporum et solempnitatum sparsim per annum ordine *suo*[1617] occurentia, strenue, si tantum secum res ei esset, peregerit — nam etsi *[1618] gloriæ semper fugitans, itinere vel hospite sepe resolvit, hæc tamen duarum in anno quadragesimarum vota fere numquam præteriit —, reliquo anni tempore, quanto scilicet fratrum bina refectio tenditur, communiter sine aliqua adjectione vel diversitate convixit.

94. Cyborum quicquid parabatur, nullam faciens differentiam, nec viliora sibi affectans, nec lautiora detrectans. Qualitati coctionis, qua cæteris ministratum est, usibus suis umquam aliquid adici vel mutari[1619] permisit. Panis æqualis et similis, vinum ejusdem mensure et saporis, nullo universalitati diversum aliquando fuit. Festis diebus, quibus quam lautius et exquisitius fraterna jucunditas in honorem Domini vel sanctorem potest apparare consuevit, quæcunque apponebantur libere sumebat. *Hoc non utor, illud affer vel para*, numquam ex eo auditum. Ita in nullo aliquando cibo et potu notabilis apparebat. Quin et ipse, ut talium adprime peritus, parari hec quam lautissime his diebus faciebat, et nullo apparente typo sumebat. Corpus ei pene naturali semper insolubilitate duruerat, ut difficile cibus in eo decoqueretur. Inde pociones herbarum aut plerumque quæ ad id facerent vel conducerent pigmentorum, libenter sumebat; his tantum admissis, reliqua medicorum tam diversa arte confecta recusabat. Illud[1620] certe summo nisu servatum est, ut vix aut numquam in ebrietatem aut crapulam ex quamlibet præter solitum sumpto cybo vel potu deduceretur, vel unde quicquam consueti operis rei divinæ noctu vel interdiu intermittere cogeretur. Ita et foris communiter ceteris convivari videbatur, et in ipso convictu sibi statutam percipiendorum alimentorum mensuram non excedebat. In illud apostoli: *Scio et esurire et satiari* (*Phil.* IV, 12), eum præ ceteris hujus temporis summa arte et quadam veluti disciplina institutum et consummatum palam enituit. Nec enim esurie demissior, nec refectisne *[1621] umquam apparuit elatior. Ad summam, pœnitentiæ rigorem eundem[1622] usque ad finem vitæ mira perseverantia tenuit, quodque tantum superexcellit, ut a nobis quolibet sermone expleri non possit. Unde his modo imposito, ad ea quæ de exterioribus ejus gestis scire potuimus stilum vertamus. In quibus partim prudentia sagacis ingenii et robur animi virilis gratiæ supernæ adjuti, partim sola divinæ virtutis operatio, ubi humana adesse non poterant auxilia, sunt demonstrata.

VARIÆ LECTIONES.

[1612] *ita L.* ep... *c.* [1613] *ita Mab.* reli *jam deest;* vel quos *L. male.* [1614] ipsi *c.* [1615] recompensaret *c.* [1616] *ita codex; an* lenocinia? [1617] *voces asterico notatus ex conjectura scripsi, lacunas codicis explere aggressus.* [1618] *ita L. vox jam deest.* [1619] non *deest.* [1620] Illud — excedebat *desunt apud Labbeum.* [1621] *ita L. vox jam deest.*

NOTÆ.

(398) Id est humani operis; cf. Pauli Ep. I, ad Corinth. IV, 3.

95. Cum (399) primo, ut superior textus docuit, ibidem sancti viri prompta domni Adelberonis episcopi voluntate ad locum Gorziam jam dictum convenissent, aliquandiu quidem ope ejus in primis sustentati sunt, quia necdum facultas ei fuerat, ut de possessionibus monasterii, quæ jam abhinc longe retro beneficio secularium cesserant, eis aliquid restitueret. Inde dum aliqui divinitus inspirati fama bonæ opinionis illuc confluere cepissent, et sancte congregationis augesceret multitudo, rex vixdum tenuis exiguum præ ea quæ tunc non tanta, nedum ad eam quæ post futura sperabatur in dies magis magisque augendam numerositatem, pollicebatur stipendium. Ad hoc et idem vir sanctus Adelbero, regno tunc diversis perturbationibus concitato circa plurimas curas distentus, minus eis solito prospicere poterat. Inde compulsi, jam aliena solatia pene quærere destinaverant. Et quia sub idem ferme tempus (DCCCXXXIV) Ogo præpositus tunc sancti Maximini, felicis postmodum exempli, a sæculari conversatione se restrinxerat, et ope ducis Gisleberti idem monasterium ad regularem conversationem reduxerat (400), ejusdem pio molimine præpositi illo se transferre aliquantisper assensum flagitaverant * [1622].

96. Cum inter hæc domnus Einoldus rem fluctuantem saniori comprimens * ratione [1623], quadam die inter cætera exortationis verba omnes sic alloquitur : « Scriptura, inquid, asserit (*Prov.* XVI. 7), quia cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. Negligentiam ergo nostram hinc advertere possumus, quia si eo quo oportuerat studio mens nobis in divina intenderet, facile Domino fuerat virum hunc flectere, et nobis comem [1624] et beneficium reddere, et cor ejus ad quod nobis expediret convertere. » Pluribus deinde, quæ ad ea conducerent, eos exortatus, et ut novitatis suæ conversionis memores, qui eis tunc fervor fuerit, retractarent, et ne quid nunc languidius frigidius ac neglegentius apud se ageretur caute perspicerent, ac si quid horum sentirent omni vigilantia instaurare contenderent, tantos repente eis animos reddidit, ut nunc singuli, nunc omnes, in novam quandam conversationis pugnam acriter conspirarent (DCCCCXXXV). Ad consueta quisque et regularia majora [1625] et productiora adjicere; ipsa licita sponte sibi subtrahere; cybo, potui, somno, linguæ, seu cuilibet corporis requiei, minimum quiddam indulgere; ut tunc primum quasi conversationis initia viderentur arripere.

97. Cum interim prædicti Ogonis, præpositi sancti Maximini, ducisque Gisleberti suasio de migrando eos stimularet, et jam ferme triennio episcopus loco abstinuisset, forte pro viro quodam juris monasterii, qui rebus quibusdam episcopalibus præerat, Johannes Mettis advocatur. Blande primum ab episcopo convenitur, ne sibi quod peteret denegaret. « Vestra, inquit, peticio jussio est. — Virum illum, inquit, mihi cedas deposco. » Ille paulo commotior, ut cui mens longe alias intendebat : « Exemplo * [1626], inquid, fabule David nunc ultimi, ubi dives innumeris quas habebat ovibus parcens, hospiti supervenienti unicam pauperis ovem vi abstractam jussit apponi. Sic cum infinita reliquorum copia abundetis, unum hunc nobis pauperibus præripitis. » Adducto supercilio cum se ille, vix aliqua animi commoti verbo signans indicia, avertisset, Johannes se e conspectu proripuit. Fridericus monachus sancti Hucberti, cujus supra mentio facta est (*cap.* 55), sub ipsa ferme ora ingrediens, et ex vultu dejecto animum perpendens : « Quid, inquit, supercilia vobis sic video dependentia? » Nam hunc, ubi commotior esset, habitum velud naturalem sibi induerat. « Ab hoc, inquit, insano Johanne, ut numquam antehac a quoquam ita contemptus sum, ut nec pro homine uno apud eum intercedere voluerim. » Ille conscius quæ extra conflabantur consiliorum : « Nisi, inquit, providebitur, proxime cunctis eis carebitis. Nam cum duce et præposito, quia a vobis parum sibi adest auxilii, eos jam dudum conscivisse cognovi; utque in sancto Maximino traducantur, ocius maturatur. » Concite Johannes revocatus, et cur injussus abisset rogatus, cum silentium tremebundus teneret : « Non te, inquid episcopus, tam animosum credebam, nec in re tam fere nulla ita difficilem estimabam. Peto igitur, hominem vel usque ad aliquas inducias mihi cedas. » Ille quit in causa esset intellegens — nam pactio pecuniæ intererat. — « Quantumcumque, inquit, jubetis? » — « Ad quadraginta, inquit, dies. » Et ille : « Etiam ad annum, si placet. »

98. Non diu post hæc episcopo quiescenti persona quædam terribili ac minaci vultu apparens, hec sibi cum quadam austeritate dicere videbatur : « Bonum bene cepisti, sed a cœptis nimis cito defecisti. Cave * ne * hæc * [1627] defectio majorum tibi causa sit ruinarum. Repara [1628] quæ cœpisti, ne in deteriora procumbas. » Experrectus et secum multa pertractans de opere a se cœpto religionis, et tanto tempore neglectam [1629] hanc esse, commonitionem non sine acri dolore perpendit. Cubiculario mox cui Matzilino cognomen accito. « Summa, inquit, maturitate Gorziam proficiscere et abbatem [1630] Einoldum huc continuo adesse jubeto. » Ipsam forte noctem abbas Mettim egerat, ac diluculo reditum parabat.

VARIÆ LECTIONES.

[1622] *vox deest.* — præbuerunt. Verum inter *Mab. suppl.* [1623] mens ratio *c coni.* [1624] comen *c.* [1625] majore *c.* [1626] *ita L. vox jam deest.* [1627] ne h. *supplevi, ita loco exeso mederi conatus.* [1628] Repera *c.* [1629] neglecta *c.* [1630] abbatum. *c.*

NOTÆ.

(399) Cf. Miracula S. Gorgonii, c. 10.

(400) Cf. Mir. S. Maximini, c. 12.

Moxque matutinis dictis abcedens, cum porte civitatis accessisset, clavesque ibidem opperiretur, ecce nuntius ad se accersiendum missus adproperat, eoque [1631] viso ac salutato : « Labore, inquit, me relevastis; nam ad vos huc evocandum mittebar, dominusque vos continuo sibi jussit adesse. »

99. Illo mox adveniente reque tam repentina episcopo stupefacto, ut ingrederetur jubetur. Salutatione invicem data et reddita : « Diu, inquid episcopus, est, quod rebus aliis obstantibus Gorziam non veni; sed Deo volente animus mihi esset illuc veniendi. — Cum maximo, inquid, vos videbimus gaudio. — Precedite, inquit, vos, et quo die ut eam videbitur, resignate. » Erant tunc dies jejunii quatuor temporum mensis secundi (401) in crastinum, et eis exactis ut fieret dixit. « Non opus est, inquit abbas, ob hanc causam differri; sed ipse hodie præcedam, et cras vos hora qua videbitis exspectabimus. — Hora, inquit, tertia veniam. » Crastina profectus, cum jam monasterio propinquare cepisset, loco qui dicebatur Ad crucem, equo dejectus ac discaltiatus, sic usque ad monasterium pedes incedit. Exceptus, oratione facta, conventu advocato, vestigiis eorum supplex prosternitur, neglectum sui circa eos ad id usque temporis accusat, spe de se meliori eos deinceps recreans *, veniam [1632] summissus exorat. Ea facile impetrata, villam quondam juris monasterii, quam etiam tunc germanus ipsius Gozilinus in benefitio retinebat, quæ Waringis villa (402) dicitur, eis continuo contulit; dans mandata ministro, ut nisi omnes reditus integre abbati assignaret, si quid fraudis ibi machinaretur et doli, maledicto Dathan atque Abiron sub Christi præsentia multaretur.

100. Post horam jejunii refectione exhibita, omni cum alacritate episcopo abscedente, mox in crastinum abbas cum senioribus quibusdam ad villam proficiscitur possidendam. Cum obiter ad castrum quod Scarponna (403) dicitur pervenissent hora fere tertia, equus Johannis claudicare cœpit. « Quid, inquit abbas, equus ille sic claudicat? — Ferro, ait, perdito dolet. — Non ultra procedas, inquit, donec imponatur; nos hic interim opperibimur. » Cum ad forum concitus declinasset, quidam fortuitu, quo tenderet, requisivit. Ille paululum cunctabundus. « Proderit, inquit, si me uon celabitis. — Unde, ait, tu es? — Ex villa Portus (404), » inquit. Erat autem hæc etiam prædictæ possessionis. « Illuc inquit, imus, ex jussu episcopi eam possidere. — Paucis me, ait, audite. Census totus pecuniæ adhuc ibi retinetur; nam cum proxime eum ministro episcopi is qui collegerat attulisset, quia quinque forte solidi defuerant, nisi simul totum accipere recusavit. Sed et annona anni præteriti adhuc recondita jacet, ipseque minister partem non modicam suis usibus sequestravit. »

101. Johannes celeriter equo ferro imposito rediens, et in aurem quæ didicerat abbati locutus, ministrum episcopi hora circiter quinta conveniunt, qui tunc forte apud prædium nomine Laium (405) cum comitissa Eva tunc vidua (406), cujus ipse tunc advocatus erat, morabatur; Albulfus [1633] vocabatur. Is mandato episcopi accepto : « Hodie, inquit, hic queso manete, cunctaque præbebo necessaria, donec præmittam, et condigno vos ibi honore excipiam. » Quibusdam assentientibus, Johannes profectionem sine dilatione instimulat. Senioribus quibusdam dicentibus, puerilia hæc esse consilia, et pocius ea die ibi quiescendum, frustraque esse absque ullo opere laborare, abbas : « Satius, inquit, est, properemus. » Johannes celerius præcurrens — nam non plus leugas tres aberant — refectioni habilem domum in villa ipsa præoccupat, cæteraque ad id diligentissime præparat. Moxque horreum ingressus, callidus omnium explorator, ut sibi erant prædicta, ordine cuncta invenit. Census collectorem continuo advocans, ne quit ex tota quam penes se adhuc retinebat summa prorsus sit diminutum usque in præsentiam abbatis et ministri episcopi, vehementer ex auctoritate interminatur episcopi. Interea abbatem cum suis advenientem lautissime excipit, ministro in crastinum exspectato; ab eo sub noctem clam nuntius missus censoremque conveniens, ut sibi pecuniam [1634] quam pridem attulerat domino suo deferendam daret; ille interdictum sibi ex verbo episcopi dicens, vacuum remisit. Condicto in crastinum minister cuncta, ut jussa erant, exequitur, et juri eorum integre possessionem, quæ tota centum mansuum quantitate protenditur, incolis sacramento addictis, assiguat.

102. Albulfus tacite nuntium abbati dirigit, ut quædam [1635], quæ ex suo contractu ibi habuerat, sibi reddi juberet. Cumque scitum [1638] esset, nihil prorsus ejus ibi esset, sed cuncta usibus domini cedere, consilium forte fuit, ut solidi decem aut quindecim pro bona ejus executione darentur. Nuntius nisi libras duas acciperet recusans, dominoque renuntians : « Stulte, inquid, egisti, quod offerebatur rejiciens; nam forte jam nec ad assem pervenitur. » Ipse postmodum jam aperta fronte, sua sibi * dixit * [1637] nisi reddantur, episcopum ob injurias conventurum. Johannes : « Et nos, inquit, non diffugimus; forsitan res ejus non damnis augebitur. » Ille

VARIÆ LECTIONES.

[1631] eosque *c.* [1632] eans veniam *jam desunt.* [1633] Albul *deest c.* [1634] peccunia *c.* [1635] quodam *c.* [1636] situm *c.* [1637] s. b. *desunt; e conj. supplevi.*

NOTÆ.

(401) Februarii; scilicet dies Martis post Dominicam *Invocavit.*

(402) Warengeville.

(403) Charpeigne ad Mosellam, infra confluentes Mosellæ et Meurthæ.

(404) Hodie Saint-Nicolas.

(405) Lay.

(406) Adalberonis episcopi consanguinea; vide Calmet I, *Preuves* p. 356, sqq.

conscius retro commissorum: « Domini mei, inquit, eleemosinæ in nullo obniti vel obstare cupio; tanta ego alias gratia ipsius mihi collata retineo, ut facile his, etiamsi plura essent, amoris ipsius gratia carere, quin et mei juris hereditarii, si quid competat, ultra velim adjicere. » Ita re cuncta sedata, partem aliquam [1638], fructuum ei cesserunt, et pro bona ejus postmodum in se pace ac gratia, et ut sicubi opus existeret in sui defensione eo deinceps uterentur, ex argento similiter aliqua largiti sunt.

103. Simili (407) modo non multo post, dum fratres quoquadam proxime sibi possessione frequentibus pulsarent precibus, difficilisque omnino pateret effectus, remque jam desperatam divino solo referrent auxilio, repente episcopus abbate accito: *Quod tanta*, inquit, *importunitate eluctatum tandem habete quod poscitis. Nec mihi gratiam ullam, sed beato Petro, qui me nocte vehementer perterruit et ut facerem coegit, rependite.*

104. Tempora (408) dissensionibus nimis, regum hac illac quoque sibi trahente fluctuabant. Octo, maximus post rerum augustus, post genitorem, strenuum per omnia regem Heinricum, prima regni tunc auspicia ceperat, sub quo Gislebertus ducatum regni Lotharii, Everardus Franciæ Austrasiæ et quorundam trans Renum tenebat locorum. Transrhenana interim quieta manebant. Nostra varie infestabantur, nec jugum facile admittebant. Inde Boso quidam, filius dudum principis Burgundionum Richardi, partem aliquam regni sibi evindicans castrisque se continens munitissimis, dominatum cujusquam prorsus respuerat. Victoriacum Campaniæ castrum obtinens, inter reliqua circumpositorum possessiones [1639] quasdam monasterii Gorziensis acsi jure hereditario [1640] usurparat. Ad has reposcendas, si forte apud talem virum vel pro divino timore locus precibus ullus esset, Johannes ab abbate [1641] et fratribus est destinatus.

105. Ille, cui obœdientia cuncta difficilia vel impossibilia facilia et possibilia reddiderat, per infesta latrociniis loca et quæ multitudini quoque essent formidanda, uno tantum comite ex familia sibi assumpto, iter aggressus est. Dum ex improviso advenisset, comiti nunciatur, et quidnam ferret incertum coram intromissus, ubi legationem abbatis et servorum Dei pro re qua mittebatur absolvit, illo in iram concitato: « Quis te, inquit, maleficus huc adduxit? Ubi custodiæ illæ meorum, ut eas sic pertransieris, afuerunt? — Quomodocumque, inquit, adductus sim, huc perveni, et mandata et preces servorum Dei ad vos afferro, ut quæ de rebus ipsorum invasistis, propter amorem Dei et timorem vel reverentiam sanctorum eju restituatis. » Interrogatus quæ essent, et audiens, omnimodis abnegat [1642], et ut se cito summoveat, imperat. At ille: « Ego, inquit, summoveri possum; alii item multo nostrorum sunt plures et potentiores, qui vicibus succedere non cessabunt, nec a latratibus eorum requiem dum vivetis habebitis. — Quæ mihi, inquit, cura latratus eorum? — Clamabunt, inquit, assidue. — Ad quem rogo? Num ad regem nescio quem tuum? Num ad ducem tuum illum Gislebertum? quem ego acsi servum meum reputo novissimum? Pari modo et de episcopo suo est Adalberone, quem ipsum utique quantum mihi virtus fuerat invare decreveram, qui de vitrico quoque ejus Richizone ejus causa vindictam sumpsi; sed quia nunc contra me ad Gislebertum defecit, viderit quid ei ex hoc commodi cesserit. » Tunc Johannes: « Clamabimus, inquit, ad Deum, qui æque personam nostram accipiet et vestram. »

106. Ille commotior: « Non hinc, ait, caballum referes vel jumentum. Potestati vestræ, ait, hoc erit et quando aliud non erit consilii, pedes redibo, non ceteros tamen ob hoc deterribitis [1643]. » Ille jam magis accensior: « Membris jam ipsis quoque, inquit*, multaberis* [1644]. » At ille: « Vobis, ait, id facile efficere; mihi autem non minus pœna est*, quod * [1645] utique non satis dolebo. Si oculis privabitis, magnis me curis et laboribus levabitis, quia sedens quietus psalmis et orationibus intentior esse valebo. » Cum de virilibus ille minaretur: « Maxima me, ait, sollicitudinem securum reddetis. » Jam fere arripi jusserat eum, cum conjux prudens sane mulier intervenit, et ne tali se infamia dehonestaret, supplex monet, ne jam nec monachis vel servis Dei parcere diceretur; et quia postulata negabat, saltem illesum abire permitteret. Ita dimissus, et a comitissa [1646], quæ satis compte eum [1647] exceperat, quiddam [1648] viatici percipiens, dato sibi ab eadem duce quodam, qui usque ad loca latronibus libera [1649] eum tuto perduceret, iter festinus arripuit.

107. Circa horam fere tertiam villam quandam ingrediuntur, ubi mercatum ea forte die habebatur; et ecce multitudo per totum forum diripientium, vendentibus atque ementibus æque spoliatis, mortem insuper, si quid oblatrarent, minitantium. Johannes comitem quem ex monasterio sumpserat clipeum ferentem intuitus: « Hic, inquit, clipeus damnose nobis advectus est, quia nec tu eo ut expedibit uteris, et ipse in nos forsitam impetum concitabit. — Quia tu, ille inquid, ceteros mortalium solus ita confidentissimus incedis, et merito dignaque morte peribimus. » Cum repente dum hesitant

VARIÆ LECTIONES.

[1638] aliquem *c.* [1639] *jam deest.* [1640] hereditatorio *c.* [1641] abate *c.* [1642] *ita M.* abnegato *c.* [1643] *ita c.* [1644] inquit mul *desunt.* [1645] e. q. *e conj.* [1646] ab ea 1. a comitissa 2. [1647] *ita* 2. com : : : : 1. [1648] quidam 1. [1649] libere 1. a latr. obsessa libere 2.

NOTÆ.

(407) Ex Miraculis S. Gorgonii c. II.

(408) Ex Miraculis S. Gorgonii, c. 12.

quendam sibi notum dux quem comitissa dederat conspicatur; eo accito causaque dicta : « Maximo, inquit, huc periculo advenistis, et an vos huic quoque pacto expedire possim ignoro. » Johannes ad hæc : « Vel trans silvam usque, quæ proxima, conspicitur, nos perducere possis, cætera Dominus procurabit. » Ita turbam prætergressi, gradu pacifico ac temperato ad silvam usque procedunt. Fronte [1650] captato, sti nuli acrius subiguntur, ac præpeti cursu saltu transmisso, iibero jam gramine quodam cibum sumpturi descendunt.

108. Johannes panis [1651] casei ac piscis quiddam ex subsellaria pelle producens. . . . . equi *[1652] post tergo sui soluto, ducem ad sumendum cibum hortatur. Inter edendum dux adjecto *[1653] suspirio : « Tres aut certe quattuor, inquit, menses sunt, quibus nullo juste adquisito cibo vel potu usus sum, præter quo nunc utor. » Nosque omnes, ve nobis miseri! non nisi præda et calamitatibus vescimur miserorum Ad hæc Johannes salutarem ingressus doctrinam, juvenem [1654] multis adversus hæc hortabatur, multoque melius inopiam, famem sitimque ferendam, quæ Deus utique ut avibus et vermibus sublevaret, quam his quibus Deus offenderetur insistere. Tandem ad hoc sermo processit, ut ab ea die, se ab his temperaturum promitteret. Refecti, juvene dimisso, Johannes dum vespertinæ synaxi signum daretur, Gorziam pervenit.

109. Non multi interfuerant dies, ecce nuntius comitis Bosonis Gorziam veniens, anxio dolore dominum gravi ægritudine lecto nuntiat decidisse ac pene desperatum jacere, summaque prece monachum, qui pridem a se recesserat, sibi mitti postularet. Protinus Johannes abbate jubente celer progreditur [1655] Comiti nuntiatur adesse. Dum [1656] coram venisset : « Quando, inquit, proxime hinc digressus es, non tam prope mihi estimaveram finem vitæ posse subripere. Habeto ecce prædia quæ postulaveras, tantumque patronum me rerum earundem efficite, et quicquid exinde vobis deperierit, ego auro probato repensabo. » His dictis vel actis dum e conspectu abisset [1657] et hospitio, quo satis humanæ [1658] curari jussi fuerant, se recepissent, comes somno, quo jam per plures dies vel noctes penitus carens nimia tabe defecerat, ita repente opprimitur, ut ab hora nona usque in subsequentis diei horam fere tertiam non evigilaverit. At tandem experrectus, conjugem nomine sepius iterato inclamitat, sibi aliquid quod sumat adportet. Cujus itidem jam pluribus actis diebus nulla ei copia fuerat assumendi. Quo satis delectabiliter sumpto, iterum usque horam fere nonam obdormiens, experrectus Johannem advocat, eumque salutis suæ recuperatorem testatus, honore multo deductum, et pro quibuscumque voluit præbendis paratum se offert.

110. Possessio (409) erat monasterii longo jam retro tempore beneficii nomine *[1659] ad comitem quendam palatii Hamedeum devoluta, qui simul bona monasterii sub precaria vel prestaria quam dicunt obtinebat. Eo mox *[1660] obeunte in eadem possessione, quia proxima erat monasterio, necdum funere elato, quod Mettis fuerat deferendum, ut in basilica beatæ virginis Mariæ, que dicitur ad xenodochium, humaretur, Johanni Gorzie est nuntiatum. Casu tunc ibi episcopus advenerat. Johannes cito abbatem causam commonet, ordine edocens, episcopum interpellet. Abbas mox introgessus et gravitate illa sua paululum cunctabundus, post aliqua : « An, inquit, audieritis; Hamedeum vestrum dicunt defunctum? — Et ego, inquit, audieram. Abbas subjunxit : Is quiddam juris monasterii sub precaria detinebat; id nobis recipere liceat, petimus. — Omni, ait, illud libertate recipite. » Abbas re Johanni relata : « Quid, inquit, postulastis? — Precariam, inquit. — Ego, inquid, ex hoc nihil commonui; nam istud gratis nobis rediret; sed beneficium ut repeteretis, suasi. Protinus abbas episcopum repetens dicit : Inquit frater Johannes, me nihil utile apud vos effecisse. — Quid igitur [1661] intenditur? — Res, ait, quasdam mensæ fratrum proprias detinebat, quas ut reposcerem stimulavit. » Episcopus vultu toto demutatus : « Vos, ait, numquam quicquam eorum tenuistis, et omni tempore benefitio sunt deputata. » Causa vero erat quod in his difficilis videbatur, quod fratres ei plures ex matre erant, et eis usque ad id temporis parum consulere potuerat, pluribus res episcopii retinentibus, quos privare nec jus nec consilium erat — tanto robore ex superioribus episcoporum rebus fractis nitebantur — et ideo hac vel qualibet occasione ipsis germanis quo quid largiretur expectabat.

111. Huic tamen intentioni alias probati et in rebus divinis spectati sancti viri miro ordine divinitus est refragatum. Nam abbate responso ejus pene ab omni ulteriore conatu *, deterrito *, episcopus * vespertino [1662]* conventu, quo pridem valde oblectari solitus * erat *, et * ante * [1663] satis jucunde eis fuerat convivatus, ivit quidem, sed nonnisi panca ore libans, protinus rediit. Moxque dicto completorio stratu se locat. Multa secum versans, medium fere noctis insomnio fatigatur; ubi nullo somnum datur adsciscere pacto, ut moris sibi erat surgit, et orationi [1664]

VARIÆ LECTIONES.

[1650] Monte? — Freno *Mab.* [1651] panes *corr.* panis *c.* [1652] *ita supplenda lacunæ pars videtur* [1653] *ita suppleo; Labbeus* producto, *sed a patet.* [1654] *ita M.* invenire *L.* [1655] procreditur *c.* [1656] du *c.* [1657] abisse *c.* [1658] humanæ *c.* [1659] *ita Labbeus lacunam explet.* [1660] ox *e coni.* [1661] ad eum *deleta post* igitur. [1662]..... no *cod.* [1663] te *cod.* [1664] oratione *corr.* orationi *c.*

NOTÆ.

(409) Cf. Miracula S. Gorgonii c. 15.

[1665] incumbere temptat, sed ea adsolita intentioni viribus [1666] ita ei resolutior fuit, ut [illegible] acediosus repeteret; ibi diu somni cupidus, diverso lateris motu defatigatus [1667], nec ullo effectu ejus potitus, surgit, arcam martyris petit, culpam coram stratus fatetur, voto res quibus de agebatur spondet reddendas, baculum insuper altari superponit: « Hoc, inquiens, martir sancte, tuum tibi restituo. » Genibus flexis, orationem intentiorem nunquam preterea se neque valentius fudisse professus est. Oratione assurgens, stratum petiit, in somnum concite solvitur, et pervigilia prius inquieta ordine post naturali compensans [1668], in nonnullam auroræ partem somnus pertrahitur.

112. Jam sole rubente experrectus et ymnorum sibi solito solvendorum memoria perturbatus, satisque causam secum retractans, tandem [1669] laudes surgens explevit. Mox Johannem jubet acciri. Quo præsente: « Mala me, ait, nocte confecisti; i, et baculum altari inpositum cape, et possessiones quas postulaveras posside. » Ille pedibus provulutus: « Non, inquit, domine, ita convenit. Vos paululum ut defatigatus requiescite, et interim horæ primæ signo dato et celebrato, conventum fratrum adite, et non uni, sed omnibus, quod omnium est dono gratuito restituite. — Ita fiat, » inquit.

113. Ecce solito maturius turba suorum diversis ex locis convenit. Nam ipse ibi, ut sibi morem fecerat, duobus vel tribus clericis totidemque cubiculariis contentus, mox monasterii [1670] januam penetraverat, cunctis se comitantibus ablegatis, secularium extraneus morabatur. In his qui convenere erat germanus ejus * Gozlinus * [1671]. . . . . . Qui* ab* æcclesiæ custode quodam incauto porta * monasterii * aperta * intromissi *, recti cubiculum episcopi quiescentis petebant. Johannes* [1672] ut* adventum* eorum* celerius comperit, festinus in occursum venit, et quia infra monasterium * loqui * religio fuerat, signo ut se sequerentur dato, januam eos longe usque* reverti* fecit*, custodi in aurem susurrans, ut statim a tergo januam obcludat. Ibi eos diversis allocutionibus illis parum jucundis aliquantum detentos, et episcopum, quia noctis incommodo dormire nequiverit, tunc tandem quiescere licens, ut quippiam cybi interim — nam æstatis erat tempus — capiant monet. Illis recusantibus, nec nisi colloquium episcopi se quippiam velle dicentibus: « Satius, inquid, id est, dum ipse, jam solitis sibi rebus expletis, copiam se conveniendi exhibeat. » Ita eos demoratus, et concite parata gustatione implicitos, ipse intro regressus signum pulsat: prima dicta psalmisque solemnibus, in capitulum episcopus invitatur. Nonnulla pro tempore

A crebrius exhortatione facta, fratres rem jam partim et lecti postulationem rerum faciunt prædictarum. Quibus in nullo abnuens, baculumque prætendens: « Habeat quod suum est martir beatus, vosque mei memores habetote. »

114. His peractis, mox qui convenerant irrumpentibus, vehemens sibi a germano fit super rebus eisdem vexatio. Jam monachis ea reddita responsio, multis ille insuper instare et monachis omnia undique abunde sufficere, suis magis eum debere consulere. Ubi nihil proficit, et episcopus cibo cum fratribus sumpto progreditur, iterato ab ipso limine [1673] monasterii per totam viam usque vadum fluminis super his sermo repetitur. Jamque vadum ingressurus cum multo jam tedio afficeretur: « Frustra, inquid, nitimini. Vere si mediam partem episcopatus ipsis monachis concessissem, nec passum pedis eis propter quempiam vestrum auferrem. »

Plura sunt alia, quæ, quotiens oportunitas tulit, Johanne interveniente monasterio multis jam temporibus abalienata recepta sunt. Sed* quia* lectorum* animi* ad* finem* [1674] festinant, tempori plurimum * parcentes * ad * reliquum * vitæ ejus* [1675] stilo percurrendum accedamus.

115. Legatio regis Hispaniæ * Abderahamenis * (DCCCCL?), fama* gloriæ* [1676] insigniumque factorum in gentes diversas tunc jam magni regis*, postmodum * vero * Cæsaris * augusti * [1677], domni Ottonis perciti, forte cum muneribus pro regia munificentia missis * advenerat * [1678]. Legati, quibus episcopus quidam præerat, dignitate solemni pro tanta magestate excepti, diuque retenti; inter moras episcopus, qui legatis præerat, mortem obit. Dum a nostris qui item eo remittantur disquiritur, post nonnulla aliquandiu tracta consilia, id demum convenit, ut quia idem rex sacrilegus et profanus, utpote Sarracenus, et a vera fide prorsus esset alienus, quique quamvis amicitiam [1679] expeteret principis Christiani, in litteris tamen quas miserat blasphema [1680]* nonnulla in Christum evomuerat, cum scriptis imperialibus [1681] quæ ferrent, vocem quoque suam ipsi aperire, et si quo pacto divinitus daretur, immutare possent perfidiam.

116. (DCCCCLIII.) Forte sub ipsos [1682] dies Adalbero noster, sacræ memoriæ, palatium adierat. Bruno, magno ac felici postmodum futurus usui et decori, germanus regis, sapientia et prudentia cum [1683] rerum publicarum tum [1684]* omnium liberalium eruditione disciplinarum ita adprime eruditus, ut sui temporis omnes superaret et antiquos pene æquipperaret, cui insuper et Grecæ lectionis multa accesserat instructio, omnium tunc temporis publice ac privatim agendorum communicator ac

VARIÆ LECTIONES.

[1665] oratione *corr.* orationi *c.* [1666] juribus *c.* [1667] defetigatus *c.* [1668] compensan *c.* [1669] tande *c.* [1670] nanasterii *c.* [1671] e. G. *e. coni post. circiter* 20 *litteræ exciderunt.* [1672] I. *cod.* [1673] limite 1. uel limine *c.* [1674] S. q. l. a. a. f. *e coni* [1675] mum p. a. r. v. ejus *e coni.* [1676] H. A. f. g. *e coni.* [1677] r. p. v. c. a. *e coni.* [1678] m. a. *e. coni.* [1679] amititiam *c.* [1680] blabsema *c.* [1681] imperialibus *c.* [1682] ipso *c.* [1683] cu *c.* [1684] tunc *c.*

prudentissimus erat consultor, eique imperialium data provintia litterarum. Is variæ cæteris consultantibus, nostrum Adalberonem sacræ memoriæ nominat episcopum, nullique aptius id negotii sic addit [1685] posse injungi, quia ipse plurimos perfectorum virorum haberet, quos humanis nequaquam cessuros terroribus satis constaret, utpote seculo jam defunctos et libero pro fide curam quibuslibet protestatibus ore loquuturos. Convenitur continuo episcopus, et ut duos suorum idoneos legationi Hispaniarum paret imperatur. Mandatis acceptis, abbatem Eginoldum advocat, regia mandata insinuat: suorum duos disquirat, qui imperata perficiant. Lecti primum duo Angilramnus et Wido, regiæque majestatis * jussu * ex * monastero * [1686] sumptus et copia parantur itineris; ad hoc et quo Virdunensis* quidam*, gnarus * [1687] partium Hispanarum, qui eos jussus erat deducere, mora omni* postposita * veniat * jubetur* [1688], cum ecce præfatus Wido, alter delectorum, die quadam pro qua nescio neglegentia* in* conventu* fratrum* [1689] increpitus, in tantæ asperitatem proterviæ tam in abbatem quam in universum erupit collegium, ut ad ultimum, cum tumor nimiæ animositatis et insaniæ in eo nequaquam reprimi valuerit, nec regularem pati displinam aliquatenus adquieverit, demptus cucullo monasterio pelleretur. Id imperatori (410) continuo nuntiatur. Jussum, illum abradi, aliumque pro eo asscribi.

117. Cum diu his quereretur, omnesque prorsus refugerent. nec in tanta congregatione quisquam inveniri posset, qui se id aggredi ullo modo posse fateretur, Johannes repente nibil cunctabundus se ultroneus offert. Abbate aliquantulum ægre ferente, quod, in eum tota re monasterii incumbente, grata ipse quiete potiebatur, eo numquam si esset possibile abstinere pateretur; vicit tamen perfectio caritatis, quæ non quærit quæ sua sunt, sed potius quæ alienorum. Simul quia videbat virum cupidum esse martirii, si fors ita tulisset, Christo potius tranamittere quam suis optavit necessitatibus retinere. Ita assensus imperatori ex legatione episcopi, Johannes dirigitur. Imperator multo hoc amplius delectatus, quem ætate et prudentia ad id negotii omnimodis idoneum advertebat, mandata cum litteris seu muneribus imperatoris ei committit, prædictumque Virdunensem (411), cui nomen erat Ermenhardo: socium ob locorum regionumque notitiam facit; cui munera tradi Johannes expostulat, A ipse litterarum tantum bajulus fit. Rediens Gorziam, iter ocius accelerat, posthabitisque socii procrastinationibus, ipse litteras secum habens, omnium sanctorum precibus commendatus et votis, proficiscitur. Sumptus omnis ex monasterio ei factus. Ministri monachus tantum unus, Garamannus vocabulo, ordine diaconus, bone per omnia indolis additur*. Caballi* ad * equitandum * et * sarcinas * portandas* [1690] quinque sunt delegati. Socius morabatur* in* [1691] vico quodam non multum a Tullo distante, qui videlicet* Johannem* Scarponnæ* [1692] insequitur; hinc Longohas (412), Belnam (413), Divionem, Lugdunum. Hispaniam [1693] versus intendunt.

118. (DCCCCLIIII.) Ubi (414) sarcinis navi impo-
B sitis Rhodanoque usque ad certum locum vehendis, dispendium perpessi non modicum — nam navibus invasis, plura suorum amiserant, — post quædam recepta Hispaniam tendit. Barcinonam [1694] venientes, quindecim diebus morantur, donec nuntius Tortose missus est. Ea prima regis Sarracenorum erat. Dux continuo eos properare resignat exceptosque mense integro detinet, adque ad omnem copiam procurat, donec velocius regi Cordubæ nuntiati, de exceptione eorum per singulas civitates vel loca digne regia mandatum est honorificentia. Tandem Cordubam regiam urbem deducti, a palatio domus quædam duobus fere milibus distans eis est delegata; ubi regifico [1695]* luxu omnibus etiam præter usum exhibitis. per nonnullos dies coacti sunt remorari.

C 119. (DCCCCLIV.) Cum jam morarum tederet, curque præsentia regis tamdiu retinerentur, ab his qui se procurabant disquirerent, dictum est, quia nuntii prius missi a rege nostro triennio erant detenti, se ter tantum, id est novem annos, condictum esse a conspectu regio abstineri. Interea quidam ex palatio illuc viros visum venientes causamque adventus eorum percunctantes, dum callide cuncta explorant, nihilque ab eis certi acciperent, qui sibi nisi præsenti regi mandata cuiquam edicere fas nullo modo esse dicebant, illi jam cuncta se præcepisse jactabant, et quia contra leges ipsorum litteras regi aflerrent ultimumque eis sine duhio instare periculum, quia et ipse jam littere in noticiam prncipum devenissent. Et revera, quamquam dolo con-
D tigerit, ita erat. Nam a civitate Tullo nostræ provinciæ, comitem episcopi legati defuncti, de quo dictum est, quendam secum presbiterum assum-

VARIÆ LECTIONES.

[1685] adit *c.* [1686] m. i. e. m. *e coni.* [1687] V. q. g. *e. coni.* [1688] o. p. v· t. *e coni.* [1689] neg.... fratrum; *media Labbeus explevit.* [1690] ditur C. a. e. e. s. p. *e coni.* [1691] m. in *e. coni.* [1692] licet Johannem Scarponna *e coni.* [1693] jam *c.* Viennam *Mabill.* [1694] Bartinonam *c.* [1695] regitieto *c.*

NOTÆ.

(410) Regi Ottoni I.
(411) De Virdunensium mercatorum cum Hispania commercio cf. Liudprandi Antap. VI, 6.
(412) Langres.
(413) Beaune, post Divionem demum in via Lugdunensi posita.
(414) Lugdun.

pserant, qui toto deinceps itinere eis in omnibus communicans, cum Tortosam, que prima erat regni Sarracenorum, venissent, metuens vite, si, cum omnes legati defuncti fuisset *, absque * litteris * reverteretur *, litteras * eorum * ut * [1696] tuto sibi poscens monstrari, citius excipit *. Atque * interim * eis [1697] Auguste et reliquis civitatibus, ubi Tertosa * relicta * ierant * [1698], remorantibus [1699], ipse Cordubam præcedit cum litteris. Quæ * quomodo * vulgo * innotuerint * [1700], parum cognitu fuit; ceterum rumor optimates * populumque * [1701] commovit.

120. Itaque primates, inter se consilio habito, et utrum in noticiam regis ea jam venerint disquirentes, ubi parum id compertum habent, per se regem super hoc statuunt perquirendum. Lex enim tam improvocabilis eos constringit, ut quod semel antiquitus omni ei genti præfixum est, nullo umquam liceat modo dissolvi; parique [1702] modo rex populusque tenentur innexi, omnisque transgressio gladio feritur. Si quid ab inferioribus [1703], rex, si quit rex ipse commiserit, cunctis in eum populus animadvertit. Eis in legibus primum dirumque est, ne quis in religionem eorum quid umquam audeat loqui. Civis sit, extraneus sit, nulla intercedente redemptione capite plectitur. Si rex ipse audierit et in crastinum gladium retinuerit, ipse morti addicitur, nec ulla intervenire potest clementia. Primoribus ergo illis palatium petentibus, cum regi super hoc per nuntios suggessissent — nam accessus [1704] ad eum ipsum clarissimus [1705], et nisi maximum quid ingruerit nullus, tantum litteris per sclavos cubicularios omnia perferuntur — ille nihil eorum ad se perlatum rescribit. Amici legatos sibi missos, eosque filium suum in domo propria percepisse, necdumque se quid afferrent rescisse. Ita tumultus illorum sedatus est. Nam pro certo jam ad eum rumor venerat, et missis clam nuntiis vera esse compererat, sed timore suorum taliter rem omnem suppresserat.

121. Rex undique meticulosus [1706] ancepsque, periculum sibi posse imminere considerans, artibus omnis generis que evadat pertemptat. Et primo quidem Judeum quendam, cui nomen Hasdeu, quo neminem * umquam * prudentiorem * [1707] se vidisse aut audisse nostri testati * sunt *, ad * eos * misit * [1708], qui de omnibus ab eis ipsis penitus exploraret. Is quoniam * fama * perferente * [1709] dispersum fuerat, regii eum bajulum esse mandati, ut * animum * Johannis * sibi * conciliaret * [1710] primo, quo sollicitabantur metu eum erigit, nihilque mali quemquam * eorum da passurum, sed cum honore patriæ reditendos edicit. Multa de vita gentis, et qualiter se eorum eis observare deberent, commonuit. Ipsi juniores a quibuscumque vanis lascivis motibus locutionibusve compescerent; nihil tam parvum fore, quod non mox regiæ notitiæ perferretur. Si copia sibi egrediendi pateret, ne qua scurrilitate feminis saltem nutu se applicarent, nullam sibi pestem truculentiorem futuram; legem sibi propositam nullatenus excederent, quo nullo observatius notarentur, deprehensique nihili penderentur. Johanne ad ea prout competebat respondente, atque acceptissime monitorem ferente, suosque ex contrarie partis homine suffundente, post plura invicem conserta, pedetemptim Judeus causam ingreditur. Quid missi ferant, sollicite disquirit. Dum paululum cunctari videt Johannem, — nam tunc secreto inter eos agebatur, — sui dat fidem silentii, immo si opus sit tuti opem consilii. Johannes cuncta ordine digerit. Dona regi missa, epistolam præterea auribus regis inferendam; absque ea neque dona exhibenda, neque præsentiam, sibi regis fas esse conveniendam. Sententiam simul epistolæ verbis aperit. « Periculosum, inquit Judæus, cum hac regem videre. Cauti certe sitis, quit nuntiis vobis missis regi respondeatis. Legis enim severitatem jam vobis innotuisse [1712] non * dubito *, eique declinandæ prudenter oportet consulere. »

122. Illo tunc discedente, post aliquot menses episcopus quidam Johannes ad eos missus est, qui post multa mutuæ confabulationis rogata et addita, ut fit inter fideles, colloquia, mandatum regis subinfert, ut cum muneribus solummodo [1713] in conspectu regis adveniant. « Quid ergo, Johannes ait, de litteris imperatoriis? Nonne earum maxime causa directus sum? quia ipse blasphemas præmisit, his etiam * vana * erroris * sui * commenta * [1714] destruentibus confutetur. » Ille ad hæc temperatior * « Considerate * [1715], ait, sub qua conditione agamus. Peccatis ad hæc devoluti * sumus *, ut * paganorum * subjaceamus * [1716] ditioni. Resistere potestati verbo prohibemur apostoli. Tantum hoc * unum * relictum est * [1717] solatii, quod in tantæ calamitatis malo legibus nos propriis uti non prohibent; qui * quos * [1718] diligentes Christianitatis viderint observatores, colunt et amplectuntur, simul ipsorum convictu delectantur, cum Judæos penitus exhorreant. Pro tempore igitur hoc videmur tenere consilii, ut quia religionis nulla infertur jactura, cetera eis obsequamur, jussisque eorum in quantum fidem non impediunt obtemperemus. Unde tibi multo satius nunc de his reticere, et epistolam illam omnino supprimere, quam

VARIÆ LECTIONES.

[1696] f. que l. r. l. e. ut *e coni.* [1697] e. A. i. e. *e coni.* [1698] sa, r. i. *e coni.* [1699] remerantibus *c.* [1700] Q. q. v. i, *e coni.* [1701] optima ..po...umque *c.* [1702] *bis legitur.* [1703] inferioribus *c.* [1504] accensus *c.* [1705] rarissimus *Labbeus correxit, bene.* [1706] metuculosus *c.* [1707] n. u. p. *e coni.* [1708] ti s. a. e. m. *e coni.* [1709] q. f. p. *e coni.* [1710] ut a. 1. s. c. *e coni.* [1711] *vocem Labbeus supplevit; jam lacuna.* [1712] innotu isse c. n. d. *e coni.* [1713] solumodo *c.* [1714] a. v. e. s. c. *e coni.* [1715] cratior. Considerate *e coni.* [1716] luti s. u, p. s. *e coni.* [1717] hoc u. r. est *e coni.* [1718] ui quos *jam exciderunt.*

scandalum tibi tuisque, nulla instante necessitate, pernitiosissimum concitare. »

123. Johannes paululum commotior : « Alium, inquid, quam te, qui videris episcopus, hæc proferre decuerat. Cum sis enim fidei assertor, ejusque te gradus celsior posuerit etiam defensorem, timore humano a veritate prædicanda nedum alios compescere, sed nec te ipsum oportebat subducere; et melius omnino fuerat, hominem Christianum famis grave ferre dispendium, quam cibis ad destructionem aliorum consociari gentilium. Ad hoc et quod omni catholicæ ecclesie detestabile est et nefarium, ad ritum eorum vos audio circumcisos, cum fortis sententia Apostoli reclamet : *Si circumdamini, Christus vobis nihil proderit* (*Galat.* v, 2). Itemque de cibis, quos gratia communionis eorum abhominamini : *Omnia munda mundis* (*Tit.* I, 15); et : *Erunt doctores vaniloqui et seductores docentes illa et illa, et inter cætera abstinere a cibis, quos Deus creavit percipere cum gratiarum actione fidelibus* (*Tit.* I, 10; *I Tim.* IV, 3), et : *Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem* (*I Tim.* IV, 5). » At ille : « Necessitas, inquit. nos constringit; nam aliter eis cohabitandi nobis copia non esset; quin et a majoribus longeque antiquitus traditus observatumque ita tenemus. — Numquam, Joannes, inquit, id approbaverim, ut metu, amore, vel favore mortali, divina transgrediautur statuta. Illos * enim * inde * [1719] deflexos vobis nunc pro auctoritate * abuti * videtis * [1720] ..... vobis res fuerit consensus, cum dolore non neque am..... qua amorem facere videmini regni cœlorum; quoniam eis vos necessitate * constrictos * assentire * [1721] fatemini, mihi procul his necessitatibus Christi gratia libero, fixus * Domino * [1722] miserante stat animus, quod nullo terrore, allectione vel gratia, ab his quæ imperatoris suscepi mandatis deflectar. Nam nec sine epistola imperiali [1723], nullis inde demptis vel commutatis usque ad unum apicem litteris, eum conveniam, et si quid contra ea quisquam oblatraverit, quæ sanæ et catholicæ fidei ferimus, et diversus ad hæc asserta obvenerit, palam resistam, nec ipsius amore vitæ ab attestatione veritatis diffugiam. »

124. (DCCCCLIV). Hæc regi clam nuntiantur. Nam necdum illa publice a rege, quibus item publice responderet, mandata directa fuerant, sed episcopus ille disquirendi tantum gratia advenerat. Rex callidis, quibus omnibus mortalibus præstare dicebatur, consultationibus mentem hominis modo hac, modo illac, attemptare excogitat, et tamquam muro prævalido diversa arte inpulsis machinis, ita firmitatem pectoris ejus, si quo pacto daretur, certat concutere, (DCCCCLV). Cumque post mensem aut sex vel septem ebdomadarum spatium ei regii nuntii mitterentur, atque ex ipso quid apud se prætinierit quærerent, nihilque immutatum a primis initiis renuntiarent, rex miraculo tantæ constantiæ in diversa agebatur; et primo quidem terrere eum plus metu Christianorum, qui regno ejus libere divinis suisque rebus utebantur, posse credens, die quadam qua dominica erat ei epistolam plenam minarum misit. His enim tantum diebus Dominicis, aut si qui festæ nostræ religionis erant maximi, Natalis Domini, Epiphaniorum, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, sancti Johannis, apostolorum, aut nominatorum erant sanctorum, ad æcclesiam proximam, quæ erat in honore sancti Martini, permittebantur accedere, custodibus hinc inde duodecim, quos sagiones vocant, se deducentibus [1724]. Cum ergo ea dominica ad æcclesiam processisset, in ipso itinere epistola ei porrecta est. Et quia cartæ magnitudo — nam quadra pellis vervecis erat — terrebat [1725]*, ne * a * communione * [1726] sacrorum quo tendebat avocaretur, interim distulit aperire *, donec sacris * peractis * [1726] ad diversorium remearent. Ut revolvit, terrentia quædam quæ * sibi contingere * [1727] possent invenit, nec umquam alias ita se ullis terroribus percitum confessus * est *.

125. Nam * [1728] post multa, quæ ei nisi jussis regis assentiretur comminabantur, quibus tamen nullo modo * se * motum * [1725] fuisse testatus est, ad hæc ultimum insertum est, quod si ipsum interimeret, nullum in tota Ispania Christianum vitæ relinqueret, sed omnes gladio trucidaret. Addens hoc : « Cogita, inquit, quot animarum propter te interfectarum apud Deum reus eris, qui nisi contentione tua, a quo pacem et salutem magis sperare debuerant, nullo alio reatu peribunt, quippe pro eis quæcumque velles optinere a nobis posses [1730], sit tanta obstinatione nobis adversus persisteres. » His in ipsa qua ab æcclesia hospitium repetebant via tacite perlectis, dum magnis animi æstibus aliquandiu agitatur, ut vel quod contra ea consilii caperet, vel qualiter ad hæc regi rescriberet, quia non [1731] satis litteris respondendi usum habebat, repente sententiæ illius cœlitus, ut sepe nobis fatebatur, memoria menti terrorem omnem metumque proterruit : *Jacta*, inquit, *in Domino curam tuam* (*Psal.* LI, 23), et alterius : *Quis fecit os hominis? Nonne ego?* (*Exod.* IV, 11.)

126. Mox hospitium ingressus : « Frater Garamanne, inquit [1732], otius pellem, in qua quicquid eloquar adscribas, para. » Illo statim exibente quadram exsectam, ut sumeret imperavit, calamoque parato sedenti exorsus, scriptoris velocitatem tanta verborum copia vicit, ut sepenumero scriptor, dum plurima jungerentur, se non posse excipere quereretur. Erat enim idem Garamannus ejus artis

VARIÆ LECTIONES

[1719] 1. e. in *e coni.* [1720] tate a. v. *e coni.* [1721] n. c. assentir *e coni.* [1722] xus Domino *e coni.* [1723] imperia *c.* [1724] deducentebus *corr.* deducentibus *c.* [1725] terrebat, ne a communio *e coni.* [1726] erire d. s. perac *e coni.* [1727] quæ s. c. *e coni.* [1728] confessus e. Nam *e coni.* [1729] sermo *Labbeus restituit.* [1730] posse *c.* [1731] n *c.* [1732] inquot *c.*

elegantissimus atque assuetissimus. Primo ordine ad singula respondit : Se legatum missum, præceptis imperatoris fidem inviolatam servare ; non sibi fas esse, ut cui tanta majestas litteras suas et eas non signatas crediderit, sine his faciem ejus cui directus sit videat, aut absque ipso in regis, cui missæ sunt [1733], recitentur conspectu. Si sic patiatur (415), se in nullo regio honori defecturum [1734], quia....... rissot. Aliter universa potius se genera * tormentorum * sustentaturum *, quam * [1735] quicquam extra ea quæ sibi indicta essent vel quantum causa * sibi * commissa * postularet * [1736] excessurum ; et sicut superioribus jam se itidem terrentibus respondere * haud * distulisset *, ita * [1737] si etiam particulatim cuncta sui corporis membra a minimis articulis * [1738] usque ad summa vitalia cotidianis resectionibus decarperentur — nam non majorem umquam cruciatum inferri posse, quam si hodie hoc articulo digiti, cras altero, inde per dies singulos singulis, inde brachio, armo, post femore, crure [1739], pede, præcisis, postremo truncus reliquus fodiatur — non eo tamen se territum aliqua ratione cessurum. Se quoque satis compertum habere ex relatione anteriorum sibi missorum, ipsum regem jam advertisse, quod moti non nimis ipse timeret. Ideoque superfluum esse eo se velle terrere, quod ipse levissimum reputaret, jam quod scripserat, ipso interfecto nullum in tota Ispania reliquum facere Christianum, sibique reatum tantæ stragis a Deo inputari, id longe aliter se habere, nec se causam esse cædis ipsorum, sed malitiam crudelitatemque iræ ipsius, ipsoque pœnas interfectorum luente, sibi cum ipsis interemptis Christo propitio vitam meliorem succedere. Cum tamen id quoque Deo facile esset commutare, sicut Mardocheus quondam mandaverat Hester : *Si nolueris nunc intercedere, forsitan per aliquam occasionem liberabuntur Judei, et tu et domus tua peribitis* (*Esth.* IV, 14), ita et nunc Deum facere nihilominus posse, ut postquam omnia ab ipso rege essent promulgata, jamque ipsis cervicibus gladiis novo et inopinato ordine suis Dominus subveniret. Quocirca non hujusmodi se minis vel terroribus nosset ullatenus permoveri, quia qui Mardocheum a superbia Aman constantiæ tenacem miro ordine eripuerit, ipse sibi, quia non proterviæ sed obædientiæ causa interesset, quoquo pacto sibi placitum videretur, non deesset. Hujusmodi sententiæ verbis plurimis aucte atque testimoniorum competentium robore hinc inde præfultæ, paginæ totius campum impleverunt nec prius ori dicenda defecerunt, quam scriptor impleta membrana nihil superesse confessus est.

127. Hæc regi prælata, non in iram, ut prius, mentem incendit, sed consilio regio * perlata * sunt * [1740]. Jam pridem enim a suis, quibus res nostræ jam fuerant pervulgatæ abstrudendas * eas * commonitus * erat *, ne * [1741] imperatori * [1742] nostro obluctari temptaret. Eum bellicosissimum multarum gentium victorem * [1743], injurias omnes, præcipue legatorum, quo numquam alias seviore animo repetiturum, ac plurimorum copiis regnorum coactis, Ispaniam totam postquam variis calamitatibus vastavisset, forte tandem jure victoris sibi subjecturum. Pluribus ita jactatis, quidam forte suggessit, ut quia vir ille tantæ videbatur constantiæ, ac non minoris arbitrati posset prudentiæ, quem etiam tanti temporis mora in lege sua tam fixum monstrasset. ac proinde [1744] fidem mortalibus non denegaret, is ipse super hoc, quid facto sibi opus esset, consuleretur. Ita nuntiis se convenientibus postquam ultima hæc mandata percepit: « Tandem, inquit, sapientiore consilio rem tractastis. Si mox initio id esset quæsitum, non tantas vobis vel nobis tedii et anxietatis molestias tot spatia temporum protraxissent. Nunc citum id facile extat consilium. Mittatur domino nostro imperatori legatio a rege vestro, ut mihi quid de commissis agere debeam, describat. Ejus litteris iterum visis, ad universa obœdiam. »

128. His regi nuntiatis, acceptoque consilio ut a prudente suggesto, quæri jubetur quis iter tantum vellet assumere, cum rarus aut fere nullus palam se ostendendo [1745] proferret, propositumque esset, ut quisquis illuc iret, honore quovis petito et cujuscumque generis muneribus rediens potiretur. Tandem extitit inter palatina offitia Recemundus qdidam, adprime catholicus, et litteris optime tam nostrorum quam ipsius inter quos versabatur linguæ Arabicæ institutus. Qui tantum in regia habebat officii, ut diversorum pro necessitatibus ad palatium concurrentium [1736] * causis extra auditis, quia litteris omnes ibi quærimoniæ vel causæ signantur et resignantur, hic notata inferret, itidemque responsa scripta referret. Pluresque etiam alii erant offitio delegati. Is trepidationem cæterorum advertens, sibique tempus forte oblatum nonnulli adipiscendi hæsitantibus * [1747] ceteris [1748], dixit : « Quæ erit merces viro qui vendiderit * vobis * animam * suam * [1749]? » Nam ita solemne eis verbum, ut quotiens summo quolibet periculo * [1750] in nuntium [1751] quis destinatur, ita ei dicatur : « Vende mihi ani-

VARIÆ LECTIONES.

[1744] sint *corr.* sunt *c.* [1734] deficturum *c.* [1735] nera t. s. quam *e conj.* [1736] usa s. c. postularet *e conj.* [1738] dere h. d. ita *e conj.* [1738] culis *Labbeus supplevit.* [1739] cruce *c.* [1740] lio, io, erlata sunt *ex conjectura* [1741] dendas e. c. c. ne *e conj.* [1742] in *Labb. suppl.* [1743] victo *Labb. suppl.* [1744] p. nihil *punctis appositis deletum.* [1745] ostendo *c.* [1746] concurentium *c.* [1747] hæsitantibus *e conj.* [1748] *vox dubia.* [1749] derit v. a. sua *e conj.* [1750] periculo *e conj.* [1751] *vox dubia.*

NOTÆ.

(415) Scilicet rex Abderahaman.

mam tuam. » Si sospes exierit, quam amplissime numeratur. Hoc Recemundo querenti respondetur, quidquid postulatum ab ejusmodi esset conferendum. Ille tantum veniæ sibi dari petens, ut cum nuntiis conclusis sibi copia esset loquendi, post utrum temptare deberet edicerct.

129. Hoc ei concesso, Johannem conveniens, mores et instituta patriæ nostræ sollicite disquirit; imperator cujus esset clementiæ, quantæ moderationis in suis, utrumne præceps in iram, et an in semel prolatam inrevocabilis sententiam, multaque ejus generis, tandem si sibi esset fiducia regiam ei legationem proferre, ne forte vicem tanti temporis, quo ipse Johannes ibi detentus fuerat, ipse qui mittebatur exsolveret? Johannes omnia bene processura cito respondens, omni liberum reddit trepidatione atque formidine. Gaudiis et gratulationibus obviis magis ubique excipiendum confirmat. Se epistolam abbati suo missurum, qui illum magnifice exciperet, et tempore quanto cuperet, teneret atque curaret, donec episcopo exhibitum, aut cum ipso, aut cum legatione ejus, ipse abbas imperatoriis eum conspectibus cum pace et gratia præsentaret. His ille allectus, palatium repetens, si sibi quæ postulet dentur, itineri devovet. Ecclesia aliqua forte vacua recens erat episcopo. Hanc munus ejus petit laboris. Facile optentum, atque ex laico episcopus repente processit.

130. Inde (416) sumptu regio ac litteris instructus, Gallias ocius petit (*Jun.*), atque in decem ferme ebdomadibus Gorziam venit (*Aug.*) Ibi gratulantibus cunctis exceptus, ac non post multos dies in urbe a sancto pontifice Adelberone invitatus, et aliquot cum ipso manens diebus, jucunde ammodum habitus est. Inde loca quæque sua cum eo invisens, quia mense Augusto jam præcipiti venerat, autumnum et hiemem secum transegit, donec Dominici natalis festo transacto, qualiter imperatori dirigeretur est ordinatum. Res tamen ejus et plures suorum Gorziæ *[1752] interim procuranda manserunt. Inde circa festum sanctæ Mariæ * matris * Dei *[1753] (DCCCCLVI). (*Febr.* 2) imperatori ab eodem venerabili pontifice, comitante simul domno * Egineldo * abbate *[1754] deductus, honorifice in palatio Franconofurde suscipitur (*Mart.*). Cujus * legatione * audita *[1755], fide legati atque constantia summo laudata præconio, litteræ mitiores perferendæ * decernuntur [1756]. Joanni de prioribus supprimendis [1757] rescribitur, tantum cum donis procedat, amicitiam [1758] pacemque de infestatione latrunculorum Sarracenorum quoquo pacto conficiat, reditumque [1759] maturet, edicitur. Novis denuo muneribus perferendis atque mandatis, Virdonensis quidam, cui Dudo vocabulum, destinatur. Ita Hispanus Gorziam rediens [1760], ibique sacræ Quadragesimæ majore parte exacta (*Mart.* 30), circa palmarum diem cum legato imperatorio proficiscens, Junii mensis principiis Cordubam venit. Cumque mox cum novo nuntio regiam vellent irrumpere, rex: « Nequaquam, inquit; sed qui litem tanto tempore protraxerunt, cum prioribus primum procedant muneribus vel mandatis. Inde secundi ordine inferantur. Nec hi omnino faciem meam videbunt, nisi prius monachum illum tanti temporis pertinacem adeant, et patriæ, carorum, regis sui mandatorumque ipsius oblectatione lætificent. »

131. Ita cunctis expletis, Joannes trium *[1761] jam fere annorum claustris solutus, regiis mandatur apparere conspectibus. Cum a legatis ei diceretur, ut crine detonso, corpore loto, veste lautiore se appararet, uti regiis conspectibus præsentandum, illeque renueret, rati illi, non ei vestium mutatoria subesse, regi nuntiant. Ille mox decem libras ei mittit nummorum, unde illa, quibus decenter oculis [1762] regis indueretur, conquireret. Non enim fas esse gentis, ut vili habitu regiis aspectibus præsentaretur. Johannes primo cunctatus utrum susciperet, tandem cogitans, usui pauperum id melius esse expendi, gratias munificentiæ regiæ reddit, quod sui tam sollicitue esse dignatus sit. Deinde responso monachi dignum subjunxit: « Regia, inquiens, dona non spernor, vestes vero alias præterquam quibus monacho * uti * licet * [1763], nec pallia prorsus nec eas [1764] qui alicujus coloris sunt * nisi * nigro * tantum tinctas aliquatenus induam * » Hoc regi relato: « Hoc *, inquit *, responso * ejus * [1765] constantem animum recognosco. Sacco quoque indutus si veniat, libentissime * eum * [1766] videbo, et amplius mihi placebit. »

132. Post hæc die præfixa qua præsentandus erat [1767], apparatus omni genere exquisitus ad pompam regiam demonstrandam conseritur. Viam totam ab * hospitio * [1768] ipsorum usque ad civitatem, et inde usque ad palatium regium varii hinc inde ordines constipabant; hic pedites hastis humo stantes defixis, longe inde hastilia quædam et missilia vibrantes manuque crispantes, ictusque mutuos simulantes; post hos mulis quidam cum levi quadam armatura insidentes; deinde equites calcaribus equos in fremitu et subsultatione varia concitantes. Mauri præterea forma insolita nostros exterrentes, ita variis proludiis, quæ nostris miraculo arbitrabantur, itinere nimium pulverulento, quam per se ipsa quoque temporis siccitas — nam solstitium erat æsti-

VARIÆ LECTIONES.

[1752] Gorziæ *e coni.* [1753] riæ m. D. *e coni.* [1754]* mo E. a. *e coni.* [1755] ujus I. a. *e coni.* [1756] endæ decer *e coni.* [1757] supprimens *c.* [1758] itiam *avulsa.* [1759] re *avulsa.* [1760] ns *abscisum.* [1721] trium *e coni.* *v. infra cap.* 134. [1762] eorum *erisum.* [1762] m. u. l. *et postea* sunt nisi *e con.i...* g. o. *c.* [1764]* eos *c.* [1765] H. I. r. c. *e coni.* [1762] I. e. *e coni.* [1767] *abscisum.* [1728] ab ho *supplevit Labb.*

NOTÆ.

(416) De tempore legationis Recemundi cf. Admonitionem ad Liutprandi Antapadosin.

vum (417) DCCCCVI. *Jun.* 21, — sola concitaret, ad palatium perducuntur. Obvii proceres quique procedunt, in ipso limine exteriori pavimentum omne tapetibus pretiosissimis aut palliis stratum erat.

133. Ubi ad cubiculum, quo rex solitarius, quasi numen quoddam nullis aut raris accessibile, residebat, perventum est, undique insolitis cuncta velaminibus, obtecta, æqua parietibus pavimenta reddebant. Rex ipse thoro luxu quam poterat magnifico *[1769] accumbebat. Neque enim more gentium ceterarum soliis aut sellis utuntur, sed *[1770] lectis sive thoris colloquentes vel edentes, cruribus uno alteri impositis, incumbunt *[1771]. Ut igitur Johannes coram advenit, manum interne osculandam protendit. Osculo enim *[1772] nulli vel suorum vel extraneorum admisso, minoribus quibusque ac mediocribus numquam *[1773] foris, summis et quos præstantiori excipit, pompa palmam mediam aperit osculandam.

134. Inde sella parata, manu ut sedeat, innuit. Longa deinde utrimque silentia. Tunc rex prior : « Tuum, inquit, cor mihi plurimum diu cognosco fuisse infensum, quamdiu te demum aspectu meo suspendi. Sed tu ipse penitus nosti, quod aliter fieri non potuit. Tuam *[1774] virtutem sapientiam expertus sum ; aliena *, ne * viderem * te * cum * epistola [1775] *, distulerunt, sed quod non odio tui id factum sit, volo cognoscas ; et non solum * te * nunc * libenter * excipio *[1776], verum de quibuscumque postulaveris impetrabis. » Johannes ad hæc, qui, sicut nobis postea *[1777] referebat, aliquid fellis tam diutino angore contracti in regem evomere cogitabat [1778] *, tam placidus repente effectus est, ut nihil animo ipsius umquam æquabilius esse potuisset. Inde ad singula respondit : Se quidem negare non posse, primo tot acerbitate nuntiorum fuisse permotum, inter ipsa tamen tacitum crebrium cogitasse, simulatis potius quam veris minarum intentionibus hæc erga se agitari ; postremo quoque cuncta dilationum obstacula ex superioribus totius triennii actis vel dictis rescisse, nec esse quicquam reliqui, quod merito odio sui factum suspicari deberet : unde si qua ea essent, se penitus animo depulisse, gratiæ tantum, quam tam clementi magnificentia obtulisset, gratulari, et quod regii pectoris in hoc et robur constantiæ et moderationis medie pervidisset temperamentum satis egregium. Rege his in multam gratiam delibito pluribusque eum compellandi parante, munera imperatoria primum excipi postulavit. Quo facto, reditus indulgentiam e vestigio obsecravit. Rex admirans : « Quomodo, inquit, hæc tam repentina fieri possit divulsio ? Tanto temporis spatio alterutrum expectati, modo vix visi, ita abrumpemur ignoti ? Nunc interim mutuo semel conspectu potiti, parum quiddam coguitio mentium se utrumque aperuit, iterum visi jam amplius, tertio tota jam plenitudo notionis vel amicitiæ [1779] firmabitur. Inde domino tuo remittendus, digno eo teque deduceris honore. » His Johanne assentiente, secundi legati jubentur intromitti, eoque præsente munera quæ deferebant oblata.

135. Tunc demum utrisque ad hospitia remissis, past aliquantum tempus Johannes a rege revocatus, familiaria multa cum eo conseruit. De nostri imperatoris potentia atque prudentia, de robore et copia militum vel exercitus, de gloria et divitiis, de bellorum *[1780] industria et successibus, multaque id generis. Sua econtra jactare, quanto exercitus * robore * omnes *[1781] seculi reges excelleret. Ad hæc Johannes pauca respondit *[1782], ut possint qualitercumque regis * animum * mitigare *, tandemque * addit *[1783] : « Illud vere fateor, regem me hoc seculo *[1784] neminem nosse, qui nostro imperatori terra armis aut equis possit æquari. »

136. Rex autem, ira * sedata *[1785] aut sopita : « Immerito, inquit, regem tuum celebras. — Verane, an falsa sint, ille inquit, licet experiri. » Rex autem * « Cætera utrumque approbaverim ; unum est, in quo illum non satim providum esse constiterit. — Quid, inquid, illud est? — Quod potestatem virtutis suæ non sibi soli retinet, sed passus ubere quemque suorum propria uti potestate, ita ut partes regni sui inter eos dividat, quasi eos sibi inde fideliores habeat et subjectiores. Quod longe est ; exinde enim superbia et rebellio coutra eum nutritur atque paratur, ut nunc in genero [1786] ipsius actum est, qui filios ejus per perfidiam subducto, publicam tirannidem contra eum exercuit, ad hoc ut gentem externam Ungrorum per media quæque regnorum suorum depopulandam transduxerit (418).

VARIÆ LECTIONES.

[1769] magni *L. supplevit.* [1770] *L. supplevit.* [1771] incu *L. suppl.* [1772] cnim *e coni.* [1773] quam *e coni.* [1774] Tuam *e coni.* [1775] a. ne v. t. c. episto *e coni.* [1776] olam te n. l. ex *e coni.* [1777] . . . . *codex.* [1778] * tabate *coni.* [1779] amititiæ *c.* [1780] rum *abscisum.* [1781] e. r. o *e coni.* [1782] spondit *e coni.* [1783] r. a. m. t. a. *e coni.* [1784] *abscisum.* [1785] ira se c *coni.* [1786] gero *c.*

NOTÆ.

(417) Incidebat in Sabbatum.

(418) Anno 964. Hic afferre juvabit quæ de Joanne nostro in Vita B. Kaddroæ, abbatis Walciodorensis tum sub Deoderico episcopo Sancti Felicis sive Clementis Metensis, leguntur c. 30 : « Ut autem ex hac aliquid sub exemplo dicamus : Johannes abbas Gorziensis cœnobii columna in templo Dei, cujus mortem, sicut nescio quis ait (VIRGIL., *eclog*, v. 28) :

Pœnos gemuisse leones,
Montesque, feræ silvæque loquuntur.

gravi inæqualitate corporis correptus lectulo decubabat ; et quia erat vir inenarrabilis abstinentiæ, aridis cibis, ut solebat sanus, imbecilles artus cogente spiritu excruciabat. Pater Kaddroe, hoc audito, charitate ducente Gorziam pervenerat, et nesciente homine, quod eum ecclesiæ filiis reddere posset, carnium scilicet edulium parari jusserat, et veniente hora refectionis posita est coram eis mensula. Cumque illatos cibos Johannes horreret attingere, sciens Kaddroe, quia charitas non quærit quæ sua sunt, qui jam olim parcitatis amore saltem ovum non contingere statuerat, carnes suscipiens, comedebat. Quod cum vir Dei Johannes vidisset, jam non valens ejus jussui contraire, infirma membra, quoad convalesceret, refocillavit. Quid ergo? Nonne charitati Christi in hoc quoque Kaddroe deservivit? Inde ad monasterium reversus, rigore abstinentiæ contra spirituales nequitiam scutum recepit. »

ANNO DOMINI DCCCCLXXXIII.

ODO
DIACONUS AUSCIENSIS

EPISTOLA ODONIS
AD GARCIAM ARCHIEPISCOPUM AUSCIENSEM

De sanctæ Venantiæ ecclesia, quam Guillelmus comes Astaracensis dedit Auxilanæ eclesiæ.

(Gall. Christ. tom. I, Append. p. 159.)

Odo Levita Garclæ archipræsuli.

Cogis me, o sanctissime pontifex, recens opus exerere; sed quia contra examen auctorum debellare non valeo, prærogativam eorum fando temerare erubesco : horrendum quippe est in manus incidere scilicet viventis Dei, qui etiam non solum de nequam operatione, verum etiam de otioso verbo, nec non et de prava cogitatione reddituros nos terribiliter rationem judicaturus est judex justus in die judicii. Cumque ab omnipotenti Deo, sanctisque canonibus tale connubium prohibitum invenitur, ut non solum facientes, verum consentientes, puniri judicentur, et idcirco in epictatium jussionis tuæ metuo ponere manum, pavens illud quod evangelica horribiliter lectio voce declarat libera : *Quicunque*, inquiens, *solverit de istis mandatis minimis, et sic docuerit hominibus, in regno cælorum vocabitur minimus* (*Matth.* v, 19). Dupliciter denique me premit hoc opus, occasio et cautio scelerum. et reprehensio vituperationis ignarum. Quis igitur doctus hoc opusculum, cum in manu sua assumpserit et tali commistione consanguinitatis me notarium repererit, non statim in voce erumpat, me delubrem clamitans esse sacrilegum, qui audeam aliquid contra Dei licentiam usurpare consilium? Sed adversus quem invidia (invidum) duplex causa me consolatur, quod et tu, qui summus pontifex es, fieri judex et necessitas Ecclesiæ totius Aquitaniæ poposcit, cui Deo juvante præes matris.

Præcipue denique perfecte scio quia post propheticas et evangelicas atque apostolicas Scripturas, quibus Ecclesia Dei per gratiam ejus fundata est, etiam illud intimandum putem, absque dubio, quamvis universis in urbe (*pro* orbe) catholicæ diffusæ Ecclesiæ quasi unus thalamus Christi sit; sancta Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini Salvatoris nostri primatum oblinuit : *Tu es Petrus*, inquiens, *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus*

A *eam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cælis* (*Matth.* xvi, 18, 19). Et idcirco non dubito quod gratia Dei vice collata tibi sit absuper memoratæ Ecclesiæ mirabilis potestas, cui annuente divina clementia septimus existis jure pontifici felicitatis vitæ claudendi et reserandi. Superstitiosa res valde ac exsecrabilis videtur esse diaconi, imperata a proprio episcopo, ne forte contumax reperiar, et a prædicto gradu privari merear; et dilectioni tuæ, qui præ ceteris es, jugulari. Nam Deo juvante omnibus fidelibus, sanctæ Dei Ecclesiæ maxime, nostris propinquis vel successoribus patefaciam quod oculi mei viderunt, et aures meæ audierunt. B Lingua mea testimonium perhibere non silebit, quod et si Dominus impleverit illud, os meum aperiam.

Nuper denique accidit ut Guillelmus filius Arnaldi, comes Astariacensis, uxorem ducere (duceret) consanguineam suam. Cumque hoc archiepiscopus Garcia eum minis urgeret ut hoc scelus minime perpetrare libuisset, et omnino licentiam hoc consensu ei conjungendi denegaret, et a sanctis Patribus talem consanguinitatem tangendi prohibita esse affirmaret, et videret quia nil proficeret, et prædictus comes ei aurum ad audiendum non præberet, rediensque ad semetipsum, et tale accepit a suis consilium. Sciens igitur melius esse naufraganti animo aliquod gubernaculum præbere, quam in gurgitem desperationis sine remis pœnitentiæ relinquere, C accersivitque eum, et præbuit ei tempora jejuniorum et munera eleemosynarum, sicut scriptum est in subsequendo libellum; insuper accepit ab eo nobile oppidum quod olim ablatum fuerat a perversis hominibus de ecclesia beatæ Mariæ episcopatii Auxiensis, redditoque supramemorato prædio cui præest ecclesia sancta Venantiæ, totam et integram cum omnibus appendentiis suis tam cum parochiis quam et capellis adjacentibus sibi sine

alicujus participatione vel reclamatione, ut ea pleniter possideat, possidendo quæcunque voluerit ex ea et placet, post mortem suam successoribus suis eam relinquat; chartula iste firma permaneat, quia veraciter est firmata supra firma, qui est Christus, petra. Si quis contra hanc chartulam inquietare voluerit et adversarius ejus exstiterit, imprimis in ira Dei incidat, atque omni tempore maledictioni subjaceat, lepra Naaman succumbat, ulceribus Job dominetur, morte Anania et Saphira moriatur, cum Datan et Abiron in ima tartara demergatur, cum Sodomitis et Gomorrhitis in ignem perpetuum cremetur, et cum Juda Schariotis, cum diabolo et angelis ejus sine fine crucietur. Et quid plura? Omnigena maledictione repleri mereatur, atque omnibus viventibus exemplum malitiæ ultionis suæ relinquat. Amen.

Hæc sunt nomina principum ac ducum qui hanc donationem viderunt et firmaverunt. Bernardus frater ejus. Remundus frater ejus. Garcia frater ejus. Agganricus, et cognatus ejus. Altas Tolosanæ episcopus. Ludovicus Savanense. Ebardus Montaltense. Arnaldus Ouranense. Arnaldus Lomaniacense. Fortas Ballicavense. Guillelmus Galbisanense. Remundus de Furesacco, et fratres ejus, cui licet scrutetur opto ut memineris levitam tuum, sanctissime pontifex.

ANNO DOMINI DCCCCLXXXIII.

BENEDICTUS PAPA VII

NOTITIA HISTORICA

(Apud Eggs, Pontificium doctum, pag. 281.)

Benedictus VII, Romanus ex comitibus Tusculanis, Deodati comitis filius, S. R. E. cardinalis, et episcopus Sutrinus, pulso Francone seu Bonifacio VII, sanctæ sedis invasore, propinquorum opera, legitimis comitiis, renuntiatus est summus pontifex Kalendis Junii, anno nostræ salutis, 975. Hic statim atque electus est pontifex animum ad componendum Ecclesiæ statum, moresque ecclesiasticorum, temporum iniquitate mire corruptos, convertit; celebrata in hunc finem synodo, Romana, in qua etiam Arnulphum episcopum Remensem, seditione quorumdam sua sede pulsum, in integrum restituit.

Tum ad reparanda templa ac monasteria conversus, plurima horum vel a solo refecit, vel recens excitata fundavit dotavitque. Inter quæ monasterium sanctæ Crucis in Hierusalem cum basilica vetustate collapsa (adductis eo monachis) ex integro restituit.

Sergium Damascenum episcopum a Sarracenis ejectum Romæ benigno clementiæ sinu excepit, eique ecclesiam Sancti Alexii incolendam tradidit : in qua ipse monachos exsules collegit, et observantia monastica restituta, ubi annos quatuor illic degisset, sancto fine quievit : ad cujus sepulcrum in eadem ecclesia nobilis inscriptio versibus incisa etiamnum visitur, quæ incipit :

Sergius hic recubat metropolita sepultus,
Qui quondam fuerat Damasci tempore longo,
Numine perductus ad sacra limina Petri.
Temporibus pii Benedicti præsulis almi, etc.

Recepit etiam Benedictus Lambertum episcopum Cracoviensem Romam legatum a Miecislao Poloniæ principe, ut Romanum pontificem certiorem redderet de felici propagatione Christianæ fidei in suo principatu, utque regium diadema sibi mitteret ac regem Polonorum se, et posteros suos esse juberet. Lambertus, re infecta, Roma discessit, vel quod de morte Miecislai nuntiatum esset, vel quod differre ad feliciora tempora eam rem Romanus pontifex divino moneretur oraculo.

Initio pontificatus Benedicti VII, Heraldus rex Danorum, qui populo sibi subdito primus Christianam idem indixerat, et ecclesiis totum fere Septentrionem repleverat, obiit vulneratus a filio, et a suis, qui Christum antea abdicaverant. Quo tempore etiam S. Eduardus, Angliæ rex, insidiis sceleratæ novercæ occisus memoratur.

Anno Christi 985, Otho II imperator decimo imperii sui anno octavo Idus Novembris, tristi animi ægrotatione Romæ decessit e vita, sepultus in vestibulo B. Petri, quod Paradisum vocant, labroque porphyreticotectus. Dictus *Sanguinarius*, quod clarissimos Romanorum ad convivium vocatos, in ipsa epulorum lætitia paulo ante mortem occidi jusserit. Quo exstincto, cum de creando novo imperatore consultatio haberetur, et alii Othonem III secundi filium; alii vero Henricum Bavariæ ducem, Othonis Magni ex fratre nepotem exposcerent, instarentque Itali ut Crescentio Nomentano viro clarissimo res committeretur, prorumpentes in medium Germani, atque arma attollentes, Othonem III acclamarunt. Instabat tum Benedictus pontifex vir optimus, et tranquillitatis amans, unumquemque rogando, ut in legendo imperator reipublicæ Christianæ, quæ tum maxime perito et solerti gubernatore indigebat, positis seditionum studiis consulerent. Tandem, ne tumultus aliquis oriretur, Germanorum sententiam uti æquam, et legibus conformem approbat, atque Othonem III Augustum Cæsarem dictum confirmat.

Regnante eodem Benedicto, e vivis pariter quinquennio ante Othonem II sublatus est imperator Græ-

corum Tzimisces, vir militari gloria, multisque victoriis clarus, qui primus omnium numeros imagine Christi signari hac inscriptione jussit *Jesus Christus Rex regum* : placuit exemplum posteris, Christique regnum in reges assertum, cujus nutu ponuntur imperia et evertuntur. Periit autem Tzimisces veneno tabifico,quod Basilius eunuchus præbuerat, veritus ne administratione quorumdam urbium dejiceretur. Successerunt in imperio Basilius II, Constantinus IX; imperarunt una annos 49, menses 4.

Anno vero 984, quarto Idus Julii moritur et ipse Benedictus, postquam Ecclesiæ clavum annis novem, mensibus duobus gubernasset, piis operibus plenus. Ejus corpus ad sanctam Crucem in Hierusalem translatum, ibidem honorifice tumulatum est, cum epitaphio, quod recitat Victorellus in additionibus ad Ciaconium.

BENEDICTI PAPÆ VII EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

I

BENEDICTI PAPÆ VII EPISTOLA AD GALLOS ET GERMANOS.

(Anno 974).

Laureacensem, hoc est Pataviensem, ecclesiam metropolitanam esse decernit : hujus et Salisburgensis limites constituit : Pilgrimo Lauriacensi archiepiscopo vices apostolicas delegat.

(Mansi *Conc.* tom XIX, col. 52.)

Dilectissimis nobis in Christo filiis. Hrodeberto, sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ, et Diotrico, sanctæ Treverensis Ecclesiæ; atque Adalberto, sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ; parique modo Gereoni sanctæ Coloniensis Ecclesiæ; atque Friderico sanctæ Juvanensis Ecclesiæ; sed et Adaldago sanctæ Bremensis Ecclesiæ, archiepiscopis. Pariterque domino Ottoni gloriosissimo imperatori Augusto, atque nepoti suo Henrico præcellentissimo duci Bawariorum,cæterisque comitibus Galliæ atque Germaniæ, Benedictus divina gratia præditus (prædictus.*Nempe in superiore epistola*) apostolicæ sedis pontifex. servus autem servorum Dei, in Domino salutem.

Oportet justis supplicationum petitionibus nos semper faciles et humiles exhibere : et præcipue cum fraternis religiosorum consacerdotum precibus sollicitamur,qui passim ab omni mundi termino tenorem et regulam, atque proprii officii vigorem ab hac universali sancta Romana Ecclesia,ejusque sortiuntur ministro,vicario scilicet beati Petri principis apostolorum : cujus quamvis indigni, ejusdem tamen gratia et dono,potestati successimus et ordini, cui voce Dominica dicitur : *Tu es Petrus,et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*.Quapropter dignum æstimavimus assensum præbere congruis postulationibus reverendissimi archiepiscopi,quas per probabiles personas nobis intimavit,responsalium suorum dnorum presbyterorum,quatenus sibi pallium et metropolitanum honorem cathedræ suæ,sanctæ Lauriacensi Ecclesiæ restitueremus, confinio Ungrorum adjacenti : quod omnino nos eidem Ecclesiæ debere testantur antiquissima secum apportata privilegiorum testimonia. In quibus enim continebatur quod A ætate pontificatus beati Symmachi hujus almæ sedis apostoloci præsulis,præfata sancta Lauriacensis habetur Ecclesia metropolis : et in quantum tam exinde quam etiam de passionibus beatorum martyrum, qui illic plures in tempore persecutionis pro fide Christi variis sunt tormentis multati,colligere possumus, ex omnibus ecclesiarum diœcesibus Pannoniæ, hæc antiquitate, et archiepiscopii dignitate esse primitiva creditur : quæ jam multis retroactis temporibus ex vicinorum frequenti populatione barbarorum deserta et in solitudinem redacta,nullum Christianæ professionis habitatorem meminit,usquedum invictissimus Augustus, et pater gratiæ, genitor quippe pii imperatoris nostri, quem adhuc superesse et diu dominari mundus exoptat, bellico B tropæo eorum vires retundit. Nunc autem, quamobrem votis exsultantibus in laudem omnipotentis Dei erumpimus,non solum sæpe dicta sancta Lauriacensis Ecclesia, hostium cessante terrore, cum accolis suis pace et tranquilitate potitur ; verum etiam ipsi dudum inimici,illum quem persecuti sunt more gentili,,jamjam Christum baptizati profitentur, et sacerdotes modo habere desiderant,ac prout scire rudes poterunt,venerantur ; et ecclesias quasdam in sua terra,quas patres incendio dederunt,posteri restaurare videntur. Hac ergo suadente ratione : quod prænominati sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ archiepiscopi postulatio,antiqua apostolica auctoritate commendatur; et prætерea quod cum justum C esset, pariter etiam utile visum est, ut ad fructificandas Deo gentes ex novitiis cultoribus fidei Ungrorum atque Maravorum,sive etiam aliis multis provinciis Sclavorum suæ parochiæ,finitimis,illic ordinatis episcopis secundum quod antiquitus depositi(*forte*, dispositi.Hard.)erant, eis hunc,constitueremus archiepiscopum.Quoniam autem Salisburgensis Ecclesia metropolis abusa est subjectione sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ,pontifici oblitterata et attenuata sua dignitate ex devastatione barbarorum,quam propterea perceptis apostolicis privilegiis nequaquam patimur privari : cum et priora sint Salzburgensibus, et ideo auctoritativa vel auctorabiliora. Quæ conditio

testimonii etiam apud sæcularia viget et prævalet. Nos vero in hujusmodi constitutionibus omnem calumniam atque contentionis occasionem, Domino adjuvante, facile propulsamus, ambabus parochiis ab invicem certis limitibus sequestratis, et tamen apostolicis sanctionibus ubique stabilitis, quas nostrum est semper defendere et secundum evangelicam sententiam nihil ex eis solvere, sed adimplere. Unde ergo auctoritate et potestate B. Petri principis apostolorum, atque exemplo beatorum pontificum scilicet prædecessorum nostrorum, eamdem sanctam Laureacensem Ecclesiam, ejusque rectores jam archiepiscopos, amodo perpetim ab omni Salzburgensis Ecclesiæ ejusque præsulum subjectione ac ditione absolvimus, et honore metropolitano sublimamus. Et sicut modernis temporibus sanctæ memoriæ Agapetus papa terminos eorumdem parochiarum ab invicem distinxit, sic et ipsi definimus: ita quoque ut sancta Salzburgensis Ecclesia superioris Pannoniæ episcopos habeat suffraganeos, quibus usque huc sui pontifices præesse videbantur, cum tanta talique diœcesi, quali hactenus in inferiori usi sunt Pannonia ; sancta autem Laureacensis ecclesia in inferioris Pannoniæ atque Mœsiæ regiones, quarum provinciæ sunt Bawaria atque Maravia, in quibus septem episcoporum parochiæ antiquis temporibus continebantur, suique antistites archiepiscopalem deinceps habeant potestatem, cum tanta talique diœcesi, quali hactenus in superiori usi sunt Pannonia. Quibus utique in superni [*f.* insuper] pæceptis injungimus, ut juxta beati Gregorii decretum, Anglorum archiepiscopis directum, alter illorum qui prior sit in ordinatione tempore, et quoad vivat, prioratum teneat et in ordine. Penitus enim determinatis utriusque Ecclesiæ diœcesibus, omnique exclusa altercandi occasione, canonica sub districtione interdicimus ut neuter earumdem Ecclesiarum archiepiscopus invadere alterius parochiam præsumat, vel quibuscumque jurgiis aut disceptationibus super definitis a nobis modo rebus alter alterum sollicitare audeat. His igitur sedatis, venerabilem confratrem nostrum Pilgrimum archiepiscopum, canonicis litteris munitum, sedi sanctæ Laureacensis Ecclesiæ inthronizavimus, palliumque ei secundum antiquum ejusdem Ecclesiæ usum dirreximus : atque in provinciis Bawariæ, regionum quoque inferioris Pannoniæ sive Mœsiæ, et in contiguis sibi Sclavorum nationibus circumquaque manentium, nostram apostolicam auctoritatem et vicem exercere committimus atque delegamus: quatenus illic, more antecessorum suorum sanctæ Laureacensi Ecclesiæ archiepiscoporum, habeat potestatem presbyteros et episcopos ordinare atque constituere, et ex prædictis gentibus sua sancta prædicatione parare Domino plebem perfectam.

II.

BENEDICTI PAPÆ VII BULLA PRO TREVIRENSIS ARCHIEPISCOPATUS JURIBUS.

(Anno 975.)

Theoderico archiepiscopo Treverensi ejusque successoribus cellam Quatuor Coronatorum condonat.

[Mansi, *ubi supra*, col. 57.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, charissimis nobis in Christo fratribus universis episcopis, ac totius dignitatis et ordinis catholicis viris, præsentibus scilicet et futuris, perpetuam salutem.

Quia licet indigni, etc. Unde omnium tam præsentium quam futurorum sanctitatem et industriam nosse volumus de sancta fratris nostri Theodorici sanctæ Treverensis Ecclesiæ archiepiscopi primatisque, nostra prædecessorumque nostrorum ab exordio Christianitatis per beatum Petrum constitutione, totius Galliæ et Germaniæ in eumdem apostolorum principem devotione, qui in sua sede Ecclesiam Christi gloriosius gubernando multa monasteria, quæ usque ad sua tempora manserunt deserta restaurando, beatorumque apostolorum limina cæteris sæpius, nullo longioris vitæ periculo seu labore territus, liberalissime visitando, nobis ad hoc usque complacuit, quod eidem suæque Ecclesiæ possidenda in perpetuum aliqua conferre justum duceremus. Quapropter notum sit omnibus nos cum auctoritate B. Petri apostolorum principis, gratuitoque sacerdotum clericorumque totiusque Romanæ plebis assensu, eidem S. Treverensi Ecclesiæ cellam Quatuor Coronatorum condonasse in perpetuum possidendam, cum omnibus appenditiis suis, aquis scilicet aquarumque decursibus, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis et incultis, curtibus et mansionibus. Quæ omnia eidem fratri nostro Theoderico S. Treverensis Ecclesiæ archiepiscopo vicarioque nostro charissimo in partibus totius Galliæ et Germaniæ, ac per eum cunctis successoribus, in perpetuum possidenda, tenenda ac ordinanda per hujus nostræ apostolicæ præceptionis seriem tribuimus, quæcunque eadem cella ex diversis donationibus fidelium authentice secundum legem Romanam possidet vel jure possidere debet, data videlicet et usque in finem sæculi quoquo pacto danda, seu per violentiam inimicorum eidem cellæ ablata, seu per incuriam commanentium in eadem cella perdita ex integro et ad integrum eidem fratri nostro Theoderico S. Treverensis Ecclesiæ achiepiscopo dignissimoque nostro vicario in partibus totius Galliæ et Germaniæ, universisque successoribus suis per eum a præsenti indictione III, beati Petri apostolorum principis nostraque permittimus auctoritate. Contra quam si quis agere præsumpserit, et quod juste et canonice a nobis decretum est, in aliquo infringere tentaverit, sciat se ex Omnipotentis et prædicti beatissimi apostolorum principis, omniumque sanctorum, ac deinde nostra auctoritate damnandum, etc.

Scriptum per manum Stephani notarii regionarii

sanctæ sedis apostolicæ in mense Januario, indict. III. Bene valete.

Data XV Kal. Februarii per manum Widonis episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus domni Benedicti septimi papæ primo, imperante domno piissimo principe augusto Ottone a Deo coronato magno imperatore, anno VIII, indict. III.

III.

BENEDICTI PAPÆ VII BULLA PRO MONASTERIO S. BENEDICTI TREVIRENSI.

(Anno 975.)

Monachi S. Benedicti reintroducuntur in monasterium S. Martini Treveris.

[Hontheim, *Hist. Trevir.* I, 316.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, charissimis nobis in Christo fratribus, universis episcopis ac totius dignitatis et ordinis catholicis viris, præsentibus scilicet et futuris, perpetuam salutem.

Quia licet indigni, divinæ tamen dignationis gratia disponente, B. Petri apostolorum principis sacratissimam sedem pastoraleque in curam Dominici gregis ministerium suscepimus, necessarium nobis salubreque perspicimus omnium ecclesiarum diligentissimam sollicitudinem instanter habere, quatenus nostra procurante diligentia in sanctæ religionis augmento pacem, quietem atque defensionem adversus omnium machinationes nostra auctoritate finetenus possideant. Unde omnium, tam præsentium quam futurorum, nosse volumus sanctitatem et industriam quod Theodorico dilectissimo fratre nostro sanctæ Trevirensis Ecclesiæ archiepiscopo veniente Romam causa orationis ad beatorum apostolorum limina, eodem narrante comperimus quoddam monasterium, ubi S. Magnerius corpore requiescit, suæ sedis, sicut religione ita quibusdam possessionibus, usque in sua tempora ab inimicis Dei fuisse destitutum; quod possessionibus prioribus necessariisque omnibus renovans, ac renovatum suæ suorumque conprovincialium episcoporum excommunicatione confirmans, quo sanctæ religionis status major firmiorque fieret, in eodem monachos, ut prius Deo famulantes collocavit, præficiens eidem loco abbatem Engelbertum, cujus diligentia non solum locus possit in melius reparari, verum religio in dies felicius perfectiusque augmentaretur. Unde quia in eodem loco laudabilis probatur monachica conversatio, ne id quod venerabilis frater noster coepiscopus Theodoricus causa sanctæ religionis suæque salutis restauravit, per aliquam sibi succedentium archiepiscoporum seu per alicujus terreni potestatem dominii possit destrui, per hujus apostolici nostri privilegii atque sanctæ Romanæ synodi validissimam constitutionem placuit statuere decretum, quatenus idem abbas cunctique ejus successores in monachica conversatione inibi Deo militaturi privilegium infularum ad vicem episcopi, quod ex traditione S. Magnerici, ut in ipsius Vita legitur, abbatibus constat institutum, perpetuo obtineant; et eumdem locum cum omnibus illic pertinentibus, videlicet ecclesiis, villis cunctisque appenditiis, absque ullius contradictione seu inquietudine cum omni pace possideant. Eo vero ex hac decedente vita, quatenus monasterio ex eadem congregatione abbas juxta regularia S. Benedicti monita constituatur, placuit nostræ apostolicæ sanctionis ponere decretum. Quod si ex eadem congregatione, quod absit, persona conveniens monachicis institutis minime reperitur, cum consensu archiepiscopi ex eadem diœcesi abbas monasterio proficiatur. Contra hanc ergo apostolorum constitutionem, quam abbati monasterioque statuimus, si quis hominum quolibet modo agere præsumpserit, et quod juste et canonice a nobis in plena synodo decretum est, in aliquo modo infringere tentaverit, sciat se Dei omnipotentis et prædicti B. Petri apostolorum principis omniumque sanctorum, ac deinde nostra auctoritate damnatum et anathematizatum, atque divinæ iræ jaculo perpetualiter confossum, cum omnibus impiis æterno supplicio deputatum. Qui vero hoc ipsum nostrum privilegium observare, custodire, adimplere fideliter studuerit, benedictionis gratiam et misericordiæ plenitudinem in cœlestibus castris inter electorum numerum efficaciter a Domino consequi mereatur. Scriptum per manus Stephani notarii et regionarii, et scriniarii sanctæ sedis apostolicæ in mense Januario, indict. III. Bene valete.

Data XV Kalend. Februarii per manum Widonis episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ. Anno, Deo propitio, pontificatus nomini Benedicti sanctissimi papæ, imperante domino piissimo semper Augusto Ottone a Deo coronato magno imperatore anno VII, indictione III ( ).

IV.

BENEDICTI PAPÆ VII PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA TREVIRENSI.

(Anno 975.)

Confirmat archiepiscopo et ecclesiæ Trevirensi jus legationis pontificiæ, privilegia equitandi cum nacco et cruce, etc.

[Hontheim *ubi supra*, pag. 312.]

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, cha-

(1) Perantiqua est et utut obscura hujus monasterii S. Martini ad Littus origo. Cum autem lapsis subinde temporibus barbarorum sæpius in Galliam irrumpentium vi injuriisque vastatus locus, et sacra violata neglectaque jacerent, Magnericus archiep. Trev. sæculo VI semirutum atque informem superioris ævi cladibus locum non ædificiis modo ac tectis, sed legibus ac præceptis religiosæ vitæ hominum, ad quos ipse et successores archiepiscopi sese nonnunquam reciperent, pie excoluit, beatique Martini miraculorum jam post mortem gloria ubique inclarescentis nomen ibidem exstare voluit, ubi jam vivus Tetradii proconsularis viri servum a cacodæmonis obsidione liberasset, uti Sulpitius refert in Vita S. Martini lib. I. Collapsa autem deinde iterum temporum injuriis, et præsertim Normannorum vi, disciplina ecclesiastica, Theodoricus hanc una cum S. Benedicti regula huc introduxit.

rissimus nobis in Christo fratribus universis [illegible] pus ac totius dignitatis et ordinis [illegible] hodie [illegible] præsentibus scilicet et futuris, perpetuam salutem.

Quia licet indigni, divinæ tamen clementiæ gratia disponente, beati Petri apostolorum principis sacratissimam sedem, universaleque in toto orbe terrarum magisterium suscepimus, necesse est, omnium ecclesiarum ut diligentissimam sollicitudinem ita instanter habeamus, ne jura earum auctoritate ejusdem apostolorum principis, cæterorumque sibi subsequentium venerabilium Patrum, inviolabiliter statuta et confirmata, nostro imminuantur et pereant tempore, sed potius recorroborata decenter augeantur atque proficiant. Ideoque omnium vestrum nosse volumus sanctitatem et industriam, quod Theoderico fratre nostro dilectissimo, S. Trevirensis Ecclesiæ archiepiscopo, veniente Romam, oratum ad sanctorum apostolorum limina audivimus, sicut etiam pridem audiendo imo et legendo compertum habuimus, eamdem ipsam præ cæteris Galliarum Ecclesiis Christianæ religionis exordium, catholiceque fidei prima rudimenta percepisse per sanctissimorum virorum Eucharii, Valerii, Materni et cæterorum, evangelicam doctrinam, quos tempore suo prædictus Petrus apostolus ordinavit et instruxit, nec non illuc ad prædicandum direxit. Unde totius ordinis nostræ sedis apostolicæ consultu, gratuitoque assensu, jura privilegiorum, quæ a sancta Romana matre Ecclesia præfatis sanctis eorumque reliquis successoribus, id est Agritio, Maximino, Paulino, Severo, almificis et apostolicis viris a primordio, et usque nunc authentice concessa sunt, quæque etiam ipsius civitatis excidio, incendio, quove casu consumpta approbantur, eidem sanctæ Trevirensi Ecclesiæ, prædictoque fratri nostro Theodorico, et per eum cunctis successoribus suis reconfirmare, recorroborare, et omni modo restituere dignum duximus; per hujus nostri apostolici privilegii validissimam constitutionem decernentes, ut quandocunque a nostra principali et apostolica sede episcopus, presbyter, diaconus, vel subdiaconus, sive quilibet ordinarius legatus, pro ecclesiasticæ utilitatis causa, seu pro agenda synodo in Galliam, Germaniamve destinatus fuerit (2), Trevirensis præsul post eumdem apostolicum legatum, primum inter alios pontifices locum obtineat, et si missus Romanæ Ecclesiæ defuerit, similiter post imperatorem sive regem sedendi, sententiam edicendi, et synodale judicium canonice promulgandi (3) primatum habeat, utpote in illis partibus vicarius nostræ sedis apostolicæ merito constitutus. Neque etiam dignum est ut illius Ecclesiæ præsul aliquo tempore cæteris non habeatur prælatus, cujus honor in illis partibus sub ipso apostolorum principe exstitit primitivus. Et quia ejusdem Ecclesiæ archipræsulem, beatum Eucharium videlicet, a B. Petro apostolorum principe novimus ordinatum, sicut et beatum Apollinarem Ravennæ civitatis, placuit nobis eidem fratri nostro Theodorico S. Trevirensis Ecclesiæ archiepiscopo, cunctisque per eum successoribus suis permittere, quatenus, sicut in unius beati Petri scilicet apostoli ordinatione, benedictione, directione, gentibus ad prædicandum Christi Evangelium, ambarum civitatum prædicatores æquales exstiterant, ut missarum solemniis celebrandis, et (4) equitando cum nacco per stationes, et in omni honore æquales existant; crux ante eumdem, sicut et ante Ravennatem archipræsulem, ubi ubi geratur (5). Cardinales quoque presbyteri, fratre nostro Theodorico archiepiscopo missam celebrante, dalmaticis, et diaconi una cum presbyteris (6) schandaliis utantur; hebdomadariis quoque presbyteris ad sanctum Petrum missam celebrantibus suæ dilectionis intuitu dalmaticis uti permittimus. Pari namque modo sancimus, omnes in parochiis ejus degentes, sive ordinationem et promotionem cujuslibet ecclesiastici gradus a pontifice ipsius percipientes, eidem ipsi matrici Ecclesiæ episcopoque illius debere canonice placere, obsequi et jure obedire; siquidem decreto beati Clementis papæ super hoc ita cautum videatur: « Si vobis episcopis non obedierint omnes presbyteri, diaconi, subdiaconi ac clerici cuncti, omnesque principes, tam majoris quam inferioris ordinis, atque reliqui populi, tribus et linguæ non obtemperarint, a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt, dicente Domino :

(2) *Trevirensis præsul post eumdem apostolicum legatum primum inter alios pontifices locum obtineat.* Attamen non patiebantur Germani legatos pontificis conciliis Germaniæ præsidentes. Experti id sunt, anno 1074, legati Gregorii PP. VII, de quibus Fleury *Hist. Eccles.* lib. LXII, n. 11. « Les légats demandèrent de la part du Pape la liberté de tenir un concile en Allemagne, mais tous les evêques s'y opposèrent fortement, prétendant que c'étoit une chose sans exemple et contraire à leurs droits; et ils déclarèrent qu'ils n'accorderoient jamais la prérogative de se laisser présider en concile, qu'au Pape en personne. » Sed nihil hoc ad archiepiscopum Trevirensem, cujus jus præsidendi conciliis nationalibus non tam privilegio pontificiæ legationis quam primatui toties confirmato, et a natione Germanica sæpius solemniter agnito innitebatur.

(3) *Primatum habeat.* De primatu Trevirensis Ecclesiæ jam actum sæpius et plura dicentur imposterum. Vide interim bullam Joannis XIII, de anno 969, nec non Leonis IX, de anno 1039.

(4) *Equitando cum nacco. Naccum, nattum, natum*, vel *nactus*, est insigne festivi equi. Insternebatur enim stragulo totus equus in festivitate vel pompa; atque inter eximia referebatur privilegia, si cui episcopo in processione Palmarum, et feria secunda post Pascha, equo albo, qui udone seu *nacco* coopertus erat, insidere et procedere facultas data fuerat; quod nulli plane licebat absque speciali concessione. Du Fresne in Glossar. voce *Equus* et *Nactum*. Add. infr. bull. Calixti II, de anno 1120.

(5) *Cardinales quoque presbyteri.* Sic metropolitanæ Ecclesiæ Trevirensis canonicos vocat pontifex: stylo eo ævo satis usitato, uti late probat Buddeus Schediasmate histor. de origine cardinalitiæ dignit. § 15, p. 40, sqq.

(6) *Schandaliis utantur.* Scandalia seu scandilia sunt gradus, quibus elatius ac honoratius statur sedeturve.

Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. » Inter hæc quoque omnia quæ ad supradictam Trevirensem Ecclesiam intra et extra civitatem pertinere videntur, id est ecclesias cum universis rebus sibi attinentibus, seu monasteria, tam monachorum quam virginum, quæ ex præceptis sive scriptis regum seu imperatorum, sive eorumdem fundatorum auctoritate ad se pertinent et pertinere debent, et quidquid omnino illa ipsa ecclesia ubi ubi et quoquo merito possidet et possidere debet, generaliter et specialiter concedimus et reconfirmamus præfato Theodorico fratri et coepiscopo nostro suisque successoribus, ad perpetuam sanctæ Trevirensis Ecclesiæ dominationem atque ditionem, per hujus nostræ apostolicæ præceptionis seriem, a præsenti tertia indictione et usque in finem sæculi valituram. Contra quam si quis hominum quolibet modo agere præsumpserit, et quod juste et canonice a nobis decretum est, in aliquo infringere tentaverit, sciat se ex omnipotentis Dei et prædicti beatissimi apostolorum principis, omniumque sanctorum, ac deinde nostra auctoritate damnandum et anathematizandum, et cum omnibus impiis æterno supplicio deputandum. Qui vero hoc ipsum nostrum privilegium observare, custodire, adimplere fideliter studuerit, benedictionis gratiam et misericordiæ plenitudinem in cœlestibus castris inter electorum numerum efficaciter a Domino Deo consequi mereatur.

Scriptum per manum Stephani notarii et regionarii et scriniarii sanctæ sedis apostolicæ, in mense Januario, indict. suprascripta III. Bene valete.

Datum XV. Kal. Februarii per manum Widonis episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ. Anno, Deo propitio, pontificatus Domini nostri Benedicti sanctissimi VII papæ primo, imperante domino piissimo patre patriæ augusto Ottone a Deo coronato magno Imp. anno VII, indictione III.

V.

BENEDICTI PAPÆ VII EPISTOLA AD THEODORICUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

(Anno 975.)

Monasterium S. Martini Trevirense, a Theodorico archiepiscopo refectum, « per hujus apostolici nostri privilegii atque sanctæ Romanæ synodi validissimam constitutionem » confirmat privilegiisque auget.

[Gudeni, *Cod. diplom.* I, 9.]

Si pastores ovium, etc. *Reliqua vid. apud auctorem laudatum.*

VI.

BENEDICTI PAPÆ VII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO VIZELIACENSI.

(Anno 975.)

[Apud Acherium, *Spicil.* II. 504.]

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, ELDRADO religioso abbati S. Vizeliacensis cœnobii, omnique congregationi ejusdem monasterii in perpetuum.

A Quoties illa tribui a nobis optantur, quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos debet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Atque ideo quia postulasti a nobis quatenus privilegium sedis apostolicæ monasterio Vizeliaco, cui præesse dignosceris, quod constat olim a Gerardo nobilissimo et Christianissimo viro, necnon et Berta uxore ejus, in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi et veneratione beatissimæ semper virginis Mariæ genitricis ejusdem Domini nostri Jesu Christi constructum; in regno scilicet Burgundiæ, in pago Avalensi, quodque a præfatis fundatoribus beato Petro apostolorum principi pia devotione et testamenti pagina collatum est, facere deberemus: inclinati precibus tuis libenter B fieri decrevimus. Unde et constituimus et apostolica auctoritate censemus, atque per hoc nostrum apostolicum privilegium confirmamus; ut nullus rex aut pontifex, vel abbas aut comes vel qualiscunque magna vel parva persona, avaritiæ cupiditate correptus aut diabolica suggestione deceptus, audeat vel præsumat contra tuum honorem, o venerabilis Wido abba, qualicunque modo insurgere in tua vita aut de tuo honore tibi molestias inferre, vel de omnibus rebus monasterii quæ tibi tuisque prædecessoribus a nobis nostrisque antecessoribus per paginam privilegii concessa atque firmata sunt, aliquas invasiones vel rapinas sive violentias inferre, si non vult, auctoritate Dei et sancti Petri et nostra apostolica excommunicatione, a corpore et sanguine Domini Jesu Christi et ab ingressu ecclesiæ disjunC ctum esse. Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nullum de regibus, nullum de episcopis vel sacerdotibus, vel de quibuscunque fidelibus, per se, suppositamve personam, de ordinatione ejusdem abbatis, vel clericorum, aut presbyterorum, vel de largitione chrismatis, aut consecratione basilicæ, vel de quibuscunque causis ad idem monasterium pertinentibus, audere in qualibet specie exenii loco quidquam accipere, neque eumdem abbatem pro ordinatione sua aliquid, dare præsumere, ne hac occasione, ea quæ a fidelibus pio loco offeruntur, consumantur. Neque episcopus civitatis ipsius parochiæ nisi ab abbate ipsius monasterii invitatus, ibidem publicas missas agat, neque stationes in eodem cœnobio indicat, ne servorum D Dei quies quoquomodo populari conventu perturbari valeat, neque paratas, aut mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium et religiosorum virorum atque beneficentiam, quam jubet Apostolus cunctis exhibendam pro possibilitate loci et facultatum, non modo ibidem fieri (non) denegamus, verum etiam suademus: sed et modus in numero congregationis adeo conservetur, ut nec pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium destitutionem loci inducere valeat. De cætero notum fieri volumus quia devenerunt ad nos deprecatoriæ litteræ Gerardi episcopi Augustodunensis Ecclesiæ, pro decimis quatuor ecclesiarum, sancti videlicet

Petri, et sancti Christophori, sanctique Genesii, necnon sancti Leodegarii, quas ipse prædictis abbas ab eodem episcopo impetraverat, sicuti antecessores ejus ab episcopis ipsius sedis per succedentia tempora ordinatis fecisse noscuntur, ut sub confirmatione nostri privilegii corroboraremus, quod et fecimus, excommnnicantes, ut nullus Augustodunensis Ecclesiæ episcopus aliquam calumniam abbati ejusdem loci sive monachis de ipsis inferat ecclesiis, sive de decimis, tam ipse quam aliqua emissa persona valeat minuere aut in aliam transferre parochiam. Si quis vero regum, episcoporum, sacerdotum, abbatum, judicum, comitum, aut sæcularium personarum, contra hanc nostræ institutionis paginam venire tentaverit, percussus apostolico anathemate, potestatis honorisve qui dignitate careat, reumque se coram divino judicio cognoscat, et nisi ea quæ a se male acta sunt deleverit, a sacratissimo corpore Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque æterno examini districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem loco juxta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Scriptum per manum Bonifacii notarii regionarii atque scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Datum II Idus, mense Decembrio, per manum Joannis episcopi, Deo propitio, imperante domno piissimo Augusto Ottone a Deo coronato magno imperatore anno VIII, in mense Decembrio et indictione IV.

VII.

BENEDICTI VII PAPÆ BULLA PRO ECCLESIA SS. APOLLINII ET URSICINI CANOSSANA.

(Anno 975.)

Fundationem ecclesiæ sancti Apollonii et institutionem duodecim canonicorum, ibi factam ab Adelberto comite in castello Canusino confirmat ad petitionem Teudaldi comitis, ejus filii.

(Murator., *Antiq. Ital.* V, 207.)

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei.

Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus pateat qualiter Teudaldus comes, filius Adelberti jam comitis, limina apostolorum digna devotione visitans, ex parte sui patris hujusmodi a nostra apostolica auctoritate petiit, ut ecclesiam in honorem sanctorum confessorum Dei, Apollonii videlicet, Ursicini, atque Rusticiaui, martxrum quoque Mauricii, Alexandri et Victoris consecratam, quam ipso Adelbertus in suis propriis rebus, videlice in rupe quæ Canuxia vocatur, ab imis fundamentis construxerat, et ad divinum cultum varia specie dedicaverat, eidemque Deo et sanctis obtulit proprietario jure omnis territorii sive prædii sui decimam ad usum fruendi duodecim canonicorum, qui ibidem pro futuris temporibus ab ipso, seu a filiis suis, nepotibus ac pronepotibus suis ordinati fuerint, apostolica nostri privilegii auctoritate confirmare ac roborare dignaremur. Cujus igitur devotæ petitioni annuentes, et bono voto et [illegible] possessionem protendit, quæ tota [illegible] ilate fidelium [illegible] decrevimus, et quatenus secundum petitionem ejusdem Teudaldi comitis suique patris institutionem et donationem jam dicta ecclesia a nobis corroborata modis omnibus persistat. . . . .

Reliqua desiderantur.

Scriptum per manum Stephani notarii sacri scrinei sanctæ Romanæ Ecclesiæ..... Indictione quarta.

Datum IV Kalendas Januarii per manus Guidonis episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno pontificatus domni Benedicti sanctissimi VII papæ secundo, imperii vero domni Ottonis Tertio.

VIII.

BENEDICTI PAPÆ VII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. PANTALEONIS.

(Anno 976.)

Monasterii S. Pantaleonis Coloniensis possessiones et privilegia confirmat: « Ob amorem imperatoris et petitionem imperatricis, nec non et propter jocunditatem Guarini archiepiscopi, » permittit ut Christianus abbas dalmatica et sandaliis utatur.

(Wurtwein, *Subsidia diplomatica*, Heidelbergæ 1781, 8° IV, 29.)

Convenit apostolico moderamini, etc. *Reliqua vide apud laudatum auctorem.*

IX.

BENEDICTI PAPÆ VII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO CASINENSI.

(Anno 977.)

(Gattula, *Hist. Casin.*, p. 840.)

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Domino Jesu Christo filio ATIGERNO venerabili et religioso abbati sacratissimi monasterii beati Benedicti confessoris Christi, sibi in monte Casino, et per te in eodem venerabili monasterio, vel cunctæ ejus congregationi in perpetuum.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationalibus congruunt desideriis, oportet ut devotio in me petitoris humiliter acquisita in privilegiis concedendis minime denegetur a nostra clementia. Legitur quia petistis a nobis quatenus monasterium beati Benedicti confessoris Jesu Christi situm in jam dicto Monte Casino, atque monasterium beatæ Scholasticæ, seu et monasterium Domini Salvatoris sub præfato monte consecrati, necnon et quatuor monasteria puellarum, unum sanctæ Mariæ in loco qui Plumbariola vocatur, aliud ejusdem sanctæ Mariæ in loco qui Cingla dicitur, et monasterium sanctæ Sophiæ, constructum infra civitatem Beneventanam, item et monasterium sanctæ Mariæ in civitate Cosentia consecratum, et simul etiam monasterium sancti Benedicti infra civitatem Capuanam, præterea et monasterium puellarum, quod vocatur sancti Joannis in civitate jam dicta Capuana consecratum, et simul etiam ecclesiæ per singula loca constructæ, prædictis monasteriis pertinentes. privilegiis apostolicæ sedis infulis decorentur, ut

sub jurisdictione sanctæ, cui Deo auctore deservimus ecclesiæ constitutæ, nullius ecclesiæ cujuslibet episcoporum ditionibus commoveatur, vel submittatur. Pro qua re piis desideriis faventes, ac nostra auctoritate, id quod exposcitur petitioni mancipamus; et ideo omnem cujuslibet ecclesiæ episcopum in præfata venerabilia loca, quamcunque ditionem habere omnino prohibemus, præter sedem nostram apostolicam habentes respectum, amodo et deinceps omisso videlicet omni novitate et violentia in eadem monasteria prohibemus; ita ut, nisi quis ab abbate monasterii fuerit invitatus, neque ad consecrandam ecclesiam, vel sacerdotem de præfatis monasteriis, sive in omnibus cellis ibidem pertinentibus præsumat ingredi, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam episcopus præsumat omnimodo inibi celebrare.

Ad consecrandas autem ecclesias in suprascriptis monasteriis, vel cellis, quemcunque episcoporum invitare voluerit ipse abbas, sine cujuslibet impedimento concedimus potestatem, ut profecto juxta id, quod subjectis apostolicis privilegiis consistunt inconcussa donanda permaneant. Sed, et constituentes una dum sacerdotali nostro collegio per hoc nostrum apostolicum privilegium omnia loca, quæ aliquando possidere ipsa venerabilia monasteria, vel quæ nunc eis, aut postea a fidelibus hominibus fuerint concessa per diversa territoria, nulli castaldeo, aut episcopis, non magno vel parvo homini per quodlibet ingenium, aut argumentum liceat, quomodocunque, easdem invadere possessiones, vel censum tollere, aut affligere monachos, vel servos, sed magis ad laudem Christi, et æternam memoriam largitorum perpetuo tempore maneant intacta ab omnibus, et deserviant solummodo sanctæ matri Romanæ Ecclesiæ, et nullus præsul audeat amodo in ipsis monachis subjectis sanctæ nostræ Ecclesiæ quamcunque ingerere excommunicationem, sed liceat ita peragere deificos cursus sicuti a beato Benedicto per illius regulam habent in mandatis; atque constituimus ut quispiam præsul non præsumat segregare ab ecclesiis, et dictis monasteriis pertinentibus populum ibidem percurrentem ad audiendum verbum Dei, et confitentem delicta sua, tam in urbibus, quam extra urbes, sed canonice ingrediatur ibidem, et egrediatur devotus populus, et ecclesiæ vestris ditionibus subditæ omnibus pateant. Sed quoniam pastoralis propterea nobis a Deo cura commissa est, ut vigiles in omnibus existere mereamur, ne, quod absit, Dominicæ oves luporum morsibus lanientur. Qua de re omnibus venerabilibus episcopis, presbyteris, abbatibus, diaconibus, ducibus, tribunis, castaldis, actoribus, vel cunctis Deum timentibus nostræ apostolicæ auctoritatis sub obtestatione beati Petri principis apostolorum præcipimus, atque jubemus, qui ligandi solvendique peccata hominum in cœlo, ac terra, et (a) Domino Deo nostro potestatem percepit, cujus nos gratia divina vices gerimus, statutum est, et per hujus decreti nostri paginam, interdicimus omnibus omnino cujuslibet ecclesiæ præsulibus, vel cujuscunque dignitatis præditis potestate, sub anathematis interdictione, et æterni judicii obligatione, qui præsumpserit præsenti constitutioni a nobis præfato monasterio indultæ, quolibet modo existere temerator...

Scriptum per manum Stephani notarii regionarii, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio, indictione v. Bene valete.

Datum III Kal. Junii per manum Stephani nomencratoris (*sic*) sanctæ sedis apostolicæ, anno pontificatus domni nostri Benedicti summi pontificis VII, papæ III, imperante domno nostro Ottone a Deo, coronato magno et pacifico imperatore, anno x, in mense et indictione v.

X.

BENEDICTI PAPÆ VII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. PETRI PERUSINO.

(Anno 977.)

Bona et jura monasterii sancti Petri de Perusia confirmat. Contra diripientes vel perturbantes eadem, æternam maledictionem contestatur.

(Margarini, *Bullar. Casin.* II, 52.)

BENEDICTUS episcopus servus servorum Dei PETRO venerabili abbati monasterii beati Petri apostolorum principis, qui ponitur in loco Quumplorano, successoribusque tuis in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Deo veniam promeremur, si venerabilia sanctorum loca ordinata, ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Et ideo quia tua religiositas, nostro apostolatui humiliter postulavit quatenus concederemus et confirmaremus tibi prædictum monasterium sancti Petri principis apostolorum, cum omnibus domibus, et cellis atque ædificiis, et ortuis, una cum fundo, et casalibus suis; vineis quoque, et terris, campis, pratis, pascuis, et silvis; necnon et ecclesiam sanctæ Luciæ, ecclesiam sanctæ Martæ, cum omnibus earum pertinentiis, mobilibus vel immobilibus, omnibusque ad prædictum monasterium pertinentibus, tam ea, quæ nunc juste et rationabiliier sibi pertinere videntnr, vel ea, quæ ab hactenus erunt in perpetuum juris sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus Ecclesiæ; inclinati precibus tuis, per hujus nostri apostolici privilegii, concedimus et confirmamus tibi, et successoribus tuis jam dictum monasterium, cum suis omnibus pertinentiis, sicut supra legitur. Statuentes apostolica censura, snb divini judicii obtestationibus et anathematis interdictionibus, ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum, vel aliæ magnæ, parvæque personæ cujuscunque sit dignitatis, vel ordinis, contra hoc nostrum apostolicum privilegium venire vel insurgere liceat. Si quis autem, quod minime optamus, inobediens et contemptor hujus nostri privilegii in toto vel in parte repertus fuerit,

vel occasione cujuslibet personæ temerare præsumpserit, nisi resipuerit, maledictionem a Patre, et Filio et Spiritu sancto consequatur, et cum diabolo ejusque sociis, atrocissimis pœnis et æterni incendio deputetur, nec in resurrectione electorum futura dignus inveniatur, et a communione, et sanctæ matris Ecclesiæ sinu, et a consortio sanctorum sit alienus. Qui autem inventus fuerit sæpedicti monasterii adjutor atque defensor, justitiæ tramitem sequens, a dexteris inveniatur particeps, atque cum sanctis omnibus sociatis permaneat.

Scriptum per manum Liutulphi notarii regionarii, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Decembrio, et indictione suprascripta sexta.

XI.

BENEDICTI PAPÆ VII BULLA PRO ECCLESIA AUSONENSI.

(Anno 978.)

(Apud Florez *España sagrada*, tom. XXVIII, p. 254.)

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Fruiæ viro venerabili, episcopo vero episcopii S. Petri apostoli, et per eum in eodem episcopo ejus successoribus in perpetuum.

Cum summæ apostolicæ dignitatis apex in hoc divini prospectus nitore dignoscitur præfulgere, cum in exercendis Dei laudibus sui impensius studebit laboris exhiberi certamen, ob hoc debita nos ejusdem apostolicæ pastoralis compulit sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem pertinere piorum pignoscitur locorum, ubertim promulgari et apostolicæ institutionis censura confirmari. Igitur quia postulastis a nobis privilegium de supra dicto episcopio S. Petri apostoli sit in loco qui vicus territorio Ausonense et Menrasense nominatur, cum universis ecclesiis et cellis, sive castris, unum scilicet vocatur Monteboi, alium namque Tovos, cum omnibus finibus terminisque eorum, ex uno videlicet termino ducente per Aqualata, et exinde transeunte ad vadum de ipsa ædera, et per eumdem terminum remeante, et recte pergente in fines qui dicitur Jorba, et inde in fines qui Clariana, et ex alia parte transmeat a Aqualata pergente per fines Clarmonte, et per fines de Auri pino ducente per fines de Miralia ducente usque ad terminos de Rocheta sive Villis : et casalibus suis, vineis et terris, silvis domibusque, agrorum puteis, fontibus, rivis, agris aquimolis, montibus et planis, mercatis, teloneis, raficas, monestas, pasquaria, herbaticum, præcertim ecclesia sanctæ Mariæ sita in civitate Manresa, cum omnibus sibi pertinentiis vel adjacentiis, seu ecclesias quæ infra eas constructæ sunt vel construendæ esse possunt, simul cum monasterio S. Benedicti, quorum termini ab oriente incipiunt usque ab ipeo ficturo qui concluditur terminibus Artes ejusdem ecclesiæ. Deinde vadit per serram quæ deducit per ipsas Alsinellias et attingit ad fines Solientis. Deinde super ipsum poium rubeum et pervenit super villam Seluvani et fratrum ejus. Deinde conscendit super ipsum adoletum de comite Suniario. Deinde recto tramite vadit per summitatem de ipsa serra, et pervenit super ipsum Castrum auri, et exinde ad ipsum rivum de vinea mala, et pervenit ad ipsum vadum petrosum, transitoque rivo pervenit ad terras Endalesii, qui fuit quondam. Deinde revertitur ad ipsum moralem et conscendit a summitate de monte Castrilio, et pervenit super ipsum terminum de palatiolo, usque in serram ultra ipsam Wardiam, et sic vadit per summitatem ipsius serræ et pervenit super ipsum Monasteriolum, et conscendit ad Artiga de Levigildo : deinde descendit super ipsam villam de Valleformosa, quæ erat de Alezino. Deinde vadato torrente conscendit per ipsam Articam quam Samuel ibidem de eremo traxit. Deinde ascendit ad ipsum collum in ipsa via, et descendit per Gallicanta, et pervenit ad viam de Corneto ad ipsam speluncam porcariam. Deinde ad ipsam Chardiolam, super ipsam Chortem de Auriolo, deinde vadit per ipsam serram recto tramite, pervenit super Matam de Frederico, et descendit ad ipsum vadum de Corneto, et sic vadit ad ipsam vineam Waldemari. Deinde ad rivum Cordosdinarium, sicut et Comes Borrellus terminavit. Deinde conscendit per rivum Rubricatum, et pervenit ad ficturum pariter fiscum cum Artes, sicuti designatum et terminatum serie agnoscitur in regali privilegio, vel sicuti injudicatum definivit in publico Georgius prædecessor episcopus, et cum omnibus ad prædominatum episcopium S. Petri apostoli generaliter et in integrum pertinentibus, vel in aliis quacunque partibus ad ipsum episcopatum ubique pertinere dignoscitur. Fines autem totius ipsius episcopii hi sunt : De parte occidentis in fines de Quovecintenigio, vel de Cardona, et de Bergetano ; de pario Circii in Eramala, et usque in montem Surocham pervenit ad ipsum pratum de Campo-Rotundo, et per ipsa serra sicut aquas vergunt usque ad Gurni, et deinde ad petram lavandi, deinde ad ipsam Rocham de latione et descendit in flumen Teceri, et pervenit ad ipsum plantadizium qui est inter Gerunden et terminos de Ausona, et conscendit per ipsam serram usque in Gerundiliam, et vadit per ipsam viam quæ venit ad Bellampollam et pervenit ad terminum qui est inter Joannetum et ipsa Elzeta, et pervenit in fines de Arbucias, et usque in cacumina inter duos signos, et usque ad ipsam Calmæ quæ dicitur ad Arca-Mala, et pervenit ad ipsum collem de Montenigro, deinde in rivum Congustum, et venit ad castellum Bertini, et usque super Rocham S. Genesii, et venit ad montem S. Saturnini, et venit ad montem Calvum. Deinde ad montem Serratum, et pervenit ad montem qui est infra castrum Odulinum, et castrum Apiaria, et vadit per summitatem ipsius serræ usque ad flumen, quem dicunt Anoliam, et vadit ab ipso flumine usque in Hispaniam, et ex alia parte sicuti ejus fines sunt aut ab origine fuerunt, omnia juris S. Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ vobis ad tenen-

dum emissa præceptione, inclinati precibus vestris per hujus privilegii seriem prædicti episcopi B. Petri apostoli concedimus, in suo permaneat statu, et vos sine dubio procurantes ad præsenti sexta indictione atque in perpetuum a vobis vestrisque successoribus cum sibi omnibus integrum subjacentibus disponatur atque cum Dei timore regatur, ut vestro conjunctum subsistat episcopio. Vos autem in eodem venerabili episcopio Domino Deo nostro laudes exsolvere debeatis, nullam rationem exinde vel ei pertinentibus, nisi soli Deo ac nostra auctoritate solvendo statuimus; fabricam etiam seu luminariorum concinnationes indifferenter vos sine dubio procurantes afficiamini. Nulla proinde in exolvendis Dei laudibus et in luminariis concinnandis mora proveniat, sed devota sinceritate peragere festinate, nec per incautæ desidiæ culpam judicii vos futuri metus concutiat, potius laborare studete, ut divina placita vestro conatu clementia possit permanere, hoc quod a nobis justa deliberatione decretum est, futuris inconvulse perpetuisque temporibus. Si quis autem, quod non optamus nefario ausu præsumpserit hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti episcopii statuta sunt refragari, aut in quoque transgredi, sciat se anathematis vinculo innodatum; et a diabolo et ejus atrocissimis pompis atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterni incendii supplicio concremandum deputamus. At vero qui pio instituto observator et omnibus exstiterit custodiens hujus nostri apostolici constituti ad cultum Dei respicientibus, benedictionis gratiam a misericordiosissimo Domino Dei nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Scriptum per manus Joannis notarii regionarii atque scriniarii S. Rom. Ecclesiæ, in mense Martio indictione VI. Bene valete. Data V Kal. Martias per manus Gregorii episcopi et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno, Deo propitio, pontificatus domni Benedicti summi pontificis et universalis septimi papæ in sacratissima sede B. Petri apostoli, quarto, in mense et indictione suprascripta VI.

XII.

BENEDICTI PAPÆ VII PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA AUSONENSI.

(Anno 978.)

(Florez. ubi supra, p. 102.)

Notum esse volumus omnibus majoribus et minoribus totius provinciæ Ausoniæ et Barkinoniæ, atque Gerundense, sive Urgelitense, vel quicunque huic provinciæ constuti esse cernuntur de hunc episcopum Froya nomine, quia venit ad limina apostolorum et sedis nostræ accessit ante nostram præsentiam, ostendit nobis omnibus suis scripturis, quas seriem acquisivit sui episcopatui, et omnibus qui sibi subjecti esse noscuntur. Ita privilegium nobis postulavit, quod et nos libenti animo ei confirmavimus, sicut in ipso privilegio reperitur. Quapropter rogamus, et nostra apostolica auctoritate præcipimus, ut nullus homo, excepto Borelli comite suo solo corpore, et uxori suæ Ledgardis, et legitimo filio ejus Raimundo, si præsumpserit aliquam invasionem, vel contra prædictum episcopum calcaneum erexerit, cujuscunque ordinis vel sexus, sive clericus sive laicus, sive excommunicatus.

XIII.

BENEDICTI PAPÆ VII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO CLUNIACENSI.

(Anno 978.)

Maiolo Cluniacensi abbati donat insulam Lerinensem cum monasterio Arluco,

(D. Bouquet, *Recueil* IX, 245.)

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei dilectissimo in Christo filio MAIOLO charissimo abbati Cluniacensis monasterii, ejusque successoribus in perpetuum.

Quia monasterium Cluniacense, quod tu Deo propitio regulariter regis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ novimus esse commissum ad defendendum et dilatandum, idcirco benevoli et benefici erga eumdem locum debemus existere. Quapropter notum sit omnibus quia petisti a nobis ut jam dicto tuo monasterio insulam Lerinensem cum Arluco (6) monasterio, et omnibus pertinentibus ad eadem loca, nostræ auctoritatis privilegio concederemus; siquidem, ut ex decretis beati Gregorii papæ didicimus, eadem insula in jure ac subjectione sanctæ sedis apostolicæ consistit. Petitionibus tuis igitur faventes et assensum præbentes, sub omni integritate donamus tibi atque successoribus tuis eamdem insulam et idem monasterium Arlucum cum omnibus sibi pertinentibus. De quibus si quis te vel successores tuos injuste pulsaverit, gladio excommunicationis noverit se feriendum. Volumus autem ut annuatim ad sepulcrum beati Petri quinque solidos argenteos exinde persolvas. Ut hæc nostra auctoritas vigorem et soliditatem in perpetuum obtineat, sigillo nostro signavimus, et manu nostra firmavimus.

Scriptum per manum Stephani notarii regionarii atque scriniarii S. Romanæ Ecclesiæ in mense Maio, indict. VI. Bene valete.

Datum X Kal. Junii per manum Joannis episcopi Salernitanæ Ecclesiæ, anno IV pontificatus domni nostri Benedictæ papæ VII, imperante domno nostro Ottone a Deo coronato magno et pacifico imperatore anno XI, in mense Maio, indict. VI.

(6) Situm erat hoc monasterium, quod puellarum fuit, in colle peramœno fere ad littus maris, et ad ripam fluvii Siagnæ, in quo olim erat, ut tradunt, ara in luco Veneri sacra, a quo *Ara luci* nomen accepit.

XIV.

BENEDICTI PAPÆ VII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO SANCTI PETRI RODENSI.

(Anno 979.)

(D. Bouquet, *ibid.*, p. 246.)

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Hildesindo episcopo et omnibus monachis in monasterio sancti Petri Rodensis degentibus, salutem et pacem et apostolicam benedictionem.

Quoniam gratissimum satisque condignum judicamus famulantibus famulitium impendere, atque donantibus præmia largiri, idcirco quia monasterium sancti Petri Rodensis, quod jure hæreditario possidendum accepistis, nunc autem sub jure et dominatione almi principis apostolorum Petri et nostræ venerabilis Romanæ sedis perpetuo habiturum, et vobis conspicimus esse traditum, quocirca versa vice auctoritate apostolica concedimus et confirmamus tibi tuisque successoribus in perpetuum cœnobium sancti Petri apostoli Rodensis, cum omnibus suis adjacentiis et pertinentiis et terminis suis, in tali ratione, ut sub tuitione beati Petri apostoli et nostra consistat in perpetuum. Concedimus insuper et absque ulla reservatione donamus eidem monasterio omnia prædia vel alodia quæ danda sunt vel data ab hodierno die et deinceps a fidelibus viris vestræ regionis beato Petro apostolo nostræ urbis Romanæ sedis, ut in jure et dominatione persistant cœnobii Rodensis in perpetuum habenda, ab urbe Narbona usque in finibus Hispaniæ. Notum ergo nunc sit omnibus hominibus regionis vestræ, quod sub tuitione et regimine beati Petri apostoli et nostra gubernatione vel defensione ille locus consistat. Idcirco omnes fideles vestræ regionis sub testimonio Christi admonemus ut omnia, quæ ad præfatum locum pertinent, ad utilitatem monasterii et habitantium in eo restituant, et in vice beati Petri apostoli Romæ summa cum diligentia illum locum venerentur et diligant. Et si quis causa orationis ad nostram sedem apostolicam pervenire non poterit, summo studio illum locum venerari concedimus ei. Si quis autem vel ex prædiis vel alodis loci illius, vel omnia quæ ad jam dictum locum pertinent occultaverit vel tenuerit sine consensu fratrum, aut scierit quod aliquis absconse teneat, sub testimonio Christi ex apostolica auctoritate commonemus ut ab hodierno die non teneant injuste, nec abscondant, sed reddere et manifestare præscripto monasterio festinent. Et reddita vel manifesta jure perpetuo una cum illis quæ per hanc nostram apostolicam sanctionem et per alia *divalia* (*sic*) decreta statuimus atque decrevimus, usque in finem mundi illibata et inconcussa permanenda decernimus.

Si quis autem, quod non credimus, hujus concessionis vel donationis temerator aut contemptor exstiterit, æternis condemnationibus subjaceat [illegible] sanctos Dei Petrum et Paulum principes apostolorum sibi in præsenti et futura vita sentiat contrarios; atque in inferno inferiori concrematus cum diabolo et omnibus deficiat impiis. Hujus vero apostolicalis decreti nostri paginam propriis manibus roborantes, in manus Hildesindi episcopi atque abbatis ipsius loci et fratrum cum illo comitantium tradimus, annuente Christo Jesu Domino nostro, perenniter atque fideliter possidendam. Qui ergo nostræ concessionis vel donationis adjutor atque defensor exstiterit, apostolicam benedictionem et peccatorum absolutionem ab ipso clavigero summo se obtinere sciat.

Scriptum per manus Stephani notarii atque scriniarii in sede beati Petri apostoli Romæ, anno Incarnationis Domini 979, indictione VII, in mense Aprili.

XV.

PRIVILEGIUM BENEDICTI PAPÆ VII PRO MONASTERIO BISULDUNENSI.

(Anno 979.)

Monasterium sub sua protectione suscipit, ejus possessiones confirmat, aliaque ei concedit privilegia.

(Mansi, *Conc.* XIX, 71.)

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Gausberto abbati monasterii Bisulduno, quod est situm infra castrum Bisulduni, ad flumen Fluviani, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, salus, pax et benedictio, quod ad mundum permaneat. Amen.

Cum constet Dominum Deum nostrum honorem sanctæ universalis Ecclesiæ incessanter a propagantibus beatæ fidei augmentare, necesse est accipientibus ab illo totius curæ regiminis: et idcirco ego Benedictus papa cum cœtu episcoporum presbyterorumque, cum omni caterva clericorum in Romana sede degentium, sub norma beatissimi Petri Deo militantium, in nostra protectione suscipimus (*deest aliquid*), et præsentis scripti privilegio roboramus illud donum, quod dilectus filius noster (7) Miro episcopus Gerundensis per paginam donationis Romanæ Ecclesiæ tradidit pro remedio animæ suæ, suorumque parentum, videlicet ecclesiam S. Petri Bisulduno cum omnibus ecclesiis, et prædiis, et villis, et dominicaturis ab eo datis, seu ab aliquibus fidelibus in futurum concessis, adipisci potuerit, nostro in hoc præsenti privilegio in perpetuum confirmamus et in omni libertate disponimus: statuentes etiam ut ordo monasterii, qui secundum Deum et regulam B. Benedicti ab eodem episcopo instuitus esse dignoscitur, semper inviolabiliter sub regimine proprio abbatis observetur. Præterea quæcunque bona idem monasterium in futurum donatione et pontificum concessione, regum vel principium oblatione multorumque fidelium, dante Deo, poterit

(7) Fundationis chartam monasterii Bisuldunensis a Mirone episcopo Gerundensi, et comite Bisuldunensi, atque a fratribus ipsius Olibano et Seniofrido comitibus habes in Marcæ Hispanicæ appendice pag. 919. Martene.

dum emissa præceptione, inclinati precibus vestris A per hujus privilegii seriem prædicti episcopi B. Petri apostoli concedimus, in suo permaneat statu, et vos sine dubio procurantes ad præsenti sexta indictione atque in perpetuum a vobis vestrisque successoribus cum sibi omnibus integrum subjacentibus disponatur atque cum Dei timore regatur, ut vestro conjunctum subsistat episcopio. Vos autem in eodem venerabili episcopio Domino Deo nostro laudes exsolvere debeatis, nullam rationem exinde vel ei pertinentibus, nisi soli Deo ac nostra auctoritate solvendo statuimus; fabricam etiam seu luminariorum concinnationes indifferenter vos sine dubio procurantes afficiamini. Nulla proinde in exolvendis Dei laudibus et in luminariis concinnandis mora proveniat, sed devota sinceritate peragere festinate, B nec per incautæ desidiæ culpam judicii vos futuri metus concutiat, potius laborare studete, ut divina placita vestro conatu clementia possit permanere, hoc quod a nobis justa deliberatione decretum est, futuris inconvulse perpetuisque temporibus. Si quis autem, quod non optamus nefario ausu præsumpserit hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti episcopii statuta sunt refragari, aut in quoque transgredi, sciat se anathematis vinculo innodatum; et a diabolo et ejus atrocissimis pompis atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterni incendii supplicio concremandum deputamus. At vero qui pio instituto observator et omnibus exstiterit custodiens hujus nostri apostolici constituti ad cultum Dei respicientibus, benedictionis gratiam a misericordiosissimo Domino Dei nostro C multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Scriptum per manus Joannis notarii regionarii atque scriniarii S. Rom. Ecclesiæ, in mense Martio indictione VI. Bene valete. Data V Kal. Martias per manus Gregorii episcopi et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno, Deo propitio, pontificatus domni Benedicti summi pontificis et universalis septimi papæ in sacratissima sede B. Petri apostoli, quarto, in mense et indictione suprascripta VI.

XII.

BENEDICTI PAPÆ VII PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA AUSONENSI.

(Anno 978.)

(Florez. ubi supra, p. 102.)

D Notum esse volumus omnibus majoribus et minoribus totius provinciæ Ausoniæ et Barkinoniæ, atque Gerundense, sive Urgelitense, vel quicunque huic provinciæ constuti esse cernuntur de hunc episcopum Froya nomine, quia venit ad limina apostolorum et sedis nostræ accessit ante nostram præsentiam, ostendit nobis omnibus suis scripturis, quas seriem acquisivit sui episcopatui, et omnibus qui sibi subjecti esse noscuntur. Ita privilegium nobis postulavit, quod et nos libenti animo ei confirmavimus, sicut in ipso privilegio reperitur. Quapropter rogamus, et nostra apostolica auctoritate præcipimus, ut nullus homo, excepto Borelli comite suo solo corpore, et uxori suæ Ledgardis, et legitimo filio ejus Raimundo, si præsumpserit aliquam invasionem, vel contra prædictum episcopum calcaneum erexerit, cujuscunque ordinis vel sexus, sive clericus sive laicus, sive excommunicatus.

XIII.

BENEDICTI PAPÆ VII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO CLUNIACENSI.

(Anno 978.)

Maiolo Cluniacensi abbati donat insulam Lerinensem cum monasterio Arluco,

(D. Bouquet, *Recueil* IX, 245.)

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei dilectissimo in Christo filio MAIOLO charissimo abbati Cluniacensis monasterii, ejusque successoribus in perpetuum.

Quia monasterium Cluniacense, quod tu Deo propitio regulariter regis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ novimus esse commissum ad defendendum et dilatandum, idcirco benevoli et benefici erga eumdem locum debemus existere. Quapropter notum sit omnibus quia petisti a nobis ut jam dicto tuo monasterio insulam Lerinensem cum Arluco (6) monasterio, et omnibus pertinentibus ad eadem loca, nostræ auctoritatis privilegio concederemus; siquidem, ut ex decretis beati Gregorii papæ didicimus, eadem insula in jure ac subjectione sanctæ sedis apostolicæ consistit. Petitionibus tuis igitur faventes et assensum præbentes, sub omni integritate donamus tibi atque successoribus tuis eamdem insulam et idem monasterium Arlucum cum omnibus sibi pertinentibus. De quibus si quis te vel successores tuos injuste pulsaverit, gladio excommunicationis noverit se feriendum. Volumus autem ut annuatim ad sepulcrum beati Petri quinque solidos argenteos exinde persolvas. Ut hæc nostra auctoritas vigorem et soliditatem in perpetuum obtineat, sigillo nostro signavimus, et manu nostra firmavimus.

Scriptum per manum Stephani notarii regionarii atque scriniarii S. Romanæ Ecclesiæ in mense Maio, indict. VI. Bene valete.

Datum X Kal. Junii per manum Joannis episcopi Salernitanæ Ecclesiæ, anno IV pontificatus domni nostri Benedictæ papæ VII, imperante domno nostro Ottone a Deo coronato magno et pacifico imperatore anno XI, in mense Maio, indict. VI.

(6) Situm erat hoc monasterium, quod puellarum fuit, in colle peramœno fere ad littus maris, et ad ripam fluvii Siagnæ, in quo olim erat, ut tradunt, ara in luco Veneri sacra, a quo *Ara luci* nomen accepit.

XIV.

BENEDICTI PAPÆ VII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO SANCTI PETRI RODENSI.

(Anno 979.)

(D. Bouquet, *ibid.*, p. 246.)

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, HILDESINDO episcopo et omnibus monachis in monasterio sancti Petri Rodensis degentibus, salutem et pacem et apostolicam benedictionem.

Quoniam gratissimum satisque condignum judicamus famulantibus famulitium impendere, atque donantibus præmia largiri, idcirco quia monasterium sancti Petri Rodensis, quod jure hæreditario possidendum accepistis, nunc autem sub jure et dominatione almi principis apostolorum Petri et nostræ venerabilis Romanæ sedis perpetuo habiturum, et vobis conspicimus esse traditum, quocirca versa vice auctoritate apostolica concedimus et confirmamus tibi tuisque successoribus in perpetuum cœnobium sancti Petri apostoli Rodensis, cum omnibus suis adjacentiis et pertinentiis et terminis suis, in tali ratione, ut sub tuitione beati Petri apostoli et nostra consistat in perpetuum. Concedimus insuper et absque ulla reservatione donamus eidem monasterio omnia prædia vel alodia quæ danda sunt vel data ab hodierno die et deinceps a fidelibus viris vestræ regionis beato Petro apostolo nostræ urbis Romanæ sedis, ut in jure et dominatione persistant cœnobii Rodensis in perpetuum habenda, ab urbe Narbona usque in finibus Hispaniæ. Notum ergo nunc sit omnibus hominibus regionis vestræ, quod sub tuitione et regimine beati Petri apostoli et nostra gubernatione vel defensione ille locus consistat. Idcirco omnes fideles vestræ regionis sub testimonio Christi admonemus ut omnia, quæ ad præfatum locum pertinent, ad utilitatem monasterii et habitantium in eo restituant, et in vice beati Petri apostoli Romæ summa cum diligentia illum locum venerentur et diligant. Et si quis causa orationis ad nostram sedem apostolicam pervenire non poterit, summo studio illum locum venerari concedimus ei. Si quis autem vel ex prædiis vel alodis loci illius, vel omnia quæ ad jam dictum locum pertinent occultaverit vel tenuerit sine consensu fratrum, aut scierit quod aliquis absconse teneat, sub testimonio Christi ex apostolica auctoritate commonemus ut ab hodierno die non teneant injuste, nec abscondant, sed reddere et manifestare præscripto monasterio festinent. Et reddita vel manifesta jure perpetuo una cum illis quæ per hanc nostram apostolicam sanctionem et per alia *divalia* (*sic*) decreta statuimus atque decrevimus, usque in finem mundi illibata et inconcussa permanenda decernimus.

Si quis autem, quod non credimus, hujus concessionis vel donationis temerator aut contemptor exstiterit, æternis condemnationibus subjaceat inno[illegible] Dei Petrum et Paulum principes apostolorum sibi in præsenti et futura vita sentiat contrarios; atque in inferno inferiori concrematus cum diabolo et omnibus deficiat impiis. Hujus vero apostolicalis decreti nostri paginam propriis manibus roborantes, in manus Hildesindi episcopi atque abbatis ipsius loci et fratrum cum illo commorantium tradimus, annuente Christo Jesu Domino nostro, perenniter atque fideliter possidendam. Qui ergo nostræ concessionis vel donationis adjutor atque defensor exstiterit, apostolicam benedictionem et peccatorum absolutionem ab ipso clavigero summo se obtinere sciat.

Scriptum per manus Stephani notarii atque scriniarii in sede beati Petri apostoli Romæ, anno Incarnationis Domini 979, indictione VII, in mense Aprili.

XV.

PRIVILEGIUM BENEDICTI PAPÆ VII PRO MONASTERIO BISULDUNENSI.

(Anno 979.)

Monasterium sub sua protectione suscipit, ejus possessiones confirmat, aliaque ei concedit privilegia.

(Mansi, *Conc.* XIX, 71.)

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis GAUSBERTO abbati monasterii Bisulduno, quod est situm infra castrum Bisulduni, ad flumen Fluviani, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, salus, pax et benedictio, quod ad mundum permaneat. Amen.

Cum constet Dominum Deum nostrum honorem sanctæ universalis Ecclesiæ incessanter a propagantibus beatæ fidei augmentare, necesse est accipientibus ab illo totius curæ regiminis: et idcirco ego Benedictus papa cum cœtu episcoporum presbyterorumque, cum omni caterva clericorum in Romana sede degentium, sub norma beatissimi Petri Deo militantium, in nostra protectione suscipimus (*deest aliquid*), et præsentis scripti privilegio roboramus illud donum, quod dilectus filius noster (7) Miro episcopus Gerundensis per paginam donationis Romanæ Ecclesiæ tradidit pro remedio animæ suæ, suorumque parentum, videlicet ecclesiam S. Petri Bisulduno cum omnibus ecclesiis, et prædiis, et villis, et dominicaturis ab eo datis, seu ab aliquibus fidelibus in futurum concessis, adipisci potuerit, nostro in hoc præsenti privilegio in perpetuum confirmamus et in omni libertate disponimus: statuentes etiam ut ordo monasterii, qui secundum Deum et regulam B. Benedicti ab eodem episcopo instuitus esse dignoscitur, semper inviolabiliter sub regimine proprio abbatis observetur. Præterea quæcunque bona idem monasterium in futurum donatione et pontificum concessione, regum vel principium oblatione multorumque fidelium, dante Deo, poterit

(7) Fundationis chartam monasterii Bisuldunensis a Mirone episcopo Gerundensi, et comite Bisuldunensi, atque a fratribus ipsius Olibano et Seniofrido comitibus habes in Marcæ Hispanicæ appendice pag. 919. MARTENE.

adipisci, a modo firma nobis sub tutela beati Petri et nostra illibata in sempiternum permaneant. Concedimus si quis de illis regionibus alodia vel aliqua oblatio mercedis sanctæ Romanæ Ecclesiæ relinquitur, præfatum monasterium per nostrum beneficium possideat in sempiternum, et abbas qui præest vel qui præfuerit in eodem monasterio, per singulos annos quinque solidos S. Petro Romæ persolvat in censum; et si minime annuatim venire non possunt, ad quartum annum viginti solidos persolvant. Statuimus etiam ut quando abbas ipsius monasterii obierit, neque a regibus, neque a comitibus, neque a quacunque persona ibidem abbas constituatur, sed a cunctis ibidem degentibus servis Dei juxta Patris Benedicti regulam eligantur abbates, qui a Romano pontifice vel a suo mandatore benedictionem suscipiant. Confirmamus igitur et stabilimus ut nullus archiepiscopus, nullus episcopus in ipsum monasterium sive suas ecclesias a prædicto episcopo datas, neque clericos in eis stantes, in eodem monasterio, neque abbatem, monachos et conversos suos audeat et præsumat sententiam excommunicationis inferre, vel a nullo possint interdici vel excommunicari, nisi a Romano pontifice.

Item etiam concedimus ut si quis causa orationis ad prædictum monasterium venerit, habeat licentiam introducendi et omne officium audiendi, nisi forte quis reatu suo proprio fuerit excommunicatus. Concedimus quoque ipsius loci abbati correctionem cunctorum suorum clericorum, ut nullus episcopus, nulla ecclesiastica vel laica persona dominationem ibi habeat; sed quidquid ecclesiasticum est per manum ipsius abbatis et sub regimine ipsius cuncto subsistant tempore. Oleum vero seu sanctum chrisma baptizantium, consecrationes altarium, a quocunque voluerit catholico episcopo suscipiat. Cœmeterium de omni villa Bisuldini et de omnibus circumstantibus villis, sicut a supradicto episcopo constitutum est, confirmamus et roboramus, etc.

Datum VIII Idus Maias, imperante domno nostro Ottone, a Deo coronato, magno et pacifico, anno XII, et indictione VII, anno Dominicæ incarnationis nongentesimo septuagesimo nono, æra MVII.

XVI.

BENEDICTI PAPÆ VII PRIVILEGIUM PRO ABBATIA S. RUFILLII FOROPOPULENSI.

(Anno 980.)

(Apud Ughelli, *Italia Sacra*, II, 599.)

(8) In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Anno, Dei propitio, pontificatus divi Benedicti summi pontificis, et universalis PP. in apostolica beati Petri apostoli Domini sede anno 5. Regnante sicque imperante divo Othone a Deo coronato pacifico magno imperatore, in Italia vero anno 13, die 22 Augusti indict. VIII. civitate Ravennæ:

Casum generis humani considerantes, æternarum supplicia flammarum metuentes, decrevimus æternas Domino deferre oblationes, et perpetualiter metuimus multari suppliciis. Ideo ego Benedictus catholicæ Ecclesiæ episcopus, imo cum consensu, et auctoritate cardinalium S. R. E. concedo, suppliciter offerto sanctæ et intemeratæ Ecclesiæ beati Ruphilli pontificis et confessoris Christi, sita extra murum Popilien., do, et concedo, et transfero, et perpetualiter transacto personaliter alienationis jura, et dominium divo Leoni humili abbati, et per eum monasterio S. Ruphilli in perpetuum, et quod habetur, et possidetur, et a meis majoribus detineri videtur... Capellam S. Athanasii, sex integros fundos, fundum Monendomum, fumum S. Athanasii, Lamam, Monsignanum, Laniagnam, Bratulam, et fundum circumdatum a quatuor viis, id est Spinariæ, et Pizaeitæ, et Casalbronorum casanistæ, et petræ Fictæ Gibanelli, cum campis, vineis, et terris, arbustis, arboribus, et constituto, etc..... repono in territorio Corniolen. et plebem S. Apsllinaris, et S. Prosperi, ita ut in prædictis monasterio, et omnibus rebus a me traditis sub defensione, et regimine S. Romanæ Ecclesiæ constituto. Deprecor, et hunc psalmum, *Deus in adjutorium meum intende, et Kyrie eleison* ter repetis pro me de cætero canatis. Pontifices autem ipsi aliud super te, tuosque successores, donationis, sive tributi aliquo modo indicere debeant, nisi hoc quod a nobis in ista chartula fuerunt designata, si quis autem contra, etc. Quam vero chartulam juvante Dei nutu ex genere consulis Taber. hujus civitatis Ravennæ subscribendam rogavimus, subscriptam manibus meis propriis... Ut qui a nobis obtulit roborandam nostrorumque præsentia, etiam tibi quoque supra contradidi sub die, mense, et indictione VIII, civitatis Ravennæ.

Ego Benedictus catholicæ Ecclesiæ episc. ss.

Ego Marcus presb. et card. S. Stephani ss.

Ego Johannes presb. et card. S. Crucis in Hierus. ss.

Ego Leo presb. et card. SS. Joannis, et Pauli ss.

Ego Julianus subdiac. et cancell. paginam donationis et transactionis subscr.

XVII.

CONCILIUM ROMANUM (9) A BENEDICTO PP. VII CONTRA SIMONIACOS HABITUM ANNO CHRISTI 981.

(Apud Mansi, *Conc.* XIX, col. 77.)

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei.

Notum esse volumus omnibus catholicis et orthodoxis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, regibus

(8) Bulla more Ravennate conscripta licet a cæterarum pontificiarum litterarum forma abhorreat, tamen commentitiam eam non judicaverim. JAFFE.

(9) Hoc tempore habitam fuisse Romæ synodum, in qua inter alia agitata sit causa Giseleri Magdeburgensis episcopi, testatur Ditmarus lib. III, Chron. Quod ait Giselerum malis artibus ab imperatore eam sedem obtinuisse, fidem nullam meretur; cum Adam probatæ fidei antiquus chronographus, libro II, cap. 14, Giselerum virum sanctum et Winulorum apostolum nominet. Vide Baronium anno 983.

et principibus, ducibusque et comitibus, vel universis in toto orbe terrarum Christo famulantibus, qualiter synodum aggregatum est in ecclesa beati Petri apostolorum principis, ante sacratissimum ejus corpus, una cum domno Ottone serenissimo imperatore augusto, spirituali filio nostro, cum nostris suffraganeis, archiepiscopis et episcopis, presbyteris, et diaconibus, vel cuncto clero sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Et ibidem perlecta sunt capitula de sacris canonibus, qualiter liceret episcopo de sacris id est *ecclesiasticis* ordinibus aliquod præmium accipere. Et auxiliante Deo, et annuente ipso apostolorum principe beatissimo Petro, in eodem loco interdictum est primitus a nostro proprio ore, et postea a cunctis venerabilibus archiepiscopis et episcopis in eodem sacratissimo loco residentibus, quod ab ista hora in antea, ab ostiario usque ad sacerdotium, nullum pretium exinde accepturos esse, sicuti in decretis sanctorum Patrum continetur. (*Chalcedon.* can. 2.) « Si quis (episcopus per pecuniam fecerit ordinationem, et sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest vendi, ordinaveritque) per pecunias episcopum aut presbyterum, aut diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel quemquam qui subjectus est regulæ, pro suo turpissimi lucri commodo : is cui hoc attentanti probatum fuerit, proprii gradus periculo subjacebit. Et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat ; sed sit alienus a dignitate, vel sollicitudine, quam pecuniis quæsivit. Si quis vero mediator tam turpibus et nefandis datis vel acceptis exstiterit ; si quidem clericus fuerit, deponatur ; si vero laicus, aut monachus, anathematizetur. »

Item in eisdem decretis (can. apost. 30) : « Si per pecuniam hanc obtineat dignitatem, dejiciatur et ipse, et ordinator ejus, et a communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus a Petro. »

Verum etiam propter illam pessimam emptionem Hierosolyma capta est ; quia ipsi sacerdotes iniqui, qui debuerant esse observatores legis et prædicatores, ipsi primi facti fuerant prævaricatores. Denique invenerant sibi quoddam ingeniolum, ut persuaderent filiis Israel de longinquo venientibus, ut victimas secum non deferrent, sed munera, offerentibusque sibi, non sicut præceptum erat a Domino, immolabant ; sed ad hoc sibi reservabant, ut aliis atque aliis venderent, et ad hoc sibi pretium muneris multiplicarent.

Nam idem Dominus et Salvator noster Jesus Christus, non per prophetas, neque per apostolos, aut per doctores aliquos, sed per se ipsum, *flagellum de funiculis fecit ; et ejecit omnes de templo, boves quoque et oves, et nummulariorum effudit æs, et mensas subvertit. Et his qui columbas vendebant, dixit : Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis* (*Joan.* II, 15, 16). Domus autem a Salomone ita condita fuerat, ut domus Dei vocaretur, essetque, sicut ipse sapientissimus rex. Sed domus negotiationis facta est, quando in ea boves, et oves, et columbæ vendebantur.

Unde nos, charissimi fratres, et dilectissimi filii, sollicite vigilare oportet, qui pastoralem curam in nostris ovibus exercendam suscepimus, ne eas lupinis dentibus lacerandas tradamus ; et ad ultimum nosmetipsi, qui pastores vocamur, in die tremendi examinis apud pium et benignum judicem lupi rapaces inveniamur. Pro quibus vestram sanctam fraternitatem rogando, obsecrando, monendo, et arguendo mandamus, ut omni occasione postposita, diligenti studio, et sollicitudine maxima, ea quæ vobis agenda transmisimus, implere studeatis. Nam si quislibet presbyterorum, aut diaconorum, gratis donum Spiritus sancti ab archiepiscopo, sive a metropolitano suo accipere non potuerit, studeat venire ad sanctam matrem Romanam Ecclesiam catholicam, atque apostolicam, et in eadem episcopalem benedictionem accipiat sine omni simoniaca hæresi.

(S. GREGORIUS, lib. IV, ep. 44.) « Is autem qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, aut petitus, post acceptas chartas et pallium, offerre aliquid cuilibet ex clero gratiæ tantummodo causa voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus ; quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit. »

Quicunque de sanctis ordinibus hanc nostram viderit epistolam, et verba vel exempla sanctorum Patrum non observaverit, sciat se non esse connumeratum inter discipulos Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi ; sed damnatum inter impios et inter eos *qui dixerunt Domino Deo : Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus* (*Job* XXI, 14).

Hic vero qui legitime illam custodierint, et pio intuitu observaverint, recipiant partem cum Abram, Isaac et Jacob, in regno cælorum, una cum eodem Domino et Salvatore nostro Jesu Christo, qui nunc et semper vivit et regnat Deus in cuncta sæcula sæculorum.

Hanc itaque nostram epistolam jubemus atque præcipimus, ut per manum charissimi confratris nostri Mironis episcopi, cunctis aliis archiepiscopis et episcopis deportetur, ut idem ipse per suum laborem et certamen, dignam exinde mercedem recipiat, et fructum afferat in pœnitentia (*Forte* in patientia, HARD.).

XVIII.

BULLA BENEDICTI PAPÆ VII PRO MONASTERIO S. WALARICI.

(Anno 981.)

(Apud Mabill. *Annal. ord. Bened.* IV, 685.)

BENEDICTUS servus servorum Dei, dilectissimo nostro filio RESTOLDO religioso abbati, vel omni congregationi in monasterio sancti Walarici, quam Hugo gloriosissimus comes, nosterque spiritualis filius, in regula beati Benedicti noviter congregavit, vestrisque successoribus in perpetuum.

Cum magna nobis sollicitudine insistit cura pro universis Dei Ecclesiis ac piis locis, vigilandum ne aliquam necessitatis jacturam sustineant, sed magis propriæ utilitatis stipendia consequantur. Igitur quia per interventum Hugonis gloriosi comitis rationabiliter postulastis a nobis, quatenus pro suo magno amore atque dilectione confirmaremus vobis prædictum monasterium sancti Walarici cum omnibus rebus mobilibus, cumque et immobilibus, quibus a præfato Hugone gloriosissimo comite concessa esse noscuntur, vel a cæteris Christianis in perpetuum concessa atque largita esse videntur, vel cum omnibus ad ipsum monasterium generaliter et nunc pertinentibus sicuti est. Igitur privilegiis sedis apostolicæ infulis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ Ecclesiæ matris permanendum, nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittendum. Pro qua re piis desideriis faventes, nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotum in præfato monasterio ditionem, quamlibet habere auctoritatem præter sedem apostolicam prohibemus, ita ut nisi ab abbate ipsius monasterii fuerit invitatus, nec missarum solemnia ibidem quispiam præsumat celebrare omni modo, nec licentia sit, ut dictum est, ex ejus vel omnibus eidem monasterio sancti Walarici pertinentibus, situm in comitatu Witmau cuiquam magnæ personæ, parvæque auferre. Ut profecto juxta id quod subjectos idem ut in monasterio apostolici constituti atque privilegii consistit, inconcusse dotandum permaneat. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc, quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii, statuta sunt, refragare, aut in quoquam transgredi tentaverit, reum se, et atri anathematis vinculo innodatum esse, et diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterni incendii supplicio concremandum deputamus a Domino. Qui vero pio intuitu custos et observator exstiterit, benedictionis gratiam a misericordissimo Deo nostro consequi mereatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur. Scriptum per manus Bonizzonis notarii regionarii et scriptoris sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprili, indictione IX. Bene valete.

Datum I Kalend. Aprilis per manum Stephani episcopi et bibliothecarii S. R. E. anno pontificatus domini Benedicti sanctissimi VII. papæ in sede beati Petri apostoli VII, imperante domno Ottone a Deo coronato magno imperatore, anno XIII, in mense et indictione nona feliciter. Amen.

XIX.

BENEDICTI PAPÆ VII EPISTOLA AD LIUDOLPHUM ABBATEM CORBEIENSEM.

(Anno 981).

Corbeiensis monasterii jura confirmat et pontificalia ornamenta abbati concedit.

(Apud Mansi, *Conc.* tom. XIX, col. 55.)

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, LIUDOLPHO, religioso abbati sanctæ Corbeiensis ecclesiæ, nostroque dilectissimo filio suisque successoribus in perpetuum.

Cum summæ apostolicæ dignitatis apex in hoc divini profectus nitore dignoscitur præfulgere, cum in exercendis Dei laudibus sui impensius studuit laboris exhibere certamen; ob hoc debita nos ejusdem apostolicæ pastoralis compulit sollicitudinis cura, quidquid ad stabilitatem piorum pertinere dignoscitur locorum ubertim promulgari, et apostolicæ institutionis censura confirmari. Igitur quia postulasti a nobis quatenus monasterium SS. martyrum, protomartyris Stephani atque Viti martyris in loco qui dicitur Corbeia, privilegiis sedis apostolicæ et infulis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ sedis, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur: pro qua re piis desideriis faventes hac nostra auctoritate, id quod postulas effectui mancipamus, et omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem, in præfato monasterio ditionem quamlibet babere et auctoritatem, præter sedem apostolicam prohibemus: ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnia quisquam præsumat celebrare, omnimodo statuentes, apostolica censura sub divini judicii obtestatione, et validis atque atrocioribus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam præsumat, quacunque dignitate sit præditus vel potestate, vel etiam quæcunque magna parvaque persona in eodem monasterio vel ejus causis incumbere, aut de rebus et possessionibus, vel quiquid ad illud monasterium pertinere videtur, quoquo modo auferre vel alienare; promulgantes nempe, et hoc auctoritate beati Petri apostolorum principis, coram Deo et terribili ejus futuro examine per hoc nostrum apostolicum privilegium atque constitutum sancimus atque decernimus, ut loca quæ ab abbate quolibet in eodem monasterio commutata vel etiam concessa sunt, nec non et aliæ laicorum possessiones, quæ a regibus, vel ducibus, et a cæteris Christianis ad eumdem sanctum locum largitæ atque oblatæ sunt, aut in posterum illi concessæ fuerint firma stabilitate prædicti monasterii existenda, atque in perpetuum statuimus permanenda. Concedimus etiam et confirmamus apostolica auctoritate ut de alio monasterio abbas ibi non constiuatur, sed ipsi servi Dei secundum regulam beati Benedicti viventes, etiam ex sua propria congregatione potestatem eligendi abbatem habeant. Insuper etiam concedimus ut in præcipuis festivitatibus, id est in Natali Domini, atque in Epiphania, et purificatione sanctæ Mariæ, die Resurrectionis, et Ascensionis, Pentecoste, et festivitate S. Joannis Baptistæ, in natalitiis apostolorum, in festivitatibus S. Mariæ et sanctorum, quorum meritis jam dictum monasterium dedicatum est, abbas ipsius loci intra missarum solemnia dalmatica et sandaliis utatur. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit his quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii statuta

sunt, refragari aut in quoquam transgredi, sciat se anathematis vinculo innodatum; et diabolo et ejus atrocissimis pœnis, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æternis incendiis et supplicio concremandum deputatum a Domino. Qui vero pio intuitu et in omnibus exstiterit custoditor hujus nostri apostolici constituti, et cultum Dei respicientis, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Scriptum per manum Joannis notarii nostri et sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, nonis Aprilis, indictione IX. Datum per manum Stephani episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Domino propitio, pontificatus domini nostri Benedicti summi pontificis et universalis Ecclesiæ papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli septimo, imperante domino nostro Ottone coronato, anno imperii ejus XII, quarto nonas Aprilis.

XX

BENEDICTI PAPÆ VII EPISTOLA AD EPISCOPOS GALLIÆ ET GERMANIÆ.

(Anno 981.)

Omnibus episcopis Galliæ Germaniæque in synodis quid actum sit significat. Privilegia Ecclesiæ Magdeburgensis confirmat et auget. Addit hæc : « Hoc autem præsens privilegium per nostri secretarii legatos episcopis Galliæ et Germaniæ dirigimus confirmandum.

(Boysen, *Allg. hist. Mag.*, I, 194.)

Concessæ nobis, etc. *Reliqua vide apud laudatum collectorem.*

XXI.

BENEDICTI VII PAPÆ PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA PARISIENSI.

(Anno 980-982.)

[*Gall. Christ.* tom. VII, instrum. p. 20.]

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, sanctæ humanæ sedis apostolicus, omnibus coepiscopis et omnibus principibus in parte Galliarum residentibus, perpetuam in Domino salutem.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impertiri assensum; siquidem etenim potissimum lucri præmium apud conditorem omnium Deum, quando venerabilia loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Noscat igitur vestræ excellentiæ laudabilis mansuetudo, quod Elysiardus Parisiensis sedis episcopus adiens limina beatorum apostolorum Petri et Pauli Romæ, instantia, ostendens regalia præcepta, quæ pro remedio animarum suarum, necnon et antecessorum nostrorum privilegia ecclesiæ beatæ Dei genitricis et virginis Mariæ, et sancti protomartyris Stephani præfati loci, firma conscriptione tradiderunt. Hac autem ratione commotus supplici devotione deprecatus est nobis, quatenus apostolica auctoritate ei reconfirmaremus prædictas conscriptiones et episcopatum præfate sedis, cum omnibus pertinentiis vel adjacentiis suis, videlicet abbatiam sancti Eligii, abbat. sancti Germani Rotundi, abbat, sancti Marcelli, abbat. sancti Clodoaldi atque sancti Martini, abbat. sancti Petri quæ dicitur Respacis, abbat. sancti Saturnini de Canrosa, abbat. sancti Petri quæ dicitur Nigella, abbat. sancti Martini quæ est in Campellis, abbat. sancti Petri quæ dicitur Caziacus super Matrona, cum omnibus adjacentis earum, et quidquid tam in præsens quam in futurum præfata ecclesia possidenda est. Simili modo de stipendiis fratrum ipsius loci, scilicet Spedonam potestatem cum ecclesia, ac villulam nomine Macerias, cum omnibus inibi juste legaliterque aspicientibus, quam idem prælibatus præsul Elysiardus, amore Dei ductus, tam a suo, quam a successorum suorum dominio auferens, in fratrum sanctæ Mariæ præfatæ sedis delegavit usus. Undresiacum cum ecclesia et altare omnique integritate et suis adjacentiis. Aureliacum cum ecclesia et altare suisque appenditiis; Civiliacum, Lajacum cum ecclesia et altare omnibusque inibi adjacentibus; Castenedum cum ecclesia et altare suisque appenditiis, Baniolum cum ecclesia et altare et suis adjacentiis; Sulciacum cum ecclesia et altare cum omnibus ad usus fratrum pertinentibus, Christoilum cum ecclesia et altare vel quidquid inibi ad prædictorum pertinet stipendia. Hæc enim septem altaria præfatæ sedi attinentia memoratus præsul, ex proprio dominio sine sua suorumque successorum venditione, nullo contradicente, stipendiis perpetualiter ipsorum attribuit fratrum; Eleriacum, Steovillam, Rozetum, Cellas et Vernon, Machelum et Samesium, Mintriacum, Mauriacum cum ecclesiis et universis ad se pertinentibus; Viriacum cum omnibus quæ videntur ad prædictorum usus fratrum aspicere, sed et medietatem nonæ ac decimæ, quæ de rebus ipsius ecclesiæ abstractæ fuerant, ab iis qui eis utuntur, accipi solent. Fontenetum cum ecclesia, Vilcenam cum omnibus inibi adjacentiis, ob firmitatem tamen religionis petiit supra taxatus Elysiardus episcopus, ut et claustrum ipsius congregationis jure perpetuo confirmaremus, quo absque ullius inquietudine tam ipsius loci episcopi,, quam aliarum personarum securi viverent, et unusquisque canonicus suam propriam domum, cum omni supellectili dare vel vendere valeat cuicumque canonico voluerit ex ipsa congregatione, nullique alio, velut constitutum est a priscis temporibus. Nos vero inspectis piissimorum Augustorum, et paternis præceptionibus, libuit nobis petitionibus ejusdem episcopi assensum præbere, ut sub jure et patrocinio sanctæ Romanæ et apostolicæ sanctæ matris Ecclesiæ omnia firma atque inviolata jugiter maneant, præcipientes apostolica auctoritate jam dictis canonicis eligentes ex semetipsis per communem omnium assensum præpositos et decanos, qui eorum prævideant villas, et debita stipendia eis administrent fideliter. Eo namque ordine præcipimus, ut nullus episcoporum per successiones subtrahere, minere, aut ad

Cum magna nobis sollicitudine insistit cura pro universis Dei Ecclesiis ac piis locis, vigilandum ne aliquam necessitatis jacturam sustineant, sed magis propriæ utilitatis stipendia consequantur. Igitur quia per interventum Hugonis gloriosi comitis rationabiliter postulastis a nobis, quatenus pro suo magno amore atque dilectione confirmaremus vobis prædictum monasterium sancti Walarici cum omnibus rebus mobilibus, cumque et immobilibus, quibus a præfato Hugone gloriosissimo comite concessa esse noscuntur, vel a cæteris Christianis in perpetuum concessa atque largita esse videntur, vel cum omnibus ad ipsum monasterium generaliter et nunc pertinentibus sicuti est. Igitur privilegiis sedis apostolicæ infulis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ Ecclesiæ matris permanendum, nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittendum. Pro qua re piis desideriis faventes, nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotum in præfato monasterio ditionem, quamlibet habere auctoritatem præter sedem apostolicam prohibemus, ita ut nisi ab abbate ipsius monasterii fuerit invitatus, nec missarum solemnia ibidem quispiam præsumat celebrare omni modo, nec licentia sit, ut dictum est, ex ejus vel omnibus eidem monasterio sancti Walarici pertinentibus, situm in comitatu Witmau cuiquam magnæ personæ, parvæque auferre. Ut profecto juxta id quod subjectos idem ut in monasterio apostolici constituti atque privilegii consistit, inconcusse dotandum permaneat. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc, quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii, statuta sunt, refragare, aut in quoquam transgredi tentaverit, reum se, et atri anathematis vinculo innodatum esse, et diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterni incendii supplicio concremandum deputamus a Domino. Qui vero pio intuitu custos et observator exstiterit, benedictionis gratiam a misericordissimo Deo nostro consequi mereatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur. Scriptum per manus Bonizzonis notarii regionarii et scriptoris sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprili, indictione IX. Bene valete.

Datum I Kalend. Aprilis per manum Stephani episcopi et bibliothecarii S. R. E. anno pontificatus domini Benedicti sanctissimi VII. papæ in sede beati Petri apostoli VII, imperante domno Ottone a Deo coronato magno imperatore, anno XIII, in mense et indictione nona feliciter. Amen.

XIX.

BENEDICTI PAPÆ VII EPISTOLA AD LIUDOLPHUM ABBATEM CORBEIENSEM.

(Anno 981).

Corbeiensis monasterii jura confirmat et pontificalia ornamenta abbati concedit.

(Apud Mansi, *Conc.* tom. XIX, col. 55.)

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, LIUDOLPHO, religioso abbati sanctæ Corbeiensis ecclesiæ, nostroque dilectissimo filio suisque successoribus in perpetuum.

Cum summæ apostolicæ dignitatis apex in hoc divini profectus nitore dignoscitur præfulgere, cum in exercendis Dei laudibus sui impensius studuit laboris exhibere certamen; ob hoc debita nos ejusdem apostolicæ pastoralis compulit sollicitudinis cura, quidquid ad stabilitatem piorum pertinere dignoscitur locorum ubertim promulgari, et apostolicæ institutionis censura confirmari. Igitur quia postulasti a nobis quatenus monasterium SS. martyrum, protomartyris Stephani atque Viti martyris in loco qui dicitur Corbeia, privilegiis sedis apostolicæ et infulis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ sedis, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur: pro qua re piis desideriis faventes hac nostra auctoritate, id quod postulas effectui mancipamus, et omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem, in præfato monasterio ditionem quamlibet babere et auctoritatem, præter sedem apostolicam prohibemus: ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnia quisquam præsumat celebrare, omnimodo statuentes, apostolica censura sub divini judicii obtestatione, et validis atque atrocioribus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam præsumat, quacunque dignitate sit præditus vel potestate, vel etiam quæcunque magna parvaque persona in eodem monasterio vel ejus causis incumbere, aut de rebus et possessionibus, vel quiquid ad illud monasterium pertinere videtur, quoquo modo auferre vel alienare; promulgantes nempe, et hoc auctoritate beati Petri apostolorum principis, coram Deo et terribili ejus futuro examine per hoc nostrum apostolicum privilegium atque constitutum sancimus atque decernimus, ut loca quæ ab abbate quolibet in eodem monasterio commutata vel etiam concessa sunt, nec non et aliæ laicorum possessiones, quæ a regibus, vel ducibus, et a cæteris Christianis ad eumdem sanctum locum largitæ atque oblatæ sunt, aut in posterum illi concessæ fuerint firma stabilitate prædicti monasterii existenda, atque in perpetuum statuimus permanenda. Concedimus etiam et confirmamus apostolica auctoritate ut de alio monasterio abbas ibi non constiuatur, sed ipsi servi Dei secundum regulam beati Benedicti viventes, etiam ex sua propria congregatione potestatem eligendi abbatem habeant. Insuper etiam concedimus ut in præcipuis festivitatibus, id est in Natali Domini, atque in Epiphania, et purificatione sanctæ Mariæ, die Resurrectionis, et Ascensionis, Pentecoste, et festivitate S. Joannis Baptistæ, in natalitiis apostolorum, in festivitatibus S. Mariæ et sanctorum, quorum meritis jam dictum monasterium dedicatum est, abbas ipsius loci intra missarum solemnia dalmatica et sandaliis utatur. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit his quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii statuta

sunt, refragari aut in quoquam transgredi, sciat se anathematis vinculo innodatum; et diabolo et ejus atrocissimis pœnis, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æternis incendiis et supplicio concremandum deputatum a Domino. Qui vero pio intuitu et in omnibus exstiterit custoditor hujus nostri apostolici constituti, ad cultum Dei respiciendis, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Scriptum per manum Joannis notarii nostri et sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, nonis Aprilis, indictione IX. Datum per manum Stephani episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Domino propitio, pontificatus domini nostri Benedicti summi pontificis et universalis Ecclesiæ papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli septimo, imperante domino nostro Ottone coronato, anno imperii ejus XII, quarto nonas Aprilis.

XX

BENEDICTI PAPÆ VII EPISTOLA AD EPISCOPOS GALLIÆ ET GERMANIÆ.

(Anno 981.)

Omnibus episcopis Galliæ Germaniæque in synodis quid actum sit significat. Privilegia Ecclesiæ Magdeburgensis confirmat et auget. Addit hæc :« Hoc autem præsens privilegium per nostri secretarii legatos episcopis Galliæ et Germaniæ dirigimus confirmandum.

(Boysen, *Allg. hist. Mag.*, I, 194.)

Concessæ nobis, etc. *Reliqua vide apud laudatum collectorem.*

XXI.

BENEDICTI VII PAPÆ PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA PARISIENSI.

(Anno 980-982.)

[*Gall. Christ.* tom. VII, instrum. p. 20.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, sanctæ humanæ sedis apostolicus, omnibus coepiscopis et omnibus principibus in parte Galliarum residentibus, perpetuam in Domino salutem.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impertiri assensum; siquidem etenim potissimum lucri præmium apud conditorem omnium Deum, quando venerabilia loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Noscat igitur vestræ excellentiæ laudabilis mansuetudo, quod Elysiardus Parisiensis sedis episcopus adiens limina beatorum apostolorum Petri et Pauli Romæ, instantia, ostendens regalia præcepta, quæ pro remedio animarum suarum, necnon et antecessorum nostrorum privilegia ecclesiæ beatæ Dei genitricis et virginis Mariæ, et sancti protomartyris Stephani præfati loci, firma conscriptione tradiderunt. Hac autem ratione commotus supplici devotione deprecatus est nobis, quatenus apostolica auctoritate ei reconfirmaremus prædictas conscriptiones et episcopatum præfate sedis, cum omnibus pertinentiis vel adjacentiis suis, videlicet abbatiam sancti Eligii, abbat. sancti Germani Rotundi, abbat, sancti Marcelli, abbat. sancti Clodoaldi atque sancti Martini, abbat. sancti Petri quæ dicitur Resbacis, abbat. sancti Saturnini de Canrosa, abbat. sancti Petri quæ dicitur Nigella, abbat. sancti Martini quæ est in Campellis, abbat. sancti Petri quæ dicitur Caziacus super Matronam, cum omnibus adjacentis earum, et quidquid tam in præsens quam in futurum præfata ecclesia possidenda est. Simili modo de stipendiis fratrum ipsius loci, scilicet Spedonam potestatem cum ecclesia, ac villulam nomine Macerias, cum omnibus inibi juste legaliterque aspicientibus, quam idem prælibatus præsul Elysiardus, amore Dei ductus, tam a suo, quam a successorum suorum dominio auferens, in fratrum sanctæ Mariæ præfatæ sedis delegavit usus. Undresiacum cum ecclesia et altare omnique integritate et suis adjacentiis. Aureliacum cum ecclesia et altare suisque appenditiis; Civiliacum, Lajacum cum ecclesia et altare omnibusque inibi adjacentibus; Castenedum cum ecclesia et altare suisque appenditiis, Baniolum cum ecclesia et altare et suis adjacentiis; Sulciacum cum ecclesia et altare cum omnibus ad usus fratrum pertinentibus, Christoilum cum ecclesia et altare vel quidquid inibi ad prædictorum pertinet stipendia. Hæc enim septem altaria præfatæ sedi attinentia memoratus præsul, ex proprio dominio sine sua suorumque successorum venditione, nullo contradicente, stipendiis perpetualiter ipsorum attribuit fratrum; Eleriacum, Steovillam, Rozetum, Cellas et Vernon, Machelum et Samesium, Mintriacum, Mauriacum cum ecclesiis et universis ad se pertinentibus; Viriacum cum omnibus quæ videntur ad prædictorum usus fratrum aspicere, sed et medietatem nonæ ac decimæ, quæ de rebus ipsius ecclesiæ abstractæ fuerant, ab iis qui eis utuntur, accipi solent. Fontenetum cum ecclesia, Vilcenam cum omnibus inibi adjacentiis, ob firmitatem tamen religionis petiit supra taxatus Elysiardus episcopus, ut et claustrum ipsius congregationis jure perpetuo confirmaremus, quo absque ullius inquietudine tam ipsius loci episcopi,, quam aliarum personarum securi viverent, et unusquisque canonicus suam propriam domum, cum omni supellectili dare vel vendere valeat cuicumque canonico voluerit ex ipsa congregatione, nullique alio, velut constitutum est a priscis temporibus. Nos vero inspectis piissimorum Augustorum, et paternis præceptionibus, libuit nobis petitionibus ejusdem episcopi assensum præbere, ut sub jure et patrocinio sanctæ Romanæ et apostolicæ sanctæ matris Ecclesiæ omnia firma atque inviolata jugiter maneant, præcipientes apostolica auctoritate jam dictis canonicis eligentes ex semetipsis per communem omnium assensum præpositos et decanos, qui et eorum prævideant villas, et debita stipendia eis administrent fideliter. Eo namque ordine præcipimus, ut nullus episcoporum per successiones subtrahere, minere, aut ad

usus suos retorquere, vel alicui in beneficium tribuere, neque ullum impedimentum ex prædictis rebus fratrum inferre, sed nec servitia ex eadem terra exactare, neque ullas in aliqua re exactiones inde exigere præsumant, si augere, eis placuerit, licitum habeant; distrahendi autem vel minuendi, ea quæ pro Dei amore statuta sunt, nec quidquam valeant; statuimus namque sub divini judicii intuitu, obtestatione et beatorem apostolorum Petri et Pauli, nostræque humilitatis jussione, ut nullus unquam ex imperantibus, regibus, marchionibus, ducibus, comitibus, principibus, vel ex omni judiciaria potestate accinctus, seu in quolibet ordine et ministerio constitutus, in supradictis episcopi vel canonicorum rebus, nec in ipsa insula ubi civitas Parisius videtur esse posita, et de regali via ex parte sancti Germani rotundi a sancto Mederico usque ad locum qui vulgo vocatur Tudella in ruga ejusdem sancti Germani, nec in aliis minoribus viis quæ tendunt ad eumdem monasterium, aliquam judicandi potestatem inibi exerceat, nec aliquem censum, neque teloneum, neque ripaticum, neque rotaticum, neque portaticum, neque bannum, freda nec ullas districtiones faciendas, nec ullas reparatas, nec foraticum, nec pulveraticam, nec ullas leges faciendas, nec de liberis hominibus albanisque ac colonibus in supradicta terra commanentibus, aliquem censum, vel aliquas reddibitiones accipere præsumat, nec quamlibet malitiam, nec jacturæ molestiam, ibidem sive pacis, sive belli tempore inferre conetur, dum profecto amodo usque in finem sæculi, ut prædictum est, summa stabilitate sub patrocinio et jurisdictione sanctæ Romanæ matris Ecclesiæ permanendum cunctæ decernimus. Si quis autem, qnod non optamus, hæc quæ a nobis ad honorificentiam sanctæ Dei genitricis Mariæ, et beati protomartyris Stephani, cæterorumque sanctorum qui ibi venerantur, pro ipsius stabilitate episcopatus statuta sunt, transgredi ausu nefario præsumpserit, sciat se anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et omnibus impiis æterni incendii atrocissimo supplicio deputatum. At vero qui pio intuitu custos et observator horum præceptorum exstiterit, omnimodæ benedictionis gratiam, omniumque peccatorum suorum absolutionem et indulgentiam, et cœlestis vitæ beatitudinem cum sanctis et electis a misericordissimo, Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum.

Bene Valete. Amen.

Data III Kal. Januarii per manum domini Stephani episcopi et bibliothecarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

XXII

BENEDICTI VII PAPÆ BULLA PRO MONASTERIO S. VINCENTII AD VULTURNUM.

(Anno 982.)

[Muratori *Rer. Ital. Script.* I, II, 464.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Joanni venerabili abbati ex monasterio Christi martyris Vincentii, et per se in eodem venerabili monasterio tuisque successoribus in perpetuum.

Cum magna nobis sollicitudine cura insistit pro universis Dei ecclesiis ac piis locis vigilandum, ne aliquam necessitatis jacturam sustineant, sed magis propria utilitate stipendia consequantur, ideo convenit nos pastoralis tota mentis integritate eorumdem venerabilium locorum maxime stabilitatis utilitatem procurare, etc. Igitur quia petistis a nobis quatenus monasterium beati Vincentii martyris situm supra fluvium Vulturnum territorio Beneventano, partibus Samniæ, una cum suis pertinentiis et monasterii, videlicet monasterium beati Petri apostoli positum juxta fluvium Sabbati, etc. Et ideo concedimus vobis vestrisque successoribus licentiam apostolicæ sedis nostræ ut quamlibet Christianitatem indigentibus in prædicto venerabili monasterio qualis episcopus vobis ad invitandum ire volueritis, habendi potestatem, etc. *qualiter legitur in cæteris bullis.*

Scriptum per manus Joannis scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Octobrio, die 9, indictione XI. Bene valete.

Datum VI Nonas Octobris per manus Stephani episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus domni nostri Benedicti summi pontificis et universalis septimi papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli, octavo, per indictione præfata XI.

XXIII

BENEDICTI PAPÆ VII BULLA PRO MONASTERIO S. HILARII CARCASSONENSI.

(Anno 982.)

[Mabill. *Annal. ord. Ben.* IV, 687.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei.

Notum sit omnibus Christianis, quia venerunt Rodgarius comes cum conjuge sua, nomine Adhalaice, simulque cum eis venit Benedictus abbas ad limina apostolorum beati Petri et Pauli ante nostram præsentiam, petieruntque ut confirmaremus eis per nostram apostolicam auctoritatem monasterium, quod est consecratum in honore sancti Saturnini, ubi beatus Hilarius humatus quiescit; ut non sit licitum ab hac hora inantea, neque comiti, neque vicecomiti, neque episcopis, neque ullæ magnæ parvæque personæ, homini neque feminæ, supradictum monasterium aliquid de suis rebus auferre vel alienare præsumat, quidquid modo habet, et inantea acquisiturum erit in perpetuum, sed semper sint in stipendia monachorum, et in eleemosynis pauperum ea, quæ concessa sunt vel donata in præfato monasterio a præfato Rodgario et sua conjuge, id est villa, quæ dicitur Corneliana, cum ecclesia sancti Petri, et ecclesias, quæ in vico Limoso et Gardia cum ecclesia sancti Petri, et Malchindus et Salsingus, et cætera loca, quæ a præfato monasterio pertinent, vel pertinere debent. Post vero obitum Benedicti abbatis, nemo ibidem abbatem constituat, nisi quem con-

sensu et communiori voluntate fratrum, qui ibidem Deo serviunt, vel inantea sunt servituri, elegerint. Hæc omnia, quæ suprascripta sunt, concedimus tibi Benedicto abbati, tuisque successoribus in perpetuum pro omnipotentis Dei amore et sancti Petri, nostræque animæ redemptione, item et pro amore Rodgarii comitis Carcassonæ et conjugis ipsius, necnon Raymundi dilecti filii mei, ut illorum sit merces in perpetuum. At vero qui custos et observator fuerit hujus nostri apostolici præcepti, et confirmatione Christiana benedictionem a Patre, et Filio, et Spiritu sancto, in omnibus consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur in sæcula sæculorum; et qui observare noluerit, anathematis vinculo sit innodatus, et a regno Dei alienus permaneat.

Scriptum per manum Stephani, notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Bene valete.

XXIV.

BENEDICTI PAPÆ VII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. SALVATORIS ET S. PETRI GEMBLACENSI.

(Anno 983.)

[Apud Mabill. *Acta SS.* Sæc. V, p. 300.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, religioso abbati venerabilis monasteri sancti Salvatoris Domini nostri Jesu Christi ac sancti Petri noviter ibi constituti, suisque successoribus in perpetuum.

Cum magna nobis sollicitudine insistit cura pro universis Dei ecclesiis ac piis locis invigilandi, ne aliqua necessitate jacturam sustineant, sed magis propriæ utilitatis stipendia consequantur. Ideo convenit nos tota pastoralis mentis integritate eorumdem venerabilium locorum maxime integritatem et stabilitatem procurare, et sedulo eorum utilitatibus subsidia illic conferre, ut Deo nostro omnipotenti id, quod pro ejus sancti nominis honore, etiam ad laudem atque gloriam ejus divinæ majestatis, venerabilibus nos certum est contulisse locis, sit acceptabile, nobisque ab ejus locupletissima misericordia digna hujusmodi pii operis in sidereis conferatur arcibus remuneratio. Igitur quia postulastis a nobis, quatenus pro Dei omnipotentis amore ac domini Ottonis præcellentissimi imperatoris, nostrique dilecti filii, concederemus atque confirmaremus vobis prædictum monasterium in honore sancti Salvatoris ac sancti Petri constructum, cum omnibus rebus mobilibus atque immobilibus, quæ sub eodem monasterio adjacere ac pertinere videntur, tam mansis quam etiam castris, villis atque casalibus, tam quæ præsentes sunt, quam quæ etiam usque in finem esse debebunt, positæ in loco, qui vocatur *Gimblaus*, concedimus atque confirmamus apostolica auctoritate, ut de alio monasterio abbas ibi non constituatur, sed ipsi servi Dei secundum regulam sancti Benedicti viventes, ex sua propria congregatione potestatem eligendi abbatis habeant, abbasque privilegiis sedis apostolicæ infulis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ constitutus, nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur. Et ideo cujuslibet ecclesiæ episcopum in præfato monasterio ditionis quamlibet habere auctoritatem prohibemus, nisi tamen benedicendi habeat licentiam: statuentes apostolica censura atque auctoritate beati Petri apostolorum principis sub divini judicii obtestatione ac validis atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam nostrorum successorum pontificum vel alia parva magnaque persona, aliquid de rebus vel possessionibus ad idem pertinentibus monasterium, auferre vel alienare præsumat. Si quis autem, quod non credimus, nefario ausu parva magnaque persona, contra hoc nostrum apostolicum privilegium agere tentaverit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, ac a regno Dei alienum, ac cum omnibus impiis æterno incendii supplicio condemnatum: at vero qui observator exstiterit præcepti, gratiam ac misericordiam vitamque æternam a misericordissimo Deo multipliciter consequatur.

Scriptum per manum Bonifacii notarii regionarii ac scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Martio, indictione XI. Bene valete.

Datum VIII Kal. Aprilis per manus Stephani episcopi ac bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno pontificatus domini nostri Benedicti sanctissimi septimi papæ IX, imperante domino nostro Ottone a Deo coronato, magno ac pacifico imperatore, anno XVI, in mense ac indictione quibus supra.

XXV.

PLACITUM ROMANUM A BENEDICTO VII PAPA HABITUM.

(Anno 983.)

Leo abbas sanctorum Cosmæ et Damiani multa restituere cogitur monasterio Sublacensi.

[Apud Muratorium, *Ant. Ital.* tom. I, pag. 379.]

Charta refutationis de Arsule, de Rubiano, de Anticulo, et de aliis fundis, quæ refutavit Leo abbas sanctorum Cosmæ et Damiani ad monasterium sancti Benedicti.

Anno pontificatus domni Benedicti summi pontificis, et universalis VII papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli, anno x, sive domno Ottone II, magno imperatore, suæ coronationis quintodecimo anno, sed et hujus Aprilis mensis, indictione XI. Ut ea, quæ legaliter diffinita sunt ante præsentia dativorum judicum, iterum non... Et quia humana mens semper in cogitatione præsentem nullo modo perfectam valeat ubique habere memoriam, ideo eruditissimi sanxere, ut per scripturarum seriem texantur ea quæ ab ipsis fuerint diffinita, et omnem totius litis amoveant quæstionem. Hanc judicati paginam esse ascriptam juvantibus asserentibusque judicibus sacratissimæ urbis Romæ, qualiter in præsentia sanctissimi papæ et venerabilium episcoporum et diversi gradus clericorum apostolicæ sedis, necnon et multorum illustrium virorum, quorum

nomina inferius propriis manibus subnotantur, et hic præsentia incipiunt nomina : videlicet jam dicto præsul una cum Giribertus sanctæ Tortonensis Ecclesiæ episcopus; Petrus episcopus Papiensis Ecclesiæ (is enim ambobus per consensu pontifici, ac jussione imperatoria, cura audiendi veritatem eo missi sunt), Gregorius sanctæ Albanensis Ecclesiæ episcopus; Leo sanctæ Ecclesiæ Ostiensis episcopus; Joannes virum venerabilem abbas monasterii Sanctæ Mariæ, quod situm est ad Farfa; Roizi prudentissimus abbas beati Pauli apostoli; Petrus presbyter et abbas monasterii sancti confessoris atque pontificis Basilii; Joannes venerabilis diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ; Stephanus Dei providentia sanctæ sedis apostolicæ primicerius; Leo Dei pietate Archario sanctæ summæ apostolicæ sedis; Aczoni Dei gratia protoscriniarius et apocrisarius sanctæ sedis apostolicæ; Rigizo et Benedictus dativorum judicibus; Joannes consul, pui vocatur primicerius; Sergius comes palatii; Aczo qui et Abho nominatur; Joannes primicerius; Berardus comes civitatis Tiburtinæ; Agino. His omnibus et plures astantibus in basilica beati Petri apostolorum principis intro Ospitale, in consualis est nominati papæ dormiendum; in eorum præsentia evenit Benedictus humilis presbyter, hac præpositum venerabilis monasterii beati Patris Benedicti et sanctæ Scholasticæ, quod ponitur in Sublaco, una cum Joannes presbyter et monacho, atque Petrus item monacho : omnes hi pro ex persona illorum abbati, qui ibi minime aderat propter gravem infirmitatem, quam sui corporis districtum habebat. Sed prædictis his tribus nominatis monachi, qui majori et perscrutatori suprascripti monasterii sunt, proclamaverunt in conventu jam dicti præsuli, dicentes :

Domine, sanctissime papa, et vos omnes deprecamus vestræ clementiæ, ut audiatis atque intendatis nostræ postulationi, quam nunc modo per triennium annum in vestro sacro Lateranensis palatio egimus, et modo vestri auris pateant audiendi. Dicimus de isto Leoni abbati monasterii sanctorum Cosmæ et Damiani, quod ponitur in Cave, quia contra nostri monasterii insidiatus est, et etiam res quas sanctorum tuorum antecessorum hujus cathedra apostolorum Petri pro privilegiis ac præceptis ex vestri scrinii nostro monasterio concessere, hic distrahere ac dissumpere cupit. Quia omnem possibilitatem sui monasterii alienavit, et nostrum, quod caput est, monasterium in eadem dissipatione cupit videre. Tunc nominatus præsul dum judicibus adversum Leone abbate dixerunt : Cur tu tanta superstitione contra monasterium sancti Benedicti egisti, qui ex ejus doctrina cœlestia debes consequi? Et beatus Gregorius loquitur, dicens : Si tua dimittere non vis, aliena vide nequaquam appetere. Ad hæc Leoni abbas dicens : Nolit dominus ut ego illorum locis vel aliquam possibilitatem monasterii sancti Benedicti abstulissem. Sed ea, quæ ipsi postulant, sicut in nostro continetur privilegio, ita detineo. Judices dixerunt : Coram nobis proferant scriptiones, et ea, quæ anteriores apparent, in ipsis constet. Tunc Leoni abbati proferens suam scriptionem in manu judici, dixit : Videte, si nobis justum est; non litis amplius faciam. Tunc Stephanus primicerius legere cœpit. Joannes diaconus audito, quod tempore Alberici olim Romanorum patricii fuisset id scriptum, ait : Sufficit nobis. Iterum modo videamus monasterii sancti Benedicti scriptiones. Eadem hora Benedictus presbyter ac præpositus suis privilegiis hæc præcepta ostendit. Tunc supradictis Joanne diacono et judicibus pariter apprehenderunt ipsa, et incipiebant legere. Primum inventum est, ut in suprascripto monasterio sancti Benedicti confirmatum fuisset locis, quæ subter nominandi sunt, Zacheriæ sanctæ memoriæ. Secundum sanctissimi papæ Gregorii. Tertium piæ memoriæ Sicolai Romæ præsul. Quartum confirmationis papæ Benedicti. Et cæteri Lodoyci et Caroli sanctissimorum imperatorum constitutum est. Audito suprascriptorum præsulum nomina et eorum sanctæ operationis, et summi imperatoris virtutem, quod ei non aliud, nisi pro illorum sanctitatis, et remunerationis animæ concessisse dicuntur, et qui hæc frangere cupit, aut aliquid minuare sine consensu fratrum voluerint, dubium non sit, ut ad regnum Dei possit accedere. Tunc præsul Benedictus una cum episcopi et judicibus dixit : Locis omnibus nominandi sunt. Et invenerunt massa Juventiana, seu Seminario. Item locum, qui vocatur sancti Paulini cum ecclesia sancti Petri, incipiente ab aqua et arco, qui vocatur Ferrata. Seu monte, qui vocatur Ruviano, in quo ecclesia fuit sanctæ Mariæ. Atque monte, qui vocatur Arsule. Necnon Pantana, quæ dicitur Rudimundi. Et locus, in quo est aqua quæ dicitur Bullica. Simulque Serra, quæ dicitur sancti Joanni, pari modo et alium, qui et Anticolo vocatur; et Monte, qui vocatur Crufo : omnia sibi invicem cohærentes.

Cum autem has locis nominatis omnes cum illorum terminibus in jam fatis privilegiorum, omnes dicunt a jam nominato Leoni abbati, et a sua congregatione, qui ibi aderant : Te audiente atque vidente in istis locis vestri monasterii nihil pertinet, si non est consensu hoc fratrum. Tantum enim, sicuti legere audictis, nominatis locis in monasterio sancti Benedicti, cujus res est, præsens refutent. Jam suprascriptus Leo abbas cum cognovisset veritatem, per baculum cunctis locis, quæ supra legitur, cum sua simul congregotione, nonasterio sancti Benedicti in omnibus refutavit. Tunc præsul similiter ex una parte investivit dicens : Omnem rem sanctæ ecclesiæ, de qua ablata fuerant, ut prædictum est penitus revertatur; et in ipsius dominio sub vestrorum successorumque vestrorum potestatem sine omnem ambiguitatem permaneat, cum omnibus, quæ a suprascriptis locis pertinent. Taliter ab omnibus judicibus dativis sancitum et inviolabiliter est diffinitum. Hoc siquidem judicatum præcipiente domno Benedicto summo pontifici et

universali papæ, mihi Benedictus scriniario sanctæ A Romanæ Ecclesiæ, prædictis judicibus dativis consentiendo et promulgando scribere dicta verba. In quos jam nominati propriis manibus pro ampliore et firmiore stabilitate subscripserunt sub die, anno, mense, et indictione supradicta XI.

Ego Benedictus sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ VII præsul subscripsi.

Ego Genbertus sanctæ Turtunensis Ecclesiæ episcopus huic judicati perpetualiter chartæ interfui.

Petrus Papiensis Ecclesiæ episcopus huic judicati paginam perpetualiter, sicuti supra legitur, interfui.

Ego Joannes indignus diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ huic refutationis chartæ interfui et subscripsi.

Gregorius episcopus sanctæ Albanensis Ecclesiæ B huic refutationis chartæ interfui et subscripsi.

Leo Ostiensis episcopus huic refutationis chartæ, sicut supra memoratus est, interfui et subscripsi.

Stephanus nutu Dei Narniensis Ecclesiæ episcopus huic refutationis chartæ interfui.

Stephanus Dei providentia primicerius huic refutationis chartæ interfui.

Leo Domini gratia vocatus arcario sanctæ apostolicæ sedis huic refutationis chartæ interfui.

Azo Dei pietate protoscriniarius et apocrisiarius Romanæ Ecclesiæ interfui et subscripsi.

Rigizo nutu Dei datibus judex huic refutationis chartæ interfui.

Benedictus datibus judex in hac brevi memoratoria manus subscripsi.

Sergius comes palatii huic refutationi interfui.

Berardus inclytus comes Tiburtinæ interfui et subscripsi.

Joannes in Dei nomine consul et dux huic refutationis chartæ interfui.

Ego Benedictus Dei gratia scriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et scriptor hujus, post omnium testium subscriptionem et traditionem complevi et absolvi.

XXVI.

BENEDICTI PAPÆ VII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. MARIÆ NIENBURGENSI.

(Anno 983.)

Monasterio S. Mariæ Nienburgensi, rogatu « dilecti ac spiritualis filii sui, sanctæ sedis apostolicæ dignissimi advocati, Ottonis imperatoris semper Augusti, limina apostolorum digna devotione visitantis ac secum plurima de statu sanctæ religionis tractantis » concedit « ut idem locus tali justitia ac libertate perfruatur qualem alia monasteria habent, quæ sub tutela suoque privilegio roborata illis partibus sunt ac mundiburdio domini sui imperatoris videntur esse subjecta. » Privilegia quædam addit. D

(Knaut *Grundliche Furstellung*, 13.)

Creditæ speculationis, etc. *Reliqua vide apud laudatum collectorem.*

XXVII.

BENEDICTI PAPÆ VII BULLA AD PETRUM MILITEM.

(Anno 974-983.)

Nobili Petro, Bonicollo dicto, militi, terræque Mudanæ in suburbio Gandavensi comarcho, per Balduinum « abbatiæ S. Baronis in pago prope Gandam, Boerhem dicto, monachum » mittit « cum præsenti bulla tria ossicula SS. Marcellini, Maximini et Quirini, de quibus disponere liceat pro ecclesiis, nempe S. Baronis, S. Joannis, nec non aulæ S. Pharahildis in ipsa civitate Gandensi. »

(*Messager des Sciences de la Belgique*, Gand, 1837, p. 491.)

Nos insigne nec non, etc. *Adisis, si placet, opus laudatum.*

XXVIII.

PRIVILEGIUM BENEDICTI PAPÆ VII PRO ECCLESIA TIBURTINA.

(Anno 974-983.)

(Marini, *Papiri diplomatichi*, I, p. 229.)

Benedictus episcopus servus servorum Dei dilectissimo atque reverentissimo et excellentissimo fratri nostro Joanni, Domini gratia sanctæ Tiburtinæ Ecclesiæ episcopo et per te in eodem venerabili episcopio, tuisque successoribus in perpetuum.

Cum magna nobis sollicitudine insistit cura pro univarsis Dei Ecclesiis ac piis locis vigilandum, ne aliquam necessitatis jacturam sustineant, sed magis propriæ utilitatis stipendia consequantur. Ideo convenit nos pastorali tota mentis integritate eamdem venerabilium locorum maxime stabilitatis integritatem procurare et sedulo eorum utilitati subsidia illic conferre, ut Deo nostro omnipotenti id quod C pro ejus sancti nominis honore, et laude, atque gloria ejus venerabilibus nos certum est contulisse locis. Sitque acceptabile nobisque ed ejus locupletissima misericordiam hujusmodi pii operis conferantur, arcibus remunerationem (*sic*). Igitur quia petita nobis tua dilectio, quatenus concedimus tibi, tuisque successoribus per hoc nostrum apostolicum privilegium omnes res prædicti episcopi tui, quia (quam) Tiburtinæ Ecclesiæ sancti Christi martyris levitæ Laurentii, eo quod per negligentiam tuorum antecessorum episcoporum munimina multa perdita fuerunt. Inclinati precibus tuis pro omnipotentis Dei amore, suumque honorem, restaurationem prædictæ Ecclesiæ confirmamus tibi tuisque successoribus omnes episcopi et cunctas plebes seu ecclesias atque monasteria, et diversis vocabulis cum omnibus eorum pertinentiis vel adjacentiis sitas in toto territorio Tyburtino, nominatim videlicet infra civitate Tyburtina (*sic*).

Id est regionem totum in integrum quæ appellatur Fors, et Vicu patricii, et Oripo cum ecclesia sancti Alexandri et aquimolis cum forma antiqua juxta episcopio. Item ecclesia sancti Pauli, et regione quæ vocatur Formello cum gradas suas et cum omnibus ad eas pertinentibus sibi invicem cohærentem, et inter affines ab uno latere silice publica qui descendit ad porta majora et usque in porta scura, a secundo latere muro civitatis Tyburtinæ usque in

putrerula cum ecclesia sancti Pantaleonis cum turre et scala marmorea, et deinde ascendentem per via publica usque ad murum antiquum sancti Pauli, ex utraque vere partem ipsum murum, et pervenit usque in muro *civitatis*. Similiter et regione quæ appelletur Plazzula infra ipsa civitate. Ab uno latere muro ipsius civitatis et a secundo latere silice qui pergit ad posterula de Vesta, et a tertio sive a quarto latere monasterio sancti Benedicti, necnon et ali*um* regionem *totum* in integrum qui vocatur Castro vetere, cum ecclesia sanctæ Mariæ et sancti Georgii quæ sunt diaconiæ ab uno latere fossatam unde pergit aqua in Vesta, ex utraque vero parte murus civitatis circumdatur. Imo fundos duos in integris sibi invicem cohærentes qui appellatur Sipiano (ubi modo dicitur episcopium cum ecclesia sanctæ Mariæ portas scuræ) (*sic ad oram sed eadem manu*) et Lambrione, in quibus sunt vineis cum trullo infra se, et arbores olivarum, et cum omnibus ad eosdem fundos in integros pertinentibus, constitutos Tyburtino territorio, ab uno latere silice publica quæ ascendit ad porta secura, et a secundo latere vinea qui appellatur Votano, et a tertio latere via publica quæ descendit a suprascripta civitas, et pervenit usque in silice, a (quarto) *primo* latere juri vestri episcopii, sicuti per alia præcepta tenetis. Item fundum in integrum qui appellatur Pozzalia, qui et Alefanto vocatur, cum vineis et terris, et cum omnibus ad eum pertinentibus, sito suprascripto territorio, ab uno latere fluvius, et a secundo latere Pentonia majore, et a tertio latere fundum Quintiliolum et a quarto latere Camarti. Simulque et fundum qui appellatur Pluzano in integrum, ab uno latere fluvio; et a secundo latere Camarti; et a tertio latere Cervinariola; et a quarto latere fundum Purpuranum juris ejusdem episcopii, atque ipso suprascripto fundum Purpuranum in integrum cum omnibus ad te pertinentibus; ab uno latere Africanum et a secundo latere flumen, et a tertio latere Pluzano, et a quarto latere Lauretum; pariter et fundos pertusulo Rosario cum ecclesia sancti Valentini. Eundum Julianum, fundum Orianum, omnes in integris sibi invicem cohærentes. Constituto territorio Tyburtino miliario a supra scripta civitate plus minus quinto in campo majore; ab uno latere Staphiliano, et a secundo latere silice in qua est Ponticello, et a tertio latere crepidinis, et a quarto latere Pirantis (Piranis); et a quinto latere colummella, similiter fundum Suberetula, fundum Armagna, fundum Bissianum cum ecclesia sancti Angeli. Fundum Trulias, fundum Castamiola, fundum Computum, fundum Turinianum, fundum Jamule, fundum Gimelle, fundum Septem viis, fundum matre Saccula, fundum Pracli (*Precli*), fundum Planule, omnes in integris sibi invicem cohærentibus cum terris, et silvis, et cum omnibus a supra scriptos fundos in integros pertinentibus, positis in eodem terriiorio Tiburtino. Præterea, et fundum qui vocatur Barela in integrum, fundum Casapetra in integrum, fundum Tufolo, fundum Tortilianum, et fundum Oriali et vinea posita juxta sanctum Pastorem. Itemque terra et vinea ubi est ecclesia sanctæ Agnes. Verum etiam et clusura vineata cum griptis et aquimolis antiquis, et terra rationales posita in Griptule, seu et fundum in integrum qui vocatur Cornu; fundum Vincole; fundum Caput Leonis (Capito), fundum Antonianum cum ecclesia sanctæ Mariæ in Pesile, fundum Carinianum, fundum Lame cum ecclesia sancti Januarii; fundum Rubeto cum ecclesia sanctæ Mariæ, fundum Balle petrosa, omnes sibi invicem cohærentibus, cum terris, campis, pratis pascuis, silvis, et cum omnibus eorum pertinentiis, constituti in suprascripto territorio Tyburtino; fundum Rosarum; fundum Rejanum cum plebe sancti Petri, et ecclesiæ sancti Thomæ apostoli, atque case et plebem sancti Stephani qui appellatur Severini, et plebe qui appellatur sancti Vincentii cum griptis et parietinis suis, et silvis, et cum omnibus eorum pertinentiis. Necnon in casale in integrum qui appellatur Guaddo ex fundo Ceserano. Pari modo et fundum qui vocatur Paterno; fundum qui vocatur Gripta tabulicia, et Cameto cum omnibus eorum pertiuentiis, ab uno latere, via publica; a secundo latere Paternum; a tertio latere flumen, et a quarto latere carrarca. Præsertim et fundum Silicata in integrum; fundum Panicianum; fundum Caccabelli cum vineis et terris, et cum omnibus eorum pertinentiis, ab uno latere silice qui descendit a ponte Lucano (ad ponte Lucanum); a secundo latere alia silice quæ pergit ad palatium antiquum, a tertio latere via publica; et a quarto latere fundum Gostanti. Enimvero clusura de vinea super se in integrum cum omnibus ad eam pertinentibus, sita in fundum qui vocatur Zetula sicuti per donationis chartula evenit in suprascripto episcopio. Fundum Paconi in integrum, fundum Piranello; fundum Turriele, fundum Cecili, fundum Serianum cum arboribus olivarum; fundum Balbinianu, in quo est ecclesia sancti Victorini; fundum Molllica sibi invicem cohærentes cum omnibus eorum pertinentiis. Ubi inter affines ab uno latere ponitur lucus; a secundo latere rivo qui pergit ad pontem Marini; a tertio latere Lumbricata; a quarto latere rivo Puzzulo.

Insuper concedo et confirmo Marsicanam viam in integrum, et fundum campo rotundo in integrum; fundum Pensionis et case in integrum, cum ecclesia sanctæ Mariæ, et sancti Severini juris suprascripti episcopii. Quippi*ni*, (*sic*) et fundum qui appellatur Cornuti cum plebe sancti Stephani; fundum Parianu cum ecclesia sanctæ Mariæ; fundum Circulo cum ecclesia sancti Benedicti et sancti Anastasii, fundum Aqua ferrata; fundum Paternum, fundum Maranum et mons Paterni; fundum casa Martis, fundum Vegente quod est casa Projectici, fundum Batilianum cum terris et silvis sibi invicem cohærentibus, posita territorio Tyburtino, ab uno latere Fossato majore; a secundo latere via antiqua quæ pergit ad

pontem Marini; et a tertio latere fundum Cabena-num juris sanctæ Romanæ Ecclesiæ; a quarto latere fundum... et a quinto latere fundum Paulini juris monasterii Cella Nova. Porro *necnon* et fundum qui vocatur Prata majore cum vineis, terris atque pratis; fundum Baronianum in integrum inter affines incipiente per rivo usque in forma antiqua; a secundo latere Monetula; a tertio latere fundum Romani; et a quarto latere fluvium Tyberis, et pervenientes usque in aliis arci ubi in Poticella. Verum etiam et clausura vineata super se in integra posita ad porta Adriana; fundum Ciceiani, fundum Allorum, fundum Cieulanum, fundum Paccionis, omnes invicem cohærentibus in integris; fundum Zizimi (*id* vallis Cotta) (sic ad oram litteris rubricatis) cum plebe sanctæ Mariæ et sancti Joannis; fundum Marcianellum, et casale sancti Cirici; fundum Columnella, sive quibus aliis vocabulis nuncupantur: ab uno latero via publica; a secundo latere fundum Apolloni; a tertio latere Romani; a quarto latere Balle longa, et a quinto latere forma unde aqua decurrit recto in via publica. Similiter et fundum Carpinianum et vinea inter duos Ludes, cum ecclesia beati Petri apostoli (vid. *foras muros*) (in rubrica ad oram) et vinea in trivio cum ecclesia sancti Laurentii.

Immo et fundum Castro in integrum cum ecclesia sancti Angeli; fundum Balarcese sibi invicem cohærentibus. Pariter et fundum cum casale suo et Balle longa atque plebe sancti hic dimisimus (*ad oram alia manu*) cum vineis et terris et cum omnibus suis pertinentiis Fundum (Fullonis) Fullonius in integrum, et quatuor unciæ fundi qui appellatur Apollonii. Necnon et fundum Claudianus, fundum Juliani, fundum Tripentis, fundum Cisternulæ, fundum Pontecclo, fundum Silveri, fundum casa Marciana, fundum Pars[1] cum sylvis et olivetis, et terris cum ecclesia sancti Cecili, et cum omnibus eorum pertinentiis; simul etiam et fundum Paternum cum ecclesia sanctæ Columbæ; fundum olivarum; fundum Janule cum ecclesia sancti Pauli; fundum Anterranum in integrum sibi invicem cohærentibus (*sic*), milliario ab urbe Romæ plus minus vicesimo sexto. Porro et fundum Balneolum, fundum Facundii, fundum Licini, fundum Bassanum, fundum Barbatianum, fundum Corsanum, fundum Bico longum; fundum Antoni, fundum Clippi, fundum Nigilionis, Resiariu; fundum Buccunianum quod est territorio Savinense; fundum Gelli, fundum Cartellorum qui est posita ante ponte Lucanum, fundum Corconi in integrum, fundum Maiani in integrum positum juxta silicem, fundum Jemilianum; fundum Aquilonem; fundum Mutilianum juxta sancti Stephani in Cornuti, fundum in Balle positum, qui appellatur Capra molente, et Castanneola in integris: ab uno latere colonia quæ vocatur Minianu; a secundo latere fundum Veranum; a tertio latere fundum Ilianum; et a quarto latere monte qui vocatur Vulturella juris sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Simul etiam fundum Ilice et civitas quæ vocatur Noe; fundum Petroniliolum et Turricle; fundum Turritula; fundum Vicum et Arcum, et Cicilianum, et Vigilianum, et Aspreta cum ecclesia sancti Petri, et in vicu ecclesiam sancti Valerii; fundum Græcorum, fundum Virdilianum ubi est ecclesia sancti Magni. Omnes sibi invicem in integris cohærentibus cum casis et vineis, terris et silvis, pratis, pascuis, cultum vel incultum; fundum Melozanum; fundum Paternum, fundum Sambuculo posito territorio Tyburtino a civitate ejusdem milliario octavo; ab uno latere fundum Minianu, et a secundo latere Bulturella; a tertio latere fundum Maternum; et a quarto latere fluvius qui vocatur Jubenzanu, et monte qui vocatur Crufo juris superascripti episcopii. Pari modo ex alia parte montis fundi Caparacie; sive massa vocatur, cum mons ubi est in cacumine ecclesia sancti Angeli qui dicitur Faianu, nec non et locum qui appellatur Trellanus (*id* Giranus) (in rubrica) cum fundis suis: videlicet fundum Carpi, fundum Marre, fundum Plazze, fundum Rozarium, fundum Corianum, fundum Julianum, fundum casa Martelli, fundum sanctæ Anatoliæ et valle Fortiniane, et usque in fine stellæ, fundum (Crapola) mons aquæ vivæ. Omnes sibi invicem cohærentes in integris, cum casis et vineis, terris et silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, vel cum omnibus eorum pertinentiis; constituto jam nominato territorio Tyburtino, milliario ab ipsa civitas plus minus decem. Ab uno latere fundum Græcorum; a secundo latero fundum Sassa, et a tertio latere fundum Grunzanu, et a quarto latere fundum Longiænum. Similiter et fundum casa Herculi cum casis et vineis, et cum omnibus ad eum pertinentibus; ab uno latere fundum Licilianum, a secundo latere fundum Foranu; a tertio latere fundum qui appellatur Pasinianu, et a quarto latere fundum Barbaranu juriis Ecclesiæ Tyburtinæ. Præterea et quatuor fundis in integris, videlicet capud (capito) leonis, et Priscianus, Cæsarianus, Magianum. Omnes sibi invicem cohærentes. Immo et fundum villa Pertusa, fundum Saturanum, fundum Valneolum et casale cum ecclesia sanctæ Secundinæ usque in rivo qui dicitur de Trabicella; et ecclesia sancti Stephani cum casale suo, et fundum Marcianum omnes in integris positi juxta fundum Giranum, et Finestelle, territorio Trellanense. Itemque fundum Cantoranum cum ecclesia sua, fundum Bulziniano, fundum Marano in integrum; et ecclesia sanctæ Felicitatis cum casale suo usque ad flumen; omnes sibi invicem cohærentes in integris.

Porro et plebe sancti Laurentii qui appellatur in Sublaco, cum forma et ecclesiæ sanctæ Mariæ quæ est supra castellum; fundum Paternellum, fundum Bullica cum vineis et terris, et cum omnibus eorum pertinentiis, constitutis territorio Sublaciano usque in fluvio medio Ecclesiæ Tyburtinæ. Fundum Ponza, fundum qui appellatur Casa; fundum Casalupuli; fundum Canistra; fundum Scapiono; fundum Cæsarea, fundum Cisinianum sibi invicem cohærentes, positi territorio Afile; ab uno latere Afile, a secundo

latere Turrita, a tertio latere Gaianello, et a quarto latere Paterclanum. Similiter fundum Orarius et Gratinianus; fundum Puzzorosano, fundum Ponzano, fundum Cetreiano; fundum Toriniano in integris, siti territorio Sublaciano; ab uno latere Cisiano, ab alio latere Balneolum, a tertio latere Glasterano, et a quarto latere fundum Nuscanum, et a quinto latere fundum Caprola; a supra scripto latere fundum Calcuano. Pariter et fundoras quinque in integris qui vocantur Moreni; Oreta, Plumbariola. Aqua, Combula, Pagatianum cum laco suo et introitu suo, posita territorio Tyburtino, ab ipsa civitate milliario plus minus quatuor; in campo majore, nec non et Monticellis et casalis cum ecclesia.

Hæc supra scriptis omnibus fundis et casalibus, et plebes, et monasteria et ecclesias quæ superius adscriptis esse (*sic*) videntur. Imo etiam ecclesias, quas Bosone episcopo tuus antecessor isto præsente anno consecravit, videlicet sancti Joannis et beati Juvenalis. (Hæc in bulla Joan. XIX, a. 1029.)

Confirmamus etiam ut per affines et terminos eos deliberatis. Inter affines incipiente a sanctis septem fratribus, et usque in confinibus sancti Joannis qui appellatur in argentella, et exinde in campo sacri, ubi sunt Staphili ficti, et recte in silice magna de Penestrina, descendente vero per ipsa silice omnia parte dextra territorio Tyburtino juris eidem Ecclesiæ Tyburtinæ. Parte vero *leba* (*sic*) omnia juris sanctæ Penestrinensis Ecclesiæ. Sicuti antecessores nostri per præcepta definierunt. Præterea concedimus (*atque confirmamus tibi* tuoque venerabili episcopio) tibi tuoque episcopio, ut omni tempore licentiam et potestatem habeatis cum vestris omnibus hominibus ingrediendi et egrediendi cum omni vestra utilitate per pontem qui vocatur Lucanum absque omni redditu, vel qualibet datione, exinde persolvendum pro qualicumque causa. Insuper concedimus vobis omnem districtum, et placita de omnibus monasteriis, sive ecclesiis tui episcopii tam infra ipsa civitate, quamque etiam et de foris, sive monachos et ancillas Dei atque presbyteros et diaconos, vel omnem clerum, qui sub tua protectione sunt, vel in tua diœcesi permanebunt, ut in tuam tuisque successoribus sit potestatem distrigendi et judicandi. Denique confirmamus tibi per hoc nostrum apostolicum privilegium omnem consuetudinem quos tuis successoribus soliti erant habere (*sic*), ut et tu tuisque successori*bus* absque ulla contradictione perenn*is* temporibus retineas; et nulli unquam comiti, aut castaldio, vel alicui homini, qui ibidem publicas functiones fecerint liceat tuæ ecclesiæ servos, aut ancillas, sive liberos homines, qui in supradicti tui episcopii casalibus resident ad placitum vel *guadiam* (*sic*), sive aliqua districtione provocare aut perducere, sine tuo, tuorumque successorum consensu. Hæc vero prænominatis seu locis quæ superius continentur, videlicet Lipianum et Lambrionem cum vineis et cripta tabulicia, et cannoto, et pensionis, in quo est ecclesia sanctæ Mariæ et sancti Severini, et Trellino, et vicu cum ecclesia sancti Valerii, et Zizinni in quo est plebe sanctæ Mariæ, et sancti Joannis, cum aliis casalibus, scilicet et in herbaticis, et glaudaticis, nulla molestia habeatis. Cætera vero omnia immobilia loca, cultis et incultis, cum omnibus eorum pertinentiis, vel adjacentiis, sicut superius legitur.

A præsenti secunda indictione vobis et per vos concedimus et perpetualiter stabilimus suprascripta loca, cum plebibus, ecclesiis, casis, villis et castellis, terris cultis et incultis, urbanis et rusticis, necnon et omnia jura, et juxta consuetudines quæ in eadem ecclesia per præterita tempora hactenus permanserunt, amodo illibata semper consistere jubemus. Simulque omnia munimina, seu cuncta instrumenta chartarum de tuo episcopio quæ a paganis, sive per hominum negligentiam subtractæ vel imminutæ, seu ab igne crematæ fuerunt, per hoc nostrum apostolicum privilegium omnes res illorum stabiles semper consistant in omnibus pleniter, legaliterque continentes vigorem. Rex vero omnes quæ ab orthodoxis Christianis et piissimis pro illorum animabus, seu salutæ tuæ ecclesiæ sive per chartula, sive spontanea voluntate offerre atque concessæ fuisse videntur, vel fuerint, absque ulla molestia et absque omni querela aliquorum hominum perpetuam stabilitatem et perpetuo jure in tua ecclesia tibi, tuisque successoribus sancimus. Quapropter statuentes, atque promulgantes coram Deo et terribili ejus futuro examine, per hujus nostri apostolici privilegii auctoritatem sancimus, et beati Peri apostolorum principis auctoritatem decernimus, tam apostolicæ sedis futuros pontifices, quam qui ecclesiasticas administraveriut actiones, vel etiam magna parvaque persona, aut quispiam cujuscunque sit dignitatis præditus potestate. Ideo quæ a nobis pie disposita sunt, atque a nobis concessa quoque modo nunquam licentiam habeat de prædominatis omnibus immobilibus locis in uno adunatis, atque spiritaliter apostolica exaratione conjunctis disjungere, vel uno ab uno altero alienare. Si quis interea, quod non credimus, de temerario ausu contra ea quæ ab hac nostra auctoritate, et Domini nostri Jesu Christi apostolorum principis Petri cujuslibet immeritis vice agimus, anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, æterni incendii supplicio concremandum sit deputatum, ne unquam a præfatis anathematis nexibus sit absolutus. At vero qui pio intuitu observator omnibus exstiterit, custodiens hujus nostri apostolici constitutionis ad cultum Dei respicientibus, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur, atque meritis beati martyrts levitæ Laurentii, æternæ vitæ particeps effici mereatur.

Scriptum per manum Joannis scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Decembrio et indict. secunda.

† Bene valete †

Datum duodecimo Kal. Jan. per manus Joannis episcopi sanctæ Laviraaensis Ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis. Anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis et universalis quarto papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli septimo, imperante domno piissimo perpetuo Augusto Ottone a Deo coronato magno et pacifico, imp. anno quinto, in mense Decembrio et indic. suprascripta secunda.

ANNO DOMINI DCCCCLXXXIV.

JOANNES PAPA XIV.

NOTITIA HISTORICA

Apud Eggs, Pontificium doctum, pag. 283.)

Exstincto Benedicto VII, Petrus episcopus Papiensis, Ottonis imperatoris archicancellarius, vir pius ac magnæ doctrinæ, opera Ottonis a clero ac populo Romano in Petri solium, assumpto Joannis XIV nomine evehitur et consecratur. Id ubi rescivit Bonifacius exsul, nihil cunctatus Constantinopoli Romam, sedem iterum invasurus rediit; suorumque studiis adjutus, sumpto de pluribus, qui ejus invasioni obstiterant, supplicio, Joannem pontificem, tertio ab ejus electione mense, de sede violenter exturbat, tum vinculis constrictum inque carcerem detrusum, quinque mensium spatio diversimode affligit: denique fame, vel gladio enectum, e carcere in publicum extrahi, omniumque oculis exponi mandat, ne quid sperarent amplius qui ejus liberationi studebant. Horrendum plane visu, cunctisque lugendum Romanis civibus spectaculum! cadaveris ipsa macie exstinctum fame Joannem conclamante, et vindictam a superis et hominibus de sacrilego tyranno reposcente.

Nec emansit diu promerita utrobique vindicta: siquidem truculentus apostolicæ sedis invasor intra quatuor menses repentina morte tactus, e throno corruit exanimis, adeoque omnibus etiam suis exosus exstitit, ut defuncti corpus in aream Lateranensem fune ad pedes ligato protraherent, lanceis ac gradiis perfoderent, saxis, sputo ac luto impeterent, ac denique veluti sepultura indignum, inhumatum projicerent. Scribit Oldoinus, infelicis hominis cadaver aliquot dies inhumatum publico cum contemptu jacuisse, ac tandem opera nonnullorum clericorum clanculo sepulturæ datum fuisse. Periit Bonifacius, inter grassatores potius quam inter Romanos pontifices (utor phrasi Baroniana) adnumerandus, duodecimo Kalend. Augusti anno salutis 985.

JOANNIS PAPÆ XIV

EPISTOLA

AD ALONEM BEMEVENTANUM ARCHIEPISCOPUM.

(Apud Ughelli, *Italia Sacra*, tom. VIII, col. 69.)

Joannes episcopus servus servorum Dei, dilectissimo nobis Aloni venerabili atque merito honorabili Beneventanæ et Sipontinæ sanctæ Ecclesiæ archiepiscopo, tibi tuisque successoribus in perpetuum.

Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte perferre contenti sunt, et ne qua ex eis errando pereat aut ferinis laniata morsibus rapiatur, ovile semper vigilando custodiunt ac circumspectant, quanto sudore quantaque cura debemus nos esse pervigiles, qui sumus animarum pastores, ne ante summum pastorem nostræ negligentiæ reatus excruciet, et unde modo honores sunt subliminores, inde præ cunctis strictissimo dejiciamur judicio. . . . . Pallium autem fraternitati tuæ ex more ad missarum solemnia celebranda transmisimus, quo tibi non aliter (Ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus) uti concedimus, quam decessores prædecessoresque tuos usos esse incognitum non habes, scilicet in his festivitatibus in Nativitate Domini, Epiphania, Præsentatione S. Mariæ Dominæ nostræ, similiter et in Annuntiatione ejusdem, et in Paschalibus festivitatibus, et Ascensione Domini, et Pentecoste, nec non in festivitate S. Joannis Baptistæ, et in natalitiis Apostolorum, et in Assumptione B. V. Mariæ, pariterque et in Nativitate ejusdem, simulque et in dedicatione sanctæ ecclesiæ tui archiepiscopatus, necnon in die tuæ consecrationis, et in congregatione et consecratione episcoporum,

sicuti etiam et in festivitate B. Michaelis archangeli, A et translatione corporis B. Bartholomæi apostoli, simulque tribuimus atque concedimus licentiam tibi tuisque successoribus episcopos ordinandi in his videlicet civitatibus sanctæ Agathæ, Abellini, Quintodecimi, Ariani, Asculi, Bibini, Vulturariæ, Larini, Thelesiæ, Alifi, Termulæ, Triventi et Sessulæ, confirmantes tibi tuisque successoribus Ecclesiam S. Michaelis in monte Gargano cum ipsa Sipontina ecclesia, et cum omnibus eorum pertinentiis, et omnibus prædiis familiis, utriusque sexus, ecclesiis et massisque quæ prædictis ecclesiis pertinere dignoscuntur. Cujus autem. . . . . honor modesta actuum vivacitate servandus est. Hortamur insuper ut mores ornamentis conveniant, ac conformentur, quatenus, auctore Domino (reverende) ubique possis B esse conspicuus. Vita igitur tua filiis tuis sit regula, cum profectus eorum a tuo pendeat exemplo, ut tuum post diem valeas securus dicere : Cor meum neque prospera, aut quæ temporaliter blandiuntur extulerunt, neque adversa dejecerunt, sed quicquid illud fuerit patientiæ devincatur virtute. Nullum apud te locum inveniant odia, quemadmodum nec amor indiscretus te occupet ; benignum te boni sentiant, discretum te mali cognoscant. Facile. . . . . Justitiam apud te culpabilem suggestio mala non reddat ; nocentem gratia aut favor non excuset, remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod ultus non fueris, tolerantia perpetrari videaris permittere. Sit in te boni pastoris dulcedo, et judicis severa districtio, unum quod recte viventes foveat, alterum quod inquietos a pravitate compescat. . . C . . . . amore. Sed quoniam persæpe zelus super peccatores, dum vult vindex indiscretus existere transit in crudelitatem correptio, iram ideo judicio refræna, et disciplinam reserva ut sicut Pater culpas ferias, et a dilectione filiorum quos corrigis non recedas. Misericordem te et prout virtus patitur. . . exhibe, oppressis defensio tua subveniat, opprimentibus modestia, et ratio contradicat. Nullum contra. . . . . despicias, nullum quærentem justitiam spernas, custodia in te æquitatis excellat, ut nec divitum potentia aliquid apud te extra viam suadeat audere rationis, nec pauperem de te sua faciat humilitas desperare, quatenus Deo adjuvante talis possis existere qualem sacra lectio præcipit dicens : *Oportet episcopum irreprehensibilem esse.* Sed his omnibus poteris salubriter uti si magistram charitatem habueris, quam si quis secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedet. Ecce, frater charissime, qualia inter multa tui sint sacerdotii ; hæc pallium comitantur, quæ si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis intus habebis. Fidem autem quam in tuis epistolis breviter ascripsisti, licet latius explanare debueras, Redemptori tamen nostro gratias agimus quod eam in ipsa etiam brevitate certam esse cognoscimus. Sancta Trinitas fraternitatem tuam gratia suæ protectionis. . . . . atque ita honoris sui via nos dirigat, ut post vitæ hujus amaritudines, ad æternam simul pervenire dulcedinem mereamur. Amen.

Scriptum per manum Leonis notarii regionarii S. R. E. in Decembris mense, indictione duodecima.

Datum VIII Idus Decembris per manus Joannis episcopi et bibliothecarii S. Sedis apostolicæ, anno, Domino propitio, pontificatus D. Joannis pont. et universalis XIV papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli, primo (1).

(1) Ex jam recitati diplomatis lectione observo eo sæculo, quod omnium consensu rude barbarumque fuit, tam apposite concinnatisque periodis ac sententiis hoc fuisse scriptum diploma ; quod evenisse puto quia ab ipsomet pontifice sit dictitatum ; pastoralem etenim potius redolet epistolam quam pontificium diploma ; hæc enim (ut videre est in jam recitatis) ex formulario aliquo traducebantur cum fere omnium idemque sit galeatum exordium, quod usque ad Leonis IX tempora servatum reperio.

ANNO DOMINI DCCCCLXXXIV.

THEODERICUS

METENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN THEODERICUM

(Gall. Christ. tom. XIV.)

Mortuo Adalberone, Bruno Coloniensis tantisper D Metensem rexit Ecclesiam, unde baculum sancti Petri ad Coloniensem Ecclesiam transferri curavit. Exeunte tamen anno 964, Theodericus seu Diedericus, canonicus Alberstadiensis et præpositus Vormatiensis, proclamatus est episcopus ab imperatore Ottone I, cui sanguinis vinculo obstrictus erat, item et Brunoni archipræsuli Coloniensi ex genere ma-

terno, necnon imperatori Conrado I et comiti Eberhardo ex genere paterno. Scriptor fere æqualis de illo hæc tradit : « Deodericus vir imperatorii generis, ingenii singularis, ad episcopalis cathedram communi omnium acclamatione accessit. » Litteris operam dedit in monasterio sancti Galli sub [illegible]kerodo magistro. Fertur dixisse, ubi cognovit ex antiqua traditione primas nonnullorum episcoporum Metensium litteras, metallis magis minusve pretiosis, pro uniuscujusque meritis, scriptas, tanta bona facturum ut sua argento scripta, auro adnotaretur. Sacrum diem Pentecostes exegit an. 965 Aquisgrani in comitatu Ottonis imperatoris et Brunonis archiepiscopi Coloniensis, qui paulo post in morbum lapsus, Remos voluit deportari, ubi de vita cessit, testamentum suum relinquens in manibus Theoderici Metensis et Vicfridi Virdunensis episcoporum, qui ejus funera curarunt. Astitit etiam hoc anno episcoporum conventui Coloniæ habito, in quo firmata est fundatio ecclesiæ collegiatæ sancti Martini Leodiensis. Circa id tempus villam Vigiacum et alia quædam restituit monasterio sancti Arnulfi. Ecclesiam monasterii de Vergavilla, nuper fundati in honorem beatæ Virginis ac sanctorum apostolorum, dedicavit anno 966. Imperatorem consobrinum secutus in Italiam, illic per triennium versatus est. Hac occasione usus, multas hinc inde reliquias collegit et transferri curavit an. 970 in sancti Vincentii monasterium, quod ipse in illius urbis insula ante biennium exstruxerat, et præclaris ædificiis exornaverat. Recepto in eodem sancti Vincentii cœnobio sanctæ Luciæ corpore, oratorium ibidem in ejus honorem, statim ædificare cœpit, dedicavitque VII Idus Augusti an. 972, cooperantibus sibi comprovincialibus episcopis, Gerardo Tullensi et Vicfrido Virdunensi. In pago Calvomontensi locum quemdam inter Mosellam et montem vicinum, qui vernacule *Spinal* vocatur, divino famulatui aptum reperiens, monasterium illic construxit ac reliquias sancti Goerici episcopi Metensis transtulit. Suæ etiam munificentiæ testimonia exhibuit monasteriis sancti Arnulfi et sancti Petri Metensis. Fautor fuit ac tutor Parthenonis de monte sancti Romarici, quo nomine subscripsit cuidam chartæ Gislæ, tunc temporis abbatissæ. Cum multis aliis tam episcopis quam abbatibus ab Ottone II curam accepit restituendæ regularis disciplinæ in monasterio sancti Galli. Factus est an. 976 arbiter una cum Hildebodo Wormatiensi episcopo motæ, super navigatione et usu amnis Hursillæ, controversiæ inter Werinherium Fuldensem et Gozbertum Hersfeldensem abbates. Jura regalia in urbem Metensem, interventu Theophaniæ imperatricis, ab ipso principe accepit anno 977. Astitit anno 980 Ingelheimensi conventui, in quo statutum est ut monasteria Stabulense et Malmundariense coadunata remanerent. Dum rex Otto adversus Græcos et Saracenos in Calabria prœliaretur an. 982, Theodericus et Theophania Augusta pugnæ eventum Rossanæ præstolabantur, ubi resciverunt exercitum imperialem profligatum fuisse, ipsumque imperatorem natatu salutem quæsivisse. Cui opem ferre Theodericus mox properavit. Habita sunt anno 983 Veronæ comitia in quibus Otto II successorem suum renuntiavit Ottonem III, astantibus imperii magnatibus, præsertim Theoderico, qui apud principem gratia plurimum valebat, sanctioribusque ei erat a consiliis. Eodem anno imperatoris ejusdem Romæ defuncti 7 Decembris funeribus interfuit. Perquam promotioni Adalberonis, in Virdunensem episcopum nuper electi, contrarius, gravem habuit controversiam cum Carolo a Francia inferioris Lotharingiæ duce partibus Adalberonis addicto, ad quem epistolam scripsit acerrimam ; vicissimque Gerbertus Caroli nomine atrocissimas litteras rescripsit, ut constat ex epistolis Gerberti, cujus duæ aliæ sunt epistolæ ad Theodericum, quem vocat *Diedericum*. Nuncupatur Theodericus *d'Homelant* in litteris Ricuini Tullensis episcopi pro monasterio Spinalensi. Hillinus Trevirensis in confirmatione bonorum ejusdem loci eum nominat Theodericum *de Hamolo*, cognominatur etiam *Sixtus*. De vita migravit die 7 Septembris, anno 984, sepultusque est in monasterio sancti Vincentii quod condiderat. Cum post trecentos annos tumulus ejus reseratus fuisset, reperta sunt ejus ornamenta pontificalia integra, ejusque ossa recondita fuerunt in capsam ligneam, quæ in choro exponitur die ejus anniversarii, pro cujus celebratione eadem ornamenta in usum adhibentur.

EPITAPHIUM THEODERICI.

Hic Deodericus generoso sanguine natus
Regum progenie, nomen habens celebre.
Cæsaris Ottonis tetigit quem linea carnis,
Cujus consiliis jura dedit populis.
Luxit enim mundo ceu sidus lumine pleno,
Actibus eximiis, moribus egregiis.
Unde Mettensem meruit conscendere sedem
Qui rexit digno præsulis officio.
Aulam hanc cœlesti struxit pro munere Regi
Rebus quam miris compsit et innumeris.
Idibus ebdenis Septembris jam revolutis,
Decessus sorte clauditur hoc silice.

RHYTHMI IN HONOREM THEODERICI.

(Ex Sigeberto, in Vita Theoderici, apud Pertz, Monum. Germ. hist., Scrip. tom. IV.)

Deodericus sanguine, moribus,
Claris profecto clarior omnibus,
A rege clarebat secundus,
Vix alicui sub eo secundus,
Hic consobrinus Cæsaris inclyti
Hærebat illi militiæ et domi,
Regni ferens partes secundas,
Cæsaris allevians que curas.

Regni per illum cuncta negotia,
Et jura stabant ecclesiastica.
Miles, senatus, regis aula
Suspiciebat ad ejus ora.
Rex Otto clavo dum moderaminis
Res fluctuantes Italiæ nimis
Per jura tranquillare pacis
Tentat ubique, malis remotis,

sicuti etiam et in festivitate B. Michaelis archangeli, et translatione corporis B. Bartholomæi apostoli, simulque tribuimus atque concedimus licentiam tibi tuisque successoribus episcopos ordinandi in his videlicet civitatibus sanctæ Agathæ, Abellini, Quintodecimi, Ariani, Asculi, Bibini, Vulturariæ, Larini, Thelesiæ, Alifi, Termulæ, Triventi et Sessulæ, confirmantes tibi tuisque successoribus Ecclesiam S. Michaelis in monte Gargano cum ipsa Sipontina ecclesia, et cum omnibus eorum pertinentiis, et omnibus prædiis familiis, utriusque sexus, ecclesiis et massisque quæ prædictis ecclesiis pertinere dignoscuntur. Cujus autem. . . . . honor modesta actuum vivacitate servandus est. Hortamur insuper ut mores ornamentis conveniant, ac conformentur, quatenus, auctore Domino (reverende) ubique possis esse conspicuus. Vita igitur tua filiis tuis sit regula, cum profectus eorum a tuo pendeat exemplo, ut tuum post diem valeas securus dicere : Cor meum neque prospera, aut quæ temporaliter blandiuntur extulerunt, neque adversa dejecerunt, sed quicquid illud fuerit patientiæ devincatur virtute. Nullum apud te locum inveniant odia, quemadmodum nec amor indiscretus te occupet ; benignum te boni sentiant, discretum te mali cognoscant. Facile. . . . . Justitiam apud te culpabilem suggestio mala non reddat ; nocentem gratia aut favor non excuset, remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod ultus non fueris, tolerantia perpetrari videaris permittere. Sit in te boni pastoris dulcedo, et judicis severa districtio, unum quod recte viventes foveat, alterum quod inquietos a pravitate compescat. . . . . . . amore. Sed quoniam persæpe zelus super peccatores, dum vult vindex indiscretus existere transit in crudelitatem correptio, iram ideo judicio refræna, et disciplinam reserva ut sicut Pater culpas ferias, et a dilectione filiorum quos corrigis non recedas. Misericordem te et prout virtus patitur. . . exhibe, oppressis defensio tua subveniat, opprimentibus modestia, et ratio contradicat. Nullum contra. . . . . despicias, nullum quærentem justitiam spernas, custodia in te æquitatis excellat, ut nec divitum potentia aliquid apud te extra viam suadeat audere rationis, nec pauperem de te sua faciat humilitas desperare, quatenus Deo adjuvante talis possis existere qualem sacra lectio præcipit dicens : *Oportet episcopum irreprehensibilem esse.* Sed his omnibus poteris salubriter uti si magistram charitatem habueris, quam si quis secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedet. Ecce, frater charissime, qualia inter multa tui sint sacerdotii ; hæc pallium comitantur, quæ si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis intus habebis. Fidem autem quam in tuis epistolis breviter ascripsisti, licet latius explanare debueras, Redemptori tamen nostro gratias agimus quod eam in ipsa etiam brevitate certam esse cognoscimus. Sancta Trinitas fraternitatem tuam gratia suæ protectionis. . . . . atque ita honoris sui via nos dirigat, ut post vitæ hujus amaritudines, ad æternam simul pervenire dulcedinem mereamur. Amen.

Scriptum per manum Leonis notarii regionarii S. R. E. in Decembris mense, indictione duodecima.

Datum VIII Idus Decembris per manus Joannis episcopi et bibliothecarii S. Sedis apostolicæ, anno, Domino propitio, pontificatus D. Joannis pont. et universalis XIV papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli, primo (1).

(1) Ex jam recitati diplomatis lectione observo eo sæculo, quod omnium consensu rude barbarumque fuit, tam apposite concinnatisque periodis ac sententiis hoc fuisse scriptum diploma ; quod evenisse puto quia ab ipsomet pontifice sit dictitatum ; pastoralem etenim potius redolet epistolam quam pontificium diploma ; hæc enim (ut videre est in jam recitatis) ex formulario aliquo traducebantur cum fere omnium idemque sit galeatum exordium, quod usque ad Leonis IX tempora servatum reperio.

ANNO DOMINI DCCCCLXXXIV.

THEODERICUS

METENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN THEODERICUM

(Gall. Christ. tom. XIV.)

Mortuo Adalberone, Bruno Coloniensis tantisper Metensem rexit Ecclesiam, unde baculum sancti Petri ad Coloniensem Ecclesiam transferri curavit. Exeunte tamen anno 964, Theodericus seu Diedericus, canonicus Alberstadiensis et præpositus Vormatiensis, proclamatus est episcopus ab imperatore Ottone I, cui sanguinis vinculo obstrictus erat, item et Brunoni archipræsuli Coloniensi ex genere ma-

terno, necnon imperatori Conrado I et comiti Eberhardo ex genere paterno. Scriptor fere æqualis de illo hæc tradit : « Deodericus vir imperatorii generis, ingenii singularis, ad episcopatus cathedram communi omnium acclamatione accessit. » Litteris operam dedit in monasterio sancti Galli, sub [illegible] Keroldo magistro. Fertur dixisse, ubi cognovit ex antiqua traditione primas [illegible] episcoporum Metensium litteras, metallis magis minusve pretiosis, pro uniuscujusque meritis, scriptas, tanta bona facturum ut sua argento scripta, auro adnotaretur. Sacrum diem Pentecostes exegit an. 965 Aquisgrani in comitatu Ottonis imperatoris et Brunonis archiepiscopi Coloniensis, qui paulo post in morbum lapsus, Remos voluit deportari, ubi de vita cessit, testamentum suum relinquens in manibus Theoderici Metensis et Vicfridi Virdunensis episcoporum, qui ejus funera curarunt. Astitit etiam hoc anno episcoporum conventui Coloniæ habito, in quo firmata est fundatio ecclesiæ collegiatæ sancti Martini Leodiensis. Circa id tempus villam Vigiacum et alia quædam restituit monasterio sancti Arnulfi. Ecclesiam monasterii de Vergavilla, nuper fundati in honorem beatæ Virginis ac sanctorum apostolorum, dedicavit anno 966. Imperatorem consobrinum secutus in Italiam, illic per triennium versatus est. Hac occasione usus, multas hinc inde reliquias collegit et transferri curavit an. 970 in sancti Vincentii monasterium, quod ipse in illius urbis insula ante biennium exstruxerat, et præclaris ædificiis exornaverat. Recepto in eodem sancti Vincentii cœnobio sanctæ Luciæ corpore, oratorium ibidem in ejus honorem, statim ædificare cœpit, dedicavitque VII Idus Augusti an. 972, cooperantibus sibi comprovincialibus episcopis, Gerardo Tullensi et Vicfrido Virdunensi. In pago Calvomontensi locum quemdam inter Mosellam et montem vicinum, qui vernacule *Spinal* vocatur, divino famulatui aptum reperiens, monasterium illic construxit ac reliquias sancti Goerici episcopi Metensis transtulit. Suæ etiam munificentiæ testimonia exhibuit monasteriis sancti Arnulfi et sancti Petri Metensis. Fautor fuit ac tutor Parthenonis de monte sancti Romarici, quo nomine subscripsit cuidam chartæ Gislæ, tunc temporis abbatissæ. Cum multis aliis tam episcopis quam abbatibus ab Ottone II curam accepit restituendæ regularis disciplinæ in monasterio sancti Galli. Factus est an. 976 arbiter una cum Hildebodo Wormatiensi episcopo motæ, super navigatione et usu amnis Hursillæ, controversiæ inter Werinherium Fuldensem et Gozberium Hersfeldensem abbates. Jura regalia in urbem Metensem, interventu Theophaniæ imperatricis, ab ipso principe accepit anno 977.

A Astitit anno 980 Ingelheimiensi conventui, in quo statutum est ut monasteria Stabulense et Malmundariense coadunata remanerent. Dum rex Otto adversus Græcos et Saracenos in Calabria prærliaretur an. 982, Theodericus et Theophania Augusta pugnæ eventum Rossanæ præstolabantur, ubi resciverunt exercitum imperialem profligatum fuisse, ipsumque imperatorem natatu salutem quæsivisse. Cui opem ferre Theodericus mox properavit. Habita sunt anno 983 Veronæ comitia in quibus Otto II successorem suum renuntiavit Ottonem III, astantibus imperii magnatibus, præsertim Theoderico, qui apud principem gratia plurimum valebat, sanctioribusque ei erat a consiliis. Eodem anno imperatoris ejusdem Romæ defuncti 7 Decembris funeribus interfuit. Perquam promotioni Adalberonis, in Virdunensem episcopum nuper electi, contrarius, gravem habuit controversiam cum Carolo a Francia inferioris Lotharingiæ duce partibus Adalberonis addicto, ad B quem epistolam scripsit acerrimam ; vicissimque Gerbertus Caroli nomine atrocissimas litteras rescripsit, ut constat ex epistolis Gerberti, cujus duæ aliæ sunt epistolæ ad Theodericum, quem vocat *Diedericum*. Nuncupatur Theodericus *d'Homelant* in litteris Ricuini Tullensis episcopi pro monasterio Spinalensi. Hillinus Trevirensis in confirmatione bonorum ejusdem loci eum nominat Theodericum *de Hamolo*, cognominatur etiam *Sixtus*. De vita migravit die 7 Septembris, anno 984, sepultusque est in monasterio sancti Vincentii quod condiderat. Cum post trecentos annos tumulus ejus reseratus fuisset, reperta sunt ejus ornamenta pontificalia integra, ejusque ossa recondita fuerunt in capsam ligneam, quæ in choro exponitur die ejus anniversarii, pro cujus celebratione eadem ornamenta in usum adhibentur.

EPITAPHIUM THEODERICI.

C
Hic Deodericus generoso sanguine natus
  Regum progenie, nomen habens celebre.
Cæsaris Ottonis tetigit quem linea carnis,
  Cujus consiliis jura dedit populis.
Luxit enim mundo ceu sidus lumine pleno,
  Actibus eximiis, moribus egregiis.
Unde Mettensem meruit conscendere sedem
  Qui rexit digno præsulis officio.
Aulam hanc cœlesti struxit pro munere Regi
  Rebus quam miris compsit et innumeris.
Idibus ebdenis Septembris jam revolutis,
  Decessus sorte clauditur hoc silice.

RHYTHMI IN HONOREM THEODERICI.

(Ex Sigeberto, in Vita Theoderici, apud Pertz, Monum. Germ. hist., Scrip. tom. IV.)

  Deodericus sanguine, moribus,
Claris profecto clarior omnibus,
A rege clarebat secundus,
Vix alicui sub eo secundus,
  Hic consobrinus Cæsaris inclyti
Hærebat illi militiæ et domi,
Regni ferens partes secundas,
Cæsaris allevia̓nsque curas.

D
  Regni per illum cuncta negotia,
Et jura stabant ecclesiastica.
Miles, senatus, regis aula
Suspiciebat ad ejus ora.
  Rex Otto clavo dum moderaminis
Res fluctuantes Italiæ nimis
Per jura tranquillare pacis
Tentat ubique, malis remotis,

A Et hic erat, hic multus et intimus,
Ad os, ad aures, cor quoque Cæsaris.
Per hunc placebat qui placebat :
Hoc sine vix aliquis valebat.
Hac præminentem magnificentia
Omnes honorant munificentia,
Facti per illum gratiosi,
Ut sua vota queant mereri.
Qui non avare sed cupidus pie
Hoc exigebat quod foret utile,
Notaque culpæ quod careret
Quod sibi spem veniæ pararet.
Nam vestra sancti corpora martyres,
Quærebat hujus sancta viri fides,
Translata qualicunque cura,
Ut reverenter haberet illa.
Gaudebat hoc urbs Metis episcopo,
Fidens in ejus præsidio duplo,
Pollens per ejus sanctitatem
Tutaque per generositatem.

EPITAPHIUM EVRARDI COMITIS

AUCTORE THEODERICO.

(Ex Sigeberto in Vita Theod. apud Pertz ubi supra.)

B Anno Dominicæ incarnationis 978 Deodericus humilis præsul, ab ipsis parietinis hujus loci constructor, pio studio Everardum fratruelem sibi, quoad vivere datum est unicum amorem, orthodoxis regiique sanguinis parentibus clarum, ipsosque egregia indole puerilis gratiæ repromittentem, ac semet genti patriæque suæ in spem maximam ab ipsis cunis dulci affectu educatum, immatura falce mortis vixdum decennem abscisum, luctu plebis patrumque immodico charum pignus silici sub humana sorte IV Non. Septembris mandavit.

Item epitaphium.

Non est dampnosa mors justi, set preciosa,
Ante Dei faciem semper habendo diem.
C Ipse dies plenus, lucenti sole serenus,
Est sine nocte dies et sine fine quies.
Hac requie lætus, lucisque levamine fretus,
Evrardus maneat, cernere quo valeat
Regem regnantem, regnantum regna regentem,
Christum, quem coluit, vivere dum potuit.
Is puer insignis viventem flore decennis
Ornans mundicia quæque sui studia,
Transiit e mundo Septembris sole secundo.
Lector dic tandem : Pace quiescat ! amen.

Item epitaphium ejusdem comitis Everardi.

Clauditur hac tumba pridem sine felle columba,
Infans Evrardus, nobilis atque pius,
Sanguine magnifici generosus Deoderici
Præsulis, ex cujus fratre fuit genitus.
Crastina Septembris lux his fuit ultima membris.
Christe tuam requiem da sibi teque diem !

INVENTIO SANCTORUM

A domno Theoderico episcopo Metensi repertorum atque ad civitatem Metensem translatorum

(Apud Acherium Spicil. vet. édit. tom. IV.)

D Anno Incarnationis Dominicæ 870 magno et gloriosissimo Cæsare Augusto Ottone, cum æquivoco suo admirabilis indolis adolescente filio æque Augusto, simulque magnarum virtutum conjuge Adelheide, qua nihil unquam justius, mansuetius, prudentius, nec magis pium quidquam potuit esse, Italiæ sceptra pio justoque moderamine pacifice ac solide usque in fines Calabriæ gubernantibus, domnus venerabilis sanctæ Metis episcopus Theodericus, ipsi magnifico imperatori sanguine ac mira dilectione atque familiaritate conjunctus, cujusque consultu pro mira sapientiæ prærogativa, cuncta Palatina agebantur negotia ; in eadem Italica expeditione constitutus, in qua triennium fere militavit; dum divino præcipue cultu deditus, quæque ad honorem decoremque seu munimentum suæ sanctæ sedis, certatim exquireret, et efficaciter votis ejus cuncta suppeterent, corporum sanctorum maximam copiam ex diversis Italiæ locis, divina se gratia adjuvante, collectam, digno se cultu atque honore alibi præstantius veneranda, eidem suæ sanctæ sedi Metensi invehere studuit.

De sancto Elpidio.

Horum primum sanctum et venerabilem Christi

confessorem ELPIDIUM ex Marsorum provincia sumpsit, concedente Albrico, ipsius Marsiæ episcopo, ex quadam ecclesia sedi episcopali proxima : quæ sedes super lacum Fucinum sita, quid olim fuerit, ruinæ urbis et plurimarum circa ecclesiarum ac monasteriorum frequentia attestatur. Hunc nobis ipse episcopus cæterique incolæ retulerunt, fuisse ex collegio quorumdam servorum Dei, qui tempore antiquiore ex partibus Græciæ, numero septuaginta in eamdem Marsorum provinciam adventantes, ac diversis circumquaque locis vel civitatibus universis mirabilium signorum lumine fulgentes, ubicunque in sancta conversatione finis vitæ advenerat venerabili sepultura reconditi, multa vicinorum longe lateque reverentia, pro assidua miraculorum jucunditate coluntur. Horum tres, quorum hic tertius fuit, in eodem cœmeterio quiescebant, CALLISTRATUS, EUTYCHIUS, et hic ELPIDIUS. Porro Eutychium imperator sustulerat, et ne qua in accipiendo posset adhiberi fallacia, sepulcro intacto, satisque munito, nec a die repositionis ulla violationis signa monstrante, priusquam ab aliquo incolentium præsciretur, episcopo tantum Albrico, et paucis ejus clericis assistentibus, presbyter noster Teudo, cum presbytero imperatoris Heriwardo, arcam sancti, quod nisi altari desuper effracto nequiverant, aperiunt; ipsique per sacra ossa miri candoris, nec minus flagrantis odoris, omnia numero ac quantitate integra, excipiunt, scrinioque recondunt. (Hujus diem XVI Kalendarum Octobrium celebrem habemus.)

De sanctis Eutychio, Victorino et Marone.

Veniens proxime abhinc in territorium Amiterninæ urbis, quæ et ipsa ruinas tantum ostendit, ab eodem Albrico episcopo de monasterio, suæ ditionis Reatæ subjecto, pretiosissimum martyrem EUTYCHIUM accepit, cujus beati socii VICTORINI jam anno superiore reliquias emerat, simulque et partem sancti MARONIS pariter passi, quorum et loca passionis aspeximus, et ipsas aquas Cotilas (*id est*, Cutilias), fœdo odore spirantes, in quibus verso capite suspensus fuerat martyr. Passionem denique eorum scripta retinent sanctorum Nerei et Achillei : hunc ipse venerabilis domnus Theodericus ibidem assistens, ex ipsa arca marmore fortiter munita, mira cum exsultatione ac veneratione excepit VIII Kal. Octobris. Hos duos Adhelardus filius Gerardi in patriam asportavit.

De sancto Feliciano episcopo et martyre.

Fulinias, castrum non procul a Spoleto, FELICIANUS magno undecunque concursu hominum affluente corpore sacro tutebatur, eum Benedictus ejusdem Fuliniensis castri episcopus, multo cum fletu largitur per Bertraum diaconum et Heriwardum presbyterum IV Nonas Octobris, ex intimo ipso antro sustollitur. Passio ejus descripta est.

De sancto Asclepiodoto martyre.

In saltu qui Collis dicitur, qui Perusiæ adjacet civitati, ubi tunc imperator autumnali exercebatur venatu, monasterium erat antiquissimum super fluvium Tiberim, qui ibi mediocri valo præterfluens, sui exinde usque ad urbem Romam pelagi profunditate augetur. Hoc sepulcro quondam opere marmoreoque ornatu, ut videri dabatur, exstructum, sed tunc vetustate collapsum, martyris egregii Asclepiodoti membra venerabiliter humata tenebat ; cujus tumbam, forti nimis saxouum et terræ congerie obclusam, dum cum magna tandem difficultate Theudo, Bertraus, Rothardus penetratam, marmore sancto corpori proximiore, mandassent, inveniunt monumentum, imo usque profundum dimissum. Et per medium a capite usque ad pedes, quodam limite, ex ipso naturaliter saxo quasi divisum, quod tamen diligentias inspectum, unum continumque constabat. Beati vere corporis medium hinc, medium illinc, membris altrinsecus unum contra alterum appositis, excepto capite solo quod in unam integram partem jacebat diligentissime collocatum. Hoc ædituus et reliqui dixerunt, indicio voluisse antiquitatem signare, quod et ipsi vere asservabant, eumdem martyrem crudeli genere passionis, medio corpore vivum exsectum, eique attestandæ ita in monumento dividuo positum. Hunc pariter digno, ut par fuerat, honore sublatum VII Kal. Octobris venerabilis pontifex suscepit. Diem natalis ejus ab incolis IX Kal. Novembris didicimus. Nam gesta ejus minime ab episcopo de Cisa, ad quem locus pertinebat, quivimus extorquere.

De sancta Serena et sancto Gregorio Spoletino.

Sanctissima virgo SERENA apud Spoletum in monasterio sancti martyris Savini, foris muros urbis, ubi et pluribus miraculis coruscabat, quieverat. Ad quam pene quotidie magnus populorum veniebat concursus, ita ut noctes quoque previgiles turba cum lucernis cæterisque donariis ibi peragerent. Hanc quoque cum integris toto corpore ossibus, misso illuc Rothardo diacono cum aliis sibi fidelibus viris, venerabilis pontifex esset adeptus ; reliquias quoque beati martyris GREGORII Spoletini ibidem obtinuit, cujus passio scripta est. Beatæ Serenæ præter quod in passione sancti Savini reperimus, eam ipsum beatum martyrem tumulasse, nihil plus gestorum perquirere potuimus : quæ tamen tam assiduis se virtutum commendat insignibus, ut viva harum lectione oculis objecta gestorum attestatione, quid fuerit in vita non egeat. Dies ejus X Kalendarum Decembrium, eodem quo et sancti Savini martyris, celebratur.

De catena S. Petri apostoli.

Inter hæc Romam misso prædicto diacono Rothardo, dono domni papæ Joannis, qui tertius decimus in eo nomine erat, partem non modicam catenæ beati Petri in basilica quæ dicitur ad Vincula, eamdem portionem exsecante, promeruit : cum ea quoque privilegium monasterii sancti Vincentii, cum dalmatica et sandaliis abbati ejusdem loci apostolica prærogativa concessis, idem domnus papa direxit. Hæc omnia Adelbertus clericus cum Conone comite, transtulit.

De sancto Vincentio levita.

Beatum martyrem magnum et levitam VINCENTIUM in civitate quadam antiquissima, quæ ad solum usque jam longo tempore diruta fuerat, nomine Corduno, quæ ab Arretio XII millibus distat, ex monasterio proximo satis pulchro ornatu, quod multa itidem frequentia venerabatur. Bertraus diaconus, comitante secum quodam clerico episcopi Arretini (ei nomen Crisulfus), indice loci, cum magna licet difficultate, vitæ quoque non minimo periculo sustulit. Hunc ex Hispania in Italiam deportatum firmiter asseruerunt. Cujus modum translationis postea domno præsule Beneventum veniente, dum nurui imperatoriæ a Græcia venienti obviam missus esset, plenius cognovimus : juxta Capuam, siquidem monasterium jam pene dirutum, nomine sancti Vincentii reperimus, quod grandi et miro opere quondam a tribus fratribus nobilibus constructum, veterani qui ibi tunc pauci monachi visebantur, dixerunt. Et corpus sancti Vincentii postea a duobus monachis ex Hispania ibi clam deportatum, atque multis deinceps temporibus maxima veneratione habitum, donec a paganis eodem monasterio vastato, corpus sanctum inde sublatum et ad prædictam Cordunensem civitatem esset translatum. Tunc etiam episcopus Arretinus non modicam portionem sanguinis beatissimi protomartyris STEPHANI in vate crystallino, optime auro gemmisque composito, et de sanguine Innocentum in alia pixide, et de capillis sancti Petri, breviculis per singula appositis, quamvis invitus, et summo in discrimine apud imperatorem sui rerumque suarum positus dedit. Et quia redemptionis suæ facultas eum angustiabat, peccatorem sui nostrum venerabilem præsulem per hoc et per corpus S. Vincentii, paravit ; atque sic in gratiam imperatoris, eo interveniente, vix rediit. De hoc ipso beato martyre plures Italorum episcopi jam ante sæpe tentaverant ut id acquirere possent ; in quibus Ambrosius Bergamensis, pro eo quod sedes episcopatus sui in honore sancti Vincentii esset, et ante breve tempus cum quibus potuerat, diem quo eum excepturus statuerat: sed Domino ordinante, ut in crastinum ille condixerat, nocte præcedenti a nostris præoccupatum est. Hoc clerici de Monte Romaric (*Remiremont*) tulerunt.

De sanctis Proto et Hyacintho.

In Sabinis regione, non procul ab urbe Roma, milliario fere XI, sancti martyres PROTUS et HYACINTHUS erant reconditi, aliquanto negligentiore custodia. Hos abbas quidam de monasterio sanctæ Mariæ, quod dicitur Farfara, venerabili pontifici nostro, dum de causa sua eum apud imperatorem sibi fieri intercessorem rogaret, quia nullo tantum munere eum cognoverat delectari, partem primo obtulit, seb postea mira præstantia domni præsulis, quidquid inde reperire potuit, adjecit. Ipse cum suis monachis dans super sancta Evangelia sacramentum, vere ea ossa sanctorum Proti et Hyacinthi existere. Hoc post Natale Domini, dum Roma reverteremur, in vicinio Hortæ civitatis est actum.

De sanctis Digna et Emerita.

Sed Romæ tunc nobis constitutis, munere domni papæ Joannis, pignora sanctarum DIGNÆ et EMERITÆ, quarum corpora in porticu ecclesiæ beati Marcelli martyris sunt-recondita, quæ est ante sanctos apostolos; simul et alias singillatim repositas, cum propriis adnotationibus, diversorum sanctorum reliquias accepit, in quibus et sandalium sancti Stephani : hæc omnia per Willardum monachum Mauri monasterii missa sunt.

De sancto Vincentio episcopo.

Alterum sanctum Vincentium episcopum ex monasterio quodam in comitati Urbini, a Ravenna milliario fere I, juxta Petram Pertusam, ab abbate rebus necessariis nimis attrito, quia aliud quod daret pro relevatione loci non habuerat, partem primo offerente, sed Bertrao illuc misso, multaque arte strenue agente, (*f. deest* totum) percepit. Hujus passionem descripsimus. Hic per Immonem comitem missus est.

De sanctis Vincentio et Carpoforo.

Civitas Vincentia est non longe a Venetia, ad quam olim Longobardi, dum Italiam invaderent, primam urbium venisse dicuntur. In ea martyr LEONTIUS monasterio celebri venerabatur. Hujus episcopus loci reliquias nostro reverentissimo præsuli, si pro causa sua imperatoriam interpellasset majestatem, repromisit. Mox misso illuc Rothardo diacono, cum episcopus nimium se fecisset difficilem in dando, præter quod duntaxat promiserat, tandem continua exigentis victus instantia, præter pauca sibi pignora retenta, reliquum corporis totum largitus est. Hunc et beatum CARPOFORUM Romæ passos, ab eadem civitate non longa ante tempore translatos, incolæ asseverabant : ubi et nobile quondam monasterium sancti Felicis visebatur, ubi et primo reconditi ferebantur, sed eo ab Ungris, qui pene locorum ipsorum vicini sunt, exusto, atque assidua incursione eorum reparationem prohibente, ad sedem episcopalem infra urbem sub altare depositi, unde et præfatus Rhothardus diaconus, sanctum quidem Leontium totum, sancti vero Carpofori reliquias non modicas ab ipso quo claudebantur sumpsit altari, effracto sepulcro. Passionem eorum incendio deperisse dixerunt. Natalis eorum XIII Kal. Augusti celebratur. Teudo eos detulit.

De sancta Lucia virgine et martyre.

Magna et universalis Ecclesiæ celebritate memorabilis virgo et martyr LUCIA Syracusana, quo ordine ad religiosissimi præsulis nostri avidissimam devotionem pervenerit, Wigericus presbyter noster tunc cantoris, nunc custodis beati Stephani officium gerens, qui ea sacra ossa manibus, ab ipsa qua non levi munimine arctabatur extulit urna, quem satis tutæ fidei constat quibit exponere. Ea in Corfinio quæ vetus olim civitas fuerat, nunc tota diruta, quiescebat ; ad quem locum de Sicilia eam fuisse translatam a Faroaldo quodam duce Spoletino, vere

nobis assertum est. Hanc ipsam Synodum [illegible] esse, de qua responsoria et antiphonæ generaliter cum missa ubique canuntur, ipseque episcopus loci, manu sua sancto Evangelio apposita, confirmavit.

De craticula sancti Laurentii.

Cum jam Romæ, regiis nuptiis die ingenti gloria peractis, reditum in patriam disponeremus, ultimo beneficio, eoque pluribus copiosiore, venerabilem præsulem domnus papa de quatuor portionibus craticulæ sancti Laurentii locupletissime cumulavit. Eas Wigericus cum Joanne monacho, ab ipsa sacra crate excuderunt: hæc vero fuerant capita virgarum quæ per transversum jacentes costis exterioribus infixæ [illegible] erant, quæ [illegible] fuerant, jam inde a diversis apostolicis, a vetusto tempore, quibuscunque regibus erant dono collata; e quibus una, quæ adhuc ante paucos annos steterat, [illegible] imperatori Ottoni ab Octaviano concessa est: hæc dum excuderentur [illegible] capita quæ infra fortiter tenebantur, remanserant: quæ tamen [illegible] apposita manu [illegible] percusso, leni labore [illegible], sunt discussa.

EPISTOLA AD CAROLUM LOTHARII REGIS FRATREM

Sub nomine Theoderici a Gerberto scripta.

(Vide inter epistolas Gerberti)

ANNO DOMINI DCCCCLXXXIV.

GEZO

ABBAS DERTONENSIS.

IN SEQUENTEM LIBRUM

DE CORPORE ET SANGUINE CHRISTI

ADMONITIO MURATORII.

(Anecdot. tom. III, pag. 237.)

Clarissimus vir Joannes Mabillonius, dum Italicas bibliothecas perlustraret, duos codices offendit, in quibus hoc ipsum Gezonis opus descriptum fuerat. Unus exstat in Florentino cœnobio S. Crucis Fratrum Minorum, sed sine titulo ac præfatione, alter in Padolironensi monasterio S. Benedicti in agro Mantuano, ut ex ejus Museo Italic., pag. 164 et 207, patet. At Mabillonio visum non est operæ pretium evulgare, integrum Gezonis librum; quare præfationem duntaxat atque indicem capitulorum ejusdem operis edidisse contentus pag. 89, parte altera laudati Musei, nos monuit se ad integram Gezonis editionem parasse sumptum, non intelligere id lectoribus fore gratum. Ego vero ex iis sum qui a clarissimo viro hujusmodi beneficium exoptassem: illud enim est argumentum a Gezone pertractatum, ea quæstio a temporum nostrorum novatoribus tam acriter agitata, ut antiquitatis in hanc rem vel quisquiliæ dignæ sint quæ in publicam lucem efferantur. Et profecto Gezonis liber, etsi nihil aliud præstare posset quam confirmare ecclesiasticam sæculi decimi traditionem, de veritate corporis et sanguinis Christi in augusto sacramento a Calvinianis negatam, libenti animo a catholicis amplectendus foret.

Quamobrem constitutum mihi est illud ipsum opus publici juris facere postquam ejus exemplar, Mabillonio ignotum, occurrit mihi olim in Ambrosianæ bibliothecæ ms. codice lit. Q. num. 98. Quod unum mihi præstandum censui, capita non pauca ejusdem operis prætermisi, utpote jam edita inter SS. Patrum Opera, qualia sunt quæ Gezo e libris Cypriani, Ambrosii, Augustini, Gregorii aliorumque decerpta in suum librum intulit. Multo magis omittendum censui libellum *Paschasii Ratberti ad Placidum discipulum*, quem pene integrum Gezo descripsit, constitutis ex illo tribus et viginti capitulis sui operis.

Quis fuerit quove tempore vixerit Gezo, ex ejus præfatione discimus, ubi hæc leguntur: *Quantum autem huic decreto voluntatis meæ reverendæ memoriæ domnus Gisoprandus, illo tunc tempore noster episcopus, et vi et auctoritate restiterit, non habetis incognitum*, etc. At Giseprandus sive Giselprandus, Dertonensis episcopus, ut Ughellus tom. IV, pag. 855 Ital. Sacræ ostendit, florebat circiter an. Ch. 950, cum Augustano concilio interfuerit an. 952 et nominetur inter testes in Othonis Magni Imperatoris diplomate Astensi ecclesiæ concesso an. 962. Eidem quoque Ughello vixisse Giseprandus videtur an 981, ex fide chronic. Vulturi-

nensis. Quæ omnia faciunt ut affirmare absque errandi periculo possimus, Gezonem quoque nostrum floruisse ante annum Christi millesimum.

Nobile vero monasterium suis sumptibus Giseprandus Dertonæ ædificarat sub titulo S. Martiani martyris, ubi sacrum quoque illius corpus reconditum fuit. Ughellus refert illustre diploma Othonis IV imperatoris anno 1210 concessum, in quo multa de eodem monasterio ejusque institutore Giselprando habentur. Primus autem illius cœnobii abbas, vivente adhuc laudato episcopo fuit Gezo noster, uti is in præfatione testatur, quo munere functus est post sublatum etiam e vivis Giselprandum. Quare cum ejus liber inscribatur : *Dilectissimis fratribus, quibus ex divina dispensatione, etc. paternam impendo sollicitudinem*, ad ipsos ejusdem monasterii monachos scripsisse dicendus est Gezo.

Post præfationem leguntur versus *domni Odonis*, hoc est abbatis Cluniacensis, qui sanctitate vitæ non minus quam editis libris clarus, vivere desiit an. Christi 942, ut ex ejus Vita ac elogiis constat. Tom. VII., Sæc. V, pag. 124, Act. Sanctor. ord. S. Benedicti, et ex tom. XVII Bibliothecæ Patrum, ubi pag. 313 editi reperiuntur hi ipsi versus. At qui subsequuntur, Paschasium Ratbertum celebrem virum auctorem habent; sed ex iis quindecim duntaxat editi leguntur tom. XIV, pag. 720, ejusdem Bibliothecæ Patrum, hoc est, usque ad *Disponit causam*, etc. Quare subsequentes in codice nostro opinor nondum publicæ luci redditos, in quibus *transsubstantiationem*, uti et in reliquis suis scriptis Paschasius aperte statuit, Gezone procul dubio sententiam eamdem probante.

GEZONIS

LIBER

DE CORPORE ET SANGUINE CHRISTI

INCIPIT PROLOGUS VEL EPISTOLA SEQUENTIS OPERIS. A

Dilectissimis fratribus, quibus ex divina dispensatione, quantum propria permittit infirmitas, paternam impendo sollicitudinem, GEZO Dei et Domini nostri Jesu Christi servus.

Decreveram quidem olim, fratres charissimi, gravissimorum mihi delictorum conscius patriam parentesque relinquere, et in aliquod me conferre secretum, ubi a sæcularium negotiorum strepitu omnimodo sequestratus, in omnipotentis Dei servitio ævum transigerem, peccta meo jugiter deplorans, et continuo pœnitentiæ satisfactione clementissimum Dominum et judicem universorum ad miserendum invitans. Quantum autem huic decreto voluntatis meæ, reverendæ memoriæ domnus Giseprandus, illo tunc tempore noster episcopus, et vi et B auctoritate restiterit, non habetis incognitum, asserens non esse canonicum ut, relicta Ecclesia in qua nutritus et ordinatus fueram, meo arbitrio alio demigrarem, se vero nunquam mihi ad ista præbiturum esse consensum. Præsertim cum jam ipse decreverit in propria Ecclesia, ubi beatissimi martyris Martiani corpus humatum quiescit, monasterium construere, in quo si omnimodo statueram mutare propositum, et solitudo mihi non deesset, et ad serviendum Deo juxta libitum cuncta suppeterent. Quam ego pollicitationem pro mea tunc imperitia ægre suscepi, quia æstuanti desiderio nimis prolixa tanti temporis videbatur exspectatio. Prævaluit tamen ejus auctoritas, quoniam tanti viri jussionibus non parere et consiliis non acquiescere, non modo temerarium, verum etiam insaniæ simile diceretur. Acceleravit igitur C quantocius implere promissum, et postpositis curis omnibus sæculi, quibus nimium impediebatur, ad monasterii fabricam totum se transtulit, indulta mihi bono animo licentia monachum profitendi. Nec diu moratus, ubi prosperari in manibus suis cœptum opus Domino cooperante perspexit, omni mihi instantia cœpit imminere ut totius loci curam susciperem, et in lucrandis Deo animabus sollicitum me vigilemque præberem. Repugnanti itaque mihi, et pondus regiminis non segniter refugienti, eo usque institit et irrevocabilis mansit, ut nulla a me excusatione suscepta sub divini se nominis obtestatione constringeret, quod nisi eo die voluntatis ejus arbitrio me committerem, ut subirem sarcinam quam jubebat, sine aliqua dilatione eliminatis hinc his ipsis, qui pauci admodum habebantur, monachis, canonicis, quos jam ad hoc præpareverat, locum traderet incolendum. Suscepi itaque infirmis humeris grave pondus regiminis, et nimia necessitate compulsus illius professionis magister factus sum, cujus non fueram ante discipulus. Dispensationis igitur mihi in vos creditæ ex eo tunc tempore curis mordacissimis occupatus, dum utilitati vestræ plurimum intendo, et quæ potissimum vobis expediunt, mecum ipse pertracto, occurit animo de Dominici corporis et sanguinis sacramento mellitum vobis atque florulentum, sacrisque promistionibus sobrie temperatum, poculum pro mei ingenii paupertate efficere, quod dilectioni vestræ et voluptati sit et saluti. Sanctorum siquidem Patrum scripta lectione percurrens, et intenta quantum potui meditatione retractans, quidquid in eisdem absolutius atque enodatius ad intelligendum de tantæ tamque subtilissimæ rei mysterio invenire valui, in unius libelli corpusculum compendiosa brevitate redegi, qui vobis, si Spiritus sancti favor aspiret, nec ex intellectus difficultate displi-

ceat, et ex sui parvitate complaceat. Imitatus in hoc opusculo Paschasium Ratbertum, qui de hac eadem re Placidio cuidam suo discipulo libellum luculento sermone composuit, eosdem ipse quos et ego secutus auctores, beatissimos scilicet Domini sacerdotes, Cyprianum, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Gregorium, Joannem, Isidorum, Isitium, Hieronymum et Bedam. De quorum omnium scriptis quosdam sententiarum decerpsimus flores, causæ valde necessarios, id est Dominici corporis et sanguinis suavissimum odorem exhalantes. Ipsius vero Paschasii libellum totum pene, sicut invenimus, ita in nostrum transtulimus, sensum ejus potius in aliquibus locis quam verba sequentes, et superflua quæque vitantes. Ut autem tanti mysterii gratia liquidius et purius vestris mentibus favore Spiritus sancti commendetur, miraculorum copiam congessi, quæ sanctis ac diligentibus se olim Dominus revelare dignatus est ad laudem et gloriam suam, ut ostenderet quid eis præparaverit in cœlis, quibus tantum munus reliquit in terris. Simul etiam illud attendens, ut si
quit in terris. Simul etiam illud attendens, ut si
quibus forte vel propter tarditatem sensus, vel propter litterarum imperitiam redemptionis hujus sacramentum ex Patrum scriptis non poterit esse perspicuum, signorum fiat revelatione manifestum. Qua vero reverentia quove timore sacro altari debeatis assistere, participationem tantæ gratiæ præstolantes, ne forte, quod absit, communicantibus vertatur in perniciem quod sumere cupitis ad salutem; libello huic quantum potui studiose adnexui, ut in omnibus Deo placentes, et ego ex vestro provectu, et ex meo vos labore atque sollicitudine misericordiam invenire valeamus in die Domini. Accipite igitur, fratres charissimi, eo quo defertur affectu qualecunque parvitatis meæ munusculum, nec ex mea vobis humilitate vilescat, quod ex sui sensus continentia gloriosum est atque præclarum; non enim sine periculo poterit a legente contemni, quia etsi minus habet aliquid in eloquio, nihil tamen præstantius esse potest in materia, qua digne credentibus vita præstatur incorruptibilis et æterna. Nec parvipendatis, obsecro, gratiam Domini, sed de ejus lectione intelligite quanta sit virtus vitam æternam in terris accipere angelicisque dapibus quotidie saginari. Quoniam, etsi Deo plena sunt omnia, nos quoque coram oculis divinæ majestatis semper versamur: plurimum tamen coram sanctis altaribus, et Dei vultum et angelorum præsentiam observare oportet, atque vereri, ubi tanta tamque excellentia nobis verbi Dei virtute atque miseratione præstantur, quanta nullus hominum eloqui potest. Ipse autem Deus et Dominus noster Verbum. Virtus et Sapientia Patris hanc eamdem gratiam, quam præstitit, conservet simul et tueatur in nobis, et oculos, quos vobis aperire jam cœpit, plenius illuminare dignetur. Per quem et cum quo æterno Patris est laus omnis et gloria, honor atque magnificentia et potestas cum sancto Spiritu a sæculis, et nunc, et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Explicit prologus.

INCIPIUNT CAPITULA SEQUENTIS OPERIS.

Expliciunt capitula.

VERSUS DOMNI ODONIS DE SACRAMENTO CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI.

Convivas epuli mundos Deus esse superni
Ut doceat, servis Dominus vestigia lavit,
Muneribus variis, et pluribus inde rejectis,
Frumentum et vinum cunctis hoc prætulit unum.
Hoc sacrat, hoc nimium, quod fit breve quod nimis altum,
A Tam modicum sumptu, tam perfacile atque paratum,
Tam sublime tamen quod totam habeat Deitatem.
Sufficit hoc solum mundi purgare piaclum.
Hinc placet hoc munus quod fit de pluribus unum,
Corpus huic capiti, caput inde cohæret et illi;
Hoc genus, hoc unum placet, hoc durabit in ævum.
Hoc facile est, nitidum, simplex, Deitateque plenum.

INCIPIUNT VERSUS PASCHASII RADBRETI AD PLACIDIUM DISCIPULUM.

(*Vide inter Opera Paschasii Radberti.*)

CAP. I. — *Quod humana infirmitas non facile debeat divina discutere, ex libro beati Hilarii episcopi et confessoris De Trinitate.*

Vetat beatus Apostolus Timotheo discipulo genealogiæ eloquia tractari, et fabulam interminatæ quæstionis attingi. Ædificationem vero Dei in fide esse, ut humanæ verecundiæ modum fideli omnipotentiæ Dei religione concludat. Neque se infirmitas nostra ad perspicienda ea quæ perspiciendi naturam non habent extendat. Quod si contuentibus solis claritatem virtus intenti luminis obstupescit, ut si quando causam radiantis lucis solertius acies curiosæ contemplationis inquirat, usque ad emortuum videndi sensum oculorum natura revocetur, accidatque nitendo magis videre, ne videas. Quid nobis in Dei rebus et sole justitiæ exspectandum est? Nonne incumbet volentibus supersapere stultitiam? Nonne C ipsum illud acræ intelligentiæ occupabit? Non enim natura inferior causam naturæ potioris intelliget, nec subjacet humanæ conceptioni ratio cœlestis. Nam intra conditionem infirmitatis erit, quidquid infirmi conscientiæ subdetur. Excedit itaque humanam mentem Dei potestas, ad quam si infirmitas protendet, magis infirma reddetur, dum hoc ipsum quod obtinet, amittit potiore ad obtundendum eam rerum cœlestium natura, quæ omnem ejus consectantis se pervicaciam ipsa complexu ejus major infirmat. Ut igitur sol ita videndus est ut potest videri, tantusque excipiendus est lumine, quantus admittitur, ne si plus velimus inspectare, minus quoque quam possumus consequamur, ita et ratio cœlestis in quantum se permittit intelligi in tantum exspectanda est, in quantum apprehendendam se dedit. Ne si contenti D indulgentiæ moderatione non simus, amittamus indulta. Est ergo in Deo quod percipi potest, est plane, si modo quod potest velis. Sicut enim est in sole quod videas, si hoc velis videre quod possis, amittas autem quod potest videri, dum quod non potest niteris; ita et in rebus Dei habes quod intelligas, si intelligere quod potes velis. Cæterum si ultra quam potes speres, id quoque quod potuisti, posse non poteris. Illos nunc arcanorum cœlestium scrutares consulo, ut secundum naturam suam nati ex Virgine Christi sacramentum loquantur. Unde dicent Virgini conceptum? unde Virgini partum? Qua hanc esse originum causam disputabunt? et quid intra secessus maternorum sinuum coaluisse corpus? Unde et homo est? unde tam verus. Post hæc quid sit descen-

disse de cœlis Filium hominum in cœlo manentem? Non enim ejusdem est secundum corporales causas descendere et manere quorum alterum descensionis transmutatio est, alterum manendi imperturbatio est. Vagit infans, sed in cœlo est. Puer crescit, sed plenitudinis Deus permanet. Jam vero cum ascendit ubi antea fuit, et descendit qui manet, quo intelligentiæ humanæ sensu continebitur? Dominus enim ait : Quid si videritis Filium hominis ascendentem ubi antea fuit? Ascendit Filius ubi antea fuit, et quis hoc sensus concipiet? Descendit de cœlo Filius hominis, qui in cœlis est, et quæ hoc ratio præstabit? Verbum caro factum est, quæ hoc verba loquentur? Fit caro Verbum, id est homo Deus, et qui homo est, in cœlis est, et qui Deus, de cœlis est. Ascendit descendens, sed descendit non descendens. Est qui erat, et quod est non erat.

CAP. II. — *De Dominici corporis origine.*

Corpus sibi Dominus ita assumpsit, ut id ex Virgine conceptum formam cum servi esse effecerit. Virgo enim nonnisi ex Spiritu sancto genuit quod genuit. Et quamvis tantum ad navitatem carnis ex se daret, quantum ex se feminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent, non tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam. Sed omnia causa nascendi invecta per Spiritum tenuit in hominis nativitate quod matris est, cum tamen haberet in originis nativitate quod Dei est. Hinc igitur maximum illud ac pulcherrimum suscepti hominis sacramentum Dominus ipse ostendit dicens: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Quod de cœlo descendit, conceptæ de Spiritu originis causa est; non enim corpori Maria originem dedit, licet ad incrementa partumque corporis omne quod sui sexus naturale est, contulerit. Quod vero hominis Filius est, susceptæ Virgine carnis est partus. Quod autem in cœlis est, naturæ semper manentis potestas est, quæ initiata conditaque per se carne non ex finitatis suæ virtute intra regionem se definiti corporis coarctavit. Spiritus virtute hac Verbi Dei potestate in forma servi manens ab omni intra extraque cœli, mundique circulo cœli, ac mundi Dominus non abfuit. Per hoc ergo et de cœlo descendit, et Filius hominis est, et in cœlis est. Quia Verbum caro factum est, non amiserat manere quod Verbum est, nam dum Verbum est, et in cœlis est, dum caro est, et hominis Filius. Dum Verbum est caro factum, et de cœlo est, et hominis est Filius, et in cœlo est. Quod et Verbi virtus non corporalibus modis manens non deerat, unde descenderat, et caro non aliunde originem sumpserat quam ex Verbo, et Verbum caro factum est, cum caro esset, non tamen non erat et Verbum. Absolute autem B. Apostolus etiam hujus inenarrandæ corporeæ nativitatis sacramentum locutus est dicens ; Primus homo de terræ limo, secundus homo de cœlo. Hominem enim dicens, nativitatem ex Virgine docuit, quæ officio usa materno sexus sui naturam in conceptu et partu hominis executa est. Et cum ait secundum hominem de cœlo, originem ejus ex supervenientis in Virginem Spiritus sancti adduc testatus est. Atque ita cum et homo est, et in cœlo est, hominis hujus et partus a Virgine est, et conceptu ex Spiritu sancto est. Novit Ecclesia unum Deum, ex quo omnia, novit et unum Dominum nostrum Jesum Christum per quem omnia, unum ex quo, et unum per quem. Ab uno universorum originem, per unum cunctorum creationem. In uno ex quo, auctoritatem innascibilitatis intelligit. In uno per quem, potestatem nihil differentem ab auctore veneratur. Cum ex quo, et per quem ad id creatur in his quæ creata sunt communionis auctoritas sit. Novit in Spiritu Deum Spiritum impassibilem et indesecabilem. Didicit enim a Domino spiritui carnem et ossa non esse, ne forte cardere in eum corporalium passionum detrimenta credantur. Novit unum innascibilem Deum, novit et unigenitum Dei Filium. Confitetur Patrem æternum, et ab origine liberum, confitetur et originem Filii ab æterno, non per se ipsum, sed ab eo, qui a nemine semper est, natum ab æterno, nativitatem videlicet ex paterna æternitate sumentem. Novit de Deo non esse humanis judiciis sentiendum; neque enim nobis ea naturu est, ut se in cœlestem cognitionem suis viribus efferat. A Deo discendum est quod de Deo intelligendum sit, quia non nisi se auctore cognoscitur. Adsit licet sæcularis doctrinæ elaborata institutio, adsit vitæ innocentia, hæc quidem proficient ad conscientiæ gratulationem, non tamen cognitionem Dei consequentur. Moyses cum in terra Madian ovium pastor esset, ignem in rubo sine concrematione rubi contuens, Deum audivit, et nomen interrogavit, et naturam cognovit. Neque hæc de Deo, nisi per Deum cognita esse potuissent. Loquendum ergo non aliter de Deo est quam ut ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est. Deo cui omnia in mortuis vivunt, hoc solum perit, quod sibi deperit. Nam judicaturus ipse de omnibus, et pro majestatis suæ misericordia pene meritum ignoranti moderaturus errori, negantes se jam non judicabit utique, sed negabit. Fidei veræ professio ita Deum ex Deo natum, ut lumen ex lumine, quod sine detrimento suo naturam suam præstat ex sese, ut det quod habet, et quod dederit habeat. Nascatur quoque quod sit, cum non aliud quam quod est natum vit. Et nativitas acceperit quod erat, nec ademerit quod accepit, sitque utrumque unum dum ex eo quod est nascitur, et quod nascitur neque aliunde neque aliud est; est enim lumen de lumine.

CAP. III. — *De Nativitate Filii Dei ex Patre.*

Non per consuetudinem humani partus Deus ex Deo nascitur, neque per elementa originis nostræ, ut homo ex homine propellitur. Integra illi, et perfecta, et incontaminata nativitas est, cujus a Deo exitio potius quam partus est. Est enim unus ex uno, non est portio, non est defectio, non est diminutio, non derivatio, non protentio, non passio, sed viventis naturæ ex vivente nativitas est, et Deus ex

Deo exiens, non creatura in Dei nomine electa. Non, ut esset, cepit, ex nihilo, sed exiit a manente. Et exisse significationem habet nativitatis, non habet inchoationis. Non enim idem est cepisse substantiam, et Deum exisse de Deo. Et nativitatis hujus scientia licet non subjecta verbis sit, cum inenarrabilis sit, habet tamen in doctrina Filii fidei securitatem a Deo se manifestantis exisse. Habet hoc sacramenti sola nativitas, ut complectatur in se et nomen, et naturam, et potestatem, et professionem, quod universa nativitas non potest non in ea esse natura unde nascatur. Non affert ex terreni generis substantiam, quod ex uno non subsistit alieno. Quod autem alienum a se non est, id unum est genere naturæ, et quidquid unum est per nativitatem, non habet solitudinem.

B Cap. IV. — *Quod formis sæpe comparabilibus erudiamur ad intelligenda divina.*

Humanæ itaque nativitatis conscientiam consulo, utrum non intra Patris originem maneat origo nascentium; nam tam etsi elementa illa inanima ac turpia quibus nascendi causæ inchoantur, in hominem alterum effluant, per naturæ tamen virtutem intra se invicem maneant, dum et per datam a se naturæ ejusdem originem nascentem sequitur ille qui gignit, et per acceptam nativitatem, cujus virtus derivetur, non tamen auferatur in gignente, si manet ille qui gignitur. Et hoc quidem tantum ad humanæ nativitatis intelligentiam commemoratum a nobis sit, non etiam ad perfectum in Unigenito Deo nativitatis exemplum, quia naturæ humanæ infirmitas ex disparibus comparatur, et nec ex inanimis continetur ad vitam, nec statim in ea qui gignitur vivit, neque totum vivit ex vita, cum in ea multa sint quæ sine naturæ suæ sensu cum excreverint desecentur. In Deo vero quod est, totum vivit; Deus enim vita est, et hæc vita non potest quidquam esse nisi vivum, neque ex derivatione, sed ex virtute nativitas est. Ac si dum totum quod est vivit, et dum totum quod ex eo nascitur virtus est, habet nativitatem, non habet demutationem, et impertit profectum, non amittit naturam. Et dum nativitatem quam dedit per indiscretæ naturæ similitudinem sequitur, et nativitas eam, quæ vivens ex vivente est, naturam nascendo non deserit. Affert autem pro parte fidei hujus significationem ignis in se ignem habens, et in igne ignis manens. Nam cum sit in eo splendor luminis, naturæ calor, virtus urendi, mobilitas æstuandi, totum tamen ignis est, et hæc universa una natura est. Habet quidem ex infirmitate quod per materiam subsistit ac vivit, et cum ea per quam vixerat, deficit. Sed hoc quod incorporale Dei est ex comparationum parte cognoscimus, ut non incredibile in Deum sit, quod pro parte aliqua in terrenis reperiatur elementis. Quæro itaque nunc utrum divisio ac separatio sit, cum ignis ex igne est? Aut nunquid absciditur natura, ne maneat? Aut non sequitur natura, ne insit? cum accenso lumine ex lumine per quemdam quasi nativitatis profectum naturæ nulla defectio sit, et tamen sit lumen ex lumine. Aut nunquid hoc non manet in eo, quod ex sese sine defectione subsistat? Aut hoc non inest in eo, unde non recessum est, sed cum unitate substantiæ naturalis exivit? Et quæro anne non unum sint, cum lumen ex lumine nec divisione separabilis sit, nec genere naturæ? Et hæc, ut dixi, ad intelligentiam tantum fidei comparata sint. non etiam ad Dei dignitatem, ut non potius intelligentiam invisibilium ex comparabilibus sumeremus, non utique, ut aliquod naturæ Dei satisfaceret comparationis exemplum, cum dignum et justum esset testanti de se Deo credere.

Cap. V. — *De Dei Patris substantia.*

Pater est ex quo omne quod est consistit. Ipse in Christo et per Christum origo omnium. Cæterum ejus in sese est, non aliunde quod est sumens, sed id quod est ex se atque in se continens. Infinitus quia non ipse in aliquo, sed intra eum omnia. Semper extra locum, quia non continetur in loco. Semper ante ævum, quia tempus ab eo est extra quem nihil est, et cui est semper, ut semper sit. Hæc veritas est sacramenti Dei, hoc imperspicabile naturæ nomen in Patre. Soli Filio notus, quia Patrem nemo novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Ergo de Patre una cum Filio revelante Filio, qui solo testis fidelis est, sentiamus.

Cap. VI. — *De nativitate Filii Dei ex Patre.*

C (1) Filium mens consternatur attingere, et trepidat omnis sermo se prodere. Est progenies ingeniti, unus ex uno, verus a vero, vivus a vivo, perfectus a perfecto, virtutis virtus, sapientia sapientiæ, gloria gloriæ, imago invisibilis Dei, forma Patris ingeniti. Si quis forte intelligentiæ suæ imputabit generationis divinæ sacramentum, id est qualiter genuerit Pater Filium non posse se consequi, cum tamen et Pater sit absolute intelligendus, et Filius, majore istud dolore a me audiet ignorari. Ego nescio, non requiro, et consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, angeli non audierunt, sæcula non tenent, propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit. Cesset dolor querelarum. Nam te, quisquis es, qui hæc requiris, non revoco in exemplum, non in amplitudinem tendo, non deduco D in profundum. Nonne æquanimiter ignorabis Creatoris nativitatem ignorans originem creaturæ? Hoc saltem requiro, sentisne te genitum, et quæ ex te generentur intelligis? Non quæro sensum unde hauseris vitam, unde sortitus sis intelligentiam, unde adeptus sis: quale est quod in te sit odor, sensus, visus, auditus? Certe nemo quod facit nescit. Quæro unde ista his quos generes indulgeas; qualiter sensus inseras, oculos ascendas, cor affligas. Hæc, si potes, enarra. Habes ergo quod nescis, et tribuis quæ non intelligis, æquanimiter imperitus in tuis, insolenter in Dei rebus ignarus es.

(1) Vide S. Hilar., lib. II de Trin.

Recta fides.

Stat in hoc intelligentia fine verborum. Est Filius ab eo Patre qui est. Unigenitus ab ingenito, progenies a parente, vivus a vivo. Ut Patris vita in semetipso, ita et Filio data est vita in semetipso. Perfectus a perfecto, quia totus a toto. Non divisio, aut discissio, quia alter in altero, et plenitudo divinitatis in Filio est. Incomprehensibilis ab incomprehensibili. Novit enim nemo nisi invicem. Invisibilis ab invisibili, quia imago Dei invisibilis est, et quia qui vidit Filium, vidit et Patrem. Alius ab alio, quia Pater et Filius. Non natura divinitatis alia et alia, quia ambo unum. Deus a Deo. Ab uno ingenito Deo unigenitus Deus. Non dii duo, sed unus ab uno. Non ingeniti duo, quia natus est ab innato. Alter ab altero nihil differens, quia vita viventis in vivo est. Hæc de natura divinitatis attigimus, non summam intelligentiæ comprehendentes, sed intelligentes esse incomprehensibilia quæ loquamur.

Cap. VII. — *De filii Dei generatione ex matre.*

Humani autem generis causa Dei Filius natus ex Virgine est, et Spiritu sancto ipso sibi in hac operatione famulante et sua videlicet Dei inumbrante virtute corporis sibi initia conscivit, et exordia carnis instituit, ut homo factus ex Virgine naturam in se carnis acciperet, perque hujus admistionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret. Ut quemadmodum omnes in se per id quod corporeum se voluit esse, conderentur, ita rursum in omnes ipse per id quod ejus est invisibile referretur. Dei igitur imago invisibilis pudorem humani exordii non recusavit. Et per conceptionem, partum, vagitum et cunas, omnes naturæ nostræ contumelias transcucurrit. Quid tandem dignum a nobis tantæ dignationis affectui rependetur? Inenarrabilis a Deo originis unus unigenitus Deus in corpusculi humani formam sanctæ Virginis utero insertus accrescit. Qui omnia continet, et intra quem et per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur. Et ad cujus vocem angeli atque archangeli tremunt, cœlum, et terra, et omnia mundi hujus elementa resolventur, vagitu infantiæ auditur. Qui invisibilis et incomprehensibilis est, non visu, sensu tactuque moderandus, cunis est obvolutus. Hæc si quis indigna Deo recolet, tanto se majori beneficii obnoxium confitebitur, quanto minus hæc Dei convenerint majestati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus est. Sed nos eguimus ut Deus caro fieret et habitaret in nobis, id est assumptione carnis unius universæ carnis interna incoleret. Humilitas ejus nostra nobilitas est, contumelia ejus honor noster est. Quod ille Deus in carne consistens, hoc nos vicissim in Deum ex carne renovati. Sed ne forte detineant scrupulosas mentium cogitationes, cunæ, vagitus, partus atque conceptio; recolenda est in singulis Dei dignitas, ut voluntatis humilitatem potestatis ambitio præcedat, nec dignationem dignitas derelinquat. Videamus igitur quæ sint mysteria conceptus. Angelus Zachariæ loquitur, sterili partus affertur. De incensi loco sacerdos mutus egreditur. Joannes in vocem adhuc utero matris detentus erumpit. Mariam angelus benedicit, matrem Filii Dei virginem pollicetur. Illa virginitatis suæ conscia, difficultate facti commovetur. Angelus ei efficientiam divinæ operationis exponit; ait enim: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Spiritus sanctus desuper veniens Virginis interiora sanctificavit, et in his spirans, qui ubi vult Spiritus spirat, naturæ se humanæ carnis immiscuit. Et id quod alienum a se erat, vi sua ac potestate præsumpsit. Atque ut ne quid per imbecillitatem humani corporis dissideret, virtus altissimi Virginem obumbrat, infirmitatem ejus velut per umbram circumfusam confirmans, ut ad sementinam inceuntis Spiritus efficaciam substantiam corporalem divinæ virtutis inumbratio temperaret. Hæc conceptionis est dignitas. Videamus partum, vagitum et cunas, dignitas quæ sequatur. Loquitur ad Joseph angelus parituram Virginem, et eum, qui natus fuerit, vocandum Emmanuelem, id est: *Nobiscum Deus.* Proclamat Spiritus per prophetam. Angelus testis est, Deus nobiscum est ille qui nascitur. Novum magis de cœlo stellæ lumen effertur, et cœli Dominum signum cœleste prosequitur. Angelus pastoribus nuntiat natum Christum Domini, salutem universorum. Multitudo exercitus cœlestis in laudem puerperii concurrit, et tanti operis præconia divini cœtus gaudia eloquuntur. Gloria deinde in cœlis Deo, et pax in terra hominibus bonæ voluntatis nuntiatur. Adsunt deinde magi, involutum pannis adorant, et post illam inanis scientiæ suæ arcanam operationem posito in cunis genu flectunt. Sic per magos cunarum sordes adorantur, sic vagitus per angelorum divina gaudia honorantur. Sic partui proclamans per prophetam Spiritus, et id ipsum angelis nuntians et novæ lucis stella famulatur. Sic initia nascendi Spiritus sanctus superveniens, et inumbrans virtus Altissimi molitur. Aliud intelligitur, aliud videtur; aliud oculis, aliud animo conspicitur. Parit Virgo, partus a Deo est. Infans vagit, laudantes angeli audiunt. Pannis sordet, Deus adoratur. Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur. Par etiam est reliquæ cursus ætatis; nam omne tempus quod in homine egit, Dei operibus explevit. De singulis autem non est tempus edicere. Tantum illud in universis virtutum et curationum generibus contuendum est in carnis assumptione hominem, Deum vero in gestis rebus existere.

Cap. VIII. — *Dominum nostrum Jesum Christum per assumptam carnem naturaliter manere in nobis, et nos per perceptionem corporis et sanguinis ejus manere in eo.*

Si vere Verbum caro factum est, et vere nos Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ

Deo exiens, non creatura in Dei nomine electa. Non, ut esset, cepit, ex nihilo, sed exiit a manente. Et exisse significationem habet nativitatis, non habet inchoationis. Non enim idem est cepisse substantiam, et Deum exisse de Deo. Et nativitatis hujus scientia licet non subjecta verbis sit, cum inenarrabilis sit, habet tamen in doctrina Filii fidei securitatem a Deo se manifestantis exisse. Habet hoc sacramenti sola nativitas, ut complectatur in se et nomen, et naturam, et potestatem, et professionem, quod universa nativitas non potest non in ea esse natura unde nascatur. Non affert ex terreni generis substantiam, quod ex uno non subsistit alieno. Quod autem alienum a se non est, id unum est genere naturæ, et quidquid unum est per nativitatem, non habet solitudinem.

Cap. IV. — *Quod formis sæpe comparabilibus erudiamur ad intelligenda divina.*

Humanæ itaque nativitatis conscientiam consulo, utrum non intra Patris originem maneat origo nascentium; nam tam etsi elementa illa inanima ac turpia quibus nascendi causæ inchoantur, in hominem alterum effluant, per naturæ tamen virtutem intra se invicem maneant, dum et per datam a se naturæ ejusdem originem nascentem sequitur ille qui gignit, et per acceptam nativitatem, cujus virtus derivetur, non tamen auferatur in gignente, si manet ille qui gignitur. Et hoc quidem tantum ad humanæ nativitatis intelligentiam commemoratum a nobis sit, non etiam ad perfectum in Unigenito Deo nativitatis exemplum, quia naturæ humanæ infirmitas ex disparibus comparatur, et nec ex inanimis continetur ad vitam, nec statim in ea qui gignitur vivit, neque totum vivit ex vita, cum in ea multa sint quæ sine naturæ suæ sensu cum excreverint desecentur. In Deo vero quod est, totum vivit; Deus enim vita est, et hæc vita non potest quidquam esse nisi vivum, neque ex derivatione, sed ex virtute nativitas est. Ac si dum totum quod est vivit, et dum totum quod ex eo nascitur virtus est, habet nativitatem, non habet demutationem, et impertit profectum, non amittit naturam. Et dum nativitatem quam dedit per indiscretæ naturæ similitudinem sequitur, et nativitas eam, quæ vivens ex vivente est, naturam nascendo non deserit. Affert autem pro parte fidei hujus significationem ignis in se ignem habens, et in igne ignis manens. Nam cum sit in eo splendor luminis, naturæ calor, virtus urendi, mobilitas æstuandi, totum tamen ignis est, et hæc universa una natura est. Habet quidem ex infirmitate quod per materiam subsistit ac vivit, et cum ea per quam vixerat, deficit. Sed hoc quod incorporale Dei est ex comparationum parte cognoscimus, ut non incredibile in Deum sit, quod pro parte aliqua in terrenis reperiatur elementis. Quæro itaque nunc utrum divisio ac separatio sit, cum ignis ex igne est? Aut nunquid abscidilur natura, ne maneat? Aut non sequitur natura, ne insit? cum accenso lumine ex lumine per quemdam quasi nativitatis profectum naturæ nulla defectio sit, et tamen sit lumen ex lumine. Aut nunquid hoc non manet in eo, quod ex sese sine defectione subsistat? Aut hoc non inest in eo, unde non recessum est, sed cum unitate substantiæ naturalis exivit? Et quæro anne non unum sint, cum lumen ex lumine nec divisione separabilis sit, nec genere naturæ? Et hæc, ut dixi, ad intelligentiam tantum fidei comparata sint. non etiam ad Dei dignitatem, ut non potius intelligentiam invisibilium ex comparabilibus sumeremus, non utique, ut aliquod naturæ Dei satisfaceret comparationis exemplum, cum dignum et justum esset testanti de se Deo credere.

Cap. V. — *De Dei Patris substantia.*

Pater est ex quo omne quod est consistit. Ipse in Christo et per Christum origo omnium. Cæterum ejus in sese est, non aliunde quod est sumens, sed id quod est ex se atque in se continens. Infinitus quia non ipse in aliquo, sed intra eum omnia. Semper extra locum, quia non continetur in loco. Semper ante ævum, quia tempus ab eo est extra quem nihil est, et cui est semper, ut semper sit. Hæc veritas est sacramenti Dei, hoc imperspicabile naturæ nomen in Patre. Soli Filio notus, quia Patrem nemo novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Ergo de Patre una cum Filio revelante Filio, qui solo testis fidelis est, sentiamus.

Cap. VI. — *De nativitate Filii Dei ex Patre.*

(1) Filium mens consternatur attingere, et trepidat omnis sermo se prodere. Est progenies ingeniti, unus ex uno, verus a vero, vivus a vivo, perfectus a perfecto, virtutis virtus, sapientia sapientiæ, gloria gloriæ, imago invisibilis Dei, forma Patris ingeniti. Si quis forte intelligentiæ suæ imputabit generationis divinæ sacramentum, id est qualiter genuerit Pater Filium non posse se consequi, cum tamen et Pater sit absolute intelligendus, et Filius, majore istud dolore a me audiet ignorari. Ego nescio, non requiro, et consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, angeli non audierunt, sæcula non tenent, propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit. Cesset dolor querelarum. Nam te, quisquis es, qui hæc requiris, non revoco in exemplum, non in amplitudinem tendo, non deduco in profundum. Nonne æquanimiter ignorabis Creatoris nativitatem ignorans originem creaturæ? Hoc saltem requiro, sentisne te genitum, et quæ ex te generentur intelligis? Non quæro sensum unde hauseris vitam, unde sortitus sis intelligentiam, unde adeptus sis: quale est quod in te sit odor, sensus, visus, auditus? Certe nemo quod facit nescit. Quæro unde ista his quos generes indulgeas; qualiter sensus inseras, oculos ascendas, cor affligas. Hæc, si potes, enarra. Habes ergo quod nescis, et tribuis quæ non intelligis, æquanimiter imperitus in tuis, insolenter in Dei rebus ignarus es.

(1) Vide S. Hilar., lib. II de Trin.

Recta fides.

Stat in hoc intelligentia fine verborum. Est Filius ab eo Patre qui est. Unigenitus ab ingenito, progenies a parente, vivus a vivo. Ut Patris vita in semetipso, ita et Filio data est vita in semetipso. Perfectus a perfecto, quia totus a toto. Non divisio, aut discissio, quia alter in altero, et plenitudo divinitatis in Filio est. Incomprehensibilis ab incomprehensibili. Novit enim nemo nisi invicem. Invisibilis ab invisibili, quia imago Dei invisibilis est, et quia qui vidit Filium, vidit et Patrem. Alius ab alio, quia Pater et Filius. Non natura divinitatis alia et alia, quia ambo unum. Deus a Deo. Ab uno ingenito Deo unigenitus Deus. Non dii duo, sed unus ab uno. Non ingeniti duo, quia natus est ab innato. Alter ab altero nihil differens, quia vita viventis in vivo est. Hæc de natura divinitatis attigimus, non summam intelligentiæ comprehendentes, sed intelligentes esse incomprehensibilia quæ loquamur.

CAP. VII. — *De filii Dei generatione ex matre.*

Humani autem generis causa Dei Filius natus ex Virgine est, et Spiritu sancto ipso sibi in hac operatione famulante et sua videlicet Dei inumbrante virtute corporis sibi initia conscivit, et exordia carnis instituit, ut homo factus ex Virgine naturam in se carnis acciperet, perque hujus admistionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret. Ut quemadmodum omnes in se per id quod corporeum se voluit esse, conderentur, ita rursum in omnes ipse per id quod ejus est invisibile referretur. Dei igitur imago invisibilis pudorem humani exordii non recusavit. Et per conceptionem, partum, vagitum et cunas, omnes naturæ nostræ contumelias transcucurrit. Quid tandem dignum a nobis tantæ dignationis affectui rependetur? Inenarrabilis a Deo originis unus unigenitus Deus in corpusculi humani formam sanctæ Virginis utero insertus accrescit. Qui omnia continet, et intra quem et per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur. Et ad cujus vocem angeli atque archangeli tremunt, cœlum, et terra, et omnia mundi hujus elementa resolventur, vagitu infantiæ auditur. Qui invisibilis et incomprehensibilis est, non visu, sensu tactuque moderandus, cunis est obvolutus. Hæc si quis indigna Deo recolet, tanto se majori beneficii obnoxium confitebitur, quanto minus hæc Dei convenerint majestati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus est. Sed nos eguimus ut Deus caro fieret et habitaret in nobis, id est assumptione carnis unius universæ carnis interna incoleret. Humilitas ejus nostra nobilitas est, contumelia ejus honor noster est. Quod ille Deus in carne consistens, hoc nos vicissim in Deum ex carne renovati. Sed ne forte detineant scrupulosas mentium cogitationes, cunæ, vagitus, partus atque conceptio; recolenda est in singulis Dei dignitas, ut voluntatis humilitatem potestatis ambitio præcedat, nec dignationem dignitas derelinquat. Videamus igitur quæ sint mysteria conceptus. Angelus Zachariæ loquitur, sterili partus affertur. De incensi loco sacerdos mutus egreditur. Joannes in vocem adhuc utero matris detentus erumpit. Mariam angelus benedicit, matrem Filii Dei virginem pollicetur. Illa virginitatis suæ conscia, difficultate facti commovetur. Angelus ei efficientiam divinæ operationis exponit; ait enim: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Spiritus sanctus desuper veniens Virginis interiora sanctificavit, et in his spirans, qui ubi vult Spiritus spirat, naturæ se humanæ carnis immiscuit. Et id quod alienum a se erat, vi sua ac potestate præsumpsit. Atque ut ne quid per imbecillitatem humani corporis dissideret, virtus altissimi Virginem obumbrat, infirmitatem ejus velut per umbram circumfusam confirmans, ut ad sementinam inceuntis Spiritus efficaciam substantiam corporalem divinæ virtutis inumbratio temperaret. Hæc conceptionis est dignitas. Videamus partum, vagitum et cunas, dignitas quæ sequatur. Loquitur ad Joseph angelus parituram Virginem, et eum, qui natus fuerit, vocandum Emmanuelem, id est: *Nobiscum Deus.* Proclamat Spiritus per prophetam. Angelus testis est, Deus nobiscum est ille qui nascitur. Novum magis de cœlo stellæ lumen effertur, et cœli Dominum signum cœleste prosequitur. Angelus pastoribus nuntiat natum Christum Domini, salutem universorum. Multitudo exercitus cœlestis in laudem puerperii concurrit, et tanti operis præconia divini cœtus gaudia eloquuntur. Gloria deinde in cœlis Deo, et pax in terra hominibus bonæ voluntatis nuntiatur. Adsunt deinde magi, involutum pannis adorant, et post illam inanis scientiæ suæ arcanam operationem posito in cunis genu flectunt. Sic per magos cunarum sordes adorantur, sic vagitus per angelorum divina gaudia honorantur. Sic partui proclamans per prophetam Spiritus, et id ipsum angelis nuntians et novæ lucis stella famulatur. Sic initia nascendi Spiritus sanctus superveniens, et inumbrans virtus Altissimi molitur. Aliud intelligitur, aliud videtur; aliud oculis, aliud animo conspicitur. Parit Virgo, partus a Deo est. Infans vagit, laudantes angeli audiunt. Pannis sordet, Deus adoratur. Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur. Par etiam est reliquæ cursus ætatis; nam omne tempus quod in homine egit, Dei operibus explevit. De singulis autem non est tempus edicere. Tantum illud in universis virtutum et curationum generibus contuendum est in carnis assumptione hominem, Deum vero in gestis rebus existere.

CAP. VIII. — *Dominum nostrum Jesum Christum per assumptam carnem naturaliter manere in nobis, et nos per perceptionem corporis et sanguinis ejus manere in eo.*

Si vere Verbum caro factum est, et vere nos Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus asssumpsit, et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ

carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus, quia et in Christo Pater est, et Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter vel se in Christo vel Christum sibi inesse, quia in Christo Pater et Christus in nobis unum in his esse nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille qui ex Maria natus fuit Christus est, nosque vero sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus, quia Pater in illo est, et ille in nobis; quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturaliter per sacramentum proprietas perfectæ sacramentum sit unitatis? Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum. Neque per violentiam aut impudentem prædicationem cœlestium dictorum sanitati alienæ, atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt legamus, et quæ legerimus intelligamus, et tunc perfecto fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim dixit: Caro mea vere est esca; et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. De Veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra vera caro est, et vere sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum Deum verum esse denegant. Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum secum hoc quod nos sumus, in Deum est. Unam autem in eo per sacramentum communicatæ carnis et sanguinis simns, ipse testatur dicens: Et hic mundus me jam non videt; vos autem me videbitis, quoniam ego vivo, et vos vivetis. In illa die vos cognoscetis quoniam ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit? Nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, et ille rursum in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur, ac sic perfecta per mediatorem unitas doceretur, cum nobis in se manentibus ipse maneret in Patre, et in Patre manens maneret in nobis. Et ita ad unitatem Patris proficeremus, cum qui in eo secundum nativitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente. Quam autem naturalis in nobis unitas sit, ipse ita testatus est: Qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit, ejus tantum ipse assumptam habens carnem, qui suam sumpserit. Perfecte autem hujus unitatis sacramentum superius jam docuerat dicens: Sicut misit me vivus Pater, et ego vivo per Patrem, et qui manducaverit meam carnem, et ipse vivit per me. Vivit ergo per Patrem; et quomodo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem ejus vivemus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præsumitur, ut id de quo agitur secundum propositum exemplum assequamur. Hæc ergo vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione qua vivit illa per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, id est naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter secundum Spiritum in se Patrem habeat, cum vivat ipse per Patrem? Vivit autem per Patrem, dum nativitas non alienam ei intulit, diversamque naturam, dum quod est ab eo est, nec tamen ab eo per aliquam incidentem naturæ dissimilitudinem separatur, dum in se per nativitatem habet Patrem in virtute naturæ. Hæc autem a nobis idcirco commemorata sunt, quia voluntatis tantum inter Patrem et Filium unitatem hæretici mentientes, unitatis nostræ ad Deum utebantur exemplo, tanquam nobis ad Filium et per Filium ad Patrem obsequio tantum ac voluntate religionis unitis nulla per sacramentum carnis et sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur. Cum et per honorem nobis datum Dei Filii, et permanentem in nobis carnaliter Filium, et in eo nobis corporaliter et inseparabiliter unitis mysterium veræ ac naturalis unitatis sit prædicandum.

CAP. IX. — *Ecclesiæ fides catholica.*

Ecclesiæ fides apsstolicis imbuta doctrinis novit in Christo nativitatem, sed ignorat exordium: scit dispensationem, sed nescit divisionem. Non partitur Jesum Christum, ut Jesus non ipse sit Christus, nec Filium hominis discernit a Dei Filio, ne Filius Dei forte non et Filius hominis intelligatur. Non assumit Filium Dei in Filium hominis, neque tripertita Christum fide scindit, cujus desuper texta vestis inscissa est, ut Jesum Christum, et in Verbum, et in animam, et in corpus inscindat, neque rursum Deum Verbum in animam et corpus assumat. Totum ei Deus Verbum est, totum et homo Christus. Retinens hoc in sacramento confessionis suæ unum, nec Christum aliud credere quam Jesum, nec Jesum aliud prædicare quam Christum. Non ignoro autem in quantum humanæ intelligentiæ infirmitatem magnificentia mysterii cœlestis impediat (2). Ut hæc non facile aut verbis enuntiare, aut dijudicare sensu, aut etiam complecti mente possimus. Æternitas Patris locum, tempus, speciem, et quicquid illud humano sensu concipi poterit, excedit. Ipse extra omnia, et in omnibus, capiens universa, et capiendus a nemine. Non accessu decessuro mutabilis, sed invisibilis, incomprehensibilis, plenus, perfectus, æternus, non aliunde quid sumens, sed ad id quod ita manet, sibi ipse sufficiens. Hic ergo ingenitus ante omne tempus ex se Filium genuit; non ex aliqua subjacente materia, quia per Filium omnia; non ex nihilo, quia ex se

(2) Vide S. Hilar. lib. III, de Trin.

Filium ; non ut partum, quia nihil in Deo demutabile aut vacuum est. Non partem sui, vel divisam, vel discissam, vel extensam, quia et impassibilis et incorporeus Deus est. Hæc autem passionis et carnis sunt, et secundum Apostolum : In Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Sed incomprehensibiliter, inenarrabiliter, ante omne tempus et sæcula unigenitum ex his quæ ingenita in se erant, procreavit, omne, quod Deus est, per charitatem atque virtutem nativitati ejus impertiens. Ac sic a perfecto, ingenito æternoque Patre unigenitus, et perfectus, et æternus est Filius. Ea autem quæ ejus sunt secundum corpus quod assumpsit, bonitatis ejus ad salutem nostram voluntas est. Invisibilis enim, et incorporeus, et incomprehensibilis, utpote ab eo genitus, tantum in se et materiæ et humilitatis recepit, quantum in nobis erat virtutis ad intelligendum se et sentiendum et contuendum. Imbecillitati nostræ potius obtemperans, quam de his in quibus erat ipse deficiens. Igitur perfecti Patris perfectus Filius, et ingeniti Dei unigenita progenies, qui ab eo qui habet omnia, accepit omnia, Deus a Deo, Spiritus ab spiritu, lumen a Lumine. Confidenter ait : Pater in me, et ego in Patrem. Quia ut Spiritus Pater, ita et Filius Spiritus. Ut Deus Pater, ita et Filius Deus. Ut lumen Pater, ita et Filius lumen. Ex his ergo quæ in Patre sunt, ea in quibus est Filius, id est ex toto Patre totus Filius natus est. Non aliunde, quia nihil antequam Filius. Non ex nihilo, quia ex Deo Filius. Non in parte, quia plenitudo Deitatis in Filio. Neque in aliquibus, quia in omnibus. Sed ut voluit, qui potuit, ut scit qui genuit. Quod in Patre est, hoc et in Filio est. Quod in ingenito, hoc et in Unigenito. Alter ab altero, et uterque unum. Non duo unus, sed alius in alio, quia non aliud in utroque. Pater in Filio, quia ex eo Filius. Filius in Patre, quia non aliunde quod Filius. Unigenitus in ingenito, quia ab ingenito unigenitus. Ita in se invicem, quia ut omnia in ingenito Patre perfecta sunt, ita omnia in Filio unigenito perfecta sunt. Hæc in Filio et in Patre unitas, hæc virtus, hæc claritas, hæc fides, hæc spes, hæc veritas, via, vita : non calumniari de virtutibus suis Deo, nec per secretum ac potestatem nativitatis obtrectare Filio : Patri ingenito nihil comparare; Unigenitum ab eo nec tempore nec virtute discernere ; Deum Filium, quia ex Deo est confiteri. Curam ergo humani generis habens Dei Filius, primum ut sibi crederetur homo factus est, ut testis divinarum rerum nobis esset ex nostris, perque infirmitatem carnis Deum Patrem nobis infirmis et carnalibus prædicaret. Voluntatem in eo Dei Patris efficiens, cum dicit : Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui me misit. Non quod nollet et ille quod faciat, sed obedientiam suam sub effectu paternæ voluntatis ostendit, volens ipse voluntatem Patris explere. Erat autem hæc efficientia voluntatis voluntas.

Cap. X. — *Non confidendum in humana prudentia.*

Non est in tantum confidendum prudentia humana, ut perfectum putet se sapere quod sapiat, et in eo absolute rationis summam contineri arbitretur, quod ipsa mente pertractans æquabili undique apud se existimet veritatis opinione constare. Non enim concipiunt imperfecta perfectum, neque quod ex alio subsistit, absolute vel auctoris sui potest intelligentiam obtinere, [illegible] tantum quod [illegible] suum, quam sibi constituta sit natura, non tendens. Motum enim suum non sibi debet, sed auctori. Et idcirco quod in aliud ex auctore subsistit, imperfectum sibi est, dum constat aliunde. Et necesse est ut in quo perfectum se putet sapere, desipiat, quia naturæ suæ non moderans necessitatem, et omnia infirmitatum suarum existimans terminis contineri falso jam sapientiæ nomine gloriatur, quia sapere sibi ultra sensus sui non liceat potestatem, et quam infirmum subsistendi est virtute, tam sensus sit. Atque ad id imperfectæ naturæ substitutio perfecti sensus sapientiam obtinere se glorians, stultæ sapientiæ irridetur opprobrio.

Cap. XI. — *De Dei Verbo Cyprianus vel Hilarius.*

Verbi appellatio in Dei Filio de sacramento nativitatis est, sicuti sapientiæ et virtutis est nomen. Quæ cum in Deum Filium cum substantia veræ nativitatis exstiterint, Deo tamen ut sua propria, quamvis ex eo in Deum sunt nata, non desunt, quia nativitas non habet detrimentum generandi, cum profectum teneat nascendi. Et ideo earum rerum unigenito Deo apta cognomina sunt, quæ cum eum subsistentem ex nativitate consumment, tamen Patri non desint ; exinde mutabilis virtute naturæ, Unigenitus enim Deus, et Verbum est. Sed innascibilis Pater nunquam omnino sine Verbo est, non quod prolatio vocis natura sit Filii, sed ex Deo Deus cum nativitatis virtute subsistens, ut a Patre proprius, et per naturæ indifferentiam inseparabilis doceretur, significatus in Verbo est, sicut Christus sapientia et virtus Dei est, non ille, ut intelligi solet, internæ potestatis aut sensus efficax motus, sed natura tenens per nativitatem substantiæ veritatem his internarum rerum significata nominibus est. Non enim id quod nascendo subsistit, potest id ipsum videri esse, quod unicuique sempiternum est. Sed æterno Deo Patre unigenitus Filius in subsistentem Deum natus, ut non alienus esse a natura paternæ divinitatis posset intelligi, per hæc proprie nomina tantum subsistens ostensus est, quibus, ex quo substiterat, non carebat.

Cap. XII. — *Cypriani assertio vera de Deo.*

Mundi unus est Rector, unus est Dominus, qui universa quæcunque sunt verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest visu clarior est ; nec comprehendi, tactu purior est ; nec æstimari, sensibus major est. Et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Quod vero templum habere possit Deus, cujus templum totus est mundus? Et cum homo latius maneat, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis æstimas posse con-

carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus, quia et in Christo Pater est, et Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter vel se in Christo vel Christum sibi inesse, quia in Christo Pater et Christus in nobis unum in his esse nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille qui ex Maria natus fuit Christus est, nosque vero sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus, quia Pater in illo est, et ille in nobis; quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturaliter per sacramentum proprietas perfectæ sacramentum sit unitatis? Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum. Neque per violentiam aut impudentem prædicationem cœlestium dictorum sanitati alienæ, atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt legamus, et quæ legerimus intelligamus, et tunc perfecto fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim dixit: Caro mea vere est esca; et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. De Veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra vera caro est, et vere sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum Deum verum esse denegant. Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum secum hoc quod nos sumus, in Deum est. Unam autem in eo per sacramentum communicatæ carnis et sanguinis simus, ipse testatur dicens: Et hic mundus me jam non videt; vos autem me videbitis, quoniam ego vivo, et vos vivetis. In illa die vos cognoscetis quoniam ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit? Nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, et ille rursum in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur, ac sic perfecta per mediatorem unitas doceretur, cum nobis in se manentibus ipse maneret in Patre, et in Patre manens maneret in nobis. Et ita ad unitatem Patris proficeremus, cum qui in eo secundum nativitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente. Quam autem naturalis in nobis unitas sit, ipse ita testatus est: Qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit, ejus tantum ipse assumptam habens carnem, qui suam sumpserit. Perfecte autem hujus unitatis sacramentum superius jam docuerat dicens: Sicut misit me vivus Pater, et ego vivo per Patrem, et qui manducaverit

A meam carnem, et ipse vivit per me. Vivit ergo per Patrem; et quomodo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem ejus vivemus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præsumitur, ut id de quo agitur secundum propositum exemplum assequamur. Hæc ergo vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione qua vivit illa per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, id est naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter secundum Spiritum in se Patrem habeat, cum vivat ipse per Patrem? Vivit autem per Patrem, dum nativitas non alienam ei intulit, diversamque naturam, dum quod est ab eo est, nec tamen ab eo per aliquam inciden-
B tem naturæ dissimilitudinem separatur, dum in se per nativitatem habet Patrem in virtute naturæ. Hæc autem a nobis idcirco commemorata sunt, quia voluntatis tantum inter Patrem et Filium unitatem hæretici mentientes, unitatis nostræ ad Deum utebantur exemplo, tanquam nobis ad Filium et per Filium ad Patrem obsequio tantum ac voluntate religionis unitis nulla per sacramentum carnis et sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur. Cum et per honorem nobis datum Dei Filii, et permanentem in nobis carnaliter Filium, et in eo nobis corporaliter et inseparabiliter unitis mysterium veræ ac naturalis unitatis sit prædicandum.

CAP. IX. — *Ecclesiæ fides catholica.*

Ecclesiæ fides apsstolicis imbuta doctrinis novit in Christo nativitatem, sed ignorat exordium: scit
C dispensationem, sed nescit divisionem. Non partitur Jesum Christum, ut Jesus non ipse sit Christus, nec Filium hominis discernit a Dei Filio, ne Filius Dei forte non et Filius hominis intelligatur. Non assumit Filium Dei in Filium hominis, neque tripertita Christum fide scindit, cujus desuper texta vestis inscissa est, ut Jesum Christum, et in Verbum, et in animam, et in corpus inscindat, neque rursum Deum Verbum in animam et corpus assumat. Totum ei Deus Verbum est, totum et homo Christus. Retinens hoc in sacramento confessionis suæ unum, nec Christum aliud credere quam Jesum, nec Jesum aliud prædicare quam Christum. Non ignoro autem in quantum humanæ intelligentiæ infirmitatem magnificentia mysterii cœ-
D lestis impediat (2). Ut hæc non facile aut verbis enuntiare, aut dijudicare sensu, aut etiam complecti mente possimus. Æternitas Patris locum, tempus, speciem, et quicquid illud humano sensu concipi poterit, excedit. Ipse extra omnia, et in omnibus, capiens universa, et capiendus a nemine. Non accessu decessuro mutabilis, sed invisibilis, incomprehensibilis, plenus, perfectus, æternus, non aliunde quid sumens, sed ad id quod ita manet, sibi ipse sufficiens. Hic ergo ingenitus ante omne tempus ex se Filium genuit; non ex aliqua subjacente materia, quia per Filium omnia; non ex nihilo, quia ex se

(2) Vide S. Hilar. lib. III, de Trin.

Filium; non ut partum, quia nihil in Deo demutabile aut vacuum est. Non partem sui, vel divisam, vel discissam, vel extensam, quia et impassibilis et incorporeus Deus est. Hæc autem passionis et carnis sunt, et secundum Apostolum: In Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Sed incomprehensibiliter, inenarrabiliter, ante omne tempus et sæcula unigenitum ex his quæ ingenita in se erant, procreavit, omne, quod Deus est, per charitatem atque virtutem nativitati ejus impertiens. Ac sic a perfecto, ingenito æternoque Patre unigenitus, et perfectus, et æternus est Filius. Ea autem quæ ejus sunt secundum corpus quod assumpsit, bonitatis ejus ad salutem nostram voluntas est. Invisibilis enim, et incorporeus, et incomprehensibilis, utpote ab eo genitus, tantum in se et materiæ et humilitatis recepit, quantum in nobis erat virtutis ad intelligendum se et sentiendum et contuendum. Imbecillitati nostræ potius obtemperans, quam de his in quibus erat ipse deficiens. Igitur perfecti Patris perfectus Filius, et ingeniti Dei unigenita progenies, qui ab eo qui habet omnia, accepit omnia, Deus a Deo, Spiritus ab spiritu, lumen a Lumine. Confidenter ait: Pater in me, et ego in Patrem. Quia ut Spiritus Pater, ita et Filius Spiritus. Ut Deus Pater, ita et Filius Deus. Ut lumen Pater, ita et Filius lumen. Ex his ergo quæ in Patre sunt, ea in quibus est Filius, id est ex toto Patre totus Filius natus est. Non aliunde, quia nihil antequam Filius. Non ex nihilo, quia ex Deo Filius. Non in parte, quia plenitudo Deitatis in Filio. Neque in aliquibus, quia in omnibus. Sed ut voluit, qui potuit, ut scit qui genuit. Quod in Patre est, hoc et in Filio est. Quod in ingenito, hoc et in Unigenito. Alter ab altero, et uterque unum. Non duo unus, sed alius in alio, quia non aliud in utroque. Pater in Filio, quia ex eo Filius. Filius in Patre, quia non aliunde quod Filius. Unigenitus in ingenito, quia ab ingenito unigenitus. Ita in se invicem, quia ut omnia in ingenito Patre perfecta sunt, ita omnia in Filio unigenito perfecta sunt. Hæc in Filio et in Patre unitas, hæc virtus, hæc claritas, hæc fides, hæc spes, hæc veritas, via, vita: non calumniari de virtutibus suis Deo, nec per secretum ac potestatem nativitatis obtrectare Filio: Patri ingenito nihil comparare; Unigenitum ab eo nec tempore nec virtute discernere; Deum Filium, quia ex Deo est confiteri. Curam ergo humani generis habens Dei Filius, primum ut sibi crederetur homo factus est, ut testis divinarum rerum nobis esset ex nostris, perque infirmitatem carnis Deum Patrem nobis infirmis et carnalibus prædicaret. Voluntatem in eo Dei Patris efficiens, cum dicit: Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui me misit. Non quod nollet et ille quod faciat, sed obedientiam suam sub effectu paternæ voluntatis ostendit, volens ipse voluntatem Patris explere. Erat autem hæc efficientia voluntatis voluntas.

Cap. X. — *Non confidendum in humana prudentia.*

Non est in tantum confidendum prudentia humana, ut perfectum putet se sapere quod sapiat, et in eo absolute rationis summam contineri arbitretur, quod ipsa mente pertractans æquabili undique apud se existimet veritatis opinione constare. Non enim concepit id quod est perfectum, neque quod ex alio subsistit, absolute vel auctoris sui potest intelligentiam obtinere, vel propriam, se quidem in eo tantum quod est sentiens, cæterum ulterius sensum suum, quam sibi constituta sit natura, non tendens. Motum enim suum non sibi debet, sed auctori. Et idcirco quod in aliud ex auctore subsistit, imperfectum sibi est, dum constat aliunde. Et necesse est ut in quo perfectum se putet sapere, desipiat, quia naturæ suæ non moderans necessitatem, et omnia infirmitatum suarum existimans terminis contineri falso jam sapientiæ nomine gloriatur, quia sapere sibi ultra sensus sui non liceat potestatem, et quam infirmum subsistendi est virtute, tam sensus sit. Atque ad id imperfectæ naturæ substitutio perfecti sensus sapientiam obtinere se glorians, stultæ sapientiæ irridetur opprobrio.

Cap. XI. — *De Dei Verbo Cyprianus vel Hilarius.*

Verbi appellatio in Dei Filio de sacramento nativitatis est, sicuti sapientiæ et virtutis est nomen. Quæ cum in Deum Filium cum substantia veræ nativitatis exstiterint, Deo tamen ut sua propria, quamvis ex eo in Deum sunt nata, non desunt, quia nativitas non habet detrimentum generandi, cum profectum teneat nascendi. Et ideo earum rerum unigenito Deo apta cognomina sunt, quæ cum eum subsistentem ex nativitate consumment, tamen Patri non desint; exinde mutabilis virtute naturæ, Unigenitus enim Deus, et Verbum est. Sed innascibilis Pater nunquam omnino sine Verbo est, non quod prolatio vocis natura sit Filii, sed ex Deo Deus cum nativitatis virtute subsistens, ut a Patre proprius, et per naturæ indifferentiam inseparabilis doceretur, significatus in Verbo est, sicut Christus sapientia et virtus Dei est, non ille, ut intelligi solet, internæ potestatis aut sensus efficax motus, sed natura tenens per nativitatem substantiæ veritatem his internarum rerum significata nominibus est. Non enim id quod nascendo subsistit, potest id ipsum videri esse, quod unicuique sempiternum est. Sed æterno Deo Patre unigenitus Filius in subsistentem Deum natus, ut non alienus esse a natura paternæ divinitatis posset intelligi, per hæc proprie nomina tantum subsistens ostensus est, quibus, ex quo substiterat, non carebat.

Cap. XII. — *Cypriani assertio vera de Deo.*

Mundi unus est Rector, unus est Dominus, qui universa quæcunque sunt verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensibus major est. Et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Quod vero templum habere possit Deus, cujus templum totus est mundus? Et cum homo latius maneat, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis æstimas posse con-

cludi? In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore. Nec nomen Dei quæras, etc.

Cap. XIII. — *Augustinus de Dei Verbo.*

Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis. Quare non ait : Mundi estis propter baptismum quo abluti estis ; sed ait : Propter verbum, quod locutus sum vobis, nisi quia et in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam de hoc utique dixerat, quando pedes discipulis lavit. Qui lotus est, non indiget ut lavet, sed est mundus totus. Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur. Nam et in ipso verbo alius est sonus transiens, aliud virtus manens, hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Ait Apostolus : Quia si confessus fueris in ore tuo quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde creditur ad justitiam, ne (ore) autem fit confessio ad salutem. Unde et in Actibus apostolorum legitur : Fide mundans corda eorum. Et in Epistola sua B. Petrus : Sic et vos, inquit, baptisma salvos faciet, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio, hoc est verbum fidei quod prædicamus, qua sine dubio, ut mundare possit, consecratur et baptismus. Christus quippe nobiscum vitis cum Patre agricola dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, et vide quid adjungat : Ut eam sanctificaret, inquit, mundans eam lavacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur *in verbo* (3). Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam et ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait : Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis.

Cap. XIV. — *De libello Paschasii Ratberti ad Placidium discipulum, Christi communionem verum corpus et sanguinem esse non dubitandum.*

Quisque catholicorum recte Deum cuncta creasse de nihilo corde credit, etc.

(*Subsequitur pene integer Paschasii libellus jam alias editus.*)

Cap. XXXVI. — *Quid digne vel indigne sumentibus Dominici corporis et sanguinis præstet eucharistia.*

Instruens beatus Apostolus Corinthios de Dominici corporis et sanguinis sacramento, ut scirent quantum illi reverentiæ deberent, ait inter cætera : Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur; hoc facite in meam commemorationem. Simili modo et calicem postquam cœnatum est dicens: Hoc poculum novum testamentum est in meo sanguine ; hoc facite in meam commemorationem. Ostendit illis mysterium eucharistiæ inter cœnandum celebratum non cœnam esse. Medicina enim spiritualis est, quæ cum reverentia degustata purificat sibi devotum. Siquidem memoria redemptionis nostræ est, ut Redemptoris memores, majora ab eo consequi mereamur, mortem Domini annuntiantes, donec veniat. Quia enim morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo et potando carnem et sanguinem, quæ pro nobis ablata sunt, significamus novum testamentum in his consueti, quod est nova lex, quæ obedientem sibi tradit cœlestibus regnis. Nam et Moyses accepto sanguine vituli in patera aspersit super filios Israel dicens : Hoc est testamentum quod disposuit Dominus ad vos. Hoc figura fuit testamenti quod Dominus novum appellavit, ut illud vetus sit quod Moyses tradidit. Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficii divini sanguinis testis est, in cujus typum nos calicem mysticum ad tuitionem corporis et sanguinis, et animæ percipimus, quia sanguis Domini sanguinem nostrum redemit, id est totum hominem salvum fecit. Caro enim Salvatoris pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra effusus est, sicut prius præfiguratum fuerat a Moyse : Caro, inquit, pro corpore vestro offertur, sanguis vero pro anima, ideoque non manducandum sanguinem. Itaque quicumque ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indigne, Domino reus erit corporis et sanguinis Domini. Indignum dicit esse Domino, qualiter mysterium celebrat, quod ab eo traditum est. Non enim potest devotus esse, qui aliter præsumit quam datum est ab auctore. Ideo præmonet ut secundum ordinem traditum devota mens sit accedentis ad eucharistiam Domini, quoniam futurum est judicium, ut quemadmodum accedit unusquisque, reddat causas in die Domini nostri Jesu Christi : quia sine disciplina traditionis et conversationis qui accedunt, rei sunt corporis et sanguinis Domini. Quid est autem reos esse, nisi pœnas dare mortis Domini? Occisus est enim pro his qui beneficium ejus irritum ducunt. Probet autem se homo, et sic de pane edat, et de poculo bibat ; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non discernens corpus Domini. Devoto itaque animo et cum timore accedendum ad communionem docet, ut sciat mens reverentiam se debere ei ad cujus corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet judicare, qui sumit, quia Dominus est, cujus mysterio sanguinem potat, qui testis est beneficii Dei. Quem nos si cum disciplina accipiamus, non erimus indigni corpore et sanguine, agentes gratias Redemptori. Ideo multi in vobis invalidi et ægroti, et dormiunt multi. Ut verum probaret quod examen futurum est accipientium

(3) Vide S. Aug. tract. 80 in Joan. Evang.

corpus Domini, jam hic imaginem judicii ostendit in eos qui inconsiderate corpus Domini acceperant, dum febribus et infirmitatibus corripiebantur, et multi moriebantur, ut in his cæteri discerent, et paucorum exemplo cæteri territi emendarentur, non inultum scientes corpus Domini negligenter accipere, et cum quem hic pœna distulerit, gravius tractandum fore, quia contempsit exemplum. Quod si nosmetipsos discerneremus, non utique dijudicaremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Hoc dicit, quia si nosmetipsi errores nostros corrigeremus, non a Domino judicaremur, et quia corripimur, tamen pro nobis est, ut timore ipso emendemur. In paucis enim omnium est emendatio, ne cum hoc mundo, id est cum infidelibus, damnemur. Nihil enim differt ab infideli, qui inconsiderate ad mensam Domini accedit.

Cap. XXXVII. — *Quid beatus martyr Cyprianus affirmat se præsente contigisse his qui polluti de idolothytis Dominici corporis et sanguinis sacramenta temere susceperunt.*

Præsente, inquit, ac teste me ipso, accipite quid evenerit. Parentes foras fugientes, dum trepidi minus consulunt, sed nutricis alimento parvulam filiam reliquere. Relictam nutrix detulit ad magistrum. Illic ei apud idolum, quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mistum, quod tamen et ipsum de immolatione pereuntium supererat tradidere. *Reliqua legantur apud S. Cyprianum, lib. De lapsis.*

Cap. XXXVIII. — *Quare peccatis criminalibus irretiti a sacramentis Dominicis arceantur.*

Cum itaque ipse Filius Dei dicat : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, ita intelligendum est eadem redemptionis nostræ mysteria vere esse corpus et sanguinem Domini, ut illius unitatis perfectæ, quam cum capite nostro jam spe postea re tenebimus, pignora credere debeamus. Inde et sacramenta a sanctificatione vel secreta virtute dicuntur. Unde etiam criminum fœditate capitalium a membrorum Christi sanitate deviantes ab ipsis sacramentis ecclesiastico suspenduntur judicio. Qui enim corpus et sanguinem Domini digne manducat et bibit, designat se esse in Deo et Deum in eo. Qui vero medicinam vel non habet, vel ea indigne utitur, longe se esse a medico languendo testatur. Non enim mentitur qui dicit : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, et reliqua. Sciendum vero a sanctis Patribus ob hoc vel maxime constitutum, ut mortaliter peccantes a sacramentis Dominicis arceantur, ne indigne ea percipientes vel majori reatui involvantur, ut Judas, quem post panem temere a Magistro susceptum diabolus dicitur plenius invasisse, ut crimen quod prius scelerata præmeditatione conceperat, jam sceleratissimo consummaret effectu; vel ne, quod Apostolus de Corinthiis dicit, infirmitatem corporis et imbecillitatem ipsamque mortem præsumptores incurrant: et ut ad communionem suspensi terrore ejusdem exclusionis, et quodam condemnationis anathemate compellantur studiosius pœnitentiæ medicamentum appetere, et avidius recuperandæ salutis desideriis inhiare.

Cap. XXXIX. *Judæos ab omni conventu fidelium arcendos, præcipue ubi Christianorum celebratur oblatio.*

In celebratione autem tanti mysterii cavendum valde est ne intersint hæretici vel pagani; præcipue vero Judæi non solum a liminibus ecclesiæ, sed ab omni prorsus conventu fidelium sunt arcendi. Solent enim nequissimi et perditissimi omnium hominum cum principe suo diabolo vitalibus detrahere sacramentis, quantumque in ipsis est, ausu impio conari, quo valeant pretium redemptionis humanæ profanare atque polluere, quod olim beatissimi Syri confessoris tempore manifeste daprehensum dignaque est ultione punitum. Qualiter vero actum sit, quia magnam habet Domini laudem, sicut in Vita prædicti confessoris legitur, huic capitulo putavimus inserendum. Perfectis igitur templi sive altaris dedicationis insignibus, beatissimus Syrus quotidianas Deo laudes iu eo et hostias offerebat. Una autem dierum, dum missarum solemnia singularis pontifex ibidem celebraret, et copia filiorum ejus, quos verbi semine juxta Apostolum Deo genuerat, devota sanctis mysteriis interesset, audacter Judæus in eum ingressus, maligno instigante spiritu, corpus Dominicum suscipere, eumque in sterquilinium projicere molitus est. Qui inter turbas fidelium ad manus viri Dei perveniens, ausu nefario immundo ore corpus suscepit Dominicum. Quod ut ad rejiciendum os aperuit, digna ultione percussus sine effectu verborum, cunctis audientibus et videntibus, clamare cœpit. Volebat labia jungere, nec valebat, sed lingua rigida loquendi officium non præbebat. Et quasi ignitum jaculum in ore portans immensis torquebatur doloribus. Resonabat omnis illa ecclesia ineptæ vocis clamoribus, et de tam egregii virtute miraculi Christi fidelium lætabatur conventus, impleturque illud. Derisores ipse deridet; et quod Apostolus ad Galatas scribit : *Nolite errare, Deus non irridetur; quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Judæus autem et incredulus nec audierat id est fraudem ista præconia (*sic*), qui sancto Spiritui putavit stropham inducere. Quem vir Dei suo conspectui præsentari præcepit, atque advenienti dixit : Incredula et perfidiæ mens plena, quare tam iniqui hostis implesti consilium, ut æstimares corpus Christi corpus vilissimum ? Ecce quod clandestinus persuasor te miserum illexit ut faceres, cunctis fidelibus suis divina virtus ostendet. Judæus autem, nimio dolore superatus, voces emittere absque sermonibus non cessabat habens in gutture suo malitiæ cruciatum, quia secundum sanctissimi vaticinium Simeonis, ut incredulis est pernicies ac ruina, ita fidelibus suis vita exsultatio est verbum Dei. Nam mirabili libratione corpus Dominicum in ore videbatur Judæi dependere, ut nec linguæ subter compagi insideret-

cludi? In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore. Nec nomen Dei quæras, etc.

CAP. XIII. — *Augustinus de Dei Verbo.*

Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis. Quare non ait: Mundi estis propter baptismum quo abluti estis; sed ait: Propter verbum, quod locutus sum vobis, nisi quia et in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam de hoc utique dixerat, quando pedes discipulis lavit. Qui lotus est, non indiget ut lavet, sed est mundus totus. Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur. Nam et in ipso verbo alius est sonus transiens, aliud virtus manens, hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Ait Apostolus: Quia si confessus fueris in ore tuo quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde creditur ad justitiam, ne (ore) autem fit confessio ad salutem. Unde et in Actibus apostolorum legitur: Fide mundans corda eorum. Et in Epistola sua B. Petrus: Sic et vos, inquit, baptisma salvos faciet, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio, hoc est verbum fidei quod prædicamus, qua sine dubio, ut mundare possit, consecratur et baptismus. Christus quippe nobiscum vitis cum Patre agricola dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, et vide quid adjungat: Ut eam sanctificaret, inquit, mundans eam lavacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur *in verbo* (3). Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam et ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis.

CAP. XIV. — *De libello Paschasii Ratberti ad Placidium discipulum, Christi communionem verum corpus et sanguinem esse non dubitandum.*

Quisque catholicorum recte Deum cuncta creasse de nihilo corde credit, etc.

(*Subsequitur pene integer Paschasii libellus jam alias editus.*)

CAP. XXXVI. — *Quid digne vel indigne sumentibus Dominici corporis et sanguinis præstet eucharistia.*

Instruens beatus Apostolus Corinthios de Dominici corporis et sanguinis sacramento, ut scirent quantum illi reverentiæ deberent, ait inter cætera: Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur; A hoc facite in meam commemorationem. Simili modo et calicem postquam cœnatum est dicens: Hoc poculum novum testamentum est in meo sanguine; hoc facite in meam commemorationem. Ostendit illis mysterium eucharistiæ inter cœnandum celebratum non cœnam esse. Medicina enim spiritualis est, quæ cum reverentia degustata purificat sibi devotum. Siquidem memoria redemptionis nostræ est, ut Redemptoris memores, majora ab eo consequi mereamur, mortem Domini annuntiantes, donec veniat. Quia enim morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo et potando carnem et sanguinem, quæ pro nobis ablata sunt, significamus novum testamentum in his consueti, quod est nova lex, quæ obedientem sibi tradit cœlestibus regnis. Nam et Moyses accepto sanguine vituli in patera B aspersit super filios Israel dicens: Hoc est testamentum quod disposuit Dominus ad vos. Hoc figura fuit testamenti quod Dominus novum appellavit, ut illud vetus sit quod Moyses tradidit. Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficii divini sanguinis testis est, in cujus typum nos calicem mysticum ad tuitionem corporis et sanguinis, et animæ percipimus, quia sanguis Domini sanguinem nostrum redemit, id est totum hominem salvum fecit. Caro enim Salvatoris pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra effusus est, sicut prius præfiguratum fuerat a Moyse: Caro, inquit, pro corpore vestro offertur, sanguis vero pro anima, ideoque non manducandum sanguinem. Itaque quicumque ederit panem hunc, aut biberit calicem C Domini indigne, Domino reus erit corporis et sanguinis Domini. Indignum dicit esse Domino, qualiter mysterium celebrat, quod ab eo traditum est. Non enim potest devotus esse, qui aliter præsumit quam datum est ab auctore. Ideo præmonet ut secundum ordinem traditum devota mens sit accedentis ad eucharistiam Domini, quoniam futurum est judicium, ut quemadmodum accedit unusquisque, reddat causas in die Domini nostri Jesu Christi: quia sine disciplina traditionis et conversationis qui accedunt, rei sunt corporis et sanguinis Domini. Quid est autem reos esse, nisi pœnas dare mortis Domini? Occisus est enim pro his qui beneficium ejus irritum ducunt. Probet autem se homo, et sic de pane edat, et de poculo bibat; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et D bibit, non discernens corpus Domini. Devoto itaque animo et cum timore accedendum ad communionem docet, ut sciat mens reverentiam se debere ei ad cujus corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet judicare, qui sumit, quia Dominus est, cujus mysterio sanguinem potat, qui testis est beneficii Dei. Quem nos si cum disciplina accipiamus, non erimus indigni corpore et sanguine, agentes gratias Redemptori. Ideo multi in vobis invalidi et ægroti, et dormiunt multi. Ut verum probaret quod examen futurum est accipientium

(3) Vide S. Aug. tract. 80 in Joan. Evang.

A corpus Domini, jam hic imaginem judicii ostendit in eos qui inconsiderate corpus Domini acceperant, dum febribus et infirmitatibus corripiebantur, et multi moriebantur, ut in his cæteri discerent, et paucorum exemplo cæteri territi emendarentur, non inultum scientes corpus Domini negligenter accipere, et eum quem hic pœna distulerit, gravius tractandum fore, quia contempsit exemplum. Quod si nosmetipsos discerneremus, non utique dijudicaremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Hoc dicit, quia si nosmetipsi errores nostros corrigeremus, non a Domino judicaremur, et quia corripimur, tamen pro nobis est, ut timore ipso emendemur. In paucis enim omnium est emendatio, ne cum hoc mundo, id est cum infidelibus, damnemur. Nihil enim differt ab B infideli, qui inconsiderate ad mensam Domini accedit.

Cap. XXXVII. — *Quid beatus martyr Cyprianus affirmat se præsente contigisse his qui polluti de idolothytis Dominici corporis et sanguinis sacramenta temere susceperunt.*

Præsente, inquit, ac teste me ipso, accipite quid evenerit. Parentes foras fugientes, dum trepidi minus consulunt, sed nutricis alimento parvulam filiam reliquere. Relictam nutrix detulit ad magistrum. Illic ei apud idolum, quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mistum, quod tamen et ipsum de immolatione pereuntium supererat tradidere. *Reliqua legantur apud S. Cyprianum, lib. De lapsis.*

Cap. XXXVIII. — *Quare peccatis criminalibus irretiti* C *a sacramentis Dominicis arceantur.*

Cum itaque ipse Filius Dei dicat : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, ita intelligendum est eadem redemptionis nostræ mysteria vere esse corpus et sanguinem Domini, ut illius unitatis perfectæ, quam cum capite nostro jam spe postea re tenebimus, pignora credere debeamus. Inde et sacramenta a sanctificatione vel secreta virtute dicuntur. Unde etiam criminum fœditate capitalium a membrorum Christi sanitate deviantes ab ipsis sacramentis ecclesiastico suspenduntur judicio. Qui enim corpus et sanguinem Domini digne manducat et bibit, designat se esse in Deo et Deum in eo. Qui vero medicinam vel non habet, vel ea indigne utitur, longe se esse a medico languendo testatur. Non D enim mentitur qui dicit : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, et reliqua. Sciendum vero a sanctis Patribus ob hoc vel maxime constitutum, ut mortaliter peccantes a sacramentis Dominicis arceantur, ne indigne ea percipientes vel majori reatui involvantur, ut Judas, quem post panem temere a Magistro susceptum diabolus dicitur plenius invasisse, ut crimen quod prius scelerata præmeditatione conceperat, jam sceleratissimo consummaret effectu; vel ne, quod Apostolus de Corinthiis dicit, infirmitatem corporis et imbecillitatem ipsamque mortem præsumptores incurrant: et ut ad communionem suspensi terrore ejusdem exclusionis, et quodam condemnationis anathemate compellantur studiosius pœnitentiæ medicamentum appetere, et avidius recuperandæ salutis desideriis inhiare.

Cap. XXXIX. *Judæos ab omni conventu fidelium arcendos, præcipue ubi Christianorum celebratur oblatio.*

In celebratione autem tanti mysterii cavendum valde est ne intersint hæretici vel pagani; præcipue vero Judæi non solum a liminibus ecclesiæ, sed ab omni prorsus conventu fidelium sunt arcendi. Solent enim nequissimi et perditissimi omnium hominum cum principe suo diabolo vitalibus detrahere sacramentis, quantumque in ipsis est, ausu impio conari, quo valeant pretium redemptionis humanæ profanare atque polluere, quod olim beatissimi Syri confessoris tempore manifeste daprehensum dignaque est ultione punitum. Qualiter vero actum sit, quia magnam habet Domini laudem, sicut in Vita prædicti confessoris legitur, huic capitulo putavimus inserendum. Perfectis igitur templi sive altaris dedicationis insignibus, beatissimus Syrus quotidianas Deo laudes iu eo et hostias offerebat. Una autem dierum, dum missarum solemnia singularis pontifex ibidem celebraret, et copia filiorum ejus, quos verbi semine juxta Apostolum Deo genuerat, devota sanctis mysteriis interesset, audacter Judæus in eum ingressus, maligno instigante spiritu, corpus Dominicum suscipere, eumque in sterquilinium projicere molitus est. Qui inter turbas fidelium ad manus viri Dei perveniens, ausu nefario immundo ore corpus suscepit Dominicum. Quod ut ad rejiciendum os aperuit, digna ultione percussus sine effectu verborum, cunctis audientibus et videntibus, clamare cœpit. Volebat labia jungere, nec valebat, sed lingua rigida loquendi officium non præbebat. Et quasi ignitum jaculum in ore portans immensis torquebatur doloribus. Resonabat omnis illa ecclesia ineptæ vocis clamoribus, et de tam egregii virtute miraculi Christi fidelium lætabatur conventus, impleturque illud. Derisores ipse deridet; et quod Apostolus ad Galatas scribit : *Nolite errare, Deus non irridetur*; *quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Judæus autem et incredulus nec audierat id est fraudem ista præconia (*sic*), qui sancto Spiritui putavit stropham inducere. Quem vir Dei suo conspectui præsentari præcepit, atque advenienti dixit : Incredula et perfidiæ mens plena, quare tam iniqui hostis implesti consilium, ut æstimares corpus Christi corpus vilissimum ? Ecce quod clandestinus persuasor te miserum illexit ut faceres, cunctis fidelibus suis divina virtus ostendet. Judæus autem, nimio dolore superatus, voces emittere absque sermonibus non cessabat habens in gutture suo malitiæ cruciatum, quia secundum sanctissimi vaticinium Simeonis, ut incredulis est pernicies ac ruina, ita fidelibus suis vita exsultatio est verbum Dei. Nam mirabili libratione corpus Dominicum in ore videbatur Judæi dependere, ut nec linguæ subter compagi insideret-

nec desuper immundo adhæreret palatui. Sed postulantibus fidelibus pro ejus miseria, vir Domini manum tetendit, et sanctæ eucharistiæ mysterium a sacrilogo ore abstraxit dicens : Ecce nunc liberatus es, de cætero cave hujuscemodi simile ne facias, et ne ulterius repetere hoc præsumas. Judæus autem, ejus pedibus advolutus, clamabat se Christo Domino crediturum, si sacri cum baptismatis unda perfunderet, ac pio ejus conventui copularet. Tibi, inquit, Dei omnipotentis Pater refero gratias, qui Judaicam perfidiam non dedignaris corrigere, sed ad tui Unigeniti fidem ampla pietate conversis. Baptizato autem illo, multi ex Judæis credentes cum eo sacro renati baptismate Christi fidelibus, ac spirituali cœtui sunt uniti.

Cap. XL. — *Qualiter accedendum sit ad Dominici corporis et sanguinis mirabile sacramentum.*

Confessiones autem dari diligentius præcipimus, maxime de commotionibus animi, antequam ad missam eatur, ne forte quis accedat indignus ad altare, id est si cor mundum non habuerit. Melius est enim exspectare donec sanum fuerit et alienum a scandalo atque invidia, quam accedere audacter ad judicium tribunalis. Tribunal enim Christi altare est, et corpus suum inibi cum sanguine judicat indigne accedentes. Sicut ergo a peccatis carnalibus et capitalibus temperandum est antequam communicandum sit, ita etiam ab interioribus vitiis et morbis languentis animæ abstinendum est ante veræ pacis conjunctionem et æternæ salutis compaginem. Cum itaque ad terribilem mensam opportunum tempus invitat, præcavendum est summopere ut nullus ibi Judæus reperiatur, nullus malignus accedat, non fucata verba lingua proferat, nec insidiæ mente condantur, sed quod voluntas possidet, sermo declaret. Et nunc illo præsto est Christus, qui illam ornavit mensam, ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita corpus Christi facit et sanguinem, sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Ore sacerdotis verba proferuntur, et Dei virtute consecrantur et gratia. *Hoc est*, ait *corpus meum*. Hoc verbo proposita consecrantur, et sicut illa vox, quæ dixit : Crescite et multiplicamini, et complete terram, simul quidem dicta est, sed omnium tempore sentit effectum, ad generationem operante natura : ita et vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem et usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem. Nullus igitur fictus accedat, nullus fucato animo tantis audeat proximare mysteriis, ne condemnetur, et sententiam mereatur, et quod Judas sustinuit patiatur. Nam illum post communicationem mense diabolus intravit, non quia contempserat Dominicum corpus, sed quia impudentia et malignitas mentis ejus ut adversarius in eo habitaret effecit. Ut discas quod indignis et fucate mysteriorum secreta celebrantibus a diabolo præparantur insidiæ, et magis magisque ademptantur, qui non æquo animo communicare festinant. Et hæc dico non ut vos terream, sed ut cautiores efficiam. Nemo sit Judas in mensa. Hoc sacrificium cibus est spiritualis, nam sicut corporalis cibus cum ventrem invenerit adversis humoribus occupatum amplius lædit, magis nocet, nullum præstat auxilium, ita est iste spiritualis cibus, si aliquem repererit malignitate pollutum, magis eum perdit, non sua natura, sed accipientis ex vitio. Pura igitur mens in omnibus, pura cogitatio, quia et sacrificium purum est. Sanctam animam præparemus. Ex hoc non multo tempore, sed una corrigitur die. Nam si tibi contra inimicum tuum dolor est, solve iras, inimicitias laxa, ut remedium de mensa percipias. Ad sanctum ac terribile sacrificium properas ? Erubesce oblationis arcana. Occisioni propositus Christus est, et cur occisus est videamus. Ut cœlestia scilicet pacticet (*sic*), ut in terra reconciliet universa, ut amicum te constituat angelorum, et Dei habentis omnium potestatem. Animam suam pro te Dominus dedit, et tu inimicus conservo perduras? et cum hoc animo ad mensam pacis accedis? Ille nec mori quidem pro tua utilitate recusavit, et tu nec iram tuam conservo pro tua liberatione concedis? Sed forsitan dicis : Ab inimico fraudatus sum, multis me læsit dispendiis, magnis me detrimentis oneravit. Quidquid dixeris pecuniarum vertitur causa. Non te crucifixit, sicut Judæi Christum, et tamen ille effusum sanguinem pro salute eorum qui effuderunt larga pietate concessit. Inimicum Deo est tumidum pectus. Merito autem reconciliationis causa hoc sacrificium constitutum est. Et si sacrificii præcepta contemnis, sacrificii remedium sentire non poteris. Comple illud cujus causa sacrificium factum est, ut sacrificio perfruaris. Ideo Filius advenit, ut humanam naturam divinæ reconciliet pietati. Ideo et nos, cum hoc facimus, suo fecit vocabulo nuncupari. *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Hoc enim fac quod Dei unicus fecit, si et tibi et aliis pacis volueris auctor existere; ideo namque te vocat Filium Dei. Deus in sacrificii celebratione nihil aliud nisi de fratris reconciliatione mandavit. Hæc igitur mentibus nostris glutinata perdurent. Sanctum osculum teneamus quod animas sociat, mentes et unum corpus ostendit, quia unum corpus omnes videmur esse sortiti. Et ideo misceamus nos in uno corpore, non corporum commistione, sed animarum charitate laqueati, et sic divinæ possumus mensæ fructibus satiari. Nam etsi multis bonis conscientiæ abundemus, reconciliatione contempta nullum possumus solatium promereri.

Cap. XLI. — *De revelationibus, quibus Dominus de veritate corporis et sanguinis sui hæsitantium corda firmavit.*

Hæc namque Dominici corporis et sanguinis gratia tanta est, quantum nullus hominum cogitare potest. Per hanc siquidem reconciliatur mundus Deo, per hanc homines dii efficiuntur et, cum sint natura terreni, fiunt conversatione cœlestes. Sed, quantum in ipsis est, extenuant quidam hanc gratiam, non

credentes verum Domini corpus esse quod sumitur, nec verum Christi sanguinem esse qui hauritur, sed figuram, cum ipse dixerit : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. In cœna quoque illius sacrosancto convivio tradens discipulis tanti mysterii sacramentum, et in corpus suum panem transfigurans, non ait : Hoc est figura corporis mei, sed, Hoc est corpus meum. Similiter et in traditione calicis : *Hic est*, inquit, *calix sanguinis mei*. Cum itaque hoc solum satisfacere debeat omnibus quod veritatis discipulis ab ipsa Veritate est traditum, quibusdam tamen, quorum corda caligo infidelitatis obduxerat nec aliter credere poterant, ipsam humanæ formæ effigiem, sicut se rei veritas habet, olim Dominus revelare dignatus est, ut quod paucis manifestabatur ad fidem omnibus proficeret ad salutem. Non abs re autem arbitror ea quæ de hujuscemodi revelationibus nobis lectione comperta sunt, ad ædificationem maximam posterorum huic libello inserere et præclara Domini Nostri J. C. miracula, ne memoria excidant, etiam nostro studio scripta relinquere.

CAP. XLII. — *Miraculum de quodam Judæo.*

Non incompetenter edere arbitror illud quod hactenus quodam Hebræo didici referente. Neque enim ideo esse non putabitur verum quod testificatione fortassis æmula per inimicorum ora certa ratio vera interlocutione fatetur. Solet enim major his accomodari fides, ubi inimici astipulantur dictis veridicis, quibus sine fuco adulationis et sine falsiloquio favent. Hoc etenim modo per Balaam inimicum utique populi Judæorum benedictionis promulgantur insignia. Sed et Vas electionis non incompetenter eligitur, ut qui putabatur hactenus a fidelibus non ferendus, ipse nomen majestatis Domini Jesu principibus et potestatibus anteferret. Verum ille quid ferebat ; Quidam, inquit, Judæus ad episcopum quemdam pergens, ait se fidei catholicæ velle initiari mysteriis, debere ergo episcopum illi tradere colendi ritum, quo prolatius instructus, voti sui compos effectus, jam fidelis Christiano corpori jungeretur. Ad hæc episcopus : Recede, obsecro, a nobis hominum genus invisum, desine, ut mos vester est, attentare maligne Sed si, ut assolet, necessitate cujuslibet facinoris obligaris, Ecclesiæ te muneratum stipendio gaude, dummodo irrisor nostræ fidei non existas Ad hæc ille : Non, inquam, beate pontifex, ut hostem exsecrandum protinus agas. Cupio enim fidei vestræ initiari mysteriis, quia tremendi nominis Domini Jesu Christi et formido judicium, et desidero habere præsidium. Sed, cum esset pertinax in rogando, et hujuscemodi pollicitationis jurejurando immodica se sponsione cinxisset nulla id quod peteret securitate negligere, nulla persecutione deserere nullave facilitate prodere, catechizandi ei initium per signaculum crucis tradi episcopus jussit. Venit Pascha ; cumque ad sacros illos latices quibus expiantur crimina pervenisset, cœpit reluctari, et non verborum edere quæstus, sed rugiens per quosdam gemitus exsecrari ipsius baptismi mysterium putabatur. Jussit ergo episcopus valde confusus eum protinus emoveri. Sed cum ipse in semetipsum fuisset repente conversus, dicit his quibus velut furore actus prorsus in partem alteram tenebatur : Ducite me, inquit, ad fontes, jam enim non sum impos mentis, nec me captum putetis ; certe enim jam cupio baptizari. Igitur cum reductus ad episcopum iterum pervenisset : Obsecro, ait, sacerdos inclyte, perficiatur in me sacri hujus lavacri sacramentum. Et ille : Non, inquam, faciam, nisi omnem illum horroris casum, et confusionis tuæ exponas arcanum, et quid tibi evenerit antea stuporis, ut sacris istius exsecrares laticis undam, verbis veridicis fatearis. Tunc ille prorupit in lacrymas, tali ordine passionis suæ seriem pandens : Cum ante vestibulum hujusce fontis assisterem abluendus, venit turba dæmonum valde nigrorum, Æthiopibus par existens. Hæc me proripiens sanctorum manibus fontem adire vi valida prohibebat. Aderant siquidem alii candidati obsistentes pariter, et dicentes : Nolite hunc prohibere sacri fontis adire mysteria. Qui vos puniendi his inservitis sacramentis ? Vobis enim, vobis noxii ignis ardor, non baptismi debetur splendor. At illi : Quid vobis et isti ? Noster, inquiunt, est, nec vobis jure debendus putabitur. Illo igitur cum me jussu tuæ potestatis tractum manibus quorumdam tuis aspectibus elongasses, atque recedere alterna in parte jussisses, inter partium, quæ erant, simultationes quadam pactione convenit, ut me contra peccata mea pari lance pensarent, et si ponderis major scelerum concresceret pensa eorum abscederem, ut immundus, nec ab eis ducerer eluendus. Sed cum pondere nimio oneribus massa infandis invisa crevisset, quidam pauper, cujus ante dies aliquot corpus meo calefeceram vestimento, confestim affuit, prolatamque vestem præbuit meo corpori compensandam. Illico igitur veluti ipsi vestimento immensi ponderis quædam fuisset addicta materies, supercrevit pensa mei corporis, ejectisque illis Æthiopibus, ac fugatis, manibus huc reductis sum beatorum. Cumque ita se habere juramentis terribilibus affirmaret, admissus ad baptismum sacrosancti lavacri munus excepit. Igitur cum ad missarum fuisset mysteria ventum, sancta sanctorum cœpit rursus, sicut in baptismo prius egerat, refugere, et rugitus validi gemitus dare, atque horrere videbatur acriter ipsius mysterii sacramentum. Verum ad hæc episcopus iterum obstupescens : Quid, ait, iste vexatus insanit, et furore immodico rugit. Igitur cum aliquatenus simus aderant simul attoniti prorsus hærerent, accedunt ad eum quidam dicentes : Quid tu rursum dep8rimeris stupore ? Si credere non vis, quid per hypocrisin tentare vis tanti mysterii sacramentum. At ille : Maximo, inquit, pavore, et tremore conficior, nam video corpus perfectæ ætatis viri super hoc altarium fuisse depositum, et per partes diruptum, manus vestras ipsius inspicio cruore madescere, et non advertitis digitorum ve-

nec desuper immundo adhæreret palatui. Sed postulantibus fidelibus pro ejus miseria, vir Domini manum tetendit, et sanctæ eucharistiæ mysterium a sacrilogo ore abstraxit dicens : Ecce nunc liberatus es, de cætero cave hujuscemodi simile ne facias, et ne ulterius repetere hoc præsumas. Judæus autem, ejus pedibus advolutus, clamabat se Christo Domino crediturum, si sacri cum baptismatis unda perfunderet, ac pio ejus conventui copularet. Tibi, inquit, Dei omnipotentis Pater refero gratias, qui Judaicam perfidiam non dedignaris corrigere, sed ad tui Unigeniti fidem ampla pietate conversis. Baptizato autem illo, multi ex Judæis credentes cum eo sacro renati baptismate Christi fidelibus, ac spirituali cœtui sunt uniti.

Cap. XL. — *Qualiter accedendum sit ad Dominici corporis et sanguinis mirabile sacramentum.*

Confessiones autem dari diligentius præcipimus, maxime de commotionibus animi, antequam ad missam eatur, ne forte quis accedat indignus ad altare, id est si cor mundum non habuerit. Melius est enim exspectare donec sanum fuerit et alienum a scandalo atque invidia, quam accedere audacter ad judicium tribunalis. Tribunal enim Christi altare est, et corpus suum inibi cum sanguine judicat indigne accedentes. Sicut ergo a peccatis carnalibus et capitalibus temperandum est antequam communicandum sit, ita etiam ab interioribus vitiis et morbis languentis animæ abstinendum est ante veræ pacis conjunctionem et æternæ salutis compaginem. Cum itaque ad terribilem mensam opportunum tempus invitat, præcavendum est summopere ut nullus ibi Judæus reperiatur, nullus malignns accedat, non fucata verba lingua proferat, nec insidiæ mente condantur, sed quod voluntas possidet, sermo declaret. Et nunc illo præsto est Christus, qui illam ornavit mensam, ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita corpus Christi facit et sanguinem, sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Ore sacerdotis verba proferuntur, et Dei virtute consecrantur et gratia. *Hoc est*, ait *corpus meum*. Hoc verbo proposita consecrantur, et sicut illa vox, quæ dixit : Crescite et multipiicamini, et complete terram, simul quidem dicta est, sed omnium tempore sentit effectum, ad generationem operante natura : ita et vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem et usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem. Nullus igitur fictus accedat, nullus fucato animo tantis audeat proximare mysteriis, ne condemnetur, et sententiam mereatur, et quod Judas sustinuit patiatur. Nam illum post communicationem mense diabolus intravit, non quia contempserat Dominicum corpus, sed quia impudentia et malignitas mentis ejus ut adversarius in eo habitaret effecit. Ut discas quod indignis et fucate mysteriorum secreta celebrantibus a diabolo præparantur insidiæ, et magis magisque ademptantur, qui non æquo animo communicare festinant.

A Et hæc dico non ut vos terream, sed ut cautiores efficiam. Nemo sit Judas in mensa. Hoc sacrificium cibus est spiritualis, nam sicut corporalis cibus cum ventrem invenerit adversis humoribus occupatum amplius lædit, magis nocet, nullum præstat auxilium, ita est iste spiritualis cibus, si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdit, non sua natura, sed accipientis ex vitio. Pura igitur mens in omnibus, pura cogitatio, quia et sacrificium purum est. Sanctam animam præparemus. Ex hoc non multo tempore, sed una corrigitur die. Nam si tibi contra inimicum tuum dolor est, solve iras, inimicitias laxa, ut remedium de mensa percipias. Ad sanctum ac terribile sacrificium properas? Erubesce oblationis arcana. Occisioni propositus Christus est, B et cur occisus est videamus. Ut cœlestia scilicet pactificet (*sic*), ut in terra reconciliet universa, ut amicum te constituat angelorum, et Dei habentis omnium potestatem. Animam suam pro te Dominus dedit, et tu inimicus conservo perduras? et cum hoc animo ad mensam pacis accedis? Ille nec mori quidem pro tua utilitate recusavit, et tu nec iram tuam conservo pro tua liberatione concedis? Sed forsitan dicis : Ab inimico fraudatus sum, multis me læsit dispendiis, magnis me detrimentis oneravit. Quidquid dixeris pecuniarum vertitur causa. Non te crucifixit, sicut Judæi Christum, et tamen ille effusum sanguinem pro salute eorum qui effuderunt larga pietate concessit. Inimicum Deo est tumidum pectus. Merito autem reconciliationis causa hoc sacrificium constitutum est. Et si sacrificii præcepta C contemnis, sacrificii remedium sentire non poteris. Comple illud cujus causa sacrificium factum est, ut sacrificio perfruaris. Ideo Filius advenit, ut humanam naturam divinæ reconciliet pietati. Ideo et nos, cum hoc facimus, suo fecit vocabulo nuncupari. *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Hoc enim fac quod Dei unicus fecit, si et tibi et aliis pacis volueris auctor existere; ideo namque te vocat Filium Dei. Deus in sacrificii celebratione nihil aliud nisi de fratris reconciliatione mandavit. Hæc igitur mentibus nostris glutinata perdurent. Sanctum osculum teneamus quod animas sociat, mentes et unum corpus ostendit, quia unum corpus omnes videmur esse sortiti. Et ideo misceamus nos in uno corpore, non corporum commistione, sed animarum D charitate laqueati, et sic divinæ possumus mensæ fructibus satiari. Nam etsi multis bonis conscientiæ abundemus, reconciliatione contempta nullum possumus solatium promereri.

Cap. XLI. — *De revelationibus, quibus Dominus de veritate corporis et sanguinis sui hæsitantium corda firmavit.*

Hæc namque Dominici corporis et sanguinis gratia tanta est, quantum nullus hominum cogitare potest. Per hanc siquidem reconciliatur mundus Deo, per hanc homines dii efficiuntur et, cum sint natura terreni, fiunt conversatione cœlestes. Sed, quantum in ipsis est, extenuant quidam hanc gratiam, non

credentes verum Domini corpus esse quod sumitur, nec verum Christi sanguinem esse qui hauritur, sed figuram, cum ipse dixerit : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. In cœna quoque illius sacrosancto convivio tradens discipulis tanti mysterii sacramentum, et in corpus suum panem transfigurans, non ait : Hæc est figura corporis mei, sed, Hoc est corpus meum. Sed et in traditione calicis : *Hic est*, inquit, *calix sanguinis mei*. Cum itaque hoc solum satisfacere debeat omnibus quod veritatis discipulis ab ipsa Veritate est traditum, quibusdam tamen, quorum corda caligo infidelitatis obduxerat nec aliter credere poterant, in humanæ formæ effigiem, sicut se rei veritas habet, olim Dominus revelare dignatus est, ut quod paucis manifestabatur ad fidem omnibus proficeret ad salutem. Non abs re autem arbitror ea quæ de hujuscemodi revelationibus nobis lectione comperta sunt, ad ædificationem maximam posterorum huic libello inserere et præclara Domini Nostri J. C. miracula, ne memoria excidant, etiam nostro studio scripta relinquere.

CAP. XLII. — *Miraculum de quodam Judæo.*

Non incompetenter edere arbitror illud quod hactenus quodam Hebræo didici referente. Neque enim ideo esse non putabitur verum quod testificatione fortassis æmula per inimicorum ora certa ratio vera interlocutione fatetur. Solet enim major his accomodari fides, ubi inimici astipulantur dictis veridicis, quibus sine fuco adulationis et sine falsiloquio favent. Hoc etenim modo per Balaam inimicum utique populi Judæorum benedictionis promulgantur insignia. Sed et Vas electionis non incompetenter eligitur, ut qui putabatur hactenus a fidelibus non ferendus, ipse nomen majestatis Domini Jesu principibus et potestatibus anteferret. Verum ille quid ferebat ; Quidam, inquit, Judæus ad episcopum quemdam pergens, ait se fidei catholicæ velle initiari mysteriis, debere ergo episcopum illi tradere colendi ritum, quo prolatius instructus, voti sui compos effectus, jam fidelis Christiano corpori jungeretur. Ad hæc episcopus : Recede, obsecro, a nobis hominum genus invisum, desine, ut mos vester est, attentare maligne Sed si, ut assolet, necessitate cujuslibet facinoris obligaris, Ecclesiæ te muneratum stipendio gaude, dummodo irrisor nostræ fidei non existas Ad hæc ille : Non, inquam, beate pontifex, ut hostem exsecrandum protinus agas. Cupio enim fidei vestræ initiari mysteriis, quia tremendi nominis Domini Jesu Christi et formido judicium, et desidero habere præsidium. Sed, cum esset pertinax in rogando, et hujuscemodi pollicitationis jurejurando immodica se sponsione cinxisset nulla id quod peteret securitate negligere, nulla persecutione deserere nullave facilitate prodere, catechizandi ei initium per signaculum crucis tradi episcopus jussit. Venit Pascha ; cumque ad sacros illos latices quibus expiantur crimina pervenisset, cœpit reluctari, et non verborum edere quæstus, sed rugiens per quosdam gemitus exsecrari ipsius baptismi mysterium putabatur. Jussit ergo episcopus valde confusus eum protinus amoveri. Sed cum ipse in semetipsum fuisset repente conversus, dicit his quibus velut furore actus procul in partem alteram tenebatur : Ducite me, inquit, ad fontes, jam enim non sum impos mentis, nec me captum putetis ; certe enim jam cupio baptizari. Illicoque cum reductus ad episcopum iterum pervenisset : Obsecro, ait, sacerdos inclyte, perficiatur in me sacri hujus lavacri sacramentum. Et ille : Non, inquam, faciam, nisi omnem illum horroris casum, et confusionis tuæ exponas arcanum, et quid tibi evenerit antea stuporis, ut sacris istius exsecrares laticis undam, verbis veridicis fatearis. Tunc ille prorupit in lacrymas, tali ordine passionis suæ seriem pandens : Cum ante vestibulum hujusce fontis assisterem abluendus, venit turba dæmonum valde nigrorum, Æthiopibus par existens. Hæc me proripiens sanctorum manibus fontem adire vi valida prohibebat. Aderant siquidem alii candidati obsistentes pariter, et dicentes : Nolite hunc prohibere sacri fontis adire mysteria. Qui vos puniendi his inservitis sacramentis? Vobis enim, vobis noxii ignis ardor, non baptismi debetur splendor. At illi : Quid vobis et isti ? Noster, inquiunt, est, nec vobis jure debendus putabitur. Illo igitur cum me jussu tuæ potestatis tractum manibus quorumdam tuis aspectibus elongasses, atque recedere alterna in parte jussisses, inter partium, quæ erant, simultationes quadam pactione convenit, ut me contra peccata mea pari lance pensarent, et si ponderis major scelerum concresceret pensa eorum abscederem, ut immundus, nec ab eis ducerer eluendus. Sed cum pondere nimio oneribus massa infandis invisa crevisset, quidam pauper, cujus ante dies aliquot corpus meo calefeceram vestimento, confestim affuit, prolatamque vestem præbuit meo corpori compensandam. Illico igitur veluti ipsi vestimento immensi ponderis quædam fuisset addicta materies, supercrevit pensa mei corporis, ejectisque illis Æthiopibus, ac fugatis, manibus huc reductis sum beatorum. Cumque ita se habere juramentis terribilibus affirmaret, admissus ad baptismum sacrosancti lavacri munus excepit. Igitur cum ad missarum fuisset mysteria ventum, sancta sanctorum cœpit rursus, sicut in baptismo prius egerat, refugere, et rugitus validi gemitus dare, atque horrere videbatur acriter ipsius mysterii sacramentum. Verum ad hæc episcopus iterum obstupescens : Quid, ait, iste vexatus insanit, et furore immodico rugit. Igitur cum aliquatenus simus aderant simul attoniti prorsus hærerent, accedunt ad eum quidam dicentes : Quid tu rursum deprimeris stupore ? Si credere non vis, quid per hypocrisin tentare vis tanti mysterii sacramentum. At ille : Maximo, inquit, pavore, et tremore conficior, nam video corpus perfectæ ætatis viri super hoc altarium fuisse depositum, et per partes diruptum, manus vestras ipsius inspicio cruore madescere, et non advertitis digitorum ve-

strorum nodos sanguine infectos rubrum mutasse colorem? Tunc omnes cum episcopo in fletum versi cœperunt clamantes voce valida fari : Deo gratias, Deo laudes, qui ait magna, et inscrutabilia absque numero, Hosanna filio David, Hosanna in excelsis. Admirantes pariter, et dicentes : Vere in isto completum est vaticinium psalmi dicentis : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Non incassum ipsi tanti mysterii revelatur arcanum, in ipso enim ut referebat, ni fallor, ille qui dixerat, die septimo, cum ipsis albis candidam animam lux alma suscepit; nam absolutis vinculis carnis beatam vitam pulchro fine conclusit. Hoc ergo miraculo claruit, quia non solum in mysterio, sed per veritatis imaginem ille suum sacrat in altario corpus, qui ipsum discipulis in passione sacravit.

CAP. XLIII. — *Item de quodam sene eremita cujus dubitationem Dominus eadem veritatis revelatione firmavit.*

(4) Narravit abbas Daniel, dicens : Dixit pater noster abbas Arsenius, de quodam sene de Scitia, ubi habitabat, qui erat magnus in hac activa vita, simplex autem in fide. Et errabat, etc.

CAP. XLIV. — *Item miraculum quod Romæ actum est.*

(5) Materfamilias quædam nobilis erat in urbe Roma, quæ religionis et devotionis studio oblationes facere, et die Dominica ad ecclesiam deferre, summoque pontifici, et ecclesiasticæ consuetudinis, et familiaritatis ejusdem gratia offerre solebat. Quæ cum quadam die ex more ad communicandum de manu apostolici ordine suo accederet, illique pontifex offam Dominici corporis porrexisset dicens : Corpus Domini Nostri J. C. prosit tibi in vitam æternam et remissionem omnium peccatorum, subrisit. Quod vir Domini cernens, illi sacram communionem retraxit, et separatim super altare posuit, eamque diacono servandam usque dum cuncti communicarent fideles tradidit. Expleta vero sacra mysteria, interrogavit eam B. Gregorius dicens : Dic, rogo, dic quid cordi tuo emerserit, cum communicatura risisti? At illa : Recognovi portiunculam illam ex eadem oblatione fuisse quam meis manibus feci et tibi obtuli, et cum eam te intellexerim corpus Domini appellasse subrisi. Tunc sanctus Domini pontifex sermonem exinde fecit ad populum, et hortatus est eum ut suppliciter Dominum exoraret, quatenus ad multorum fidem corroborandam carnis oculis ostenderet quid infidelitas hujus mulieris mentis oculis videre et fidei luminibus conspicere debuisset. Quod cum fuisset oratum, ipse una cum populo, et eadem muliere ab oratione surrexit, et altare cunctis cernentibus, et sese ad cernendum cœleste spectaculum comprimentibus corporalem pallam revelat, et universo populo, ipsaque muliere cernente, partem digiti auricularis sanguine cruentatam invenit, ac mulieri dixit : Disce, inquam, et Veritati vel modo jam credere contestanti : *Panis quem ego do caro mea est, et sanguis meus vere est potus.* Sed præscius Conditor noster infirmitatis nostræ ea potestate qua cuncta fecit ex nihilo, et corpus sibi ex carne semper Virginis operante sancto Spiritu fabricavit panem, et vinum aqua mistum, manente propria specie in carnem et sanguinem suum, ad catholicam precem ob reparationem nostram Spiritus sanctificatione convertit. Indeque universos jussit divinam precari potentiam, ut in formam pristinam sacrosanctum reformasset mysterium, quatenus mulieri assumendum fuisset possibile. Quod et factum est. Unde sæpefata mulier plurimum in sancta religione, ac fide perficiens, participatione Dominici sacramenti consecrata est, et omnes, qui viderant, in divino amore et orthodoxa credulitate ferventius excreverunt.

CAP. XLV. — *Item aliud.*

Quidam nobilissimus secundum carnis prosapiam, et potentissimus juxta regiam in suo modo magnificentiam, cum per internuntios familiaritatem apostolicæ sedis adeptus esset, et frequenti admonitione epistolarum etiam a B. Gregorio transmissarum instructione, erga Dei et sanctorum cultum sufficienter fuisset imbutus, misit per strenuos et devotos missos condigna *exenia* ad sedem pontificalem, petens reliquias beatorum apostolorum ac martyrum sibi transmitti. Cujus legatos sanctus Apostolicus honorabiliter et gratanter suscipiens, aliquandiu secum morari fecit, atque indesinenter sanctorum apostolorum memorias, ac martyrum ex more prisco pro hujusmodi negotio missas celebrando, et reliquias in eorum commemoratione consecrando circumiens, præfatosque legatos et comites semper secum habens. Cum explicuisset eorum celebrationes, quorum reliquiæ petebantur, particulatim eosdem pannos consecratos, super quibus sancta celebraverat, divisit, et singulis singillatim pixidibus imposuit. Munitisque eis sigillo suæ sanctæ auctoritatis petitoribus usu ecclesiastico tradidit. Qui debita cum veneratione benedictionem petitam, et acceptam suscipientes, profecti sunt in viam suam gaudentes. Sed dum per aliquantos dies regressionis suæ iter carperent, ei, qui prior cæteris habebatur, quædam subripuit curiositas, dicens sodalibus se stulte tanti itineris subiisse laborem, cum nescirent qui pretiosi domino suo referrent. Pedetentim autem crescente collatione verborum, ad suggestionem sociorum confractis apostolicæ dignitatis singulis sigillis, apertæ sunt pixides, et in singulis singulæ panni repertæ sunt portiunculæ. Moxque cum indignatione Romam regressi archidiaconum adeunt conquirentes : Utquid, inquiunt, domnus Apostolicus tam vili pendit dominum nostrum, qui tantam gratiam se apud eum obtinuisse speraverat, quod sic voluerit illi illudere, et nos

(4) Vide Edit. ap. Rosweid in Vit. SS. Patrum Patrologiæ tom. LXXIII.)

(5) Vide Joan. Diac. in Vita Greg. M., l. II, c. 41.

dehonorationi et offensioni suæ [illegible] vimus siquidem nos ossa apostolorum, vel martyrum, pretiosa hinc referre, sicut decuerat tantum virum uti dominus noster est. A tanta [illegible] cillimo satis itinere, et datæ sunt nobis panni modicæ portiunculæ, ac si hujusmodi panniculi genus apud nos nequisset inveniri. Nisi enim causæ sollicitudo subvenisset, ut quod gerebamus cognosceremus, et sic stolide ad nostrum dominum nobis contigisset venire, dubium non est periculum honoris et gratiæ suæ nos debuisse incurrere. Quod archidiaconus modesta increpatione redarguit, cur in tantam præsumptionem eruperint ut apostolica sigilla ruperint, hortans eos ut redirent, et quæ acceperant domino suo cum honore deferrent. Sed hi nullatenus monitis ejus acquiescentes usque ad domni Gregorii venerunt præsentiam, factoque comperto, patientissime eorum tulit stultitiam, eosque sacrosanctis missarum solemniis præcepit interesse. Unde, cum ad locum sui sermonis est ventum, suadet populo Dei et sanctorum gratiam exorare, quatenus in hac re dignarentur apertissime sic suam potentiam patefacere; ut quid mereatur fides, evidentius minus creduli et ignorantes possint cognoscere. Et data oratione accepit ab eo cultellum, qui temeraverat signa, et super altare corporis sancti Petri acceptam unam panni portiunculam per medium pungens secavit. Ex qua statim sanguis decucurrit, et omnem camdem particulam cruentavit. Videntes autem suprascripti legati, et omnis populus stupendum et arcanum fidei sacræ miraculum, ceciderc proni in terram, adorantes Dominum, et dicentes : *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.* Et facto silentio inter alia fidei documenta dixit ad eos beatus Gregorius, qui antehac venerandas reliquias parvi duxerant : Scitote, fratres, quia in consecratione corporis et sanguinis Domini Nostri J. C. cum ob sanctificationem reliquiarum in honore apostolorum, vel martyrum ipsius, quibus specialiter assignabantur supra sacrosanctum altare libamina offerebantur, semper illorum sanguis hos pannos intravit, qui effusus est pro nomine Christi D. N. J. Ædificatis in fide cunctis qui aderant, munitisque iterum pixidibus signo suo, tradidit eis incomparabilia munera voti sui. Et cum gaudio reversi, hæc per ordinem domino suo nuntiarent, et sui desiderii compotem reddidere. Qui pretiosa sanctorum patrocinia reverenter suscepit, et honorabiliter in loco venerabili condidit, ubi Deus miracula operari dignatur ad laudem et gloriam nominis sui usque in hodiernum diem.

Cap. XLVI. — *De sacramento calicis quid revelatum sit beato Cypriano.*

(6) Scribens siquidem beatus Cyprianus ad Cæcilium de sacramento calicis, dicit inter alia : Quo[illegible] quidam vel ignoranter, vel simpliciter in calice Dominico sanctificando et plebi ministrando non [illegible] Christus Dominus et Deus noster, [illegible] hujus auctor et doctor, fecit et [illegible] duxi de hoc ad vos litteras facere, etc.

Cap. XLVII. — *Qualiter in Domini nostri Jesu Christi [illegible] sit Pascha abolitum, et in ejus [illegible] sit ostensa.*

(7) Diximus in superioribus satis de sacramento calicis, secundum quod B. Cypriano martyri Dominus revelare dignatus est. Superest ut nune de mysterio Dominici corporis nostrique, id est novi Paschæ immolatione qualiter, vel a quibus celebrandum sit. Sanctissimi papæ Gregorii sensum et verba ponamus, ut quod sub velamine litteræ tegebatur in lege, in Evangelio fiat rei veritate perspicuum : *Pascha*, inquit, *nostrum*, apostolis, *immolatus est Christus.* Si igitur Pascha Christus, pensandum nobis est quod de Pascha lex loquitur, ut subtilius perscrutantes possimus agnoscere an de Christo dicta videantur. Moyses quippe ait : *Sument de sanguine agni*, etc.

Cap. XLVIII. — *Utrum Pascha istud legitimum post anni spatium vel post longa in intervalla dierum, an quotidie a fidelibus sit edendum.*

Paschæ autem hujus observantiam, id est Dominici corporis ac sanguinis perceptionem quibusdam moris est post anni spatium, quibusdam vero post certa intervalla dierum, quibusdam quoque quotidie pro causarum diversitate celebrare. Quod tamen magis videtur humanæ saluti congruere, si pura et devota mens fuerit accedentium ad tanti mysterii sacramentum. Panis siquidem vitæ Christus est, ei panis hic omnium non est, sed fidelium pieque sumentium. Sicut enim Deus Pater proprie intelligentium et credentium pater est, sic Christus Deus et Dominus noster, Dei Filius eorum qui corpus ejus cum fide suscipiunt, Patris est. Quem panem ex ejus præceptione dari nobis quotidie postulamus a Patre, ne qui in eo sumus, et eucharistiam corporis ejus quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes, et a cœlesti pane jejuni ab ejus corpore separemur, ipso prædicante, et dicente : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi; qui ederit de meo pane vivet in æternum; panis autem, quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita.* Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederit de eo pane, manifestum est eos vivere, qui corpus ejus attingunt, et eucharistiam veræ communicationis accipiunt. Ita contra timendum est et orandum, ne, dum quis abstentus separatur a Christi corpore, vacuus remaneat a salute, communicante ipso et dicente : *Nisi ederitis carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* Et ideo panem nostrum, id est Christum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in eo manemus, et vivimus, a sanctificatione ejus corpore non recedamus. Ar-

(6) Vide inter epistolas S. Cypriani.

(7) Vide tom. III Opp. S. Gregorii.

strorum nodos sanguine infectos rubrum mutasse colorem? Tunc omnes cum episcopo in fletum versi cœperunt clamantes voce valida fari : Deo gratias, Deo laudes, qui ait magna, et inscrutabilia absque numero, Hosanna filio David, Hosanna in excelsis. Admirantes pariter, et dicentes : Vere in isto completum est vaticinium psalmi dicentis : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Non incassum ipsi tanti mysterii revelatur arcanum, in ipso enim ut referebat, ni fallor, ille qui dixerat, die septimo, cum ipsis albis candidam animam lux alma suscepit ; nam absolutis vinculis carnis beatam vitam pulchro fine conclusit. Hoc ergo miraculo claruit, quia non solum in mysterio, sed per veritatis imaginem ille suum sacrat in altario corpus, qui ipsum discipulis in passione sacravit.

CAP. XLIII. — *Item de quodam sene eremita cujus dubitationem Dominus eadem veritatis revelatione firmavit.*

(4) Narravit abbas Daniel, dicens : Dixit pater noster abbas Arsenius, de quodam sene de Scitia, ubi habitabat, qui erat magnus in hac activa vita, simplex autem in fide. Et errabat, etc.

CAP. XLIV. — *Item miraculum quod Romæ actum est.*

(5) Materfamilias quædam nobilis erat in urbe Roma, quæ religionis et devotionis studio oblationes facere, et die Dominica ad ecclesiam deferre, summoque pontifici, et ecclesiasticæ consuetudinis, et familiaritatis ejusdem gratia offerre solebat. Quæ cum quadam die ex more ad communicandum de manu apostolici ordine suo accederet, illique pontifex offam Dominici corporis porrexisset dicens : Corpus Domini Nostri J. C. prosit tibi in vitam æternam et remissionem omnium peccatorum, subrisit. Quod vir Domini cernens, illi sacram communionem retraxit, et separatim super altare posuit, eamque diacono servandam usque dum cuncti communicarent fideles tradidit. Expleta vero sacra mysteria, interrogavit eam B. Gregorius dicens : Dic, rogo, dic quid cordi tuo emerserit, cum communicatura risisti? At illa : Recognovi portiunculam illam ex eadem oblatione fuisse quam meis manibus feci et tibi obtuli, et cum eam te intellexerim corpus Domini appellasse subrisi. Tunc sanctus Domini pontifex sermonem exinde fecit ad populum, et hortatus est eum ut suppliciter Dominum exoraret, quatenus ad multorum fidem corroborandam carnis oculis ostenderet quid infidelitas hujus mulieris mentis oculis videre et fidei luminibus conspicere debuisset. Quod cum fuisset oratum, ipse una cum populo, et eadem muliere ab oratione surrexit, et altare cunctis cernentibus, et sese ad cernendum cœleste spectaculum comprimentibus corporalem pallam revelat, et universo populo, ipsaque muliere cernente, partem digiti auricularis sanguine cruentatam invenit, ac mulieri dixit : Disce, inquam, et Veritati vel modo jam credere contestanti : *Panis quem ego do caro mea est, et sanguis meus vere est potus.* Sed præscius Conditor [illegible] cuncta fecit ex nihilo, et corpus sibi ex carne semper Virginis operante sancto Spiritu fabricavit panem, et vinum aqua mistum, manente propria specie in carnem et sanguinem suum, ad catholicam precem ob reparationem nostram Spiritus sanctificatione convertit. Indeque universos jussit divinam precari potentiam, ut in formam pristinam sacrosanctum reformasset mysterium, quatenus mulieri assumendum fuisset possibile. Quod et factum est. Unde sæpefata mulier plurimum in sancta religione, ac fide perficiens, participatione Dominici sacramenti consecrata est, et omnes, qui viderant, in divino amore et orthodoxa credulitate ferventius excreverunt.

CAP. XLV. — *Item aliud.*

Quidam nobilissimus secundum carnis prosapiam, et potentissimus juxta regiam in suo modo magnificentiam, cum per internuntios familiaritatem apostolicæ sedis adeptus esset, et frequenti admonitione epistolarum etiam a B. Gregorio transmissarum instructione, erga Dei et sanctorum cultum sufficienter fuisset imbutus, misit per strenuos et devotos missos condigna *exenia* ad sedem pontificalem, petens reliquias beatorum apostolorum ac martyrum sibi transmitti. Cujus legatos sanctus Apostolicus honorabiliter et gratanter suscipiens, aliquandiu secum morari fecit, atque indesinenter sanctorum apostolorum memorias, ac martyrum ex more prisco pro hujusmodi negotio missas celebrando, et reliquias in eorum commemoratione consecrando circumiens, præfatosque legatos et comites semper secum habens. Cum explicuisset eorum celebrationes, quorum reliquiæ petebantur, particulatim eosdem pannos consecratos, super quibus sancta celebraverat, divisit, et singulis singillatim pixidibus imposuit. Munitisque eis sigillo suæ sanctæ auctoritatis petitoribus usu ecclesiastico tradidit. Qui debita cum veneratione benedictionem petitam, et acceptam suscipientes, profecti sunt in viam suam gaudentes. Sed dum per aliquantos dies regressionis suæ iter carperent, ei, qui prior cæteris habebatur, quædam subripuit curiositas, dicens sodalibus se stulte tanti itineris subiisse laborem, cum nescirent qui pretiosi domino suo referrent. Pedetentim autem crescente collatione verborum, ad suggestionem sociorum confractis apostolicæ dignitatis singulis sigillis, apertæ sunt pixides, et in singulis singulæ panni repertæ sunt portiunculæ. Moxque cum indignatione Romam regressi archidiaconum adeunt conquirentes : Utquid, inquiunt, domnus Apostolicus tam vili pendit dominum nostrum, qui tantam gratiam se apud eum obtinuisse speraverat, quod sic voluerit illi illudere, et nos

(4) Vide Edit. ap. Rosweid in Vit. SS. Patrum Patrologiæ tom. LXXIII.)

(5) Vide Joan. Diac. in Vita Greg. M., l. II, c. 41.

dehonorationem et offensionem suæ addu[illegible] vimus siquidem nos esse apostolorum, vel martyrum, pretiosa hinc referre, sicut [illegible] tum virum uti dominus noster est. A tanta [illegible] cillimo satis itinere, et datæ sunt nobis panni modicæ portiunculæ, ac si hujusmodi panniculi genus apud nos [illegible] causæ sollicitudo subv[illegible], ut quod [illegible] mus cognosceremus, et sic stolide ad nostrum dominum nobis contigisset venire, dubium non est periculum honoris et gratiæ suæ nos debuisse incurrere. Quod archidiaconus modesta increpatione redarguit, cur in tantam præsumptionem eruperint ut apostolica sigilla ruperint, hortans eos ut redirent, et quæ acceperant domino suo cum honorè deferrent. Sed hi nullatenus monitis ejus acquiescentes usque ad domni Gregorii venerunt præsentiam, factoque comperto, patientissime eorum tulit stultitiam, eosque sacrosanctis missarum solemniis præcepit interesse. Unde, cum ad locum sui sermonis est ventum, suadet populo Dei et sanctorum gratiam exorare, quatenus in hac re dignarentur apertissime sic suam potentiam patefacere; ut quid mereatur fides, evidentius minus creduli et ignorantes possint cognoscere. Et data oratione accēpit ab eo cultellum, qui temeraverat signa, et super altare corporis sancti Petri acceptam unam panni portiunculam per medium pungens secavit. Ex qua statim sanguis decucurrit, et omnem eamdem particulam cruentavit. Videntes autem suprascripti legati, et omnis populus stupendum et arcanum fidei sacræ miraculum, ceciderc proni in terram, adorantes Dominum, et dicentes : *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.* Et facto silentio inter alia fidei documenta dixit ad eos beatus Gregorius, qui antehac venerandas reliquias parvi duxerant : Scitote, fratres, quia in consecratione corporis et sanguinis Domini Nostri J. C. cum ob sanctificationem reliquiarum in honore apostolorum, vel martyrum ipsius, quibus specialiter assignabantur supra sacrosanctum altare libamina offerebantur, semper illorum sanguis hos pannos intravit, qui effusus est pro nomine Christi D. N. J. Ædificatis in fide cunctis qui aderant, munitisque iterum pixidibus signo suo, tradidit eis incomparabilia munera voti sui. Et cum gaudio reversi, hæc per ordinem domino suo nuntiarent, et sui desiderii compotem reddidere. Qui pretiosa sanctorum patrocinia reverenter suscepit, et honorabiliter in loco venerabili condidit, ubi Deus miracula operari dignatur ad laudem et gloriam nominis sui usque in hodiernum diem.

Cap. XLVI. — *De sacramento calicis quid revelatum sit beato Cypriano.*

(6) Scribens siquidem beatus Cyprianus ad Cæcilium de sacramento calicis, dicit inter alia : Quoniam quidam vel ignoranter, vel simpliciter in calice Dominico sanctificando et plebi ministrando non hoc faciunt quod Jesus Christus Dominus et Deus noster, sacrificii hujus auctor et doctor, fecit et docuit, religiosum pariter ac necessarium duxi de hoc ad vos litteras facere, etc.

Cap. XLVII. — *Quod in Domini nostri Jesu Christi passione mysticum sit Pascha abolitum, et in ejus immolatione rei veritas sit ostensa.*

(7) Diximus in superioribus satis de sacramentò calicis, secundum quod B. Cypriano martyri Dominus revelare dignatus est. Superest ut nunc de mysterio Dominici corporis nostrique, id est novi Paschæ immolatione qualiter, vel a quibus celebrandum sit. Sanctissimi papæ Gregorii sensum et verba ponamus, ut quod sub velamine litteræ tegebatur in lege, in Evangelio fiat rei veritate perspicuum : *Pascha*, inquit, *nostrum*, apostolis, *immolatus est Christus.* Si igitur Pascha Christus, pensandum nobis est quod de Pascha lex loquitur, ut subtilius perscrutantes possimus agnoscere an de Christo dicta videantur. Moyses quippe ait : *Sument de sanguine agni*, etc.

Cap. XLVIII. — *Utrum Pascha istud legitimum post anni spatium vel post longa in intervalla dierum, an quotidie a fidelibus sit edendum.*

Paschæ autem hujus observantiam, id est Dominici corporis ac sanguinis perceptionem quibusdam moris est post anni spatium, quibusdam vero post certa intervalla dierum, quibusdam quoque quotidie pro causarum diversitate celebrare. Quod tamen magis videtur humanæ saluti congruere, si pura et devota mens fuerit accedentium ad tanti mysterii sacramentum. Panis siquidem vitæ Christus est, ei panis hic omnium non est, sed fidelium pieque sumentium. Sicut enim Deus Pater proprie intelligentium et credentium pater est, sic Christus Deus et Dominus noster, Dei Filius eorum qui corpus ejus cum fide suscipiunt, Patris est. Quem panem ex ejus præceptione dari nobis quotidie postulamus a Patre, ne qui in eo sumus, et eucharistiam corporis ejus quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes, et a cœlesti pane jejuni ab ejus corpore separemur, ipso prædicante, et dicente : *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi; qui ederit de meo pane vivet in æternum; panis autem, quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita.* Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederit de eo pane, manifestum est eos vivere, qui corpus ejus attingunt, et eucharistiam veræ communicationis accipiunt. Ita contra timendum est et orandum, ne, dum quis abstentus separatur a Christi corpore, vacuus remaneat a salute, communicante ipso et dicente : *Nisi ederitis carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem ejus, non habetis vitam in vobis.* Et ideo panem nostrum, id est Christum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in eo manemus, et vivimus, a sanctificatione ejus corpore non recedamus. Ar-

(6) Vide inter epistolas S. Cypriani.

(7) Vide tom. III Opp. S. Gregorii.

serunt hoc semper desiderio sancti quique ut hujus panis alimonia Deo viverent, quibus temporalis vita dispendium, et vivere Christus fuit; e quibus unus venerabilis vitæ Cassius, nomine Narniensis, præsul Ecclesiæ, ut B. Gregorius refert, cum quotidianum sacrificium offerret, seque ipsum inter ipsa sacrificiorum arcana gratam Deo victimam faceret; mandatum Domini per cujusdam sui visionem presbyteri suscepit, dicens : Age quod agis; operare quod operaris. Non cesset pes tuus, non cesset manus tua. Natali apostolorum venies ad me, et retribuam tibi mercedem tuam. Qui post annos septem ipso natalitio apostolorum die cum missarum solemnia peregisset, et mysteria sacræ communionis accepisset, e corpore exivit.

CAP. XLIX. — *Quantum sacræ oblationis immolatio mortuornm spiritibus prosit.*

(8) Sed qui mirum si humani generis verum hoc et singulare præsidium in corpore manentibus fidelibus et Deo charis ad præsentem et perpetuam opitulatur salutem, quando illud ipsi etiam mortuorum spiritus a viventibus petunt, et signa indicant quibus per hoc absoluti esse videantur? Testatur siquidem sæpe dictus sanctissimus papa Gregorius, suo tempore fuisse quemdam sanctæ conversationis sacerdotem, cui consuetudo fuerat in loco in quo aquæ calidæ vapores nimios faciunt, quoties necessitas postulabat, lavandi causa venire, etc.

CAP. L. — *De quodam monacho qui per salutarem hostiam supplicium evasit.*

Sed quia ad commendandam virtutem Dominici corporis de B. Gregorii dialogo aliqua jam capitula huic libello inserenda putavimus, non abs re est, si pauca, quæ restant, præteritis fidem facientia connectamus. Corroborat enim maxime fidelium spem de divini semper judicii metu sollicitam quod præfatus beatissimus papa Gregorius se præsente asserit in suo monasterio contigisse. Quidam namque monachus, Justus nomine, arte medicus, etc.

CAP. LI. — *De quodam cujus vincula in captivitate oblato peracto sacrificio solvebantur* (9).

Non longe a nostris fertur temporibus factum, quod quidam ab hostibus captus longe transductus est, etc.

CAP. LII. — *De quodam nauta qui post longa maris discrimina Dominici virtute sacramenti mortem evasit.*

(10) Agatho etenim, Panormitanus episcopus, sicut fideles mihi religiosique viri multi testati sunt, etc.

Hæc exempli gratia dicta sunt, ut cuncti liquido cognoscant, quia si insolubiles culpæ non fuerint, ad absolutionem prodesse etiam mortuis victima sacræ oblationis possit.

(8) Vide S. Greg. Dialog. lib. IV in fin.

(9) Vide S. Gregorium ubi supra.

CAP. LIII. — *Quibus immolatio Dominici corporis mortuis prosit.*

Sed sciendum est quia illis victima mortuis prodest, qui hic obtinuerunt vivendo, ut eos etiam post mortem bona adjuvent, quæ hic pro ipsis ab aliis fiunt. Inter hæc autem pensandum est, quod tutior via sit, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse, dum vivit, per se. Beatius quippe est liberum exire quam post vincula libertatem quærere. Debemus itaque præsens sæculum, vel quia jam conspicimus defluxisse, tota mente contemnere; quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis ejus et sanguinis hostias immolare. Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animas solvit, quæ illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat. Qui licet *surgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur,* in se ipso immortaliter, atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manibus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quo pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitamur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri? in illo Jesu Christi mzsterio angelorum choros adesse? summis ima sociari? terram cœlessibus jungi? unum quidem ex visibilibus atque invisibilibus fieri? Sed necesse est ut, cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus, quia, qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo vera pro nobis Deo hostia erit, cum nos ipsos hostiam fecerit. Sed studendum nobis est, ut etiam post orationis tempora, in quantum Deo largiente possumus, in ipso animum suo pondere et vigore servemus, ne post cogitatio fluxa dissolvat, ne vana menti lætitia subrepat et lucrum compunctionis anima per incuriam fluxæ cogitationis perdat. Dum autem per indulti temporis spatium licet, dum judex sustinet, dum conversionem nostram is, qui culpas examinat, exspectat, conflemus in lacrymis duritiam mentis, formemus in proximis gratiam benignitatis, et fidenter dico, quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante mortem Deo hostia ipsi fuerimus.

CAP. LIV. — *Qua disciplina, qua modestia orandum sit, cum sacerdos sacrificat, et unusquisque in suo ordine horam sacræ communionis exspectat.*

Postquam in superioribus de sacramento Dominici corporis et sanguinis plura jam diximus, consequens est, ut qua reverentia, quove more, quantave disciplina, cum sacerdos sacram immolat hostiam, divinis nos oporteat interesse mysteriis, et percipiendæ sacrosanctæ eucharistiæ horam sustinere, sicut

(10) Vide ibid.

nobis nostri tradidere majores, et a sanctissimis Domini sacerdotibus, Cyprianum dico atque Ambrosium, edocti sumus qui in suis hoc scriptum reliquere libris, in fine hujus libelli de multis pauca ponamus. Quorum unus Cyprianus sed est : Quando inquit, in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ et disciplinæ memores esse debemus; non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeste Domino tumultuosa loquacitate jactare, quia Deus non vocis, sed cordis auditor est. Nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt. Sit autem orantibus sermo, et precatio cum disciplina, quietem continens et pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare. Placendum est divinis oculis et habitu corporis et modo vocis. Nam ut impudentis est clamoribus strepere, ita magis congruit verecundo modestis precibus orare, etc. *Reliqua vide ap. S. Cypr. lib. de Orat. Domin. ea.*

Cap. LV. — *Quod cavendum in oratione sit, et qualiter fundendæ preces.*

Beatissimus quoque præsul Ambrosius, pretiosum divini eloquii organum, locum illum sancti Evangelii exponens, quo Dominus in cubiculo orandum præcipit, quam caute, quave disciplina sint imploranda præsidia satis luculenter indicat : Cubiculum, inquit, tuum mentis arcanum, animique secretum est. In hoc cubiculum tuum intra, hoc est intra in alta præcordia, etc. *Reliqua vide ap. S. Ambr., l. I de Abel et Cain, cap.* 9.

Cap. LVI. — *Cyprianus ad clerum de precando Deum.*

(11) Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus salutem. Quanquam sciam, fratres charissimi, pro amore, quem singuli debemus Deo etc.

Cap. LVII. — *Quod etiam in exteriori cultu sacrosanctum Dominici altare ornandum sit.*

Mysterium altaris in primordiis Ecclesiæ non tam frequenter, uti nunc celebratur, tamen quanto rarius, tanto religiosius agebatur. Tempore namque priorum Patrum illis injungebatur, ut Eusebii refert Historia, sacrificandi officium, qui naturali simplicitate fulgebant, juxta illud : Cum simplicibus sermocinatio ejus. Ad quod mysterium qui participare debebant, discalceatis pedibus accedebant, propter illud, quod Moysi et Josue præceptum est : *Solve calceamentum de pedibus tuis; terra enim, in qua stas, terra sancta est.* Sanctus quoque Pachomius pistoribus præcepit ut, cum oblationes coquerent, salutaria meditarentur, nihil vane loquentes. Cum ergo hoc in monasterio Tabenense quadam vice violaretur, statim Pachomio divinitus revelatum est. Qui protinus Theodorum mittens negligentiam hanc, velut divini præcepti transgressionem, emendari jussit. Ut nunc valde quidem frequentius, sed quod, nimis dolendum est, multo negligentius frequentatur. Quam scilicet negligentiam, et ipsa ecclesiæ facies, et ipsa vasa altaris, sed et linteamina, seu quælibet cætera, quæ ad usum Dominicæ servitutis pertinent, manifeste demonstrant. Non necesse est singula singillatim prodere. Satis patet quæ studiosius sacerdotes colunt, quæ sua sunt, an quæ altaris. Sed nimirum cum charitas, quæ plenitudo legis est, ne tota jam refriguit, quomodo in sacrificando tanta continuatio perseverat, nisi quia malignus hostis in hoc sacrificantibus non contradicit, in quo magis eos gravari novit. Neque enim Judam vetuit eucharistiam sumere; scivit enim, quia sicut a devotis per illius mysterii perceptionem ejus fraus compescitur, sic in his, qui hanc indigni percipiunt, licentius grassatur. Contra illos etenim qui exteriorem gloriæ cultum negligunt Dominus per Malachiam quæritur dicens : *O vos sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis : In quo? In hoc despicitis nomen meum, offerentes super altare meum panem pollutum, et dicitis : Mensa Domini polluta est.* Polluunt sacerdotes panem, id est corpus Christi, quando indigni accedunt ad altare. Mensam vero despectam, licet verbis non dicant, tamen cum ipsi exteriorem ejus cultum non ornant, eam etiam laicis despicabilem faciunt, quoniam carnalium sensus deesse putant sanctimonia divinæ virtutis, ubi deesse vident ornatum ambitionis.

Cap. LVIII. — *Quod nihil super altare ponendum sit præter sacrosanctam oblationem.*

Est ecclesia beatæ Walburgis in qua miracula fieri solebant. Contigit autem aliquando, ut ejusdem sanctæ Walburgis reliquiæ super altare per aliquot dies manerent, sed mox miracula cessaverunt. Tandem vero ipsa virgo cuidam ex infirmis apparens : Idcirco, inquit, non sanamini, quia reliquiæ meæ sunt super altare Domini, ubi majestas divini mysterii debet solummodo celebrari. Quod cum ille custodibus referret, tulerunt capsam, et protinus miracula fieri cœperunt. Si igitur ob illius mysterii reverentiam nec ipsa sua pignora sancti volunt propius vicinari, quid censendum est de immunditiis?

Cap. LIX. — *Quod pro homicidis et latronibus non est sacrificandum.*

In ea via quæ Alvernensis monasterii ducit ad forum, est ecclesia S. Petri, quæ dicitur ad Salas, in cujus vicinia manebat quidam latro, qui duos itinerantes, quos hospitio susceperat, spoliare volens, nocte interficere tentavit, sed illi prævalentes iuterfecerunt eum; cumque sepeliendus ad ecclesiam deferretur, sacerdos pro eo missam celebrare cœpit. Cum ergo ad verba consecrationis Dominica venire deberet, terribilis sonus in tecto ecclesiæ percrepuit, et altare usque ad radices scissum est. Sicque sacerdos cum omnibus ingenti pavore perculsus fugit, et pro apostata sacrificare cessavit. Hoc autem contra eos dictum sit, qui pro sceleratis ob gratiam eorum se oraturos pollicentur.

(11) Vide ep. 8. S. Cypr.

Cap. LX. — *De his qui eleemosynam tribuunt, et peccata non dimiitunt.*

Qui ita eleemosynam tribuit, ut culpam non dimittat, animam non redimit, quam a vitiis non compescit. Hoc ille eremita suo facto probat, qui, cum multis virtutibus cum quodam suo collega deservisset, hæc illi per diabolum injecta cogitatio est, ut quandocunque libidine titillaretur, sic semen detritu genitalis membri egerere deberet, ut tanquam flegma de naribus projiceret. Qui ob id, et dæmonibus moriens, vidente socio, traditus est. Cum quidem isdem socius reatum ejus ignorans, sed exercitia virtutum recolens pene desperavit dicens : O quis poterit salvus esse, quando iste periit? Cui mox angelus astans dixit : Ne turberis. Iste enim licet multa fecerit, tamen per illud vitium quod Apostolus vocat immunditiam, cuncta fœdavit. De quo propheta ait : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt*, Siquidem tale aliquid nostro tempore contigit, quod, ne sui novitate vilescat, considerandum est.

Cap. LXI. — *Stupendum nimis de quodam presbytero.*

Quidam namque presbyter in Pago Abitincatino de continentia desperaverat. Hic per novem vices Romam adiit, a B. Petro scilicet impunitatem sceleris quasi propter frequentem loci visitationem sperans promereri; quamvis enim peccatum deserere nollet, tamen vehementer timebat, quoniam iste mos est pravorum, ut licet in culpa superbiant, licet prava foras audacter faciant, in corde tamen trepidare coguntur, ut ipse timor sit aptus testis damnationis. Unde Adam post culpam ad latibulum fugit, sed tamen etiam timens fugit, multum timuit, quia Deo duriter respondit. Hic ergo timens quasi religionis obsequium deferebat. Sed ut Deus ostenderet, quod satisfactionem nisi pro his peccatis, quæ deseruntur, non recepit, cum rediret nona vice, et quasi securior concubitum repeteret, ita divino judicio miser interiit, ut cum semen effunderet, animam pariter exhalaret, sicut infelix mulier perhibuit.

Cap. LXII. — *Quod qualiscunque sacerdotis excommunicatio valde formidanda sit, nec attendendum cujus meriti sit, sed cujus auctorttate hoc facit, etiamsi injusta videtur, quod absit, excommunicatio.*

Cum ante hos annos sancti Andreæ solemnitas in prima Dominica Dominici Adventus concurrisset, quidam sacerdos pagensibus suis utrasque missas audire præcepit. Inter quos erat medicus, qui audita prima missa discessit. Quem cum sacerdos increpasset, dure ei respondit. At ille excommunicavit eum. At vero iratus medicus ad suam domum discessit, et in contemptum excommunicationis mox potum accepit, atque protinus vexari cœpit, quousque animam exhalaret.

Cap. LXIII. — *Laudabile nimis exemplum gloriosi Theodosti imperatoris.*

Theodosius famosus imperator quadam vice a quodam monacho, qui, ut credo, non bene compos mentis suæ erat, pro quadam ejus querela, quam non statim expedierat, excommunicatus est. Et monachus quidem excommunicatione in petatio descripta, et quo ab imperatore invenire posset projecta discessit. At imperator non illum gyrovagum, sed cœlestem potius regem, cujus auctoritate solet excommunicatio fieri, in causa considerans, prandere nullatenus, cum quidem incumberet hora, præsumpsit. Multisque episcopis coram astantibus, etiam illo episcopo ad cujus diœcesim prædictus monachus pertinebat, licentiam dantibus, cogi non potuit, ut aliquid gustaret. Donec monachus diu multumque quæsitus, et aliquando repertus, imperatori licentiam daret.

Cap. LXIV. — *Item aliud exemplum nimis pavendum.*

Legimus in Historia gentis Anglorum quod quidam episcopus duos fratres palatinos viros pro repudio uxorum excommunicavit. Contigit autem ut rex ipsius gentis juxta domum ipsorum transiret. Qui multis blandimentis delinitus, ut apud eos ad prandendum diverteret, tandem consensit. Expleto autem convivio cum rediret, obviavit episcopum, qui fratres illos excommunicavit : quem cum vidisset, intremuit, et exsiliens de equo in media, ut erat, via, prostravit se episcopo. At ille appropians ad eum ferula, quam manu tenebat, tetigit dicens : O rex, non meum est ignoscere tibi, quia contra Deum fecisti, quando te excommunicatis scienter sociasti. Idcirco ista sententia est de te : Hoc anno mori habes in domo ipsa, in qua excommunicationem contempsisti. Quod factum est, sicut ibi legitur. Ecce rex non potuit hunc reatum nisi moriendo expiare. Ecce episcopus nec prostrato regi in pulvere potuit ignoscere. Ex his ergo colligendum est, quia nec ipse episcopus, cujus excommunicatio contemnitur, sine gravissima pœnitentia hujusmodi facinus ignoscere potest.

Cap. LXV. — *Quanta reverentia episcopali cathedræ sit habenda. De domno Petro Alexandrino patriarcha.*

Huic instante passionis articulo Christus per somnium nimio splendore fulgens apparuit, indutus videlicet colobio nimis candidissimo, sed usque ad pedes scisso ; quod tamen colobium ambabus manibus ad pectus suum stringebat, nuditatem suam quodammodo operiens. Quem Christum esse Petrus intelligens, cum ingenti horrore attonitus ait : Mi Domine, Domine, quis hoc fecit? At ille ait : Anius mihi hoc fecit. Hic ergo Petrus tempore episcopatus nunquam in cathedra sua sedere voluit, sed super scabellum ipsius cathedræ residebat. Propter quod frequenter clerus et populus contra eum querebantur, sed nequaquam acquiescebat, quoniam quoties thisiasterium ascendebat, splendor igneus de ipsa sede egrediens ei apparebat. Cujus aspectu ita vir sanctus accendebatur, ut nesciret se interdum esse in corpore. Cum autem quadam solemnitate clerus et episcopi, qui aderant, de prædicta sessione que-

[illegible] tantam rem audientes conticuissent, ille subjunxit : [illegible] admodum contemptores terreri possent, tum quoque ipsi sessores non mediocriter contremiscunt.

Cap. LXVI. — *[illegible] temerari, [illegible] pollueres.*

Quidam [illegible] ad [illegible] monasterium metu inimicorum confugerat, qui in cella, quæ ecclesiæ adhæret, nocte dormiens cum [illegible] adhæ[illegible]. Cum [illegible]tur ita tunc se teneri sensisset, subclamavit. Rumor sublatus increbuit. Accurrerunt omnes. Illi tam [illegible] monachis [illegible]cere. Quanta potuerunt munera loco sancto dedere. Cum diu a monachis esset oratum, dimissi sunt. Sicut autem ipsa res edocet, complexus conjugum. quia licitum erat, temporaliter penitus est ob illicitam sacri loci, ubi gerebatur, præsumptionem. At vero incestorum reatus in sanctis locis patratus ob hoc in præsenti minime plerumque plectitur, quia tantus est, ut non transitoria, sed æterna ultione feriri debeat. E contra vero quantum sacri loci reverentia prosit, hoc saltem valet exemplo pervideri.

Cap. LXVII. — *De [illegible] in [illegible] S. Joannis apostoli.*

Quidam rex Lango[illegible], sicut in ejus gentis Historia legitur, in cœmeterio cujusdam ecclesiæ S. Joannis sepeliri se fecit, hæreticus tamen perseveravit. Cujus tumulum quidam fur effringens, ornamenta, cum quibus rex sepultus fuerat, asportavit. Eidem vero S. Joannes per visionem dixit : Cur ausus es corpus istius hominis contingere? fuerit licet [illegible] credens, mihi tamen se commendavit. Quia igitur hoc facere præsumpsisti, nunquam in [illegible] deinceps habebis. Quod [illegible]. Quotiescunque enim voluit et B. Joannis oraculum ingredi, statim velut a validissimo pugili guttur ejus feriretur, sic subito retro ruebat impulsus. Si ergo pro reverentia sancti loci contra violatorem sepulcri illius hæretici S. Joannes indignatus est, quantum putas, et Deus et sancti ejus irascuntur adversus quemquam, qui sancta loca quolibet modo commaculat ?

Cap. LXVIII. — *Incipit epistola Augustini ad Auxilium episcopum pro causa injustæ excommunicationis* (12).

Cap. LXIX. — *Item capitula ad eamdem rem pertinentia B. Augustinus* (13).

Cap. LXX. — *De sacramento baptismatis B. [illegible]sius* (14).

Ubi non est plenum baptismatis sacramentum, nec principium, vel species aliqua baptismatis æstimatur etc.

Definitio brevis de eucharistia.

Accepit itaque Christus carnem nostram non phantasticam, sed naturalem, ergo et nostra caro naturalis, unde sumpta est illa. Sed et illa naturalis, quæ uniret utrasque, et faceret connaturales connaturalis et ipsa. Sed, ut ait quidam Sapiens, non ob hoc plures carnes, vel corpora, sicut nec multa sunt sacrificia, sed unum licet offeratur a multis per loca diversa et tempora. Quia divinitas Verbi Dei, quæ una est et omnia replet, et tota ubique est, ipsa facit, ut non sint plura sacrificia, sed unum, licet a multis offeratur, et sit unum corpus Christi cum illo, quod suscepit de utero virginali. Vere etenim, et incunctanter credendum in ipsa immolationis hora ad sacerdotis precem cœlos aperiri, et illud angelico ministerio in sublimi deportari altari, quod est ipse Christus, qui et pontifex et hostia conctactusque illius unum fieri. O quales, ut ait S. Basilius, oportet sacerdotis esse manus tantarum rerum ministras, quæ communem Dominum angelico iterum revecto officio subinde contigerunt !

(12) Vide inter epistolas S. Augustini.
(33) Vide ibid.

(14) Vide S. Ambrosium, lib. I De Spiritu sancto, c. 3.

ANNO DOMINI DCCCCLXXXVIII.

SANCTUS DUNSTANUS

ARCHIEPISCOPUS CANTUARIENSIS

VITA SANCTI DUNSTANI

AUCTORE OSBERNO CANTUARIENSI MONACHO

(Apud Mabill., *Acta sanctorum ordinis S. Benedicti*, *Sæculi* V, pag. 654.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Inter eximios Anglicanæ Ecclesiæ per sæculum x pontifices nescio an primum locum mereatur S. Dunstanus, quem egregia vitæ sanctitas, ait Baronius, sacerdotalis immota constantia, claritudo miraculorum, et omnia Spiritus sancti charismata illustrarunt, quibus etiam adde splendorem natalium. Inde in ejus laudes quasi certatim excurrunt Britanniæ insulæ scriptores, æquales, suppares, subsequentes ac recentiores. Ex æqualibus « alii, teste Osberno, etsi satis eleganter, non tamen satis diligenter, sed quantum ad nocturnum festivitatis officium satis esse judicantes, sermocinandi ad populum modo scripsere. Alii autem dum nimis diligenter, quemadmodum quæque res acta sit, explicare conarentur, elegantiam perdiderunt, atque in illud dicendi genus, quod suffultum Romanæ princeps eloquentiæ vocat, inciderunt. Qui vero in utraque parte dicendi elaboraverunt, ut essent festivi pariter atque secundum gestas res bene ordinati; horum scripta in illo incendio consumpta sunt, quod ante hos annos sancta Dorobernensis ecclesia cum magno suarum rerum detrimento perpessa fuisse dignoscitur. » Triplex istius ecclesia incendium commemorat Gervasius. Primum, « quando beatus martyr Elfegus a Danis captus est et martyrio cononatus » (*nempe anno* 1020). « Secundum, cum Lanfrancus Cadomensis abbas archiepiscopatum Cantuariensis Ecclesiæ suscepit regendum. » (*id est anno* 1070) « Tertium vero tempore Richardi archiepiscopi et Odonis prioris. » Scilicet anno 974, quod postremum Gervasius Dorobernensis monachus graphice depingit. De secundo intelligendus est Osbernus, quem sub Lanfranco floruisse constat. Subdit Osbernus post præmissa : « Sed ab his, inquiunt, aliqua in pàtrium, id est Angelicum sermonem, translata supersunt : ex quibus vel id petimus elicere, et in Latinam denuo linguam transferre. »

2. Ex omnibus ergo scriptis quæ de Dunstano statim qost ejus mortem condita sunt, snpererant tantum Orberno scribente primi ac secundi generis lucubrationes, quæ vel ad nocturnum officium *sermocinandi modo;* vel ineleganter, tametsi accurate, factæ fuerant; quæ vero accurate simul et eleganter scriptæ, eas secundum illud Dorobernensis ecclesiæ incendium consumpserat. Secundi generis auctorem reperi in ms. codice monasterii Vedastini apud Atrebates, cujus auctoris scripto adeo salebris scatet, ut mihi luce indigna videatur : maxime cum non integra, sed mutila sit in codice Vedastino, qui in obitu Dunstani deficit. Ejus orationis specimen esto Prologus, Albrico seu Alfrico Elfricove altero post Dunstanum Cantuariensi archiepiscopo nuncupatus in hunc modum : « Perprudenti domino Arconti Albrico, omnium extimus sacerdotum B. vilisque Saxonum indigena, alia polorum gaudia. Te quidem, pastor præcelse, ob enormitatem divulgatæ peritiæ, perque magnificam placidam privilegii dignitatem, ad insuperabilem mihi tuitionem cæteros quosque, quamvis sint doctrina perspicui, excipiendam secernam, qui quodam luculento competentis facundiæ calamo, decentis æditui, almi scilicet Dunstani, merita monumenta protelare conarer, in inceptagloriosiæ vitæ ipsius proœmia omnem hujus opusculi diffinitionem degeneri vitiorum stylo, ut cernis, attaminando fœdarem. Quapropter primus præ cæteris hujuscemodi dedecus patula protestatione tuæ serenitati profiteor, meque adeo more aligerorum, qui se priusquam professionis vocem emittant, alarum plausibus flagellare videntur, propriis verborum verberibus, tuis provolutus genibus, exonerans affligo, » etc. Hic ille stylus boni oratoris, quem esse Bridferthum cœnobii Ramesiensis monachum conjicio, tum ex B littera nominis initiali, quam præfert Vedastinus codex, tum ex ætate Bridferthi, quem Abbonis discipulum fuisse Pitseus tradit, atque sub annum 980 vixisse. Certe quisquis ille est B. hujus stribiliginis auctor, Dunstano æqualem fuisse intelligitur ex his verbis quæ sub finem vitæ leguntur. « Æquum tamen esse arbitror, ut ea saltim quæ vel egomet vidi, vel audivi, justa Dei admonitione stimulatus proposse charitatis enodem. » Denique scripsit sub Ælfrico archiepiscopo, qui anno a Dunstani obitu secundo Cantuariensi Ecclesiæ præesse cœpit. Unde non est contemnenda ejus auctoritas in singularibus factis exponendis, quæ ab eo indentidem mutuabimur, et in notulas referemus. Redeo ad Ælfricum archiepiscopum, quem Gervasius tertium a Dunstano constituit, nempe post Athelgarum et Siricium : Willelmus Malmesburiensis Ethelgaro, quem *anno uno* sedisse dicit, proxime substituit. Unde mirari subit, Godwinum ita fuisse hallucinatum, ut dicat Alfricum a Willelmo prætermissnm in suo arbiepiscoporum Cantuariensium catalogo. Willelmi hæc verba sunt : « Hoc de medio facto, scilicet Ethelgaro, sedit annis xi Wiltunensium prius episcopus Ælfricus, qui et ante abbas Abendonensis fuerat. De quo quod quidam dicunt, eum Cantuariæ monachos proturbatis clericis posuisse, verisimile non videtur. Constat enim monachos in ecclesia sancti Salvatoris fuisse

a tempore Laurentii archiepiscopi, qui primus beatissimo Augustino successit, etc. » « Post eum Siricius, etc. »

3. Post B. Vitæ S. Dunstani primarium scriptorem, nullum reperio ante Osbernum Cantuariensem monachum, de quo ita Willelmus in lib. de Regibus Anglorum, cap. 8, ubi de Dunstano : « Plura et non contemnenda de viro volentem dicere revocat Cantuariæ cantor Osbernus, qui ejus Vitam Romana elegantia composuit, nulli nostro tempore stylo secundus, musica certe omnium sine controversia primus. » Osberni lucubrationem, non eam esse quæ a Surio edita est, tametsi a Baronio aliisque sub Osberni nomine laudata, sed eam esse constat quam nunc primum damus ex ms. codice Thuano-Colbertino, in quo exstant Osberni libelli duo, unus de Vita, alter de Miraculis S. Dunstani. Horum libellum stylus apprime respondet elogio, quod Willelmus auctori tribuit. Osbernum porro sub Lanfranco archiepiscopo floruisse intelligitur ex libro Miraculorum, ubi, jubente Lanfranco, prædicationis officium etiam obiisse dicitur. Hunc *scriptorem Vitæ venerabilis* appellat Willelmus in lib. II, de Pontificibus Anglorum, cap. 2, ubi totidem ejus verba de Algaro refert, qualia hic habet in sequentis libri num. 41.

4. Alium rerum a S. Dunstano gestarum præconem Surius exhibuit sub nomine Osberti monachi Cantuariensis. Sed vereor ne (ut Trithemius) pro Osberno ingesserit nomen Osberti, eique tribuerit Vitam ab se editam, quoniam Vitæ S. Dunstani scriptorem Osbernum ex Willelmo aliisque forsan didicerat. Osbertum tamen appellabimus hunc auctorem, non Osbernum ut Macheuvius et plerique alii perperam, existimantes eum non alium esse ab Osberno, quem apud Willelmum legerant. Osbertum vero, seu quisquis est Vitæ Surianæ auctor, non anno 1020, ut apud Surium legitur, sed potius anno 1120 scripsisse intelligimus ex libro Miraculorum ab eodem condito, et a Surio multis omissis in compendium redacto, quem integrum ex ms. codice Compendiensi habuimus. In eo siquidem libro mentio fit de nonnullis rebus tempore S. Anselmi patratis, quas suo loco referemus, contenti ea proferre, quæ apud Osbernum aut non ita explicata habentur, aut penitus desiderantur. Hunc autem librum ejusdem esse auctoris persuadet brevis prologus, quem ei præfixum in consequentibus leges.

5. Præter hos auctores, qui data singulari opera de S. Dunstano scripsere, inveniuntur etiam alii qui satis prolixe de eo egerunt. Hos inter præcipui sunt ex antiquis Willelmus Malmesburiensis in libris tum de Regibus, tum de Pontificibus Anglorum ; Gervasius Dorobernensis monachus in libro de Actibus pontificum Cantuariensium; Rogerius Hovedemus in parte priori Annalium ; Ælredus abbas Rievallensis ; Joannes Bromtonus ; ex chronologis, Saxonicus post Bedam ; Matthæus Westmonasteriensis, Trithemius in lib. III et IV de Viris illustribus ord. S. Benedicti : ex recentioribus scriptoribus Baronius, Harpsfeldius, Thomas Macheuvius, et plerique omnes historici Anglicani. Falsus est Ditmarus, qui Dunstanum cum Elfego ejus successore quarto confundit in Chronici lib. VII.

6. « Dunstanus, » teste Willelmo in lib. II de regibus Anglorum, cap. 8 « prius abbas Glastoniæ, postea episcopus Wigorniæ, » tum simul Leondinensis, « mox archiepiscopus Cantuariæ, multæ in sæculo potentiæ, magnæ apud Deum gratiæ, illic Martham, isthic exhibebat Mariam. » Quod præter scita canonum de sede in sedem translatus, quod simul Wigorniensem et Londinensem cathedram occupavit, id non viri optimi cupiditati aut ambitioni, sed eximiæ ejus sanctitati, regum urgentissimæ voluntati, atque adeo Ecclesiæ Anglicanæ necessitati tribuendum est, factumque repugnante semper Dunstano. « Ipse, addit Willelmus, artium liberalium in tota insula post regem Alfredum excitator mirificus ; ipse regalium locorum reparator munificus : in reges et delinquentes insonare terribile; pauperes et mediocres juste sustentare, in tantum et in levolis pacis sequax : ut quia compatriotæ in tabernis convenientes, jamque temulenti pro modo bibendi contenderent, ipse clavos argenteos vel aureos vasis affigi jusserit, ut dum metam suam quisque cognosceret, non plus subserviente verecundia vel ipse appeteret, vel alium appetere cogeret. » Hoc postremum in Dunstani Actis non legitur, sed zelus ejus contra delinquentes inde maxime illustratur. Hic quid regalibus locis, id est monasteriis, quid artibus reparandis contulerit, paucis investigandum.

7. Cum Dunstanus in Angliæ lucem prodiit, usque adeo monachismus defecerat a tempore Danorum, ut vix in paucissimis cœnobiis vita monastica reliqua esset. « Nondum in Anglia, inquit Osbernus num. 6, communis vitæ ratio colebatur, non usus deserendi proprias voluntates hominibus affectabatur. Abbatis nomen vix quisquam audierat, conventus monachorum vix quisquam satis noverat : sed cui forte id voluntatis erat, in peregrinam vellet transsigere vitam, is modo solus, modo paucis ejusdem propositi comitatus, patrios fines egrediebatur. » Id ita explicat Osbernus ipse in Vita S. Odonis archiepiscopi, ut dicat, « studium religionis ob multiplices diversorum eventuum casus usquequaque cœpisse defervere, » ob idque Odonem a Floriacensibus postulasse sanctæ *religionis habitum*. Perseverabat tamen quibusdam in locis monastici status nomen, nempe (ut Crulandense monasterium aliaque omittam) Cantuariæ in ecclesia cathedrali, quod diserte attestatur Gervasius ejus loci monachus, qui relatis Osberni verbis Cantuariensem ecclesiam excipit. Sed ita eo in loco deformata erat religio, ut monachi *more comitum potius quam monachorum* ibi viverent, teste Osberto in Miraculis S. Dunstani. Cætera fere loca occupabant clerici vitæ solutioris: quæ clades non solum Danis tribuenda est, sed etiam Edwio flagiosisissimo regi, qui in Dunstani odium monachos e cœnobiis deturbavit. De Malmesburiensi auctorem habemus Willelmum loci monachum in lib. II de Regibus, cap. 7: « Ipsum Dunstanum monachorum principem in Flandriam propellit. Ea tempestate facies monachorum fœda et miserabilis erat. Nam et Malmesburiense cœnobium, plusquam ducentis septuaginta annis a monachis inhabitatum, clericorum stabulum fecit. » Non tulit hanc cladem Dunstanus, quin ab exsilio revocatus fugientem religionem in claustra revocavit. Qua de re ita Osbernus : « Aucta est religio per Angliam in tantum, ut quadraginta et octo monasteria monachis vel sanctimonialibus instituerentur, cooperantibus beato Dunstano in hoc viris venerabilibus. Oswaldo videlicet, qui primo Wigorniensis, postea fuit episcopus Eboracensis, et Athelwoldo episcopo Wintoniensi. » Quorum acta hic consule. Ejus rei gratia edita est Eadgari regis nomine, Dunstano haud dubie procurante, imo et dictante, Concordia de uniformi ritu servando in monasteriis omnibus Anglicanis, quæ ad quinquagenarium numerum adaugere pius rex valebat, cujus rei præcipuus incentor fuit Dunstanus. Hæc Concordia integra exstat apud Clementem Rainerum in Appendicis pag. 77, et apud Seldenum imperfecta.

8. Et quidem in primis Glastoniense seu Glestoniense monasterium, ubi prius solitariam vitam duxerat vir sanctus, postliminio restituit monachis. Nam antea Glestonia, regalibus stipendiis addicta, monasticæ religionis prorsus erat ignara, » teste Osberno num, 6. Locus est apud Westsaxones in episcopatu Willensi, pago Somerssetensi, qui tres virorum abbatias habebat, Glastoniensem, Adelingensem, et Miclaniensem. De his agit Willelmus in lib. II de Pontificibus Anglorum, cap. 5, et de Glastoniensi quidem in hunc modum : « Glastonia est villa, in quodam recessu palustri posita, quæ tamen

et æquo pede aditur, nec situ, nec amœnitate delectabilis. Ibi primo rex Ina consilio beatissimi Aldelmi monasterium ædificavit, multa illuc prædia, quæ hodieque nominantur, largitus. Et varia quidem vicissitudine temporum, sed indeficientibus successionibus, congregationibus monachorum splenduit locus usque ad Danorum sub Elfredo rege adventum. Tunc enim, ut cætera, desolatus, aliquantis annis notos desideravit incolas. Porro quod jam illud bellorum obtriverat, reparavit egregie Dunstanus, qui prius eo loci vitam solitariam monachus actitarat. Postmodo vero liberalitate regis Edmundi omnia quondam appendicia, et iis multo plura nactus abbatam composuit, qualis nunquam in Anglia sit, fueritve, » etc. Mitto quæ de Glastonia dicuntur in Monastico Anglicano; sed Vitæ Dunstani scriptor B. nonnulla addit hoc loco minime prætermittenda : « Erat autem quædam regalis in confinio ejusdem præfati viri (*Heorstani Dunstani patris*) insula, antiquo vicinorum vocabulo Glestonia nuncupata, latis locorum dimensa finibus, piscosis aquis stagnans, atque circumdata fluminibus, et plurimis humanæ indigentiæ apta usibus, atque sacris (quod maximum est) dicata muneribus. In ea siquidem ipsius loci primi catholicæ legis neophytæ antiquam Deo dictante reppererunt ecclesiam, nulla hominum arte constructam, imo humanæ saluti cœlitus paratam : quam postmodum ipse cœlorum fabricator multis miraculorum gestis multisque mysteriorum virtutibus hanc sibi sanctæque genitrici suæ Mariæ consecratam fore (*id est* esse) demonstravit. Huic etiam aliud addiderunt oratorium, quod Christo ejusque sancto apostolo dedicaverunt... Contigit ergo hujuscemodi causis prædictum virum Heorstanum, comitante secum beato puero Dunstano, transire Glestoniam : et cum inibi causa orationis pernoctarent, ecce suavissimi soporis felicem obtexit pausatio puerum, viditque mentis excessu quemdam senem niveo candore vestitum, per amœna se sacri templi atria ducentem, ac monastica ædificia, quæ post per ejus pastoratum ædificanda fuerant, demonstrantem, eo ordine quo nunc statuta referuntur fuisse. » Confer sequentem Vitam.

9. Præter ea, quinque alia monasteria Dunstanus erexit ex rebus quæ sibi ex hæreditate obvenerant, apud Osbernum num. 16. Ad hæc monachos in Novo monasterio Wintoniensi instituendi auctor fuit Dunstanus, ut dictum est superius in actis S. Æthelwoldi, quæ tu consule. Atque ad Dunstanum pertinet id quod de cujusdam Wintoniensis ecclesiæ dedicatione legimus apud B. : « Interea religiosi Wintoniensium cives invitaverunt eumdem Dei pontificem ad quamdam novæ ecclesiæ dedicationem, quam in sua civitate Wintonia, qua regimen præsulatus ipse tenebat, pro summi Numinis reverentia condiderant in parte meridiana popularis plateæ, quæ nunc ecclesia occidentali parte omnibus ecclesiis vicinior perhibetur esse. In cujus consecratione adfuit inter alios plures cum pontifice etiam Dunstanus cum præcipuis unus : qua dedicata, coegerunt more humanitatis virum venerandum cum suis ad parata charitatis convivia lætum diem pro tanti viri veneratione proque consecrationis ducentes celebritate. Pontifex autem post gratiarum actionem, cum suis imminente jam nocte surrexit, et data benedictione ad propria remeavit. Et venerunt incedentes per viam ad ecclesiam beato papæ Gregorio consecratam: ibique subsistens episcopus dixit B. Dunstano: Compleamus hic apud oratorium sancti Patris nostri Gregorii nostram Completorii horam. Et accesserunt post voces orationum, jungentes capita sua in unum, quo confessiones suas solita consuetudine vicissim proderent. » Notandus hic locus de confessione ad Completorium : « Quæ peracta, dum daretur ab episcopo delictorum remissio, lapis permagnus ab alto aere irruit, et parcente Domino inter utriusque capita vehementi lapsu in terram corruit : tantumque tangens capillos utriusque capitis, nullum eorum læsit. Quem, ni fallor, ille malignus cujusque juris operis inimicus ex improbitatis suæ jaculis furiendo dejecit, qursi geminam iram in utrisque foret exitiabilis. » Hæc referenda duxi hoc loco, quod apud Osbernum et Eadmerum desiderentur.

10. Simile quiddam ipsi Dunstano item accidit in funere cujusdam fratris sui germani, cui curam Glestoniensis rei familiaris ipse abbas commiserat. « Erat namque (*sic narrat B.*) huic eidem vero Dei ex humana parentum propagatione quidam germanus frater, nomine Wulwinus, quem sibi forinsecus in villarum suarum negotiis potentem præpositum, ne vel ipse vel quispiam ex monastica professione foris vagaretur inepta rei sæcularis discursione, constituit. Hic nempe post emensum temporis sui spatium lethali conditione præventus, temporalem necem obiendo subibat. Hac de causa contigit omnes præscripti templi monachos ad funus ipsius exisse, nullumque, excepto abbate solo parvoque scholastico, qui postea pontifex effectus hæc nobis intimavit, domi remansisse, ut cum sacris exsequiis exanime corpus ad monasterium, quo tumulaturum erat, perducerent. Interea abbas cum eodem scholastico ambulabat ad videndum, ut autumo, si jam fratres cum defuncto corpusculo propinquassent: et dum semper ex more psallentes incederent, venit ex improviso ultra antiquam ecclesiam quoddam missile saxum vehementi volatu conans beati Patris caput collidere: sed Deo defendente nequibat. Verumtamen pileum, quo caput velabat, procul quasi perticam unam a capite decussum projecit. Qui conversus dixit secum incedenti scholastico: Accelera ergo, et cape quantocius hoc rotabile saxum, ut deferas eum conspiciendum ad me. Quod cum ille nimis ponderosum ex jussu Patris vix elevando reveheret, ait venerandus pater Dunstanus : O adversans inimice, jam diu ex industria maligna hujus mihi lapidis ictum insidians præparabas Non enim erat testimonium multorum hujusmodi lapides admodum magnos vel modicos in his Sumersetensium finibus (reperiri) nisi forte in quibuslibet lapideis operibus. Et idcirco palam patuit de cujus improba manu emissus prosiluit. Verumtamen post hæc jussit ipsum saxum, licet in sui detrimentum missum fuisset, custodiæ invectum quasi pro testimonio reservari.» Hæc referre quoddam operæ pretium duxi, tum ut Dunstani cautio pro monachis appareat, quos a sæcularibus negotiis liberos curabat : tum ut notus fiat ejus frater Wlfwinus, de quo nulla alibi mentio. Habemus itaque regali Dunstani genus, patrem Herstanum, matrem Kynedridam, fratrem Wlfwinum, patruum Athelmum pontificem Cantuariensem, et consanguineum Cynewium episcopum.

11. His omnibus monasteriis addendum occidentale S. Petri apud Lundoniam. Dunstanus quippe cum ibi archiepiscopus esset, « abbatem apud Westmonasterium fecerat Wilfinum, » teste Willelmo Malmesburiensi in lib. II ubi de Episcopis Schireburnensibus, « instructo ad duodecim monachos cœnobiolo, ubi quondam Mellitus ecclesiam » S. Petro fecerat.

12. Non solum porro rem monasticam, sed etiam litterariam in Anglia restituit Dunstanus, contestante non solum Willelmo, sed etiam Ælfrico apud Spelmannum in tomo I Conciliorum pag. 618, ubi legitur a tempore Ælfridi regis usque adeo litterarum studium defecisse, « ut sacerdos nullus Anglicus epistolam nosset vel Latine edere, vel e Latino interpretari, usque dum archiepiscopus Cantuariæ Dunstanus et episcopus Æthelwoldus hanc in monasteriis resuscitarent cognitionem.» Plura et Dunstanus ipse scripsisse dicitur apud Pitseum, nempe *formulas benedictionum archiepiscopalium, tractatum parvum in regulam S. Benedicti, item De regula vitæ monasticæ librum unum.* Ad hæc, *Contra malos sacerdotes.*

de Eucharistia, De decimis, De occulta philosophia, De ordinatione cleri, epistolas varias, quartam homeliam adversus Edwinum; quæ omnia ut pro veris habeantur, impetrare nolim, sed tamen quædam vera esse fatendum est. Et primo quod in ipsis fit, est Decretum pro concordia seu unitate vivendi ratione monachorum, sub nomine Edgari regis conditum, de quo superius num. 7, et ipse auctor est libri de *regulari vita monastica* a Pitseo laudatus. De nostro certum est quod de eo legitur in sequentis Vitæ num. 34, nempe ipsum vacasse non solum lectioni, sed etiam codicibus emendandis; quo in genere sancti Benedicti Regulæ operam impendit. Ex ejus epistolis unam invenimus Wilfsino Wigorniensi episcopo scriptam, quam damus infra ex ms. Pontificali ante annos sexcentos scripto, quod modo penes eruditissimum Antonium Faurum doctorem ac socium Sorbonicum servatur. Eidem Pontificali præmissa est Joannis papæ XIII epistola Dunstano inscripta pro pallio; cujus titulus in ms. codice observandus est. Sic autem habet : *Incipit epistola privilegii, quam jubente Joanne papa suscepta benedictione ab eo Dunstan archiepiscopus a suis manibus accepit, sed pallium a suis manibus non accepit, sed eo jubente ab altare sancti Petri apostoli*. Hanc epistolam Baronius partim edidit ex Willelmi Malmesburiensis libro (uti ad marginem notat) de Pontificibus : quam tamen apud Willelmum non reperio. Quidquid sit, eam integram hic referimus ex membraneo codice, maxime cum nec in nova Conciliorum editione integra reperiatur. *Privilegium hoc require inter epistolas Joannis XIII, Patrologiæ tomo CXXXV.*

13. Postremo in legibus ecclesiasticis Canuti regis anno 1032 editis festum sancti Dunstani XIV Kal. Junii præcipitur, cap. 24. Ejusdem memoria est in Martyrologiis exinde editis. Illis a Harpsfeldo monendus lector, ut si forte incidat in commentitia (sic ipse vocat) illa scripta, quibus significatur reliquias beati Dunstani a Cantuaria Glastoniam delatas ad annum Domini 1012, ut ne facile circumveniatur. Eadmerum quippe in Vita sancti Anselmi commentum illud prorsus explodere, scribentem se puero corpus sancti Dunstani inventum cum tria, annulo, pallio, et aliis pontificiis ornamentis, et lamina plumbea, quæ declarabat illius esse corpus : illudque in novam a Lanfranco exstructam basilicam illatum. Denique anno 1508 Guillelmum Warahamum archiepiscopum curasse aperiri sepulcrum, in quo caput cum omnibus ossibus et prædicta lamina repertum est. Anselmus piam de sancto Dunstano orationem composuit cum recordatione miraculorum ejus, quæ exstat in nova editione, pag. 297. Nunc tempus est ut Osbernum audiamus.

OSBERNI EPISTOLA SEU PRÆFATIO.

Occasio scribendi post alios.

1. Universis catholicæ matris Ecclesiæ filiis confrater eorum, per eam quæ in Christo est regenerationem, OSBERNUS pacem bonam ac perpetuam salutem.

Multorum sæpe ac venerabilium Patrum veneranda mihi auctoritas imminuit, ut vitam magnifici Patris Dunstani litterarum monimentis tradere, atque ad Dei laudem hominumque utilitatem Ecclesiæ deberem auribus insinuare. Quibus dum ego pro facienda excusatione illud et verum obtenderem esse, plura a plerisque non ignobilis usquequaque scientiæ viris de hac re conscripta, vererique me hominum reprehensiones, qui forte mimos nos aut certe temerarios vocare possent, dum non tam nihil satis nos habere, quam nihil nobis satis esse posse contenderent : contra illi magis nihil satis se habere, quam nihil satis esse posse retulerunt, et hoc probabilibus rationum firmamentis velle se astruere dixerunt. Nam eorum, inquiunt, quorum præcipuam interfuit hujus rei diligentiam habere, alii, etsi satis eleganter, non tamen satis diligenter, sed quantum ad nocturnum festivitatis officium satis esse judicavere, sermocinandi ad populum modo scripsere; alii autem dum nimis diligenter, quemadmodum quæque res acta sit explicare conarentur, elegantiam perdiderunt, atque in illud dicendi genus, quod suffultum Romanæ princeps eloquentiæ vocat, inciderunt, quod facilius tædium legentibus quam aliquod audientibus emolumentum gignere consuevit. Qui vero in utraque parte dicendi elaboraverunt, ut essent festivi pariter atque secundum gestas res bene ordinati, horum scripta in illo incendio consumpta sunt, quod ante hos annos sancta Dorobernensis Ecclesia cum magno suarum rerum detrimento perpessa fuisse dignoscitur. Sed ab his, inquiunt, aliqua in patrium, id est Anglicam sermonem, translata supersunt : ex quibus vel id petimus elicere, et in Lantinam denuo poteris linguam, Deo suffragante, transferre.

Auctoris modestia. Operis divisio.

2. Itaque his sive rationibus, sive rationum auctoribus ad scribendum traductus, malebam alienæ voluntati bene dicendo obtemperare, quam propriæ serviens voluntati a bene dicendo temperare. Verum ad hoc audiendum non sine quadam pudoris suffusione accedo, propterea quod omnium ora in me esse existimo, veluti in hominem more Lælii novas dicendi victorias pollicentem, et quasi ea quæ ab aliis commode dicta sunt commodius se dicturum præsumentem. Sed eo neque illos minus commode dixisse reprehendo, neque me commodius dicturum promitto; sed sive id dignum fuerit, sive pro tanta rerum materia digno contrarium, quod intendo illorum meritis aut culpæ ascribo, quorum imperio atque importunitate victus hæc ascribo. Quamvis et mea voluntas tantum devotionis erga eumdem patrem et dominum nostrum obtinere debeat, ut si nulli vellent ista a me expetere, ego pro persona mea non dubitarum ingerere. Ita namque cum in alios me vidente, tum in meipsum me sententie ejus merita valuere. Sed non fuit consilium quid vel in alios me vidente, vel in meipsum me sentiente hoc in libello dicere; in alio vero qui de signis ad se-

pulcrum ejus perpetratis scribetur, dicere consilium fuit. Nunc autem primordia nativitatis ejus, processum ætatis cum augmento gratiæ cœlestis, commutationem mortalis sæculi pro immortalitate æterni sæculi quam verissime conabor absolvere, omissis omnibus his quæ ita fuere mirabilia, ut infidelibus videantur incredibilia. Ac me quidem his enarrandis imparem scio, sed in ejus nomine in quem ipse fideliter credidit, et cui ipse fidele operis ministerium exhibuit, ista aggredi tentabo.

INCIPIT VITA SANCTI DUNSTANI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET CONFESSORIS (XIV KAL. JUNII).

Dunstani parentes nobiles ac pii.

3. Regnante magnifico Anglorum rege Ethelestano, anno (1) quidem imperii ejus primo, adventus vero Anglorum in Britanniam quadringentesimo nongesimo septimo, cum idem rex, hostibus circumquaque subactis, pace et concordia regnum tueretur, natus est puer Dei Dunstanus Wessaxonicis Angliæ partibus, magnis quidem pro sæculi (2) dignitate parentibus, sed ad religionem quæ Christianos decet longe majoribus. Tanta siquidem virtutis ratione viventes animum colebant, tot piis operibus laborantes insudabant, ut commonem mortalibus viam ingressi, angelicis spiritibus mererentur associari, sicut eidem filio suo postmodum divina revelatione innotuit. Quod non alienum est divinitatis consilio factum conjicere, ut videlicet tantus infans tales parentes haberet, qui cum ipsi bene viverent, tum bene vivendi formam nascituro ex se filio tradere possent. Magnum quippe Deus illum futurum prævidebat, quem ibi dulcedinis suæ benedictionibus prævenerat, ubi omnes filii Adam nativæ maledictionis sententiam excipiunt, si non per assumptam a Filio Dei humani habitus formam ad pristinam reformentur beatitudinem. Magnum, inquam, Deus illum futurum prævidebat, cui tantum muneris donatum est, ut ante mundo signis innotesceret, quam hunc in mundi hujus lucem mater fudisset. Atque ut cætera dilucide et ordinate procedant, hinc dicendi initia constituam.

Cereis lux cœlitus reddita.

4. Maternis igitur sinibus sacro puerperio intumescentibus, dies Purificationis sanctæ ac perpetuæ Virginis Mariæ illuxit festivus. Cumque vicinus undique populus ad ecclesiam eidem Virgini in Glestoniam dicatam conflueret ut devotionis suæ ministerium in tanta solemnitate Regi regum Christo persolveret, contingit patrem pueri Herstanum cum conjuge sua Kynedrida advonisse, accensisque lampadibus sacris missarum solemniis interfuisse. Jamque plurimam diurni servitii partem clerus absolverat, jam quemadmodum puerum Jesum in templum parentes inducerent recitari cœperat, cum repente majestas Domini in templo apparuit, quæ omnia omnium luminaria exstinxit totamque domum tenebrosa caligine obtexit. Hinc gelidus omnium membra pavor perserpit, rigent comæ, genua colliduntur. Stabant quippe sensu hærentes, et alternis obtutibus stuporem indicantes. Sed ut omnibus clarum fieret quid hac in re ea quæ apparuit majestas intenderet, exemplo lux cœlitus emissa in templo resplenduit, et eum quem puerpera manu tenebat cereum accendit. Si ante populus de amisso lumine miratus est, nunc majori admiratione simul et exsultatione detinebatur. Exsultabat namque præsentem se Dei gratiam vidisse, sed mirabatur hanc sibi per feminam provenisse. Huc itaque ab omnibus perrectum, et hinc lumen omnibus porrectum. Habemus ergo novum de nova Elizabeth Joannem; habemus nostri temporis Jeremiam, quorum alterum Deus, alterum archangelus Dei in matris utero sanctificatum asseruit. Aque, ut excellentiorem gratiam advertas, qua die Filius Dei a matre Virgine in templo est præsentatus, ea nimirum puer Dei in matris utero ad templum est deportatus. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam Israel sanctus Simeon exsultando proclamabat: lumen nihilominus in terra Anglorum exortum Christus, qui verum lumine est, lumine declarabat.

Dunstani nativitas et baptismus.

5. Postquam autem edendi partus tempus advenit, mulier genuit (3) filium quantitate quidem corporis parvulum, sed ea quæ præventus fuerat gratia Dei immensum. Inde statim secundæ generationis honore potitus, futuram fidei illius soliditatem jam tunc divinitus præfiguratam in nomine sortitur Dunstanus, quod petræ firmitatem sonat, parentum suorum adnotatione vocitatus. Deinde dum teneros annos infantiæ sequens ætas exclusisset, et in apertos sonos linguam jam formare cœpisset, ad templum nascentiæ illius miraculo quondam insigne

(1) Ethelstani annus primus componitur cum anno Christi 925 in chronologia Saxonica, eodemque anno Dunstanus ibidem natus dicitur. At iste annus est tantum octingentesimus septuagesimus septimus ab adventu Anglorum in Britanniam insulam, quem adventum ad annum 449 refert Beda in lib. I cap. 15. Idem erratum erravit Osbernus in fine hujus Vitæ, ubi de morte Dunstani.

(2) *Regiæ stirpi consanguinitatis jure devincti*, infra num. 6.

(3) Dunstanus prope Glastoniam natus est, ut patet tum ex Osberno, tum ex B. in octava observatione prævia.

cum oblationibus hostiarum defertur, imo ipse hostia viva, sancta Deo, placens, offertur. Ibi illis in oratione pernoctantibus apparuit vir æthereos habens vultus, et locum dixit non multo post tempore sublimandum, puerum ibidem Deo relinquendum, et beatum illum per sæcula prædicandum. Tum mensor funiculum per plana atrii extendens : Sic, inquit, ædificabitur locus iste ad præparanda corda illorum Domino qui in hoc loco per hunc puerum Deo credituri sunt. Quia illi revelatione vehementer gavisi, immensas omnipotenti Deo laudes persolvunt, commendantes puerum in templo, ut esset Levis Domino, et portio illius Dominus existeret, quemadmodum Moysi dictum est, cum divideret Judæorum per tribus singulas incolatus. *Non erit tribui Levi sors inter fratres suos, dicit Dominus, quia Dominus Deus pars illorum est.* Unde Petrus ostendens se portionem in Deo habere, non in sæculo : *Argentum*, inquit, *et aurum non habeo, sed quod habeo hoc tibi do : In nomine Jesus Nazareni surge et ambula.* Hoc est : Aurum non est portio mea : argentum non est portio mea : portio mea Christus est. Hoc nomen mundicum, hoc nomen mihi est fructuosum. Talis ergo portionis fructum tirunculus Christi in timore sancto assecutus, assidua ministratione Domino serviebat, proficiens quotidie tam in scientia pietatis quam in virtute sanctitatis.

6. Ea tempestate Glestonia regalibus stipendiis addicta monasticæ religionis penitus erat ignara. Nondum enim in Anglia (4) communis vitæ ratio colebatur, non usus deserendi proprias voluntates hominibus affectabatur. Abbatis nomen vix quisquam audierat ; conventus monachorum non satis quispiam viderat ; sed cui forte id voluntatis erat, in pereginam vellet transigere vitam, is modo solus, modo paucis ejusdem propositi comitatus patrios fines egrediebatur, et qua opportunitas vivendi licentiam dabat, illic alienigena vitam agebat. Hicque mos cum plerosque, tum vehementer adhuc manet Hibernos ; quia quod aliis bona voluntas in consuetudinem, hoc illis consuetudo vertit in naturam, quorum multi atque illustres viri divinis ac sæcularibus litteris nobiliter eruditi, dum, relicta Hibernia, in terram Anglorum peregrinaturi venissent, locumque habitationis suæ Glestoniam delegissent, propterea quod esset, et a civili multitudine sequestratus, et humanis usibus accommodus, et (quod maxime affectabant) peregrini Patricii (5) religiosa veneratione gloriosus, qui olim evangelizando regnum Dei illuc perveniens, vita, doctrina, signis et mirabilibus multipliciter claruisse, et post omnia hæc ibidem in Domino quievisse perhibetur. Cum ergo hi tales viri talibus de causis Glestoniam venisset, nec tamen quidquid sibi necessarium erat, sufficientissime in loco reperissent, suscipiunt filios nobilium liberalibus studiis imbuendos, ut quod minus ad usum loci ubertas exhiberet, eorum quos docebant liberalitate redundaret.

[illegible]

7. Adest ergo nobilissimus in Christo puer Dunstanus inter alios unus, imo præ aliis solus, ubi paulo diligentius quam imbecilla ætas ferre posset, litterarum studio intentus acerrimo in tenello corpore languore fatigatur, adeo ut per aliquot dies nec quid ageret, nec quid ab aliis ageretur intenderet. Flebat autem scholasticorum coætanea turba, flebat tota domus, familia ipsa, doctores recordantes modestiam pueri, ingenium, nobilitatem, educationem. Cumque, jam in limine mors adesse putaretur, nihilque aliud quam funeris obsequium meditaretur, ecce intempesta nocte cœlestis illum medicina revisit, quam ei per angelicum ministerium Christus exhibuit. At, ne qua salutis innecteretur mora, ubi divina provenerat medicina, confestim de lectulo surgens doloris, ad templum Deo gratias acturus moderata velocitate currit, habens illum in itinere ductorem, quem in ægritudine habuit salvatorem. Stupefacti de magnitudine facti qui domo erant, qui ægrotantis illius curam gerebant, lento pede pereuntis vestigia terunt, finem rei curiosa agilitate explorantes. Necdum itineris medium confecerat, cum malignus spiritus sive ejus saluti invidens, seu futuram religionem suspectam habens, latrantium canum multitudine stipatus occurrit, viamque eunti intercludere contendit. Exclamat itaque puer Christum pavore conterritus, sed ductoris sui præsidio vallatus, virgam arripit, quam in faciem obsistentis simulacri vibrans, ipsum cum omni comitatu in fugam compellit. O sanctum et terribile Christi nomen, sapientibus absconditum, parvulis revelatum ! ecce draco quem initium figmenti sui finxit Deus ad illudendum ei, non solum ab angelis Dei illuditur, verum etiam a puero parvulo superatur. Vere detracta est ad inferos superbia ejus, in profundum laci concidit cadaver illius. Sed in quo ista noster potuit parvulus, nisi in illo qui cum sit Deus super omnia benedictus in sæcula, parvulus de Virgine natus est nobis, Filius a Patre datus est nobis. Dunstanus igitur ad portam templi veniens, sed eamdem repagulis obseratam inveniens, scalam cui inniti solebant, qui superiora templi sarciebant, ignoranter et quasi per excessum mentis ascendit.

(4) Iisdem verbis loquitur Gervasius monachus Dorobernensis, nisi quod post hæc verba interponit, *præterquam in Cantuariensi Ecclesia.* Diceres nusquam fuisse antea monachos in Anglia. Sed ita loquuntur isti auctores habita ratione illius temporis, quo monasteria fere omnia ad clericorum sortem transierant. Eodem modo locuti sunt quidam tunc temporis scriptores Gallicani.

(5) *Et maxime ob beati Patricii junioris honorem qui faustus ibidem in Domino quievisse narratur.* Non ergo magnus ille Patricius, B. Germani Autissiodorensis episcopi discipulus, ut opinatus est Willelmus Malmesburiensis in lib. II De pontificibus, cap. 5. Patricius iste junior videtur esse senioris filiolus, qui ejus Vitam scripsisse dicitur a Jocelino, qui item Benignum (cujus ossa Glastoniæ servata dicit Willelmus) aliosque duos ejusdem Vitæ scriptores laudat.

Inde ad alteram tecti partem, qua nullus erat descensus, progrediens, angelicis manibus ad solum deponitur, et in interiora templi non patentibus claustris inducitur. Orta autem luce, dum per vicinas domos quæstio de puero facta fuisset, repertus est in templo cum his qui nocturnas custodias agebant leni sopore offusus. Rogatus ut tam mirabilis eventus modum exponeret, non esse hoc in sua conscientia respondit, et ignorantium mentes majori ambiguo deduxit. Sed hi quos explorandi gratia puerum secutos fuisse prædiximus, de omnibus quæ usque ad suprema templi fastigia contigerant, claro et probato sermone testificantur : cætera vero, quoniam illos et puerum latuerunt, solius Dei potentia mirabiliter patrata fuisse claruerunt. Magno igitur timore concussi omnes qui audierunt, cogitabant quidnam esset quod puero contigisset, dicentes ad alterutrum : Quid sibi vult puer iste, cui tot et tam sancta præconia attestantur ? qui ante beatus quam natus, ante virtus prodidit gloriosum quam ætas probaret adultum. Singulari hunc gratia præditum videmus, quem angelus ægrotum sanavit, diabolus sanatum contremuit, Ecclesia signata excepit. Et denuo orantes : Augeat, inquiunt, Deus meritum pueri ad gloriam sui. At ille regentis se Christi spiritu repletus, aures quidem corporis a suis laudibus avertebat, sed in secreto pectusculi Deum benedicebat. Ab illo itaque die in tanta admiratione habitus est, ut plurima illum utriusque sexus multitudo, quamvis adhuc delicatum, videre cuperet. Ipse vero quanto excellentiora audiebat, tanto de se minora sentire.

Ordines minores suscipit. Lectioni et scientiis dat operam.

8. Jamque vernans ætas adolescentiæ decus induerat, cum eum parentes sui sacros ordines rogarent suscipere, ut qui fuerat a primæva ætate Domino electus, per hujusmodi gratiam eidem conjunctus adhæreret. Quorum ille voluntati humiliter parens minores gradus (6) et habitu suscepit et vitæ honestate servavit. Tum vero quod illi ætati non parvo ornamento est, certabat omnes officio superare, gratia et affabilitate omnes anteire, servare pudicitiam, fugere lasciviam ; appetitor honesti, turpitudinis exsecrator, majorum natu colloquiis adesse, juvenum ludicra declinare ; ciborum abstinens, somno temperans, incessu gravis ; neque facile moveri loco, neque abrupte loqui ; magnæ fidentiæ ad incipiendum bonum, constantiæ ad perficiendum ; principium bene agendi Deum semper habere, finem vero eidem commendare. Moribus quoque bonis accessit studium sacræ lectionis, cujus exercitio et vitiorum importunitates evitabat et virtutum augmenta nutriebat. Et quoniam studium parvam habet efficaciam ubi naturale ingenium non suggerit intelli- A gentiam : auctore Deo sic utraque præditus erat, ut et facilitate ingenii quamlibet rem acutissime intelligeret, et occupatione studii quodcunque intellectum fuisset firmissime retineret. Ex quo brevi factum est, ut neque præceptoribus suis imperitior, et condiscipulorum peritissimis multo esset ipse peritior. Philosophorum scientias, quas earum rerum quæ sunt, et quæ aliter esse non possunt, cognitionem veritatis vetustas esse diffinit ; ut sunt magnitudines, et earum aliæ manentes motuque carentes, aliæ vero quæ mobili semper ratione vertuntur, nec ullis temporibus acquiescunt, multitudines quoque, et earum nihilominus aliæ per se, aliæ in relatione positæ. Horum, inquam, scientias diligenti excoluit ratione, magnam in his et constantem perspiciens esse perfectionem ; et quamvis B omnibus his artibus magnifice polleret, ejus tamen multitudinis quæ musicam instruit, eam videlicet quæ instrumentis agitatur, speciali quadam affectione scientiam vindicabat, sicut David psalterium sumens, citharam percutiens, modificans organa, cymbala tangens, sed non sicut hi quorum inertiam et luxuriosum otium noster propheticus increpat armentarius : *Qui dormitis*, inquit, *in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem psalterii sicut David, putaverunt se vasa cantici habere bibentes in phialis vinum.* Nec eo ista commemoramus, quo his opus esse ad perfectionem tendenti arbitremur, sed ut multiplices Dei gratias in juvene commendemus. Nam omnibus sæcularibus C studiis præferebat scientiam pietatis, quæ in evangelicis et apostolicis continetur litteris, dum sua semper ingenia sanctorum Patrum auctoritati contradens, et ambas res ad easdem litteras conferens, fidem veram, morum disciplinam, et (quod unum ac solum præ omnibus rebus quærendum est) vitam æternam se invenisse gaudebat. Sicut David ergo noster symphonista vasa cantici habuit ; quia usum illorum non nisi in divinis laudibus expendit. Præterea manu aptus ad omnia, posse facere picturam, litteras formare, scalpello imprimere, ex auro, ex argento, ære et ferro quidquid liberet operari.

Ab Athelmo traditur regi Ethelstano.

9. Tunc audita fama venerabilis viri Cantuariorum archiepiscopi Athelmi (7), cujus ipse erat nepos et filius fratris, permissu parentum suorum proficisci- D tur ad eumdem, quatenus tanti parentis et cognitionem haberet, et vitæ illius exemplo juveniles mores informaret. Lætabatur itaque episcopus nimis in adventu nepotis, considerans in illo venustatem corporis, animi vigorem, ac totius honestatis eminentiam. Unde eo quo afflatus est Dei spiritu vas illum electionis futurum prænoscens, potiori gradu decorare, et regi Ethelstano familiari contestatione

(6) B. : « Videntes itaque parentes prænominati tantam sui excellentiam filii, dignam sui clericatus imposuere tonsuram officii, inque famoso Glestoniensis Ecclesiæ sociaverunt cœnobio, quatenus ibidem die noctuque Deo Deique genitrici deserviret Mariæ, » etc.

(7) De eo actum est ad elogium Plegmundi archiepiscopi Cantuariensis.

cum studiis commendans. Hunc ait, juvenem, mihi quidem plurimum, regi ac vero stirpi nonnullo consanguinitatis [illegible] [illegible] alacritate accipiens, oblatum juvenem gratissime excepit, unice dilexit, post hæc necessariis quoque rebus regia vice præesse constituit. Dunstanus igitur, terreno degens in palatio, egrediebatur et ingrediebatur ad imperium regis, et prosperatum est in manibus ipsius quidquid operis ipse cœpisset. Et nunc quidem surgens ad orandum Deum, nunc sedens ad dijudicandas causas hominum, ita se sapienter ac circumspecte agebat, ut et Deo per omnia placeret, nec aliquem pie viventium sua culpa offenderet; Dominus enim cum illo erat, et omnia opera ejus dirigebat. Iterum cum videret dominum regem sæcularibus curis fatigatum, psallebat in tympano sive in cithara, sive aliquo quolibet musici generis instrumento : quo facto tam regis quam omnium corda principum exhilarabat.

Cithara cælitus dat sonum.

10. Tunc cujusdam matronæ (8) frequenti ac religioso rogatu compellatus est, ut ei stolam sacerdotalem artificiosa operatione perpingeret, quam postea ad divinos cultus aurifactoria imitatione figuraret. Qui assumpta in manibus cithara in pariete suspendit, opus ad quod venerat diligenter instituit. Cumque manum operi, cor autem atque labia Deo præpararet, apparuit in domo gloria Domini, quæ illum jocunda suavitate reficiebat, cæteros vero insolita admiratione exterritos reddebat. Nam cithara (9) illius quam parieti affixam fuisse diximus, ita ut erat pendens in paxillo, absque ullo moventis duntaxat hominis impulsu, consuetam omnibus hujus antiphonæ melodiam acutissima simul ac discretissima modulatione personit : *Gaudent in cœlis animæ sanctorum qui Christi vestigia sunt secuti : et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo gaudebunt in æternum.* Exsiliunt itaque obstrepentes puellulæ, materfamilias, omnisque domus clientela vociferans hominem nimium esse sapientem, amplius eum quam quod expediat scire. At ille mundissimo mundissimi cordis intuitu cœlestem musicam illam intendens, admoneri se intelligit ut vias duriores arripiat ut Christi vestigia propius sequatur. ut sanguinis sui effusionem non metuat, si Dei regnum et vitam delectat habere æternam. Audivimus olim rudentem asinam verba edidisse, citharam vero sine humano pulsu sensualiter cecinisse nunquam audivimus. Illa insidentem ne moreretur retinuit; ista ne mors timeretur admonuit. Illa angelicos vultus pertimescens subsedit; ista ad aspectum Dei et angelorum illius omnes audientes invitavit. Sed hæc tua sunt, Christe, magnalia, quæ in tuis [illegible] [illegible] prædicari hominibus voluisti.

Dunstanus aulicorum invidiam fugit.

11. Accensus igitur furore diabolus quod tam sanctis principiis juvenem niti conspiceret, in invidiam aliquorum eum conatus est adducere, ignorans malam voluntatem suam Deo famulari ad perficiendam Dei bonam voluntatem in homine, quem ad congaudendum et conregnandum ipse prædestinaverat. Inflammat itaque invidiæ stimulis operarios iniquitatis, qui conficto mendacio opinionem juvenis apud regem lædant, asserentes illum malis artibus imbutum, nec quidquam divino anxilio, sed pleraque dæmonum præstigio operari. Advertens autem Dunstanus faciem regis non esse sicut heri et nudiustertius palatio discedere parat, malens regem sponte (10) sua deserere, quam ipse a rege invitus derelinqui. Quod ubi compertum est ab his qui probitatis illius improbissimi æmulatores exstiterant, insidiis iter obsident, socios disturbant, illum equo dejiciunt, suppliciis affligunt, postremo vinculis irretitum in cisternam quæ juxta erat, depellunt. Cum interim horrendo molossorum agmine defensus, a quibusdam hominibus invenitur, quorum studio ac pietate ad vicum fovendus transfertur, Tum ille ex profundo cordis suspirio ingemiscens ; O sæva propinquorum meorum vesania in caninam sævitiam ex dilectionis humanitate mutata! nam irrationalis canum natura dilectionem mihi humanitatis blandiendo exhibuit ; propinquitas vero, humanitatem oblita, infestantium me canum severitatem ostendit. Intellexit ergo hoc esse principium certaminis, ad quod illum divinus citharædus præmonuit.

Elfego episcopo hortante, dein morbo accedente, fit monachus et presbyter.

12. Profectus autem inde cognatum pontificem adiit Elfegum (11), qui tunc temporis Wentanæ præsidens Ecclesiæ vitam virtutibus decorabat. A quo frequenti supplicatione rogatus, ut monachum indueret, quatenus qui angelicæ conversationis initia haberet, perseverentiam in habitu demonstraret. Respondit ille excellentioris gratiæ esse qui in sæculo consenuit, et tamen quæ monacho digna sunt fecit, eo qui se monasterio dedit, nec quidquam aliud præter quam quod sibi statutum est post hæc facere potuit. Alterum, inquit, necessitatis est, alterum vero libertatis. Ad hæc episcopus :« Omnibus, ait, in commune summa necessitas est, ut qui ignem

(8) Ethelwinam appellat B., qui hoc factum refert proxime ante mortem Ethelstani.

(9) B. : « Quam lingua paterna hearpam vocamus. »

(10) B. ait Dunstani æmulos falsa quadam objectione a rege impetrasse, *ut ab eorum consortio pelleretur;* cumque ejectum *in lutulenta palæstrium loca* ab ipsis projectum fuisse : occasionem criminandi ex citharæ miraculo accidisse ait tertius auctor.

(11) Idem B. Elphegum cognomine Balvum, atque Dunstani propinquum vocat, additque Dunstanum conjugii desiderio a vita religiosa primum fuisse abstractum.

gehennæ voluerit effugere, ignem concupiscentiæ studeat exstinguere. Ignis vero concupiscentiæ non multum exstinguitur, si fomenta illius humanis sensibus non subtrahuntur. Sicut enim ligna ad ignem, sic ea quæ sensibus subjacent ad concupiscentiam. Sed nulla erit fomentorum subtractio, si sæcularium negotiorum non fuerit renuntiatio. Ex quibus omnibus id elicitur, ut si ignem gehennæ volueris effugere, sæculo studeas renuntiare. Ad hæc quod præcipue in mundo appetitur, libertas est hominis. Hac enim omissa, cætera possideri nequeunt : quod si possidentur, illa non desinit habere. Quapropter quamdiu illam retinueris, illud Deo non dedisti quod maxime dilexisti. Ut ergo des quod maxime diligis, illa desinat habere.» Cum igitur his et hujuscemodi verbis per singulos dies episcopus insisteret, et Dunstanus aut veris, aut verisimillimis rationibus insistentem differret, quadam vehementer die hoc cogitationis ambiguo pulsatus est, ut quid in vita quam maxime appetendum fuisset, virtus an voluptas, uxor an virginitas, magnopere deliberaret. Quem sub tali ambiguo positum gravissima febris (12) invasit, atque ad desperationem vitæ perduxit. Jacebat itaque sine exspectatione salutis ægrotans, nec ullum intuentibus viventis sensum præbens. Tunc ex insperato revalescens : Hic, ait, legibus voluptatis renuntio, hic me sempiternum sibi adversarium promitto. Nil cum uxore fœderis paciscar; sola me virtus militem habebit. Insanum quippe est illam animi mei dominatricem sustinere, quæ nec viventes reddit sanatos, et morientes relinquit desperatos. Virginem me Virginis filius huc usque servavit, virginem me virginum regina Maria habebit. Confestim accito ad se episcopo, postulat sibi dilatæ religionis benedictionem dari. Episcopus immensa lætitia pro salute simul et conversione juvenis perfusus, celebriter illum (13) monachali et sacerdotali gratia promovit, attitulans (14) ecclesiæ beatæ Mariæ virginis, cui eum ab initio parentum suorum sponsio dicavit.

Glastoniæ in angusta cella inclusus, diabolum egregie excipit

13. Consummatio autem primis incœptæ conversationis diebus, cum eum episcopus adversus insidias diaboli et sermone instruxisset et auctoritate roborasset, dimisit illum proficiscentem ad locum suæ generationis principium, ibique in ecclesia præfatæ Virginis mansitabat, operans ea quæ piæ religionis norma exigebat. Cui etiam adhærentem cellam, sive destinam (15), sive speleum, sive alio quolibet nomine rectius nominari potest (non enim invenio qua id appellatione quam proxime vocem) cum non tam humani habitaculi, quam formam gerat sepulcri, propriis laboribus fabricavit. Ut enim de re quam ipse vidi testimonium feram, quantum mea fert æstimatio, longitudo ejusdem cellæ non amplius quinque (16), latitudo vero duos semis pedes habet: porro altitudo staturam exprimit hominis, si quis in defossa terra constiterit. Aliter enim neque satis ad pectus porrigitur, ut, sicut dixi, magis mortui videatur sepulcrum, quam viventis habitaculum. Unde manifestum est illum neque jacendo somnos cepisse, et stando semper Deum orasse. Ostiolum autem idem est quod paries. Quod enim ingredienti ostium, idem ingresso paries fiebat. Neque vero in tantillo opere ostium nisi in toto fieri valebat. Medium ostioli fenestrellam aperit, per quam lumen operanti irradiavit. Miserum me ac peccatorem fateor inspexisse sanctum sessionis ipsius locum, vidisse quædam etiam manuum illius opera, peccatricibus manibus contrectasse, oculis opposuisse, rigasse lacrymis, et flexis genibus adorasse. Recordatus namque sum quam sæpe clamantem me in periculis exaudierit, quam misericorditer anxiatus fuerit: et idcirco, neque lacrymis temperare, neque (si fieri potuisset) inde recedere volebam. Hæc juveni domus, hic lectus, hoc de toto mundo spectaculum. Sed his angustiis ampla et spatiosa urbium mœnia comparari non possunt, cum per easdem angustias hodie et febricitantes salutem obtineant, et dæmonum furores quiescant, et plurima invalitudo convalescat.

14. Verum ne paupertatem illius diabolus miserari videretur, quem ante non sinebat habitare in palatio, eum nunc nititur depellere tugurio. Fallax ergo fallacem hominis adopertus imaginem, sub obscuro vespere cellam petit adolescentis, immisso capite fenestræ incumbit, cernit illum fabrili opere occupatum, postulat sibi quippiam operis fabricari. Dunstanus autem neque ejus calliditatem advertens, neque importunitatem ferens, operi quod postulabatur animum intendit. Interim ille perversa compositione verba facere, mulierum nomina inserere, luxurias commemorare; deinde religionem ostendere (offendere), et denuo eadem repetere. Tum vero athleta Christi quis esset intelligens, tenacula quibus ferra tenebat fortiter ignire, suppressis labiis Christum invocare. Cumque per summos fines eadem tenacula candentia videret,

(12) B. : « Turgentium vesicarum dolor intolerabilis omne corpus ipsius obtexit, ut elephantinum morbum se pati putaret. »

(13) B.: « Emendatum Domino monachum consecravit,» sine ulla sacerdotii mentione. Auctor tertius id ait factum « legitimo tempore per canonicas sacrorum ordinum successiones. »

(14) Ergo monachi non sine titulis ordinantur, id quod discimus ex concilio Chalcedonensi. tit. 6 apud Crisconium in cap. 196, ubi prohibetur presbyterum, diaconum, aut quemlibet in gradu ecclesiastico ordinari *absolute*, id est sine titulo, nisi specialiter ecclesiæ civitatis, aut *passionis, aut martyrii, aut* monasterii *qui ordinandus est pronuntietur*. Itaque monasteria inter titulos computabantur. Titulum paupertatis Mendicantes invexere. Legi in Archivo Mosomensis cœnobii litteras dimissorias ad titulum monasterii, datas ante annos quingentos.

(15) Destina appellatur suffulcimentum ædificii seu ecclesiæ, apud Bedam in lib. III, cap. 17.

(16) Osbertus etiam sibi visam dicit, eamque *nihil ultra quatuor pedes in longitudine, nec plus quam duos ac semis in latitudine,* altitudine *staturam hominis,* habuisse.

sancto actus furore celeriter ea de igne rapit, larvalem faciem tenaculis includit, et totis viribus renitens monstrum introrsum trahit. Jam stando vires sumebat Dunstanus, cum is qui tenebatur a nullo pariete, tenentis se manibus aufugerat, tales immani rugitu fremens ululatus : O quid fecit calvus iste, o quid fecit calvus iste ! Tenui namque sed formosa cæsarie erat, et ea re talia de homine clamitabat Mane autem facto, congregata est ad eum non parva propinqui populi multitudo, sciscitans quisnam ille clamor fuisset, qui tanta eos vehementia dormientes terruisset. « Dæmonis, ait, fuit ille furor, qui nusquam me vivere sinit. E cella quoque tentat ejicere. Caute vos agite ab illo, quia si vocem irati ferre non potuistis, societatem damnati quo pacto sustinebitis ? » Post hunc diem Dunstanus quasi in procinctu belli manere, virtutibus diabolum ad certamen lacessere, corpus inedia macerare, animam orationibus decorare, sciens in nulla re magis diabolum superari posse, quam in ea quam Dominus dicebat jejunio et oratione. Unde cum pudicitia corporis tantam cordis munditiam obtinuit, ut vix cum latere posset quidquid sinister spiritus molitus fuisset. Fama itaque nominis ejus universam percurrit regionem, quæ ad visendum hominem Dei omnium corda accendit. Omnis ætas, uterqne sexus, clarus, ignobilis, tenuis et pecuniosus, privatus et cum potestate, omnes omnino Dunstanum loquuntur, sapientiam prædicant, virtutem magnificant.

Matrona regia ad Dunstanum accedit, B, Mariæ devota. Regem recreat ope Deiparæ.

15. Mulier quædam, nomine Elgifu (17), regali exor-.a progenie, magnarum divitiarum, quæ omne senen regium materno semper affectu dilexerat, forerat, nutrierat, innixa manibus suorum ad homiiem Dei accessit, sanctissimo illius colloquio perrui desiderans. Quæ cum ex ore illius verbum aulisset, adeo delectata est dulcedine vitæ æternæ, it ulterius neque domum repetere, neque loco discedere, sed cum beato Dunstano manere, vivere, nori deligeret. Proinde habitationem sibi in affiniate sacri templi constituens, audiendo verbo Dei edulo adesse, famelicis stipem dare, vestem algenibus, ipsa multæ continentiæ operam dare, prorsus d omne opus justitiæ promptissima existere. Circa eneratiónem beatæ virginis Mariæ ita fervens erat, t in templo illius quam plures sacri ordinis viros ocaret, quibus ipsa quæcunque necessaria forent ua liberalitate exhiberet. Qua de re in tantum apud amdem Virginem ejus merita valuere, ut si quano necessitate coacta quidpiam postularet, vix aliqua ntercedente morula ab eadem susciperet. Ut enim ine tædio legentium aliquantulam ab incœpto diressionem faciam (neque enim a re quam tenemus multum deviat), dum quodam tempore præfatus rex propter loci religionem Glestoniam venisset, illa veterem servare volens consuetudinem, qua regibus ministrare solebat, orat eumdem, ut ad se divertat, prandium quod sibi paraverat dignanter suscipiat. Quod rex non sine verecundia annuens (non enim ignorabat quid in pauperes Christi ipsa expenderet), præcepit regiæ ministrationis provisoribus, ut scirent si omnia commode ac moderate parata fuissent. Illi autem circumspectis omnibus abunde omnia esse renuntiant, si ejus tantummodo potus, qui mellis (18) ac myrti aspergine conficitur, sufficientiam haberent. Quibus illa : Non patietur, inquit, domina mea mater Domini mei Jesu Christi Maria, ut in omnibus rebus quæ regiam decent magnificentiam, deesse quidpiam valeat. Et accurrens in templum beatissimæ Virginis, rogat per ejus largifluam bonitatem augeri quod in regali ministerio minus videbatur haberi. Sedit itaque rex (19) multo stipatus satellite, hauriunt ministri modicum illud confecti liquoris : ita vasculum permansit imminutum, ut mulieris Sareptenæ, vel hydriam farinæ, vel lecythum olei putares. Denique tota die de vasculo hauriunt, tota nihilominus die inexhaustum reperiunt. Ad quod factum rex mente immutatus : Peccavimus, ait, nimis in famulam Dei, multitudinis nostræ superfluitate eam aggravantes. Ita dixit, post dictum faciem avertit, via qua cœpit profectus est.

Ægrotans res suas disponit in manus Dunstani, qui mobilia dat pauperibus. — Illa spiritus sancti adventu recreata, unctione ac viatico munita obit. Dunstanus hæreditatem convertit in ecclesias et monasteria.

16. Sed jam ut id quod instituimus attingamus, transacto laborum suorum glorioso certamine, gravi corporis infirmitate cœpit hæc eadem laborare. Ad quam dum mœrens pater Dunstanus intraret, post uberrimas alterutrarum lacrymarum inundationes, post humillimam piæ confessionis devotionem, post dulcissimam de beata spe et adventu Domini salvatoris consolationem, hortatur illam ut nudam se ab omni mundana specie faciat, ne in transeunte quidquam suum princeps mundi inveniat. Cui illa : Neminem, inquit, in mundo sicut te charissimum habeo, propterea quod te præcipuum salutis meæ scio auctorem, salvo eo quod Deum omnipotentem totius bonitatis principatum tenere credo. Illum ergo rerum mearum hæredem facio, te vero hæreditatis tutorem constituo, ut quidquid illum cognoveris velle, tui arbitrii sit effectui mancipare. Quod beatus Dunstanus audiens, et quamvis invitus ejus voluntati morem gerere volens, universas gazas ejus, quæ in rebus mobilibus superesse poterant, extemplo pauperibus erogabat; cætera autem ad Ecclesiarum sublevationem reservabat. Jam

(17) B. apellatur *Cewelfleda*, Osberto *Elsgira.* liis Ælfleda. Hæc *ad occidentalem templi partem* in isula habitasse dicitur apud B. qui eamdem Ethelani regis *neptem* vocat.

(18) B. uno vocabulo medonem appellat hunc potum, itemque Osbertus, qui addit, *quo Angli quam maxime uti solebant.*

(19) B. ait id factum *post precum missarumque celebrationes.*

sol vergebat ad occasum, et Dunstanus nocturnas fugiens tenebras ad suum remeat ergastulum : et ecce dum ostium ecclesiæ psallendo præteriret, erectis ad cœlum oculis, omnipotentis Dei Patris et Filii coæternum Spiritum in columbæ specie videt descendentem, cujus corpus omni candore nitidius, alarum vero remigia scintillantis ignis splendorem per aera spargebant. Quam ille tunc vere beatus pia mentis aviditate contemplatus, penetrale illud morientis matronæ subintrantem conspicit. Concite igitur unde venerat regressus, videt domum divini splendoris fulgore splendescere, audit feminam infra septa oppansi veli gratias agentem. Miratur colloquium, ac dicendi finem patiens auditor exspectat. Deinde levato velo penetrale subintrat, stelliferi illius nomen requirit, nuntium interrogat. Illa excellenti quadam gratia vultus perfusa, modeste arridens ait : Tu stelliferum antequam huc venires vidisti, et nunc cui sum locuta interrogas ? Ipse est qui tibi ad ostium ecclesiæ psallenti apparuit, qui et me de pavore imminentis mortis conterritam visitationis suæ gratia consolari dignatus est. Annuntio itaque omnibus amicis meis tristandum de morte mea non esse, quoniam morientem me æternæ vitæ claritas suscipiet. Tibi autem clarissimo ac singulari amico uberes gratias refero, propterea quod tuis semper instructa admonitionibus, et adjuta orationibus ecce ad Deum vado. Unum tibi et ultimum, si ausim dicere, facio præceptum, ut summo diluculo sacri unguinis (20) ac Dominici corporis participem me facias : quatenus his vivificis munita mysteriis, non confundar in porta, dum ibi fuero inimicis meis locuta. Cujus imperio venerabilis pater Dunstanus annuens abiit, mane juxta condictum rdiit ; itaque omnia peregit, ut finita fere missa, cum ipsa corpus et sanguinem Christi suscepisset, animam pariter Christo tradidisset. Qua honorifice in ecclesia beatæ Mariæ sepulta, Dunstanus cum de illius, cum etiam de sui ipsius (21) patrimonio sollicitus (nam uterque parens obierant, nec præter eum alium hæredem reliquerant), primo quidem eamdem ecclesiam vicinioribus atque uberioribus terris, quæ in omni patrimonio erant, muneravit ; cæteras vero fundandis quinque monasteriis pro situ terrarum ab invicem sejunctis reservavit. Quæ monasteria sequentium regum temporibus in tantum per ejus industriam aucta sunt, ut singulis complurium monachorum turbæ inessent, qui omnes secundum regulam ab eodem patre institutam viverent.

Arcana cœlitus discit.

17. Exinde sanctus vir, majoribus sese virtutum profectibus dedens, deprecatus est Dominum ostendi sibi gloriam justorum, ut qui eam per fidem bene creditam haberet, per manifestationem cognitam dulcius amaret. Talia ex corde meditanti, assistit juvenis (22) decore insignis, quem puerum olim in corpore ipse puer agnoverat, et sancta semper familiaritate dilexerat, referens ea quæ sunt æternæ vitæ gaudia. Illum vero in hoc sæculo plura passurum, dæmonum insidias, malignitates hominum ; post hæc omnia ad summos gradus perventurum, multa hominum millia Deo lucraturum, cumque his cœli regna scansurum. Sed cum ille propter cautelam dicenti assensum non dedisset, apprehensum illum juvenis atrium templi induxit, ostendensque locum eatenus inconvulsum, ait : Ut nulla te credendis his quæ audisti dubietas attingat, ante triduum presbyter quidam hic sepelietur qui nondum infirmatur. Exsurgens autem mane ab oratione Dunstanus, convocatis in unum clericis, ad locum venit, positoque signo ait : Si vera sunt quæ mihi nocturno tempore ostensa sunt, ante tres dies presbyter quidam hic sepelietur, et nondum infirmatur. Vix illis ab invicem digressis, supervenit ejus feminæ, quam proxime laudavimus, curialis quondam presbyter, qui facta cum clericis conventione præfatum locum in sepulturam obtinuit, dicens : Cum me Deus e corpore migrare jusserit, hoc in loco meas precor reliquias sepelite. Recessit igitur presbyter vespera sanus, noctu rediit ægrotus ; decubuit, agonizatus est, defungitur, et in loco beato patri signato sepelitur. Stupor ingens circumdedit omnes, propterea quod idem vir tam mira de loco, tempore ac persona prædixisset, quæ omnia posthæc vera ipsi et manifesta vidissent. Ipse autem de ostensa ac promissa sibi vitæ æternæ gloria lætissimus efficitur ; de cæteris vero non parum tristis atque sollicitus redditur.

Ab Eadmundo in palatium accitus, iterum inde protruditur. Sed rege ex præcipitio erepto honorifice revocatur, concesso ipsi solo natali.

18. Defuncto autem rege Ethelstano (23) frater

(20) Sic olim unctionem infirmorum viatico præponi mos erat, ut dictum est in præfatione sæculi primi. B. solius communionis meminit, sed ante missam et communionem ait præmissum a matrona balneum ad corporis lavationem. Osbertus cum Osberno convenit, et *cum sacramento sacræ inunctionis viaticum Dominici corporis* ab ea postulatum scribit.

(21) Idem tradit Osbertus. Hinc patet monachis in Anglia tunc temporis relictam fuisse potestatem hæreditates adeundi, ut aliis in locis.

(22) Osberto, « ad nutum patris Dunstani sub regularis vitæ custodia militarent. » B. rem explicat his verbis : « Osculatus est illum rex, ducensque ad sacerdotalem cathedram, et imponens illum in eam dixit : Esto sedis istius princeps potensque insessor, et præsentis Ecclesiæ fidelissimus abbas ; et quidquid tibi ad divini cultus augmentum vel ad sacræ regulæ supplementum de propria adminiculatione defuerit, ego illud regia largitate devote supplebo. Igitur, post hæc servus Dei Dunstanus jam dictam dignitatem jussu regis regendi gratia suscepit, et hoc prædicto modo saluberrimam S. Benedicti sequens institutionem primus abbas Angliæ nationis enituit, » etc.

(23) Apud B.: « Contigit autem iisdem temporibus quemdam Glestoniensis Ecclesiæ diaconem, nomine Ulfredum, mortem subiisse temporalem, qui B. Dunstano tempore dum viveret præclarus pariter exstitit et familiaris amator. Hic ergo non admodum longo tempore post discessum apparuit ei, pandens multa de cœlestibus incognita, » etc.

ejus Eadmundus imperii monarchiam suscepit. Qui cum sciret quanta olim virtute venerandus pater Dunstanus in palatio fulsisset, quam justis operibus et rectis consiliis præditus fuisset, ac per hoc fraterno semper amore illum dilexisset, directis ad eum nuntiis orat dignetur ad se venire, ut quem omnipotenti Deo noverat acceptum, eum inter regios proceres et palatinos principes (24) summum faceret tenere principatum. At Dunstanus sive præceptis apostolicis obedire volens, quibus omnis anima potestati sublimiori subdita esse debere præcipitur, sive regnum justitiæ, quod ex magna parte obsoleverat, in terra Anglorum exaltare cupiens, regiis petitionibus assensum tribuit, consistens pro temporum vicissitudine in palatio, et tam ipsum regem, quam omnes Anglorum principes justitiæ legibus ubmittens. Sed cum fere fiat, ut ex aliorum industria aliorum crescat invidia, cumque ad quam virutem pessimus (25) quisque non valet assurgere, am in assurgente conetur expugnare : iterum sicut lim a plerisque nobilium, in prosperos Dunstani uccessus est offensum, et regi, ut a consortio illoum pelleretur falsa criminatione suggestum. Rex utem plus honesto falsis favorem attribuens, Duntanum et rebus et regia gratia privatum, curia prorbari jubet (26). Sic primo, sic secundo die transum. Jamque tertia lux advenerat, et rex cum uis venatum ibat. Nemus autem quod venandi graa invenerat, mons Cedrorum [*B.* Ceodrum] per xcelsus concipit, qui medio sui interruptus, ingens arathrum et immane præcipitium de summo spe-antibus ostendit. Igitur rex per devexa montis frena xare, et per devia quæque fugientem cervum inctari. Fatigantur utrique rex pro cervo, cervus ro seipso. Omni tandem fugiendi libertate negata, estia præcipitinm petit, ruit, ac in partes minutismas conscissa deperit. Sequentium canum similis teritus, ultimum regem sonipes advexit, qui viso minus quod præ se fortuna pararat, retraxit abenas, vectorem quoque reflectere nisus, cum rente ruptis frenis, et de manu porro rejectis, volui cursu sessorem regem equus asportat. Quid plu? omnino de se diffidens, de Dei vero misericordia nnihil confidens, cœleste auxilium implorat, sicie confitendo orat : Deus, rex omnipotens, qui um sis super omnia excelsus, humilia respicis, et ta semper a longe cognoscis, adesto nunc non regi, d homini cæteris mortalibus simili, inque supremo mor is periculo consistenti, nec reminiscaris injuriarum fideli tuo Dunstano per me illatarum ; quoniam si me ipsius meritis a præsenti morte eripueris, quoad vivam devotum me tui nominis et illius laudatorem habebis. Nec dum plene verba finierat, et, quod dictu est incredibile, sed Deo nihil impossibile, quasi divina manu retentum animal in summo voraginis fixum manebat. At ille corde pariter et ore excelsas Deo gratias referens, Dunstanum suæ liberationis auctorem accersiri jubet, et quæ per illum Divinitas operata sit, coram omni principe exponit, et apprehensa dextera viri osculatus est eam et dixit : Agnosco, virorum sanctissime, quid in te commiserim mali, non per fidem meam quod ego voluerim, sed quod a pessimis hominibus coactus id fecerim. Gratias ergo clementiæ Dei, quæ non modo debitum mihi supplicium non inferre, verum etiam indebitum voluit beneficium prærogare, dum me a præcipitio mortis eripiens, longioris vitæ spatia in tuis nominibus concessit. Sit ergo deinceps inter nos perfectæ familiaritatis perpetua integritas, sit disponendis in palatio rebus libera semper tibi facultas, sit in toto Anglorum imperio judicandi inter virum et proximum ejus summa potestas. Atque ut animi mei affectum circa te cognitum habeas, illum tibi locum in quo te genitum, educatum, conversatum accepi, perpetuo jure possidendum trado, ut quodcunque de illo velis statuere, tui arbitrii sit considerare. Quod si id cordi tuo potissimum sederit, ut ejus ordinis viros, cujus tu habitum geris, ibidem aggregare placuerit, quidquid eis in quacunque re defuerit, ego ob gratiam tui regia liberalitate supplebo (27).

Glastoniæ monasterium celebre reddit. Dæmonis eludit terriculas. S. Andreæ se committit. Angelis familiaris, Edgari sortem discit. Absentia videt.

19. Igitur Dunstanus accepta potestate super regiam mansionem quæ Glastonia vocabatur, post paucos dies angustioris ecclesiæ fundamenta jacere, officinas secundum exemplar olim sibi ostensum construere, et consummatis omnibus magnum pariter atque egregium monachorum agmen ibidem coadunare : quibus ipse primus abbas effectus, ad tantam perfectionem justitiæ omnes cohabitantes adduxit, ut quasi cœli luminaria ad effugandas totius erroris nebulas et peccatorum tenebras viderentur. Tunc ad omnes circumquaque Ecclesias ex eisdem monachis pontifices eligi, tunc abbates assumi, tunc denique

(24) Nempe anno 940, teste Willelmo Malmesbuensi.

(25) Edgarus rex in oratione quam ad episcopos abuisse dicitur apud Aylredum et Harpsfeldium, ita quentem inducit patrem suum Edmundum : « Tu ihi, pater Dunstane, de construendis monasteriis. e ecclesiis ædificandis consilium salubre dedi; tu mihi adjutor in omnibus et cooperator exitisti, » etc.

(26) B. hæc interponit : « Erant autem apud Ceoerum, ubi hæc facta fuerant viri, venerabiles, egni videlicet Orientis nuntii, cum rege tunc hospitantes, quos ille quasi jam exsilio deputatus, aliud sibi ignorans consilium, aggressus est, id orans, ne se relictum a rege ipsi desererent, sed secum ad patriam, quamvis ad incolatum, perducerent. At illi mœstitiæ ipsius compatientes, spoponderunt ei quæque regni sui commoda, si secum comitatus adiret. »

(27) Willelmus in lib. II De regibus, cap. 7, integrum privilegium refert datum anno 944, « litteris aureis in libro Evangeliorum scriptum, » quem rex ipse dedit.

diversorum officiorum præpositi institui : propterea quod essent et religionis merito præcipui, et doctrinæ sapientia clarissimi, et ad catholicæ fidei defensionem præstantissimi (28). Sed tantæ religionis spiritus dæmonis malus impatiens, quo pacto virum a statu rectitudinis dejiciat, quantis valet insidiis elaborat. Cujus oculis in cubiculo quadam nocte orantis immanem se lupum ingerit, iterumque post paulum vulpem blandientem confingit, quam ille specierum varietatem subridens; O te, inquit, per omnia similem tibi! o formas tuæ actioni congruas! dum in altero cruentum, in altero te comprobes fraudulentum. Vade jam, inimice, quoniam in ejus nomine te vineam in lupo et vulpe, qui te in leone et dracone superavit. Cernens autem se magnam a dæmonibus invidiam pati, nec suis aut filiorum suorum viribus satis confidens, adhibuit vitæ suæ patronum Andream apostolum, ut esset fidus interpres apud Deum, assiduus in terra comes, atque in omnibus hujus mundi turbinibus custos indeficiens. Hujus ipse assidua protectione quasi muro vallatus, securus infra cellam agebat ætatem, excelsa mente universa mundi transcendens, et in amore divinitatis jugi meditatione requiescens. Unde suavissimis supernorum spirituum concentibus sæpe interesse promeruit, bonam futuræ mercedis spem Deo tribuente; ut qui angelorum conversationem agebat in terra, illorum societatem agnosceret in cœlo. Denique cum præfato regi Eadmundo filius nasceretur, nomine Edgarus, puer videlicet pacis ac justitiæ bajulus futurus, audivit idem beatus beatos in cœlo angelos gratulantes, et cum magna gratulatione psallentes (29) : Sit pax, sit magna Anglorum Ecclesiæ lætitia, quandiu puer natus regnum tenuerit, et noster Dunstanus mortalis vitæ metas transegerit. Quod dictum quanta sit rerum veritate subnixum, congruus ordo præsentis lectionis faciet manifestum.

20. Ea etiam tempestate vir Dei precibus regiis devinctus, Bathensem Ecclesiam divinis cultibus instituendam invisere pergit : ubi dum facta refectione solitarius oraret, repente ad superna raptus, cujusdam discipuli nobiliter a se apud Glestoniam educati animam innumera angelorum frequentia hinc inde stipatam, atque immensi luminis fulgore perfusam, ad cœli palatium provehi conspicit. Moxque in manus divinæ pietatis eam commendans, dominos quoque loci ad commendandum invitat. Stupentibus quidem omnibus, et vix fidem dictis exhibentibus, velocis cursoris (30) testimonio, et mors et mortis hora secundum viri testificationem vera probatur.

Regis mortem prænoscit, cujus corpus Glastoniæ sepelit.

21. Regressus autem a loco ut regem loquendi sibi cupidissimum adiret, diabolum scurræ simillimum coram equitantibus deprehendit saltantem, et quasi de futuro aliquo lucro gloriantem : cujus præsentiam dum coessenti populo (31) indicasset, formamque omnium conspectibus horribilem ex imperio denudasset, requisitus postea quid ejusdem monstri tam petulans lætitia portenderet, illo mortem regis regnique mutationem proximam esse denuntiat. Cui mox prophetiæ rerum veritas contestata respondit. Nondum enim sol septies diem creaverat, et rex occiditur, et regnum mutatur. Ex quo satis est advertere, quanta hujus viri pectus gratia Dei regebat, qui invisibilem hostem tam facile deprehendere, et ejus præstigias tam veraciter posset denudare. Translatæ autem sunt exsequiæ regis Glestoniam, ibique a beato Dunstano sub magna lugentis populi frequentia terræ commendatæ.

Edredo regi charus fit.

22. Successit in regnum jure fratris Edredus, egregius vir, homo cultor justitiæ ac pietatis, Deum valde diligens, et ipse a Deo multum dilectus, ac per hoc paterno verbere quasi bonus filius crebro ab illo flagellatus. In hujus conspectu venerabilis pater Dunstanus adeo erat pretiosus, ut cum omni generi humano præferret, principem testamentorum (32) statueret, thesauros ei delegaret, animam, corpus, et regnum committeret; nec quisquam in toto regno Anglorum esset, qui absque ejus imperio manum vel pedem moveret. Proinde Dunstanus quasi rex et regis imperator effectus, virgam æquitatis, virgam regni Dei per omnes Anglorum fines extendere, ecclesias quas aut ipse fundaverat, aut ab aliis fundatas egestas oppresserat, amplis hæreditatibus munerare, prorsus magnam populis lætitiam in sua potentia facere, dum pax et justitia in mutuos amplexus converterent, et osculandi munus pro invicem libarent.

Elfego mortuo sedem Wintoniensem recusat.

23. Dum hæc ita geruntur, Elfegus (33) apud quem illum olim conversatum fuisse prædiximus,

(28) Huic loco aptat Osbertus portentum de cereo illuminato, supra num. 4 ut « sicut ex cereo matris Dunstani totus ecclesiæ conventus lumen amissum recuperavit : ita ex hoc loco, ipsius Dunstani doctrina et instituto omnes ecclesias Angliæ constat veræ religionis lumen sumpsisse. »

(29) Hæc apud Willelmun in lib. II De regibus, cap. 8.

(30) B. ait Ceolwium præpositum, qui res monasterii cum Dunstano tractaturus advenerat, rem comprobasse.

(31) B. unum memorat Ælfstanum, Dunstani itineris comitem, qui cum dæmonis prestigias non videret, orante Dunstano cernere meruerit. Eadmundi regis cædes accidit anno 946 a latrunculo perpetrata, nomine Leof, apud Willelmum in lib. II De regibus, cap. 7. Sub idem tempus, id est anno 948, Dunstanus abbas subscribit diplomati pro Crulandensibus apud Ingulfum.

(32) B. rem explicat : « Commisit illi rex optima quæque suppellectilium, quam plures scilicet rurales chartulas, etiam veteres præcedentium regnum thesauros, necnon et diversas propriæ adeptionis suæ gazas sub munimine monasterii sui fideliter custodiendum. »

(33) « Eathel. . . . Chrydionensis Ecclesiæ præsul » dicitur apud B. Wintoniensem fuisse patet ex

ad vitam spiritualis seculi dispositus est. Existimans autem rex tempus se opportunum accepisse, quo majoris honoris Dunstanum compotem faceret, aggreditur rogare illum, ut Ecclesiam pastorali solatio destitutam ipse pastor suscipiat. Sed cum videret se quod persuadebat persuadere non posse, reginæ matri Eadivæ [*B*. Ælpwolduy] verbum imposuit suadelæ : Scio, inquit, charissima mater ac totius imperii Anglorum regina, quod te communis noster amicus Dunstanus præcipue inter homines diligat, in tuis quam maxime operibus delectetur, dum quidquid pro consilio vitæ æternæ ipse tibi præceperit, sive id esset in sustentatione pauperum, sive in muneratione ecclesiarum, tu sedula semper exsecutione implere non cessaveris. Qua de re magna animus meus spe detinetur, ut si quid ab eo quod me atque illum deceat postulaveris, nulla tibi ratione denegare velit. Decere autem utrumque nostrum, ut summum ipse attingat sacerdotium omnibus manifestum est, qui omnes honores vita et sapientia illius scimus esse inferiores, et regem Anglorum multis cæterarum terrarum regibus noscimus potentiorem. Aggredere igitur, mi dulcissima, hominem feminali facundia, et hortare ea qua apud illum niteris gratia, ut tibi consentiat, quatenus ex hoc Deo familiarius adhærere, et nos potentius valeat a peccatorum vinculis absolvere. Paret itaque regi filio mater regina, Dunstanum adsciscit convivio, demulcet alloquio. Sed ille juxta etymologiam nominis sui ut mons persistens immobilis : Nolo, ait, domina, illud a me expeti, quod vel concessum meos animos perturbet, vel non concessum tuos offendat. Neque enim nescio quam difficulter suam quisque ante tribunal Christi causam agat, nedum alienæ causæ cognitor aut judex existat. Quod si ista rationum maxima non esset, illa nimirum a suscipiendo episcopatu multum me cohiberet, quod dominum regem constanti video languore periclitari, nec multum me ab eo separari posse, cum me tam sui patrem, quam totius regni dominum ipse statuerit. Cumque illa restitantem suis adhuc rationibus tenere voluisset, motus ille aliquantisper : Certissimum, inquit, habeto in diebus filii tui pontificali infula me non esse sublimandum. Inde luctuantes animos gerens cubiculo se dedit, ibique secum multa volventi somnus obrepsit ; et ecce adsunt principes regni Dei et judices sæculi, venerabiles Christi apostoli Petrus et Paulus cum sancto Andrea, quasi de urbe Roma eidem egredienti occurrentes, et ad Montem-Gaudii sibi se adjungenies. A quibus gratiosissime salutatus, videbat singulos in singulorum manibus gladios enitere, quos omnes officiosa benignitate sibi obtulere. Cumque visum per extensos ante se gladios duceret, hanc in gladio beati Petri legebat scripturam aureis litteris intextam : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Cæterorum vero gladii propria tenentium illos nomina habebant inscripta, Pauli Paulus, Andreæ Andreas. Læ[illegible] exhilarato vultu aspicit conniventem et evangelicis verbis audit præcinentem : *Tollite jugum meum super vos, et discite o me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Tunc a beato Petro jussus lævam extendere, modicum crepitantis ferulæ ictum excepit, hoc ab illo audiens : Hoc tibi sit, et pœna abjecti, et signum ulterius non abjiciendi pontificatus. Ad cujus virgulæ tactum a somno evigilans, divinitus se intelligit visitatum ; agit gratias Deo cujus munere ita se conspicit honoratum. Cumque die illucescente regi quæ viderat enarrasset, miratus ille tali enodatione visionem absolvit. Quoniam per arma apostolicæ benedictionis postestas exprimitur pontificalis, noveris te, pro eo quod hesterna die jugum Domini contempseris, increpatum, ac divina electione futurum pontificem designatum. Porro quod, *in principio erat Verbum*, gladio beati Petri apostoli inscriptum vidisti, cum Verbum Dei sit unigenitus Filius Dei, Deus, apud Deum semper, homo antem pro hominibus inter homines factus ; profecto scias te ejus sedis principem futurum, quæ Christi nomine in urbe Cantuariorum cæteris Ecclesiis insignior celebratur. Hoc signo divinæ prænuntiationis Dunstanus est glorificatus, et hac regiæ interpretationis conjectura pontifex designatus. O signum insigne ! O gratiam gratis homini datam ! O cordis ejus sinceram puritatem ! Adhuc summus Anglorum pontifex Odo in humanis rebus vitam agebat, et Dunstanus in oculis superni Inspectoris summus pontifex erat Mirandum valde quod ipse adhuc terrigena angelicis concentibus admisceretur in cœlis, mirandum nihilominus quod eum cœli cives frequentabant in terris. Quid ! cui præponam, hominem cœlicolis adjunctum, an cœlicolas homini destinatos, non satis comperio, nisi quod in altero felicior, in altero erat ille securior. Stupeant alii diversrs diversarum virtutum donationes quibusdam hominibus divinitus collatas ; ego nihil ita magnipendo, quomodo hominem in hujus mundi turbinibus consistentem, universa mundi animo transcendentem, et in amore Conditoris quiescentem, Martham videre ministerio, Mariam desiderio, fidem operantem, charitatem ardentem. Sed nihil diximus, nisi ea quæ reliqua sunt dixerimus.

Edredi mortui funus curat.

24. At rex Edredus lethali morbo correptus (34) decidit in lectum, nec ullam evadendæ mortis spem

superiori num. 12, idemque probat hoc loco Osberus qui Elfinum pro Dunstano ordinatum addit.

(34) B. : « Ita ut refectionis tempore cibum rejiceret præ stomachi debilitate. » Ejus mors incidit in annum 955. Willelmus Malmesburiensis in lib. II De regibus, cap. VII, ita de eo : « Ipse interea sanctorum pedibus acclivus, Deo et Dunstano vitam devoverat : cujus monitis tortiones crebras corporis patienter ferre, orationes continuare, prorsus palatium suum gymnasium virtutum facere. Decessit magno luctu hominum, » etc.

medici promittebant. Celebriter itaque nuntios légat, qui patrem vitæ suæ Dunstanum accersiant, ut sit ultimi arbitrii testis, confessionum susceptor et fidelis apud Deum intercessor. Contristatus ergo ad animam Dunstanus, quanta velocitate potuit, amicum regem invisere pergit. Videns autem Deus illum et cordis dolore affligi et corporis laborem pati, non est passus ut ultra illum afflictio tangeret, quin et dolorem lenivit et laborem imminuit. Nam, cum esset in itinere tendens ad palatium et membra jejuniis confecta infatigabiliter fatigaret, vox de summo æthere delapsa insonuit: Ecce rex Edredus obdormivit in Domino. Cujus vocis emissione equus, cni insidebat, percussus interiit, comites tremuerunt, audientes quidem fragorem tonantis, sed quid tonaret non intelligentes. Quibus ipse rem aperiens, commendat animam defuncti regis in manus æterni Regis, statimque deferentibus nuntiis audit quod ante sibi de cœlo angelus absolvit. Ingressus ergo palatium Dunstanus, contemplatur dilecti hominis cadaver jacere, comitum turbas, qui aurati olim solebant assistere, procul recedere; miratur commutationem, miseratur conditionem. Deinde fidem, qua viventem dilexerat, defuncto quoque impendere studens, corporis involucrum in sua suscepit, debitumque sepeliendi officium debito illi honore persolvit.

Edwii regis ob malos mores, recedit.

25. Post hunc surrexit Edwi filius Edmundi regis, ætate quidem juvenis, et nulla regnandi gratia pollens, qui neque ipse sapiens, neque sapientium consilio acquiescens, sed alter Roboam, despectis majoribus, natu puerorum consilia sectabatur. Hos ille perniciosissimos satellites nactus, et eorum non tam consiliis quam insaniis fretus, optimum quemque rebus exspoliare, locupletes proscribere, exhæredare ecclesias, detrahere religioni, multiplices in civitatibus exactiones exercere. Nec solum alienis ab ejus cognatione illius obfuit crudelitas, verum etiam Neronis more in homines sua stirpe oriundos, in ipsam quoque regum matrem reginam Eadivam, sua dementia debacchari. Præter hæc libidine ardens, sine intermissione æstuabat ad coitum. Quibus rebus venerabilis pater Dunstanus graviter offensus, frequenter eum simul et acriter in locis opportunis increpare; ille increpantem ridere, simulque illi multa mala minari. Postquam autem industriam suam nihil videt prævalere, omnino decernit ejus colloquio abstinendum.

Glastoniæ pie degit.

26. Itaque, relicto illo, monasterio recipitur, ibique in tanta celsitudine religionis deguit, ut mensuram sancta excederet devotio; hoc in loco turris exstructa erat (35), quam necdm ulla in supremo cacumine tectura claudebat. Cumque populus trabem totius operis sustentatricem summis muris applicare contenderet, repente ruptis funibus eadem trabes deorsum ruere cœpit. Clamor ingens totius populi Dunstanum iteratis vocibus perstrepentis. Advolat itaque ocior sanctus, elatam dexteram machinæ opponit, e regione crucem depingit. Necdum sancta manus sanctos contraxerat digitos, cum ea quæ vergere cœperat trabes, non vinculis astricta, non machinis levata, non denique ullo humani ingenii apparatu sustentata, ad locum de quo ruere cœperat revehi videbatur. Si tantæ gloriæ malignum spiritus non invideret, cui invideret? Si tunc virus malignitatis suæ non effunderet, quando effunderet? Nihil ergo dubietatis ulterius de viro Dei habens, semel atque simul omnes insidiarum suarum laqueos illi intendere statuit. Translatus itaque in speciem ursi, consimilem hianti rictu orantem (36) aggreditur, injectisque ungulis pastoralem, quam manu tenebat, virgam, complectitur, atque ad se trahere conatur. At divinus Dunstanus, divinitatis spiritu fortiter roboratus, retractum ad se baculum erigit in sublime, fugientem belluam dirissime cædit; nec prius monstrum cædendo desistit, quam flagellum in tergo illius tribus in partibus comminutum apparuit (37).

Regis amores insectatus, in exilium agitur. Apud Gandavum degit.

27. Victus ergo in se diabolus, in aliis victorem suum vincere quærit. Neque enim rerum occasiones longe abfuerant, quibus id quod perverse moliebatur, in usus maliguos tranferret.

Nam rege præfato eodem quo consecratus fuerat die in turpes concubitus publice devoluto, ac per hoc omni senatorio ordine offenso, nemino tamen ejus lasciviam redarguere auso, pari ac communi omnium voto Dunstanus (38) compellatus qui regem constanter adeat, regium stuprum divina humanaque ratione compescat, mulieris adulteræ meretricium suspendii comminatione percellat. Fecit hoc ille, et parum est hoc. Repertum insuper cum adultera simul et filia illius principem a mœchali toro violenter abstraxit, positaque in capite corona ejus ante summum pontificem Odonem adduxit. At ganea sanguineos intorquens oculos: Tu, inquit, mortis me suspendio addixisti; ego te membrorum decore privatum sempiterno exsilio damnabo. Cujus invectionis tenore spiritus nequam arreptus, ultionem de viro Dei nefandæ meretricis impulsu exspectat. Itaque mulieris animum diabolus instigat; regis iram

(35) Osbertus hic inserit mortem Elfii monachi, qui cum Dunstano monasterii officinas circumiens, ter de cœlo vocatus est; tum subdit Osbertus. « In ipso itaque loco, in quo Dunstanus vocem audivit, oratorium in modum turris ædificavit sub patrocinio B. Joannis Baptistæ. »

(36) B. Scribit id accidisse oranti *ante altere martyris Christi Georgii.*

(37) Osbertus addit Dunstanum fecisse sibi alium scipionem *crassum et fortem*, ac illius summitatem argento circumposito decorasse, quod in modum concavæ sphæræ superne formatum, dentem beati Andreæ apostoli gestabat inclusum, tum ad munimen contra dæmones, tum ob amorem in apostolum.

(37) B.: « Et cum vidisset summus pontificum Odo regis petulantiam maxime in consecrationis suæ die.. ait cœpiscopis suis et principibus suis : Eant, oro,

mulier (39) exaltat ; ambo exsilium Dunstano intentant. Et primo quidem, urgente regis edicto, omnes monasticæ religionis ecclesiæ suis rebus spoliabantur, ut, quæ præcipuæ semper viro fuere lætitiæ, nunc eidem quam maximo fierent mœrori. Deinde cum ventum fuisset Glastoniam, et descriptis omnibus ipse proscriptus fuisset, inter lacrymas monachorum ejus manu nutritorum, inter lamenta venientium ad se ex omnibus locis amicorum, inter gemitus pauperum, consuetis stipendiis per singulos dies ab illo recreatorum, audita est in atrio templi vox plaudentis diaboli, quasi vox juvenculæ acriter atque minute cachinnantis. Quem sanctus severa fronte suspiciens, Nihil, ait, super exsilio meo gratuleris, quoniam plus est quod me redeunte doleas, quam quidquid me exsulante lætari valeas. Ad quod dictum pallidi regni pallidus minister abscessit. Dunstanus autem non immemor quid sibi divinus olim citharœdus præcinuerit, imo Dominicæ memor promissionis, qua beatos fore qui pro justitia persecutionem patiuntur (*Matth.* v. 10) Christus asseruit, marinis se fluctibus tradit, contrarium littus in gente Flandritarum attingens ubi eminenti coram principe terræ illius gratia inventa, manebat in monasterio sancti Petri quod situm est Gandavi, propterea quod illud cæteris illius regionis monasteriis et professione virtutis, et philosophiæ documentis excellere videbatur. Nec tamen cessat vesana furentis mulieris insania, quæ omnibus qui, virum Dei tempore suæ recessionis hospitio foverant, perscrutatis, proscriptis, damnatis, ipsius quoque oculis eruendis malignos transmitteret ministros. Verum, miserante divina clementia cujus nunquam auxilio destituebatur, ante illum Gallia susceperat, quam æquoreos servi Jezabelis fluctus attigissent. Exsulat itaque sanctus nulla exsilii per gratiam Dei damna deplorans, dum suis meritis ita sibi omnes devinciret, ut patriam esse exsilium putaret. Super hæc illum amici apostoli consolatio fovet, qui nullius rei quam ipse expeteret eum indigere permisit (40).

Edwio rege fugato, Edgarus regnat.

28. Respiciens ergo Christi clementia Anglorum populum tanto patrono destitutum, suscitavit corda virorum ab Humbre fluvio usque ad flumen Tamisium, supra quod urbs Lundonia est fundata, adversus impium regem Edwium. Qui omnes, quasi in unum hominem translati, non modo regnum ipsius abjicere, verum etiam ipsum regno expellere moliti sunt, propterea quod in commisso regimine insipienter egisset, sapientes disperderet, ignaros boni suis consiliis adscisceret, prorsus libidine atque arrogantia præceps abiret. Coacti itaque in turbam regem cum adultera fugitalentem, atque in inviis sese occultantem armis persequi non desistunt. Et ipsam quidem juxta Claudium (41) civitatem repertam subnervavere. Deinde qua digna fuerat morte multavere. Porro regem per diversa locorum semetra deviantem ultra flumen Tamisium compulere. Deinde accito fratre illius optimæ indolis adolescente, nomine Edgaro, quem futurum regem cœlesti quondam oraculo designatum fuisse prædiximus, dum pacem regnique salutem suis ac Dunstani temporibus angeli prædicarent, statuunt illum regem super omnes provincias ab Humbre magno flumine usque ad flumen Tamisium ; quo flumine amborum regnum ab invicem dirimebatur. Ita regnum, quod unum fuerat, in duos reges divisum gravibus aliquantisper conflictibus bellorum sudabat, impleta tunc veridica illa Salvatoris sententia, qua omne regnum in se ipsum divisum asserit destruendum, et domum super domum esse casuram (*Luc.* XI, 17). Edgarus quotidie erat proficiens, ut David, pietate ac fortitudine, atque, ut Salomon, sapientia, divitiis et gloria, domus autem Edwi in dies decrescere, cum ipse in flagitiis crescere non desiverit.

Dunstanus ab exsilio revocatur. Wigorniensis ecclesiæ episcopus ordinatur sub titulo archiepiscopi Cantuariensis.

29. Post paucos autem electionis suæ dies præcepit Edgarus diarcha totius regni sui concilium celebrari, in quo annihilatis omnibus quæ a fratre ejus iniquis fuerant legibus decreta, ac restitutis omnibus quæ violenta illius fuerant damnatione ablata, Dunstanum quoque venerabilem abbatem in magna gloria de exsilio revocavit (42), et majore, quam ab omnibus ante regibus honoratus fuisset, gloria sublimavit. Cui etiam, ut pontificale decus susciperet, vehementi petitione imminuit ; nec ante a precibus quiescere voluit quam illum a sententia ad consentiendum retraheret, et ecclesiæ Wigorniensi, quæ

quilibet ex vobis ad educendum regem... Ad extremum vero elegerunt duos, quos animo constantissimos noverant, Dunstanum scilicet abbatem, et Cynewium episcopum ejusdem Dunstani consanguineum. » Osbertus *Kinsvinum* vocat.

(39) B : « Ethælyun. Sic erat nomen ignominiosum mulieris. » Chronologia Saxonica hoc Dunstani exsilium refert ad annum 955.

(40) B. addit quosdam persecutores frustra conatos eum avellere a monasterio, idque viso significatum Dunstano. Osbertus rem explicat, aitque fuisse quosdam e fratribus Glestoniensibus, qui eum ab istius cœnobii prælatione deponere volebant ; quod Deus averterit.

(41) Osberto, « juxta civitatem Glavorniensem, » vulgo *Glocester*.

(42) Nempe anno 957 ex Chronologia Saxonica, non anno 959, ut apud Spelmannum et alios. Quod vero de Dunstani ordinatione subditur, eodem fere modo legitur supra in Vita S. Odonis archiepiscopi Cantuariensis. Id factum in conventu *apud Bradanford* ex B. ubi Dunstanum ait prius ordinatum fuisse *ad episcopum*, ut regi esset a consiliis ; dein admotum Vigorniensi Ecclesiæ mortuo Cynewaldo. « Postea factus magnus sapientium conventus in Brandanford, et eo in loco omnium ex electione ordinatus est Dunstanus ad episcopum, eotenus maxime, quo regali præsentiæ propter provida prudentiarum suarum consilia jugiter adfuisset... Deinde pastor Wigorniensis Ecclesiæ, utpote Cynewaldus, morte mortalium cursuque vitæ temporalis educto succubuit, et suscepit beatus pontifex Dunstanus constitutus a rege hanc eamdem ecclesiam, » etc. Ita B. qui regis ataviam ab exsilio cum Dunstano revocatam dicit. De Kenewaldo superius.

sub honore beatæ virginis Mariæ pollebat, pontificem præficeret. Qui dum Doroberniam sacrandus adveniret, et, recitata petitione cleri ac populi, summus Dei sacerdos, Odo gaudenter annuisset; mirabile dictu! cæterum consecrationis ministerium, non quasi super antistitem Wicciorum, sed sicut super archiepiscopum Cantuariorum mirabiliter atque hilariter absolvit. Qua de re a circumstante clero reprehensus, quod contra Patrum decreta ageret, qui unius ecclesiæ duos prohibent esse sacerdotes, nec per jus hæreditatis fieri electionem successionis, tale fertur responsum dedisse : Si divinis humana non cederent, jure mihi hominum auctoritas prætendi posset. Nunc vero quoniam auctor omnium Deus est, non possum illud non facere quod faciendum Spiritus Dei dignatus est præcipere Erit namque beatus iste proximus post mortem meam hujus sedis archiepiscopus, et adversus mundi principem fortissimus præliator. Hac ille summi pontificis ratione defensus procedit ad populum, summus et ille pontifex Cantuariorum prætitulatus, gestans insignia Aaron, non legis velamine adumbrata, sed divinæ propitiationis munere per gratiam Christi insignita. Inde ad ecclesiam quæ sibi fuerat consignata reversus, atque in cathedra pontificali sublimatus, recordatus est quid olim exsultanti diabolo promisisset, cum illum regalis impietas exsilio ascripsisset. Itaque obviis in illum manibus insurgere, membra ejus evangelico gladio dividere, et oves quæ circumquaque errabundæ ferebantur, ad Dominicum ovile revocare.

Edwii animam a pœnis liberat.

30. Interea mortuo impiissimo rege (43) Edvvio, atque in sortem malignorum spirituum translato, Dunstanus in ecclesia, cui præerat, Deividis meditationibus inserviebat, nihil sciens quid de rege actum fuisset. Et ecce tartarea cohors sub ejus aspectu exsultando quasi chorum ducere, et veluti de capta præda lætas victorias agere. Perscrutatur itaque sanctus causam lætitiæ, audit regem obiisse, animam illius gehennalibus statim incendiis tradendam (*liberat*) ; sed prius hoc Dunstano ex divino imperio nuntiandum. Motus itaque pietate Dunstanus solo tenus prosternitur, largifluus ex oculis lacrymarum imber producitur ; pulsat Deum precibus, nec ab illo orando quiescit, quousque spiritum regis liberatum agnoscit. Brevi autem morula peracta redit tristis legio infernaiis, magnoque clamore in has voces erumpit : O te hominem hominum ! o fidei alienum ! o nostris beneficiis semper ingratum ! nos detulimus obsequium, tu nobis retulisti supplicium ; ad ulciscendas injurias tuas de regione tenebrarum venimus, et ecce adversis imprecationibus tuis confusi redimus. Cumque ille depromendæ veritatis præceptum dæmonibus indiceret, agnoscit animam regis angelica virtute illis sublatam ad statutum terminum sub signaculo servatum ; nihil juris in illam dæmones habere, sed in sortem pœnitentium animarum eamdem cedere. Tum ille exsultans in Domino, furores illorum tali ratiocinatione compescuit. Quid, inquit, injusti actum est vobis ? Si peccavit homo iste, in Christum et in me peccavit. Sed, quoniam meas propter Christum dimisi injurias, dimisit et suas Christus, cum ejus ego clementiam deprecatus sum. Quod ergo Christus et ego dignati sumus clementer indulgere, eos qua temeritate audetis improbe reprehendere ? Qua sententia tetri spiritus, quasi Parthica percussi sagitta, muscarum modo a vento raptarum dissiliunt.

Lundoniæ sedem accipit.

31. At Edgarus totius imperii monarcha effectus, cogitabat beatum virum super omne regnum constituere, nolens in regno sine illo crescere, quem ante regnum præ cæteris studuerat familiarius diligere. Unde apposito patribus suis Lundoniensi episcopo, rogatu regis ac principum Dunstanus successione donatur, annuentibus quoque omnibus ejusdem urbis habitatoribus, et importunis vocibus illius nomen acclamantibus. Audierant namque quam fuerat a primæva ætate Deo acceptissimus, quam in illa cui præerat Ecclesia sollicitus, quam denique in omni re bona et optima probatissimus : et ea re noluerunt habere alium cum possint habere lectissimum. Neque illum juvit excusatio canonum auctoritate prætensa, qui sicut ecclesiam unam duobus esse episcopis contradicunt, ita duas Ecclesias uni episcopo fieri posse non permittunt : Cum Joannes, inquiunt, dilectus Domini septem Ecclesiis atque episcopis earum præfuerit, et beatus Paulus omnium Ecclesiarum sollicitudinem simul et magisterium habuerit. Talibus beatus Pontifex rationum testimoniis victus, Lundanæ urbis antistes intronizatur, non relinquens eam quam ante habuerat Ecclesiam, sed utrique præsidens, utramque regens, utriusque verus ac proprius pontifex existens. Habes ergo, sanctissime Pater, gladium Pauli, quem tibi cœlitus destinatum olim ipse detulerat, et ad dividendos Ecclesiæ inimicos habendum tradiderat. Et quamvis prior tua pontificalis potestas non absque vigore evangelicæ disciplinæ administrata sit, non tamen eam aut gladio, aut persona præsidentis præmonstrari oportuit, propterea quod neque virginem gladius decet, viros autem decet : neque mutando locum mutasti obsequium ; cum a virgine Matre Domini transires ad Apostolum Domini, a Wigracistra ad Lundoniam. Accingere ergo, bellator fortissime, accingere gladio potentiæ Dei, factus potens per eum qui supra femur quoque est potentissimus (*Psal.* XLIV, 4.) ad dimicandum adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI, 12). Divide illos qui per nefarium scelus illicito abutuntur matrimonio, nec te revocet ad inferenda ultione aut regalis potestas,

(43) Ejus mortem revocant ad annum 959, *Wintoniæ* in novo monasterio tumulatus est, teste Wilelmo in lib. II, De regibus Anglorum, cap. 7.

aut Romani pontificis singularis sublimitas. Da sententiam in populi seductores argentarios, et non prius ad sacrum altare die Pentecostes oblaturus procedas, quam et illos vindicta feriat, et populo Dei justitia proveniat. Ubique tuarum signa virtutum relinque, ubique Dominicæ crucis tropæa erige; promereberis etenim post modicum gladium Petri, in quo innumera, sicut Petrus, omnium generum animalia occides (*Act.* x, 13, 14), et in corpus Ecclesiæ manducando trajicies. Promereberis, inquam, gladium Petri, insignitum nomine omnipotentis Filii Dei, ut in omni Anglorum latitudine ligandi solvendique potestas per illum tibi augeatur, nec valeat in ovile intrare ovium, qui te ductore non ascenderit per ostium. Quam merito ostium horrei Dorobernia sonat, ut horreum sit amplitudo imperii Anglorum, ostium vero principatus Ecclesiæ Cantuariorum.

Odone mortuo, itemque Elfsino; Berthelino ejecto, Cantuariam transfertur.

32. Excessit ergo humanis rebus, deductus angelorum manibus ad paradisum princeps sacerdotum Odo, vir clarus sapientia, et virtute laudabilis, et nisi Dunstanus succederet, ab omni Anglorum orbe (44) semper deflendus. Post cujus obitum, cum rex Dunstanum adjuraret, ut princeps fieret sacerdotum, nec ille adjuranti ulla ratione assensum accommodaret, assistunt quidam, quorum manus Wentoniæ episcopus Elfsinus impleverat, postulantes confirmari illi summum sacerdotium. Hic enim et ante Odonem summum sacerdotium ambierat; sed custos Ecclesiæ suæ Christus ambitionem illius impediebat. Itaque rex eos qui muneribus pontificis corrupti fuerant, nihil suspiciens, et ob hoc simplici eos animo exaudiens, orbatam pastore Ecclesiam eidem tradidit gubernandam. Sed cum Romam profectus fuisset, ut pallium a sede apostolica susciperet, gravi inter Alpes frigore correptus misere interiit, digna sibi ultione divinitus recompensata; ui qui ab amore cœlestium friguisset in corde, per frigoris asperitatem periret in corpore, et qui alienos honores ambire præsumpsisset, ipse in aliena regione mortuus, honorem pariter et vitam amitteret. Iterum preces de archiepiscopatu Dunstano funduntur, nec quidquam in animo illius confessionis operantur. Quapropter deligitur ad patriarchatum Cantuariensis Ecclesiæ Berthelinus Dorsacensium episcopus, homo mansuetior quam industrior, et qui suæ magis quam alienæ vitæ nosset consulere. Is post paucos suscepti pontificatus dies, cognitus quod ad tantam rem minus esset idoneus, jussus a rege et omni populo, Cantuaria discedit, atque ad relictam nuper Ecclesiam suam non sine verecundia redit. Dominus namque agebat pro Dunstano, ut impleret verbum suum, quod promiserat in manu principum regni sui. Advertens autem rex Edgarus horum reprobationem, melioris esse vocationem, solumque in omnibus hominibus esse Dunstanum, cui nemo conferri, imo omnibus posset præferri, tertio illum precibus fatigatum, tandemque cum sui ipsius, tum omnium episcoporum importunitate superatum, primæ metropolis Anglorum primatem ac patriarcham instituit (45). Quem statim ob robur apostolicæ fidei vel auctoritatis ad Romuleam urbem profectum, Romanus pontifex (46) videre promeruit, cumque sacris pontificalibus decoratum, quasi angelum Domini exercituum, ad exibendam divinæ legis scientiam, aut quasi columnam lucis ad illuminandam faciem terræ, genti Anglorum transmisit. Ecce quemadmodum impleta sunt, quæ per gladium verbo Dei inscriptum, ac beata principis apostolorum Petri legatione exhibitum, tanto ante prænuntiata fuerunt. Sed quid sibi vult quod de manu tertii apostoli tertium gladium acceperit, cum in ecclesia quæ sub ejus nomine apud Rovecistram venerabilis habetur, pontifex nequaquam sederit? Sedit plane potestate, etsi non corporali sessione; sedit, inquam potestate, imperio sedit, defensione sedit, beneficiis sedit.

Columba inter sacra illustratur. Aquam ex rupe elicit.

33. Sed ne virtutum illius gratia urbs Cantuaria esset privata, aut augmentum suscepti honoris diminutio præteritæ videretur fuisse virtutis, dignatus est Spiritus sanctus novis quibusdam gratiæ suæ principiis ita virum in ecclesia Salvatoris clarificare, ut mirabilis ipse extra hominis naturam videretur esse. Nam, cum die adventus sui primo sacris altaribus assisteret, et populo Dei vivificum panem distribuendo porrigeret, repente contecta nube domo, columba in Jordane a Joanne olim visa iterum apparuit (*Luc.* III, 22), quæ quousque sacrificium esset consumptum super illum mansit. Cumque consumptum esset sacrificium, requievit supra memoriam beati Odonis, quæ ad australem partem altaris in modum pyramidis exstructa fuit: ex qua die ita pontifex meritum ejusdem hominis Dei reveritus est, ut nunquam pertransiret nisi genua flecteret, bonumque illum vocaret, ita dicens: Hic requiescit Odo bonus.

34. Per idem tempus quidam magnus videlicet et potens Salvatori ædiculam instituit; ad quam sacrandam, et jure proprio possidendam venerabilis pontifex Dunstanus invitatus accessit. Ubi cum ad ministerium dedicationis aqua defuisset, ac per hoc

(44) Huc pertinent Willelmi verba in Odone. « Quantulum autem est testimonium quod ei perhibet Osbernus, qui eum dicit pro sanctitate sua et industria ab omni Anglorum orbe semper deflendum nisi Dunstanus successisset. »

(45) Anno 961 Odonem mortuum, et Dunstanum ei subrogatum fuisse docet Chronologia Saxonica, quam aliis auctoribus iu Odonis Actis prætulimus. De pallio actum supra in Observatione 12.

(46) B. addit Dunstano commeatum ob nimiam victualium erogationem, in itinere defecisse, sed murmurante procuratore, abbatem quemdam subvenisse.

invitatori verecundia accessisset, ad vocem viri, quam per naturam non habuit, per gratiam Dei arida rupes aquam profudit quæ de eadem rupe usque hodie manans (47), ac salutiferum fidelibus poculum præbens, Dunstani nomen celebre facit.

Angliæ statum reformat. Codices emendat.

Dunstanus igitur candida apostolatus sui stola a Romano, ut diximus, pontifice infulatus, et universæ Anglorum genti, necnon et aliis regionibus Anglorum regno suppositis patriarcha destinatus, festinabat singulas regionis digredi civitates, ut si quibus nomen fidei incognitum fuisset prædicaret, et domesticos fidei Apostolica traditione ad bonum opus instrueret. Nec facile erat quempiam auditorum ejus non esse docibilem, propterea quod tanta illi rerum subtilitas inerat, tanta dicendi facultas, ut nihil esset aut inventu sapientius, aut dictu ornatius, aut auditu jocundius. Cum autem a forinsecis rebus requies data fuisset, tunc conjunctius cum Deo manere, sacris vigiliis insistendo, divinas Scripturas legendo, aut earum codices emendando; summumque studium erat ut nunquam a divinis operibus vacaret. Sed nunc verum judicium inter virum et virum discernere, nunc impacatas hominum mentes placido sermone tranquillare, horum inepta dissolvere conjugia (48), illorum hæreticam refutare opinionem; hic neglecta renovare, illic nova construere; neque superfluas ædificationes aut aggredi, aut necessarias prætermittere; viduis, orphanis ac peregrinis ex justis ecclesiæ redditibus subvenire; pecuniam non lucri æstimatione, sed pietatis acquisitione habere; totam operam suam patriæ impendere, et magis repellere ejus excidia, quam propria pericula. Proinde rex consilio ejus, ut vitæ suæ credens, et omne quod ab eo diceretur, quasi ab Omnipotentis ore prolatum fuisset suscipiens, quæcunque statuenda erant statuit, quæcunque damnanda damnavit. Hoc consiliario omnes diabolicæ malignitatis ministros, fures, sacrilegos, perjuros, fidei violatores, veneficii compositores, libidinis appetitores; ad hoc quicunque contra patriam conspirassent, qui in parentes manus extendissent, mulieres etiam quæ adulterina fraude viros suos interfecissent, postremo omnes quos irato Deo vivere sciebat, ex omnibus regni sui finibus proturbatos, diuturno aut perpetuo relegavit exsilio. Hujus quoque consilio omnes ecclesiarum ministros, qui spreto professionis suæ mintsterio, aut venandi studio intenti (49), aut quæstuosis negotiis dediti, seu concumbendi insolentia deturpati, ætatem agere solebant; omdes hos aut districta animadversione decrevit coercendos, aut cita subversione de eccle-

A siis expellendos. Ex quo factum est ut quarumdam clarissimarum ministri ecclesiarum, dum in eligendo quodcumque deliberarent, voluptatem honestati præferrent, regali sanctione de eisdem ecclesiis expulsi (50), melioribus se et alterius Ordinis hominibus sua loca relinquerent. Propter hæc igitur sanctissimæ instituta disciplinæ tantus in regno Anglorum divinitatis cultus excrevit, ut et nobilissimi quique, atque in sæculo potentissimi, spretis omnibus mundi pompis, ad divina confugerent servitia; et hi quos ecclesiasticus Ordo admiserat, de virtute contenderent, scientes neminem ad honorem posse pertingere, quem non virtutum merita juvarent. Ob hujus quoque disciplinæ excellentiam, tanta pacis constantia, tanta rerum exstitit opulentia, ut
B omnia mundi elementa, ipsum quoque elementorum creatorem Deum regiis temporibus arridere putares. Sic pontificis sapientia dictabat regis justitiam; regis justitia obtinuit Dei misericordiam: Dei autem misericordia omnium rerum præstitit abundantiam.

Regem ob violatam virginem septenni pœnitentiæ addicit.

35. Sed hæc communia totius Ecclesiæ gaudia cupiens disturbare malignus, accendit animum Christianissimi regis in amorem Deo devotæ virginis (51), ut, quem a tramite justitiæ Dunstanum dejicere non potuisset, eum, quem præcipue Dunstanus diligebat et super quem totius religionis vigor incumbebat, dejicere tentaret. Perpetrato itaque in virginem velatam peccato atque ad publicam populi
C audientiam perlato, Dunstanus tam pro culpa quam pro infamia regis, gravissimo dolore affectus, mox illum veluti alterum David cum Bethsabee dormientem, alter ille, sed longe severior Nathan, intrepidus adiit, furibundus ad eum introiit. Assurgens autem rex venienti obviam pontifici extendit manum, ut eum ad regium deduceret thronum. Qui renuens manum dare, oculos cum quadam animi indignatione in illum torsit, et ait: Tu pontificis manum audes contingere, qui virginem Deitatis munere arratam non timuisti præripere? Sponsam Conditoris tui adulterasti, et amicum sponsi aliqno tuo obsequio existimas posse placari? Nolo amicus esse cui Christus fuerit inimicus. Territus ergo verborum tonitruo rex, objurgantis se pedibus pontificis pro-
D sternitur, extemplo scelus flebiliter fatetur, veniam humiliter precatur. Quot ut vidit prontifex, expavit, perfusumque regem lacrymis, lacrymis et ipse madens, tellure levavit. Deinde, cum magnitudinem peccati per amplificationem exposuisset, et paratum illum ad omnem satisfactionem reddidisset, septen-

(47) Idem asserit Willelmus Malmesburiensis, « perennes rivos deducit ad hanc diem. »

(48) Quid in comitem egerit, qui illicito conjugio addictus erat, vide Osberti fragmenta infra.

(49) Venationem die Dominica etiam regi interdixit Dunstanus ex Osberto infra.

(50) Chronologia Saxonica anno 964. « Hic Eadgarus rex sacerdotes civitatis, scilicet Wintoniensis, expulit de veteri et novo monasterio, et de Chaterica, et de Middeltuna, et cum monachis constituit: et Ethelgarum abbatem in abbatem novi monasterii constituit, et Ordbyrhtum Chatericæ et Cynewardum Middelunæ. » Lege Acta S. Ethelwoldi episcopi Wintoniensis supra.

(51) De hac virgine lege Osbertum in Appendice hujus Vitæ.

nem ei pœnitentiam indixit, ut in toto hoc spatio coronam regni non gestaret, jejunium in hebdomada biduale transigeret, avitos pauperibus thesauros large dispergeret; super hæc sacrandis Deo virginibus monasterium aliquod fundaret, quatenus qui unam per peccatum Deo virginem abstulit, et plures ei per plura sæculi volumina aggregaret; clericos etiam male actionales de ecclesiis propelleret, monachorum agmina introduceret; justas denique acceptas legum rationes sanciret, sanctas conscriberet, conscriptas per omnes fines imperii sui populis custodiendas mandaret. Nihil ergo residuum erat quod minus aut segnius rex impleret quam a rectore vitæ suæ præceptum fuisset. Septimo autem anno, cum redeunte quasi jubilæo termino, pœnitentiæ tempus exactum fuisset, sacer pontifex, accitis omnibus imperii Anglorum principibus, episcopis, abbatibus et universis Ecclesiæ dignitatis ordinibus, imposuit regi coronam coram omni multitudine populi Anglorum, lætantibus cunctis, et ineffabilibus jubilationis vocibus Deum in Dunstano laudantibus.

Clericorum ejectorum querelas refringit.

36. Interea tanta clericalis ordo quibusdam in locis confusione agebatur, ut non solum a vita sæcularium excellentius nihil haberet, verum etiam improbis actibus longe inferior jaceret. Qua de re pastores ecclesiarum turbati, Dunstanum ut proprium primatem adeunt, res male gestas exponunt, correctionis consilia perquirunt. At ille in homines nefandos suæ auctoritatis proferens sententiam : Aut canonice, inquit, est vivendum, aut ecclesiis exeundum. Ex quo factum est ut compluríum ecclesiarum clerici, dum contemnerent proposita conditione corrigi, auctoritate pontificis sint expulsi. Qui, rege adito (52), vel quos regis gratia proximos effecerat, Dunstanum injuriarum accusant, se virtutis amatores pronuntiant, ut in præsentia regis conveniatur orant. Dunstanus itaque his quæ quasi rationabiliter postulabantur contraire nolens, coacto concilio Wentoniam venit, ubi ex sententia totius concilii de adversariis victoriam cepit. Cumque ex jure nihil sibi superesse conspicerent, usi auxilio regis et principum, ad preces se vertunt, quibus episcopum flagitant, quatenus intromissæ personæ de ecclesiis expellantur, expulsæ restituantur. Dubitante igitur viro Dei, nullumque ad rogata responsum porrigente, res mira et sæculis inaudita, ecce Dominici corporis forma vexilio crucis infixa, atque in editiore domus parte locata, humanos exprimens modos, omnium compescuit voces dicens : Absit hoc ut fiat. Ad quam vocem rex, omnesque majores natu fere usque ad exhalationem perterriti, clamore pariter et Dei laudatione aream complent. Et his quidem adversariis viventibus cessatum est a contentionibus, quousque per successionem filiorum prior discordia renovata est. Qui abeuntes, et iniquitatis suæ defensorem Beornelmum Scotorum pontificem assumentes, hominem videlicet tam ingenio quam loquacitate fere insuperabilem, ad hominem Dei in villam, quæ vocatur Kalne, tendunt, turgenti spiritu scandalum proponunt. Dunstanus autem longo quidem senio et magnis Ecclesiæ laboribus effractus, jam præter orationem post tergum omnia posuerat. Attamen ne pars iniqua divino quondam miraculo victa, nunc de adipiscenda gloriaretur victoria, hoc in hostes responsionis jaculum vibrat. Quoniam, inquit, tanto tempore elapso calumniæ ansam non prætendistis, nunc autem senescentem me ac taciturnitati operam dantem, antiquis querelis deservire contenditis; fateor, vincere vos nolo, Ecclesiæ suæ causam Christo judici committo. Dixit, et quod dixit, irati Dei censura firmavit. Mox etenim concussa domus, cœnaculum sub pedibus solutum, hostes solo præcipitati ac ruentium trabium pondere oppressi; ubi vero cum suis sanctus accubitabat, ibi nulla ruinæ suffusio fiebat.

Regum obitus. Regni mutatio prædicta,

37. At rex Edgarus immatura morte præreptus, Edwardum filium suum et regni, et morum hæredem reliquit; in cujus electione dum quidam principes palatini acquiescere nollent, Dunstanus arrepto crucis vexillo, quod præ se ex more ferebatur, in medio constitit, Edwardum illis ostendit, elegit, sacravit, patrisque ac magistri affectum quoad vixit, ei impendit : versumque in gaudium est omnibus quod paulo ante triste putaverant, existimantes juvenem regem inhumanum futurum, consilia sapientum non curaturum, sed pro libidine omnia acturum; sed postquam secus esse cognovere, secus et ipsi rem tenuere, et displicuisse sibi regem vehementer displicuit. Sed illo post trienni tempus novercali fraude occiso (53), Ethelredus frater ejus regnandi sceptra obtinuit. Quæ res quamvis infesto fieret Dunstano, vel quia per effusionem sanguinis innocentem ad regnum perveniret, vel quia parum prudentiæ ac fortitudinis illi inesset, non erat tamen consilium resistere, propterea quod filius regis et proximus tunc hæres videretur esse. Attamen in die consecrationis suæ, post impositam coronam, fertur Dunstanus hoc illi prædixisse : Quoniam aspirasti ad

(53) Wintoniensibus canonicis quid hac in causa acciderit, lege Osbertum. Willelmus rem describit in lib. II De regibus Anglorum, cap 9, ubi ait, Elferium quemdam « omnia pene monasteria, quæ reverentissimus Ethelwoldus monachus et Wentanus episcopus construxerat in provincia Merciorum, » insolenter evertisse ut Dunstano insultaret. Concilium Wintoniense ad annum 970 revocat Baronius, idque generale totius Angliæ dicit, et quidem jussu Joannis papæ XIII convocatum; id quod ex actis sancti Oswaldi probat, de quo infra. Circa idem tempus Dunstanus variis diplomatibus pro cœnobio Crulandensi subscribit apud Ingulfum.

(53) Elfreda vocatur a Willelmo, qui in lib. II De pontificibus cap. 8, ait Elfridam uxorem regis Edgari ædificasse monasterium Varevellæ in honore sanctæ crucis, « compunctam privigni sui Edwardi nece indigna, cujus ipsa conscia et auctor fuit. » Joannes Bromtonus tradit Dunstanum ante decessum suum absolvisse Alfridam reginam, « quæ postea, inquit, cunctis diebus vitæ suæ in castitate vivens, vitam in Domino feliciter finivit. »

regnum per mortem fratris tui, quem occidit ignominiosa mater tua, non deficiet gladius de domo tua sæviens in te omnibus diebus vitæ tuæ, interficiens de semine tuo, quousque regnum tuum transferatur in regnum (54) alienum, cujus ritum et linguam gens, cui præsides, non novit. Nec expiabitur, nisi longa vindicta, peccatum tuum, et peccatum matris tuæ, et peccatum virorum qui interfuere consilio illius nequam.

Athelwoldi et aliorum mortes prænuntiatæ.

38. His temporibus contigit Athelwoldum (55) Wentanæ Ecclesiæ antistitem cum alio quodam Rofensi episcopo Cantuariam venire, magnumque Dunstano de adventu suo gaudium præstare, propterea quod ejus cura alti, docti, ac per varias virtutum disciplinas ad summos Ecclesiæ honores fuissent provecti. Plerisque ergo diebus in mutua sermocinatione simul et exultatione peractis, egreditur archiepiscopus de civitate volens ad locum Christi ecclesiæ Mansionarium proficisci. Illi vero comitabantur deducentes eum, quousque illos via dirimeret, quæ unumquemque ab altero separatum ad locum quo ire disponebat dirigeret. Cumque imminente jam vespera procul adhuc a loco jam distarent (tardiuscule enim quam hora postulabat de urbe exierant), deprecatur archiepiscopum Rofensis antistes, ut ad vicinum ecclesiæ suæ patrimonium divertat, nocturnum tempus secum transigat, mane vero, si ita placuerit, migrationem faciat. Cui ille postulationi dignanter annuens, ait : Si confrater noster Athelwoldus mecum venire voluerit, in me nulla veniendi mora erit. Assentiunt ergo pontifices in eodem, pariterque paratum sibi habitaculum subeunt. Jam aurea lux noctis fugaverat umbras, cum beati illi in viam progressi collem ascendunt, inde ab invicem vicaria pacis relatione dividendi. Extendens autem manum summus Dei sacerdos, ut coessentes secum minores pontifices benediceret atque dimitteret, extemplo erupit in fletum, fletum adeo magnum, ut vix de sancto pectore vocem valeret efferre. Expavescunt ad factum pontifices insolitum, fletuum causas solliciti perquirunt, et post modicum hoc ad quæsita responsum accipiunt. Ea, inquit, re fleo, quoniam vos in proximo morituros scio. Cumque illi referrent : Noli, sanctissime Pater, tam dira nobis prophetia occurrere; non enim moriemur, sed iterum atque iterum pariter nos incolumes videbimus. Tali quod dixerat responsione firmabat : Quod dixi necesse fieri. Moriemini namque huic sæculo, sed vivetis Deo : moriemini in hac vita diutius non mansuri, sed ad Deum vadetis æternaliter cum illo victuri. Divertunt ergo pontificem ab invicem mœrentes pro invicem, magis tamen pro se quisque pio timore sollicitus. Sed Rofensis episcopus abiens in civitatem suam, mox ut intravit vehementer ægrotavit, postque paucos dies, prout A veriloquus prædixerat vates, e sæculo migravit. Athelwoldus vero priusquam ad propriæ sedis urbem veniret, ultimo corporis languore correptus, cœlestis sedis habitationem suscepit. Super cujus morte venerabilis Pater admodum contristatus, sive quod sanctissimæ semper religionis fuerit, seu quod magnam de substituendo sacerdote litis occasionem viventibus dereliquerit, deprecatus est Dominum desertæ Ecclesiæ benignum fore provisorem. Cui mox deprecanti assistit familiaris suus Andreas apostolus, precibus ejus Deum dicit annuere. Bathensem abbatem, nomine Elfegum, monet adducendum, et ex divinitatis consilio Wentanæ Ecclesiæ antistitem præficiendum. Ita quidquid rerum ipse desiderasset, per interpretem apostolum confestim a B Deo consequebatur. Sed et ille vicem honoris apostolo persolvens, in omni obsequio illi studebat deferre, basilicas in ejus nomine fabricare, fabricatas muneribus decorare.

Rofensis obsidio. Regis avaritia punita.

39. Dum ergo quodam tempore præfatus rex propter quasdam dissensiones civitatem obsideret Rofensem, et facta capiendi illam difficultate, patrimonium beati apostoli devastando invaderet; mandavit eidem beatissimus pontifex ab stultitia quiescere Andream sicut ad præstandum facilem, sic ad ulciscendum virilem in promptu esse, ut potentiam illius ipse experiatur, si hæreditatem illius vexare non destiterit. Contemptus a Rege Dunstanus iterum currentibus nuntiis eadem suggerit, insuper argenti C pondo centum transmittit; qui accipiens recessit ab obsidione. Quod simul atque pontifici renuntiatum fuisset, miratus cupiditatem hominis, hoc illi scribere curavit : Quoniam prætulisti pecuniam Deo, argentum apostolo, meæ voluntati tuam cupiditatem, velociter venient super te quæ locutus est Dominus mala, qualia non fuerunt ex quo gens Anglorum regnare cœpit usque ad tempus illud. Attamen vivente me ista non erunt, quoniam et hoc locutus est Dominus. Quæ omnia ita contigisse, et in annalibus legere, et nostris temporibus est videre.

Matrem suam in cœlis videt, et beatam Mariam.

40. Sed, ut jam beatum illum, de quo loquimur, fidentius pro obsequio alloquamur, et sic ad felicem ejus transitum madentibus oculis transeamus; quan- D tæ illud contemplationis est, Pater mirabilis, Pater inæstimabilis, quantæ illud contemplationis est, quam excedens omnium mortalium mentes, quod vel Dei Genitricem in hac mortali vita, vel tuam genitricem in æterna videbas vita! In cœlum namque deducebaris, intereras beatis agminibus, illis oblectabaris modulationibus angelorum eamdem genitricem tuam quasi nuptiali thalamo æterno Regi copulantium, et suave *Kyrie eleison* (56) modulantibus organis resonantium. Cumque de tuæ taciturnitatis

(54) Id factum tempore Danorum paulo post obitum Dunstani, ex ejus translatione infra.

(55) Ejus vitam retulimus supra ad annum 984.

quo ejus obitum reponit Chronologia Saxonica.

(56) Id accidisse *in ædicula almi Patris Augustini* scribit B.

silentio argueretis, quod inter tanta vitæ æternæ gaudia solus tu a divinis laudibus cessares, cum præcipua tibi pro honore parentis gaudendum fuisset, referreque hujus tantæ suavitatis inscium te esse; quam breviter, quamque dulciter a civibus civitatis illius edoctus in has voces cantando erupisti : *O Rex Dominator gentium, salva genus Christianorum in terra adhuc peregrinantium, ut et ipsi post inimicitias ad gratiam revertantur, et angelicæ ruinæ per illos damna reparentur.* Jam vero quibus exsultationis labiis edicam quod Matrem Domini Salvatoris. Reginam mundi, Dominam angelorum, virgineis oculis vidisti, non vestali choro circumdatam, sed virginali corona circumfusam! Felices oculi tui qui illam videre potuerunt, cujus castissima viscera cœli et terræ Opificem portare meruerunt! felices oculi tui, quibus datum est illam videre, quam speciosam super filias Jerusalem angeli venerantur, homines desiderant, pavescit tartarus, et omnis creatura heram miratur. Nec inde solummodo felix, quod illud singulare totius orbis decus videre potuisti; potuisti etiam mellifluas ejus voces audire, quibus socias virgines ad collaudandum Regem sæculorum ex sua carne temporaliter procreatum hortabatur, concinens illud viri sapientis ac senatoris Sedulii :

> Cantemus Domino, sociæ, cantemus honorem.
> Dulcis amor Christi personet ore pio.

Cumque ab aliis virginibus hoc fuisset exceptum, aliæ qui sequuntur versus pronuntiabant.

> Primus ad ima ruit magna de luce superbus;
> Sic homo cum tumuit, primus ad ima ruit.
> Unius ob meritum cuncti periere minores :
> Cuncti salvantur unius ob meritum.
> Sola fuit mulier, patuit qua janua lethi;
> Ex qua vita redit, sola fuit mulier.

Atque in hunc modum totius carminis bini ac bini versus procurrebant, illis semper repetitis qui primi a Matre Domini dicebantur.

> Cantemus Domino, sociæ, cantemus honorem,
> Dulcis amor Christi personet ore pio.

Auctoris apostrophe.

Hæc tu, pontificum dignissime, acutissima vi corporalium oculorum in spiritualem potentiam translatorum videre potuisti; hæc tu, intime cœlestium arcanorum perscrutator, audire potuisti; his tantis tamque stupendis rebus interesse potuisti. O sancta animi tui puritas, et pura sanctitas, quam sic honorat supernæ civitatis suprema dignitas! o decus ac præmium virginitatis, qui sic aggaudet naturæ virgineæ simul atque angelicæ dignitati! Sed ecce supra vires viventium est viventis tui in corpore laudibus immorari; quanto minus transeuntis tui, et cum Christo æternaliter regnantis condignas laudes valebimus effari. Præstet omnipotenss Deus per potentis mira merita tua, ut vel finem vitæ tuæ, quantulumcumque laudabili valeamus sermone describere : quatenus quem semper nobiscum corporaliter viventem non licuit habere, liceat saltem ex consideratione pretiosissimæ mortis sempiternam tui vitam agnoscere, agnoscendo diligere, et diligendo beatæ mercedis aliquid per te piissimum Patrem a Deo obtinere. Discant interim devoti tantorum mirabilium auditores exemplo tui sobrie vivere, sacras frequenter excubias celebrare, castis orationibus inservire, quoniam et tu idcirco talibus tantisque gaudiis interesse meruisti, quod aliis dormientibus ipse in sanctis desideriis vigilasti, orasti, horamque ultimam sine intermissione cogitasti. Nec tamen sufficiens erat in secreto cubiculi tui ista operari, nisi etiam nocturnis frigoribus ædem beati Patris Augustini (57) frequentares, et inde ad vicinum præfatæ virginis templum hunc gloriam Dei visurus procederes.

Prænuntia dantur de morte Dunstani.

41. Anno igitur Verbi incarnati duodecim minus a millesimo, adventus Anglorum in Britanniam quingentesimo sexagesimo tertio, sanctissimus, Deoque dilectissimus Dunstanus transitoriam præsentis vitæ deserens lucem, ad lucem beata atque æterna jucunditate præditam pervenit, ubi sicut sol ex claritate Dei resplendet, et diem æternum æternaliter possidet, anno patriarchatus sui tricesimo tertio (58), nativitatis autem circiter septuagesimo, cum jam esset omni virtutum charismate plenus, et Deum videndi desiderio fatigatus. Cujus venerabilis transitus tam a se, quam ab aliis multiplici revelatione præscitus, sibi gaudium, aliis gravem ingessit mœrorem : sibi gaudium, quoniam quod per spem in vita jucundius habebat, id per rem se visurum, et eo perpetuo fruiturum gaudebat; cæteris mœrorem, quoniam qui similiter divinis et humanis rationibus excelleret, neminem deinceps in terra appariturum existimabant. Sed nos multiplicium revelationum multimoda relatione postposita, eorum quæ proposuimus singula singulis tantum rationibus demonstrabimus. Dies ergo ascensione (59) Christi festivus diem clarificationis beati Dunstani præcessit tertius. Tantæ itaque diei surgente aurora, sacerdos quidam, nomine Algarus (*al.* Elfgarus), doctrinæ et actionis merito præcipuus, quem postea nobilem in Helmeham episcopum claruisse accepimus, dum sacros Dominicæ ascensioni honores in ecclesia Salvatoris pervigil impenderet, et mentem ad cœlestia contemplanda extenderet, seipso et omnibus hujus mundi rebus transcensis, Dunstanum pontificali throno conspicit præsidentem, et clero jura canonica dictantem; et ecce per omnes ecclesiæ januas ir-

(57) Recte animum Dunstani obitus signat Osbernus, nempe 988. Sed falsus est hic, ut initio Vitæ, in assignando anno adventus Anglorum in Britanniam, qui non anno 428, ut ipse putavit, sed anno 448 accidit, teste Beda. Concordat dies Ascensionis hic notatus.

(58) Imo vicesimo septimo, ut legitur tum apud Willelmum, tum in historia ejus translationis infra. Odoni quippe Dunstanus successit anno 841 ex Chronologia Saxonica.

(59) Hæc verbatim refert Willelmus in lib. II De pontificibus Anglorum, cap. 2, ubi de episcopis Helmonensibus, inter quos quintum recenset Algarum, cujus sanctitatem ex hoc loco infert.

ruentium angelorum infinita ingrediuntur agmina, stolis candidissimis fulgentia, coronis aureis rutilantia, Cherubim atque Seraphim *Sanctus* proclamantia, et quasi divinum nuntium deferentia. Qui, dum coactis ordinibus sedenti astarent pontifici, hoc illi salutationis alloquium persolvunt. Salve, inquiunt, Dunstane noster, si paratus es, veni, et gratiosus nostro utere contubernio. Dunstanus respondit : Scitis, o sancti spiritus, hodie Christum cœlos conscendisse, nostrique officii esse tam verbo quam sacramento populum Dei reficere, ideoque venire hodie nequeo. Dixerant itaque sancti spiritus : Paratus esto die Sabbati hinc nobiscum Romam transire, et ante summum pontificem *Sanctus* æternaliter canere.

Ascensionis die festo verba facit ad populum vir sanctus. Mortem suam suis edicit.

42. Postquam ergo dies æternæ retributionis est indictus, et Dunstanus divina fide ad consentiendum inductus, confestim qui apparuerunt angeli disparuerunt. At sacerdos qui rerum tam evidens contemplator exstiterat, egitum earum stupidus simul et tacitus explorator observabat. Cumque inter sacrosancta ejusdem diei gaudia illa Evangelii lectio recitaretur, in qua Dominus noster Jesus Christus post resurrectionem suam discipulis apparuisse, et exprobata incrudelitate illorum atque duritia cordis, mandatum legitur dedisse, ut in toto mundo Evangelium regni prædicarent, fidem ac baptismum annuntiarent, salutem proponerent credentibus, non credentibus minarentur condemnationem ; cumque ad hæc confirmanda signorum illis faciendorum potestatem delegaret, dæmonum ejectionem, linguarum novitatem, tollere serpentes, mortiferæ potionis virus exstinguere, et super omnem ægritudinem salutiferam manuum impositionem (*Marc.* XXVI, 14-18). Cum ergo ista Evangelii lectio pronuntiaretur, et post hæc, quemadmodum videntibus illis quibus hæc potestas delegata est Christus in cœlum ascenderet (*Act.* I, 9), subjiceretur : processit pontifex de sacrario latius hæc eadem in populo tractaturus, et memoriam misericordiarum Dei cordibus eorum artius impressurus. Locutus est ergo qualiter nunquam fuerat antea locutus, ostendens qua ratione Filius Dei carnem induerit, cur humani generis salvationem non nisi moriendo compleverit, quemadmodum resurgens a mortuis mortis principem superaverit, et famulantibus angelis cœlum ingressus fuerit. Deinde sanguinem Christi incomparabiliter omnibus creaturis docuit esse præstantiorem; tantamque fiduciam in effusione sanguinis illius mundum habere posse, ut si unus aliquis totius mundi peccata haberet, neque de multitudine, neque de magnitudine criminum illi esset desperandum, si Mediatorem Dei et hominum haberet advocatum. Inter hæc felicia felicis sponsionis gaudia pontifex ad aram reducitur, transferens omnipotentissimis Domini verbis speciem panis et vini in veram substantiam carnis et sanguinis Christi. Jamque hora benedicendi populum advenerat, et iterata vice beatus ille ad populum procedebat, volens ille abscessum suum denuntiare, sed amore dulcedinis filiorum revocabatur. Proinde exhortatus est omnes, ut illuc tota mentis intentione tendant, quo caput nostrum principiumque Jesus Christus eadem die præcesserat : dataque super illos suæ auctoritatis benedictione, orabat Spiritum sanctum illis adesse quemadmodum Filius Dei promiserat, cum redeuntem illum ad Patrem cœlestis nubes suscipiebat. *Ego*, inquit, *mittam vobis Spiritum veritatis, ut maneat vobiscum in æternum* (*Joan.* XIV, 16). Cum his igitur disserendis beatissimus pontifex diutius immoratus fuisset, videbant faciem ejus tanquam faciem angeli Dei, ut vere ac visibiliter esset agnoscere, quod is quem invocabat Spiritus sanctus majestatis suæ præsentiam dignatus fuerit demonstrare. Volente autem illo ad altare converti, suspirabat populus post eum, desiderans adhuc desiderabiles vultus ejus videre, et colloquio perfrui, perinde quasi ejusdem Spiritus sancti magisterio edocti, quod illum ulterius in carne non essent visuri. Quibus in amore æternæ Trinitatis tertio confirmatis, post libatum pacis et charitatis suæ osculum, non valuit imminentem sibi gloriam diutius contegere, sed rogat ut sui memores existant, dicit vocationis suæ diem instare, nec se ulterius in hoc mundo cum illis manere. Tunc tantam luhentis populi videres confusionem tam permistam lacrymis cleri conclamationem, viduarum ac pupillorum miserabilem perturbationem, ut diem judicii adesse, et omnia sæcula in supremam horam coisse putares. Sacerdos etiam qui tam mirabilem in ecclesia ecstasim viderat, cognito quod non in imagine, sed in rerum veritate eamdem sustinuisset, palam omnibus, et cum magnis gemitibus quæ viderat absolvit. Quorum mœstitiam Pater pretiosissimus, prout potuit, benigne consolatus, ad altare rediit, susceptoque vitæ æternæ epulo, tam se quam omnes sibi commissos æterno Pastori consignavit.

Cibo reficitur, rapitur e terra. Orationem habet ad suos.

43. Inde refectionis domum lætabundus ingrediens, omnes ad se confluentes et cibo corporis et spiritualis vitæ alimonia saginavit. Post prandium vero vel magis ultimam cœnam, denuo cum fratribus, ecclesiam Christi ingreditur, signatoque sepulcri sui loco, omnibus ad altare Christi ascendentibus conspicuo cœnaculum pro modo æstivi temporis requieturus ascendit. Circumdat pausantem luctifica ecclesiæ familia, quæ sive metu sui, seu morte illius turbata, horrendos lacrymando questus insonuit. Quos illo sanctissimis ut semper rationibus fovente, atque ad spem futuri sæculi diligentius informante, conspiciunt virum invisibili quadam Dei virtute e terra moveri, motum ad suprema domui fastigia tolli. Hi autem qui paulo ante propinquiores astiterant, miraculi insolentia territi, relictis sedibus devolant omnes. Stant tamen innixi parieti-

bus, et macerarum liminibus de longe sursum aspicientes, exitum rei videre cupientes. Existimabant namque aut sicut Eliam cum carne eum transferendum, aut alio quovis et insolito modo ab eis tollendum. Sed mox ea qua subvectus fuerat suavitate depositus, convocat omnes qui fugam inierant, tali eos allocutione demulcens. « Vidistis, ait, filii, vidistis, charissimi, quo me Deus vocat, quo Dei ineffabilis misericordia invitat. Semita itineris mei præ oculis ostensa est vobis, ut nullus vestrum de præmio capiendi cœli diffidat, qui vitæ meæ diligens sectator exstiterit. Non erebi sedes animam meam tenebit, non fœda facies profunditatis animam meam tenebit, non ignis inexstinguibilis, et vermis non moriens animam meam tenebit. Sursum est quod amplector, sursum quo gradior Estote ergo vitæ imitatores, si itineris mei cupitis esse sectatores. Discite voluntatem Dei semper nosse, et, cum eam noveritis, nihil ei velitis præferre. Quod si ab ejus voluntate facienda quantulumcunque vos exorbitasse cognoveritis, statim ad deprecandam ejus clementiam convertimini, ne dum minorem quam oporteat reverentiam exhibueritis, non solum prævaricatores, verum etiam infideles judicemini. Nolite boni videri, sed esse, nec tam mali non videri, quam non esse. Hoc enim maximum inter homines malum est, quod omnes cupiunt boni videri et esse nolunt; nulli volunt mali videri, et nolunt non esse mali. Pacem semper sectamini, nec prius ab illa sectanda deficiatis, quam illam in cœlo apprehendatis. Atque, ut hanc efficaciter attingere valeatis, illum semper in animo dulcissimum habete, illi continuo gratias agite, illius præceptis humiliter obedite qui singulare pro omnibus sacrificium immolari voluit, in quo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliari omnia, in ipso pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis (*Col.* I, 19, 20). Prædico etiam vobis Anglorum gentem dira ac diuturna mala ab exteris gentibus esse passuram, sed in fine dierum miserationem Dei super eam stillaturam. Vobis autem commodum erit horum verborum reminisci, ut sive hæc ad peccatorum emendationem, seu ad perficiendam virtutem contigerint, animas vestras divinæ semper dispositioni subjiciatis, ne sicut mali filii diligatis blandientem; erudientem (quod a vobis remotum sit) contemnatis. Profecto nullius hominum vel tam grave supplicium, vel tam excellens est meritum, quo Dei omnipotentis visio, visio beatæ æternitatis, visio æternæ veritatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, valeat promereri. Magis autem si naturalem clementiæ suæ bonitatem Deus non attenderit, nihil homo patitur quod sibi justo Dei judicio ex sua culpa non debeatur.

Viaticum accipit, ab angelis in cœlum deducitur.

44. In his verbis sentit beatissimus Pater vires corporis paulatim deficere, cum spiritus ab integritate sui deficere nesciret. Ita namque facie serenus, sensu sobrius, docendi locutione assiduus, toto illo die ac sequenti feria sexta permanebat, ut quicunque se commendaturi, et benedictionem tanti Patris postulaturi advenissent, recreatos se, et multipliciter in amore divinitatis confirmatos assererent. Et jam promissæ beatitudinis Sabbatum illuxerat, jam tempus requiescendi ab omnibus laboribus suis Dunstano instabat, cum ecce multiplex filiorum caterva currit, filiorum quos ipse infra gremium matris Ecclesiæ tenerius nutrierat, atque ad excellentiorem spirituali gratiæ perfectionem adduxerat, clamoribus et nimiis ejulatibus queritans quod se derelictis recederet, nec illis liceret commori. At ille in manus Dei omnipotentis eos commendans, et gratiosa benedictione confirmans, jubet sanctæ communionis mysterium ante se celebrari. Quod cum protensis manibus de cœlesti mensa porrectum suscepisset, hac oratione Deo supplicare cœpit. Gloria tibi, omnipotens Pater, qui timentibus te Panem vitæ de cœlo dedisti, ut memores simus mirabilium tuorum, quæ in medio terræ operatus es, mittendo nobis Unigenitum tuum, verum hominem de vera Virgine natum. Tibi, sancte Pater, meritas referimus grates, qui et nos dum non eramus creasti, et dum peccatores essemus, hujus gratiæ participes effecisti per eumdem Filium tuum Deum, et Dominum nostrum, omnia tecum et Spiritu sancto facientem, gubernantem, et per infinita sæculorum sæcula regnantem. Inter quæ verba ex omnibus animæ medullis ad Deum quem semper desideraverat effusa, videt illos qui se ad cœleste convivium invitaverant beatos angelos assistentes, et cœleste illi obsequium præparantes. Quorum venerando cœtui felix anima illius gratulata, læta egreditur de habitaculo sanctissimi corporis, proficiscens cum illis ad contemplandam claritatem æterni Conditoris. Ecce quomodo honoratus est, quem Deus honore dignum judicavit! ecce quomodo in gaudium Domini sui intravit, qui in commissa sibi doctrinæ pecunia fidelis erogator exstitit! O viscera misericordiæ Dei, quæ sic semper dulcia expertus fuerat iste homo Dei! o cor viri ad voluntatem Dei semper parati; qui potuit dicere: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (*Psal.* LVI, 8)! Ecce nunc psallit in gloria sua illustratus lumine visionis gloriæ Dei.

Sepelitur.

45. Suscipiunt autem venerabiles Domini sacerdotes venerabile corpus summi sacerdotis, deferentes illud in basilicam magni basilei Domini Salvatoris, sub immenso murmure lugentium populorum feretrum densissime ambientium, facies suas dissecantium, palmis sese ferientium, atque amaris vocibus, Heu, heu! charissime pater, clamantium. Ibi in loco (60) quem ante biduum dictaverat, cum

(60) Osberto, « qui fuit ante gradus, quibus ad altare Domini Christi ascendebatur. »

omni diligentia sepultus, et post hæc eminentioris operis structura decenter opertus, flebilem simul et amabilem cunctis, sive in choro psallentibus, sive per gradus ad altare ascendentibus sui memoriam dereliquit. Flebilem ideo dixerim, quod ejus quotidie monumentum præ oculis haberent, cujus venerandos aspectus videre non possent. Amabilem, propterea quod licet ejus visibili præsentia carerent, invisibilem tamen et incorporeum ejus spiritum in cœlesti fide gaudere, et pro eis apud Deum misericordiam enixius orare sciebant.

Eventa post ejus mortem.

46. Post cujus mortem, si mors dicenda est cui vita æterna successit, ita omnes res contrarium motum sumpsere, ut Dunstani mortem omnia deflere, nec ejus absentiam se ferre posse viderentur. A summa quippe pace fit commutatio ad bellum intolerabile, ab immensa lætitia ad enormem tristitiam, ab omnium rerum abundantia ad omnium rerum indigentiam. Denique aer ipse immutatus est, naturales temporum vicissitudines dissidebant invicem ; cœlum non exaudivit tellurem, nec tellus ea quæ seminabantur, in ea hostilis incursio fœdam ubique faciem dereliquit, dum eorum irruptione urbes diruerentur, ecclesiæ spoliarentur, suffoderentur altaria, et sacerdotes Domini interficerentur. Ex quibus vir virtutum Elfegus, qui quartus erat a magno Dunstano Cantuariorum archiepiscopus, cum multam hostium multitudinem ad Christianam religionem convertisset, et eos quos ab infidelitatis errore convertere non posset, quotidiana invectione reprehenderet, tentus ab eisdem, post dirutam illius urbem, post cruentam innocentis populi cædem, post templi sacri exspoliationem simul et combustionem, vinctus adductus est, et per septem menses variis tormentorum cruciatibus vexatus, et post hæc omnia, eorumdem manibus lapidatus spiritum cum triumpho direxit ad cœlum. Sic ergo impleta sunt quæ vel de rerum prosperitate angeli Dunstano, vel de adversitate earum Dunstanus regi Athelredo prædixerunt, sed in his tam gravibus tumultuantis populi angustiis non defuit supernæ miseratio pietatis, quæ tanta coruscantis gratiæ prodigia ad memoriam illius ostendit, ut et reprobis terrori, et afflictis essent consolationi. Neque enim aliter cœlestis ejus spiritus operatus est, quam si in terram redivivo corpore suo quotidie veniret. Verum nos non omnia quæ de illo sunt propter infinitatem dicere poterimus ; nec ab omnibus abstinendum putamus, ne nulla esse videantur quæ dicamus. Et quædam quidem de libris miraculorum ejus qui nunc minime supersunt excerpsimus ; quædam vero nostra ætate, aut in alios facta vidimus, aut in nos patrata ipsi experti sumus. Sed hic libelli hujus fit finis, ut quod intendimus ab alio principio sumi possit.

Justus homo, nudus vitio, sedes subit almas,
  Ex quibus expulsam se dolet atra cohors.
Iste polum petit, illa rogum stygis ardua moles
  Deserit, atque levis gleba natare solet.
Mansio diversa, diversaque præmia, quantum
  Ortus solaris distat ab occiduis.
Imperat huic Agnus circumdatus agmine læto :
  Illi cum prava pluto cohorte præest
Uritur illa gelu, nive, grandine perpetuali :
  Vernos ista dies mansio semper habet.
Hæc generosa duce jucundo cive decora,
  Carmine festiva, pace quieta jugi.
Tu venerande piis mistus, Dunstane, catervis,
  Exerces hilares hac regione jocos.
Quanti sis meriti, plebs indicat astricolarum,
  Quæ famulata tuam vexit ad astra animam.

.INCIPIT LIBER MIRACULORUM EJUSDEM

Auctore eodem Osberno monacho.

Auctor fidem a lectoribus exigit.

1. Diximus in superiori libello, quibus parentibus venerabilis pater Dunstanus ortus claruerit, quorum regum tempora nobilitaverit, quos processus virtutum habuerit, et quemadmodum ad cœlestia regna gloriosus migraverit. Nunc autem propositum habemus ea narrare, quæ post depositionem corporalis sarcinæ felix spiritus ejus in hoc sæculo dignatus est operari, ut omnes futuri temporis Angligenæ populi agnoscant, quid tanti nominis viro honoris ac reverentiæ debeant. Verum quoniam eorum quæ scribenda sunt, pleraque ac fere omnia nostris temporibus facta cognovimus ; pauca vero aliis quidem temporibus facta, sed nobis verissima verissimorum virorum relatione exposita accepimus : hac ratione omnes qui hæc dignabuntur legere, ad credendum invitamus, ut sicuti sibi credi volent, si forte aliqua suis temporibus facta scribere voluerint, ita nobis credant, cum audierint ea narrari, quæ a nobis potuere videri. Quam enim de se veri æstimationem a sequentibus haberi velint, eam recte præcedentibus concedere debent. Quod si nulla quæ scribi debeant, suis temporibus fieri contingant, non ideo non statim falsitatis arguant, quasi quod alio tempore occulta Dei providentia non fit, alio tempore pro corrigendis vel corripiendis hominibus fieri non possit, cum semper opportunitatem rerum et temporum exigat gratia miraculorum. Num enim idcirco minus credendum est principem apostolorum Petrum ad portam templi speciosam claudum sanasse, quod nostris temporibus istud non fecerit, aut ideo beatus evangelista Joannes venenum sine læsione

non bibit, et qui veneno deperierant non resuscitavit, quod ista nescio quis impostor et calumniator non viderit; quasi si quis nauclerum, vel aurigam laudari audierit, quod hic navim in procella gnaviter regere, ille equos artificio sciat in cursum dirigere, supra humanam naturam hoc esse consideret, ideo quod ille fieri non posse credit. Non itaque hoc admittendum, sed quod unaquæque res in tempore suo ordinem spectet credendum. Dignentur ergo credere qui hæc dignabuntur legere, ut quemadmodum merito fidei nostræ qua credebamus, vera esse quæ non videramus, actum esse ut aliqua videre possemus: ita illi præmium fidei habeant quandoque videre posse, quod narrantibus nobis indubitata fide potuerunt credere. Jam ad proposita transibimus, et quo ordine quæque res acta, quantum possumus, breviter ac dilucide narrabimus.

Cæcus videt.

2. Vicus est urbi Cantuariæ vicinus, *Leoham* ab incolis dictus. Hunc quidam vir inhabitabat, quem longa oculorum cæcitas gravabat. Admonitus ergo in somnis est, ut patrem patriæ Dunstanum adeat, commissa mala deplangat, futurum esse ut amissum lumen per eum recipiat. Narrat suis homo quæ viderat; favebant, et auctores illi itineris procurabant. Ingreditur itaque cæcus ecclesiam Christi, orat sibi pernoctandi ibidem licentiam dari: Tale, inquiens, præceptum suscepi. Sequenti vero et media nocte cœpit et tumulo viri Dei omne genus odoramentorum sentiri, et cæcus interim gravissimis oculorum punctionibus gravissime torqueri. Clamavit itaque fortiter, sanatus est mirabiliter, laudavit Deum, et Dunstanum hilariter.

Item tres cæcæ.

3. Tres etiam mulieres in una domo commanebant, simili ex longo tempore cæcitate percussæ, et onere paupertatis oppressæ. Has magnus ille Dunstanus, dum in corpore vixisset, inter cæteros Ecclesiæ stipendiarios pauperes alere solebat. Quæ accepto rumore patrati miraculi alternis se hortabantur sermonibus. Quid hinc, inquiunt, sedimus, quæ patrem vitæ nostræ reviviscere audimus? eamus ad illum, calamitatem deploremus, auxilium flagitemus. Qui nostrpm suevit depellere paupertatem, dignabitur corporis nostri profligare cæcitatem: compatietur fame morituris, ut reddita luce gratiam præstet pauperculis, operibus manuum suarum deinceps victuris. Dixerunt, et rectore baculo viam quæ ducit ad civitatem pergere cœperunt. Cumque ad portam ecclesiæ venissent, junctis ad invicem manibus ingressæ sunt, procidentesque ante memoriam viri, hac mœrorem supplicatione depromunt: Pater sanctæ, pater serene, ad has tuæ misericordiæ stipendiarias intende, ut aut solito more victum eis tribuas, aut lumen oculorum per quod vitam transigere possint restituas. Et iterum dixerunt: Piissime, potentissime, his tuis misellulis miserere. Sic oraverunt, et inter orandum clare viderunt, magnumque gaudium populo præstiterunt.

Sacerdos paralyticus curatur. Ingratus recidit in morbum et exspirat.

4. Sacerdos quidam, Folcaniensium præpositus, nomine Ceowlfus, vir locuples valde erat, multaque nobilitate inter suos pollebat. Hic per multos annos ita omnium membrorum paralysi dissolutus fuerat, ut neque vicinas possessiones adire, neque ecclesiæ limina contingere, nisi in grabato deportatus, valeret. Suasus itaque ab intimis suis, ut ad memoriam domni Dunstani miserum cadaver sineret transferri, primo quidem verecundia distulit homo dives, dedignans consortium paupertatis, ex omnibus locis propter spem recuperandæ salutis illuc confluentis. Sed cum jam præ doloris magnitudine sibi ipsi esset intolerabilis, jussit feretralem equorum lateribus machinam coaptari, seque in ea positum ad ecclesiæ januas, ubi memoratus sanctus requiescit, pertrahi. Ibi clientium suorum humeris sustentatus intro illatus est, prosequente illum non parva multitudine agnatorum, flebilibus vocibus Dunstani nomen invocantium. Secunda autem die factus in agonia ægrotus sensit quasi manum hominis per totum corpus discurrentem, omnesque totius corporis nervos distinguentem. Inde vociferans et terra exsiliit, in pedibus suis constitit, et restituta ad integrum sanitate exclamare cœpit: Benedictus Filius Dei viventis in bono servo suo Dunstano, et benedictus bonus servus ejus Dunstanus in illo. Vere pius, vere omnipotens Christus, qui servos tam potentes tantaque pietate præditos habet. Mox hymnis et laudibus devotissime Domino persolutis, qui alienis manibus fuerat deportatus, suis pedibus cucurrit, equum ascendit, et cum omni comitatu gaudens et hilaris recessit. Sed post paucos dies facto convivio in domo sua, convocavit omnes amicos et notos, ut sibi de adepta sanitate congauderent, et congratularentur. Cumque in magno gaudio convivarentur, cœperunt Deum laudare et glorificare, qui cum sit potens, potentem non abjecerit, sed cum pauperibus suis pœnitentiæ ei spatia concesserit. Super quo ille indignatus respondit: Num me inter cæteros pauperes computatis, quia inter eos sanatum asseritis? Non ita est, quoniam etsi Dunstanus non fuisset, ita mihi contigisset. Ad hanc vocem toto corpore intremuit, itaque uno momento eadem, quæ illum dimiserat, infirmitate percussus est, ut nihil in omnibus membris esset, quod de hac percussione intactum remanseret. Vociferabatur ergo talis miserabiliter, et post paululum exspirabat infeliciter.

Invalido sanitas redditur.

5. Ex illo die multus timor, multaque circa sanctum Dei veneratio excrevit, restitutis ad integram sanitatis perfectionem nunc unis, nunc pluribus per singulos dies ægrotis, ex diversarum regionum longinquitate porro adductis. Inter hæc multorum cervicibus impendens juvenis ferebatur, formosa quidem facie, sed a nativitate fandi impotens, ut quindenis annorum temporibus nec caput sursum erexerit, nec deorsum gressum direxerit,

Quem super capita illorum celsius elevatum his precibus fletu permistis sancto obtulerunt. O Christe, inquiunt, salus et creator omnium, qui homines hac etiam in parte cæteris animantibus excellere voluisti, quod loqui possint, et erecto capite incedere, reforma in hoc filio nostro vel quod natura informatum reliquit, vel quod formatum inimica saluti ægritudo corrupit. Solius enim tui est ex eo quod non est in id quod est perducere, et quod est in quascumque volueris formas mutare. Exaudi ergo preces supplicantium propter temetipsum, et propter Dunstanum dilectum tuum. Tunc demissus ex humeris bajulantium se ægrotus, ut ad memoriam sancti vicinus applicari deberet, mox ut tumbam tetigit, in pedibus suis constitit, caput cum scapulis sursum erexit, et resoluta lingua quæ nunquam antea fuerat locuta, excelsa voce clamare cœpit *Gloria in excelsis Deo, alleluia.* Sicque perseveravit in integritate susceptæ locutionis, ut usque ad finem vitæ non solum expedite, verum etiam diserte omnia loqueretur.

Cæca nata lumine donatur.

6. Paupercula etiam cum cætera multitudine advenit ferens in ulnis triennem natam ex utero suo sine lumine natam. Quæ cum per aliquot dies orationi pro salute filiæ suæ sollicita incubuisset, nec exauditam se aliquatenus sentiret, deprecata est omnem clerum auxilio sibi apud Dei sanctum fore, confidens eos tanto citius impetraturos quod vellent, quanto ei præ cæteris hominibus familiarius servirent. Affecti itaque pietate monachi (61) pro dolore matris et languore puellæ, cœperunt instantissima prece sanctum deposcere, ut earum afflictioni solita bonitate dignaretur subvenire. Decima autem die dum forte materno gremio puella incumberet, subito apertis oculis clare omnia videbat, et præ gaudio exsiliens dicebat: Mater mi, quæ sunt hæc pulchra quæ video? Cui illa: Videsne, inquit, mi chara? Quæ dixit: Pulcher homo ille jussit me hæc pulchra videre. Clamatum est itaque per totam ecclesiam puellam a nativitate cæcam a magno pontifice Dunstano illuminatam. Fit concursus omnium matrem cum filia constipantium. Sed cum aliqui ex clero credere non possent, quod patentibus oculis acumen visionis inesset, volentes indagandæ veritatis signum videre, jactant poma, sicut pueris alludi solet, per pavimentum ecclesiæ, ut experirentur si absque errore infantula posset ea sequendo comprehendere. Quæ confestim de sinu matris exsiliens, rotantia poma per diversos anfractus insectabatur, eisque apprehensis celeri cursu ad matrem revertebatur. Tunc deprehensum est puellam patentibus oculis posse videre, qui antea sine lumine videbantur patere.

Item anus cæca.

7. Item anus quædam ad memoriam sancti pontificis perducta est, ut quod in juventute perdiderat, in extrema ætate lumen oculorum reciperet. Vacans ergo orationi, nec ulla salutis remedia consequens, egreditur de civitate, volens ad locum unde venerat remeare. Jamque pontem fluminis Sturæ ascendere cœperat, cum forte ductoris sui auxilio destituta clamabat: Dunstane, Dunstane, nec speratum a te lumen obtinui, et ductorem nunc perdidi. Mirabile dictu, et malefidis difficile creditu, protinus illa juvenes per medium pontis ligna ferentes clarissime vidit, quibuscum in civitatem rediit, et quid factum sit omnibus indicavit.

Excommunicati pœna et salus.

8. Quid de Clemente Teutone dicam, cui magis aptum nomen est demens, quam Clemens, quem sacerdos pro culpa voluptatis et contumaciæ, in interitum carnis Satanæ tradiderat, et ita maledictionis sententia septem annis devinxerat, ut non solum in eodem loco toto corpore tremendo, verum etiam de loco ad locum cursitando instabili ferretur motu. In basilica vero Salvatoris ante memoriam magni Dunstani præsentatus, cum forte ad nocturnas vigilias responsorium: *Videte miraculum,* inciperetur, saltum in sublime dedit, dæmonium cum sanguine evomuit, et post hæc omni tempore secundum omnimodam sensatorum qualitatem quietus et loco et corpore mansit.

Repens erigitur.

9. Aut quo modo factum in te miraculum, Etwarde, narrabo; hominem giganteæ magnitudinis, si repentem te in tota terra mole corporis per triginta annos pondus non premeret gravissimæ infirmitatis; postea vero charo patri Dunstano oblatus, atque ab eo mirabiliter sanatus, non solum cunctis factus est amabilis propter adeptæ sanitatis miraculum, verum etiam admirabilis propter corporeæ quantitatis spectaculum. Tu musicus in conviviis didicisti post hæc convivantium animos carmine demulcere, et inter cantandum tibiis carmen modificare. Sed inde tibi excelsi honoris insigne accessit, quod universitas hominum concordi voce Dunstani te hominem servulumque vocavit.

Loripes tandem rectum incessum recuperat. Auctor jam visa narrat.

10. Sed et illud non parva dignum est admiratione, quod quodam venerabili sene, et in omni religione probato referente agnovimus. Ait namque eumdem patrem et dominum nostrum cuidam loripedi in somnis apparuisse, atque ut ad requiem corporis sui sanandus veniret præcepisse. Qui ad locum veniens, nec quidquam per multos dies orando salutis inveniens, tædio sive desperatione fractus recessit, itinere quo venerat redire tentavit. Jamque mediam pene viam peregerat, cum is qui dudum dormienti apparuerat, vultu severus, veste decorus occurrit, sciscitans unde veniret, vel quo pergendo tenderet. Recuperandæ, inquit, salutis

(61) Ergo monachi etiam tunc clerum Ecclesiæ Cantuariensis constituebant. Vide num. 16 et 21.

gratia jussus ad sanctum Dei Dunstanum perrexi, sed nihil proficiens ad domum meam redeundum putavi. Tum ille : Ego, inquit, sum Dunstanus, omnium servorum Dei conservus, necessariis quibusdam causis occupatus, non poteram his diebus requiem corporis mei visitare, nec præsentiam meam filiis ibidem manentibus exhibere. Nam Ecclesiam Dei Elfricus, cognomento Bata, exhæredare tentavit, sed me tutore nihil efficere potuit. Nunc autem confecto negotio ad locum requietionis meæ vado. Vide ergo ut illa die et hora ibi te inveniam, quatenus per te gratiam meam meis civibus ostendam. Regressus est itaque languidus in civitatem, narravit omnibus quæ audierat, indictum diem patienter exspectabat. Stupendum valde, die et hora qua sanctus sese venturum prædixerat, de suscepta sanitate loripes gaudebat, et ineffabili totam urbem lætitia replebat. Hactenus ea quæ aliorum testimoniis ad nostram notitiam perlata sunt enarravimus : nunc his quæ nostra ætate facta sunt enarrandis operam dabimus.

Virgo lucis expers lucem aspicit.

11. Virgo quædam Deo devota orationis gratia in civitatem venit, inde misera, quod ex quo nata est hujus mundi lucem non viderat, sed ex hoc beata quod æternam lucem ardenti semper desiderio quæsiverat. Et cum forte natalitius dies sancti confessoris Christi Audoeni episcopi instaret, in quo pariter et aliorum omnium, quorum reliquiæ in ecclesia Salvatoris continentur, præcipua veneratione memoria celebrabatur, postulabat illa a custodibus ecclesiæ, ut sibi liceret eadem nocte vigilias ibidem celebrare. Quod dum facile propter vitæ religionem obtinuisset, remansit in ecclesia juxta requiem beati Patris Dunstani stans, totaque nocte vigilis et orationibus vacans. Jam nocturnas laudes incœperamus. jam octavum responsorium *Sint lumbi vestri præcincti,* modulatis vocibus concinebamus, cum virgo Dei vehementem in facie sustinens pruritum, arctissima digitorum impressione cœpit oculos perfricare. Inde statim sanguis ubertim exiens, in suppositum capitis sui velamen defluxit, modesteque illa circumstantibus innuens : Præbete, inquit, mihi vas sanguinis susceptorium, ne terra sancta ejus colluvione maculetur. Quod postquam illi fecissent, lympham quoque lavandis oculorum orbibus præbuerunt. Interim nos pueri vultus illuc dirigere, oculis subaspicere, iterumque ad invicem mutuis(62) aspectibus simul ac nutibus lætitiam significare. Suspicati namque sumus (quod res erat) bonum Patrem nostrum boni aliquid operatum fuisse. Jam cantus de præcinctione lumborum, et ardentium lucernarum gestatione secundo terminabatur; jam a cantoribus gloria sanctæ et individuæ Trinitati reddebatur, et ecce illa quæ lumbos suos castitate semper præcinctos habuerat. ad gloriam Dei lucernas in ecclesia ardentes in magna cordis lætitia videbat, Mirata est ergo de omnibus quæ videbat. Ostendebantur ei laminæ aureæ, cruces, baccilia, claves ecclesiæ, omnia mirata videbat. Ipsas quoque hominum figuras cum ingenti stupore considerabat. Videres ergo omnes in ecclesia lacrymas exprimere, et cum vobis modulatione cordis jubilatione Deum laudare. Orto autem mane forte ad magistros intravimus, vapulaturi pro culpis quas commiseramus. Et ecce de transverso vir bonus Godricus furibundus irrupit, ita clamitans : Vos hic homines crudelitatem in innocentiam evomitis, et dulcissimus Pater noster Dunstanus suavitatem misericordiæ suæ in nos peccatores ostendit. Exite. Prærogativam miraculi quondam a Salvatore in cæco nato celebratam iterum celebrari videtis, et aliquid crudeliter facere audetis? Exite. Ita impias manus evasimus, et post hæc ecclesiam ingressi sumus. Tunc pulsato signo beatissimi patris nostri, quod ipse manibus suis olim fecisse dicebatur, quo nullum dulcius, neque ad commovendos hominum animos flebilius, concurrit universa civitas, volens oculis quod famæ reserante audierat. Cœpimus itaque excelsis vocibus simul et lacrymabilibus Dominum Deum nostrum laudare, qui per beatum servum suum Dunstanum tantis lætitiis nostra tempora dignatus est beatificare. Et cum multa populorum millia in ecclesia starent, neminem inter omnes videres qui non præ gaudio pie ac dulciter fleret.

Auctor testis miraculi de puella curata.

12. Vigilia beatorum Christi apostolorum Petri et Pauli erat, et inclinata jam die vespertinas orationes clerus in ecclesia agebat. Forte ego cum alio puerulo coætaneo meo ad altare Christi ministraveram, consummatoque ministerio per gradus descendere incipiebam : et ecce in occursum nostrum vetula quædam cum filia bene adulta obviam se dedit, procumbens gradibus simul et clamitans : Miserimini mei, pueri Dei, ut Deus omnipotens misereatur nostri, profectum virtutis concedens, et ætatem puerilem ad maturos annos feliciter perducens. Nos autem, ut id ætatis pueri, factum feminæ expavescentes, hæsimus loco, miseriæ causas flebiliter sciscitantes. Tum illa, hanc, inquit, quam videtis filiam meam, a summis humeris usque ad extremos manuum articulos collisam, obstetricis suæ nescio aut furor, aut negligentia fœdam atque mutilem reddidit. Audivi magnam quamdam in hoc loco Dei virtutem esse, et ideo ad supplicandum ei longo itinere tentavimus huc venire : vos nobis quid agendum sit edicite. Aspiciebamus interim manus sine forma manus, juncturæ juncturis non cohærebant sed quædam discors deformatis informem quamdam ossium concretionem faciebat, pollices retrorsum deflexi immobilem gerebant sensibilitatem, Cæterorum namque digitorum figura nulla sed radices quædam de palma prominentes intror-

(62) Hic silentium innuitur, tum ob temporis nocturni causam, tum ob loci sacri religionem. Nam in ecclesia loqui nefas erat. Vide infra num. 13.

sum curvabantur, quæ in vola confixæ unguibus eam perforabant. Quæ res intolerabiles patienti angustias inferebat. Avertimus ergo oculos hoc solum dicentes : Non nos, bona mulier, non nos quid agendum sit consulere velis, juxta est qui et tibi consulere,et filiæ tuæ salutem valet procurare : solet namque secundum fidem suam omnibus illum invocantibus subvenire.Tum illa comprehensa lacinia vestis filiæ suæ traxit eam ad locum,moxque toto corpore in terram prostratæ adorant sanctum ambæ, fletibus et ejulatibus illius bonitatem pulsantes. Et vere pulsabant, quibus tam cito misericordiæ illius viscera patebant.Necdum enim Phœbus marinis fluctibus caput intulerat, et illa quæ morbo contracta fuerat, ruptis venis brachia extollebat, manuum articulos omnes extendebat,et quæ ab annis puerilibus digitos movere non poterat,expedite jam omnia contrectabat.Itaque accurrimus, vidimus, flevimus, et facto mane cum exsultatione totius urbis Dominum Deum nostrum laudavimus.

Contractus erectus.

13.Epheborum aliquis prope civitatem manebat ita a puero debilitatus,ut a lumbis ac deorsum per totum emortuus duobus bacilis inniteretur, totius corporis post se trahens medietatem. Hic ea die in qua Filius Dei assumpta carne dignatus est mori, ejus Ecclesiam ingressus, vexillum crucis, in qua moriens mortem nostram destruxit, cum cætera multitudine adorabat, et futuræ festivitatis gaudia juxta corpus venerandi Patris Dunstani manens exspectabat.Adveniente autem hora in qua Dominus noster Jesus Christus triumphato diabolo a mortuis resurrexisse creditur, clamor in ecclesia factus est magnus tumultuans adolescentem rectum tota corpore stare, qui multis annis inferiores corporis partes post se consueverat trahere. Quod quamvis clerus sciebat, patienter tamen simul et lætanter solis ortum exspectabat. Mane vero Dominicæ resurrectionis convenit infinita totius urbis multitudo in ecclesiam, videre quid in hominem divina potentia operata fuisset, quem antea in infirmitate bene cognitum habuissent. Viderunt itaque, et Deo gloriam dederunt clamantes bono Domino Dunstanum in vita servisse, cui post mortem non solum contigit beatus vivere, verum etiam beneficiorum suorum gratiam hominibus præstare.

Alia miracula.

14. Puerum quoque omnibus membris contractum per eumdem Dei sanctum vidimus sanatum.

Noxiis pœna remissa. Pagani cadaver ex ecclesia pvojici jubetur.

15. Quadam etiam die (63) dum plus solito magistrorum furor in pueros desæviret, nec spes intercessionis uspiam ulla suppeteret, hoc unum et solum superesse remedium crediderunt, ut ad memoriam dulcissimi Patris Dunstani confugium facerent,illum que non tam intercessorem,quam adversus impietatis ministros defensorem exhiberent.Conferunt itaque se summo diluculo ad illum, multis lacrymis ejus clementiam postulantes, sedentibus per diversa loca magistris,qua transitus puerorum esse deberet, exitumque illorum de ecclesia multiplici diligentia aucupantibus: et ecce lacrymantibus illis apparuit pios vultus gerens pius Pater Dunstanus tangensque virga quam manu gestabat unum illorum apertis oculis videntem sed movendi se omnino impotentem,ita adorsus est fari. Jam desitum sit, pueri,a fletu,quoniam nullum vobis hodie molestum esse permitto. Idcirco enim veni invitatus lachrymis doloris vestri.Ecce nunc ibo,et magistros egressum vestrum explorantes gravissimo somno soporabo. Tu vero puer qui me loquentem cernis et audis,cum vos meo munere liberatos esse cognoveris, in hoc mihi gratiam præstabis, si hujus ecclesiæ præposito ex meo nomine præcipias, ut initiatum infantulum hunc, qui juxta me nuper conditus est, filium comitis Haroldi (64) foras projici faciat. Indecens namque valde est, ut ibi paganorum corpora sepeliantur, ubi divina quotidie mysteria celebrantur. Quod si ipse aut metu aut incredulitate præceptum meum neglexerit, noverit in hac ecclesia nihil prosperum processurum,quandiu hoc meum præceptum opere non fuerit impletum. Hæc dicens sepulcro receptus est. Is autem qui hæc videret, tum quidem puer,nunc vero reverendæ ætatis senior,quique ut ista sublato nomine illius scriberentur, sollicite nos admonuit, statim sui compos effectus,innuit sodalibus dicens : Num Patrem Dunstanum vidistis? num quid locutus fuerit audistis? Narravitque omnnia seriatim, hæc inquiens : Hæc et hæc locutus est. Surgentes ergo pueri ut intrarent domum martyrii (65), transierunt ante primos magistros, dormierunt; transierunt ante secundos,dormierunt ; transierunt ante tertios et quartos, dormierunt.Post paulo vero evigilantes, et derisos se graviter dolentes, versi in furorem statuunt sævissimam tertia diei hora de pueris ultionem sumere, quos protegente Dunstano mane non potuerunt contingere.Talis enim mos in

(62) Osbertus : « Instabat dies festa Nativitatis Christi. Moris autem antiquitus fuerat in monasterio ipso, quinto die ante festum pueros, qui in scholis sub disciplina exercebantur, gravibus et immoderatis verberibus cruciari : qui cruciatus miseris non pro commissis culpis, sed pro usu inferebatur, » etc.

(64) Haroldus iste Danorum rex fuit, cujus filius Sueno seu Suennus in Angliam irrupit, regnante Ethelredo seu Adelredo, ubi « inter pios impius diu conversatus, morte tarda deprimitur, ibidem sepelitur,» ex Ditmari lib.VII, pag. 94.Idem, pag. 95, commemorat, Haraldum et Cantum Suconis filios anno 1046 denuo in Angliam expeditionem fecisse, de qua intelligendnm Dunstani vaticinium in fine Vitæ, supra. Ditmarus post hæc Elfegi Dunstani quarti successoris martyrium refert, quod Dunstano falso relatu aut memoria lapsus tribuit.

(63) Martyrii hæc domus ea sine dubio vocatur, in qua pueri pro erratis pœnas dabant.

Ecclesia tunc temporis erat, ut quos prima diei hora sine vindicta [illegible] puniret. Sed Dunstanus, semper et ubique fidelis, ita præfatos eadem hora a se magistros divisit, ut non tam de puerorum [illegible] quanta de sua liberet confusione tractare. Ita pueri periculum diei illius evasere, atque [illegible] gaudenti animo [illegible] Patris fungebatur, quæ audierat præposito fideliter nuntiabat, sed ille infideli mente nuntiata parvipendebat.

Ea re neglecta quid [illegible] S. Dunstani [illegible].

16. Quoties etiam in nocturna visione visus est fratribus de ecclesia exire? Quem cum exeuntem retinere vellent : Non possum, inquit, ibi manere propter fœtorem pagani pueri licet initiati in hac ecclesia sepulti. Nec multo post ecclesia Salvatoris igni combusta est, parietes ceciderunt, nec quidquam ex omnibus monasterii officinis incombustum remansit, præter duas domos sine quibus monachi remanere non possent, dormitorium scilicet et refectorium, tantamque claustri partem sub quanta absque imbrium infusione ab una domo in aliam possent introire. Ex quo satis videre fuit, quantam nostri curam Pater Dunstanus habuerit. Sed horum ruina in melius commutata est veniente venerabili viro Lanfranco (66) archiepiscopo, et omnium qui nostra ætate in terra fuerunt sanctissimo simul ac sapientissimo. Qui, cum fundamenta construendæ novæ ecclesiæ ponere vellet, neque hoc absque translatione corporum infra ambitum ejusdem ecclesiæ quiescentium facere posset, indixit jejunium omni populo, quatenus sanctorum voluntas fieret, ut eorum corpora ad alia loca transferri deberent. Die vero huic negotio constituto, orante omni populo, clero cereis et aromatibus, omnique genere gaudiorum occurrente, paraverunt se sacerdotes, ut thecam sancti Patris Dunstani absque contrectatione corporis illius e terra levarent, et ad locum cum omni diligentia præparatum deferrent. Quam cum in humeris accepissent, retinetur a quibusdam ecclesiæ militibus, qui pacem regis Willermi nuper infregerant, occisis duobus equitibus, nepotibus videlicet Scollandi, qui erat abbas monasterii sancti Augustini extra urbis muros constituti. Timebant autem ne mors occisorum morte sua solveretur, et ideo evitandi hujus mali causa neque a sancto recedere, neque thecam ejus dimittere voluerunt. Vocati sunt itaque tam abbas, quam omnes hi quorum interfuit vindictam donare : negaverunt, nec mortem occisorum sine vindicta remittere voluerunt. Quid ergo? deductum est sacrum corpus infecto negotio, atque in oratorio beatæ virginis Mariæ collocatum. Summo autem diluculo, nobis adhuc in stratis quiescentibus, irrupit in ecclesiam abbas stipatus parentum catervis, postulat fratres celerius excitari, dicit se necessario illis loqui velle. Qui cum venissent, accessit ad corpus sancti, genua flexit atque in hæc verba lacrymabiliter erupit : Peccavimus in te, sancte Dei, nolentes tibi in conspectu populi exhibere honorem obsequii. Ecce nunc et injuriam donamus, et de mentis nostræ obstinatione veniam imploramus. Nos autem mirantes tam subitam rerum mutationem, cognovimus illos per visionem a sancto Dei fuisse perterritos, et vix noctem illam transegisse vivos, propterea quod presbyter quidam aspectu terribilis, qui ex figuratis imaginibus Dunstano visus est simillimus, gravibus eos cruciatibus vexasset, diuque vexatos ardenti rogo concremandos violenter pertraxisset. Ita illi quam sponte noluerunt, coacti injuriam donaverunt.

Lanfrancus faventem sibi sentit Dunstanum in causa temporali.

17. His temporibus conflictum iniit Lanfrancus archiepiscopus adversus majores natu regni Anglorum, præcipue adversus episcopum Bajocensem, nomine Odonem, qui erat frater regis, et comes Cantiæ, de jure ecclesiæ Christi, et quibusdam terris inde ab antiquis temporibus injuste ablatis. Sed nihil de viribus suis confidens (erat namque sicut omnibus sapientia imcomparabilis, ita in conspectu Dei præ omnibus semper humilitate admirabilis) deprecatus est beatum Dunstanum auxilio sibi fore ad defendendam causam ecclesiæ suæ ; et oblata pro exauditione hostia salutari, quietus sedebat in loco, exspectans advocationem causidicorum, simul ac meditans quid vel ipse adversariis objicere, vel qualiter ad objecta quæque posset respondere. Tunc interim excessum mentis patienti apparuit sanctus Dei, stans in medio duorum aliquorum angelica dignitate præditorum, angelicos et ipse vultus habens, atque in vultu quamdam frontis et oculorum conniventiam Lanfranco ostendens. Ex qua visione de capienda victoria securus ille effectus, concilium malignantium intrepidus adiit, munitiones illorum torrente rationum funditus dissipavit. Ita enim cunctos Christi ac suos devicit adversarios, ut et quæ sui juris erant, ecclesiæ Christi integerrime restituerentur, et hoc non humana sapientia, sed divina factum fuisse virtute idem Domini servus gloriaretur.

Et in gravi morbo.

18. Post aliquot dies Lanfrancus corporali infirmitate gravissime tactus, omnino a medicis desperabatur. Cumque finem vitæ jam jamque adesse putaret, missa legatione mandat fratribus ecclesiæ Christi quæ circa se agebantur ; exoptat seniorum præ-

(66) Apud Osbertum : « Lanfrancus Cadomensis cœnobii abbas, vir præstanti sapientia pollens. Cantuariensem pontificatum regendum suscepit, qui more electi antistis Cantuariam XVIII Kal. Septembris veniens, susceptus est a clero et populo, sicut Patrem tantæ sedis et virum ingentis famæ suscipi erat æquum. Hic adepta pontificali benedictione, quam IV Kal. Septemb. Cantuariæ suscepit, ecclesiam Salvatoris, quam tum præfatum incendium, tum vetustas inutilem fecerat, funditus destruere, et augustiorem facere cupiens, etc. Levata sunt corpora pretiosorum pontificum Christi, Dunstani atque Elfegi.

sentiam, quatenus si in corpore diutius vivere non liceret; defuncti (ut verbis utar illius) cadaver ad urbem secum transveherent. Nam in quodam ecclesiæ patrimonio procul ab urbe distante, quod Ealditune [*al.* Ealdintune.] vocatur, idem Pater venerabilis ægrotabat. Veniunt itaque illi ad locum; inveniunt omnia lacrymis repleta, plorant cum plorantibus, nolentes hominem morte videre finiendum, cui similem post hæc sciebant non esse inveniendum. At ille, sive suas angustias, sive filiorum suorum miserias non ferens (sicut enim mater unicum filium, ita singulos nos unice diligebat), convertit faciem suam ad parietem, divinam quantis posset suspiriis clementiam deprecaturus. Confestim autem sursum raptus, videbat quasi exercitum virorum candidatorum, lucifluas sicut sol facies habentium, albos equos cum phaleris aureis comptos insidentium, et liberales jocos jocunda quadam suavitate ad invicem exhibentium. Quos ille prætereuntes lætabundis oculis intuens, sciscitabatur cujusnam ista profectio esset. Dictum autem est hanc domni Dunstani esse, illum vero non longe abesse. Exspectabat itaque Lanfrancus explorans singulorum transeuntium vultus, cupiens illum præ cæteris agnoscere, a quo præ cæteris remedia sperabat salutis accipere; et ecce beatissimus Pater Dunstanus venerabilium seniorum cuneis hinc inde stipatus veniebat, similem per omnia cæteris habitum gerens, nisi quod ab humeris et sursum, celsior cunctis eminebat. In cujus occursum Lanfrancus humiliter progrediens, jungensque se ad latus equitantis, illius amplexatus est pedem simul cum ascensorio, cui videbatur inniti, atque ad se osculandi gratia trahere conatus est. At Dunstanus quasi ad factum expavescens, sive Lanfranco honoris gratiam exhibens, constricto genu utraque manu pedem ad se videbatur retrahere. In hac beata certaminis lucta Lanfrancus ad id quod fuerat redit, et ita se sanum reperit, ut nullum infirmitatis vestigium in toto corpore remansisset. Agit itaque gratias Deo, cujus dono et Dunstanum videre, et cupitam salutem illo potuit donante suscipere. Vocatis ergo his qui propius accumbebant, narrat ex ordine quæ viderat, simul se convaluisse asseverat. Illis vero existimantibus quod alienata mente loqueretur: Præparetur, inquit, mihi altare; videbitis namque illum sacrificium Deo offerentem, quem paulo ante videbatis vix labia moventem. Deinde accitis qui nuper advenerant senioribus. Hic dies, ait, erit vobis boni nuntii dies. Dominum et Patrem nostrum Dunstanum hic fuisse, et me ab omni corporis molestia sanasse scitote. Regredimini ergo ad ecclesiam, portas ejus super vos obserate, ad memoriam sancti accedite, genua flectite, ac pro reddita mihi sanitate uberes gratias referte. Nolo etenim per me ipsum modo venire, ne existiment me homines aliquid esse, quasi qui potuerim Dei sanctos videre. Faciunt illi imperata, magnumque fratribus de morte Patris suspectis gaudium præstant.

Et in morbo capellani.

19. Quidam capellanus presbyter archiepiscopi adeo gravi febrium vexatione per octonos menses cruciatus fuerat, ut consumptis carnibus vix infirmis ossibus pellis hæreret. Hic eo momento quo archiepiscopus salvus effectus est, optatam a Deo salutem, et ipse consecutus est, et mane ad archiepiscopum lætabundus ingrediens (didicerat namque illum convaluisse), requirebat modum receptæ sanitatis, et audiebat. Rogatus etiam ipse, ut quemadmodum sese haberet ediceret. Plane, inquit, optime valeo, quoniam is qui te in mortis periculo miserando respexit, mihi quoque ob gratiam tui in hac nocte salutem conferre dignatus est. Jacebam namque in stratu meo, quod ligneus solummodo a stratu tuo paries dirimit, videbamque in visione beatum Dunstanum solemnes in ecclesia Salvatoris missas agentem, meque illi in ministerio subdiaconatus servientem. Cumque perlecta a me fuisset epistola, ad pedes illius ex more deosculandos accessi, benedictionem petii, et ita cum ejus benedictione recedens convalui. Audiens hæc venerabilis Pater Lanfrancus, erumpens in gaudium sic ait: Non potuit quidquam infirmitatis in loco remanere, quem sanctus Dei visitationis suæ gratia dignatus est illustrare.

Catenato nodi soluti. Factum contrarium.

20. Ea quoque tempestate duæ quædam res apud nos contigerunt, quas non magis beato Dunstano, quam cæteris ibidem quiescentibus sanctis ascribendas putavimus. Ex præcepto siquidem Bajocensis episcopi quidam vir in vincula conjectus fuerat, propterea quod cervum in silva illius a canibus inscitatum, seseque in occursum ejus præcipitem dantem, emissa sagitta occidisset. Habitus ergo in vinculis in civitate Cantuaria, diebus ac noctibus ecclesiam frequentare, lacrymas pro peccatis effundere suis, magnumque populi affectum ex sonitu stridentium catenarum circa se excitare. Cumque hoc per duos annos indesinenter fecisset, quadam die, cum ante altare Dominicæ crucis prostratus jaceret, videntibus cunctis qui circumstabant catenæ diruptæ sunt, bolæ in quatuor partes comminutæ, clavi in minutas partes confracti. Ipse vero quid de eo divinitus agebatur penitus ignorabat. Surgente autem illo ab oratione, ceciderunt vincula de pedibus suis; quæ tollens in manibus suis, per medium fratrum omnipotentem Christum pro miraculo laudantium perrexit, eaque super altare Christ posuit, offerens Deo pro munere quod sibi fuerat pro onere. Post paucos dies, dum rem istam Lanfrancus archiepiscopus cuidam præpotenti viro narrasset, ille vicaria relatione, Et ego, inquit, tale aliquid vestræ excellentiæ narrare valeo, quod non minoris admirationis apud te fore existimo. Tertius namque dies est hodie, ex quo sedecim naves piratarum validissimo vento actæ, ad ripam maris sunt jactatæ: homines autem qui intus fuerant, partim maris fluctibus sunt immersi, partim a regiis exactoribus compre-

hensi, cum principe suo nomine Baraba compedibus astricti sunt; qui idcirco Barabam se appellari voluit, quoniam nimiæ semper crudelitatis fuisset multamque hominum turbam manu sua occidisset. Evadens autem de compedibus viam quæ ducit Cantuariam arripuit, sciens se neque vita, neque membris cariturum, si ecclesiam Christi contingere posset asylum. Sed cum jam prope civitatem fuisset, mox ut pinnam Ecclesiæ, et Cherubin aureum vidit, quasi cœlestis Cherubin virtute repulsus ultra progredi non potuit. Nititur itaque totis viribus contra vacuum aerem, et semper cum quasi murum ferreum sentiebat. Hæsit vero stupens, et iterum resumptis viribus prioris luctæ certamen assumpsit; sed ea quæ ante virtute repulsus, majore quam ante spatio resiliit. Tentabat si unde venerat regredi posset: currere poterat quantum volebat. Si vero quo disponebat, progredi vellet, mox ut ecclesiam videbat, pedem movere non poterat. Desperans ergo de salute sua et de misericordia Dei. Manifestum est, inquit, cum damnatis me sortem habere cui ecclesiam Christi non licet videre. Quid ergo prodest crudelem Christum invocare, a quo non sit misericordiam impetrare? Ut fortuna volet, eat; ergo deinceps fugam non inibo, sed unde veni moriturus redibo. Hæc dicens, præcipiti cursu redit, quæ sibi contigerant multis millibus hominum narravit. Post hæc condignas factis pœnas solvit. His acceptis Lanfrancus vocato me præcepit ista in populo prædicari, adjungens ideo hunc ab ecclesia terribiliter repulsum, quod ficto corde ad eam accesserit; illum vero alium ea re in ecclesia mirabiliter liberatum, quod ad eamdem quotidie devoto animo tetenderit.

Monachus recedere volens impeditur.

21. Sed et illud perpetua dignum est memoria (67), quod circa Edwardum urbis Lundoniæ archidiaconum ejus clementia mirabili modo operata est. Qui cum esset in sæculo deliciis pollens, conspiciens omnia sæculi bona esse angusta, contulit se ad unum incommutabile commune sufficiens bonum Deum, suscepta sanctæ religionis veste in ecclesia Cantuariensi, sub regimine præfati gloriosi viri Lanfranci archiepiscopi; ubi per aliquot annos honeste conversatus, magnam apud omnes cohabitantes gratiam obtinuit. Sed post hæc malignus spiritus ejus conversioni simul et conversationi invidens, occultis quibusdam et importunis suggestionibus animo illius tædium religionis ingerebat, cupiens illum ad hanc mentis insaniam perducere, ut ad sæculum, unde venerat, repetito vomitu sordium rediret. Immittebat namque diabolus in cor ejus sæculi voluptates, amplexus feminarum, amplas domos, amicorum societates; nec permittebat illum cogitare, quam dulcis est Dominus gustantibus eum, quam magna domus Dei, et ingens locus habitationis ejus, quam beata societas angelorum Deum in sæculum sæculorum laudantium. Victus tandem importunitate tentatoris, exitum de ecclesia moliebatur, et paratis omnibus quæ ad hoc sacrilegium explendum idonea videbantur, ingreditur ecclesiam (68), a sancto Dunstano licentiam exeundi et ad sæculum revertendi petiturus, sciens procul dubio quod nihil ei prospere procederet, si illo offenso discedere non timeret. Et surgens ab oratione ut ostium ecclesiæ egrederetur, reperit in ostio Dunstanum cum virga stantem, non talem tunc qualem illum viderat Lanfrancus, sed terribilem vultu, oculis minacem, et mordacibus labiis hæc infrementem: Regredere miser, regredere, omnipotenti Domino te prosterne, conceptumque diaboli venenum de corde tuo evome. Cumque ille pavens ac tremens hæreret, Dunstanus elevata contra illum virga, ait: Non exibis, sed hic morieris. Hoc dicto qui loquebatur disparuit, et cui loquebatur graviter ægrotavit. Mox itaque lectulo receptus, duobus mensibus in magnis angustiis vixit, et post hæc vitam consummavit. Sed cum ad hoc ventum fuisset ut animam reddere deberet, accersitis his quos primos in amore fraternitatis habuerat, universa per ordinem quæ vel male disposuerat, vel bono suo viderat, in magna cordis contritione narrabat. Hæc eadem alius quidam frater bonæ indolis adolescens, nomine Adrianus, coram omnibus confessus est, dicens se et conscium consilii et consentaneum operi.

Dunstanus invocanti propitius.

22. Ante hos dies cum in insula Tanatos essem, gradiebar juxta littus maris cum milite, qui me pro defensione sui invitaverat, considerans ea quæ ibi sunt mirabilia Dei, et materiam boni sermonis exinde eliciens. Inde sermo ad Patrem Dunstanum protractus est, quoniam maximum semper lucrum reputo quoties loquendi de illo occasionem reperio. Tum miles idem memorato hoc nomine totus expalluit, ac veluti dolorem ex intimo suspirans, Væ, ait, mihi ingrato, qui tantorum beneficiorum huc usque immemor existo! Tum ego: Et quid, inquam, hi tam molesti anhelitus. Nosti, ait, quantum mihi infestus abbas sancti Augustini, dum adviveret exstiterit, dum diripere cuperet quæ ad me hæreditate venissent. Novi, inquam. Num et illud nosti quod non modo nihil ejus immoderatio obfuit, verum etiam ad majoris mihi gloriæ cumulum excrevit? Nec hoc, inquam, latet; sed quorsum ista commemores, ignoro. Scies, inquit, nocte siquidem, quæ diem statuti inter me et illum placiti præcedebat, memorans cum essem in domo mea quæ prope est, quod frequenter Patrem Dunstanum tuis rationibus extollere consueveris, nunc, aio, experiri habeo, si ut accepi, ita ille laudabilis existat. Flexus ergo in oratione, Deus, inquio, Patris Dunstani, fave hodie nostræ parti. Inde corpusculum requiei dedens, video in somnis urbem Cantuariam, basilicam Salvatoris

(67) Hoc miraculum distinctius refert Osbertus infra.

(68) Nempe dum « Fratres meridiana hora in lectis pausabant, » apud Osbertum, qui ait id factum esse « inter duas festivitates Assumptionis et Nativitatis S. Mariæ. »

memoriam Patris; cui quasi incumbens, aspicio virum juxta stantem, decorum forma, veste spec.osum, lampadem lucis manu tenentem; ad cujus imaginem perterrefactus, Quisnam inquam, es tu, hominum pulcherrime? Idem, inquit, ille cujus tu paulo ante auxilium precabare. Pape, inquam, quam citus es ad miserandum [illegible]! Nosti quod dominus minatur? Nihil, ait, ejus minas pertimescas, nec magni eos omnino pendas. Ita miles ille oravit, post hoc versus ad me ait : Jam cætera tu nosti, quemadmodum ego et tu convenerimus, contenderimus, convicerimus. Signum, inquam, grande in illa die dedit sanctus, propterea quod dum illi plures, et elimato acumine fuerint, a paucis et minus acutis victi abierint. Tum ego respiciens ad eos qui præsentes erant ostendi verbis, quod nunc prodo litteris.

Auctor de se narrat visum.

23. Nunc ad ea quæ meam proprie attingunt personam, ut minus fortasse sapiens, transibo, et sic ori silentium ponam, manibus quoque otium indicam. Quodam tempore quidam homines gravi me odio infestabant, nec prius ab infestando quiescere volebant, quam magis injuriis affectum gravioribus minarentur afficiendum. Eorum vero qui agendæ causæ nostræ judices dati fuerunt ita animus sive gratia, sive importunitate adversariorum a me alienatus est, ut neque oratione inflecti, neque ulla possent ratione moveri. Desperans ergo de subventione hominum, solius Dei ac beati istius auxilium duxi quærendum esse. Itaque nocturno tempore soporatis omnibus, ejus memoriam in magna confidentia adii, et multitudinem miserationum illius gemebundis vocibus, ac lacrymabilibus oculis pulsavi. Demum mente fessus, luctu anxius recessi, secretum petii, dolorem cordis requie corporis, ut interdum fit, lenire desiderans. Necdum satis ad pausandum composueram corpus dum animo cuncta excedens, viderer mihi in atrio templi domum videre, cujus magnitudo mirabilis, pulchritudo inæstimabilis, ad quam nemo nisi per quamdam aquarum colluvionem poterat transire. Verum ista transeuntibus lex erat, ut quanto magis ad introitum domus appropinquarent, tanto minus easdem sentirent aquas. Transibam ego cum transeuntibus, ac rarescentibus aquis ad ulteriora alvei littora perveniebam; moxque domum ingrediens, videbam totam illam majori quam solari claritate fulgentem, cœtum quasi sanctorum ineffabili quadam suavitate lætantium circumsedentem: et quamdam decoris subtilitatem, quæ modo crystalli perviderí posset oculis intuentium prætendentem. Considerabam diligentius, volens deprehendere, unde etiam immensæ lucis claritas coruscaret, et videbatur mihi quod non aliunde quam de corporibus sanctorum idem splendor exiret. Interroganti autem mihi quæ hæc essent, edoctum est hunc esse clerum magni Dunstani, illum vero paulo ante adfuisse, divina sacramenta celebrasse, et necdum communionis antiphona decantata recessisse, atque ut illum expectaret qui ad requiem illius decumbebat præcepisse. Cogitabam itaque ne forte ego ille essem. Cumque hoc in animo volverem, consurgentes viri illi apprehensum me statuerunt in medio sui, alterutris vocibus esse cohortantes : Eia, fratres, missas terminemus, quoniam is adest, cujus gratia ista dilatio facta est. Cœperunt itaque dulcissimis ac modulatissimis vocibus psallere, et me ad organizandum quod psallebant invitare, *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui vos persequuntur.* Ad quas voces experrectus confestim, ad sepulcrum sancti cucurri, medium illud utrisque brachiis amplexatus sum, vociferans ac nimia cordis exultatione proloquens : Adfuisti, Pater charissime, adfuisti; adfuisti in angustiis laboranti, et gratiam tui humiliter postulanti. Vere sanctus Dei es, et quodcunque vis ab illo impetrare potes. Jam securus judices adibo, nec minas cujuspiam hodie formidabo. Venientibus ergo judicibus, quorum interfuit causam terminare, accesserunt ii qui me turbare moliti, accessi et ego calumniam de adversariis movi. Itaque, Deo adjuvante et Dunstano patrocinante, omnes mihi adversantes devici, ut et ipsi propria sua ratione caderent, et ego non solum factam mihi injuriam non effugerem, verum etiam in mea defensione simul et exultatione plurimum exsultarem.

Auctor multa prætermitiit.

24. Satis esse ista existimo, domini et Patres charissimi, vel ad insinuandos temporales sancti viri labores, vel ad ejus sempiternam gloriam catholicæ Ecclesiæ fidelibus commendandam; non quo plura non sint, et fortasse his majora, quæ ad hæc narrari valeant : sed quod ea solummodo voluerim narrare, quæ fidem (sicut prooemio dixi) non viderentur excedere. Quis namque statim mihi credulitatem accomodaret, si dicerem aut vestem illum in columna lucis suspendisse, aut extremam cognati parentis egestatem ad summas divitias nummi dimidio perduxisse? Cujus animum horror non percelleret, si audiret monachum Jerosolymam (69) properantem, ab exercitu imperatoris Constantinopolim circumventum, ad solam sancti illius invocationem ab eorum molestissima irruptione liberatum? Quem, inquam, stupor non apprehenderet considerantem, vel furem a sancto perterrefactum res a requie illius exportatas in atrio templi illibatas reliquisse; vel civem Cantuariæ contra oppositam sancti auctoritatem substantiam ecclesiæ Christi subripientem, post paucos dies pœnam suæ temeritatis solvisse? Videtis quibus abstineo, propterea quod æstimationem audientium supergredi nolo; quæ tamen si commemorarem, incredibilis esse non deberem, propterea quod nihil est difficultatis, ubi Dominus Christus auctor est operis. Deinde more cantorum

(69) Hoc miraculum refert Osbertus, infra. Aliud ab aliis prætermissum memorat Willelmus de fure suspenso, quem Dunstanus incolumem servavit.

in conviviis agentium [illegible], qui [illegible] mum est, medium carmen [illegible], quo [illegible] tædium audientibus tollatur, [illegible] oblectatio major excitetur. Ad postremum vero di[illegible]cendi præceptis vel in fine hujus orationis parere voluimus, qui [illegible] ponunt [illegible]. [illegible], ut [illegible] ait, nil citius arescit. Quod si ego, sicut oportuit, officium peregi, grates [illegible] mecum exsolvite, cujus ut peragere posset [illegible] est miseratione, sin vero minus apposite dixi, non ideo minus is de quo dixi debet appretiari, propterea quod nihil est indignius, quam propter vitium scribentis virtutem minuere bene promerentis. Potius in illo Deum magnificemus, nomenque illius certatim invicem exaltemus, agentes ei gratias, qui illum ante mundi constitutionem in æterna sua sapientia elegit, et Anglorum tempora per ostensionem corporalis præsentiæ illius beatificare voluit. Veneremur quoque illum in Deo ejusque merita summis honoribus attollamus, certi quod ad Dei [illegible] pertineat, quidquid in ejus veneratione nostra devotio informat. Amemus illum ex omnibus [illegible] medullis, ac per illum quidquid a Deo fideliter petierimus, nos recepturos speremus : propterea quod nihil nobis Dei clementia poterit denegare, si quem ille diligit, nos studuerimus et animo diligere, et obsequio venerari. Gloriam omnipotenti Deo Patri, qui illum fecit; gloria unigenito Dei Filio qui illum redemit; gloria Spiritui sancto qui illum sua gratia illuminavit; uni soli vivo et vero Deo laus et gratiarum actio per infinita sæcula sæculorum, amen.

Quem genus insignit, virtus attollere certat,
Huic dare nostra cohors munera laudis habet.
Dunstanus Pater eximius venerandus in orbe.
Post hiemem, veris tempora læta subit.

S. DUNSTANI

EPISTOLA

AD WULFSINUM SCHIREBURNENSEM EPISCOPUM

(Mabill., *Acta SS.*, Sæculi V, pag. 239.)

D. Dei [gratia] archiepiscopus fideli amico Wulfsino episcopo æternæ sospitatis et pacis in Domino Dei salutem.

Gratias agamus Deo, qui nos indignos et ultimos servorum suorum prœordinavit ad regimen suæ sanctæ Ecclesiæ in tam periculosis et laboriosissimis temporibus. Et nunc in commune deprecemur omnipotentis Dei clementiam ut ille nos adjuvet in omni opere bono. Et tu, charissime frater, viriliter fac, et fortiter opus Domini quod habes in manibus, perfice ad mercedem animæ nostræ et ad salutem multarum animarum. Non cesset lingua tua in prædicando, non pes tuus circumeundo gregem tibi commissum; non manus tua a laborando, ut eleemosynæ fiant per te, ut sanctæ Dei ubique exaltetur Ecclesia. Esto forma salutis omnium, in te sit exemplum conversationis sanctissimæ, in te sit solatium miserorum, in te confortatio dubitantium, in te disciplinæ rigor, in te veritatis fiducia, in te totius bonitatis spes. Non te sæculi pompa exaltet, non ciborum luxus enervet, non vestimentorum vanitas emolliat, non adulantium lingua decipiat, non detrahentium adversitas conturbet, non tristia frangant, non læta elevent. Non sis arundo vento agitata, non flos auræ tempestatis decidens, non paries ruinosa, non domus super arenam posita, sed templum esto Dei vivi super firmam petram constructum, cujus ipse sit Spiritus paraclitus inhabitator. Mitem te et humilem ad meliores ostende, durum et rigidum ad superbos, omnia omnibus factus, ut omnes lucrari possis; habeas in manibus tuis mel et absinthium, quidquid cui placeat edat ex illis : cui de pia prædicatione vesci libeat, accipiat mel; qui dura invectione indigeat, bibat ex absinthio, ita tamen ut liceat ei mel veniæ sperare, si rosea confessio pœnitentiæ præcedat : omnia vestra honesta cum ordine fiant. Tempus statuatur lectioni, et oratio suas habeat horas, et missarum solemnia proprio tempore conveniant. Qui diem sapit. Domino sapiat, Sit modesta in convivis lætitia, sit casta in jejuniis perceptio : lavetur pœnitentia facies, ungatur oleo misericordiæ caput, ut omnia acceptabilia fiant Domino Deo, qui te elegit sibi sacerdotem. Ducem admone et omnes sæculares principes, ut pietatem et misericordiam in judiciis conservent, munditiam cordis et corporis semper diligant, quia *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ecclesiam Christi defendant, ut eorum adjutor ac defensor fiat Dominus Ecclesiæ. Viduis et pupillis misericordes, ut illorum misereatur Deus; et in omnes homines mites et benigni, populum Dei congregantes et non dispergentes, pacem inter se habentes, quia *beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Et tu, charissime frater, ante oculos cordis semper habeto timorem Dei et amorem, et liber Pastoralis beati Gregorii

Patris ubi Dei rectorum subjectorumque vita diligentius discernetur, sæpius ante te legatur, et nostri memoriam nominis habeto in tuis sanctis orationibus, ut Dei omnipotentis misericordia nos defendat, regat atque custodiat, sicut vos velle credo, ut in dilectione Dei et voluntate cursum agamus vitæ A nostræ. Et superfluum non æstimes, nec arrogantiæ, ut vos admonerem; sed intimo charitatis affectu suscipite, quia urbs firma frater qui a fratre juvatur. Te Deus omnipotens salvum conservet in ævum.

SANCTI DUNSTANI
REGULARIS CONCORDIA
ANGLICÆ NATIONIS MONACHORUM SANCTIMONIALIUMQUE

(Apud Reinerum, *Apostolat. ord. S. Bened. in Angl.*, p. 77.)

PROOEMIUM.

Gloriosus etenim Edgar, Christi opitulante gratia, Anglorum cæterarumque gentium intra ambitum Britanniæ insulæ degentium rex egregius, ab ineunte suæ pueritiæ ætate, licet, uti ipsa solet ætas, diversis uteretur moribus, attamen respectu divino attractus, abbate quodam assiduo monente. ac regiam catholicæ fidei viam demonstrante, cœpit magnopere Deum timere, diligere ac venerari. Radiante paulatim fidei scintilla, ne otiositatis torpore explosa detesceret, quibus sanctorum operum meritis in fervidum perfectionis ardorem accendi valeret, studiose percunctari sollicitus cœpit. Comperto etenim quod sacra cœnobia diversis sui regiminis locis directa, ac pene Domini nostri Jesu Christi servitio destituta negligenter tabescerent, Domini compunctus gratia cum magna animi alacritate festinando, ubicunque locorum decentissime decoravit; ejectisque negligentium clericorum spurcitiis, non solum monachos, verum sanctimoniales etiam, Patribus Matribusque constitutis ad Dei famulatum ubique per tantam sui regni amplitudinem devotissime constituit, bonisque omnibus locupletans gratulabundus ditavit. Regali itaque functus officio veluti pastorum pastor sollicitus, a rabidis perfidorum retibus, uti hiantibus luporum faucibus oves, quas Domini largiente gratia studiosus collegerat, muniendo eripuit, conjugique suæ Alphridæ sanctimonialum mandras, ut impavidi more custodis defenderet cantissime præcepit, ut videlicet mas maribus femina feminis, sine ullo suspicionis scrupulo subveniret.

Regulari itaque sancti Benedicti norma honestissime suscepta, tam abbates quam plurimi, quam abbatissæ cum sibi subjectis fratrum sororumque collegiis sanctorum sequi vestigia una fide, non tamen uno consuetudinis usu, certatim cum magna studuerunt hilaritate. Tali igitur ac tanto studio præfatus rex magnopere delectatus, arcana quæque diligenti cura examinans synodale concilium Wintoniæ fieri decrevit, illucque verba exhortatoria ac B pacifica pitacio luculentissime exarata humillimus destinavit, cunctosque Christi compunctus gratia monuit, ut concordes æquali consuetudinis usu, sanctos probatosque imitando Patres regularia præcepta tenaci mentis anchora servantes, nullo modo dissentiendo discordarent; ne impar, ac varius unius regulæ, ac unius patriæ usus probrose vituperium sanctæ conversationi irrogaret. Hujus præcellentissimi regis sagaci monitu spiritualiter compuncti, non tantum episcopi, verum etiam abbates ac abbatissæ, quod talem ac tantum habere meruerunt doctorem, erectis ad æthera palmis immensas Celsithrono grates, voti compotes referre non distulerunt.

Nam illico ejus imperiis toto mentis conamine alacriter obtemperantes, sanctique patroni nostri C Gregorii documenta, quibus beatum Augustinum monere studuit, ut non solum Romanæ, verum etiam Galliarum, honestos Ecclesiarum usus rudi Anglorum Ecclesiæ decorando constitueret recolentes: accitis Florensis beati Benedicti necnon præcipui cœnobii, quod celebri Ghent (Gandonum) nuncupatur vocabulo monachis, quæque ex dignis eorum moribus honesta colligentes, uti apes favum nectaris e diversis pratorum floribus in uno alveario, ita has morum consuetudines ad vitæ honestatem, et regularis observantiæ dulcedinem, ut ab his, qui viam regione mandatorum Domini absque jactantiæ vitio lactei adhuc humiliter incedunt, depulso nauseæ tædio sine querela legitime haustu degustari libentissimo, ac avide amabili possent impleri devotione, D temperata cum magna atque subtili rationis discretione, Christi mundi Salvatoris opitulante gratia, hoc exiguo apposuerunt carticello [codicello].

Ne igitur singuli si suam, quod absit, adinventionem suapte præsumptuosi eligerent excellentissimum sanctæ obedientiæ fructum alicujus arrogantiæ fastu inopinate seducti miserabiliter amitterent, ac Sarabaitæ vel feræ potius quam monachi aut homines viderentur: legitimum votum Domino nostro Jesu Christo unanimes voverunt, paetoque spirituali

confirmaverunt, se vita comite jugo regulæ deditos, has adnotatas merum consuetudines communi palam custodire conversatione. Cæterum unusquisque secretis Oratorii locis, in quantum sancti Spiritus gratia clementer instigaverit peculiaribus teste Deo cum bonorum operum vigilantia consulte utatur orationibus. Hoc enim Dunstanus egregius hujus patriæ archiepiscopus præsago affatus spiritu ad corroborandum præfati synodalis conventus conciliabulum provide ac sapienter addidit : ut videlicet nullus monachorum, vel alicujus altioris gradus vir, vel inferioris secreta sanctimonialium audax ingredi lustrando præsumeret : et hi, qui spiritualis imperii prioratum, ad disciplinæ utilitatem non ad sæcularis tyrannidem potentatus, super eas exercent, ita suum, ut beatus hortatur Isidorus secretorum temperate prævideant accessnm, ut earum regulari observantiæ minime contradicant.

Id solummodo catholicis regulari jugo deditis attendendum censuimus, ne ea quæ usu Patrum, pro rege, ac benefactoribus, quorum beneficiis Christo largiente pascimur, intercessionis oramina consuete canimus, nimia velocitate psallendo, Deum potius ad iracundiam inconsiderate, quod absit, provocent, quam provide ad peccaminum veniam invitent. Ita igitur hortante Patre nostro Benedictino, omnia distincte psallendo modificentur, ut mens nostra concordet voci nostræ et impleatur illud apostolicum : *Psallam spiritu, psallam et mente.* Si autem pro qualibet necessitate, quid extra communem regularis consuetudinis usum addendum fuerit : tandiu agatur, quoad usque negotium, pro quo agitur, Christi opitulante gratia melioretur, et ut contempto arrogantiæ fastu gratissimus obedientiæ acquiratur fructus, et gradus ille regularis, in quo præcipitur, ut nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula, vel majorum cohortantur exempla, diligentissime custodiatur : nequaquam ulterius præsumptuose usu teneatur temerario, nisi concilio synodali electum, traditumque cum discretione virtutum omnium matre ab universis fuerit catholicis.

Præfato equidem synodali conciliabulo hoc attendendum magnopere cuncti decreverunt, ut abbatum, abbatissarum electio cum regis consensu, et consilio sanctæ regulæ ageretur documento, episcoporum quoque electio, uti abbatum, ubicunque in sede episcopali monachi regulares conversantur, si Domini largiente gratia tanti profectus inibi monachus reperiri potuerit eodem modo agatur, nec alio quolibet modo dum ejusdem sunt conversationis, a quoquam præsumatur. Si autem imperitia impediente, vel peccatis promerentibus, talis, qui tanti gradus honore dignus sit, in eadem congregatione reperiri non potuerit, ex alio noto monachorum monasterio concordi regis, et fratrum, quibus dedicari debet, consilio eligatur. Qui ordinatus videlicet episcopus in omnibus eumdem morem regularem cum monachis suis, quem abbas tenet regularis, diligenti cura, et magnopere excellenti jugiter sine intermissione custodiat, nec episcopatus occasione regulæ præcepta tumidus, vel obliviosus temere intermittat, sed quantum excellit honore, tantum et opere sæcularium vero prioratum, ne ad magni ruinam detrimenti, uti olim acciderat, miserabiliter deveniret, magna animadversione, atque anathemate suscipi cœnobiis sacris sapienter prohibentes, regis tantummodo, et reginæ dominium ad sacri loci munimen, et ad ecclesiasticæ possessionis augmentum voto semper efflagitante optabili prudentissime jusserunt.

Ad regis vero obsequium, et reginæ, Patres monasteriorum Matresque, quoties expedierit ad sacri cœnobii, cui præsunt, utilitatem cum Dei timore, et regulæ observantia humiliter accedant : Potentibus vero non causa convivandi, sed pro monasterii utilitatp atque etiam defensione quoties expedierit obviandi, intra infrave monasterium licentiam habeant.

Equitando autem, vel pedites iter agendo non otiosis fabulis vacent, sed vel psalmodiis inserviant, vel de re necessaria opportuno tempore loquantur. Hoc considerantes ut horas regulares non equitando, sed de equis desiliendo genuflectentes, nisi dies festiva fuerit, convenienter ut potuerint cum divina compunctione compleant. Itinerantes vero non juvenculos, sed adultos, quorum admonitione meliorentur, secum in comitatu ducant; domi vero degentes, non solum fratres, sed etiam abbates, adolescentes, vel puerulos non brachiis amplexando, vel labris leniter deosculando, sed charitativo animi affectu sine verbis adulatoriis reverenter cum magna cautela diligant. Nec obsequium privatum quempiam illorum, nec saltem, sub spiritualis rei obtentu solum deducere præsumant; sed uti regula præcipit, sub sui custodis vigilantia jugiter maneat, nec ipse custos cum singulo aliquo puerulo sine tertio, qui testis assistat, migrandi licentiam habeat, sed pro more solito cum tota schola, si res rationabilis ita exegerit, quo necesse est, sub silentio, vel psalmodiis inserviendo cum benedictione eat.

Villarum autem circuitus, nisi necessitatis causa magna compulerit, et necessariæ rationis discretio hoc dictaverit, vagando nequaquam frequentent. Sæcularium vero convivia nisi forte itineris hospitalitas inopinate supervenerit, nullo modo ausu temerario nec prælati, nec subjecti adire præsumant. Licitum cum pondere, mensura et numero, vestitum, jejunium, abstinentiam, vigiliam taciturnitatem, obedientiæ bonum, et cætera quæque quæ patroni nostri Benedicti traditione voluntariæ suscepimus Domini nostri Jesu Christi annuente, gratia totis viribus custodientes, de consuetis sanctæ regulæ moribus tam a prædicto Patre Benedicto, quam a sanctis sequacibus, et imitatoribus suis, palam cum magna examinis discussione jugi custoditis usu, prædicti regis monitu freti, ac Patrum imperiis confisi, sollicite, uti polliciti sumus, in

quantum vires suppetent, et Spiritus sancti gratia instruxerit ad charitatem fraternæ unitatis custodiam scribendo dilucidemus, ut ab ipso æternæ vitæ remunerationem, cuncta concorditer, et gratulabunde conservantes, recipiamus, qui facit unanimes, id est, unius moris habitare in domo, ubi est rex Christus Dominus virginis filius, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

INCIPIUNT CAPITULA.

1. Qualiter diurnis, sive nocturnis horis regularis mos a monachis per anni circulum observari conveniat.
2. Qualiter ordo hymnorum tempore hiemali custodiatur, et cætera quæ regulariter agenda sunt, qualiter agentur.
3. Qualiter vigilia natalis Domini, et ab eadem solemnitate usque in Septuagesimam agi conveniat.
4. Qui regularis ordo a Septuagesima, tota Quadragesima custodiatur.
5. Qualiter diurna, sive nocturna laus paschali festivitate agatur.
6. Qualiter Sabbato octavarum Paschæ, totoque æstatis tempore agatur.
7. Qualiter frater qui *Circa* vocatur suum officium impleat.
8. Qualiter diurnale, sive nocturnale officium hebdomada Pentecostes agatur.
9. Qualiter quatuor temporibus agatur.
10. Qualiter mandatum quotidianis diebus a fratribus exhibeatur pauperibus, et quo ordine abbas erga peregrinos agat.
11. Quo ordine Sabbato fratres munditias exerceant quæque officia ob animæ salutem persolvant.
12. Quomodo circa ægrotum fratrem agatur, qualiterque defunctum humo conveniat reddi.

Incipit Ordo, qualiter diurnis, sive nocturis horis regularis mos, a monachis per anni circulum observari conveniat.

A Kalendis enim Octobris, religiosorum morum Domini opitulante gratia, exordium sumendo; omnia quæ usu regulari, et sanctorum Patrum imitatione, spiritualia sive corporalia, humili ac necessario agenda sunt officio, cum benedictione inchoentur.

Hic igitur maximi muniminis mos pernecessarius, tam in modicis rebus, quam magnis, legitime a cunctis, jugo regulæ deditis, jugi teneatur custodia, etiamsi singuli quippiam inchoaverint minime intermittatur: nihil procul dubio firmum validumve permanebit quod cuncti creantis, ac justo moderamine gubernantis, Christi benedictione carebit, ideoque omni tempore nocturnis horis, cum ad opus divinum de lectulo surrexerit frater, primum sibi signum crucis imprimat per sanctæ Trinitatis invocationem. Deinde dicat versum : *Domine, labia mea aperices:* dehinc psalmum : *Deus. in adjutorium meum intende*, totum cum *gloria.* Tunc provideat sibi corpoream naturæ necessitatem, si ipsa hora indiguerit, et sic ad oratorium festinando psallat psalmum : *Ad te, Domine, levavi animam meam*, cum summa reverentia, et cautela intrans, ut alios orantes non impediat, ac tunc, flexis genibus in loco congruo, et consueto, in Domini conspectu effundat preces, magis corde quam ore, ita ut illius vox per magnam animi compunctionem, et peccaminum suorum recordationem aures misericordis Domini, efficaciter penetret, ac scelerum omnium, Christi annuente gratia, veniam obtineat.

In prima itaque oratione, decantet tres primos pœnitentiæ psalmos, cum oratione Dominica, uti in sequentibus, pro seipso primum intercedendo; post hos orationem istam :« Gratias tibi ago omnipotens Pater, qui me dignatus es in hac nocte custodire : deprecor clementiam tuam, misericors Domine, ut concedat mihi diem venturam, sic in tuo sancto servitio peragere, cum humilitate, et discretione tibi complaceat servitus nostra. Per Dominum, » etc.

Inde veniat ad secundam orationem, ubi sequentes duos dicat psalmos pro rege et regina, atque familiaribus, cum oratione :« Deus qui charitatis dona per gratiam sancti Spiritus, tuorum cordibus fidelium, infudisti; da famulis tuis, et famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis, et corporis, ut te tota virtute diligant, et quæ tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. Per Dominum nostrum, » etc.

Inde ad tertiam orationem veniens, duos posteriores psalmos pro fidelibus defunctis decantet, cum oratione : « Inveniant, quæsumus, Domine, animæ famulorum famularumque tuarum lucis æternæ consortium, qui in hac luce positi tuum consecuti sunt sacramentum. Per Dominum, » etc. Et donec quidem pueri introeant ecclesiam, unum continuatim pulsetur tintinnabulum, ipsi quoque pueri ingressi, ut Trinitatis reverentia ab omnibus legitime teneatur, trina utantur oratione.

Finitis vero trinis orationibus a pueris, sonetur secundum signum, residentibus cunctis sedibus suis ordinatim, atque canentibus quindecim psalmos graduum, singillatim, trina partitione, uti superiores septem flectentes genua post quinque psalmos facto signo a priore. Iterum autem pulsatis reliquis signis, atque finitis eisdem psalmis incipiant Nocturnam. Peractis nocturnis, dicant duos psalmos: *Domine, ne in furore tuo;* et : *Exaudiat te, Deus*, unum videlicet pro rege specialiter, alterum vero pro rege et regina, ac familiaribus cum his collectis : « Quæsumus omnipotens Deus, ut famulus tuus rex noster, N., qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, et vitiorum monstra devitare et hostem superare, quia via, veritas et vita es, gratiosus valeat pervenire, per Dominum nostrum, » etc,

« Rege quæsumus, Domine, famulam tuam, N. et gratiæ tuæ in ea dona multiplica, ut ab omnibus libera offensis, et temporalibus non destituatur auxiliis, et sempiternis gaudeat institutis, per Dominum nostrum, » etc.

Pro rege et regina, ac benefactoribus *Deus qui charitatis*, etc., ut antea; et sic, finitis omnibus regularibus horis, semper agatur. Post hos psalmos, parvissimum, uti regula præcipit, et tota æstate

convenit, fiat intervallum. Ego [illegible] gistro ad necessitudinis usum, cæteri, nisi qui indigent, in ecclesia, orationibus dediti resideant.

Post hoc, sequantur diei laudes. Post *Miserere mei, Deus*, etc., addant duos psalmos pro regi-naque et familiaribus, *Beati quorum*, etc., *Inclina, Domine*, etc. Quibus finitis, cantent antiphonam de cruce, inde antiphonam de sancta Maria, et de sancto cujus veneratio in præsenti colitur ecclesia, ad si mutus fuerit, de ipsius loci consecratione. Post quos, eumdem est ad matutinales laudes de omnibus sanctis; decantando antiphonam, ad venerationem sancti, qui porticus ad quam itur, dedicata est.

Post quos laudes pro defunctis. Quod si luce diei, ut oportet, finitum fuerit officium, incipiant *Primam*, absque tintinnabuli signo; sin autem, exspectent lucem, et pulsato signo congregentur ad *Primam*. Deinde finita *Prima*, duos psalmos, *Domine, ne in furore tuo*, etc., et *Miserere mei, Deus*, etc., canant, primum pro carnis tentatione, cum precibus, *Proba nos, Domine, et non inveniat nos pes superbiæ*, etc., et collecta *Ure igne*. Sequentem vero, pro defunctis fratribus, cum collecta. *Inveniant, quæsumus, Domine*, etc.; et prece *Animæ fratrum nostrorum*, etc. Et sic more solito, pœnitentiæ psalmos percurrant devote interposito psalmo, *Inclina Domine*, etc. His vero finitis subsequatur litania, quam universi more solito, prostrati humiliter, nullo excepto, signo pulsato compleant. Qua expleta, post orationem Dominicam intercanitur psalmus, *In te, Domine, speravi*, etc. Consequentibus precibus et orationibus Quibus finitis vocent fratres lectioni, usque ad horam secundam, secundum regulæ præceptum. Tunc facto signo, eant, et se diurnalibus induant calceamentis, nullus enim hoc debet præsumere, antequam illud audiatur signum, exceptis ministris, neque tunc, ab aliquo intermittatur sine licentia, ne præsumptione temeraria obedientiæ meritum lugubriter obnubilent; dehinc psalmodiis dediti, facies suas, uti mos est, lavet schola universa cum magistro et abbate. Seniores vero, prout Deus unicuique in corda eorum divino immiserit instinctu, silenter, ac tota mentis intentione, opus suum in his obsequiis, sicut in omnibus convenit orationibus, decorando celebrent, horas canonicas, vel septem pœnitentiæ psalmos, vel aliud quidpiam spiritale, ad tentationem diabolicam devincendam psallendo: sicque toti veniant ad ecclesiam. Infantibus autem ad ecclesiam intrantibus, æditUus primum sonet signum: peractis tribus a pueris orationibus, uti prius a senioribus gestum fuerat dispositi singuli in locis suis, campana pulsata, incipiant horam *Tertiam*, post cujus terminum dicant pro rege atque regina et benefactoribus suis psalmum: *usquequo, Domine*, et *Miserere mei, miserere mei*, subsequentibus prescriptis collectis: deinde missam matutinalem celebrent, ad quam secunda feria, dexter offerat chorus; sinister ad principalem missam. Tertia rursum feria, sinister offerat ad matutinalem, dexter ad principalem, sicque alternati, in eo hebdomadam percurrent; eadem vero matutinalis missa, pro rege, vel quacumque imminente necessitate celebretur. Hoc expleto, facto signo a priore, convenientes ad capitulum ipso præcedente versa facie ad orientem salutent crucem, et cæteris undique fratribus se vultu inclinato humilient; cujus humiliationis ratio, et in omni conventu custodienda est: Tunc residentibus cunctis, legatur Martyrologium. Quo dicto surgentes omnes dicant versum, *Pretiosa in conspectu Domini*, etc., cum oratione ac versu: *Deus in adjutorium meum intende*; qui versus tertio repetatur ab omnibus, priore incipiente, subjungentes, *Gloria*, et flectentes genua, si tempus ita dictaverit: dicente vero priore; *et ne nos inducas*, surgant omnes erectoque vultu dicant, *Respice in servos*, subjungentes, *Gloria*, humiliato capite. Sequitur oratio. *Dirigere et sanctificare*: et *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram*. Iterum autem residentibus legatur regula, vel si dies festus fuerit evangelium ipsius diei, de qua lectione a priore prout Dominus dederit, dicatur. Post hoc quicumque se reum alicujus culpæ agnoscit, veniam humiliter postulans, petat indulgentiam. Omnis autem frater, pro quacumque causa increpatus ab abbate, vel a quolibet et priore, antequam verbum aliquod proferat, veniam petat. Et dum a priore interrogatus fuerit, quæ sit causa pro qua veniam poscit, respondeat atque suam fateatur culpam dicens: *mea culpa, Domine*; dehinc jussus erigat se: nam si aliter egerit culpabilis indicabitur. Quicumque enim increpatus, a quolibet priore fuerit pro aliquo reatu, vel si quippiam in officiis excesserit, et non statim veniam uti regula præcipit, postulaverit, majori subjaceat vindictæ. Quanto enim quis se humiliavit, seseque culpabilem reddiderit, tanto misericordius, ac levius a priore debet judicari; necesse est enim, ut in omnibus negligentiis nostris, id est, cogitationum, linguæ, vel operum, in præsenti vita, per veram confessionem, et humilem pœnitudinem judicemur, ne post istius vitæ decursum, reos nos ante tribunal Christi statuant. Finito hoc spiritualis purgaminis negotio, quinque psalmos qui post notantur pro defunctis fratribus, decantent, ista vero omnia quæ diximus post *Tertiam* his temporibus agenda; Dominicis diebus omni tempore ante *Tertiam* agantur, ita tamen, ut fratrum unusquisque suæ conscientiæ reatum Patri spirituali vel ejus, si absens fuerit, vicario, per humilem revelet confessionem. Si autem tanta fuerit multitudo, ut ea die omnes ad confessionem venire nequeant, sequenti die, secunda videlicet feria, hoc idem impleant. Schola vero nullo modo hoc quanquam puerilis intermittat, sed ut senes, licet nondum tentationibus impugnata, consuete peragat. Qui autem aliis indiguerit diebus, tentatione aliqua animi vel corporis stimulatus, ad confessionis salubre remedium, devotus, non cominus venire differat.

In diebus autem festis, ob taciturnitatis studiique A observantiam, ita protendatur *Prima*, ut capitulo facto, matutinalique missa celebrata, quæ die Dominica, de Trinitate celebranda est nisi alia dies festus fuerit, si dies Dominica fuerit, mox accedant ad consecrationem conspersinis, si alia quælibet solemnitas, mox ad ***Tertiam;*** interim enim cum ea missa agitur, sequentis missæ ministri se induant, et ***Tertia*** peracta, mox signorum motu fidelem advocantes plebem, missam inchoent. Post pacem, fratres, quotidie (nisi qui crimine se aliquo, vel carnis fragilitate, reos cognoverunt) regulari studio prorsus intenti, eucharistiam accipere non renuant. attendentes illud quod ait beatus Augustinus; in libro De verbis Domini : quod videlicet, ***in oratione Dominica non annum, sed quotidianum deposcimus*** B ***panem.*** Et ut ipse inibi testatur, tam facile Christianum posse carere, ne unquam vitæ pabulum corpus videlicet, ac sanguinem Christi accipiant, quam non crebrius, quam semel in anno degustet. *Sic* (inquiens) ***vive, ut quotidie merearis accipere: qui quotidie, non meretur accipere, non meretur post annum accipere.*** Videant tamen ad cœnam invitati Dominicam, ne crimine aliquo turpiter infecti sine confessione et pœnitentia præsumant accedere, et vitæ alimenta sibi in damnationem convertant, ut ait beatus Apostolus, ***non dijudicantes corpus Domini.*** Finita missa detur spatium, quo ministri fratres propter communionem sanctam accipiant mistum, cæteris omnibus interim in ecclesia residentibus, et facto signo agant orationem deinde ***Sextam.*** Post ***Sextam***, eant ad mensam, hoc semper attendendum C est sexta feria de cruce, Sabbato de sancta Maria, nisi festiva aliqua dies convenerit, missa celebretur principalis.

Omnibus namque diebus festivis, sive quotidianis, missa finita dicatur pro rege psalmum ***Exaudiat te Domine***, et pro regina, ***Ad te levavi***, etc. Consequentibus precibus, et oratione congrua videlicet ut post missam, eorum agatur memoria ut in missa, et in omnibus aliis agitur horis. Tota autem die, solemne silentium teneatur in claustro.

Surgentes a capitulo, canant quinque psalmos pro defunctis : ***Verba mea, Domine, Ne in furore, Dilexi quoniam. Credidi, De profundis.*** Post quos pulsetur tabula, et si quid non habuerint ad agendum dicatur tantum a priore, *Benedicite*, cæteris respon- D dentibus, ***Dominus.*** Si vero opus habuerint, pulsata tabula, prior auxilium prius invocet divinum, dicens tertio, ***Deus in adjutorium meum intende***, fratribus hoc idem respondentibus, et *Gloria, Pater noster*, et ***Adjutorium nostrum.*** Tunc cum decantatione canonici cursus, et psalterii operentur, quod eis injungitur usque dum audiant signum ad induendum. Quod cum audierint, disjungant se singuli ab operibus suis, festinantes ad opus Domini, devenientesque ante oratorium, benedicant Dominum, qui eis adjutorium præstitit, dicentes : ***Benedictus es, Domine, quoniam adjuvisti me, et consolatus es me***, ter, et *Gloria, Pater noster*, ***et Adjutorium, et Propitius sit nobis omnipotens Dominus.*** Ingredientes autem ecclesiam agant orationem : dehinc eant ad induendum se ministri : induti vero introeant chorum, et pulsatis signis, celebrent ***Sextam;*** finita Sexta, canunt psalmum, ***Deus misereatur nostri***, et ***Domine exaudi***, pro rege reginaque, et familiaribus, cum prescriptis collectis: sequitur litania, qua finita, cantor ad hoc, more solito, indutus, missæ officium inchoet; finita missa pulsetur primum signum ***Nonæ***, et agatur oratio. Post orationem eant fratres hebdomadarii accipere mistum, sedentibus interim cæteris fratribus, in ecclesia psalmodiæ deditis. donec iterum dato signo, ***Nonam*** agant. Peracta ***Nona***, dicant pro rege reginaque, et familiaribus, psalmo : ***Qui regis Israel***, et *De profundis;* et cum prænotatis collectis : Dehinc, pergant ad mensuram. Surgentes mensa, vacent lectioni, aut psalmis, juxta præceptum regulæ; aut si aliquid fuerit agendum pulsetur tabula, et cum benedictione, quod agendum est, incipiant.

Temperius agatur vespera, cEjus signa dum sonant fratres post orationem in choro, juniores quidem spiritualis lectionis studio singuli serio occupati, seniores vero, orationibus divinis intenti, cum Domini gratia nusquam vagantes sedeant : Vesperam vero canentes, duos post ***Miserere mei, Deus***, pro rage reginaque, et familiaribus, addant psalmos, id est, ***Benedixisti, Domine***, et, ***Domine, exaudi.*** Vesperis dictis sicut diximus superius agendum de antiphonis, post Matutinas, ita agatur post Vesperas, et Vesperæ de omnibus sanctis, et mortuorum, et vigilia, usque ad Kalendas Novembris.

Quibus peracti eant fratres ad exuendos diurnales calceos, induentes nocturnales : si Sabbatum fuerit, singuli pedes suos lavent, sintque vasa huic operi congrua singulis designata; post pedum lavationem, lavent etiam calceos, quibus expedierit: post hæc, tintinnabulo a priore percusso, accedant cum gratiarum actione, ad haurienda pocula. Surgentes vero, prior hunc versum dicat : ***Adjutorium nostrum***, cæteri respondeant: ***qui fecit cœlum et terram:*** Inde pulsata tabula; eant ad mandatum secundum regulæ edictum, quo peracto facto signo in ecclesiam initietur collatio, rursumque dato tintinnabuli signo refectorium introeant charitatis gratia, quotiescunque fratribus charitas interim dum collatio legitur, præbetur, lectione finita, omnibusque surgentibus, dicat prior : ***Sit nomen Domini benedictum***, et ***Benedicamus Domino :*** Cæteris, ut mos est, respondentibus. Reliquis vero diebus post mutationem calceamentorum, cum signo refectorium petant. Exhinc similiter cum signo collationem adeant, quæ prout tempus permiserit, utque priori visum legatur, et sic accedant ad completorium.

Signo namque Completorii pulsato, agatur oratio, qua finita, facto signo a priore invicem sibi dent confessionis salubre remedium; finito Completorio, et ad ultimum, more solito, ***Miserere mei, Deus***, de-

cantanto, addantur duo psalmi, *Deus in adjutorium*, A et *Levari*; pro rege ac regina et benefactoribus. Finito completorio, ut in ultima hora canonica, uti in exordio sanctæ Trinitatis ac individuæ unitatis reverentia legitime a servulis exhibeatur catholicis, agant primum pueri tres orationes, post pueros, agant fratres.

In prima oratione, canant psalmos, *Usquequo Domine*, etc., *Judica me Deus*; *Kyrie eleison*, *Pater noster*, et preces, *Averte faciem tuam*; *Cor mundum*; *Ne projicias*; *Redde mihi lætitiam*; « Gratias tibi ago Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui me dignatus es in hac die custodire per tuam sanctam clementiam, concede mihi, hanc noctem mundo corde, et casto corpore, sic peragere qualiter mane surgens gratum tibi servitium persolvere B possim. Per Dominum nostrum, » etc.

In secunda oratione : *Deus misereatur nostri*; et *Nisi Dominus*, *Kyrie eleison*, *Pater noster*, easdem preces quas supra, collectam : « Deus cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum purifica per infusionem sancti Spiritum, cogitationes cordis nostri, ut perfecte te diligere, et digne laudari mereamur. Per Dominum nostrum, » etc.

In tertia oratione, *De profundis*, *Kyrie eleison*, *Pater noster*, easdem preces collect. « Omnipotens mitissime Deus qui sitienti populo, fontem viventis aquæ de petra produxisti, educ de cordis nostri duritia, compunctionis lacrymas, ut peccata nostra plangere valeamus, remissionemque, te miserante mereamur accipere. Per Dominum nostrum, » etc. C

« Omnipotens mitissime Deus, respice propitius, ad preces nostras, et libera cor nostrum, de malarum tentatione cogitationum, ut Spiritus sancti dignum fieri habitaculum mereamur inveniri, Per Dominum nostrum, » etc.

Quibus peractis, conspergantur a sacerdote hebdomadario, benedicta aqua, et sic pergant ad requiem suam, cum summæ tranquillitatis voce, et reverentia ; si quis vero, post hæc, devotionis suæ forte fervore, his diutius incumbere voluerit, agat quidem hæc, sed audito signo æditui, quo resides ad egrediendum vocat, nil moretur. Omni etiam nocte, post completorium, aspergatur domus requietionis eorum recumbentibus eis, propter illusiones diabolicas. D

Qualiter ordo hymnorum tempore hiemali custodiatur et cætera quæ regulariter agenda sunt qualiter agantur.

A Kalendis Novembris, usque in caput Quadragesimæ, unus teneatur ordo hymnorum, scilicet, uti in diebus brevioribus breviores dicantur hymni, et in longioribus productiores etiam hymni psallantur : id est ut, Dominica Vespera, *O lux beata*; ad Completorium, *Christe qui lux es*; ad nocturnas vero, *Primo dierum*; et ad matutinas dicatur : *Æterne rerum conditor*. Omni vero tempore ad nocturnam, ad matutinam, ad vesperam, exceptis Dominicis et festivitatibus sanctorum, feriale more solito teneantur. Præclaris vero et festivis solemnitatibus, hymni competentes, usu celebrentur consueto. Adventus autem Domini, Quadragesimæ, ac Passionis tempore hymni ejusdem cultus legitime decantentur, ita tamen ut non hymni de jejunio, sed hi qui per totum annum currunt, Dominicis diebus sive noctibus tempore quadragesimali celebrentur.

Ab eisdem Kalendis concedatur fratribus accessus ignis, dum necessitas compulerit, et frigoris nimietas incubuerit. Quod tamen sub silentio fiat, in refectorio vero hoc minime agatur. In hujus quoque hiemis tempore, propter nimiam imbrium asperitatem, locus aptus fratribus designetur, cujus. . . . refugio, hibernalis argoris, et intemperiei adversitas, levigetur; si autem temperies tranquilla fuerit, claustro uti libuerit cum Christi benedictione utantur, quod si pro necessitate, claustro egredientes domum uti diximus designatam ingressi fuerint, idem ibi mos in omnibus teneatur, qui in claustro solito tenetur : nec quispiam ullo unquam tempore claustrum deserens domum prædictam ad commorandum præsumptuosus adeat, vel domum derelinquens claustrum sine prioris licentia ; secundum vero regulæ edictum, temperius ad vigiliam surgatur ut nocturnali peracto officio, et psalmis supradictis, ac vigilia pro defunctis cum laudibus suis, atque matutinis de omnibus sanctis expletis, fratribus psalmodiæ deditis, vel lectioni secundum regulæ præceptum, si qui indiguerint inservientibus, intervallum usquequo lucescat, cum magna vigilantia custodiatur a lucis crepusculo, dum æditus signum pulsaverit ad ecclesiam universi conveniant, factaque oratione *Laudes* psallant matutinales. Quibus finitis, dicant antiphonas supradictas usque ad adventum Domini, quas sequatur *Prima*, et speciales psalmi, et litania, post hæc egrediantur ecclesiam, atque in lectionem, sacræ animæ profectum meditentur, usque ad tempus supradictum.

A festivitate sancti Martini, refectis fratribus, ecclesiam intrantibus, agatur signum *Nonæ*, quod sequatur ipsa laus, quam *Nonam* non sequitur potus usque ad Purificationem sanctæ Mariæ, sic agitur omnibus solemnibus diebus. Aliis vero diebus juxta supradictum ordinem faciant, ut videlicet facto signo calcient se, et reliqua omnia, sicut dictum est impleant, in adventu Domini, pinguedo interdicitur, scilicet lardi, nisi festivis diebus. Vespera quotidie mores solito agatur, ut scilicet suo tempore post mensam celebretur.

Qualiter vigilia Natalis Domini, et ab eadem solemnitate usque in septuagesimam agi conveniat.

In vigilia Natalis Domini, dum ejusdem natalis mentio a lectore recitatur in capitulo, omnes pariter surgentes genu flectant, gratias agentes propter ejus ineffabilem pietatem, qua mundum a laqueis diaboli redempturus descendit. Sabbato quoque sanctæ Paschæ, dum a puero Resurrectio Domini nostri Jesu Christi legitur, quamquam in martyrologio id

non habetur. propter ejus gloriosissimi victoriam triumphi, quam destructis Erebi claustris, secum fideles quosque in cœlos adduxit, nobis etiam redivivis, spem ascendendi concessit uniformiter agatur, vespere conantur Antiphonæ congruæ de ipsa completione temporis, ad psalmos, in cujus noctis Vigilia, in quarto responsorio, ut honorificentius agatur,duo simul cantent illud,et evangelium post *Te Deum laudamus* ab abbate more solito legatur, dicta oratione, sub silentio egrediantur ministri,ut calcient se,lavent et induant sub festinatione,omnibusque signis motis, agatur missa; post hæc, laudes matutinales, his finitis, incipiant laudes de omnibus sanctis, more solito, si autem duxerit missam celebrent matutinalem, quæ in lucis crepusculo celebranda est.Dehinc tempore opportuno, signo pulsato canant. *Primam* finita *Prima*, venientes ad capitulum, post cætera spiritualis ædificationis colloquia petunt humili devotione fratres ab abbate, qui vices Christi agit postulantes multiplicium indulgentiam dicentes *Confiteor*, et abbas respondeat *Misereatur*.Demum ipse abbas solotenus se prosternens eadem a fratribus petat,idem modus confessionis prima Paschalis solemnitatis die ita agatur. Capitulo facto, et psalmis dictis induant se omnes ut sint ornati omnes ad Tertiam.Ad Vesperam ipsius diei dicantur antiphonæ,*Tecum principium*,et reliquæ; reliqui, vero tribus diebus dicantur antiphonæ de ipsis sanctis cum psalmis ipsi solemnitati competentibus. His peractis rursum repetatur *Tecum principium*, usque ad Octavas Domini, his autem diebus inter Innocentium festivitatem,et Octavas Domini, quia *Gloria in excelsis Deo* ob tantæ festivitatis honorificentiam ad missam celebratur, ad Nocturnam, et ad Vesperam, uti ad missam, sicut in usum hujus patriæ indigenæ tenent,omnia signa pulsentur, nam honestas hujus patriæ mores ad Dominum pertinentes, quos veterum usu didicimus nullo modo abjicere sed undique uti diximus corroborare decrevimus, ad matutinas vero ob rem prædictam licet *Te Deum laudamus* non canatur, et evangelium minime festivo more legatur, cereus tamen accendatur, et signa pulsentur omnia, et thuribulum thurificando deportetur, hinc usque (ad) Epiphaniam Domini psalmi ad vesperas ad feriam pertinentes cum antiphona dicantur. In vigilia Epiphaniæ Domini jejunium minime exsequitur.Ad psalmos ipsius vesperæ antiphonæ dicantur de eadem solemnitate.Cæteris diebus post Octavas Domini, et Epiphaniarum primum diem, et post primam agatur missa matutinalis, et tabula post capitulum pulsantur, et obedientia agitur, et signa simul non pulsatur, nec *Gloria in excelsis Deo* canitur, nisi alia festivitas intervenerit, usque octavam diem,qui solemniter cum XII lectionibus celebratur. Ab ea die usque caput Quadragesimæ suprascriptus ordo teneatur.

In Purificatione sanctæ Mariæ sint cerei ordinati in ecclesia, ad quam fratres ire debent, ut inde A petant luminaria. Euntes autem silenter incedant psalmodiæ dediti, et omnes albis induti, si fieri potest vel aeris permiserit temperies, et intrantes ecclesiam agant orationem cum antiphona, et collecta ad venerationem ipsius sancti cui ecclesia ipsa ad quam itur dedicata est. Deinde abbas, stola et cappa indutus benedicat candelas, et conspergat aqua benedicta,et thurificet,et sic accepto cereo ab ædituo psallentibus cunctis,accipiant singuli singulos,acceptosque accendant. Inde revertentes canant antiphonas,quæ adsunt usquequo veniant ante portam, ubi decantata antiphona, *Responsum accepit Simeon*, dicatur oratio *Exaudi quæsumus Domine*, postquam ingrediantur ecclesiam canentes responsorium *Cum inducerent puerum*,hoc decantanto dicant B orationem Dominicam, dehinc sequatur *tertia*, qua finita si processionem induti non egerunt induant se,et missam celebrantes teneant luminaria in manibus donec post oblationem ea sacerdoti offerant, qui regularis ordo a Septuagesima tota Quadragesimo custodiatur.

In Septuagesima vero pinguedo intermittatur, usque in Quinquagesimam; a Quinquagesima vero Quadragesimalem teneant abstinentiam more solito. A Septuagesima autem finitis tribus lectionibus sex nocturnæ posterioris psalmi uti priores cum tribus antiphonis ex ipsorum psalmorum concentu editis usque ad Cœnam Domini cum summa diligentia decantentur. A capite jejunii, quarta, et sexta feria processionem custodiant usque in Cœna Domini,et ab octavis Pentecostes usque ad Calendas Octobris: C cujus ordo processionis ita agatur: Quarta feria capitis jejunii *Nona* decantanta abbas stola ornatus benedicat cineres: quibus benedictus eat ipse abbas, et imponat capitibus singulorum, quia ejus est pœnitentiam illis imponere, canentes interim antiphonam : *Exaudi nos, Domine ; Salvum me fac, Deus*, et *Gloria ; Kyrie eleison ; Pater noster ; Deus misereatur nostri*, et preces, et collectas. Tunc vadant quo ire habent canentes antiphonas, quæ in Antiphonario continentur : venientes ad ecclesiam, quo eunt, iterum agant orationem, et post antiphonam de sancto, et psalmum, *Ad te levavi occulos*, et preces,et orationem ibi incipientes litaniam revertantur ad matrem ecclesiam,ac dehinc more solito agatur missa. Iste ordo processionis semper teneatur quo- D ties processio agitur. Sed aliis temporibus semper antiphona *Exsurge, Domine*, dicatur prima cum psalmo et *Gloria*.

His peractis induant se ministri altaris,postquam ingressi fuerint ecclesiam cum processione,prolongata litania, quantum ad hoc sufficiat. Tunc induti casulis sacerdos, diaconus, subdiaconus peragant ministeria sua. His autem mos *casularii*, tantummodo quadragesimali et quatuor temporibus usu præcedentium Patrum observetur: subdiaconus quoties casula induitur,exuat eam dum legit Epistolam, qua lecta, rursus ea induatur. Diaconus vero ad Evangelium legendum accedat, exuat casulam, et

duplicans eam circumponat sibi in sinistra scapula annectens alteram summitatem ejus cingulo albæ. Peracto communionis sacramento, induat eam antequam collecta finiatur. In supradictis diebus Quadragesimæ complete pulsetur signum ad vesperas, et agatur oratio; dehinc in intervalla quo signa pulsantur, eant ministri accipere mixtum, qui voluerint, qui vero noluerint licentiam habeant dimittendi, et quia regulæ tenemus ornamentum in his sanctis diebus Quadragesimæ aliquid nobis augendi divinæ servituti ad solitum pensum nostræ servitutis, censuimus ut a capite Quadragesimæ usque ad cœnam Domini, festivis exceptis diebus, quotidie post expletionem uniuscujusque horæ duos psalmos prostrati solo oratorii peroremus devoti, eo scilicet ordine ut, Matutinis finitis, mox dicantur duo psalmi *Domine, ne in furore*, 1, et *Ad Dominum*, *Kyrie eleison*, *Pater noster*, et preces pro peccatis et oratio. Ad *Primam*, *Beati quorum* et *Levavi*, et reliqua ut supra. Ad *Tertiam*, *Domine, ne in furore*, 2, et *Lætatus sum*. Ad *Sextam*, *Miserere mei, Deus* et *Ad te levavi*. Ad *Nonam*, *Domine exaudi*, et *Nisi quia Dominus*. Ad *Vesperam*, *De profundis*, et *Qui confidunt*. Ad *Completorium*, *Domine exaudi*, 2, et *In convertendo*, ut videlicet per singulas horas unus dicatur psalmus pœnitentiæ, et alter graduum. quo et nos peccatorum nexibus expiati virtutum gradibus superna scandamus, in quibus diebus Quadragesimæ per tres priores hebdomadas sint irrasi, mediante vero quadragesimali tempore, rasuræ officio pilorum evellant superfluitatem.

Dominica die Palmarum, quia major restat processio agenda, illa quæ solet in claustro agi interim dum matutinalis missa canitur, agatur a sacerdote tantum conspersionem et benedictionem agente. Finita illa missa; agatur illa major processio in qua, sicut in priori diximus agendum, ita agatur, id est, ut ad illam ecclesiam ubi palmæ sunt sub silentio ordinatim eant dediti psalmodiæ omnes, si fieri potest, et hora permiserit, albis induti, quo cum pervenerint agant orationem ipsius sancti implorantes auxilii intercessionem, cui ecclesia dedicata est. Finita oratione, a diacono legatur Evangelium *Turba multa*, usque *mundus totus post ipsum abiit*, quod sequatur benedictio palmarum; post benedictionem aspergantur benedicta aqua, et thus crometur, dehinc pueris inchoantibus antiphonas *Pueri hebræorum*, distribuantur ipsæ palmæ, et sic majoribus antiphonis initiatis egrediantur; venientes ante ecclesiam subsistant, donec pueri qui præcesserunt, decantent, *Gloria laus*, cum versibus omnibus, sicut mos est, *Laus* et *Gloria* respondentibus; quibus finitis; incipiente cantore responsorium *Ingrediente Domino*, aperiantur portæ; ingressi, finito responsorio, agant sicut supra dictum est, et teneant palmas in manibus usque dum offertorium canetur, et eas post oblationem offerant sacerdoti. Ea die ad passionem dicitur, *Dominus vobiscum*, sed *Gloria tibi Domine*, non respondetur; similiter et in reliquis passionibus excepta parasceve passione ubi neutrum dicatur nec *Dominus vobiscum*, nec *Gloria tibi Domine*. Quinta feria quæ et Cœna Domini dicitur, nocturnale officium agatur secundum quod in antiphonio habetur. Comperimus etiam in quorumdam religiosorum ecclesiis quiddam fieri, quo ad animarum compunctionem spiritualis rei indicium exortum est, videlicet ut peracto quidquid ad cantilenam illius noctis pertinet, Evangeliique antiphona finita, nihilque jam cereorum luminis remanente, sint duo ad hoc idem destinati pueri in dextra parte chori, qui sonora psallant voce *Kyrie eleison*, duoque in sinistra parte similiter, qui respondeant *Christe eleison*, nec non et in occidentali parte duo qui dicant *Domine, miserere nobis*; quibus peractis, respondeat simul omnis chorus, *Christus Dominus factus est obediens usque ad mortem*. Demum pueri dexterioris chori repetant quæ supra, eodem modo quo supra, usquequo chorus finiat quæ supra. Idemque tertio repetant eodem ordine. Quibus tertio finitis, agant tacitas genuflexo more solito preces. Qui ordo trium noctium uniformiter teneatur ab illis: qui ut reor ecclesiasticæ compunctionis usus a catholicis ideo repertus est, ut tenebrarum terror (qui tripartitum mundum Dominica passione timore percutit insolito), ac apostolicæ prædicationis consolatio (quæ universo mundo Christum pati usque ad mortem pro generis humanæ salute obedientem revelaverat) manifestissime designetur. Hæc ergo inserenda censuimus, ut si quibus devotionis gratia complacuerint, habeant in his unde hujus rei ignaros instruant; qui autem noluerint, ad hoc agendum minime compellantur.

In quarum noctium sequentibus diebus ad nullum dicitur horam: *Deus in adjutorium meum*, sed in directum capitula canonici cursus dicantur: dehinc versus, et sequentia. In quarta vero feria eadem capitula altius dicuntur, ut ab omnibus audiantur, et vesperæ, et completorium, cæteris diebus minime. In supradictis noctibus si matutinæ ante lucem fuerint finitæ, fratres qui voluerint ad suam redeant requiem, qui autem spiritualia exercitia maluerint cum summo vigilantes silentio (quod eorum animabus expedit, mane facto in cœna Domini conveniant ad *Primam*, qua sonore dicta, et canonico more, scilicet *Deus in nomine tuo*, *Beati immaculati*, usque *Legem pone*. Tunc dicto versu, genu flexo peragant cætera silenter; post *Pater noster*, dicitur silenter, *Vivet anima mea, et laudabit te*, usque in finem psalmi, sed priore perveniente ad confessionis locum facto signo agant confessionem. In cæteris horis similiter residua capitula, ad *Tertiam*, a *Legem pone*, usque *Defecit* alta-voce, et versus, et cætera silenter. Ad *Sextam* a *Defecit*, usque ad *Mirabilia*. Ad *Nonam* a *Mirabilia* usque in finem; Vesperæ similiter sonora voce, unusquisque psalmus cum antiphona, et versus et Evangelium, et cætera silenter. Completorium æque sonore, et post primum psalmum canonico more, *In te, Do-*

mine, speravi, et *Evangelium, Nunc dimittis*, post, *Pater noster. In pace in idipsum.* His tribus diebus *Prima* peracta, psallant psalterium ex integro unanimiter in choro. Post quod, Litaniam agant prostrati, deinde lectioni vacent, usque facto signo eant ad calciandum, et reliqua more regulari compleant, facto namque capitulo discalcient se fratres, et intrantes ecclesiam more obedientiæ lavent pavimenta ecclesiæ, sacerdotibus interim cum ministris altaris benedicta aqua sacra altaria lavantibus. Ea enim die non fit celebratio missæ in aliquo altari, donec lavetur: quibus peractis, lotis pedibus, recalcient se. *Sexta* peracta, celebretur missa, pauperibus ante ad hoc collectis secundum numerum quem abbas prævideril, dehinc collectis in locum congruum, eant fratres ad agendum mandatum, ubi canentes antiphonas eidem operi congruentes lavent et extergant pedes pauperum, atque osculentur, et data aqua manibus eorum, dentur eis etiam cibaria, fiatque secundum abbatis arbitrium in eis distributio nummorum.

Dehinc hora congrua agatur *Nona.* Qua cantata ob arcanum cujusdam mysterii indicium, si ita placuerit, induant se fratres, et pergant ad ostium ecclesiæ ferentes hastam cum imagine serpentis, ibique ignis de silice excutiatur; illo benedicto ab abbate, candela, quæ more serpentis infixa est, ab illo accendatur. Sicque æditiuo hastam deportante cuncti fratres chorum ingrediantur, unusque dehinc cereus ex illo illuminetur igne. Sexta feria eodem ordine agatur ac a decano portetur. Sabbato similiter, a præpositoque deferatur. Et post hæc celebratio missæ. Ad quam *Dominus vobiscum* minime dicatur, nisi ab episcopo, tantummodo ubi chrisma conficitur. A quo etiam in Eucharistiæ acceptatione pacis osculum presbyteris, ter *Agnus Dei* decantato, solummodo detur, ab aliis vero minime præsumatur: in qua missa, sicut et insequentium dierum communicatio præbetur tam fratribus, quam cunctis fidelibus, reservata nihilominus a die Eucharistia quæ sufficit ad communicandum cunctis altera die: peracta missæ celebratione, omnes ad mixtum pergant. Post mixtum, quos voluerit abbas ex fratribus secum assumens suum peragat mandatum, quo peracto vesperas celebrent, dehinc refectionem fratrum agant. Postquam tempore congruo eorumdem agatur mandatum, qui tamen fratres prius pedes suos diligenter emundent; venientesque ad mandatum hebdomadarii ministri, secundum morem suum abbatem antecedentes, mandatum agant, quos sequitur in chonca sua singulorum pedes lavans, ministrantibus sibi quos voluerit ad hoc obsequium quos extergat, et osculetur. Quo peracto, resideat abbas in sede sua, veniantque priores, et ei eadem exhibeant, deinde surgens det aquam in manibus singulorum, rursumque ei eadem servitus exhibeatur. Inde vero dum manus lavant, diaconus hebdomadarius, et reliqui ministri eant, et induant se, signoque collationis

A moto ingrediantur, diacono dalmatica induto cum textu Evangelii, præcedentibus cereis, et thuribulo, legaturque Evangelium secundum Joannem *Ante diem festum*, donec tintinnabulum pulsetur: tunc præcedente processione subsequatur omnis congregatio, cunctisque in refectorio residentibus idem diaconus stans prosequatnr Evangelii sequentia, imposito super ambone Evangelio. Interim abbas propinando circueat fratres cum singulis potibus singulorum osculans manus, qua peracta ministratione residente abbate dicatur, *Tu autem, Domine.* Tunc a priore propinetur abbati, et reliquis ministris qui assistebant. Evangelioque finito potibusque haustis, procedat processio, et exuant se fratres, sintque cum reliquis ad complendum.

B Inde parasceve agatur nocturna laus sicut supra dictum est: post hæc venientes ad *Primam*, discalciati, omnes incedant quousque crux adoretur. Eadem enim die hora nona abbas cum fratribus accedat ad ecclesiam, qui dum peracta oratione cum ministris altaris more solito indutus fuerit veniens de sacrario ante altaria orationis gratia inde cum silentio ad sedem accedat proprium, tunc subdiaconus ascendat ad legendum lectionem Osee prophetæ, *In tribulatione sua*, sequitur responsorium, *Domine audivi*, cum 4 versibus: postea dicitur oratio ab abbate cum genuflexione, *Deus a quo et Judas.* Deinde legitur alia lectio, *Dixit Dominus ad Moysen*, sequitur tractus *Eripe me Domine*; postea legitur *Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem.* Ad illam passionem diaconus non dicat, C *Dominus vobiscum*, sed *Passio Domini*, et reliqua, nullo respondente, *Gloria tibi, Domine;* et quando legitur in Evangelio, *partiti sunt vestimenta mea*, et reliqua, statim duo diaconi nudent altare sindone, quæ prius fuerat sub Evangelio posita, in modum furantium; post hoc celebrentur orationes, et veniens abbas ante altare incipiat orationes solemnes, quæ sequuntur, et dicat primam sine genuflexione, quasi legendo, *Oremus, dilectissimi nobis*, et reliqua.

Quibus expletis per ordinem, statim præparetur crux ante altare, interposito spatio inter ipsam et altare hinc et inde a duobus diaconibus. Tunc cantent *Populc meus*, respondentes autem duo subdiaconi stantes ante crucem canant Græce, *Agios o* D *Theos, Agios ischiros, Agios athanatos, eleison imas.* Itemque schola id ipsum Latine, *Sanctus Deus.* Deferatnr tunc ab ipsis diaconibus ante altare, et eos acolythus cum pulvillo sequatur, super quem sancta crux ponatur. Antiphonaque finita quam schola respondet Latine, canant ibidem sicut prius, *Quia eduxit vos per desertum.* Idem vero respondeant subdiaconi Græce sicut prius, *Agios*, ut supra; itemque schola Latine ut prius, *Sanctus Deus.* Itemque diaconi levantes crucem canant sicut prius, *Quid ultra.* Item subdiaconi sicut prius, *Agios*, ut supra; itemque schola Latine, *Sanctus Deus*, ut supra. Post hæc vertentes se ad clerum nudata cruce dicant antipho-

nam, *Ecce lignum Crucis*; Antiphonam, *Crucem tuam adoramus*; antiphonam, *Deum fabricator mundi*, *Pange lingua*. Illico ea nudata, veniat abbas ante crucem sanctam ac tribus vicibus se prosternat cum omnibus fratribus dexterioris chori, scilicet senioribus, ac junioribus, et cum magno cordis suspirio septem pœnitentiæ psalmos cum orationibus sanctæ cruci competentibus decantando peroret.

In prima quidem oratione tres psalmos primos cum oratione, « Domine Jesu Christe, adoro te in crucem ascendentem, deprecor te, ut ipsa crux liberet me de diabolo percutiente : Domine Jesu Christe, adoro te in ipsa vulneratum, deprecor te ut ipsa vulnera remedium sint animæ meæ : Domine Jesu Christe, adoro te descendentem ad inferos liberare captivos, deprecor te ut non ibi me dimittas introire : Domine Jesu Christe, adoro te resurgentem ab inferis, ascendentem ad cœlos, deprecor te, miserere mei : Domine Jesu Christe, adoro te venturum judicaturum, deprecor te ut in tuo adventu non intres in judicio cum me peccante, sed deprecor te, ut ante dimittas quam judices, qui vivis et regnas. «

In secunda duos medios cum sequente oratione : Domine Jesu Christe, gloriosissime conditor mundi, qui cum sis splendor gloriæ coæternus Patri sancque Spiritui, ideo dignatus es carnem ex immaculata Virgine sumere, et gloriosas palmas tuas in crucis patibulo permisisti configere, ut claustra dissipares inferni, et humanum genus liberares de morte; respice, et miserere mihi misero oppresso facinorum pondere multarumqne nequitiarum labe polluto; non me digneris derelinquere, piissime Pater, sed indulge, quod impie gessi. Exaudi me prostratum coram adoranda gloriosissima cruce tua ut merear tibi mundus assistere, et placere conspectui tuo, qui cum Patre, etc. »

A tertia ultimos duos cum oratione : « Domine omnipotens Jesu Christe, qui tuas manus mundas propter nos in cruce posuisti, et de tuo sanguine nos redemisti, mitte in me sensum, et intelligentiam quomodo habeam veram pœnitentiam, et habeam bonam perseverantiam omnibus diebus vitæ meæ. Amen. » Et eam humiliter deosculans surgat. Dehinc sinisterioris chori omnes fratres eadem mente devota rogant, nam salutata ab abbate vel omnibus cruce sedeat ipse abbas ad sedem suam usque dum omnis clerus ac populus hoc idem faciat; nam quia ea ... depositionem corporis Salvatoris nostri celebramus, usum quorumdam religiosorum imitabilem ad fidem indocti vulgi ac neopgytorum corroborandam æquiparando, sequi si ita cui visum fuerit ... sibi taliter placuerit hoc modo decrevimus. Sit ... em in una parte altaris, qua vacuum fuerit, quædam assimilatio sepulcri velamenque quoddam in ... o tensum, in quod dum sancta crux adorata fuerit deponatur hoc ordine : veniant diaconi, qui ... us portaverunt eam, et involvant eam sindone in ... o ubi adorata est, tunc reportent eam canentes antiphonas : *In pace in idipsum; Habitabit.* Item, *Caro mea requiescet in spe*. Donec veniant ad locum monumenti, depositaque cruce acsi Domini nostri Jesu Christi corpore sepulto, dicant antiphonam, *Sepulto Domino signatum est monumentum, ponentes milites qui custodirent eum.* In eodem loco sancta crux cum omni reverentia custodiatur, usque Dominicam noctem resurrectionis : nocte vero ordinentur duo fratres aut tres, aut plures si tanta fuerit congregatio, qui ibidem psalmos decantando excubias fideles exerceant, quibus peractis egrediantur diaconus ac subdiaconus de sacrario cum corpore Domini, quod pridie remansit, et calice cum vino non consecrato, et ponant super altare; tunc sacerdos veniat ante altare, et dicat voce sonora : *Oremus, præceptis salutaribus moniti*, et *Pater noster* inde *Libera nos, quæsumus, Domine*, usque *per omnia sæcula sæculorum.* Et sumat abbas de sancto sacrificio et ponat in calicem nihil dicens, et communicent omnes cum silentio : hoc expleto vespertinum officium canat unusquisque privatim in loco suo, quo peracto refectorium petant. Surgentes autem a mensa cætera more solito peragant. Crucis vero veneratione peracta, quibus vacuum fuerit ministri vel pueri se radant, ac balneent, si tanta fuerit cohors societatis, ut sabbati crastini ad hoc non sufficiat dies. Completorium vero post collationem unusquisque in loco suo stans semotim, ac silenter more canonicorum, ut supra diximus, decantet, et consueto more cætera compleat, his vero tribus diebus in refectorio omnia cum benedictione, et in capitulo more agantur solito.

Qualiter diurna, sive nocturna, laus Paschali festivitate agatur.

Sabbato sancto hora nona veniente abbate in ecclesiam cum fratribus, novus, ut supra dictum est, afferatur ignis. Posito vero cereo ante altare, ex illo accendatur igne. Quem diaconus more solito benedicens, hanc orationem quasi voce legentis proferens dicat : *Exultet jam angelica turba cœlorum.* Tunc voce sublimiore dicat, *Sursum corda*, et reliqua. Finita benedictione accendatur alter cereus, et tunc illuminantur duo cerei tenentibus duobus acolythis, unus in dextro cornu alaris, et alter in sinistro. Benedictione peracta ascendat subdiaconuambonem, legat lectionem qrimam, *In principio creavit;* sequitur oratio a priore, *Oremus Deus qui mirabiliter*. Secunda lectio, *Factum est in vigilia;* tractus, *Cantemus Domino*. Sequitur oratio, *Oremus, Deus cujus antiqua miracula;* tertia lect. *Hæc est hæreditas;* collecta, *Deus qui Ecclesiam tuam;* tractus *Sicut cervus;* sequitur oratio, *Concede, quæsumus, omnipotens Deus.* Finita oratione, inchoentur litaniæ septenæ ad introitum ante altare. Postea descendat abbas cum scola canentes litanias quinas ad fontes benedicendos. Sequitur, *Omnipotens sempiterne Deus*, et præfatio; his expletis redeunt ad altare cum litania terna, et antequam cantatur *Gloria in excelsis Deo*, magister scholæ dicat alta voce, *Accendite.* Et tunc illuminentur omnia luminaria ecclesiæ, et ab-

mine, speravi, et *Evangelium, Nunc dimittis*, post, *Pater noster. In pace in idipsum.* His tribus diebus *Prima* peracta, psallant psalterium ex integro unanimiter in choro. Post quod, Litaniam agant prostrati, deinde lectioni vacent, usque facto signo eant ad calciandum, et reliqua more regulari compleant, facto namque capitulo discalcient se fratres, et intrantes ecclesiam more obedientiæ lavent pavimenta ecclesiæ, sacerdotibus interim cum ministris altaris benedicta aqua sacra altaria lavantibus. Ea enim die non fit celebratio missæ in aliquo altari, donec lavetur : quibus peractis, lotis pedibus, recalcient se. *Sexta* peracta, celebretur missa, pauperibus ante ad hoc collectis secundum numerum quem abbas prævideril, dehinc collectis in locum congruum, eant fratres ad agendum mandatum, ubi canentes antiphonas eidem operi congruentes lavent et extergant pedes pauperum, atque osculentur, et data aqua manibus eorum, dentur eis etiam cibaria, fiatque secundum abbatis arbitrium in eis distributio nummorum.

Dehinc hora congrua agatur *Nona*. Qua cantata ob arcanum cujusdam mysterii indicium, si ita placuerit, induant se fratres, et pergant ad ostium ecclesiæ ferentes hastam cum imagine serpentis, ibique ignis de silice excutiatur ; illo benedicto ab abbate, candela, quæ more serpentis infixa est, ab illo accendatur. Sicque æditiuo hastam deportante cuncti fratres chorum ingrediantur, unusque dehinc cereus ex illo illuminetur igne. Sexta feria eodem ordine agatur ac a decano portetur. Sabbato similiter, a præpositoque deferatur. Et post hæc celebratio missæ. Ad quam *Dominus vobiscum* minime dicatur, nisi ab episcopo, tantummodo ubi chrisma conficitur. A quo etiam in Eucharistiæ acceptatione pacis osculum presbyteris, ter *Agnus Dei* decantato, solummodo detur, ab aliis vero minime præsumatur : in qua missa, sicut et insequentium dierum communicatio præbetur tam fratribus, quam cunctis fidelibus, reservata nihilominus a die Eucharistia quæ sufficit ad communicandum cunctis altera die : peracta missæ celebratione, omnes ad mixtum pergant. Post mixtum, quos voluerit abbas ex fratribus secum assumens suum peragat mandatum, quo peracto vesperas celebrent, dehinc refectionem fratrum agant. Postquam tempore congruo eorumdem agatur mandatum, qui tamen fratres prius pedes suos diligenter emundent ; venientesque ad mandatum hebdomadarii ministri, secundum morem suum abbatem antecedentes, mandatum agant, quos sequitur in chonca sua singulorum pedes lavans, ministrantibus sibi quos voluerit ad hoc obsequium quos extergat, et osculetur. Quo peracto, resideat abbas in sede sua, veniantque priores, et ei eadem exhibeant, deinde surgens det aquam in manibus singulorum, rursumque ei eadem servitus exhibeatur. Inde vero dum manus lavant, diaconus hebdomadarius, et reliqui ministri eant, et induant se, signoque collationis moto ingrediantur, diacono dalmatica induto cum textu Evangelii, præcedentibus cereis, et thuribulo, legaturque Evangelium secundum Joannem *Ante diem festum*, donec tintinnabulum pulsetur : tunc præcedente processione subsequatur omnis congregatio, cunctisque in refectorio residentibus idem diaconus stans prosequatnr Evangelii sequentia, imposito super ambone Evangelio. Interim abbas propinando circueat fratres cum singulis potibus singulorum osculans manus, qua peracta ministratione residente abbate dicatur, *Tu autem, Domine.* Tunc a priore propinetur abbati, et reliquis ministris qui assistebant. Evangelioque finito potibusque haustis, procedat processio, et exuant se fratres, sintque cum reliquis ad complendum.

Inde parasceveæ agatur nocturna laus sicut supra dictum est : post hæc venientes ad *Primam*, discalciati, omnes incedant quousque crux adoretur. Eadem enim die hora nona abbas cum fratribus accedat ad ecclesiam, qui dum peracta oratione cum ministris altaris more solito indutus fuerit veniens de sacrario ante altaria orationis gratia inde cum silentio ad sedem accedat proprium, tunc subdiaconus ascendat ad legendum lectionem Osee prophetæ, *In tribulatione sua*, sequitur responsorium, *Domine audivi*, cum 4 versibus : postea dicitur oratio ab abbate cum genuflexione, *Deus a quo et Judas.* Deinde legitur alia lectio, *Dixit Dominus ad Moysen*, sequitur tractus *Eripe me Domine*; postea legitur *Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem.* Ad illam passionem diaconus non dicat, *Dominus vobiscum*, sed *Passio Domini*, et reliqua, nullo respondente, *Gloria tibi, Domine;* et quando legitur in Evangelio, *partiti sunt vestimenta mea*, et reliqua, statim duo diaconi nudent altare sindone, quæ prius fuerat sub Evangelio posita, in modum furantium ; post hoc celebrentur orationes, et veniens abbas ante altare incipiat orationes solemnes, quæ sequuntur, et dicat primam sine genuflexione, quasi legendo, *Oremus, dilectissimi nobis*, et reliqua.

Quibus expletis per ordinem, statim præparetur crux ante altare, interposito spatio inter ipsam et altare hinc et inde a duobus diaconibus. Tunc cantent *Popule meus*, respondentes autem duo subdiaconi stantes ante crucem canant Græce, *Agios o Theos, Agios ischiros, Agios athanatos, eleison imas.* Itemque schola id ipsum Latine, *Sanctus Deus.* Deferatnr tunc ab ipsis diaconibus ante altare, et eos acolythus cum pulvillo sequatur, super quem sancta crux ponatur. Antiphonaque finita quam schola respondet Latine, canant ibidem sicut prius, *Quia eduxit vos per desertum.* Idem vero respondeant subdiaconi Græce sicut prius, *Agios*, ut supra ; itemque schola Latine ut prius, *Sanctus Deus.* Itemque diaconi levantes crucem canant sicut prius, *Quid ultra.* Item subdiaconi sicut prius, *Agios*, ut supra ; itemque schola Latine, *Sanctus Deus*, ut supra. Post hæc vertentes se ad clerum nudata cruce dicant antipho-

nam, *Ecce lignum Crucis*; Antiphonam, *Crucem tuam adoramus*; antiphonam, *Deum fabricator mundi*, *Pange lingua*. Illico ea nudata, veniat abbas ante crucem sanctam ac tribus vicibus se prosternat cum omnibus fratribus dexterioris chori, scilicet senioribus, ac junioribus, et cum magno cordis suspirio septem pœnitentiæ psalmos cum orationibus sanctæ cruci competentibus decantando peroret.

In prima quidem oratione tres psalmos primos cum oratione, « Domine Jesu Christe, adoro te in crucem ascendentem, deprecor te, ut ipsa crux liberet me de diabolo percutiente : Domine Jesu Christe, adoro te in ipsa vulneratum, deprecor te ut ipsa vulnera remedium sint animæ meæ : Domine Jesu Christe, adoro te descendentem ad inferos liberare captivos, deprecor te ut non ibi me dimittas introire : Domine Jesu Christe, adoro te resurgentem ab inferis, ascendentem ad cœlos, deprecor te, miserere mei : Domine Jesu Christe, adoro te venturum judicaturum, deprecor te ut in tuo adventu non intres in judicio cum me peccante, sed deprecor te, ut ante dimittas quam judices, qui vivis et regnas. «

In secunda duos medios cum sequente oratione : « Domine Jesu Christe, gloriosissime conditor mundi, qui cum sis splendor gloriæ coæternus Patri sanctoque Spiritui, ideo dignatus es carnem ex immaculata Virgine sumere, et gloriosas palmas tuas in crucis patibulo permisisti configere, ut claustra dissipares inferni, et humanum genus liberares de morte; respice, et miserere mihi misero oppresso facinorum pondere multarumqne nequitiarum labe polluto; non me digneris derelinquere, piissime Pater, sed indulge, quod impie gessi. Exaudi me prostratum coram adoranda gloriosissima cruce tua ut merear tibi mundus assistere, et placere conspectui tuo, qui cum Patre, etc. »

A tertia ultimos duos cum oratione : « Domine omnipotens Jesu Christe, qui tuas manus mundas propter nos in cruce posuisti, et de tuo sanguine nos redemisti, mitte in me sensum, et intelligentiam quomodo habeam veram pœnitentiam, et habeam bonam perseverantiam omnibus diebus vitæ meæ. Amen. » Et eam humiliter deosculans surgat. Dehinc inisterioris chori omnes fratres eadem mente devota peragant, nam salutata ab abbate vel omnibus cruce sedeat ipse abbas ad sedem suam usque dum omnis clerus ac populus hoc idem faciat; nam quia ea die depositionem corporis Salvatoris nostri celebramus, usum quorumdam religiosorum imitabilem ad fidem indocti vulgi ac neopgytorum corroborandam æquiparando, sequi si ita cui visum fuerit vel sibi taliter placuerit hoc modo decrevimus. Sit autem in una parte altaris, qua vacuum fuerit, quædam assimilatio sepulcri velamenque quoddam in iro tensum, in quod dum sancta crux adorata fuerit deponatur hoc ordine : veniant diaconi, qui prius portaverunt eam, et involvant eam sindone in loco ubi adorata est, tunc reportent eam canentes antiphonas : *In pace in idipsum; Habitabit.* Item, *Caro mea requiescet in spe*. Donec veniant ad locum monumenti, depositaque cruce acsi Domini nostri Jesu Christi corpore sepulto, dicant antiphonam, *Sepulto Domino signatum est monumentum, ponentes milites qui custodirent eum*. In eodem loco sancta crux cum omni reverentia custodiatur, usque Dominicam noctem resurrectionis : nocte vero ordinentur duo fratres aut tres, aut plures si tanta fuerit congregatio, qui ibidem psalmos decantando excubias fideles exerceant, quibus peractis egrediantur diaconus ac subdiaconus de sacrario cum corpore Domini, quod pridie remansit, et calice cum vino non consecrato, et ponant super altare; tunc sacerdos veniat ante altare, et dicat voce sonora : *Oremus, præceptis salutaribus moniti*, et *Pater noster* inde *Libera nos, quæsumus, Domine*, usque *per omnia sæcula sæculorum.* Et sumat abbas de sancto sacrificio et ponat in calicem nihil dicens, et communicent omnes cum silentio : hoc expleto vespertinum officium canat unusquisque privatim in loco suo, quo peracto refectorium petant. Surgentes autem a mensa cætera more solito peragant. Crucis vero veneratione peracta, quibus vacuum fuerit ministri vel pueri se radant, ac balneent, si tanta fuerit cohors societatis, ut sabbati crastini ad hoc non sufficiat dies. Completorium vero post collationem unusquisque in loco suo stans semotim, ac silenter more canonicorum, ut supra diximus, decantet, et consueto more cætera compleat, his vero tribus diebus in refectorio omnia cum benedictione, et in capitulo more agantur solito.

Qualiter diurna, sive nocturna, laus Paschali festivitate agatur.

Sabbato sancto hora nona veniente abbate in ecclesiam cum fratribus, novus, ut supra dictum est, afferatur ignis. Posito vero cereo ante altare, ex illo accendatur igne. Quem diaconus more solito benedicens, hanc orationem quasi voce legentis proferens dicat : *Exultet jam angelica turba cælorum.* Tunc voce sublimiore dicat, *Sursum corda*, et reliqua. Finita benedictione accendatur alter cereus, et tunc illuminantur duo cerei tenentibus duobus acolythis, unus in dextro cornu alaris, et alter in sinistro. Benedictione peracta ascendat subdiaconuambonem, legat lectionem qrimam, *In principio creavit;* sequitur oratio a priore, *Oremus Deus qui mirabiliter*. Secunda lectio, *Factum est in vigilia;* tractus, *Cantemus Domino*. Sequitur oratio, *Oremus, Deus cujus antiqua miracula;* tertia lect. *Hæc est hæreditas;* collecta, *Deus qui Ecclesiam tuam;* tractus *Sicut cervus;* sequitur oratio, *Concede, quæsumus, omnipotens Deus*. Finita oratione, inchoentur litaniæ septenæ ad introitum ante altare. Postea descendat abbas cum scola canentes litanias quinas ad fontes benedicendos. Sequitur, *Omnipotens sempiterne Deus*, et præfatio; his expletis redeunt ad altare cum litania terna, et antequam cantatur *Gloria in excelsis Deo*, magister scholæ dicat alta voce, *Accendite*. Et tunc illuminentur omnia luminaria ecclesiæ, et ab-

bate incipiente *Gloria in excelsis Deo*, pulsentur A omnia signa. Sequitur collecta, *Deus qui hanc sacratissimam noctem*. Deinde legitur Epistola, *Si consurrexistis*, et cantatur *Alleluia, confitemini Domino*, et tractus *Laudate Dominum*. Ante Evangelium non portantur luminaria in ipsa nocte, sed incensum tantum. Finito Evangelio, dicat abbas, *Dominus vobiscum, Oremus*; in ipso die non cantatur *Offertorium* nec *Agnus Dei*, nec *Communio*, et pacem non debent dare, nisi iis qui communicant; sed interim dum communicantur, *Alleluia*, et *laudate Dominum omnes gentes* cantatur, dehinc antiphona *Vespere autem Sabbati* et *Magnificat*. Sic sacerdos missam ac vespertinalem synaxim una compleat oratione; eadem vero die tempore mandati aqua manibus tantum data a ministro fratribus charitatis officio præbea- B tur. Completorium sonoriter celebretur more canonicorum.

In die sancto Paschæ septem canonicæ horæ a monachis in ecclesia Dei more canonicorum propter auctoritatem beati Gregorii papæ sedis apostolicæ, quam ipse Antiphonario dictavit celebrandæ sunt. Ejusdem tempore noctis antequam matutinorum signa moveantur, sumant æditui crucem et ponant in loco sibi congruo; imprimis ad Nocturnam ab abbate, seu quolibet sacerdote, dum initur Laus Dei in ecclesia, dicatur. *Domine labia mea aperies*, semel tantum. Postea, *Deus, in adjutorium meum intende* cum *Gloria*. Psalmo autem, *Domine, quid multiplicati sunt*, dimisso, cantor incipiat invitatorium. Tunc tres antiphonæ cum tribus psalmis, quibus finitis versus conveniens dicatur; deinde tot lectiones cum respon- C soriis ad hoc rite pertinentibus; dum tertia recitatur lectio, quatuor fratres induant se, quorum unus alba indutus ac si ad aliud agendum ingrediatur, atque latenter sepulcri locum adeat, ibique manu tenens palmam quietus sedeat, dumque tertium percelebratur responsiorum residui tres succedant; omnes quidem cappis induti thuribula cum incensu manibus gestantes, ac pedetentim ad similitudinem quærentium quid, veniant ad locum sepulcri: aguntur enim hæc ad imitationem angeli sedentis in monumento, atque mulierum cum aromatibus venientium ut ungerent corpus Jesu. Cum ergo ille residens tres velut erroneos ac aliquid quærentes viderit sibi adproximare, incipiat mediocri voce dulcisone cantare, *Quem quæritis*. Quo D decantato finetenus, respondent hi tres uno ore: *Jesum Nazarenum*; quibus ille: *Non est hic, surrexit sicut prædixerat. Ite, nuntiate, quia surrexit a mortuis*. Cujus missionis voce vertant se illi tres ad chorum dicentes, *Alleluia, surrexit Dominus*. Dicto hoc rursus ille residens veluti revocans illos dicat antiphonam, *Venite, et videte locum*. Hæc vero dicens surgat, erigat, velum, ostendatque eis locum cruce nudatum, sed tantum linteamina posita quibus crux involuta erat, quo viso deponant thuribula, quæ gestaverunt in eodem sepulcro, sumantque linteum, et extendant contra clerum, ac veluti ostendentes, quod surrexerit Dominus, et jam non sit illo involutus, hanc canant antiphonam: *Surrexit Dominus de sepulcro*, superponantque linteum altari; finita antiphona prior congaudens pro triumpho regis nostri, quod devicta morte surrexit, incipiat hymnum: *Te Deum laudamus*, quo incœpto una pulsantur omnia signa, post cujus finem dicat sacerdos versum: *In resurrectione tua, Christe* verbotenus, et initiat Matutinas, dicens: *Deus, in adjutorium meum intende*, et a cantore illico inchoetur antiphona cum psalmo *Dominus regnavit*, quia *Deus misereatur nostri*, hoc non canitur in loco, sed cum *Deus, Deus meus, ad te de luce*, conjunctim canonicorum more. Quinque psalmis jure peractis cum antiphonis sibi rite pertinentibus capitulo etiam a presbytero, versuque *Surrexit Dominus de sepulcro*, ut mos est a puero dicto, initietur antiphona in evangelia, qua peracta dicatur collecta de omnibus sanctis more solito. His septem diebus non canimus.

Ad *Primam* IV psalmi, *Deus in nomine tuo*, et *Confitemini Domino*; prima tantum feria, *Beati*, *Retribue* cum *Alleluia*, et capitulo et versu *Hæc dies* directo a puero prolato, deinde *Kyrie eleison*, et oratio Dominica cum symbolo, nec non et preces solito ritu, subsequente collecta. Ad *Tertiam*, psalmum, *Legem pone*, *Memor esto bonitatem*, cum *Alleluia*, et grad.: *Hæc dies* sine capitulo et versu. Similiter ad *Sextam*, ad *Nonam*, ad *Vesperam*, *Dixit Dominus*, *Confitebor*, *Beatus vir* cum antiphona sine capitulo, grad.: *Hæc dies* sine versu, *Alleluia* cum versu, et sequentia. Postea inchoetur antiphona in Evangelio, et collecta; dehinc eatur ad fontes, psalmum *Laudate pueri*, cum antiphona canentes, quem sequatur collecta. Inde vero revertentes chorum vel oratorium, quod eis competens videbitur adeant, psalmum *In exitu Israel* decantantes, quem propria sequatur collecta. Completorium more peragatur canonicorum per omnia. Finitis enim psalmis subsequatur capitulum et versus: exhinc *Nunc dimittis* cum antiphona concinitur consequentibus horæ precibus cum collecta et benedictione. Hic in reliquis sex diebus teneatur ordo.

Qualiter Octavarum Sabbato Paschæ totoque æstatis tempore agatur.

Vespera vero octavarum Paschæ ordo jam regularis pleniter inchoetur, et una tantum lectio memoriter ac breve responsiorum festivis diebus ad Nocturnam uti regula præcipit tota æstate dicantur. In natalitiis tamen sanctorum, in quibus ab operis labore non cessatur, tria responsoria, et tres lectiones ad ipsius sancti venerationem cujus memoriam recolimus pertinentes prolixe, si ita tempus permiserit, leguntur. In aliis vero festivitatibus ubi ab operis labore cessatur, XII lectiones cum totidem responsoriis, et psalmis competentibue uti diebus Dominicis decentissime æstivo sicut hiemali tempore legantur, quotidianis vero noctibus, in quibus XII responsoria minime canuntur, Nocturnis finitis parvissimum uti

regula præcipit fiat intervallum. Dehinc facto signo canuntur Matutinæ, quod si luce diei, ut oportet, Matutinæ fuerint finitæ, egredientes ecclesiam fratres calcient se, lavent, peractisque in ecclesia tribus orationibus, sedentes in claustro vacent lectioni, usque dum signum Primæ auditum fuerit. Si vero necdum dies fuerit, sicque priori visum fuerit, facto signo, qui voluerint lectulis suis pausent usque dum mane facto agant ut supra dictum est, tota enim æstate, exceptis Dominicis et festivis diebus, *Prima* decantata, matutinalique missa celebrata, capitulo etiam peracto pulsetur tabula ut supra dictum est, et quidquid agendum est agatur, usque dum primum signum *Tertiæ* sonuerit. *Tertia* vero peracta, et missa subsequente celebrata, uti regula præcipit, sedentes in claustro fratres vacent lectioni, usque dum mediante hora quinta primum signum *Sextæ* fuerit auditum. Quo peracto canatur *Sexta*, dehinc manibus lotis adeant mensam : sicque refecti lectulis suis pauserint usque dum mediante octava hora primum *Nonæ* auditum fuerit signum; quo audito, surgant et se lavent : sicque ecclesiam ingressi *Nonam* canent; *Nona* vero celebrata poculisque haustis, dicatur versus *Deus in adjutorium*, more solito, et quidquid necesse fuerit etiam tunc operentur : cæteris enim horis, secundum regulæ præceptum, quia tempus lectionis est, lectioni tantummodo vacantes, silentium diligenti cura in claustro custodiant, nam et omni tempore a primo pulsu vespertinalis synaxis silentium teneatur in claustro usquequo capitulum finiatur alterius diei, excepto auditorii loco; qui et ab hoc maxime eo censetur nomine, quod ibi audiendum sit, quid a præceptore jubeatur, non vero fabulis, aut otiosis ibi, aut alicubi vacari loquelis oportet : nam cum regulæ auctoritas omni tempore silentio studendum dicat, oportuno tamen tempore de rebus necessariis pro taciturnitatis gravitate uti patronus noster beatus Benedictus non alta, sed submissa voce loquendum permisimus; alias autem de Deo, et animæ suæ salute cum silentio meditandum, uti ipse censuit, hortamur, tempus etiam lectionis tempus est taciturnitatis. Vesperæ vero et Matutinæ de omnibus sanctis, ab octavis Paschæ una canatur antiphona, usque octavam Pentecostes : vigiliaque pro defunctis, et psalmi pro benefactoribus non solent cani; et litaniæ ante missam, quoniam a genuflexione ordo ecclesiasticus declinari ammonet, omni modo intermittantur.

Qualiter frater, qui circa vocatur, officium suum impleat.

Jam et secundum regulæ præceptum constitui debet aliquis frater, qui totius claustri sub decano curam gerat, qui ab officio circuitus sui *circa* vocatur. Est enim ejus officium sæpius circuire claustrum ne forte inveniatur frater acediosus aut alicui vanitati deditus. Quod si invenerit nullatenus illud debet reticere in capitulo venturi diei, nisi si pro levi qualibet culpa frater ille satisfactione humiliatus hoc impetraverit ab illo; qui etiam *circa* post Completorium circumeat claustrum, et si qua invenerit ibi codicum aut vestimentorum, asportet ea ad capitulum sequentis diei, nullus enim ea ullatenus tollere debet ab eo loco in quo ea posuerit absque ejus licentia : habeatque ille frater laternam qua nocturnis horis quibus oportet hæc agere videndo consideret, quique dum lectiones leguntur ad Nocturnas, in tertia, vel quarta lectione, prout viderit expedire, circumeat chorum, et si fratrem invenerit somno oppressum anteponat ille laternam, et revertatur, qui mox excusso somno petat veniam genuflexo, et arrepta eadem laterna pergyret et ipse chorum, et si quem hujusmodi morbo somni affectum invenerit agat illi sicut et ipsi factum est, revertaturque in locum suum.

Qualiter diurnale sive nocturnale officium hebdomada Pentecostes agatur.

Incipiunt orationes cum lectionibus atque canticis, quæ dicuntur in vigiliis Pentecostes, ante descensum fontis : prima lectio, *Tentavit Deus*, sequitur oratio : *Deus qui in Abrahæ.* 2ª lectio, *Apprehendent;* canticum, *Attende cœlum;* sequitur oratio : *Deus qui nobis per prophetarum.* 3ª lectio, *Apprehendent*, canticum *Vinea facta;* sequitur oratio : *Deus qui nos ad celebrandum.* 4ª lectio, *Audi Israel*, sequitur oratio : *Deus qui incommutabilis;* canticum, *Sicut cervus*, sequitur oratio *Concede quæsumus;* finita oratione inchoantur litaniæ septenæ ad introitum ante altare. Postea descendat abbas cum schola canente litanias quinas ad fontes benedicendos. Sequitur oratio et Præfatio. His expletis, redeunt ad altare cum litania terna. Quo finito dicat sacerdos, *Gloria in excelsis Deo;* sequitur oratio : *Præsta quæsumus;* postea legitur Epistola, *Cum Apollo*, et cantatur *Alleluia, confitemini Domino*, et tractus *Laudate.* Deinde missa secundum ordinem. Post refectionem vero tempore congruo, vesperæ cæteraque celebrantur more solito. Illa Dominica nocte tribus psalmis totidemque lectionibus cum responsorio agitur nocturna laus uti in Antiphonario titulatur. Cæteris vero horis diei, et hebdomadæ sequentis, regularis ordo teneatur. Sed et vesperæ sabbati, et ipsius diei sancti normaliter psallantur. Illa hebdomada Pentecostes solemniter celebratur sicut paschalis, excepto quod jejuniorum diebus, *Gloria in excelsis Deo* non canitur, et *Alleluia*, pro gradualibus canitur, et vesperæ de omnibus sanctis dicuntur. Rursus in octavis Dominica non repetitur *Spiritus Domini*, eo quod septem tantum colimus dona Spiritus sancti, sed agitur illa hebdomada de sancta Trinitate.

Sabbato Dominicalis vesperæ canatur hymnus, *Deus creator omnium;* ad Completorium, *Te lucis ante terminum;* ad Nocturnas, *Nocte surgentes;* ad Matutinas, *Ecce jam noctis.* Iste ordo tota æstate teneatur usque kalend. Novembris; ad ipsas vero Kalend. longiores, ut supra dictum est, hymni dicantur, et finitis duobus psalmis, qui post Nocturnas

dicuntur, agatur vigilia, quæ pro brevitate dierum vespere non poterat agi nisi his tantum diebus festis, quibus cœnaturi sunt fratres. Tunc enim cœna facta agat vigiliam ministris interim cœnantibus, ut postmodum juxta regulæ dictum omnes occurrant ad collationem. Hic ordo vigiliæ usque ad caput Quadragesimæ ita teneatur. In Quadragesima vero post cœnam, et sic demum in totius longitudine æstatis vespere custodiatur post cœnam, aut post vespertinalem laudem si cœna defuerit.

Quatuor temporibus, quæ ecclesiastice custodiuntur ad missæ celebrationem, dicitur a diacono, *Flectamus genua*, quadragesimali more, et eorumdem, quorum in Quadragesima abstinentia ciborum cum magna custodiatur diligentia, excepto dum in Pentecostes hebdomada evenerit, tum enim aliquantulum remissius pro tantæ solemnitatis reverentia agi opportunum duximus.

Qualiter mandatum quotidianis diebus a fratribus exhibeatur pauperibus, et quo ordine abbas erga peregrinos agat.

Mandatum quod ex Dominico tenemus exemplo, sacræ etiam regulæ monitu, eo excepto, quod sibi invicem exhibent fratres, pauperibus summa cum diligentia præbeatur, in quibus Christus adoretur, qui et suscipitur. Sint igitur in unoquoque monasterio singula loca ad hoc constituta ubi pauperum fiat susceptio ; omnique die sine intermissione tres ex his, qui continuo in monasterio pascuntur, eligantur pauperes, quibus ejusdem mandati exhibeatur obsequium, quique eisdem pascantur victualibus, quibus fratres utuntur : hoc ergo modo illuc eundi ordinem prosequantur, scilicet sabbato pueri dextri chori cum uno custode illud peragant : sequenti die Dominica residui pueri sinistri cum altero custode : deinde singulis diebus hebdomadæ ad unamquamque feriam tot constituantur fratres ad hoc agendum, ut extra abbatem nullus ab hoc debito servitutis excusetur ; qui tamen abbas non una tantum feria sed sæpius dum ei vacuum fuerit, utque opportunitas dictaverit, sese ad hoc agendum impendat. De cætero supervenientibus peregrinis pauperibus, abbas cum fratribus, quos elegerit secundum regulæ præceptum, mandati exhibeat obsequium : omnia igitur, humanitatis officia in hospitio pater ipse si quomodo potuerit, vel fratrum quilibet devotissime præbeat, ne aliquid in eorum obsequio quod regula præcipit, tumore seductus vel oblivione nemo deceptus insipienter prætermittat ; hoc solummodo, quod sancti Patres ob animæ salutem virtutumque potius custodiam ad regulæ contemptum synodali statuerant concilio, magnopere custodito ut videlicet in monasterio degens extra refectorium nec ipse abbas, nec fratrum quispiam nisi causa infirmitatis manducet, vel bibat : cætera omnia, uti diximus, cum magna animi alacritate devotissimus impleat : nec pauperibus æterni Christi vicarius in hospitio competenti tardus ac tepidus ministrare differendo desistat, qui celer ac fervidus divitibus caducis mini-

A strando occurrere desiderat. Proficiscentibus vero peregrinis, secundum quod loci suppetit facultas eis impendatur victualium solatium.

Quo ordine Sabbato fratres munditias exerceant, et quæque officia ob animæ salutem persolvant.

Sabbato, secundum regulæ præceptum mandatum et munditias diligenti cura excerceant et qualiter fieri debeant qui adhuc nesciunt solliciti discant, solito more studiosi si compleant : Nullus quippiam quamvis parum sua ac quasi propria adinventione agere præsumat, nec in ecclesia horas celebrando constitutas, nec claustro uti regula præcipit egredi, nec parum quid sine prioris licentia superbiæ tumore inflatus audeat. Calceamentorum unctio, vestimentorum ablutio, et aquæ administratio, non aspernatur, sed ab universis, si Domini gratia vires concesserit, tempore opportuno consuete peragatur. Coquinæ, ac pistrinæ, cæterarumque rerum officia, uti sancta regula præcipit, unusquisque prout vires suppetant gratulabundus exhibeat, ne regulæ præceptorum minima parvipendendo prætereat, ac si dicente Apostolo omnium mandatorum, quod absit, reus existat.

B

Quomodo circa ægrotum fratrem agatur, qualiterque defunctum humo conveniat reddi.

Cum ad debitum communis fragilitatis exsolvendum quis vocatus fuerit, dum senserit se nimia invaletudine pergravari ita ut jam non possit portari, veniat frater ille ante abbatem vel cunctam congregationem, et infirmitatis suæ causas exponat, et sic omnium accepta benedictions ingrediatur domum

C infirmorum omnibus pro eo sollicitis in suis interventionibus ; in ea itaque domo servitores sint Dei timore fraternoque amore ferventes, qui ei in quibuscunque indiguerit suppeditent, aut si necesse fuerit cum sollicito fratre famulorum adhibeatur obsequium. Frater autem ille infirmus, si senserit suam crevisse imbecillitatem, indicetur hoc conventui a fratre illius custode ; ex eo ergo quotidie post matutinalem missam sacerdos casula exutus cum reliquis illius ministris missæ, Eucharistiam ferentes præcedentibus cereis et thuribulo, cum omni congregatione eant ad visitandum infirmum canentes psalmos pœnitentiales consequente litania, et orationibus ac unctione olei prima tantum die : demum communicetur ; quod si infirmitas lenigata

D fuerit, intermittatur et hoc ; sin alias, prosequatur visitatio usque ad exitum : eo igitur in extremis agente pulsetur tabula conveniantque omnes ad tuendum exitum ejus, et initiens commendationem animæ, *Subvenite, sancti Domini*, et reliqua juxta ordinem commendationis. Exempto autem homine lavetur corpus a quibus jussum fuerit : lotum induatur mundis vestimentis, id est interula, cuculia, caligis, calceis, cujuscunque sit ordinis, nisi, si vero fuerit sacerdos, circumdetur ei stola super cucullam si ita ratio dictaverit ; inde defertur in ecclesiam, psallentibus cunctis, motisque omnibus signis, quod si ante lucem nocte, aut finitis tenebris in matutino.

obierit si sepulturæ impendenda præparari possunt, ante refectionem fratrum sepeliatur peractis missarum celebrationibus, non minus ordinentur fratres, qui sine intermissione psalmodiæ vacent, residentes circa corpus die noctuque sequenti, donec mane facto corpus terræ commendetur: consummatis omnibus quæ sepulturæ officio debentur, iidem incipientes septem pœnitentiæ psalmos revertantur ad ecclesiam, et prostrati coram sancto altari finiant eosdem psalmos pro fratre defuncto : dehinc per septem continuos dies plenario agatur vigilia offerentibus cunctis ad matutinalem missam, et omnibus horis regularibus finitis unum ex præscriptis prostrati canant psalmum, sequente oratione : exinde usque ad trigesimum diem more solito cum tribus lectionibus agatur vigilia offerente uno choro ad missam, trigesimo vero die iterum plenarie, his tamen xxx diebus quotidie sacerdotum unusquisque secretis oratorii locis specialiter pro eo missas celebret : diaconi vero psalterium ex integro, subdiaconi quoque quinquagenarium devotissime psallant, si autem occupati una die nequiverint alia persolvant : mittatur etiam epistola ad vicina quæque monasteria ejusdem depositionis denuntiatura diem, ut iste sit sensus :

Domnus N. abbas monasterii N. cunctis sanctæ Ecclesiæ fidelibus tam prælatis, quam et subditis. « Cum cunctis maneat sors irrevocabilis horæ, notum vobis esse cupimus de quodam fratre nostro N. quem Dominus de ergastulo hujus sæculi vocare dignatus est die N., pro quo obsecramus obnixe ut sitis strenui interventores ad Dominum sentiatque in interventione quibus fuerat unitus in ordinis communione. »

Quod si ex alio monasterio noto ac familiari frater quis nuntiatus fuerit defunctus, conveniant pulsata tabula undique fratres, motis, uti prædiximus, omnibus signis, vii pœnitentiæ prostrati in oratorio modulentur psalmos, hæc subsequente oratione : « Satisfaciat tibi, Domine Deus noster, pro anima fratris nostri N. beatæ Domini genitricis semperque virginis Mariæ, et sancti Petri apostoli tui atque sancti Benedicti confessoris tui omniumque sanctorum tuorum oratio et præsentis familiæ tuæ devota supplicatio, ut peccatorum omnium veniam quam precamur, obtineat, nec eum patiaris cruciari gehennalibus flammis, quem ejusdem Filii tui Domini nostri Jesu Christi glorioso sanguine redemisti. Qui tecum, et cum Spiritu sancto, vivit et regnat in sæcula sæculorum. »

Et agatur pro eo prima, tertia, septima, trigesima dies plenarie, reliqui sub brevitate, et nomen ejus notetur in anniversariis, at ex ignoto tantum commendatio animæ, et una dies.

Si autem hi, qui valde necessarii sunt sive in spiritualibus, sive in corporalibus nimia prægravantur infirmitate, dum id a gerulo nuntiatum fuerit, illico pulsata tantummodo tabula omnes ad ecclesiam conveniant ac vii pœnitentiæ psalmos cum litaniis, et orationibus congruis pro eis cum magna diligentia perorent ; de aliis vero infirmis ut supra dictum est agatur.

Præfatus quidem rex ut hujus libelli epilogum, uti prooemium fideli ac rationabili exhortationis monitu cœpit, orthodoxe concluderet, prudenti discutiens examine cum magno suæ regiæ potestatis imperio interdicens magnopere jussit, ut nemo abbatum vel abbatissarum sibi locellum ad hoc thesaurizaret terrenum, ut solitus census, quem indigenæ *Heriatua* usualiter vocitant, qui pro hujus patriæ potentibus post obitum regibus dari solet, unde pro eis sæcularium imitatione dari posset, haberent, et sic Ananiæ et Saphiræ anathemate corruentes ad magnum suæ animæ detrimentum sanctæ regulæ præcepta peculiaria omnia prohibentia annularent, sed hoc tam sibi, quam cunctis successoribus suis pro abbate vel abbatissa dari, in Christi, cujus vicarii sunt, ejusque genitricis Mariæ, ac omnium sanctorum nomine æterno prohibuit imperio, hoc autem benevola intentione hortando suasit, ut monasteriorum patres, matresque quæcunque super usus necessarios restaverint, per manus pauperum in cœlestes cum magna et jugi compunctione recondant thesauros, quo corpore in terra degente, animus ibi conversando subsequens maneat, ubi thesauros ordine præmisit justissimo. Si quæ vero priore abeunte superfuerint, subsequens abbas ut Sancti spiritus gratia instruxerit, non propinquis carnalibus vel tyrannis sæcularibus secundum anterioris dictatum dividendo, sed necessitatibus fratrum ac pauperum subveniendo, ordinans cum fratrum consilio, sapienter disponat.

ANNO DOMINI DCCCCLXXXVIII

ADALBERO
REMENSIS ARCHIEPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA

(Ex *Galliæ Christianæ* tomo IX.)

A Honestate morum conspicuus Adalbero et ecclesiasticis disciplinis institutus, ad pontificalem cathedram favore et providentia Lotharii regis assumptus est anno 969 ex appendice ad Flodoard., pag. 178. Sed quod prætermisit auctor appendicis illius, educatus fuerat in Gorziensi cœnobio cum sancto Rothado Cameracensi episcopo, ex Chronico Cameracensi, lib I, cap. 101. Filius erat Godefridi senioris Arduennæ comitis, fratres vero habuit Godefridum alterum, ex quo prodiere duces inferioris Lotharingiæ, et Henricum. Statim ut inauguratus est, Remensis Ecclesiæ religionem nimis tepefactam in meliorem reparavit statum; et ut quod mente volvebat diuturnius esset (verbis hic utor Chronici Mosomagensis), canonicos, ad simul convivendum, et ut claustri ambitu horum habitacula coercerentur vehementer hortatus est. B Hinc idem Chronicon de Adalberone alibi disserens, refert canonicos Remenses ex pauperibus divites, ex rusticis ornatos, et ex separatim in casis habitantibus religiosos et convictores tandem effecisse; quod ex situ Remensis claustri, et ex communi mensa suo præsertim sæculo vigente probare nititur, quamvis « præ magnitudine, inquit, et nobilitate illius ævi pauca rigidi moris tunc vestigia superessent. » Quæ burgo sancti Remigii damna intulerat Odalricus, resarcivit Adalbero concessa insuper monachis Remigianis in usum hospitum suorum abbatia sancti Timothei; qua de re lege Bollandianos. Aug. tom. IV, pag. 576. Præter, ea reparavit aut amplificavit basilicam sancti Dionysii Remensis; scholas etiam Remenses in pristinum splendorem restituit, quibus redux ab urbe Roma, ubi commorabatur anno 970, Gerbertum sui C sæculi oraculum præfecit. Hujus autem opera in pluribus usus est, maxime vero in texendis epistolis, cujus nomine multæ inscribuntur ad reges et principes, et ad cleri Gallicani primarios. « Nec mirum, inquit Marlotus. Cum enim summi cancellariatus dignitate sub Lothario fulserit, resque variæ et difficiles turbido regni statu emerserint; quo insigniori scriptore et amanuensi uti potuisset, qui acriori suo stylo et dicendi peritia mentes quo vellet flectere noverat? » Anno 971 monachos ex archimonasterio sancti Remigii assumptos canonicis substituit in monasterio Mosomagensi, translato in eumdem locum corpore sancti Arnulfi martyris; quam ordinationem ratam habuere Joannes XIII summus pontifex eodem anno, et synodus coacta apud Montem sanctæ Mariæ in pago Tardanensi, cui præsedit anno 972, mense Maio. Anno sequenti, mense Decembri, aliam synodum coegit in eodem monte (4). Anno 974 monachos similiter restituit in monasterio sancti Theoderici, cujus corpus e veteri sepulcro transtulit anno sequenti in thecam argenteam, præsente Lothario rege. Eodem anno 975 basilicam Blandinensem consecravit, conciliumque celebravit Durocortori, in quo Theobaldus, Ambianensis Ecclesiæ usurpator, excommunicatus est. Anno 976 vel sequenti Rothadum Cameracensem episcopum consecravit. (*Chron. Camer.* lib. I, c. 102.)

Dici non potest quantum insudarit Adalbero pro pace regnorum Franciæ et Germaniæ promovenda; partibus tamen Ottonis III cum impense faveret, infidelitatis insimulatus est, sed eo se crimine purgavit apud regem Lotharium. Nibilo tamen secius in offensionem Ludovici V, filii Lotharii, incurrit, qui eum non solum aut jurejurando fidem renovare jussit, aut urbe regnoque excedere, verum etiam in publico Francorum conventu de proditione postulare meditabatur. Sed eo vivis exempto, regnum transiit ad Hugonem Capetum, quem Adalbero unxit in regem Noviomi v Non. Jul. anno 987, firman-

(1) Duplicis synodi apud Montem sanctæ Mariæ in diœcesi Suessionensi, Basilicas inter et Fines, coactæ meminit Mabillonius Annal. Bened. tom. III, pag. 622, ubi diserte probat priorem anno 972, mense Maio celebratam esse, posteriorem anno 973, sin minus celebratam, saltem convocatam. Ad priorem quod spectat, nil dubii est quin monachorum institutionem ab Adalberone archipræsule in cœnobio Mosomagensi recens factam confirmaverit. Sed codex Igniacensis apud Colvenerium in appendice ad Flodoardum, pag. 180, et Acherius Spicil. tom. VII, præfat. pag. XIX, illam revocant ad annum 983; codex vero Mosomagensis, apud Marlotum tom. II, pag. 11, ad annum 976; ita male uterque ut Marlotus crediderit, anno 976 codicis Mosomagensis substituendum esse annum 977; alii vero, anno 983 codicis Igniacensis substituendum annum 973. Huc accedit quod subscriptiones concilii hujus, quas habes apud Mabillonium et Acherium sup. pag. 657, apud Marlotum pag. 12, et apud Labbeum Collect. Concil. tom. IX, pag. 709, neque anno 972, neque anno 973; neque anno 976, neque anno 977, neque demum anno 983 convenire possint; his enim annis subscribentium aliqui vel nondum episcopi aut abbates facti erant, vel jam decesserant, aut erant exauctorati. Existimat Marlotus, quod satis verisimile est, episcopos et abbates sæpius apud Montem sanctæ Mariæ ad synodum convenisse; eorumque nomina qui diversis temporibus illic adfuerunt, in unum eumdemque catalogum ab aliquo amanuensi D fuisse congesta. Fieri etiam potest eorum subscriptionibus qui interfuerunt concilio anni 972, alios seu abbates, seu episcopos subsequentibus temporibus nomina sua in confirmationem rerum ante actarum addisse.

temque eodem anno privilegio monasterii Corbeiensis sua et ipse manu imitatus est. Interim Carolus, Ludovici V patruus et Lotharingiæ dux, iræ impatiens quod Hugo sibi in regno prælatus esset, Laudunum capit, ex quo vicinas urbes, agros, prædia rapinis incendiisque hostiliter devastat, tunc litteris ad archiepiscopum Remensem semel et iterum per legatos missis conqueritur de eo quasi incentor fuerit omnium malorum quæ sibi acciderant. Ad hæc Adalbero : « Quis eram, inquit, ut solus regem imponerem Francis! publica sunt hæc negotia, non privata. Odisse me putatis genus regium; testor Redemptorem meum quia non odi. Quid potissimum vobis sit faciendum quæritis. Hoc quam difficile dictu sit, nec satis scio, nec si sciam dicere ausim. Amicitiam meam expositis; utinam adsit ea dies, qua honeste liceat vestris adesse obsequiis; quamvis enim sanctuarium Domini pervaseritis, reginam, cui quæ novimus jurastis, comprehenderitis, episcopum Laudunensem carceri mancipaveritis, episcoporum anathema neglexeritis (taceo de seniore meo contra quem ultra vires negotium suscepistis), tamen beneficii quo erga me usi estis cum telis hostium quæ subduxistis immemor esse non possum, » etc.

Post hæc non diu vixit Adalbero. Hugoni Capeto in obsidenda urbe suppetias ierat anno 987, mense Octobri cum aliis regni optimatibus; at labore obsidionis ac vi febrium graviter exagitatus se apud Remos reducendum curavit, ut ibi tantisper recrearet animum in lectione sacræ Scripturæ et Boetii. Sed ingravescente morbo tandem exhalavit animam eodem anno, seu x Kal. Februar. ex Chronico Mosomagensi, seu Non. Januar. ex antiquo ejus epitaphio (qui dies cadit in annum 988), cum Remensem diœcesim per undeviginti annos viriliter gubernasset. Alii dicunt obiisse Lauduni quo relegatus fuerat a duce Carolo. Corpus ejus in majori ecclesia Remensi sub altari Dominicæ crucis sepultum est cum epitaphio æri inciso, quod ante prioris ecclesiæ restaurationem adhuc exstabat hoc modo :

Contulerat natura parens quæ summa putavit
Ad meriti cumulum, tibi, præsul Adalbero, cum te
Præstantem cunctis mortalibus abstulit orbi
Quinta dies fundentis aquas cum pondere rerum.

Nunc hæc verba in brevi lapillo ad gradus sanctuarii, vel juxta aquilam leguntur :

ADALBERO ARCHIEPISCOPUS.

Addit auctor appendicis ad Flodoardum, « quod omni anno dies defunctionis ejus venerabiliter recolitur, et eleemosyna panis et vini copiosa pauperibus distribuitur ; quæ etiam eleemosyna *Mandatum Adalberonis* nuncupatur. Sciendum quoque est quomodo istius eleemosynæ sumptus præparetur : videlicet de domo quæ vocatur hospitale pauperum annonæ sextarii IV, de camera frumenti IV, de horreo indominicato annonæ modius unus ; et vinum quod sufficiat. »

ADALBERONIS EPISTOLÆ

(Apud Duchesne, *Script. Rer. Franc.* tom. II, inter epistolas Gerberti.)

EPISTOLA PRIMA.

AD EGBERTUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

Labefactari rempublicam vestram quorumdam ignavia cum perhorrescimus, tum erubescimus, et privilegia amoris nostri circa vos, et communi patriæ cognatione. Paucine creati sunt reges, qui novum filio domini vestri præponere vultis? Forte quia Græcus est, ut dictis, more Græcorum conregnantem instituere vultis. Quo recessit sanctissima fides? Exciderunt ne animo beneficia Ottonum vobis collata? Magnam intelligentiam vestram revocate, generositatem perpendite, ne perpetuo dedecori generi vestro esse velitis. Si vires vos destituere acclamatis, meliora sentientes perquirite, nos fautores, coadjutores in talibus negotiis fore confidite. In perturbatione et confusione omnium rerum, quis alterius levabit onus! Postremo si salva dignitate vestri nominis urbem Trevirorum tutari non valetis, Remorum utrique nostrum sit satis: ditioresque erimus quam Eucharius quondam et Sixtus. Id vobis ratum ignominiam auferet, irritum nos liberos efficiet.

EPISTOLA II.

AD VILLEGISUM MOGUNTINUM ARCHIEPISCOPUM.

Magna, Pater, constantia colloborandum pro habenda ratione pacis atque otii. Regnorum perturbatio aliud quid est quam Ecclesiarum desolatio? Nos quidem pietas et multa circa nos Ottonum beneficia filio Cæsaris adversari non sinunt. Denique res nostras ad auxilium promovimus. Uniusque partis pactum, si placet, communi consensu in sempiternum stabiliemus. Nihil a vobis nisi salva fidelitate Domini nostri perquiremus. Hæc Domino teste loquimur, et plena fide vestræ prudentiæ committimus. Qui duos Ottones conatus est exstinguere, tertium volet superesse. Mementote illius Tulliani: *Stultum est ab eis fidem exigere, a quibus multoties deceptus sis.* Simulque etiam quod non frustra Divinitas contulit vobis nosse ac posse, quid super his approbetis, et his contraria sentiatis, quive faveant et a vobis dissideant, tutis significare rescriptis. Altitudo vestri consilii provideat rebus beati Remigii vobis vicinis, ne aut prædo rapax eos rapiat, et ne Otto, qui debet esse tutor, sit devastator. In his quoque vestrum velle liceat, cognoscere.

EPISTOLA III.

AD WALONEM EJUSQUE PERTINACES.

Hactenus stultitiam vestram patienter tulimus, nunc quia synodalia decreta parvipenditis, vocati contemnitis, humana divinis præfertis, ad conventum nostrorum fratrum apud Gualdonis cortem habendum in Kal. Juliis, vos iterum audiendos vocamus. Eo autem venite aut sententiam damnationis eadem die, quo animo vultis, vestris confautoribus exspectate.

ANNO DOMINI DCCCCLXXXVIII

ADALBERO
REMENSIS ARCHIEPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA

(Ex *Galliæ Christianæ* tomo IX.)

A Honestate morum conspicuus Adalbero et ecclesiasticis disciplinis institutus, ad pontificalem cathedram favore et providentia Lotharii regis assumptus est anno 969 ex appendice ad Flodoard., pag. 178. Sed quod prætermisit auctor appendicis illius, educatus fuerat in Gorziensi cœnobio cum sancto Rothado Cameracensi episcopo, ex Chronico Cameracensi, lib I, cap. 101. Filius erat Godefridi senioris Arduennæ comitis, fratres vero habuit Godefridum alterum, ex quo prodiere duces inferioris Lotharingiæ, et Henricum. Statim ut inauguratus est, Remensis Ecclesiæ religionem nimis tepefactam in meliorem reparavit statum; et ut quod mente volvebat diuturnius esset (verbis hic utor Chronici Mosomagensis), canonicos, ad simul convivendum, et ut claustri ambitu horum habitacula coercerentur vehementer hortatus est. Hinc idem Chronicon B de Adalberone alibi disserens, refert canonicos Remenses ex pauperibus divites, ex rusticis ornatos, et ex separatim in casis habitantibus religiosos et convictores tandem effecisse; quod ex situ Remensis claustri, et ex communi mensa suo præsertim sæculo vigente probare nititur, quamvis « præ magnitudine, inquit, et nobilitate illius ævi pauca rigidi moris tunc vestigia superessent. » Quæ burgo sancti Remigii damna intulerat Odalricus, resarcivit Adalbero concessa insuper monachis Remigianis in usum hospitum suorum abbatia sancti Timothei; qua de re lege Bollandianos. Aug. tom. IV, pag. 576. Præter, ea reparavit aut amplificavit basilicam sancti Dionysii Remensis; scholas etiam Remenses in pristinum splendorem restituit, quibus redux ab urbe Roma, ubi commorabatur anno 970, Gerbertum sui C sæculi oraculum præfecit. Hujus autem opera in pluribus usus est, maxime vero in texendis epistolis, cujus nomine multæ inscribuntur ad reges et principes, et ad cleri Gallicani primarios. « Nec mirum, inquit Marlotus. Cum enim summi cancellariatus dignitate sub Lothario fulserit, resque variæ et difficiles turbido regni statu emerserint; quo insigniori scriptore et amanuensi uti potuisset, qui acriori suo stylo et dicendi peritia mentes quo vellet flectere noverat? » Anno 971 monachos ex archimonasterio sancti Remigii assumptos canonicis substituit in monasterio Mosomagensi, translato in eumdem locum corpore sancti Arnulfi martyris; quam ordinationem ratam habuere Joannes XIII summus pontifex eodem anno, et synodus coacta apud Montem sanctæ Mariæ in pago Tardanensi, cui præsedit anno 972, mense Maio. Anno sequenti, mense Decembri, aliam synodum coegit in eodem monte (4). Anno 974 monachos similiter restituit in monasterio sancti Theoderici, cujus corpus e veteri sepulcro transtulit anno sequenti in thecam argenteam, præsente Lothario rege. Eodem anno 975 basilicam Blandinensem consecravit, conciliumque celebravit Durocortori, in quo Theobaldus, Ambianensis Ecclesiæ usurpator, excommunicatus est. Anno 976 vel sequenti Rothadum Cameracensem episcopum consecravit. (*Chron. Camer.* lib. I, c. 102.)

Dici non potest quantum insudarit Adalbero pro pace regnorum Franciæ et Germaniæ promovenda; partibus tamen Ottonis III cum impense faveret, infidelitatis insimulatus est, sed eo se crimine purgavit apud regem Lotharium. Nihilo tamen secius in offensionem Ludovici V, filii Lotharii, incurrit, qui eum non solum aut jurejurando fidem renovare jussit, aut urbe regnoque excedere, verum etiam in publico Francorum conventu de proditione postulare meditabatur. Sed eo vivis exempto, regnum transiit ad Hugonem Capetum, quem Adalbero unxit in regem Noviomi v Non. Jul. anno 987, firman-

(1) Duplicis synodi apud Montem sanctæ Mariæ in diœcesi Suessionensi, Basilicas inter et Fines, coactæ meminit Mabillonius Annal. Bened. tom. III, pag. 622, ubi diserte probat priorem anno 972, mense Maio celebratam esse, posteriorem anno 973, sin minus celebratam, saltem convocatam. Ad priorem quod spectat, nil dubii est quin monachorum institutionem ab Adalberone archipræsule in cœnobio Mosomagensi recens factam confirmaverit. Sed codex Igniacensis apud Colvenerium in appendice ad Flodoardum, pag. 180, et Acherius Spicil. tom. VII, præfat. pag. x x, illam revocant ad annum 983; codex vero Mosomagensis, apud Marlotum tom. II, D pag. 11, ad annum 976; ita male uterque ut Marlotus crediderit, anno 976 codicis Mosomagensis substituendum esse annum 977; alii vero, anno 983 codicis Igniacensis substituendum annum 973. Huc accedit quod subscriptiones concilii hujus, quas habes apud Mabillonium et Acherium sup. pag. 657, apud Marlotum pag. 12, et apud Labbeum Collect. Concil. tom. IX, pag. 709, neque anno 972, neque anno 973; neque anno 976, neque anno 977, neque demum anno 983 convenire possint; his enim annis subscribentium aliqui vel nondum episcopi aut abbates facti erant, vel jam decesserant, aut erant exauctorati. Existimat Marlotus, quod satis verisimile est, episcopos et abbates sæpius apud Montem sanctæ Mariæ ad synodum convenisse; eorumque nomina qui diversis temporibus illic adfuerunt, in unum eumdemque catalogum ab aliquo amanuensi fuisse congesta. Fieri etiam potest eorum subscriptionibus qui interfuerunt concilio anni 972, alios seu abbates, seu episcopos subsequentibus temporibus nomina sua in confirmationem rerum ante aetarum addisse.

temque eodem anno privilegio monasterii Corbeiensis sua et ipse manu imitatus est. Interim Carolus, Ludovici V patruus et Lotharingiæ dux, iræ impatiens quod Hugo sibi in regno prælatus esset, Laudunum capit, ex quo vicinas urbes, agros, prædia rapinis incendiisque hostiliter devastat; tunc litteris ad archiepiscopum Remensem semel et iterum per legatos missis conqueritur de eo quasi incentor fuerit omnium malorum quæ sibi acciderant. Ad hæc Adalbero : « Quis eram, inquit, ut solus regem imponerem Francis! publica sunt hæc negotia, non privata. Odisse me putatis genus regium; testor Redemptorem meum quia non odi. Quid potissimum vobis sit faciendum quæritis. Hoc quam difficile dictu sit, nec satis scio, nec si sciam dicere ausim. Amicitiam meam exposcitis; utinam adsit ea dies, qua honeste liceat vestris adesse obsequiis; quamvis enim sanctuarium Domini pervaseritis, reginam, cui quæ novimus jurastis, comprehenderitis, episcopum Laudunensem carceri mancipaveritis, episcoporum anathema neglexeritis (taceo de seniore meo contra quem ultra vires negotium suscepistis), tamen beneficii quo erga me usi estis cum telis hostium quæ subduxistis immemor esse non possum. » etc.

Post hæc non diu vixit Adalbero. Hugoni Capeto in obsidenda urbe suppetias ierat anno 987, mense Octobri cum aliis regni optimatibus; at labore obsidionis ac vi febrium graviter exagitatus se apud Remos reducendum curavit, ut ibi tantisper recrearet animum in lectione sacræ Scripturæ et Boetii. Sed ingravescente morbo tandem exhalavit animam eodem anno, seu X Kal. Februar. ex Chronico Mosomagensi, seu Non. Januar. ex antiquo ejus epitaphio (qui dies cadit in annum 988), cum Remensem diœcesim per undeviginti annos viriliter gubernasset. Alii dicunt obiisse Lauduni quo relegatus fuerat a duce Carolo. Corpus ejus in majori ecclesia Remensi sub altari Dominicæ crucis sepultum est cum epitaphio æri inciso, quod ante prioris ecclesiæ restaurationem adhuc exstabat hoc modo :

Contulerat natura parens quæ summa putavit
Ad meriti cumulum, tibi, præsul Adalbero, cum te
Præstantem cunctis mortalibus abstulit orbi
Quinta dies fundentis aquas cum pondere rerum.

Nunc hæc verba in brevi lapillo ad gradus sanctuarii, vel juxta aquilam leguntur :

ADALBERO ARCHIEPISCOPUS.

Addit auctor appendicis ad Flodoardum, « quod omni anno dies defunctionis ejus venerabiliter recolitur, et eleemosyna panis et vini copiosa pauperibus distribuitur; quæ etiam eleemosyna *Mandatum Adalberonis* nuncupatur. Sciendum quoque est quomodo istius eleemosynæ sumptus præparetur : videlicet de domo quæ vocatur hospitale pauperum annonæ sextarii IV, de camera frumenti IV, de horreo indominicato annonæ modius unus; et vinum quod sufficiat. »

ADALBERONIS EPISTOLÆ

(Apud Duchesne, *Script. Rer. Franc.* tom. II, inter epistolas Gerberti.)

EPISTOLA PRIMA.

AD EGBERTUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

Labefactari rempublicam vestram quorumdam ignavia cum perhorrescimus, tum erubescimus, et privilegia amoris nostri circa vos, et communi patriæ cognatione. Paucine creati sunt reges, qui novum filio domini vestri præponere vultis? Forte quia Græcus est, ut dictis, more Græcorum conregnantem instituere vultis. Quo recessit sanctissima fides? Exciderunt ne animo beneficia Ottonum vobis collata? Magnam intelligentiam vestram revocate, generositatem perpendite, ne perpetuo dedecori generi vestro esse velitis. Si vires vos destituere acclamatis, meliora sentientes perquirite, nos fautores, coadjutores in talibus negotiis fore confidite. In perturbatione et confusione omnium rerum, quis alterius levabit onus! Postremo si salva dignitate vestri nominis urbem Trevirorum tutari non valetis, Remorum utrique nostrum sit satis: ditioresque erimus quam Eucharius quondam et Sixtus. Id vobis ratum ignominiam auferet, irritum nos liberos efficiet.

EPISTOLA II.

AD VILLEGISUM MOGUNTINUM ARCHIEPISCOPUM.

Magna, Pater, constantia colloborandum pro habenda ratione pacis atque otii. Regnorum perturbatio aliud quid est quam Ecclesiarum desolatio? Nos quidem pietas et multa circa nos Ottonum beneficia filio Cæsaris adversari non sinunt. Denique res nostras ad auxilium promovimus. Uniusque partis pactum, si placet, communi consensu in sempiternum stabiliemus. Nihil a vobis nisi salva fidelitate Domini nostri perquiremus. Hæc Domino teste loquimur, et plena fide vestræ prudentiæ committimus. Qui duos Ottones conatus est exstinguere, tertium volet superesse. Mementote illius Tulliani: *Stultum est ab eis fidem exigere, a quibus multoties deceptus sis.* Simulque etiam quod non frustra Divinitas contulit vobis nosse ac posse, quid super his approbetis, et his contraria sentiatis, quive faveant et a vobis dissideant, tutis significare rescriptis. Altitudo vestri consilii provideat rebus beati Remigii vobis vicinis, ne aut prædo rapax eos rapiat, et ne Otto, qui debet esse tutor, sit devastator. In his quoque vestrum velle liceat, cognoscere.

EPISTOLA III.

AD WALONEM EJUSQUE PERTINACES.

Hactenus stultitiam vestram patienter tulimus, nunc quia synodalia decreta parvipenditis, vocati contemnitis, humana divinis præfertis, ad conventum nostrorum fratrum apud Gualdonis cortem habendum in Kal. Juliis, vos iterum audiendos vocamus. Eo autem venite aut sententiam damnationis eadem die, quo animo vultis, vestris confautoribus exspectate.

EEISTOLA IV.

AD NOTEGARIUM EPISCOPUM LEODICENSEM.

Ne male mereri, quæso, mi Pater, de nostra existimetis amicitia fratrem meum Godefridum non ex condicto regem adiisse, et ex condicto quo voluisti non venisse. Bona quippe deliberatio rapuit, sed occasione læsi pedis fortuna retardavit. Sit ergo vestræ prudentiæ amici causam agere, pro se stare, de eo ut nostis, et ut æquum est, ex fide promittere. Nos quidem rem herilis vestri pueri juxta quod statuistis effecimus, et si in melius commutaveritis, Divinitate propitia in melius compensabimus. Vestra negotia ut nostra compensabimus. Is quem nostis nobis intimus, vobisque fidissimus, interpres apud regiam majestatem ut decuit fuit, quod expetistis firmiter obtentum sine inimicorum respectu. Et quia totum non est cre lendum chartis, indictum conventum vos adire voluimus, vestramque præsentiam usque in III Kal. Junias præstolari faciemus. Opportuno tempori occurrendum, ne cum te subtraxeris fiat importunum.

EPISTOLA V.

AD WIDONEM ABBATEM GANDAVENSEM.

Frustra sibi arcem religionis attribuunt, qui præcipuas religionis partes evertunt. Qui charitatem non habet, qui fidem promissam negligit, isne religionem tuetur? Si fraterna colloquia nobis exhibuistis, et qualibuscunque nuntiis lætari fecistis, tanto temporum intervallo (conscientia testis est) arctius sua retinent, quam aliena concupiscunt. Ex vestris fratribus quemdam adoptavimus, sed noster qui redire debuit retentus est. Rescribite ergo saltem quid ex his animo sederit, et si qui nostrorum puerorum penes vos institui possint, et si est, quando id fieri debeat.

EPISTOLA VI.

AD ECBERTUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

Periculosa tempora non omnia committant chartis, quæ fidissimis credentur legatis. Ea quæ per nostrum G. nobis significastis, lætitiæ et jucunditatis plena fuerunt, de statu Ecclesiarum Dei atque regnorum, et per quem virum hæc fieri possent. Quem si ut tyrannum timui, sed nunc plenum fidei et sapientiæ miramur. Quæ circa nos de eo spopondistis efficite. Quæ a nobis de eo vobis exposcitis stabilita sunt, et cum maximo silentio vestrorum secretorum, et cum maxima fide nostrorum factorum.

EPISTOLA VII.

AD NOTEGARIUM EPISCOPUM LEODIENSEM.

Ex condicto quidem legatum, sed præsentis negotii omni scientia vacuum, frater meus vobis dirigit, ne aut mendacio, aut inertia denotetur. XV. Kal. Januar. Trevirensem archiepiscopum allocuturi, quod plenius pernoscemus, plenius prudentiæ vestræ quamproxime significare curabimus.

EPISTOLA VIII.

AD LOTHARIUM REGEM.

Epistola vestri nominis impressione ignota, signis incognitis, tantummodo per certum nuntium perlata, A nobis mœrorem pertulit. Jubet enim ambitum monasterii sancti Pauli penitus avelli, quasi hostilis munitionis castrum. Unde sacerdoti injungendum non est, quod cuivis etiam tyranno formidabile esse potest: maximeque cum plurimi sint qui talibus gaudeant, si id efficiendi tanta inest voluptas. Porro hunc locum non esse aptum hostibus ea res probat, quod natura circa urbem plures fabricavit aptiores, atque si ita hostibus placuerit, ad muniendum expeditiores. Noveritis autem nos vestræ saluti ac fidelitati et semper velle prospicere, et semper velle obtemperare, divino respectu ante prælato. Sed quod de urbium custodia prolonganda imperastis. milites audire non sufferunt, suique eos promissi pœnitet, egestate et inopia omnia conficiente.

B

EPISTOLA IX.

AD EREVIRENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Priorem epistolam pro solo imperio domini mei, me vestræ paternitati minime celare volo, cui omnia debeo. Et quoniam quam fidem domino meo promisistis, eam nepos meus promittere et servare paratus fuit, eam a nobis obtinuit licentiam, quam majorum promulgavit auctoritas. Sed quoniam pacto ejus sorduerit fidelitas, nostram intelligentiam latet. Hunc ergo Adalberonem quomodo aut vocabimus, aut excommunicabimus: aut ut idem faciant alios orabimus? Ergo quia id legibus non valemus, nec ipse facimus, nec alios ut faciant, hortamur: ne aut nos, aut de nobis bene meritos in præcipitium trahere videamur. Et quia Rex cœlestis dicit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo,* C nostris legibus puram fidem, purum servitutis obsequium semper impendemus, in nullo devibimus, Domini tamen partes priores faciemus. Sed quoniam quæ Domini sunt hoc tempore pauci providerunt. si quando legem Domini zelamus, aut perfidia aut alio quolibet vitio denotamur: eoque fit, ut (ita dicam) inter malleum et incudem positis sine jactura animæ et corporis spes evadendi sit difficilis. Si qua ergo vobis sunt viscera pietatis, si semper vos ut fratrem ac potius ut patrem coluimus, suscipite anus amici consilio et auxilio, ut qui in prosperis de vobis bene speravimus, in adversis ne desperemus. At ea quæ dicimus non homini, sed fidei magni sacerdotis celanda confitemur, Dominum testem adhibemus, terribilem ultorem dupliciter inclamantes his prodi- D tis in nostri læsionem.

EPISTOLA X.

AD EUMDEM.

Cum litteris vestris multitudine curarum absolvamur, aliis rursus involvimur. Ecce enim de constantia vestri amoris, de fide et pietate circa nos gratulamur. Sed quis vestram intelligentiam eo detorsit, ut quæcunque nostri affines sentiunt, eadem putares nos sentire? Dominum Henricum cum oderim nescio, cur diligam scio. Sed ejus dilectionis nunc quis fructus exterior? aliis quippe rebus Divinitas necessitatem imponit, aliis cæca fortuna interstrepit. Denique tanta mole rerum pressi non poetice,

sed sapienter dictum putamus: « Levius fit patientia, quidquid corrigere nefas: » et si non potest fieri quod vis, id saltem velis quod possis. In vobis hoc habemus, brachia peccatorum conterantur, confirmet autem id Deus. Unum est enodationis indigens, qui vestræ matris ac reginæ olim eram fidissimus interpres, cur hoc negotio privor, potiusque per alios quam per vos plurima rescisco? et quoniam, ut professus sum ac profiteor, omnia vobis debeo, ut mihi sic vobis timeo. Diverso quippe modo in commune nobis dicitur: «Qui stat, videat ne cadat.» In commune itaque consulendum, quod ut fieri possit omnium me participem faciatis, qui vestrorum conventus adinvenit Diusburch. Id quoque quod regalis potestas a duce Beatrice ac vestris primatibus exigit, si vestram intelligentiam latet, ut rumor est, diligenter investigatum significate, quidve animi vobis in eo sit. Cæterum de vobis, ut cœpimus, optime sentimus, et qua fide vobis nostra committimus, eadem vestra suscipimus.

EPISTOLA XI.

AD EUMDEM.

Gozbertum monachum sicut nunquam contra vestrum velle tenere tentavimus, sic ex nostra sententia prima die Rogationum usque Mosomum reducemus. Et quia tanto tempore eo usi sumus, non erimus apud vos tanti immemores beneficii. Si ergo non placet eum diutius fore nobiscum, illic a vestris suscipiatur, quoniam nostris longius progrediendi facultas non datur, cum propter hostium copiam, tum propter zelum callide nobis adversantium.

EPISTOLA XII.

OBJECTIO IN ADALBERONEM.

Perfidiæ ac infidelitatis crimine in regiam majestatem arguor detineri, eo quod nepotem meum, clericum videlicet meæ Ecclesiæ, licentia donaverim, quia et palatium adierit, et dono alterius regis episcopatum acceperit, ejus regni quod senior Lotharius rex in proprium jus revocaverat, quodque gradus ecclesiasticos ei postmodum contulerim, absque licentia et auctoritate senioris mei.

EPISTOLA XIII.

PURGATIO.

Cum senior meus rex Lotharius Lothariense regnum non haberet nec revocaret fratris mei filium, vix tandem sic obtinui, fide interposita, ut si usus aliquando exposceret, sibi suisque absque pertinacia redderem. At cum ageretur ut senior meus filio imperatoris advocatus foret, eaque de causa dati obsides essent, fratris mei crebris legatis filium repetivit, me segniter accipientem, fidei violatorem increpitans, rem suam a multis interturbari, cum se statum prodere dicit, terribilem judicem extremi judicii ultorem spretæ fidei ac consanguinitatis proclamat. Ergo quia senior meus de revocatione regni nihil mihi dixerit, sed de sola advocatione, nec dandi licentiam clerico interdixerat, sed insuper benevole consenserat, ut a legatis meis intellexi, si ea facere vellet quæ pater suis spoponderat, et pro-

A fitescentem absolvi, et ut id pro quo obsides dati erant sincerissime conservaret, fidem exegi, quam et hactenus obtulit, et adhuc ut credimus offert. Gradum diaconatus ac presbyteratus ei contuli, ne a nobis emancipatus in accipiendo alteri manciparetur, et ne Ecclesia nostra invidiæ pateret, subdiacono ex se ad episcopalem apicem assumpto, simulque quod hi gradus, nec provincias, nec civitates, nec villas quæ regnorum sunt conferunt, sed quæ potius cœlestis sunt regni, id est adversari vitiis, coli virtutes. In quo mihi crimen perfidiæ ac infidelitatis protendebatur, ostendi, ut arbitror, et me fidem maxime habuisse, et fidelitatem seniori meo imprimis conservasse.

EPISTOLA XIV.

B AD BEATRICEM DUCEM.

Super his quæ certius vobis significari quæritis, nil amplius novimus quam aut præsentes diximus, aut legatione nostra accepistis. Cæternm vobis liberis amicis ad votum prosperari salvo honore regio et optamus, et si fit congratulamur. Nostra negotia vestra putate. Apud ducem Hugonem de vestra mente pura, fide constanti absque hæsitatione præsumite. Denique quod a vobis exigimus, suo tempore vestro obsequio impendemus. Inprimis quoque gratias habemus, quod de plurimis a vobis certiores existimus. Meing. monachum ex petitione abbatis Rai. diu perquisitum Corbeiam liquisse, Rothomagum adisse audivimus. In qno, si dabitur facultas, vestrum velle in omnibus exsequi conabimur.

C

EPISTOLA XV.

AD EAMDEM.

Rebus vobis ad votum cedentibus non immerito congratulamur. Et quia ignorata frequenter per vos addiscimus, vestrumque affectum circa nos sincerum experimur, inter præcipua ponimus. Sed quæ res institutum colloquium dominarum sic commutavit, ut solus dux veniat Henricus? Id an dolo alterius partis agatur, et qui principum eo venturi sunt si novistis, orantibus nobis plena fide perorabitis.

EPISTOLA XVI.

AD EAMDEM.

Excellentiam acuminis vestri video videre, pace inter principes stabilita, republica bene disposita ac D per vos in melius commutata. Unum tantum est quod plurimos movet, Trevirensem archiepiscopum tanto molimine ordinationem differentem, aut se cum duce ac Lothariensi regno manibus Francorum velle tradere, vosque celare quod colloquium Virduni habendum verisimile facit, aut his majora velle machinari, jubetur amico vestro A. ordinationem nepotis destruat. Num rex aut primas est Trevirensium? Factionem archiepiscopi hoc negotium undecumque continere videtur. Invigilet ergo vestra prudentia, et quo se tantarum rerum pondera vergant, perquirite, et an dux Henricus fidem vobis servaturus sit providete.

EPISTOLA XVII.

AD NOTEGARIUM EPISCOPUM LEODICENSUM.

Collectionem episcoporum propter quæ significatum est,non esse factam,tarditati perlatæ epistolæ imputandum.Disputabitur autem de his in adventu vestro, et si ita visum fuerit, amplius postmodum privatim et in commune deliberabitur. Cæterum, qui frater meus se suaque ad vos pertinere putat, multumque spei suæ salutis vobis attribuit,Gualterum militem a pervasione prædiorum sui Wazonis cohibere debetis : eoque facto et sinistrum rumorem vitabilitis, et proprio officio non defuisse videbimini.

EPISTOLA XVIII.

AD EUMDEM.

Ei qui cum sapiente rationem instituerit non multa oratione inlaborandum. Quod vestris vi ereptum est restituetur.Fidei spondentis amici credite. Si id satis non est, obses accipiatur ab his quibus sua rursus restitui oravimus,nec differendum propter instantis fori necessitatem, et quia de vobis optime præsumimus. Dum hæc dictavimus,obsides ab obsesso castro, ut in crastinum reddendo, nos accepisse significamus. Metis colloquium dominorum habendum est, vos quam plurimum interesse optamus. Si relictum ut institutum est, causam effectricem per vos nosse laboramus. Quid privatim vos scire oportebit, privata docebunt tempora.

EPISTOLA XIX.

AD ECBERTUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

Non exsecutum esse quod ab urbe Virdumensi de reditu fratris G. mandavimus, acrior cura præsentium tempore effecit,dum et quod nolumus necessitas infert, et quod volumus aufert.Nunc tandem ne bene meritis appareamus ingrati, clementia vestræ ut possumus remittimus, hoc unum a solita benevolentia vestra expetentes, ut experiatur vestram affabilitatem ob nostram commendationem, et, si pace vestra fieri potest, ne careat studiis quibus impensius operam dare disposuit.

EPISTOLA XX.

AD ECBERTUM ARCHIEPISCOPUM.

Quamvis sciam ex voto meo nulla beneficia vestris meritis respondere posse, æstuat tamen animus et quod re nequit, sequitur affectu. Privilegium vestri amoris circa nos sæpenumero litteris, sæpenumero nuntiis, sæpenumero rebus ipsis experti sumus.Et quoniam sanctas petitiones pro nobis Domino obtulistis, quam non inaniter eas effuderitis, testis est benevolentia dominæ Augustæ nobis reddita VI Nonas Martias. Qua die gloriosissimus rex Lotharius, Francorum clarissimum sidus, mundo subtractus est. Is, quem caruisse regali gratia putastis, nulla familiaritate seclusus est.

EPISTOLA XXI.

AD THEOPHANIAM IMPERATRICEM.

Et si hactenus vos ob merita vestri viri excellentissimi Augusti semperque memorandi,ut dominam colui, specialia tamen nunc beneficia vestra vestrique filii, et præteritam continent dilectionem, et fidem nostram ad vos ac vestros plurimam augent. Fovet nostra Ecclesia interpræcipuos thesauros pignus vestræ amicitiæ circa nos. Sentiat ergo beatus Remigius tantæ dominæ favorem, si fieri potest, in recipiendis rebus amissis, cum propter sui merita, tum propter nostra si qua placebunt exhibenda servitia.Sentiamus et nos gratiam jam bene fundatam, scilicet ut legato,et melius scriptis,de pa e et pacis conditione cum nostro rege habenda dignemini significare nobis,per omnia paratis, quantum fas est fidem sincerissimam exhibere. Sicque saluti vestræ ac nostræ in commune melius poterimus consulere.

EPISTOLA XXII.

AD MAIOLUM ABBATEM CLUNIACENSEM.

Præclara quidem exhortatio vestra in pervasorem. Sed cum scriptum sit : *Quæ cœpit Jesus facere et docere*, cur diversa imperia, diversa cœli climata prætenditis, ut ei, quem reum statuistis, aliis non communicantibus communicetis? Restiterunt sancti Patres hæresibus, nec putaverunt ad se non pertinere quidquid alicui male gestum audiere. Una est quippe Ecclesia catholica toto terrarum orbe diffusa. Verba vestra sunt, imo per vos sancti Spiritus.Nec erit Christi fidelis, cui hæc ambitiosa audacia non fiet detestabilis. Detestamini ergo pervasorem,sentiat vos sibi non favere, non sibi communicare, ac per vos non solum quosque religiosos vestri ordinis, sed etiam si fieri potest Romani pontificis se maledictis urgeri. Et quomodo rem ut erat cognovistis, cognitam secundum dignitatem vestri nominis dijudicastis : nos nostrique omnes velut fidissimi comites tantum ducem sequemnr, nec unquam huic pervasori ac tam probo improbo approbato, vestro sine jussu communicabimus.

EPISTOLA XXIII.

AD ECBERDUM [EBRARDUM[ABBATEM TURONENSEM.

Quæ morum gravitas vobis insit, quam integer vitæ actus, quam purum eloquium, litteræ vestræ palam fecerunt.Itaque studium pietatis ac severitatis vestræ movit nos ire in vestram sententiam, virque ille Deo plenus, ad quem multam fidem habemus. Submovebimus ergo illum perfidum a societate nostra nostrorumque judicio tantorum Patrum, isque nobis habebitur hostis, qui in sententiam reverendi patris Maioli, colendi patris Ecberdi dicere non dicenda attentabit.Quod si Divinitate propitia favorem principum obtinebimus, ad hæc utilia majora jungemus.

EPISTOLA XXIV.

AD IMPERATRICEM THEOPHANIAM ET AD FILIUM OTTONEM.

In quem cumulum ira furorque regis in nos proruperit,testis est impetus ejus repentinus et inopinatus, vixque sine multa cæde partium repulsus. Qui fidi internuntii erant, castra diruere, quæ sub vestro regimine sunt, nobis imperabant : offerre

jusjurandum secundum eorum libidinem, aut urbe regnoque excedere. Interserebant antiquam benevolentiam divi augusti O. circa nos, nostrumque familiare obsequium. Hæc et his similia propriæ saluti in præsentiarum obstitere. Forte ergo certum solatium tempore incerto, nec dubia spe deludamur, qui in conservanda vobis fide numquam dubitavimus. VI Kal. April. conventus in Francorum indictus est, ibique crimine infidelitatis pulsabimur, quod episcopum Virdunensem licentia donaverimus, quodque in presbyterii honorem promoverimus, et ut res fiat impossibilis a nobis idem repetendus. Si hæc ita se habuerint, vestri nostrique fideles, Gerbertus ac Renierus, secundum quod voluistis, Noviomago vobis minime occurrere poterunt. Sed vestra clementia Coloniæ, quo post venturi sunt, tanto ducem aptum itineri eis provideat. II Kal. Mart. Ottonem et Heribertum comites alloquemur, iterumque datis obsidibus quos recepimus, fratrem meum vestræ servituti remittere attentabimus. Quibus angustiis ob fidem vobis servatam semperque servandam premamur, paucis expressimus. Salutare vestrum auxilium vestra ex parte constanti animo exspectamus et ut hoc ipsum hostes lateat obsecramus, ne acrior eorum in nos exardescat ira.

Disticlion in calice.

Hinc sitis atque fames fugiunt, properate fideles.
Dividit in populos has præsul Adalbero gazas.

In donariis.

Virgo Maria tuas tibi præsul Adalbero munus.

EPISTOLA XXV.

AD EPISCOPUM BELLOVACENSEM.

Respondere scriptis vestris necessarium ad præsens non duximus, cum ad indictum colloquium de singulis pro modulo nostro accuratius vobis satisfacere possimus. Et quoniam nostrum ob amorem privata posthabetis negotia, nostrique sedulo operam datis, inter præcipua ponimus, memori animo recondimus, præstitis non minora recompensaturi beneficia, si se infida retorserit fortuna.

EPISTOLA XXVI.

AD DOMINAM THEOPHANIAM IMPERATRICEM

XVI Kal. Junii fratre meo de inferni tenebris liberato, quædam lux vestri honoris oriri visa est. Sed eam lucem cæco igne cupiditatis Otto et Heribertus comites corrumpant, summopere elaborandum. Itaque justas et honestas petitiones fratris mei clementer audietis, cum pro sui merito, tum pro vestra benevolentia in me : injustas autem, et quas tyrannus irrationabiliter extorsit, in destructionem ecclesiarum Domini, ac in dedecus vestri generis, prudenti consilio deviabitis. Num villas Virdunensis episcopi, quas pro redemptione sua, una cum filio Adalberone episcopo invitus donat Godefricus comes, jurejurando in perpetuum ab Ecclesia alienabitis? Num castra in eisdem ad eorum votum exstruere patiemini, qui nunc furtivas delectorum militum contrahunt copias, ut in vos si apud Caprimontem estis impetum faciant? Nam quia dux Theodericus Satanacam villam pervasit, quasi in ultionem reginæ, Juvenacum oppidum se invadere simulant, scelus facturi si vobiscum paucam persenserint manum. Hæc dixi, mentem pro vobis omnium sollicitam habens, et plena fide exsecuturus quæcumque per G. vobis fidissimum significastis, qui hoc sibi donari petit, ut vestræ partis fuerit verissimus interpres.

EPISTOLA XXVII.

AD ECBERTUM TREVIRENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Destinato operi designatas mittimus species, admirabilem formam, et quæ mentem et oculos pascat, frater efficiet fratri, soror sorori. Exiguam materiam nostram, magnum ac celebre ingenium vestrum nobilitabit, cum adjectione vitri, tum compositione artificis elegantis.

EPISTOLA XXVIII.

AD FRATRES BLANDINIACENSES.

Quousque abutemini patientia, fidissimi quondam, ut putabatur, amici? Charitatem verborum prætenditis, rapinam exercere parati. Cur sanctissimam societatem abrumptis? Quosdam codices nobis vestra sponte obtulistis, sed nostri juris nostræque Ecclesiæ contra divina humanasque leges retinetis. Aut librorum restitutione cum adjuncto charitas redintegrabitur, aut depositum male retentum bene merito supplicio condemnabitur.

EPISTOLA XXIX.

AD ECBERTUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

Quia diu optato consilio vestro non perfruimur, non satis patienti animo toleramus, instamus, casusque interstrepentes revincere laboramus. Synodus in partibus Rheni, ut fama est, indicta : nostrorumque episcoporum cum validiores morbi, tum etiam regio negotia, quam una voluimus interturbant synodum. Sed ne interim otio torpeamus, beati Ottonis suffragia ad præsens expetere in animo est, unde per vos reditum habere disponimus, ut prolixam disjunctionem nostram ea conjunctione castigemus. Et quoniam per Verdunum iter nobis est, eo crucem vestra scientia ut speramus elaboratam, si fieri potest, Kal. Novembris dirigite, sitque hoc pignus amicitiæ. Ita opus placens dum oculis crebrius ingeretur, indissolubilis amor in dies augmentabitur.

EPISTOLA XXX.

AD ECBERTUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

Etsi beneficiis vestris in animo est suo tempore respondere, tamen uti hæc eadem accumulentur, sancta societas præsumit. Sit ergo nostro obtentu Hidilo fratris mei presbyter nexu excommunicationis liber, donec in proximo conventu causa ejus discussa aut innocentem reddat, aut nos ab injusta petitione absolvat. Sit etiam is qui relator nostrorum librorum esse debet, Sacramentalis auro decentissime insigniti lator. Quippe nonnulla quæ placuerint quam citissime rescribemus, ac per eumdem latorem volumen nullo genere inferius deponemus.

EPISTOLA XXXI.

AD EUMDEM.

Omni difficultate rerum a cœpto itinere interclusi, expetendum censuimus portum salutis. Nam declivium montium torrentes continui intercipiunt, campestria sic juges aquæ vestiunt, ut villis cum habitatoribus sublatis, armentis enectis, terrorem ingerant diluvii renovandi : spe melioris auræ a physicis sublata. Refugimus itaque ad vos tamquam ad arcam Noe, Treverimque invisere totis viribus conamur : beati Ottonis per vim extorta obsequia in beati Petri apostolorum principis devotionem relaturi.

EPISTOLA XXXII.

AD COMPROVINCIALES.

Multa super statu ecclesiarum Domini, multa super publicis privatisque negotiis ratiocinaturi, cum nostræ diœcescos confratribus charissimo vos invitamus affectu, non tantum nostri, quantum vestri causa honoris ac utilitatis. Locus loquendi, Mons sanctæ Mariæ Terdonensis, tempus III Iduum Decemb. Valete.

EPISTOLA XXXIII.

AD ROTHARDUM ARCHIEPISCOPUM CAMERACENSEM.

His litteris acceptis Balduinum, quem nuper excommunicavimus, excommunicate, ob suam uxorem male derelictam, et quod negligentia diutius est dilatum, obedientia corrigatur. Nihilque sibi profuerit Romam adisse, dominum papam mendaciis delusisse, cum Paulus dicat : *Si quis vobis aliud annuntiaverit præterquam accepistis, etiam angelus, anathema sit.* Estote ergo nobiscum divinarum legum defensores, qui sacerdotalis dignitatis gaudetis esse participes.

EPISTOLA XXXIV.

AD. . . . .

Molestia vestra dejecti relevatione relevati sumus, addidimus, etiam et addemus supplicationes quas poterimus, et si quid ars medicinæ labori nostro suggeret, quam proxime dirigemus. Permovemur autem aliquantulum quod tam sero quæ circa vos essent nobis significastis, et maxime super causa fratris ac nepotis nostri. Mox quippe ut vestra legimus, ac nostrum legatum a palatio accepimus, qui omnia quæ fuissent. Ar. filium ejus regio dono accepisse firmaret. In quo aliud solatium non habemus, nisi quod milites plurimum ab eo dissentire scimus. Porro et in hoc elaborabimus, in quibus vestrum velle cognoscemus.

EPISTOLA XXXV.

AD CAROLUM DUCEM.

Si quid excellentiæ vestræ nostra servitus conferre potest, in hoc plurimum gaudemus. Et quia nunc ad vos secundum imperium vestrum non venimus, militum vestrorum hac illacque discurrentium terror effecit. Porro autem, si de nostra præsentia curatis, eos mittite quorum fidei nos credere audeamus, quousque duces itineris cum securitate habere possimus. Et ut intelligatis hæc dici cum magna fide, recordamini consilii nostri, et collocu-

A tionis in palatio Ingelheim et videte si quod promisi vobis de pace inter reges diu quæsita peractum est. Interim fideliter admoneo, ut reginam ac episcopum secundum dignitatem vestram lenissime tractetis et ne vos concludi inter mœnia ullatenus patiamini.

EPISTOLA XXXVI.

AD DOMINAM THEOPHANIAM.

Semper quidem utilitati vestræ prospicere volumus, ac prospiciendo gaudemus : quippe qui nos nostraque omnia vestræ servituti devoverimus. Ex tanto ergo affectu tantoque amore, a vestri munificentia præsumimus petere quod scimus per fidissimos nuntios olim nobis concessum esse : id est si in regnorum confinio quolibet ecclesia vacaret pa-
B store, in ea non alium constituendum, nisi quem vestræ utilitati omnimode aptum sano judicio delegerimus. Et quia omnibus provincialibus notum Italia expulsum, sed in fide non ficta perstantem habemus abbatem Gerbertum, hunc ecclesiæ præfici modis quibus possumus oramus. Qui nobis quidem est verus filius, vobis vero per omnia obsequentissimus servus. Cujus absentia etsi nimium gravamur, tamen ob communia beneficia privata posthabemus. Super his vestrum velle experiri quantocius sacris rescriptis obnixe efflagitamus.

EPISTOLA XXXVII.

AD CLERUM ET POPULUM. . .

Multum mœroris multumque anxietatis intulit nobis acerba mors vestri Patris nostrique dilectissimi fratris. Nunc itaque Deus totis pulsandus me-
C dullis, ut vobis Patrem ac nobis idoneum restituat fratrem. Sit interim vestra pervigil cura ut secundum divinas et humanas leges res defuncti episcopi, tam mobiles quam immobiles, futuro reserventur episcopo : ne si, quod absit, male cautem fuerit, in negligentes cum regalis censura, tum etiam gravior adhibeatur divina sententia.

EPISTOLA XXXVIII.

AD TREVIRENSEM V. V. D. K. A.

Non temere esse credendum rumoribus cum sæpe sitis experti, nunc experimini. Divina quippe gratia præveniente, ac precum vestrarum instantia suffragante, omnibus episcopii rebus potimur ut ante, nec quidquam ex tanta fama aliud fuit, nisi quod post meridiem occupatis militibus regis vino et somno,
D oppidani totis viribus eruptionem fecerunt, nostrisque resistentibus ac eos repellentibus, a mendicis cremata sunt castra; quo incendio omnis apparatus obsidionis absumptus est. Quæ damna VIII Kal. Sept. multiplicius restauranda sunt. Immensas porro vobis rependimus grates, quod tam præcipuo affectu nostri geritis curam. Quod continuari cum sanctis petitionibus et optamus et oramus, eadem voto ac desiderio usque in finem protensuri.

EPISTOLA XXXIX.

AD CAROLUM DUCEM.

Quomodo a me consilium quæritis, qui me inter infidissimos hostes deputatis? Quomodo patrem no-

minatis, cui vitam extorquere vultis? Denique non sic promerui. sed perditorum hominum dolosa consilia semper fugi, ac fugio, non de vobis dico. Recordamini, quia dicitis ut recorder, quid vobiscum contulerim de vestra salute, cum primum nos adistis, quid consilii dederim super adeundis regni primatibus. Nam quis eram, ut solus regem imponerem Francis? Publica sunt hæc negotia, non privata. Odisse me putatis regium genus? Testor Redemptorem meum quia non odi. Quid potissimum vobis sit faciendum quæritis. Hoc cum difficile dictu sit, nec satis scio, nec si sciam dicere ausim. Amicitiam meam exposcitis? Utinam ad sit ea dies qua honeste liceat vestris interesse obsequiis. Quamvis enim sanctuarium Domini pervaseritis, reginam cui quæ novimus jurastis, comprehenderitis, episcopum Laudunensem carceri mancipaveritis, episcoporum anathema neglexeritis, taceo de seniore meo, contra quem ultra vires negotium suscepistis : tamen beneficii, quo erga me usi estis cum telis hostium, quæ subduxistis, immemor esse non possum. Plura dicerem, et quod vestri fautores imprimis sint deceptores, ac suorum negotiorum per vos ut experiemini, effectores. Sed non est hujus temporis. Nam metus est hæc eadem dixisse ac prioribus scriptis vestris non respondisse. Idem est in causa, quoniam caute tenemus scriptum. Nusquam tuta fides. Rationes harum rerum tractare, conferre, communicare quolibet modo liceret, si R. K. I. G. H. H. T. Z. V. datis obsidibus ad nos usque pervenire posset, cui talia credere fas est, sine quo nihil talium agere possumus et debemus.

EPISTOLA XL.

AD THIETMARUM MOGUNTINUM ARCHIEPISCOPUM.

Labore obsidionis in Carolum defatigatus, ac vi fœbrium graviter exagitatus, sincerum affectum meum circa te, dulcissime frater, explicare non satis valeo. Hoc tantum significo, impera, obsequemur, sitque nostra amicitia eadem velle atque eadem nolle. Et quia inter graves æstus curarum sola philosophia quasi quoddam remedium esse potest, ubicumque partes ejus imperfecta habemus, suppleat industria vestra. Ad præsens autem rescribite tantum quod deest nobis in primo volumine secundæ editionis Boetii in libro Petri hermenias, hoc est ab eo loco ubi scriptum est. *Non curret vero et non laborat. Non verbum dico cum significat quidem tempus*, usque ad eum locum ubi dicitur, *ipsa quidem secundum se dicta verba nomina sunt, et significant aliquid hic præceptis*, idem parte deficientis commentarii. Beneficii vestri non erimus immemores, fidem mente conceptam non deseremus, quod voletis pro viribus exsequemur.

EPISTOLA XLI.

AD CONSTANTINUM.

Congratulamur tibi, dulcissime frater pervasore atque hoste monasticæ religionis, ad multorum salutem humanis rebus exempto. Insta ergo, et si jam patrem tua ac fratrum dilectione dignum habes, habeamus eum et nos præsentem tua opera proxime in festo beati Remigii, ut affectus noster a Floriacensibus te faciente paululum abalienatus, te faciente sit plurimum reconciliatus. Quod si hæc omnia fieri minus possint, liceat nobis et tua tantum perfrui præsentia, si quid unquam præstitimus quod placuerit, et si dignaris præstare quod placere possit.

INTRODUCTIO MONACHORUM

IN MONASTERIUM MOSOMENSE.

(Ex *Chronico Mosomensi*, apud Acherium, *Spicil.* tom. VII, pag. 642.)

Textus qui sequitur describit qualiter ipse præsul Adalbero per Romani syrmata Papæ consiliique sui decretum, constituit ut monachos locus hic Mosomus haberet, quos cohiberet regula sancte vivere, quique pro se proque suis prædecessoribus in spem æternæ vitæ divinum Numen adorent.

.... Precedentis itaque serie sermonis de vita et transitu sancti martyris Arnulfi compendiosam fecimus relationem, ubi fuerit sepultus, qualiter inde assumptus ad Guilediam trajectus, demum quoque Dei misericordia disponente ad hanc Mosomensem ecclesiam miraculis concurrentibus devenerit, stylo quidem admodum rustico et impolito exaravimus; sed ratione satis probabiliter investigata, sicut suo loco lector inveniet, ad plenum prosecuti sumus. Nunc quæ postea circa præfatam ecclesiam Adalberonis episcopi devotio exstiterit, quia per hunc sanctum suum Arnulfum mentem ipsius, ut supra retulimus, visibili miraculorum illuminatione Dominus admonuit, ad posteros mittere memorandum, non indigum judicavimus, ut divinis beneficiis ingrati esse timeant, et intelligentes quanta per hunc suæ salutis providum pastorem adepti sunt bona, rependendi vicem animæ ipsius in bono se semper obnoxios esse cognoscant.

Secundo igitur suæ ordinationis anno acta sunt

quæ priori sermone tractavimus, de translatione videlicet atque in Mosomensem ecclesiam illatione beatorum ossium prædicti martyris anno nongentesimo septuagesimo primo Dominicæ incarnationis, indictione quarta decima, mense Julio, nono Kalendas Augusti.

Visis itaque et auditis reverendus pontifex tam sanctis quam laude et admiratione dignis divinæ virtutis miraculis, quæ sub brevi suæ præsentiæ tempore hujus beati exhibebantur meritis ac nomine, non tulit diutius quæ longe ante satis animo conceperat, sed mature opus facto disposuit, ne alterius esset operis quod erat suæ intentionis, et inde sibi si negligeret meriti fieret detrimentum; unde alter qui id fideliter efficeret, coronam portaret et præmium. Unde intra mentis suæ secretum, tanquam intra speculum amplissime contemplando collectis, quæ sint, quæ fuerint, quæ post futura sequantur (ex preteritis enim persæpe ventura conjiciuntur) quosdam procerum suorum, tam cleri quam militiæ suæ nobiles in præsenti sibi coessentes advocat, et quid voti mente diutius collectum supportet, expostulata sui gratia consilii, an approbent seu magis improbent audire et referre monet, dicens : Quo consilio et sententia judiciorum Dei ad hanc pastoralis curæ pervenerim et ordinatus sim dispensationem, penitus ignoro; sed quod semper timere debeo tanquam irruentes super me fluctus, sic onus istud quoties penso, toties reformido. Consideratis namque hujus episcopii quibusdam antiquissimis locis, olim dum misericordia et veritas obviarent sibi, dum se justitia et pax osculatæ sint, dum veritas de terra oriretur, et justitia de cœlo prospiceret (*Psal.* LXXXIV, 11, 12) : olim, inquam, sub religione fundatis, tum quidem prosperantibus et felici fortuna sese agentibus, Dominus dabat benignitatem, et terra nostra dabat fructum suum (*Ibid.*, 13) : modo autem prorsus neglectis, aliquibus solam nominis famam prætendentibus, aliquibus sic ad solum dirutis ut nec fama supersit nominis, quibusdam dum emendari debuerunt in melius, ad dexteriora perventis; eorum aliquem cujus incepti artificio reformare prius attentem, multæ ambiguitatis naufragio pendulus hæreo, et dubiis aufractibus intricatum, et vix se explicantem animum gero.

Res enim locorum illorum quæcumque in mobilibus fuerunt, vel esse potuerunt, auro videlicet argentoque seu cujuslibet ornamenti substantiali supellectile, utpote vastatæ, direptæ, vetustatis etiam senio dilapsæ, jam nullæ sunt. Villæ, vici, ancillæ, servi, ecclesiæ, molendini, et omnium habendarum possessiones rerum, a potentibus et tyrannis, regnique optimatibus pervasæ, donatæ, confiscatæ sub beneficiis delegatæ, quando sanctorum locis nec pro antiquitatis suæ debito jure, nec pro quibuslibet privilegiis testificantibus habebunt redire? Tanta fuerunt male pacati infortunia regni, tanta regum procerum discordia, tanta populi peccatis facientibus emergens malitia, tanta gentium intra Gallias irruentium et adversum se depugnantium! hostili rabie exundans exstitit impia et perquam iniqua sævitia!

Accidit huic bono (*f.*, malo) quorumdam nostrorum laudabilis (*f.*, illaudabilis) vita pontificum, qui si forte quidpiam supererat, ut sibi fidissimos pararent, quorum impudentia et fraude tuti essent. Palatinis canibus omnia contradebant. Nec qnemquam fas est nominare, cum culpa ex dubio videatur venire, et factum hoc magis expostulet veniam, quam aliquam repromittat gratiam, et melius pro multitudine factiosorum taceatur, quam corrigendi spes nlla donetur. Quapropter hæc missa faciamus, ad rem redeamus.

Locorum de quibus agimus, Mosomus est unus, sanctæ Dei genitris Mariæ olim insignis nomine et honore. Hic Mosa influente amœnissimus, monachorum babitationi mihi videtur opportunissimus. Omnia namque humanæ vitæ jucunda pro aeris qualitate præstat et commoda; præter quod vinearum ibi proventus adeo non exuberat. Nec enim inhabitantibus id fuit negotii, nec ea sollicitudo, præsertim cum natura sit vinearum, temperati magis et non frigidi cespitis amare solum. In quo tamen mihi minima cura; quoniam si Deus votum meum prosperaret, habeo ex patrimonio meo, et ex mihi contingenti antecessorum meorum jure debito, unde hanc sibi penuriam pellerem, et optimi vini cum cæteris reddituum suorum benedictionibus veros dominos et divites possessores, si procurare id sciant, eos efficerem.

Olim locus ille Mosomensis in honore Reginæ cœli et virginis matris Mariæ pro vera pietate et voto fidelium, sub ordine fuit prætitulatus sanctimonialium, sed turbine sæviente malorum, quorum supra vix attingendo meminimus, eam nomine perdiderunt et esse. Nuper autem beatæ memoriæ D. Heriveus, hujus sedis pastor et rector fidelissimus, magno religionis affectu hunc diligens locum, sub titulo jam vice altera dilapsorum restituit et ordinavit canonicorum.

Inveniens namque omnibus rebus et ipsa etiam inhabitatione destitutam, ex fundamento reædificavit ecclesiam, quæ flammis eum exurentibus et impluvio, multaque longi temporis negligentia detritis parietibus, solitudinem tantum horrendam repræsentabat aspicientibus. Quæ reformata et in statum pristinum recollectis præbendariis exornata, ab initio nimirum sui pro dignitate loci, et generosa populositate civium. Secunda sedes hic agebatur Remensium; hujus tituli scilicet canonicæ non dicam vitæ, sed simulati canonicorum nominis utcunque tenorem servat antiquum. Sed cum hæc eorum vita nihil a laicorum differat cohabitatione (nuptiis quippe fruuntur, filiorum et filiarum quæstuosis mercimoniis inservientes, usibus sæculi coutuntur), valde stimulando sollicitat animum meum, ne diutius si corrigendi sit posse, reverentia tanti

nominis, beatæ Mariæ dico [illegible] honore debito maneat religio [illegible] ordinis. Mihi credite, amor hujus facti tantum mihi crescit in horas,

Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.

Et qua ratione id primum aggredi [illegible], paucis eloquar. Est in hujus Portuensis Comitatus partibus octo monachorum cum abbate sibi superposito parvus admodum et pauper loculus, quem Frederuii matrona nobilis, cum illustri viro suo comite Stephano, quia spes eos frustrata fuerat posteritatis, collatis quæ inibi habere videbantur prædiis suis, sub jure et titulo constituerant divinæ servitutis, ut pro recompensatione præsentium nomen haberet melius a filiis et filiabus in cohæreditate cœlestium.

Hunc ergo per consilium domni Gerardi abbatis viri vitæ venerabilis, qui tunc temporis pro merito sui nominis et religiosæ conversationis, pluribus in Francia præerat monachorum cœnobiis, inter quæ et monasterii sancti Remigii curam agebat. Hunc eumdem, inquam, locum sancto Remigio ut subjectum haberet, ac procurando servaret, fideli voto tradiderunt. Hic in honore sancti Quintini consecratus, et radicibus Aldiniaci montis adsitus, a rivulo fontis qui inibi exoriens præterfluit Tignus cognominatur. Sed circummanentium inquietudine satellitum, ex castello proxime imminenti, quod ob palustre cœnum, in cujus medio residet, Cantarana dicitur, frequentius urgeretur, molestiasque crebras patiens, contemplationis suæ studium sæpe amittere cogitur. Hunc cum abbate et fratribus loci sancti Remigii per concambium ex rebus ecclesiæ nostræ volo, si Deus annuat, commutare, mihique legaliter contraditum cum Mosomensi (*al.*, Mosomagensi) loco unum efficere, ut cum monachis abbate ibi transposito, ex duobus quamvis minoribus unum aliquid fiat majus et melius. Ecce hæc sunt quæ vos interim audire volui, et si ex Deo sint cujus misericordiæ innitimur, consilium ne cunctemini referre quod utilius judicabitis.

Mox illi opus pietatis attendentes, et viam bonæ actionis considerantes: O fausta, inquiunt, intentio! et si effectum habeat, quam certa et felix bonæ voluntatis erit remuneratio? Talia differre non sit consilium, opus enim hoc accelerare cœleste est negotium. Opus bonum si sit in voluntate, ex Dei adjutorio erit in perfectione. Talia siquidem vota, quamvis ex difficultate titubent, magis autem ex desidia si omittantur nocent; quia quanto ardua et altiora quis aggreditur, tanto majoris præconio laudis si efficiendo superet, dignus attollitur. Quapropter quod vos audire vestræ gratiæ auctoritas dignata est, omine tantum dextro Deus aspiciat, nobis optimum factu videtur, et vobis salutiferum connumerabitur.

His relationibus acceptis episcopus (animo enim cupiendi nihil satis festinatur) actutum sancti Remigii monasterium expetit; abbatem qui nunc præerat, virum honestum, Rodulfum nomine, supra sua in- talibus verbis [illegible], et ad persuadendum dulcibus [illegible] omnemque rem sui consilii secreto aperit, omnes difficultatis (*al.*, difficultates) altius sapientis interne rationis suæ lima eradit, abjurandi limites excludit, nihilque dispendii loco sancti Remigii devenire, sed commutatis rebus, quæ inter eos complacitis pactionibus cederent, opportunius repromittit esse; tanta videri negotia sua, utpote multis episcopiis, et rerum plenitudine, et dignitate nominis præstantia: hunc autem loculum modicum cum modico communicatum, opus habere vicinitate communium, et laboriosa vivacitate virum, sese bene et prudenter agere, si unde divinæ servitutis honor cresceret, prompto et fideli animo ordinare et constituere satageret; seipsum autem qui hæc expetere videbatur sibi unanimiorem efficeret.

Abbas de his quæ audierat consulendi locum, et cum fratribus conferendi postulat. Quo clementer indulto, fratres abbas revisit, coadunatis et consedentibus quæ sit postulatio episcopi, quodve totius profundum consilii apertis et brevibus verbis absolvit. Fratres itaque diversa sentientes, atque, ut est ingenium mobilium mentium, idque potius juvenum, non eadem mirantes; interim vacillante sententia, et nutante seniorum judicio, dum suæ opinioni quisquis magis innititur, primo abnuere nec assentiri velle, quod semel acceperant cur alteri curandum quam sibi credant, votum fidelis mulieris eleemosynam facientis manere debere, sibi subtrahi quod alter faceret, sibi minui unde alius cresceret, hoc apud populum non esse laudis præconium, sed videri vitæ degeneris et contumeliosæ improbationis (*f.*, improperationis) elogium.

Talia renarrantibus, motuque vario dissonantibus, abbas silentium imperat, fandique auctoritate, et vocis libertate ad compescendum murmuris strepitum arrectus, piæ exhortationis allocutione sic inchoat: Fratres dulcissimi, Deoque charissimi, verba sunt ista dicentis Apostoli: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum* (*Philip.* II, 2, 3). Hæc Apostoli verba sunt quasi fermentum bonæ conspersionis in nostra intelligentia, ut omnia quæ facimus, sint sine murmurationibus et hæsitationibus: *Ut simus sine querela et simplices sicut filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ: inter quos lucetis*, ait, *sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes* (*Philip.* II, 15, 16). Et alibi: *Solliciti estote servare unitatem spiritus, in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ* (*Ephes.* IV, 3, 4).

Unde, fratres mei, si in his quæ Dei sunt moneat episcopus, nulli debet esse resistendi ausus: quia dicit in Evangelio Dominus: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* X, 16). Ista vero suggestio nostri archiepiscopi, considerata in-

tentione sui, videtur nobis prodire ex insito sibi A timore et amore Dei; unde nos nec juste quimus obsistere, nec ea quæ ad cultum divinæ servitutis pertinere sentimus, debemus ausu temerario pervertere. Si diminutionis damnum plangitis, ea quæ nobis in recompensatione concambii ad præsens transcribit, non satis provide attenditis : Si autem favores ex judicio populi assumitis, cavendum ne arundo vento agitata (*Matth.* XI, 7) esse velitis. Quod autem votum mulieris manere debere asseritis, majori credo misericordia stabit subnixum quod in usus cedet pauperum et egenorum, sicut scriptum est : *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*Psal.* CXL, 8). Cum ergo abundemus et superabundemus, cavendum nobis est, ne sub specie pietatis et quasi defendendæ rectitudinis B arguamur sceleris, avaritiæ et cupiditatis. Ideo rogo vos, fratres, ut saniori consilio mentes vestræ inclinentur et acquiescant, ut juxta Apostolum : *Omnia vestra in charitate fiant* (*I Cor.* XIII, 14).

His et hujusmodi multis atque saluberrimis allocutionibus fracta et emollita prius exasperantium cervicositas in gratiam assentiendi redit, et annuit quæcunque sit episcopi et abbatis voluntas. Hinc itur ad episcopum, quæ fratrum fuerit obauditio expouitur; licet primum reniti et obsistere voluerint, tamen ratione victos suam reflexisse intentionem, et bonæ voluntatis ejus non aspernari operationem. Episcopus benigne accepit, gratias egit, ordinatisque ex communi consensu opportuni testimonii optimis in attestando viris, recompensationem rerum quæ ex condicto placuerant per commutatio- C nem dati et accepti episcopus pariter et abbas legaliter faciunt, et ut cuique quod in præsenti assignabant determinatum et inconvulsum perseveret, vadibus juri cedentibus sub astipulatione ratum traditur.

Post ubi omnia quæ præoptaverat episcopus ex sententia comparavit, iter cum suo comitatu Macerias castellum, quod tunc frater ejus Godefridus comes constabilibat arripuit, et illum Tingensis cœnobioli pauperculum abbatem, Lietaldum nomine, quam celerrime advocat, et sub testibus sanctique Remigii præposito, seu aliis bonæ fidei viris renarrat quidquid taxatum. Quid deinde se obedienter facere velit privatim mandat, et ut cum suis monachis navim conscenderet, quam ipse præsul eis imposito D commeatu apparaverat, et cursum non deflecteret donec prius Mosomum veniret imperat. Quibus ita dispositis, domnus Adalbero conscensis equis negotium quod intenderat perfecturus, ad hanc suæ sedis ecclesiam pervenit, et cum honore susceptus est. Tunc priores ecclesiæ appellare cœpit, alia pro aliis quasi dissimulando fingens, deque situ et statu loci ædificiisque compositis confabulans, si quid in auro argentoque esset, quod plusculum vel pretiosum ecclesia seu in pallis, ut in sacerdotalibus indumentis haberet, se videre velle dixit. Quibus inspectis : Et hæc, inquit, pro se satis, sed non multa sunt; ampliare autem illa potest, cujus omnia sunt.

Crastino autem facto, hora diei quasi prima, jam episcopus monachos suos in proximo adesse sciebat (puer quippe in specula positus, id præ oculis facile habens, certissime nuntiabat), in secretario clericos omnes coadunari facit, et præsente forti custodia sui, circumsedentibus omnibus sic orsus ab alto est: Multa est nimis malitia sæculi hujus et vere natura hominum ab adolescentia sua semper proclivis est in malum (*Gen.* VI, 6); quæ ad similitudinem navis positæ in medio fluctuum, nisi sedulo in anteriora expungatur, jugiter vadit retrorsum. Quam rem cur proposuerim paucis absolvam. Locus iste sub titulo assignatus sanctæ Dei genitricis Mariæ, secundum sui nominis dignitatem religionis non habet honorem.

Post illam namque miseriam, quam pene omnibus importat sæculi malitia, vix pertenuis scientia, et prope nulla clericalis seu canonici ordinis ad sciendum et intelligendum Deum vos exornat sapientia et continentia. Nec moras vobis faciam in multum loquendo; duorum vobis datur optio; eligat quisque quod sibi utilius videtur, aut fieri monachum. aut cedendo vacuare locum. Cui placet in monacho, spondeat in præsenti. Refutans et nolens mutet sedem, et exeat. Ecce habeo mihi monachos sub norma sancti Benedicti victuros. Abbas namque cum suis fratribus egrediens a navi, nuntiabatur jam esse præ foribus. Hic turbatis omnibus (durus quippe sermo visus est eis de monacho), nulli fuit consilium præter paucos quos rei familiaris angebat necessitudo, sequi bonum quod præsul Deo dignus suadebat agendum.

Sic episcopus intromissis cum honore congruo abbate et monachis in sanctuarium : *Ecce*, inquit, *quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum*. Sit vobis *sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Et quod descendit in oram vestimenti ejus : et sicut ros Hevmon, qui stillat* (al., *descendit*) *in montem Sion*. Ut hic *mandet Dominus benedictionem et vitam in sæculum* (*Psal.* CXXXII, 1-4).

Cumque omnes respondissent : Amen. Episcopus abbati locutus est et fratribus : Non frustra neque sine causa sit, quod hic vos admittimus, quod mutatione facta ordinem clericorum vobis postponimus, sed pensate quod dicitur : *Amice, ad quid venisti?* (*Matth.* XXVI, 50). *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore : apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* (*Psal.* II, 11, 12). Vestrum sit pro nobis orare; nostrum erit, Deo donante, victualia vobis ordinare.

Claustra monasterii et officinales vobis domos metabimur, et procedente tempore opportuna quæque procurabimus; vos tantum cum Deo ambulantes solliciti, sic Deo digne et sanctis ejus conversamini, ut de vobis merito possit audiri : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Ipsi popu-*

lus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus (*Apoc.* xxi, 3). Quicunque vos in hoc loco degentes per multa annorum curricula præcesserunt, sive sanctimonialium diebus, seu clericorum secunda permutatione jam sibi succedentium, concupiscentias sequentes desideriis suis pravis male inhæserunt, et facti *sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* xxxi, 9), in stercore suæ corruptibilis vitæ sicut jumenta computruerunt. Et quia non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos in reprobum sensum, et obscuratum est cor eorum insipiens, ut facerent ea quæ non conveniebant (*Rom.* i, 28). Et sicut loquitur Deus in cantico Moysi : *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus : et ego provocabo eos in eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos* (*Deut.* xxxii, 21). Nolite ergo effici participes eorum.

Sit vobis bonæ imitationis forma et speculum beati Benedicti regula, omnesque eam sequantur tanquam magistram, neque ab ea temere declinetur a quoquam. Oro itaque vos et obsecro, sit fructuosus devotionis meæ labor, ut quod de vobis agere cœpi, et facere cupio, per primitias hujus bonæ a Deo complacitæ frugis, ad plenam messem pervenire possim divinæ benedictionis et æternæ beatitudinis. Sic operamini, dilectissimi fratres, et sic vivite, ut in novissimo vitæ hujus die non pereat in vobis misericordia Redemptoris, sed coronet in gratia pretium nostræ redemptionis per Jesum Christum Dominum nostrum.

Ecce jam in præsenti coram Deo et testibus ad vestrum servitium pro animæ meæ remedio, proque prædecessorum atque successorum meorum beatæ remunerationis commercio, de mea mensula unam villam, Oduntem nomine, cum omni banno suo subtraho : et alteram villulam Seciam, quantum inibi in jure meo venit. Itemque apud Romeliacum et Alleicurtem quidquid mihi, parum quidem, ibidem competit, in promerendo jugi suffragio dominæ meæ sanctæ Dei genitricis Mariæ usibus sibi fideliter servientium monachorum libens perpetuo habenda offero, et auctoritate, qua debeo vel possim, legaliter trado. De patrimonio autem meo, quod in partem mihi cedit, si fratrem meum Godefridum super hoc sancto negotio, Christi adminiculante gratia, persuadendo evincere potuero, quidquid in Metensi episcopio habeo, in villis videlicet Bretenaco, Rothila, Madrengias ad mansos viginti octo.

Itemque de terra quam dicunt Sulcos sancti Remigii, in duobus locis Roscolis et Castello, ad mansos duodecim, ne indigentia vini satis optimi vos coangustet sublevare curabo. Bervelliacum vero ad tria millia hinc positam, ad faciendam saginam in pastione porcorum vestrorum, cum omnibus appendiciis, ut (*al.*, ubi) de manibus illis quæ nunc in bneficio tenent aut precario, aut concambio, aut cujuscunque ingenii effectu eripere quivero, usibus vestris (tantum peccatorum meorum maculas assiduis precibus extergite) libens acquirere instabo. Hanc villam tunc Richardus, comes Metensis, ex antiquo in beneficio de episcopio tanquam jure proprio possidebat, quam bonus ille præsul sicut promisit multo sibi annis attrahens antequam vita decederet, huic Mosomensi ecclesiæ jure proprio in reliquo possidendam legaliter contradidit.

Sic episcopus coram multorum frequentia ipsum abbatem et fratres alloquens, et ut sui jugiter sancte et pie vivendo memores essent exorans, in pace dimisit benedicens. Mensis erat November, vii Idus agebatur dies, quando in hoc loco constituti sunt fratres, et cum illa Tingensi abbatiola Mosomense cœnobium nomen habuit et participium, ut cum verbo præpositionis adverbium fieret conjunctionis, servans tenorem prænominis propter mentales affectus conjunctionis. Ab incarnatione autem Domini nongentesimus septuagesimus primus perlimitabatur annus quando hæc facta sunt, indictione quinta decima, epacta vicesima secunda, concurrente sexto quinquagesimo secundo decem novennali cyclo, lunari nono decimo.

Post hæc dicta et facta domnus Adalbero secundum pastoralis libri sententiam quæ dicit : *Sit rector internorum curam exteriorum occupatione non minuens* (S. Greg. *Past. curæ* part. ii, cap. 7, init.), exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens, ne aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus quæ foris debet proximis non impendat. Quæ in palatio erant consilii sui vigore confirmans, quæ in regno erant curanda cavens, magnanimitatis suæ auctoritate præstans, summis et imis idemque unus ædificabat divites cum pauperibus.

Ergo Natali Domini celebrato, legatos suos Romam cum litteris dirigit, domnum Joannem papam, cognomento Albam Gallinam, qui a juventutis suæ primis annis reverentiæ competentis et dignitatis angelicæ albebat canis, magnificentissima largitione condignis honorat muneribus, et quæ secum vel in Galliis agantur exponit mandationibus, seque mense Maio habere debere concilium enarrat per internuntium. Si quid suæ ordinationis in eo consistere velit, suæ apostolicæ auctoritatis virum dignum eo mittat. Inde quod magis expostulet super Mosomensis cœnobii statu, totiusque facti causas ex amussim de omnibus secundum conceptam bonæ voluntatis suæ justitiam informat, et ut suæ auctoritatis et beati Petri apostolorum principis ad internum conservandum mereretur privilegium, humiliter ex Dei gratia poscit et implorat beneficium.

Papa suorum officialium et consacerdotum in his omnibus sententiale requirit judicium, et per Dei gratiam ut tanto viro, pontifici videlicet nostro, annueret, unum omnium in hoc bono opere assensit consilium. Proinde accito notario, et secundum Romanæ dignitatis consuetudinem paratis scriptisque ex papyreo tomo chartis, fecit privilegium, constituit decretum. Quod hanc Mosomensem ecclesiam cum suo monastico atque monachico ordine in

perpetuum tueretur, quamdiu illum divina clementia servandum disponeret, ac in suo concilio coram episcopis et generali synodo recitatum misit. Itaque ad se cum S. Romanæ Ecclesiæ apocrisiariis regressis etiam responsalibus suis, præsul Deo dignus Adalbero convocatum undique pro canonibus religendis, et causis sanctæ Ecclesiæ in melius conciliandis, in pago Tardanensi apud Montem sanctæ Mariæ collegit mense Maio concilium. Ubi ordinatis justeque dispositis quæcunque videbantur necessaria et ordinabilia, voti sui pro quo Romam miserat non immemor, coram venerandis Patribus et omni illa sancta synodo sic exorsus dominus est Adalbero.

« Domini Patres, ac dilectissimi fratres, audite, « quæso, et intendite humilitatis meæ preces; quo- « niam sicut hic nos congregavit Spiritus sanctus, « ita quidquid ex ejus inspiratione sentimus per « ipsius etiam infusionem et cooperationem admi- « nistrari per adventum ejus super nos exorantes « præoptavimus, et consecuti sumus; unum restat « modicum, in quo auctore omnipotente Deo, etiam « vestrum expostulo favorem, consilium et benedi- « ctionem. Mosomus locus quidam est diœcesis nos- « træ, consecratus sub titulo et nomine sanctæ Dei ge- « nitricis Mariæ, olim ab exordio sanctimonialium « congregatione famosus, sed mundi crebrescentibus « malis in quo erat statu durare non potuit, postea « a fidelibus clericorum vel canonicorum jam bis « restitutus collectione, dum sua quærunt omnes « non quæ Jesu Christi, dilapsis rebus et partim « subtractis, pene ad nihilum redactus est. Unde, « ut credo, ex inspiratione Dei visum est mihi, mo- « nachorum ordine et disciplina secundum sancti « Benedicti regulam locum illum in melius refor- « mare. Quod et efficiens, domini nostri Romanæ « sedis antistis consilium atque auctoritatem super « hoc facto expetens requisivi. Unde ut in præsenti « audituri estis, præeunte Christi gratia et privile- « gium auctoritatis suæ nobis transmisit, et decre- « tum constituens sub pagina sancti Petri corrobo- « ravit, et ausu temerario infringere tentantes ana- « thematis jaculo impetivit, sicut infra scriptum est:

« Joannes episcopus, servus servorum Dei, » etc. *Reliqua vide inter epistolas et privilegia Joannis papæ XIII.*

Quia igitur domini apostolici decretum et vidistis et audistis, si placet ut itidem hujus sanctæ synodi unanimi testimonio et nostræ humilitatis scripto corroboretur, hoc factum decernite. Itaque omnibus sub uno assensum præbentibus conscriptione facta sic recitatum est:

« Adalbero, divina propitiante clementia, sanctæ « Remensis Ecclesiæ archiepiscopus. Notum fiat « universis tam præsentibus quam etiam futuris fide- « libus, quondam nobis episcopio gratia et benigni- « tate regia contradito, sanctorum quoque loca « quædam in honore integro reperisse plurimum « valentia, quædam vero pristinæ dignitatis statu « deficiente prorsus neglecta. Inter quæ ille etiam « Mosomi cœnobialis locus antiquitatis studio certa- « tim constructus, ab exordio scilicet sanctimonia- « lium vitæ aptatus, postmodum vero canonicali or- « dine ab Herveo prædecessore nostro melius infor- « matus, atque in honore sanctæ Dei genitricis « Mariæ digne consecratus, sed nefandis usibus « utrobique negligenter incultus, rebus quidem par- « tim subtractis, partim vero currentibus malis, si- « nistræ cessit fortunæ.

« Quo igitur comperto mens nostra, adhibito fide- « lium nostrorum diligenti consilio, liquido perpen- « dens eumdem locum pro mundi infelicitate in « canonicali ordine utiliter stare non posse, æter- « norum spe, prout opportunum exstitit, ibidem « monasticæ religionis vitam ordinato abbate Leo- « taldo (*al.* Ledaldo) constituit, ut ejusdem loci « cultores religiosi tam rebus delegatis, quam etiam « forte delegandis utentes, continua vota Deo sol- « ventes, sint et pro nobis et pro posteris nostris « cæterisque ordinibus jugiter exorantes. Quocirca « paternitatem loco nostri vestri subrogandorum in « illa charitate Dei enixius imploramus (*al.*, implo- « rantes) quo sub divini amoris respectu hujus rei « gestæ conducibili negotio consentaneæ pietatis fa- « veant zelo, idque liberalis auxilii indeficienti base « dignentur temporum curriculis consolari atque « fulcire, ut ex eo gratiam Dei feliciter adipiscentes, « hujus præstantioris emolumenti mereantur fore « consortes. Sed et hoc ex decretis sanctorum Pa- « trum sub auctoritate pastorali omnimodis inhibe- « mus, imo etiam cum divini nominis obtestatione « omnino interdicimus, ne unquam hujusmodi sta- « tutum qualibet temeritate ab ullo nostri ordinis « violetur, quin potius in reliquum stabile et incon- « cussum jure perpetuo idipsum venerabiliter con- « servetur. Nam si per laicos in rem hanc injuria « invehatur, in eos procul dubio excommunicationis « jaculum cum anathemate intorqueatur. »

Anno igitur ab incarnatione Domini Jesu Christi 973 (*al.* 983), provinciali synodo mense Maio constituta, generaliter congregata apud Montem sanctæ Mariæ in pago Tardanensi, hoc decretum solemniter recitatum est coram venerandis episcopis, abbatibus, cæterisque (al. cæterisque nonnullis) fidelibus, huic nostræ institutioni pio assensu faventibus, imo etiam collaudantibus atque confirmantibus: quorum videlicet primus ego Adalbero jam præscriptus archipræsul eidem concilio Deo auctore pontificali auctoritate præsidens, manu nostra subscribens, idem roboravi; sed et cæteri haud secus censuerunt manibus impositis solidari hoc ipsum pontificale statutum, apostolicæ auctoritatis privilegio petitionis nostræ obtentu undecunque subnixum, ac per hoc summo honori omnibus reverenter habendum.

Ego Adalbero sanctæ Remensis Ecclesiæ archipræsul subscripsi et corroboravi.

Ego Wido Suessionensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Hildricus Belvacensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Thebaldus Ambianensis episcopus.

Ego Haiduinus Noviomensis episcopus.
Ego Theudo Cameracensis episcopus.
Ego Adalbero Laudunensis episcopus.
Ego Gipuinus Catalaunensis episcopus.
Ego Constantius Silvanectensis episcopus.
Ego Liudulfus Tarvanensis episcopus.
Signum Alberti Remensis archidiaconi.
Signum Leudonis archidiaconi.
Thebaldi archidiaconi.
Erluini archidiaconi.
A Hugonis archidiaconi.
Geranni archidiaconi.
Rogeri archidiaconi.
Emmonis archidiaconi.
Signum Rodulfi abbatis sancti Remigii.
Odelei abbatis sancti Medardi.
Ratoldi abbatis Corbeiensis.
Berlandi abbatis sancti Vincentii.
Adzonis abbatis sancti Basoli.

ANNO DOMINI MCCCCXC

FOLCUINUS

ABBAS LAUBIENSIS

NOTITIA HISTORICA IN FOLCUINUM

(Fabric. *Bibl. med. et inf. Lat.*)

Folcuinus, Fulcuinus, Folquinus, Volquinus, Fulquinus, abbas in Belgio Laubiensis, sive Lobiensis ab anno 965 ad 990 scripsit *Chronicon de rebus gestis abbatum Laubiensis cœnobii*, a S. Landelino fundati ab anno 697 usque ad sua tempora. In eo de se Folcuinus capite 28 seq. *Vitam Folcuini*, Tarvanensis episcopi in Flandria anno 854, defuncti Mabillonius sæc. IV Benedict. pag. 622. Hisce *homiliam de zizaniis* ad Matth. XIII, 25 seq. ms. Lovanii ad S. Martinum licet addere ex Oudino tomo II, pag. 475.

VITA SANCTI FOLCUINI

EPISCOPI TARVENNENSIS IN GALLIA

AUCTORE FOLCUINO LAUBIENSI ABBATE

(Mabill. *Acta SS.* Sæculi IV, pag. 622.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Etsi Folcuinus Laubieneis abbas haud ignobilis auctor sit, non magni tamen momenti est hæc Vita ab ipso edita, quæ passim in communes locos excurrit. Ejus rei causa est, quod pauca de sancto Folcuino comperta habuit auctor, et ea quidem ex traditione accepta post annos centum ab ejus morte. Nihilominus certa videntur singularia facta ab ipso relata, quæ utique auctoritatem accipiunt ab alio Folcuino, de quo mox dicturus sum. Folcuinus seu *Folcwinus*, quem alii *Folcoinum*, *Folquinumve* scribunt, inter sanctos habitus est statim ab ipsius morte, et eo nomine cultus in monasterio Sithiensi.

2. Qualis ante episcopatum sanctus Folcuinus fuerit, neque Folcuinus abbas, neque Joannes Iperius, aut alius quisquam scriptum reliquit, sive ex incogitantia, sive potius ex ignoratione. Nam Folcuinus abbas qui annis duntaxat centum post eum vivebat, satis diserte attestatur id a se ignoratum B fuisse. Trithemius sanctum Folcuinum inter viros sanctos aut illustres ordinis nostri non numeravit; recensuit Arnoldus Wion, ob eam scilicet causam, quod eum in Sithiensi monasterio coli rescivit. Consulti hac de re Bertiniani cœnobitæ, id responsi nuper reddiderunt, nullam sibi videri causam cur sanctus Folcuinus monachis nostris accenseatur, cum nullum ejus monachatus vestigium in vetustis auctorihus, archivis aut mss. appareat.

3. Pluribus conciliis interfuit vir sanctus. Ebonis Remensis episcopi restitutioni anno 840, Parisiensi concilio anno 846, Carisiacensi biennio post, in Suessionensi conventus anno 853, quo anno inter missos Caroli Calvi numeratur in ejus capitulari. Hincmarus Remorum pontifex epistolam teste Frodoardo in Historiæ lib. III, cap. 20, scripsit « Folcuino Morinensi pro quodam presbytero ipsius ordinato, C qui clamabat injuriam se pati ab Immone præsule (*Noviomagensi*); petitque simul reliquias

perpetuum tueretur, quamdiu illum divina clementia A servandum disponeret, ac in suo concilio coram episcopis et generali synodo recitatum misit. Itaque ad se cum S. Romanæ Ecclesiæ apocrisiariis regressis etiam responsalibus suis, præsul Deo dignus Adalbero convocatum undique pro canonibus religendis, et causis sanctæ Ecclesiæ in melius conciliandis, in pago Tardanensi apud Montem sanctæ Mariæ collegit mense Maio concilium. Ubi ordinatis justeque dispositIs quæcunque videbantur necessaria et ordinabilia, voti sui pro quo Romam miserat non immemor, coram venerandis Patribus et omni illa sancta synodo sic exorsus dominus est Adalbero.

« Domini Patres, ac dilectissimi fratres, audite, quæso, et intendite humilitatis meæ preces; quoniam sicut hic nos congregavit Spiritus sanctus, B ita quidquid ex ejus inspiratione sentimus per ipsius etiam infusionem et cooperationem administrari per adventum ejus super nos exorantes præoptavimus, et consecuti sumus; unum restat modicum, in quo auctore omnipotente Deo, etiam vestrum expostulo favorem, consilium et benedictionem. Mosomus locus quidam est diœcesis nostræ, consecratus sub titulo et nomine sanctæ Dei genitricis Mariæ, olim ab exordio sanctimonialium congregatione famosus, sed mundi crebrescentibus malis in quo erat statu durare non potuit, postea a fidelibus clericorum vel canonicorum jam bis restitutus collectione, dum sua quærunt omnes non quæ Jesu Christi, dilapsis rebus et partim subtractis, pene ad nihilum redactus est. Unde, ut credo, ex inspiratione Dei visum est mihi, mo- C nachorum ordine et disciplina secundum sancti Benedicti regulam locum illum in melius reformare. Quod et efficiens, domini nostri Romanæ sedis antistis consilium atque auctoritatem super hoc facto expetens requisivi. Unde ut in præsenti audituri estis, præeunte Christi gratia et privilegium auctoritatis suæ nobis transmisit, et decretum constituens sub pagina sancti Petri corroboravit, et ausu temerario infringere tentantes anathematis jaculo impetivit, sicut infra scriptum est:

« JOANNES episcopus, servus servorum Dei, » etc. *Reliqua vide inter epistolas et privilegia Joannis papæ XIII.*

Quia igitur domini apostolici decretum et vidistis et audistis, si placet ut itidem hujus sanctæ synodi D unanimi testimonio et nostræ humilitatis scripto corroboretur, hoc factum decernite. Itaque omnibus sub uno assensum præbentibus conscriptione facta sic recitatum est:

« Adalbero, divina propitiante clementia, sanctæ Remensis Ecclesiæ archiepiscopus. Notum fiat universis tam præsentibus quam etiam futuris fidelibus, quondam nobis episcopio gratia et benignitate regia contradito, sanctorum quoque loca quædam in honore integro reperisse plurimum valentia, quædam vero pristinæ dignitatis statu deficiente prorsus neglecta. Inter quæ ille etiam Mosomi cœnobialis locus antiquitatis studio certatim constructus, ab exordio scilicet sanctimonialium vitæ aptatus, postmodum vero canonicali ordine ab Herveo prædecessore nostro melius informatus, atque in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ digne consecratus, sed nefandis usibus utrobique negligenter incultus, rebus quidem partim subtractis, partim vero currentibus malis, sinistræ cessit fortunæ.

« Quo igitur comperto mens nostra, adhibito fidelium nostrorum diligenti consilio, liquido perpendens eumdem locum pro mundi infelicitate in canonicali ordine utiliter stare non posse, æternorum spe, prout opportunum exstitit, ibidem monasticæ religionis vitam ordinato abbate Leotaldo (*al.* Ledaldo) constituit, ut ejusdem loci cultores religiosi tam rebus delegatis, quam etiam forte delegandis utentes, continua vota Deo solventes, sint et pro nobis et pro posteris nostris cæterisque ordinibus jugiter exorantes. Quocirca paternitatem loco nostri vestri subrogandorum in illa charitate Dei enixius imploramus (*al.*, implorantes) quo sub divini amoris respectu hujus rei gestæ conducibili negotio consentaneæ pietatis faveant zelo, idque liberalis auxilii indeficienti base dignentur temporum curriculis consolari atque fulcire, ut ex eo gratiam Dei feliciter adipiscentes, hujus præstantioris emolumenti mereantur fore consortes. Sed et hoc ex decretis sanctorum Patrum sub auctoritate pastorali omnimodis inhibemus, imo etiam cum divini nominis obtestatione omnino interdicimus, ne unquam hujusmodi statutum qualibet temeritate ab ullo nostri ordinis violetur, quin potius in reliquum stabile et inconcussum jure perpetuo idipsum venerabiliter conservetur. Nam si per laicos in rem hanc injuria invehatur, in eos procul dubio excommunicationis jaculum cum anathemate intorqueatur. »

Anno igitur ab incarnatione Domini Jesu Christi 973 (*al.* 983), provinciali synodo mense Maio constituta, generaliter congregata apud Montem sanctæ Mariæ in pago Tardanensi, hoc decretum solemniter recitatum est coram venerandis episcopis, abbatibus, cæterisque (al. cæterisque nonnullis) fidelibus, huic nostræ institutioni pio assensu faventibus, imo etiam collaudantibus atque confirmantibus: quorum videlicet primus ego Adalbero jam præscriptus archipræsul eidem concilio Deo auctore pontificali auctoritate præsidens, manu nostra subscribens, idem roboravi; sed et cæteri haud secus censuerunt manibus impositis solidari hoc ipsum pontificale statutum, apostolicæ auctoritatis privilegio petitionis nostræ obtentu undecunque subnixum, ac per hoc summo honori omnibus reverenter habendum.

Ego Adalbero sanctæ Remensis Ecclesiæ archipræsul subscripsi et corroboravi.

Ego Wido Suessionensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Hildricus Belvacensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Thebaldus Ambianensis episcopus.

Ego Hadduinus Noviomensis episcopus.
Ego Theudo Cameracensis episcopus.
Ego Adalbero Laudunensis episcopus.
Ego Gipuinus Catalaunensis episcopus.
Ego Constantius Silvanectensis episcopus.
Ego Liudulfus Tarvanensis episcopus.
Signum Alberti Remensis archidiaconi.
Signum Leudonis archidiaconi.
Thebaldi archidiaconi.
Erluini archidiaconi.
A Hugonis archidiaconi.
Geranni archidiaconi.
Rogeri archidiaconi.
Emmonis archidiaconi.
Signum Rodulfi abbatis sancti Remigii.
Odelci abbatis sancti Medardi.
Ratoldi abbatis Corbeiensis.
Berlandi abbatis sancti Vincentii.
Adzonis abbatis sancti Basoli.

ANNO DOMINI MCCCCXC

FOLCUINUS

ABBAS LAUBIENSIS

NOTITIA HISTORICA IN FOLCUINUM

Fabric. *Bibl. med. et inf. Lat.*)

Folcuinus, *Fulcuinus*, *Folquinus*, *Volquinus*, *Fulquinus*, abbas in Belgio Laubiensis, sive Lobiensis ab anno 965 ad 990 scripsit *Chronicon de rebus gestis abbatum Laubiensis cœnobii*, a S. Landelino fundati ab anno 697 usque ad sua tempora. In eo de se Folcuinus capite 28 seq. *Vitam Folcuini*, Tarvanensis episcopi in Flandria anno 854, defuncti Mabillonius sæc. IV Benedict. pag. 622. Hisce *homiliam de zizaniis* ad Matth. XIII, 25 seq. ms. Lovanii ad S. Martinum licet addere ex Oudino tomo II, pag. 475.

VITA SANCTI FOLCUINI

EPISCOPI TARVENNENSIS IN GALLIA

AUCTORE FOLCUINO LAUBIENSI ABBATE

(Mabill. *Acta SS.* Sæculi IV, pag. 622.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Etsi Folcuinus Laubieneis abbas haud ignobilis auctor sit, non magni tamen momenti est hæc Vita ab ipso edita, quæ passim in communes locos excurrit. Ejus rei causa est, quod pauca de sancto Folcuino comperta habuit auctor, et ea quidem ex traditione accepta post annos centum ab ejus morte. Nihilominus certa videntur singularia facta ab ipso relata, quæ utique auctoritatem accipiunt ab alio Folcuino, de quo mox dicturus sum. Folcuinus seu *Folcwinus*, quem alii *Folcoinum*, *Folquinumve* scribunt, inter sanctos habitus est statim ab ipsius morte, et eo nomine cultus in monasterio Sithiensi.

2. Qualis ante episcopatum sanctus Folcuinus fuerit, neque Folcuinus abbas, neque Joannes Iperius, aut alius quisquam scriptum reliquit, sive ex incogitantia, sive potius ex ignoratione. Nam Folcuinus abbas qui annis duntaxat centum post eum vivebat, satis diserte attestatur id a se ignoratum B fuisse. Trithemius sanctum Folcuinum inter viros sanctos aut illustres ordinis nostri non numeravit; recensuit Arnoldus Wion, ob eam scilicet causam, quod eum in Sithiensi monasterio coli rescivit. Consulti hac de re Bertiniani cœnobitæ, id responsi nuper reddiderunt, nullam sibi videri causam cur sanctus Folcuinus monachis nostris accenseatur, cum nullum ejus monachatus vestigium in vetustis auctoribus, archivis aut mss. appareat.

3. Pluribus conciliis interfuit vir sanctus. Ebonis Remensis episcopi restitutioni anno 840, Parisiensi concilio anno 846, Carisiacensi biennio post, in Suessionensi nominatus anno 853, quo anno inter missos Caroli Calvi numeratur in ejus capitulari. Hincmarus Remorum pontifex epistolam teste Frodoardo in Historiæ lib. III, cap. 20, scripsit « Fol- C cuino Morinensi pro quodam presbytero ipsius ordinato, qui clamabat injuriam se pati ab Immone præsule (*Noviomagensi*); petitque simul reliquias

sanctorum in Morinensi parochia quiescentium sibi mitti, quia in consecratione ecclesiæ Dei genitricis altare ab ipso Fulcoino consecrandum, et ex ipsius parochiæ reliquiis honorandum præparebat. » Invenitur etiam subscripsisse Odonis Belvacensis episcopi litteris a Sirmondo editis in fine tomi III Conciliorum Galliæ. Verum aut eæ litteræ scriptæ sunt ante regni Caroli Calvi annum tricesimum quintum, aut iis subscribere non potuit Folcuinus, quem anno Caroli XV, Christi 855 obiisse constat. De ejus successore Huntfrido agendum infra annum 869.

4. De sancti Folcuini genere et præcipuis rebus gestis agit Folcwinus Sithiensis monachus et levita in chartario cœnobii sui ab se ordinato anno 961, ut legi in membraneo codice, quem autographum esse existimo. Huc fragmenta quædam referre juvat. « Tempore Ludovici Augusti exoritur quoddam lumen Ecclesiæ Folcwinus nomine, quod ne sub modio celaretur absconsum, ab ipso rege super Ecclesiæ imponitur candelabrum, Terwanensi civitati designatur ad pontificatum anno incarnationis Domini 827, et præfati regis 4. De cujus vita et virtutibus multum quod loqueremur erat, optaremque ea quæ in hoc mundo gessit, summotenus perstringere. Sed fatuitatem meam ipse perpendens, horreo saltem tangere, quod viri peritissimi possent etiam formidare. Superant enim philosophicam mundanæ sapientiæ disputationem. . . . . Hæc solummodo in ejus memoriam fatua garrulitate deprompsi : reliqua ipsius opera auctioris ingenii viro relinquo investiganda... Quia igitur mentionem beati Folcwini fecisse me memini, libet adhuc hic unum ejus opus intexere, quod recolo me agnovisse Wicfrido pontifice narrante. Longa, inquit, senectute fessus isdem beatus antistes Folcwinus, ut puta qui quadragesimum in episcopatu fere peregerat annum, cum jam non posset publice missarum solemnia celebrare; cognito hoc rex, illo adhuc vivente, quod contra canones erat, successorem ei episcopum destinavit, » et cætera iisdem verbis, ut in sequentis Vitæ num. 13 et 14. « Rogaverat autem isdem pontifex, ut sicubi exitus ejus accideret, corpus illius ad *Sithiu* monasterium in basilica sancti Bertini portaretur tumulandum. Defuncto autem illo cum clerici ejus quærerent qualiter illum ad supra dictum locum portare debuissent, in ipsa nocte, flante vento australi, omnis illa aquarum indimetibilis profunditas, qua cingitur Sithiu insula, ita congelavit, ut mane exsequias sancti corporis deferentibus firmissimum aqua gressum per glaciem præberet euntibus, quod in hiemali tempore vix septem dierum algor potest efficere. Deportantes autem beati viri corpus ad Sithiu monasterium, ad latus sancti Bertini dextrum est tumulatum. » Eadem habentur in subjectæ Vitæ num. 15. Pergit Folcuinus levita : « Fertur autem eumdem virum Dei equum quemdam habuisse, qui quoties iter aliquoties carpere vellet, ad obsequia viri Dei genua flecteret, ut scilicet absque ullo labore tergo illius equitaturus ascenderet. Hunc autem ferunt fratribus dandum ante ejus feretrum præisse, sed omnem deinceps hominem ferre recusasse, » etc., ut num. 16, nisi quod loco superiorum verborum legitur, « equum feretrum præeuntem lacrymasse, » quod arguit Folcuinum abbatem a Folcuino levita diversum esse. Addit Folcuinus levita quæ sequuntur de genere suo. « Anno post hæc 928 felicissimæ incarnationis Jesu Christi Domini nostri, tempore Caroli reclausi, indictione prima, meus qui hoc ipsum scribo, pater, Folcwinus nomine, cum fratre suo, apparatu quo poterant, de regno Lotharii huc adveniunt, sancti Folcwini corpus quod eo usque tempore terra tegebatur, levare cupientes. Erant enim utrique ejusdem beati viri carnali consanguinitate proximi. Postulata etiam a prædicto comite et abbate Adaloffo licentia, ventum est ad sancti viri tumbam cum cereis et thymiamateriis et choro psallentium : elevaveruntque corpus Idibus Novembris, feria quinta, die illucescente : præparaveruntque supradicti refectionem fratribus, prout poterant. Victum namque et omnia necessaria venientes secum detulerant. Quibus peractis, gaudentes ad propria sunt reversi. Erant autem, isdem videlicet Folcwinus, et Regenwala frater suus, filii Odwini filii alterius Odwini, qui erat frater beati præsulis Folcwini : pater autem ejusdem sancti episcopi dictus est Hieronymus : genitrix vero Ermentrudis est vocata. » En stemma gentilitium sancti Folcwini, hactenus non satis explicatum. Folcuinus abbas matrem ejus vocat Ercensindam, hic Ermentrudem, ex quo apparet eam binominem fuisse. Pater Hieronymus Caroli Tuditis seu Martelli filius erat, pater Odwini et Fulradi abbatis Quintiniani ; frater vero Bernardi patris sancti Adelhardi abbatis Corbeiensis, cujus Vita superius relata est.

5. Diversum esse Folcuinum seu Folcwinum levitam a Falcuino Laubiensi abbate, quædam suadent argumenta. Uterque ex regno Lotharii ortus fuit, uterque etiam monachus Sithiensis, et quidem eodem tempore. Nam Folcuinus levita collectionem chartarum monasterii sui ordinavit anno 961 ; alter vero ad regimen Laubiensis abbatiæ vocatus est anno 965, uti ipse scribit in Chronico Laubiensi. Cur vero duos fuisse putem, hæ sunt causæ : prima, quod Folcuinus abbas in sequenti Vita, etsi iisdem fere verbis utatur, aliqua tamen diversa miscet. Nam levita sancti Folcuini matrem vocat Ermentrudem ; abbas Ercensendam. Ille episcopi consanguineum se fuisse dicit; hic tacet. Primus scribit, equum sancti viri funeri præisse, alter addit lacrymasse ; et abbas male reddidit sententiam levitæ num. 18, si tamen auctoris erratum est, non librariorum. Denique duo Folcuini simul vixere in monasterio Sithiensi, teste Folcuino levita, qui in fine Collectionis suæ recensens nomina fratrum, quibuscum in eo monasterio vixerat, nominat Folcwinum ; et Folcuinus abbas hic agit de miraculo facto ad tumulum sancti Folcuini in persona Folcuini monachi, quem puto esse Folcuinum levitam. Sic eum ex traditione appellant Sithienses cœnobitæ, tametsi non mihi constat an in levitæ gradu permanserit.

6. De se ipse ita scribit in sua Collectione : « Anno 947..... abbas Wido, quia nimis vanæ juventutis gaudia sectabatur, apud comitem incusatus, abbatia est fraudatus, et sancti Bavonis monasterio abbas est destinatus. Womarus autem regimen monasticum sub regulari regebat districtione. Quo tempore ego ipse hæc scribens Folcwinus a patre Folcwino supra jam memorato et matre Thiedala de regno Lotharii dicto huc adductus anno incarnationis felicissimæ Domini nostri Jesu Christi 948, die festivitatis elevationis sancti Bertini, quæ succedit omnium Sanctorum festivitati, sancto Bertino oblatus, monachus (proh dolor!) facietenus sum effectus. » Elevationis corporis sancti Bertini mentio (quod sciam) nulla ante annum 1052 habetur in variis monumentis de eo editis in Sæculi II parte I.

7. Folcuinus abbas diserte in prologo sequenti scribit se non tam volentem, quam coactum, *cessantibus scilicet ob multimodam infestationem propinquorum curis*, in Sithiense monasterium accessisse, ubi se *ab ipsis pene crepundiis* educatum fuisse fatetur. Et in Chronici Laubiensis, cap. 25, *cognationem* suam non *infimam* modeste dicit, et fratrem suum Godescalcum vocat cap. 37. Mortuus est Fulcoinus abbas anno 990, sex annis ante obitum Walteri Sithiensis abbatis, cui hanc Vitam dedicavit eo modo quo sequitur.

PROLOGUS AUCTORIS

1. Dilectissimis in Christo sancti Sithiensis cœnobii fratribus, unam eamdemque nobiscum credentibus fidem, sperantibus spem, amplectentibus charitatem, Folquinus peccator, quem Laubiensium dicunt abbatem, summi specialisque gaudii in eo, qui vere est, cum sanctis ejus perpetuitatem. Memor vestri semper in orationibus, in ea parte erga vos arbitror, quia ero perpetuus, quia post Deum in charitate diligendus est proximus, fortunam scilicet meam depataus vos valere, vestrumque cum prosperitate successum ac si meum optans in Christo perpetuum fore. Ad quod me vestra quidem, fateor, primum studia accenderunt, cum in ipsis pene (ut ita dicam) crepundiis multimoda infestatione cessantibus propinquorum curis, hanc in vobis, non dico vicissitudinem, sed gratuitam fraternitatem, ut explorarem compulerunt; qua ita usus sum, ut nunc illam violare sacrilegium esse, illaque carere facinus mihi videatur exsecrabile. Enimvero sacrilegium digne dixerim charitatem violare, si quidem ab Apostolo non amplius illa, quam quod Deus est, commendari potuit, sic eo dicente : *Deus charitas est* (*I Joan.* IV, 16). Ergo hanc violare Christum est abnegare ; quod mihi videtur plus quam sacrilegium esse. Quæ, licet dilatato sinu ipsos inimicos admittat, ordinatæ tamen dilectionis modum maxime in domesticos fidei (*Gal.* VI, 10) tenere cognovit.

2. Præter ergo hanc dilectionem debitam omnibus communicantibus fidei ejus, videlicet quæ catholica, id est universalis dicitur, est mihi apud vos quoddam præcipuum, id est, ut catechizatus vobis catechizantibus in omnibus bonis communicem, secundum Apostoli dictum (*Gal.* VI, 6) ; tum etiam propter patronos loci et sanctorum pignorum reliquias, quibus præ omnibus vicinis abundatis, quorumque patrocinio, singulari quodam privilegio exsultatis, quorum, quia mihi, licet per multa vitia defluenti, exorata semper adfuit defensio, ut eos speciali post Deum devotione complectar, et utile mihi videtur bonum et magnum bonum, et quorum meritis fas sit sperare summum bonum. Huic ergo amori, qui mecum primis adolevit auspiciis, ea commutata est intentio, non tota, ut mihi visum est, puerilis, ut laudi eorum, qua non egent, satisfactum putarem, si quidpiam vobis manu venisset antiquiorum, quod eorum cuique festivitati in singulis quibusque, quas Græci synaxes dicunt, congruere et ad laudem Dei per amorem sanctorum, audientium animos incitaret. Porro in promptu erant aliquantæ copiæ, quæ huic intentioni videbantur satisfacere posse. Denique eorum vitam et actus, quorum gaudetis principalitate, quorumque hæreditariam successionem sortiti estis cum nomine (Audomarum atque Bertinum dico), antiquorum satis commendabat auctoritas, qui, utpote contemporales sibi, ita quadam vicinitate nectuntur, ut, dum unum audieris, alterum intelligas, et in hujus opere, quis ille fuerit, facile prænoscas. Sanctus quoque Winnocus, cum ex uno superiorum pendeat, et ipse satis descriptus erat, quomodo vestra palæstra fidei unctus olivo atque virtute instructus, patris ductus laureis, eadem qua præceptor ejus laude cucurrit, mundumque sibi rebellantem Christi virtute decoravit. Sed o nostro tempora, o mores ! venerabilem siquidem et toto mundo prædicandum, sanctum videlicet Folquinum, modernorum adeo neglexit incuria, ut nulla ejus præter rumorem popularem videretur esse memoria eorum.

3. Igitur negligentiæ (seu illa potius incuria dicenda est) succensebam, et tacitus cum his animo stomachabar ; tandem colluctantibus in me cum amore sancti pudore puerili et imperitia cordis obtusi, Pisoniano illo vitio laborans, qui cum loqui nesciret, tacere non potuit ; ad illius vitam describendam animum induxi ; calamumque illi committens, qui linguas infantium facit disertas, novus velut Arpinas, repentinus auctor emersi. Verum reminiscens illius Erisippei sophismatis, si mentiris, id quod verum dicis, mentiris ; nihil aliud posui, licet de ipsis plura prætererim, quam quod eorum percepi traditione, quorum approbanda erat gravitas, cum refellenda non esset auctoritas. Porro ne contribulibus causas exinde offerrem calumniandi, ut est consuetudinis quorumdam puerorum ; ea quæ dictaveram, silentii ad tempus claustris commisi, atque huic tempori, quo paululum emendatiora prodirent, reservavi ; et quia opus erat astipulatore, cujus hoc opus firmaretur auctoritate ; dedicavi illud vobis, tibique quam maxime, venerande Pater Waltere, cui præter id, quod cum cæteris mihi est commune, singulare quiddam debeo, vel propter Bertini vicem, vel propter eam, quæ nobiscum accrevit, dilectionem. Te, inquam, te arbitrum et defensorem hujus operis habens, cæterum de obtrectatoribus non est tanti ; qui si forte calumniati fuerint me, modos connexionum et cætera, quæ illi de quibus sub unius specie dicitur, quæ sophistice loquitur, odibilis est, tractant, non observasse : noverint Ecclesiam Christi regulas has, quamvis harum quoque notitia non careat, sponte repudiasse, præsertim cum longe ante nos dictum sit, veram esse legem historiæ, simpliciter ea, quæ fama vulgante colliguntur, ad instructionem posteritatis litteris commendare. Abeant ergo, et quovis genere locutionum prædicent illi suos Catones, sive rigidi sint illi, sive censorii ; ac

proinde rumusculos quosque et gloriolam captant popularem, atque secundum quemdam eorum poetam, ceromatico ferant nicetetia collo; nobis, qui in schola Christi, sub apostolorum magisterio philosophamus, propositum est, ut prudentiam serpentis columbina simplicitate temperemus: ut dum doctrina simul et operatione consulimus necessitatibus A proximorum, nobis quoque possit esse consultum. De cætero, fratres, apostolicis vos verbis alloquor: Gaudete, perfecti estote. exhortamini, idem sapite, pacem habete, meique fratris vestri vel admoniti mementote; et Deus pacis et dilectionis sit semper cum omnibus vobis. Amen.

INCIPIT VITA S. FOLCUINI

4. Benigna, et ineffabilis omnipotentissimaque deitas, sibi ipsi per se sufficiens (non enim aliunde exterius nititur, cum sit summum bonum) divitias bonitatis suæ in iis, quos ante sæcula præscivit et prædestinavit, sanctis multipliciter dispensando distribuit. Vasa enim iræ apta in interitum, quæ diu sustinuit, in vasa misericordiæ commutavit; et ut sublimitatem gratiæ hujus ex Deo esse scirent, et non ex semetipsis, hoc illis dono gratiæ dedit quod pœnam suam illis cognoscibilem fecit, etc.

5. Beata nihilominus mater Ecclesia, talibus ornata monilibus, quæ turris viri David ædificata est cum propugnaculis suis; tot talesque clypei ex ea dependent, talisque tantorum armatura fortium, quibus munita et ornatur ad meritum, et ab inferorum eruitur terrore portarum. Inter quæ propugnacula, non de inferioribus clypeis unum patronum et defensorem nobis Deus dedit beatum et prædicandum sæculis Folcuinum episcopum, cujus vitam strictim et succincte elucidare cupientes, non magnopere studemus eum miraculis commendare, scientes nos fidelibus loqui, quibus non linguas in signum, sed infidelibus dixit apostolus esse, nam miraculis parum nobis expertus est, licet vita plurimum, quæ et si fecit, nullus illo magis occuluit. Sed jam locuturis de eo nobis petimus, ut suffragiis adsit apud eum quem tantopere dilexit.

6. Nativitatis ergo beati viri ut dicamus exordia, excellentiam terrenæ dignitatis longo et altissimo traxit stemmate nobilitatis. Floruit sub rege Carolo tum opulentia rerum, tum procinctu bellorum, quodque his majus est, cultu religionis et pacis jure cognominato Magno; matre Ercensinda, patre Hieronymo: quorum prior de gente Gothorum claram satis tam genere quam opibus prosapiam traxit; alter, ut puto, supradicti regis avunculus inter aulicos primus, rerum forensium privatarumque moderamina disponebat. Fratres etiam erant ei summæ dignitatis; ex quibus Folradum sancti Quintini commendat monasterium, et ut altius repetamus, atavorum ejus atavi omnes nobilissimi. Hæc dicimus non quod habentibus sint gloriosa, sed quod contemnentibus mirabilia. Sæculi homines suscipiunt eos qui his privilegiis pollent, nos laudamus eos qui ista pro Salvatore contempserint.

7. Igitur generosam prolem ubi in ipsis pene crepundiis parentum cura perspexit sacris studiis pol- B lere, uti posse erat tali ætatulæ, sacris litteris informandam tradiderunt scholis ecclesiæ: in quibus, ut puto, puer bonæ indolis, disciplinabiliter ingenio sagaci proficiens, ubi primæ artis rudimenta percepit, quod vivacitatem ingenii ejus aufugeret, nil postea fuit. Attestabatur munditiam cordis ejus jugis meditatio et continuæ exercitationis studium, cum jam penitus omnis hujusmodi affectio transiret in habitum. Scriptum quippe est: ***Ex studiis suis intelligitur puer, si recta et munda sint opera ejus*** (***Prov.*** xx, 2). Talem itaque informabat Dominus sub magistrorum institutione, qualem postea præficeret Ecclesiæ suæ. Pastoralis est enim regula, ne audeat præesse, qui nescierit subesse. Deinde cum giganteis, ut ita dictum sit, passibus iret de virtute in virtutem; cum sacras litteras didicisset, divinamque C legem, sacrorum graduum perfectionem indeptus est per ordinem; tantamque gratiam ei contulit gratia superni respectus, ut ab omnibus veneraretur reverentius, diligeretur affectuosius.

8. Interea lapis ille spiritualis politus multiplicibus argumentis et competens cœlestibus ornamentis, dignum fuerat ut poneretur in diademate Regis; igitur ne sub specie privatorum delitesceret; sed qui eatenus sibi tantum profuerat, jam multis prodesset; ecclesiæ fascibus sublimandus appetitur, et omnium vocibus acclamatur. Littora Britannici Oceani in finibus Galliarum occidentem versus gens quædam incolit, non tam lata quam valida: apud historicos Morini, nunc a Tarvenna urbe eorum quondam opulentissima, sed modo diruta et pene D exinanita, vocantur Tarvennici. Meminit hujus gentis in opere suo quod pro nobis contra paganos scripsit Orosius presbyter et fidelis historiographbs: et quia populosa fuerit copia militari, ne cuiquam exercitui Romano obvianti (*f.*, succumberet), evidentissime ostendit. Meminit et urbis Menapum, cujus nihil præter ruinas et nomen inane est tantum. Extremi autem hominum ob hoc forsitan a poeta dicuntur, quod Flandria, quæ pars hujus gentis est, ea maris loca occupat, ultraque nulla gens habitare audita est, prohibente Oceano, totum pro parte usus more suo. Nam ex ea parte quam Bononia urbs et Odraus(1) occupat Farus, facilis ad Britanniam est transitus. Gens hæc moribus incomposita, magis armis

(1) Alii Turrim ardentem vocant, vulgo la *Tour d'ordre*. in portu prope Bononiam Morinorum.

quam consilits utens, et ut ante nos dictum est, multum eloquentiæ, sapientiæ parum. Cujus indomitam barbariem et semper ad malum proclivem non facile erat restringi, nisi prudentia et perspicacia summi et ecclesiastici viri.

9. Igitur plebis hujus ecclesia pastore (2) erat destituta : sed cum de pontifice ageretur substituendo, diu scrutatis omnibus, dignior nemo inventus est Folquino. In cujus electione anceps plebs est secuta nil varium, sed vota omnibus hunc sibi dari poposcit episcopum, secuta magnatum et totius cleri consensum. Quid plura? Complacuit, Deo gratias, imperatoriæ potestati, Ludovico videlicet, qui Carolo successerat patri; et eo concedente urbis Tarvennæ consecratur antistes, præeunte in omnibus voluntate Domini. Auctus ergo benedictione spirituali, auxit opera pietatis et fidei, præbens se talem in omnibus, sicut decebat servum Domini. Enim vero quoniam pugnaturum se contra spiritualia nequitiæ scivit, artes secum exercitationesque virtutum, arma fidei præ se tulit, disciplinæ vigorem ita moderatus est, ut cum censura judicii nemo illo magis popularis esset; rursum popularis cum esset, censuræ ordinem non amitteret. Sic vitam instituit, ut in neutrum horum pronior fuerit. Media charitate constrata sunt, neque maluit oves sibi creditas perperam, quam recte egisse : sed nec ignovit malis, ut bonas perditum iret. Revera scivit uti ferro. Sic etenim studuit ut sanctæ matri Ecclesiæ aut munimento esset, aut ornamento munimento exterius, ornamento interius. Sed et in verbis ejus et in locutione communi non erat levitas; confabulabatur namque utillimum aliquid cum quovis, aut meditabatur id ipsum in quovis. In ipso præsulatus sui initio sic apparuit aptus, ac si præfuisset diutius, ad quod noviter fuerat inthronizatus; de religione primum et cultu Dei, quod Græci theosebiam dicunt, canonicam et apostolicam secutus est auctoritatem, videlicet ut omnibus quibus cura sua intererat, cor unum et anima esset; et quidquid indecens in ecclesia sua vel effeminatum videbat, vera et spirituali circumcisione diligentissime resecaret, suum æstimans detrimentum, quidquid in subditis appareret ineptum; suum deputans lucrum, quidquid cultura Christi reportaret fructiferum; quam sic studuit excolere, ut non aliquo indigeret putamine, cum nullum vitii genus saltem ex radice sineret coalescere. Semet suis ad imitandum specimen præbebat et speculum. Non enim sibi soli negotiabatur, sed omnium salutem laboris sui commercio quærebat. Si quispiam magnum quid in religione moliebatur, hunc quasi succenturiatum in acie divina se sustentantem agnovit. De pauperibus vero Christi nonnihil sollicitus erat, nam quod de mensa sua defraudans sparsit, id illis accrevit, nec ventri, ut est consuetudini quibusdam, reservavit, quippe qui de crastino non multum sollicitus fuit. Difficile est prosequi qualem se exhibuerit servus Domini; tantum ut dotes ejus prosequamur, summam omnium virtutum sic continuit, forma quasi natura nativæ bonitatis sibi artius insertas.

10. Sithiu est virorum Dei cœnobium, et in eo memoria multa sanctorum. Parochia est Tarvennensis episcopi; licet imperatorum, seu universalis papæ, et ipsius sedis episcoporum immunitatum privilegiis polleat. Id tunc Hugo regebat, cui Ludovicus frater, pater Carolus erat. Sane cœnobium illud bipertitum est. Nam inferiora monachi, superiora canonici obtinent; et hi Audomari, illi Bertini patrociniis gaudent.

11. De translatione beati Audomari, qualiter ab hoc beato pontifice acta sit, et quæ erga Hugonem supradictum abbatem fuerint, vulgi rumore celebrantur (3); in quibus satis miranda est sancti viri constantia. Abbati resistere facile non erat, quippe cui natalium dignitas tanta erat, militaris etiam copia non deerat; sed vir Dei hæc omnia postposuit timori Domini : denique non requievit, donec corpus sanctum fraudulenter sublatum proprio restitueret loco, vitæ suæ licet magno satis cum periculo, diemque solemnem faceret in mense Junio, quo aristantur segetes crescente culmo. Et præcavens in futurum ne parili modo aut alio quovis ingenio corpus auferretur sanctum, terra illud abscondit, ubi per plurimos annos homines quidem latuit; at revelatum est ubi Dominus voluit. Simili modo et sancti Bertini corpus transtulit (4) et recondidit, solemnemque hunc diem nobis esse sancivit, quod est septimo decimo Kalendas Augusti.

12. Post hæc autem vir Dei Folquinus quanto senectute corporis appropinquavit novit diem suæ resolutionis, tanto se assiduum reddidit ad studium rectæ operationis, sciens scriptum : *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes* (*Luc.* XII, 37). Atque adeo quotidie de virtute in virtutem crescens, ardebat videre Deum deorum in Sion. Teste namque interni illius amoris erant lacrymæ, quibus prodebatur intimum conscientiæ, cum quibus psalmodians dicebat sæpisiime : *Sitivit anima mea ad te, Deus : quando veniam et parebo ante faciem Dei mei* (*Psal.* XLI, 5). Atque minus oculum mentis ad ea reducens quæ jam Christo juvante peregerat, secundum apostolici dictum ; quæ sunt retro oblitus ad ea quæ ante sunt, extendens se, magis magisque jejunio et vigiliæ operam dans, ad ea quæ sunt altiora, studuit mentem acutius defricatam ignire, præcinctisque lumbis cum bonorum operum lampadibus accensis atque oleo repletis præstolabatur

(2) Nempe Erkembaldo, cujus proinde obitus contigit anno 817, ex prævia observatione, n. 4.

(3) Scripta hæc sunt a Folcardo in libro primo De miraculis sancti Bertini cap. 8, qui liber habetur in sæculi II parte prima, ubi plura de S. Folcuino. In his cap. 7 refertur ejus privilegium Sithiensibus monachis petente Hugone Abbate concessum *anno* 839, *præsulatus* 22; quæ epocha præmissis recte quadrat.

(4) Lege jam dicti libri caput nonum et undecimum.

Domini sui a nuptiis regressum, cum quo regnaturus intraret in æternæ felicitatis gaudium mansurum; gregisque sibi commissi curam gerens eis verbi triticum fidelissimus dispensator toto adnisu subministrabat, hortando eos, donec est hodie converti, ne improvisos cœpisset dies ultima reperire.

13. Longa ergo senectute fessus, ut puta qui quadragesimum in episcopatu fere peregerat annum, cum jam non posset publice missarum (5) solemnia celebrare, cognito hoc rex, illo adhuc vivente, quod contra canones erat, successorem ei episcopum destinavit; quod audiens sanctus præsul semet episcopali more præparavit ad celebrationem missæ, et omne ministerium supplantatore astante implevit strenuissime. At ubi ventum est ad dandam, ut episcopis mos est, benedictionem, verso ordine protulit maledictionem. At illi trepidi cum ascensis equis (6(ad propria cuperent reverti; in media via supplantator episcopi de equo lapsus relisa cervice spiritum efflavit vitæ, omnesque, qui cum illo venerant, infra annum variis cladibus expirarunt.

14. Igitur adveniente vocationis suæ tempore, quamvis longævo gravaretur senio, episcopii sui parochias circuire decrevit, sibi pariter et subditis salubriter oportere sciens, ut Ecclesiæ filios, si allcubi a matris gremio errassent deviando, secundum canonum statuta flectendo ad eamdem reduceret, prædicationibus exhortando. Tali autem studio talique devotione ad ecclesiam in Mempisco sitam *Hicclesbeke* (7) nuncupatam, pia accessit curiositate. Inibi autem non multum commorans, cum jam cogitaret reverti, cœpit gravi ægritudine fatigari. Tunc convocatis discipulis, eos omnipotenti Domino commendans, recti itineris tramitem non derelinquere diutissima admonitione persuasit; ad ultimum benedictione confirmans, reddidit gaudens cœlo animam (8) sanctorum cœtibus consociandam. Transiit autem anno incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo quinto, indictione tertia, feria septima vesperascente; qui erat annus gloriosi regis Caroli filii Ludovici quintus decimus, et episcopatus ipsius beati præsulis quadragesimus, decimo nono Kalendas Januarii. Rogaverat autem adhuc vivens, ut ubicunque exitus ejus accideret, corpus illius ad *Sithiu* monasterium in basilica sancti Bertini tumulandum deferretur.

15. Gregatim igitur illo defuncto ad exsequias beati corporis undique confluentibus, cum clerici illius difficultate itineris conquerentes gravarentur, ad divinnm se auxilium contulerunt. Tunc in eadem nocte flante vento australi omnis illa aquarum indimetibilis profunditas, qua cingitur *Sithiu* insula, fere per duo millia ita congelavit, ut mane corpus sanctum deferentibus firmissimum aqua gressum per glaciem præberet euntibus. Deportatus autem receptus est cum cereis et thimiamateriis ab illo monachorum reverentissimo sanctissimoque conventu, obviam sacris procedente exsequiis cum immodica multitudine plebis; quibus officia cum omni honestate, ut res funebris postulat, consummantibus induitur uti sacris altaribus astans erat solitus, et in eodem loco quo ipse elegerat, inducitur tumulandus. Sepultus est autem ad latus sancti Bertini dextrum non sine astantis populi maximo luctu.

16. Fertur quoque a senioribus, eumdem virum Dei equum quemdam habuisse miræ scientiæ. Profecturo namque secundum quod necessitas expetebat, genibus flexis sancto oneri sponte terga subdebat. Hunc autem tantæ scientiæ equum Fratribus dandum, feretrum præeuntem ferunt laerymasse (9), omnem hominem ferre deinceps recusasse, nec passum esse post membra tanti potificis voluptatibus deservire alicujus hominis, qui non longo post tempore mortuus, cum canibus cibus appositus esset, a nullo eorum est morsu attractus. Non enim decuit ejus cadaver expositum canes corvosque reficiendo farcire, meatusque illorum faucium præterire, supra quem frequens Christi oratio mittebatur ab insidentis cordiali devotione; fas enim non est credere sanctum fabulis delectatum esse. Quod videntes cives humano eum more sepelierunt. quem, ut dixi, bruta feritas canum quadam, ut ita dicam, admiratione venerata est.

17. Contigerat non longe post hæc quemdam prædicti Sithiensis cœnobii monachum, hujus beati viri æquivocum (Folquinus enim vocabatur), graviter infirmatum per longa jam spatia, ut non posset nisi cum baculorum gemina vix sustentatione ire. Hic die quadam doloris nimietate gravatus decrevit virtute, qua poterat, ad altare sancti Bertini patroni procedere pro animæ simulque corporis salute deprecaturus, sed (ut situm ecclesiæ nescientibus dicam) intrantibus a regione meridiana intercludit sancti Patris prædicti tumba ante posita, quod est præcipuum sancti Martini altare; atque ideo in dextera ipsius parte primum occurrit beati Folquini tumulus ad jam dictam prius tumbam ire volentibus. Idem præfatus monachus jam ad beati Folquini pervenerat sepulcrum, cum repente nescio qua horripilatione concussus, dissilientibus hinc inde fustibus, præceps supra sanctum tumulum ruit, nactusque hanc occasionem, Deum, si cujus apud se esset meriti anima præsulis inibi sepulti, per ejus flebiliter supplicavit intercessionem, ut amissam diu sibi

(5) Eadem verba habet supra Folcuinus monachus, aitque id se accepisse a Wicfredo Tarvennensi episcopo, qui sedem iniit anno 948.

(6) Folcuinus levita scribit *equitibus* pro *equis*, quod passim obvium apud illius ævi auctores.

(7) Vicus est prope Woromholtum, paulo ultra medium iter ab Audomaropoli tendentibus Bergas, hactenus dictus *Hekelsbeke* ad Iseram amnem, qui influit in Penam.

(8) De S. Humfrido ejus successore agendum inferius ad annum 859.

(9) Præisse tantum scribit Folcuinus levita, non lacrymasse.

optabilem redderet sanitatem. Nec multum ibi jacens orando moratus, mox ita surrexit incolumis, ut stupentibus cunctis gratias Deo referret, propriis sine ullius adminiculo incedens plantis. Ab ipso ergo die beati viri tumulus majoris honoris reverentia est habitus; idemque monachus sanatus, quoniam grammaticæ erat instructus, ita hæc elegiaco metro comprehendit, scribens in ejus tumulo :

Folcuini veneranda Patris hic membra locantur,
Antistes dudum qui fuerat Morinum.
Quique quater denis vitæ dux exstitit annis,
Mente, actuque pio jussa operando Dei :
Atque die quarto decimo Decembris ab orbe
Sumptus, apostolicum gaudet adire chorum.

18. Omnibus igitur post hoc beati viri merita venerantibus, ut vox Salvatoris probaretur dicentis : *Nihil opertum quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur* (*Matth.* x, 26). Pastor pastorum vicarii (10) sui ossa noluit sub terra posita diutius delitescere, sed venerandam almitatis ejus gloriam voluit omnibus hominibus propalare. Anno namque felicissimæ incarnationis Domini nostri Jesu Christi nogentisimo vicesimo octavo, indictione prima, tempore Caroli regis, reclusi, duobus (11) spectabilis personæ longe remotis crebras per quietem noctis prodit visiones, quatenus Sithiu famosum adirent Cœnobium, ac venerabilis sancti præsulis Folquini membra levantes, ad debitæ venerationis præparantur obsequium. Qui gaudenti animo jussa complentes, apparatu quo poterant ad Sithiu jam dictum adveniunt Monasterium, adventus sui causam fratribus monasterii produnt, licere sibi detegi urnam, qua sanctus civis tegebatur, exposcunt : qui consilium diu quaquaversum poterant trutinantes, ad Adolfi Generosi tunc temporis loci illius comitis et abbatis notitiam detulerunt, consultoque (12) Stephano ejusdem temporis reverentissimo Tarvennensis ecclesiæ episcopo, communi omnium voluntate cum cereis et choro psallentium, atque omni clericorum apparatu Idus Novembris die illucescente, ad sancti viri tumulum ventum est, elevatisque sancti corporis membris, atque illic collocatis, in loco tumuli altare constructo, diem illam cantibus et gaudiis duxere festivam : explicitoque officio refecti, quique ad propria sunt reversi.

19. His igitur sic se habentibus, cœperunt beati viri membra virtutibus enitere. Fecerunt autem cives febricitantes consuetudinem, cum candelarum quo quisque poterat munere sancti præsulis altare frequentare, atque secundum petentium fidem recepisse quique mirati sunt sanitatem. De stola autem ejus, quæ adhuc restat, mulieribus difficultate partus (13) laborantibus per ejus merita salutem sæpe provenisse vidimus, ita ut triduo vel eo amplius materno onere gravatæ, cum pene viderentur morti contiguæ, in ingressu ejusdem stolæ, partum edentes redderentur sanitati pristinæ. Multis etiam aliis indiciis Dominus sanctum suum ostendit mirificatum in cœlis, operante et manente cum electis suis usque in finem sæculi Domino nostro Jesu Christo, qui coæternus et consubstantialis Patri et Spiritui sancto, vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

(10) En Folquinus Christi *vicarius* dicitur. Quod vocabulum etiam præter alios Wibertus Gemblaconsis abbas Philippo Coloniensi archiepiscopo tribuit, ut superius notatum ad librum de miraculis S. Adalhardi abbatis.

(11) Confer ea quæ superius ex Folcwino levita notavi in prævia observatione, n. 4.

(12) An consultus super hac re fuerit episcopus, non exprimit Folcuinus levita.

(13) Johannes Iperius abbas Sithiensis in cap. 13 : « Conservamus, inquit, cappam ejus unam processionalem, mitram, chirothecas, atque sandalia, stolas quoque tres. » Quorum contactum parturientibs salutiferum esse testatur. Denique Folcardus in prædicto libro primo de miraculis S. Bertini, cap. 9 scribit, corpus sancti Folcuini *magnis celebre virtutibus* suo tempore, hoc est undecimo sæculo, fuisse, Hæc pretiosa κημέλια coram inspexi nuper, et reliquias sancti Folcuini veneratus sum, majori altari impositas ad latus australe in præclara basilica Sithiensis seu Bertiniani monasterii : humanissime acceptus a reverendissimo domino abbate et religiosis cœnobitis, facile impetravi facultatem perlustrandi egregia istius loci monumenta, quæ mihi multum subsidii conferunt.

FOLCUINI

ABBATIS LAUBIENSIS

DE GESTIS ABBATUM LAUBIENSIUM

(Pertz *Monum. Germ. Hist.*

MONITUM

Ansegisi, qui sæculo IX abbatum Fontanellensium gesta scripserat, exemplum fortasse secutus Folcuinus (14) exeunte sæculo decimo gesta abbatum monasterii, cui ipse præerat, Laubiensis scribenda suscepit. Qui illustri editus loco (15), scilicet Caroli Martelli ex Hieronymo filio posteris accensen-

(14) Folcwinus Folcuinus, Folquinus, Fulcoinus, Fulcuinus, Volquinus idem est.

(15) Gesta abb. Lob. cap. 28. — Folcuino in chartulario L. Bertini auctore, Karolus Martellus genuit

dus (16), a patre Folcuino, qui an. 928 cum fratre Regenwala corpus S. Folcuini episcopi elevaverat, et matre Thiedala an. 947 puer ex Lotharingia ad monasterium Sithdiu adductus et an. 948, die S. Bertini (17), « in ipsis pene crepundiis propinquorum curis multimoda infestatione cessantibus » (18), sancto Bertino oblatus et monachus effectus est. Ubi litteras tam sacras quam Romanorum edoctus, anno 961 chartas monasterii bifario ordine temporis et rerum dispositas, insertis abbatum gestis, collegit (19) et Adalolfo abbati inscripsit. Anno 965 juvenis adduc ab Everacro episcopo Laubiensi monasterio præpositus, et die natalis Domini Coloniæ Ottone I præsente ordinatus est (20). Viginti quinque annis abbatiæ curam gessit, quibus non solum possessiones ejus et jura tutatus est, sed monasterium Nothgero episcopo auctore ædificiis, ornatu ecclesiastico, campanis et libris auxit (21). Intercedebat et commercium cum viris sui temporis doctis, cum Ratherio exempli gratia, quem Verona exsulem ipse Laubiis suscepit et ingratum expertus est, cum Adalberone Remensi archiepiscopo, quem Gerberti aliorumque virorum eruditissimorum patronum Remis visitavit (22). Abbatum prædecessorum suorum gestis scribendis optime instructus accessit. Evolverat enim chartas et epistolas in scriniis ecclesiæ asservatas (23), et alia cœnobii monumenta, martyrologia perantiqua (24), inscriptiones (25), catalogum abbatum (26), annales etiam brevissimos ad sua tempora usque productos, legerat Vitas Ursmari et Ermini abbatum (27), scripta historiam vicinorum episcopiorum, Leodiensis (28) et Remensis (29), attinentia, annales Francorum (30), et Einhardi (31) atque Ruotgeri (32) opera, unde sententias, imo capita integra mutuatus, narrationem adornare conatus est. Nec tamen ingenio materiem superavit. Nam narratio sæpe jejuna et nonnunquam minus recte disposita (33), sermonis quoque vitiis obnoxia (34), tantum ubi auctoris ætatem attingit, majorem sibi favorem conciliat. Ultima operis capita auctorem — quod in Flodoardum etiam cadere vidimus — veritatis non minus studiosum quam miraculorum credulum comprobant.

Liber Laubiis circa annum 980 editus (35), in monasterio ipso, tum Tornaci, et, si Foppensio (36) credere fas est, Gemblaci asservatus, sæculis sequentibus continuationibus auctus, Sigeberto Gemblacensi (37) et auctori Vitæ S. Ursmari apud Chesnium vulgatæ (38) necnon Trithemio (39) innotuit. Sæculo demum XVII, una cum continuationibus ope Lobiensium male descriptus in Spicilegio Dacherii (40) prodiit. Editioni nostræ cum subsidia antiqua frustra quærerentur, contigit tandem ut Bethmanno in bibliotheca regia Bruxellensi, mihi Parisiis apographa, sæculo XVI et XVII confecta, obvenirent; quæ præcipua Waitzii opera in usum nostrum conversa gratulamur :

1) C. olim monasterii B. Mariæ de Nazareth Morinensis diœceseos, postea societatis Jesu Tornacensis, cujus aliquot lectiones in margine codicis regii Bruxellensis N. 7816 adnotatæ leguntur. Complures loci majoris momenti, præfatio et capita 25, 30 sqq. in cod. Bruxellensi prius omissa, codici huic jam deperdito debentur, quem satis diligenter quidem, sed non ubicunque intererat exscriptum dolemus; quare de lectione ejus haud raro dubitatur.

1*) C. regius Parisiensis inter libros S. Germani « Residu fasc. 90 n. 4 « insignitus, chartaceus, apographum codicis Lobiensis continet, Dacherio quod typis ederetur transmissum. Qua de re Dacherius notavit : « Ad me transmisit D. Simon Guillemot monachus S. Gisleni an. 1660 transcripta a domino Gregorio Sergeant subpriere Lobiensi.» At scribam sæpius, præcipue in continuatione Folcuini, non codicem secutum esse sed suum scribendi modum textui ingessisse suspicatus, eo nonnisi in capitum divisione, titulis atque in ultimis capitibus usus, Baluzii exemplar, de quo jam sermo erit, plerumque expressit, continuationem vero ex Lobiensi edere coactus est.

2) C. regius Bruxellensis N. 7816 chart. sec. XVI in fol. min. diligenter ut plurimum scriptus atque cum codice B. Mariæ (1.) collatus. Folcuinum cum

Hieronymum, Hieronymus sanctum Folcuinum episcopum et Odwinum, Odwinus item Odwinum, Odwinus junior Folcuinum et Regenwalam, Folcuinus item Folcuinum diaconum et monachum S. Bertini.

(16) Siquidem a Folcuino chartularii S. Bertini auctore haud diversum habeo. Res rationibus a Mabillonio Act. IV, I, p. 623, allatis minime conficitur; nam quascumque utriusque distinguendi rationes affert, aut nullius momenti sunt aut eundem fuisse virum magis persuadeant. Quod Folcuinus abbas in vita quam edidit Folcuini episcopi iis, quæ diaconus a. 961 in chartulario Sitiensi de eodem Sancto, proavo suo, iisdem verbis scripserat, nonnulla addidit; quod Sancti matrem in chartulario Ermentrudem, in codicibus duobus vitæ, qui Mabillonio ad manus fuerant, Ercensendam, quod in chartulario equum funus præiisse, in vita equum funus præeuntem lacrymasse legimus; denique quod auctor uno loco se S. Folcuini parentem fuisse dicit, altero silet, et ad tumulum Sancti Folcuinum monachum — et duo tunc ejusdem nominis monachi in S. Bertino degebant — sanatum tres elegos in laudem Sancti composuisse scribit : diaconum ab abbate diversum haud evincunt. Contra uterque nobii Lotharingorum genere oriundus, uterque puer S. Bertino oblatus et a. 961, et 965, ibi monachus degens, uterque chartis antiquis tractandis assuetus, uterque inter scriptores locum tenens, et vitæ S. Folcuini alter in chartulario brevior; alter in opusculo postea edito prolixior editor, nonnisi unus idemque homo mihi fuisse videtur.

(17) Chartularium Folcuini ap. Mabillon. Acta SS. O. S. B. Sæc. IV, I, p. 623.

(18) Præfat. ad vitam S. Folcuini ibid. p. 624.

(19) Mabill. Ars. dipl. p. 235. Chartularium ipsum a. V. Cl. Guerard mox edendum expectamus.

(20) Gesta abb. Laub. c. 28. Ann. Laub.

(21) Contin. gestorum.— In epistola vero Lobiensium ap. Raldericum chron. Cam. I, c. 105, negligentiæ insimulatur.

(22) Ib. c. 7.

(23) Ib. c. 21, 16, 8, 6, 3.

(24) Ib. c. 7.

(25) Ib.

(26) Ib. c. 9.

(27) C. 9.

(28) C. 18, vitam Lamberti auctore Stephano episcopo.

(29) C. 7. — Flodoardi historiam Remensem.

(30) V. Prologum, c. 2.

(31) Passim ; v. infra.

(32) C. 25.

(33) Cf. præcipue capp. 14 — 17.

(34) E. g. deponens loco passivi usurpat.

(35) Superstite Adalberone archiepiscopo, qui anno 990. mense Januario obiit.

(36) Bibl. Belgica I.

(37) De scriptoribus ecclesiasticis c. 136, et vita Wiberti, c. 13.

(38) SS. Franc. I, 688.

(39) De viris illustribus ord. S. Benedicti II, 60 : qui tamen de SS. eccl. 296 pariter atque Andreas Bamberg. hæc Hilduino episcopo tribuit.

(40) T. VI, 541 et novæ edit. T. II, 730.

continuationibus excipit libellus historiæ Laubiensis, « Multi multa loquuntur de statu monasterii Lobiensis, » etc., in fine mutilus. Evolvimus quoque. A

2) C. regium Parisiensem inter schedas Baluzii Armar. II fascic. 1 n. 3. asservatum. Plagulas istas ex Bruxellensi, in monasterio Rubeæ vallis tunc temporis, ut videtur, asservato (41), descriptas et a Dacherio in editione sua expressas esse, Waitzius animadvertit. Scriba Tornacensis codicis supplementa textui inseruit, lectiones, modo Tornacensem modo Bruxellensem suscepit, ex continuationibus nonnisi 1 1/2 plagulas decerpsit. Super tile igitur Bruxellensi, ut nullius momenti a nobis plane neglectus est.

3) Ex tractatu De miraculis S. Ursmari a monacho Laubiensi ope Folcuini et continuationis ejus conscripto, quem Henschenius in Actis SS. April. II, 565 sqq. Folcuino tribuit, varias lectiones decerpsimus.

Quibus subsidiis, præsertim codices Bruxellensi, adhibitis, si non textum ubique authenticum, proxime tamen ad genuinum accedentem proponere licet, ut collato Ruotgeri opere evincitur.

A Continuationem libri, qua Folcuinus Nothgero episcopo adminiculante Lobiensis (42) monasterii immunitatem a. 973 ab Ottone II renovatam et a Joanne XIII papa confirmatam (43) impetrasse, pauperibus etiam post obitum suum alendis et vestiendis prospexisse, librorum et ornatus ab ipso in monasterio repertorum et ejus opera comparatorum recensum reliquisse traditur, collectioni nostræ suo tempore inserturi sumus.

Obiit Folcuinus anno 990, edita tamen et Vita S. Folcuini episcopi Tarvanensis, quam antiquæ necessitudinis testem Waltero abbati S. Bertini inscripserat (44) : cum eidem et vitas SS. Audonari, Bertini, Winnoci et Silvini inscripsisse (45), non minus dubium esse videtur, quam quod Trithemius sermones et homelias complures ei tribuit (46).

Sepultus est in ecclesia S. Ursmari e latere Ratherii episcopi, hoc titulo insignis (47) : B

Cælebs Folquinus requiescit hic tumulatus,
Nobilitate cluens, abbatis nomine gliscens,
Divinis satagens, humana sophismata callens;
Cujus peccatis veniam lector petat omnis.

(41) Nam monasterii nomen in superiore margine apographi hujus legitur.
(42) Ann. Laubienses.
(43) Ib. a. 973; sed obierat a. 972.
(44) Mabill. Acta SS. l. c. — Rivet histor. litt. Franc. VI. 454, eam c. anno 970 scriptam esse conjicit, sed verba « *quem Laubiensium dicunt abbatem*, humilitate consueta (v. Gesta abb. Lob. c. 28) adjecit Walterus a. 996 obiisse dicitur; cui et Adalolfo a. 961, abbati tres alios interfuisse legimus.
(45) Tali opinioni prologus vitæ S. Folcuini ansam dedisse videtur.
(46) Cf. Hist. litt. Franc. l. c. p. 453. Homilia de zizaniis ad Matth. 13, 25 sqq. olim Lovanii in bibl. S. Martini exstitisse dicitur.
(47) Martene coll. IX, p. 9 4.

GESTA ABBATUM LAUBIENSIUM

PROLOGUS [1].

Diu [2] ab antiquis quaquaversum quis poterat quæstione ventilata, tandem omnium tam philosophorum quam spiritualium patrum animis sedit sententia, nobisque inviolabiliter tenendam mandarunt, non fortuitis mundum volvi casibus, sed ad nutum præsidentis et creatricis omnipotentisque Deitatis cuncta regi per providentiam, secundum ineffabilem dispositionis suæ ordinationem, antequam quidquam proderet in tempore. Vis enim Deitatis omnipotentissima, cuique (48) quod est esse perfectum est, rerum formas per principales quasdam materias penes se semper perfectas habuit; sed quando voluit, et ubi voluit, et quomodo voluit, nobis visibiles fecit, nec ei ut creator esset [ex tempore [3]] accessit; D quippe cum tempora eo ordinante cœperint, et ipse in tempore cuncta ordinaverit ut qui merito creditur creator, teneretur et dispensator. Tempora quippe diebus et numeris constant; et quando legimus aut audimus, illo vel illo die fecit Deus hoc vel C illud, tempus utique vel numerum intelligimus. Ergo Deus est creator temporum [4], cum et ipse antiquior sit tempore cujus creator est, et cuncta creaverit [5] in tempore. Fecit quidem [6] et ipso tempora dissona inter se parilitate disjuncta, sed ad nutum suum invicem convenientia, ut non confundantur quæ putantur confusa, sed potius alternatim sibi congruentia ordinatam quandam rem publicam faciant et perfectam. Ipsa quoque quibus subsistimus elementa sibi invicem contraria, in unius corporis habitudinem ita grata parilitate conveniunt, ut discrepata non discrepent, immo si unum alteri dempseris, hominem simul interimas. Temporalis quoque motionis similis causa est. Quid enim magis contrarium, quam nox diei, tenebræ luci? Æstas quoque hiemi, hiems [7] æstati repugnat. Veri quoque autumnus, autumno ver [8] contrarius est. Quis enim in hieme cancri ardorem et dies caniculares expertus est, aut quis æstate nive campos [9] albescere, flumina glacie vidit distendi? Sic quoque nemo umquam in [10] vere musta prægustavit aut ra-

VARIÆ LECTIONES.

[1] sequitur super gesta Lobiensium abbatum prologus 1. *deest prologus* 2. [2] dixi *corr.* Diu 1. [3] ex tempore *desunt* 1. [4] temporis 1*. [5] creavit 1*. [6] quippe 1*. [7] et h. 1*. [8] v. a. 1*. [9] c. n. 1* [10] in v. *desunt* 1.

NOTÆ.

(48) *I. e.* et cui esse perfectum est, quicumque est.

dus (16), a patre Folcuino, qui an. 928 cum fratre Regenwala corpus S. Folcuini episcopi elevaverat, et matre Thiedala an. 947 puer ex Lotharingia ad monasterium Sithdiu adductus et an. 948, die S. Bertini (17), « in ipsis pene crepundiis propinquorum curis multimoda infestatione cessantibus » (18), sancto Bertino oblatus et monachus effectus est. Ubi litteras tam sacras quam Romanorum edoctus, anno 961 chartas monasterii bifario ordine temporis et rerum dispositas, insertis abbatum gestis, collegit (19) et Adalolfo abbati inscripsit. Anno 965 juvenis adduc ab Everacro episcopo Laubiensi monasterio præpositus, et die natalis Domini Coloniæ Ottone I præsente ordinatus est (20). Viginti quinque annis abbatiæ curam gessit, quibus non solum possessiones ejus et jura tutatus est, sed monasterium Nothgero episcopo auctore ædificiis, ornatu ecclesiastico, campanis et libris auxit (21). Intercedebat et commercium cum viris sui temporis doctis, cum Ratherio exempli gratia, quem Verona exsulem ipse Laubiis suscepit et ingratum expertus est, cum Adalberone Remensi archiepiscopo, quem Gerberti aliorumque virorum eruditissimorum patronum Remis visitavit (22). Abbatum prædecessorum suorum gestis scribendis optime instructus accessit. Evolverat enim chartas et epistolas in scriniis ecclesiæ asservatas (23), et alia cœnobii monumenta, martyrologia perantiqua (24), inscriptiones (25), catalogum abbatum (26), annales etiam brevissimos ad sua tempora usque productos, legerat Vitas Ursmari et Ermini abbatum (27), scripta historiam vicinorum episcopiorum, Leodiensis (28) et Remensis (29), attinentia, annales Francorum (30), et Einhardi (31) atque Ruotgeri (32) opera, unde sententias, imo capita integra mutuatus, narrationem adornare conatus est. Nec tamen ingenio materiem superavit. Nam narratio sæpe jejuna et nonnunquam minus recte disposita (33), sermonis quoque vitiis obnoxia (34), tantum ubi auctoris ætatem attingit, majorem sibi favorem conciliat. Ultima operis capita auctorem — quod in Flodoardum etiam cadere vidimus — veritatis non minus studiosum quam miraculorum credulum comprobant.

Liber Laubiis circa annum 980 editus (35), in monasterio ipso, tum Tornaci, et, si Foppensio (36) credere fas est, Gemblaci asservatus, sæculis sequentibus continuationibus auctus, Sigeberto Gemblacensi (37) et auctori Vitæ S. Ursmari apud Chesnium vulgatæ (38) necnon Trithemio (39) innotuit. Sæculo demum XVII, una cum continuationibus ope Lobiensium male descriptus in Spicilegio Dacherii (40) prodiit. Editioni nostræ cum subsidia antiqua frustra quærerentur, contigit tandem ut Bethmanno in bibliotheca regia Bruxellensi, mihi Parisiis apographa, sæculo XVI et XVII confecta, obvenirent; quæ præcipua Waitzii opera in usum nostrum conversa gratulamur :

1) C. olim monasterii B. Mariæ de Nazareth Morinensis diœceseos, postea societatis Jesu Tornacensis, cujus aliquot lectiones in margine codicis regii Bruxellensis N. 7816 adnotatæ leguntur. Complures loci majoris momenti, præfatio et capita 25, 30 sqq. in cod. Bruxellensi prius omissa, codici huic jam deperdito debentur, quem satis diligenter quidem, sed non ubicunque intererat exscriptum dolemus; quare de lectione ejus haud raro dubitatur.

1*) C. regius Parisiensis inter libros S. Germani « Residu fasc. 90 n. 4 « insignitus, chartaceus, apographum codicis Lobiensis continet, Dacherio quod typis ederetur transmissum. Qua de re Dacherius notavit : « Ad me transmisit D. Simon Guillemot monachus S. Gisleni an. 1660 transcripta a domino Gregorio Sergeant subpriere Lobiensi.» At scribam sæpius, præcipue in continuatione Folcuini, non codicem secutum esse sed suum scribendi modum textui ingessisse suspicatus, eo nonnisi in capitum divisione, titulis atque in ultimis capitibus usus, Baluzii exemplar, de quo jam sermo erit, plerumque expressit, continuationem vero ex Lobiensi edere coactus est.

2) C. regius Bruxellensis N. 7816 chart. sec. XVI in fol. min. diligenter ut plurimum scriptus atque cum codice B. Mariæ (1.) collatus. Folcuinum cum

Hieronymum, Hieronymus sanctum Folcuinum episcopum et Odwinum, Odwinus item Odwinum, Odwinus junior Folcuinum et Regenwalam, Folcuinus item Folcuinum diaconum et monachum S. Bertini.

(16) Siquidem a Folcuino chartularii S. Bertini auctore haud diversum habeo. Res rationibus a Mabillonio Act. IV, I, p. 623, allatis minime conficitur; nam quascumque utriusque distinguendi rationes affert, aut nullius momenti sunt aut eundem fuisse virum magis persuadeant. Quod Folcuinus abbas in vita quam edidit Folcuini episcopi iis, quæ diaconus a. 961 in chartulario Sitiensi de eodem Sancto, proavo suo, iisdem verbis scripserat, nonnulla addidit; quod Sancti matrem in chartulario Ermentrudem, in codicibus duobus vitæ, qui Mabillonio ad manus fuerant, Ercensendam, quod in chartulario equum funus præiisse, in vita equum funus præeuntem lacrymasse legimus; denique quod auctor uno loco se S. Folcuini parentem fuisse dicit, altero silet, et ad tumulum Sancti Folcuinum monachum — et duo tunc ejusdem nominis monachi in S. Bertino degebant — sanatum tres elegos in laudem Sancti composuisse scribit : diaconum ab abbate diversum haud evincunt. Contra uterque nobii Lotharingorum genere oriundus, uterque puer S. Bertino oblatus et a. 961, et 965, ibi monachus degens, uterque chartis antiquis tractandis assuetus, uterque inter scriptores locum tenens, et vitæ S. Folcuini alter in chartulario brevior; alter in opusculo postea edito prolixior editor, nonnisi unus idemque homo mihi fuisse videtur.

(17) Chartularium Folcuini ap. Mabillon. Acta SS. O. S. B. Sæc. IV, I, p. 623.

(18) Præfat. ad vitam S. Folcuini ibid. p. 624.

(19) Mabill. Ars. dipl. p. 235. Chartularium ipsum a. V. Cl. Guerard mox edendum expectamus.

(20) Gesta abb. Laub. c. 28. Ann. Laub.

(21) Contin. gestorum.— In epistola vero Lobiensium ap. Raldericum chron. Cam. I, c. 105, negligentiæ insimulatur.

(22) Ib. c. 7.

(23) Ib. c. 21, 16, 8, 6, 3.

(24) Ib. c. 7.

(25) Ib.

(26) Ib. c. 9.

(27) C. 9.

(28) C. 18, vitam Lamberti auctore Stephano episcopo.

(29) C. 7. — Flodoardi historiam Remensem.

(30) V. Prologum, c. 2.

(31) Passim ; v. infra.

(32) C. 25.

(33) Cf. præcipue capp. 14 — 17.

(34) E. g. deponens loco passivi usurpat.

(35) Superstite Adalberone archiepiscopo, qui anno 990. mense Januario obiit.

(36) Bibl. Belgica I.

(37) De scriptoribus ecclesiasticis c. 136, et vita Wiberti, c. 13.

(38) SS. Franc. I, 688.

(39) De viris illustribus ord. S. Benedicti II, 60 : qui tamen de SS. eccl. 296 pariter atque Andreas Bamberg. hæc Hilduino episcopo tribuit.

(40) T. VI, 541 et novæ edit. T. II, 730.

continuationibus excipit libellus historiæ Laubiensis, « Multi multa loquuntur de statu monasterii Lobiensis, » etc., in fine mutilus. Evolvimus quoque.

2) C. regium Parisiensem inter schedas Baluzii Armar. II fascic. 1 n. 3. asservatum. Plagulas istas ex Bruxellensi, in monasterio Rubeæ vallis tunc temporis, ut videtur, asservato (41), descriptus et a Dacherio in editione sua expressas esse, Waitzius animadvertit. Scriba Tornacensis codicis supplementa textui inseruit, lectiones, modo Tornacensem modo Bruxellensem suscepit, ex continuationibus nonnisi 4 1/4 plagulas decerpsit. Super ille igitur Bruxellensi, ut nullius momenti a nobis plane neglectus est.

3) Ex tractatu. De miraculis S. Ursmari a monacho Laubiensi ope Folcuini et continuationis ejus conscripto, quem Henschenius in Actis SS. April. II, 565 sqq. Folcuino tribuit, varias lectiones decerpsimus.

Quibus subsidiis, præsertim codices Bruxellensi, adhibitis, si non textum ubique authenticum, proxime tamen ad genuinum accedentem proponere licet, ut collato Ruotgeri opere evincitur.

Continuationem libri, quia Folcuinus Nothgero episcopo adminiculante Lobiensis (42) monasterii immunitatem a. 973 ab Ottone II renovatam et a Joanne XIII papa confirmatam (43) impetrasse, pauperibus etiam post obitum suum alendis et vestiendis prospexisse, librorum et ornatus ab ipso in monasterio repertorum et ejus opera comparatorum recensionem reliquisse traditur, collectioni nostræ suo tempore inserturi sumus.

Obiit Folcuinus anno 990, edita tamen et Vita S. Folcuini episcopi Tarvanensis, quam antiquæ necessitudinis testem Waltero abbati S. Bertini inscripserat (44); cum eodem et vitas SS. Audonari, Bertini, Winnoci et Silvini inscripsisse (45), non minus dubium esse videtur, quam quod Trithemius sermones et homelias complures ei tribuit (46).

Sepultus est in ecclesia S. Ursmari e latere Ratherii episcopi, hoc titulo insignis (47) :

Cælebs Folquinus requiescit hic tumulatus,
Nobilitate cluens, abbatis nomine glisceus,
Divinis satagens, humana sophismata callens;
Cujus peccatis veniam lector petat omnis.

(41) Nam monasterii nomen in superiore margine apographi hujus legitur.

(42) Ann. Laubienses.

(43) Ib. a. 973; sed obierat a. 972.

(44) Mabill. Acta SS. l. c. — Rivet histor. litt. Franc. VI. 454, eam c. anno 970 scriptam esse conjicit, sed verba « *quem Laubiensium dicunt abbatem,* humilitate consueta (v. Gesta abb. Lob. c. 28) adjecit Walterus a. 996 obiisse dicitur; cui et Adalolfo a. 961, abbati tres alios interfuisse legimus.

(45) Tali opinioni prologus vitæ S. Folcuini ansam dedisse videtur.

(46) Cf. Hist. litt. Franc. l. c. p. 458. Homilia de zizaniis ad Matth. 13, 25 sqq. olim Lovanii in bibl. S. Martini exstitisse dicitur.

(47) Martene coll. IX, p. 9 4.

GESTA ABBATUM LAUBIENSIUM

PROLOGUS [1].

Diu[2] ab antiquis quaquaversum quis poterat quæstione ventilata, tandem omnium tam philosophorum quam spiritualium patrum animis sedit sententia, nobisque inviolabiliter tenendam mandarunt, non fortuitis mundum volvi casibus, sed ad nutum præsidentis et creatricis omnipotentisque Deitatis cuncta regi per providentiam, secundum ineffabilem dispositionis suæ ordinationem, antequam quidquam proderet in tempore. Vis enim Deitatis omnipotentissima, cuique (48) quod est esse perfectum est, rerum formas per principales quasdam materias penes se semper perfectas habuit; sed quando voluit, et ubi voluit, et quomodo voluit, nobis visibiles fecit, nec ei ut creator esset [ex tempore [3]] accessit; quippe cum tempora eo ordinante cœperint, et ipse in tempore cuncta ordinaverit ut qui merito creditur creator, teneretur et dispensator. Tempora quippe diebus et numeris constant; et quando legimus aut audimus, illo vel illo die fecit Deus hoc vel illud, tempus utique vel numerum intelligimus. Ergo Deus est creator temporum [4], cum et ipse antiquior sit tempore cujus creator est, et cuncta creaverit [5] in tempore. Fecit quidem [6] et ipso tempora dissona inter se parilitate disjuncta, sed ad nutum suum invicem convenientia, ut non confundantur quæ putantur confusa, sed potius alternatim sibi congruentia ordinatam quandam rem publicam faciant et perfectam. Ipsa quoque quibus subsistimus elementa sibi invicem contraria, in unius corporis babitudinem ita grata parilitate conveniunt, ut discrepata non discrepent, immo si unum alteri dempseris, hominem simul interimas. Temporalis quoque motionis similis causa est. Quid enim magis contrarium, quam nox diei, tenebræ luci? Æstas quoque hiemi, hiems [7] æstati repugnat Veri quoque autumnus, autumpno ver [8] contrarius est. Quis enim in hieme cancri ardorem et dies caniculares expertus est, aut quis æstate nive campos [9] albescere, flumina glacie vidit distendi? Sic quoque nemo umquam in [10] vere musta prægustavit aut ra-

VARIÆ LECTIONES.

[1] sequitur super gesta Lobiensium abbatum prologus 1. *deest prologus* 2. [2] dixi *corr.* Diu 1. [3] ex tempore *desunt* 1. [4] temporis 1*. [5] creavit 1*. [6] quippe 1*. [7] et h. 1*. [8] v. a. 1*. [9] c. n. 1* [10] in v. *desunt* 1.

NOTÆ.

(48) *I. e.* et cui esse perfectum est, quicumque est.

cemis usus est, cum ipsa quoque herbarum seu florum diversa genera, quibus ver ornatur et gaudet, autumpni tempore languida marcescunt [11]. Hæc autem ordinate venientia et loco suo posita annum perficiunt; quæ si non confunderentur, chaos quoddam et importabile tempus potius videretur quam annus. Hanc autem rerum causam mutabilem immutabilis ratio continet, apud quam non est novum, quod nobis recens apparet, et cui non variantur, quæ nobis variabilia esse videntur; ita ordinem cuncta, ut etiam quæ putantur mala, non sint inordinata. Summa ergo et principalis, immo sola rerum causa voluntas Dei est. Unde et canimus: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit* (*Psalm.* CXXXIV, 6). Nec quidquam foris agitur, nisi quod de interna summi [12] Imperatoris aula aut jubeatur aut permittatur, sive ad quorumdam utilitatem, sive ad occulti justique judicii sui ultionem. Quis enim plus diligit [13] quam ille qui fecit? porro quis ordinatius regit quam ille qui fecit et diligit? Ergo non potest quicquam [14] ultra citrave progredi nisi cum voluntate Domini, salvo cum gratia Dei dono hominibus dato liberi arbitrii.

De regnorum quoque successionibus seu permutationibus, quas vel audivimus vel vidimus, non multum mirandum. Ipsius est enim, ut ait Psalmista [15], *regnum et ipse dominabitur gentium* (*Psalm.* XXI, 29). Et sicut Nabugodonosor [16] sensit, cuicumque voluerit dabit illud. Nam quando voluit, regna statuit, et quando voluit, mutavit. Testatur hoc [17] antiquissimum Assiriorum regnum, quod postea ad Medos, et ad [18] Persas [19] translatum, regnandi finem fecit [20]. Inde ad Macedones, quos multo sanguine sibi [21] acquisivit Alexander ille (49), quem Daniel vel æs in stataa vel pardum in visione nominat, magnus utique, magnus ille gurges miseriam; ad postremum Romanis, terra et mari transactis, copiis præstantibus, non sine nutu Dei cessit imperium. Et de regnis quidem sic hactenus habetur, licet Francornm subinde accreverit imperium, quod quia [22] se Romanis arcibus frequenti et prospero successu, et manu militari, quo delectu optime habundat, infuderit, idque acquisierit fastigium, in Romana tamen re publica est connumerandum. Nam et eadem gens Romanis quadam civilitate conjungitur, cum uterque populus a Troia, illi Æneæ [22] signa secuti, isti Antenore duce per Illiricos sinus ad Meotida paludes progressi (50), propter nimiam mentis ferocitatem Franci sortiti sunt nomen; qui Gallias demum occupantes, et ceteris id locorum formidabiles, ydolagiam in Christi tyrocinium commutaverunt. Nam rex eorum Clodoveus [24] per sanctum Remigium Christi gratiam baptismate adeptus, gentem suam Christianam effecit. Nec distulit [25] rex regum Christus [26] donativum dare sibi militantibus; nam provexit [27] eos regnis, auxit successibus secundis. Inde ad Clodoveos [28], Clotharios, et Dagobertos felix illa et hereditaria permansit successio. Et quare non maneret, quam sapientia Dei, quæ [29] ait: *Per me reges regnant* (*Prov.* VIII, 15), fide firmabat, æquitate et justitia roborabat? Testantur hoc episcopia vel monasteria ante id temporis diruta [39] aut nulla, quæ abhinc aut rediviva pullularunt aut [31] novis auspiciis inchoarunt. Quæ si scriberemus singula, deficeret nobis pagina, præsertim cum nec hoc proposuimus: sufficit ut de nostro tantum dicamus, et quia de loco discendum est, situm dicamus ejus, de quo dicendum est.

1 [32]. Est locus, ubi intra terminos pagi, quem veteres a loco, ubi superstitiosa gentilitas fanum Marti sacraverat, Fanum-martinse dixerunt, juniores a nomine præfluentis fluvii Haynau vocaverunt, et pago Sambrino Sambra fluens blanda et amœna ripa decurrit, qvem hinc inde prominentibus collibus planicies quædam et nemorum opacitas et oportunitas [33] loci gratissimum reddit. In quo loco rivulus delabitur in Sambram, quem Laubacum vocant, eundemque putant (51) nomen loco dedisse, licet sint aliqui, qui pro oportunitate capiendarum ferarum — undique enim saltu cingitur vicinaque erat Liphtinas [34] (52) fisco tunc regio, et prisco nomine permanente forestis adhuc dicitur, eo quod rex pergens venatum, ibi sibi fieri jusserat obumbraculum ad temperandum solis æstum, quod lobiam vocant — inde putant locum dictum nomine permanente, rivulumque a loco, non locum a rivulo nomen traxisse; quod videtur magis verisimile esse. Teutones hoc astipulare videntur. Nam locus ille eorum lingua Lobach dicitur; et lo quidem vocant obumbrationem nemorum [35], bach autem rivum; quæ duo si componantur, faciunt: obumbraculi rivum. Erat autem locus parandis insidiis et latroci-

VARIÆ LECTIONES.

[11] marescunt 1. [12] *deest.* 1. [13] *deest.* 1. [14] q. p. 1*. [16] psal. 1* præsta 1. (psta *cod. habuisse videtur*). [16] nabucodonosor 1*. [17] H. t. 1*. [18] *deest* 1*. [19] persos 1. [20] f. f. r. 1*. [21] *deest* 1*. [22] dicitur 1. [23] Ædea *codd.* [24] hlodoveus 1*. [25] delituit 1. [26] *deest* 1*. [29] prospexit 1*. [28] hlodoveos, hlotharios 1*. [29] quem 1. [30] aut d. 1*. [31] et 1*. [32] topographia gestorum abbatum Lobiensium *add.* 1. [33] opportunitas *corr.* oportunitas 2. *et ita infra.* [34] liptinas 2. [35] *deest* 2.

NOTÆ.

(49) Ex Gestis regum Francorum c. 1 sqq.

(50) Famars; cf. H. Muler de patria legis Salicæ disserentem p. 41-46.

(51) Cf. Vita S. Landelini Act. SS. Jun, II, p. 1065, quæ tamen post Folcuinum scripta esre videtur.

(52) Lestines. De ipso in cont. miraculorum S. Ursmari dicitur (Acta SS. Apr. II, 569: *Liphtimas nomen est fundi in pago Hainoensi, olim sedes regia, cum adhuc pax et justtia sibi obviarent in terra, nunc* (sex. x, ut videtur) *in beneficium plurimis distributus, vix sufficit annuis redditibus unius.*

nantibus aptus. Nam sicut dictum est, cinctus est silvis et exasperatus scopulis; unde et perpetrato scelere non inveniebatur hostis. (657) Tali ergo oportunitate captata, Morosus quidam, vir hujus artis et operis, tali in loco latrociniis insistebat, tempore quo a Clodoveo septimus Lotharius agebat in sceptris. Qui cum minimis sceleribus non usquequaque contentus, grandiora quæque moliretur et ageret, tandem miserante super his Domino, per sanctum Autberum Camaracensem episcopum, — nam parrochia est ipsius ecclesiæ terminus, licet hucusque etiam [36] et Leodiensis protenditur — de Moroso in Landelinum conversus, secundus de Saulo factus est Paulus, et finem viciis dedit, et locum sacris studiis initiavit, ut quem commaculaverat viciis, dedicaret virtutibus, et [37] ubi superabundarat peccatum, superabundaret et gratia, sicut ait apostolus (*Rom.* v, 20). In quo loco et ecclesiam sibi pro tempore constituens, deflebat quibus antea oblectabatur, manu et labore victum quærens, lasciviamque carnis jejuniis et vigiliis domans, et exercebatur summo mentis conamine [38] in his quæ sunt Dei, ut omnes mirarentur, videntes commutationem dexteræ Excelsi. Talibus igitur exercitiis, pluribus ad id studii confluentibus speculum factus est; sicque Lobbiensis cœnobii fundator extitit primus. Sed præordinatio, de qua præposuimus, Dei, qui non omnibus judicia sua manifestat — *Judicia enim tua*, ait Psalmista, *abyssus multa* (*Ps.* xxxv, 7) — voluit [39] beatum Landelinum Lobiis demigrare, ut alteri quandoque subsecuturo locus vacaret, ne utique super alterius fundamentum ædificia strueret et detrimentum pateretur, aut [40] ne merita tanta duorum unius loci angustia artarentur. Hiis forte præscius beatus Landelinus Lobiis demigrans, Chrispinium (53) petiit.

2 [41]. Nec defuerunt adjutores et cooperatores in prædicti loci augmentatione quam plures, licet nomina eorum exciderint; temporibus Clotharii filii Clodovei, qui regnavit annis 4, sed et fratrum ejus, Hildrici scilicet [42] regis Austrasiorum, et Theoderici, quem Pippinus [43] debellavit in Textricio, sibique subjugavit sub seque regnum finire permisit post annum regni ipsius Theoderici decimum actavum, Clodovei quoque filii Theoderici, qui regnavit annis duobus, sed et fratris ejus Hildeberti, cognomento Justi, qui regnavit annis septem, necnon et Dagoberti filii ejusdem Hildeberti, qui regnavit annis quinque, qui omnes regnaverunt sub præfato principe, regni tantum eis nomine manente [44]. Quo in tempore — secundum quod in Actibus apostolorum, in Asiam volentes ire discipuli, prohibiti sunt a spiritu Domini; servabatur enim [45] Johanni [46] — beatus Usmarus virtutum exercitiis [47] omnibus clarus, cui Lobbias apostolatus locum delegaverat Dominus, a Pippino jam dicto principe evocatus, idem monasterium regendum accepit [48] per Hyldulphi interventum, qui erat unus de proceribus regni majoribus. (689) Cujus indicia meritorum fuerunt puer ille (54) et panis matri in oromate [49] præmonstratus et scansio illa beatæ scalæ a terra cœlo tenus; quæ omnia quantum beato viro congruunt, ex actibus ejus cognoscimus. Forte nec sine quodam præsagio tale sortitus est nomen. Ursmarus enim ex duobus usitatis Galliæ locutionum generibus dicitur [50], Latina videlicet, quam usurpantes vitiarunt [51], et Teutonica; congruum plane beato viro vocabulum. Ursum enim aiunt partum informem lingua lambere, et quod naturæ minus est, officio linguæ [52] complere. Sic et ille beatus vir carnales quosque, et solum ea quæ [53] carnis sunt sapientes, prædicando ad formam sui reduxit principii [54]; parturiens semper Domino de filiis iræ populum acquisitionis, ut cum Apostolo diceret: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* iv, 19). Mentior, si hæc ejus exercitia ad nostri temporis fæcem [55] non usque decurrerunt. Nam ut prætermittam eos, quos aut viva voce instruxit, aut vicinitate temporis per eos, qui audierant eum vel viderant, sibi in plurimis immitabiles fecit — nam adæquari ei in omnibus difficillimum fuit: — nos, in quos fines seculorum devenere [56] (55), licet in nobis nullum patroni specimen reluceat ingenii, id ipsum, quantulumcumque sumus, ejus constamus [57] patrocinio. Nam signaculum [58] apostolatus ejus [59] nos quoque sumus in Domino. Famosum autem eum esse, non magnopere nostrum est commendare; scit hoc magna pars Galliæ, sciunt et hii quos variis infirmitatibus vexatos sanos reddit cotidie.

3. Quare autem eum episcopum fuisse dicimus, sæpe a nobis quæsitum est. Nam textus descriptionis vitæ ipsius episcopum eum fuisse docet (56); locum autem vel tempora ordinationis ipsius, vel a quibus ordinatus sit, omnino silet. Sed in cartis sub ejus tempore factis ac perantiquis membranarum

VARIÆ LECTIONES.

[36] enim 1. *deest.* 2. [37] ut 1? 2. [38] conatu 1. [39] noluit 1. [40] et 2. [41] *Capitula Dacherius ex apographo Lob.* (1*) *recepit.* [42] secundi 2. [43] pipinus 1? 2. *sæpius.* [44] permanente 2. [45] quoniam servabatur 2. [46] *ita scripsi ex constanti medii ævi usu, et ita etiam* parrochia. cotidie, cartis, auctoritas, conicere, valitudo *et alia, in quibus scribendis* 2. *sibi minime constat. de* 1. *vero nihil compertum habemus.* [47] exercitus 1? [48] suscepit 2. [49] oromate *corr.* aromate 2. [50] *deest* 2. [51] *deest* 1. 2. *ubi in margine additur :* deest aliquid. *Dacherius vocem ex cod. Lob.? edidit et post* Teutonica *add.* : ursus dicitur, *quod sensu caret.* [52] *deest* 1. [53] q. sola quæ 2. [54] præpt..ii 1. [55] faciem 1. [56] devenerunt 1? [57] contestamur 1. [58] signum 2. [59] *deest* 2.

NOTÆ.

(53) Crespin, dioc. Cameracensis.

(54) Cf. Anso Vita Ursmari c. 1

(55) Annus ab incarnatione millesimus timebatur.

(56) Cf. Vita a. Ansone in prol. et sqq.

periolis, quæ continentur in ecclesiæ [60] nostræ archivis, inscriptum eum invenimus sub nomine episcopi et pontificis. Varia de hoc est seniorum nostrorum relatio, dicentibus quibusdam, quod prædicandi gratia, ut competebat tunc rudimentis novellæ fidei, ad compescendos superfluos ritus gentis barbaricæ episcopus fuerit ordinatus, quod factum quoque de sancto Amando legimus (57), quibusdam dignitatem hanc loco tribuentibus, opinionemque suam ratione quadam tuentibus, quod videlicet locus regius, regia munificentia constructus, regio, ut dictum est, palatio contiguus [61], nulli committeretur, nisi prius ordinaretur [62] episcopus. Quam dignitatem et in plerisque successorum ejus durasse, in subsequentibus dicemus (58). Quid horum verius sit, lectorum [63] arbitrio committimus. Nec in utramvis partem sancto viro derogamus, dum, quicquid horum sit, eum fuisse episcopum non denegamus.

4. Igitur in exordio regiminis sui (697) ecclesiam, quæ ante id temporis erat inconsecrata, consecravit, dedicans illam Domino in honore principis apostolorum Petri, simulque doctoris gentium Pauli, et omnium apostolorum Christi; cumulans templum donis et altare multiplicibus sanctorum patrociniis. Facta est autem hæc dedicatio anno [64] qui est sexcentesimus nonagesimus septimus dominicæ incarnationis, septimo [65] Kalendas Septembris, Domino in perpetuum regnante, Pippino autem in Francis principante. Quam ecclesiam nequaquam passus pollui cadaveribus mortuorum, fecit aliam in honore sanctæ Mariæ in montis vertice, cui subjacet prædictum monasterium; ubi cimiterium [66] constituit esse fidelium, et ad quam conflueret populus; nam illicitus, ut nunc quoque nisi certo [67] tempore, apud aliam erat feminarum accessus. Nonasterium quoque in Alna (59) ipse construxit et Lobiis subjecit. Monasterium quoque Waslare (60) dictum, versus Teoraciæ (61) saltum, in finibus Faniæ (62) adificavit, cui et Dodonem præfecit, virum admodum sanctum, utpote a se instructum, qui aliquantisper inibi demoratus, heremum concupivit, extructaque in eodem Faniæ saltu cellula, cum permissu pii patris et licentia, vita in ea vixit theorica; ubi postea multis virtutibus clarus migravit ad Dominum. Cor-

A pus autem ejus translatum est ad monasterium Waslare dictum, ubi nunc requiescit debita veneratione. Sanctus autem Ursmarus, ut erat semper lucrandis animabus intentus, prædicandi gratia se Flandriæ intulit versus Menapûm fines, qui ritû gentis adhuc detinebantur vanis superstitionibus. Cujus doctrina ad fidem Christi conversi, non minimæ partis prædiorum suorum illum faciebant heredem, et eam quæ in Lobbiis ecclesiam Christi.

5. (713) Beatus igitur Ursmarus virtutum omnium commerciis plenus, officio sibi credito fideliter administrato, locoque priscis monasteriis regia munificentia constructis coæquato [68], solvitur carnis ergastulo, et cœlesti introfertur paradiso, ubi nunc et semper, nostri petimus memor, feliciter fruatur Deo. Obiit autem anno 713 dominicæ incarnationis, nobis

B in perpetuum domino Deo regnante, et Pippino agente in sceptris. Qui antequam decederet, fractus longa [69] molestia, se vivo sanctum Erminum successorem sibi substituerat (711), in quem familiaritate quadam speciali se totum transfuderat, utpote in dilectum heredem et gratissimum successorem. Substitutus (63) igitur Erminus, magistrum cœpit æmulari, ut si secundum Epicureorum (64) narrationem [70] migrationem animarum in alternis corporibus fas esset credere, eundem ipsum crederetur repræsentare. Supersedendum erit, si cuncta velimus dicere, quam assiduus in loci augmentatione, quam cautus fuerit in commissa sibi pastoralitate, maxime cum descriptio vitæ ejus dicat de eis satis habunde [71]. Habuit etiam et cooperatores sive successores, ejus-

C dem loci gubernatores et coabbates, sanctum utique Abel, Scotum genere, et sanctum Vulgisum episcopum, et domnum Amulvinum æque episcopum; qui utrum sibi vicissim successerint, an, sancto Ermino spiritualibus occupato rebus, locum in commune tractaverint, nichil certi reliquit antiquitas. Non tacuit tamen, locum Lobiensem eos et tenuisse et gubernasse, sed et pro oportunitate temporum locum meliorasse [72]. Rexit autem sanctus Erminus (65) idem monasterium sub præfato principe Pippino tribus annis, et sub Carolo ejusdem Pippini filio similiter seniore et duce viginti duobus annis. Sicque expletis

D in regimine viginti quinque annis, participatus est

VARIÆ LECTIONES.

[60] *ita ed.* ecclesia nostra i. 1. ecclesia nostra artius 2. [61] scilicet Liptinis gallice Lestines *add.* 2. *quod glossema est.* [62] esset ordinatus 2. [63] lectorum *corr.* lectoris 2. [64] anno sexcentesimo nonagesimo septimo 1. [65] decimo septimo *Dach.* [66] cimitterium 2. [67] certo *corr.* in certo 2. [68] *ita ed. deest* 1. 2. *ubi spatium vacuum exstat.* [69] longua 2. [70] epicuros variationem 1. [71] *deest* 1. [72] emeliorasse 2.

NOTÆ

(57) V. Vita S. Amandi c. 8.

(58) Vita posterior ex Folcuino hausta addit (Du Chesne I. p. 688.): *De qua etiam adhuc tantum superest in eo loco, ut abbati liceat uti sandaliis, tunica subdiaconali, habere potestatem ligandi atque solvendi, atque ubique uti annulo aureo et cirothecis.*

(59) Aulne ad Sabim.

(60) Wasloi, Walers en Faigne, Cameracensis dioeceseos.

(61) Thiérache in Picardiæ finibus.

(62) Hannoniæ pars.

(63) Cf. vita S. Ermini cap. 5. Acta SS. Apr. III. p. 375.

(64) Ita pro Pythagoræorum Folcuinus scripsisse videtur.

(65) De ipso refert Anso in Vita S. Ursmari: *Miracula etiam sui magistri* (Ursmari) *opere metrico juxta elementorum summam versificator optimus edidit*, quod poema a. 1546 in bibliothecæ Lobiensis incendio periisse, Henschenius (*Acta SS. Apr. II*, p. 562) ex Wauldæi Vita S. Ermini c. 12. monet.

gloriæ magistri, decedens octavo Kalendas Maii (65).

6. Post quem extitit Theoduinus abbas; sub quo, Karlomanno majore domus concedente, villam Fontanas, quam Sambra alluit, ecclesia nostra habere meruit; in cujus concessionis carta sic subscriptum est: *Actum Liptinas* [73] *villa publica, quod fecit Februarius dies sex, anno secundo regnante Hilderico.* Et in hac stipulatione: *Signum*, inquit, *Karlomanni majoris domus, qui hanc donationem fieri firmavitque.* Is sane est Karlomannus Pippini frater, qui relinquens (66) operosam regni administrationem, primum Romæ clericus factus, in Soracti monte monasterium ædificavit, postea apud Sanctum Benedictum in Cassino monte monachus effectus est. Hildericum (67) enim regem supra nominatum sub Pippino regnasse, tradunt historiæ; quæ et ipsum testantur postea jussu Zachariæ papæ attonsum et in monasterium trusum [74]; indeque monarchiam regni, Bonifacio archiepiscopo consecrante, Pippino cessisse.

7. De Abel quoque supra nominato tale quid comperimus. Remis cum fuissemus, et cum viro venerabili et illarum partium eruditissimo confabularemur Adalberone [75] archiepiscopo, requirentibus [76] nobis originem ejusdem civitatis [77], et in ea episcoporum successiones, prolatis ejusdem civitatis pontificalibus gestis (68), pro oportunitate temporis satisfecit. In quibus videlicet gestis inventum est, quod in eadem civitate Abel quidam [78] fuerit episcopus, qui in ea plura vel acquisierit vel ordinaverit; finis vero ejus quis fuerit, scriptor gestorum aut nescivit, aut omnino tacere voluit. Nos ventilatis [79] undecumque temporum numeris, hunc eundem Abel et nostrum fuisse et Scotum et episcopum, facili ratione probavimus. Sed quia scriptori ejus incertus exstitit finis, longinquitas [80] forte fecit itineris, et viri religiosi voluntaria privatio, et amor patriæ cœlestis. Dixit etiam episcopus supra nominatus, prædecessorum suorum ductam usque ad se consuetudinem, ut inter missarum sollemnia in ea speciali commemoratione defunctorum, quæ super diptica dicitur et in consecratione dominici corporis sollemniter agitur, cotidie in aurem presbyteri recitante silenter subdiacono, omnium ipsius sedis nomina scripto viritim recitentur episcoporum [81]; satisque mirasse, quod in ea commemoratione iste non inveniatur. Quod, ut conjicimus, idcirco actum est, ut ipse vacanti sedi jam antea episcopus jussus sit aliquantisper insidere; at pro amore Dei voluntaria cessione sponte catalogum illum repudiasse [82]. Nam hæreticum illum in hoc non est credere, quod hæreticis non resistere idem pene est [83] quod favere, et fideles antiqui viri tunc temporis non sinerent tale quid sapere; quin immo [84] additis scriptis publice, sive ad prædicandam [85] sive ad confutandam hæresim, libera inquirerentur auctoritate, Domino terribiliter interminante: *Maledictus*, inquit, *qui prohibuerit gladium suum a sanguine* (*Jer.* XLVIII, 10). Nec fieri potuit [86], ut eos, quorum mente in cœlis erat conversatio, Ursmarum dico et Erminum nonnisi imitaturus expeteret, cum ab ipsis recipi non potuit, nisi probatus et ipse antea in castris Dominicis fuerit exercitatus. Sed et de sancto Vulgiso episcopo nil ad nos præter parum perlatum est. Invenimus tamen in nostris perantiquis martyrologiis, quod [87] dies natalitii [88] ejus sic adnotatur [89]: *Pridie Nonas Februarii in Laubaco monasterio depositio sancti Vulgisi episcopi.* Sed et mausoleum [90], in quo conditus [91] jacet, in promptu est cernere.

8. Theoduino igitur abbati successit [92] sanctus Theodulphus episcopus in provisione prædicti loci, partim sub Pippino præfato principe post facto rege, novem vero annis sub Carolo rege post vero [93] imperatore; regens illud non segniter et augmentans non mediocriter. Sub ejus enim tempore multa ecclesiæ nostræ prædia collata sunt, quæ describerentur, si non in promptu essent donationes, et cartæ legatariæ, et ipse brevitati non studerem. Obiit autem anno 776 Dominicæ incarnationis, die vero festivitatis sancti Johannis Baptistæ.

9. Anso hunc sequitur in regimine, vir bonus et sanctus, abbas tantum et non episcopue, regens idem cœnobium sub jam dicto imperatore Carolo viginti quatuor annis. Erat autem idem Anso et pro capacitate ingenii sui litteris studens. Extat libellus Vitæ sancti Ursmari ad prædecessorem ejus Theodulphum episcopum ab eo conscriptus (69), item et sancti Ermini alius (70), in quibus quidem veritas historiæ, quantum a simplicis eloquentiæ viro describi potuit, amplectenda est. De confusione autem dictorum non nostrum est judicare; quæ illis tanta inest, ut incertum sit, utrum [94] ad insinuanda quæ noverat, minus licet erudite, quantum ad sæculares, fuerit proclivis, an pro excellentia gestorum sponte parvipenderit regulas artis. Et hic sub præfato obiit Carolo, eo quo idem imperator factus est anno (800).

Post eum [95] eandem abbatiam usurpavit Hildricus canonicus sub ipso imperatore. Et post eum Ramnericus tempore domni Ludovici [96] imperatoris. Deinde

VARIÆ LECTIONES.

[73] liptinas *corr.* liptanas 2. [74] reclusum 2. [75] ab alberone 1 ? 2. [76] requirentibus *corr.* inquirentibus 2. [77] urbis 2. [78] quidem 1 ? 2. [79] *ita legendum videtur;* veritatis 1. tantis 2. collatis *ed.* [80] longitas 2. [81] *deest* 1. [82] repudians 1. [83] pena sit 2. [84] ymo *aut* ymmo 2. *sæpius.* [85] predicandam 2. [86] potest 2. [87] *deest* 1 ? 2. [88] natalis 2. [89] adnotatus 2. [90] mauseolum ejus 2. [91] conditum 2. [92] successit 2. [93] facto 2. [94] ut non 1 ? 2. [95] quem 2. [96] lodovici 1 ? 2.

NOTÆ.

(66) Einhardi Vita Caroli c. 2.
(67) Ib. c. 1. et Annales a. 749, 750.
(68) Flodoardi; ubi vide l. II, c. 16.
(69) Editus Act. SS. April. II, 560.
(70) Ibid. III, 375.

pervenit ad domnum Folradum[97], piissimum abbatem, avunculum jam dicti Rammerici, sub eodem imperatore. Priorum tantum nomina, non gesta sciuntur; credo propter annorum[98] paucitatem aut commemorationem non multo utilem. Tertius quis fuerit, gesta docent; fuit enim multæ nobilitatis et regiæ affinitatis. Erat quippe Carolo ex patruo nepos, sicut elucet[99] in pariete turris ecclesiæ sancti Quintini in Augusta Viromandorum — nam id quoque monasterium rexerat — sculptis, in hunc modum se[100] habentibus :

Cum denis lustris ternos minus inclitus annos
  Rex ageret Carolus, sceptra[101] tenendo pia,
Rebus et humanis exemptus culmina regni
  Linqueret ingentis[102] rex Ludovice, tibi
Condere cœpit opus hujus venerabilis aulæ[103],
  Abbas Fulradus nobilitate cluens.
Namque huic Hieronymus, Carolus pater extitit illi,
  Qui propriæ specimen gentis ad alta tulit,
Bella gerens, pacemque tuens, qui culmina regni
  Ad prolem misit auxiliante Deo.

10. Hiis diebus lucernam suam Dominus, quam justificando igniverat, ignitam beatificaverat, beatificatam miraculis declaraverat, nolens diutius delitescere, sed ad majorem venerationem cunctis hominibus propalare[104], prædicti abbatis cor tetigit, et[105] ut sancti et venerandi et cum omni amore nominandi Ursmari corpus[106] de sepulcro elevaret, accendit. Quæ elevatio facta est jussu et permissu ejus qui tunc erat Cameracensis episcopus (71), agentibus[107] clericis utriusque ordinis, cum frequentia populi magna. Expletaque elevatione, diem illam festivam duxere[108], nobisque et posteris celebrem esse sanxere. Facta est autem hæc elevatio anno Domini 823, ab ipsius vero sancti[109] non dicam obitu sed natalitio, quo vivere[110] cœpit cum Christo, decimo post centum exacto. Abhinc ergo cœpit beati viri celebris fama crebrescere, et confluentibus languentium turmis ad diversa sanitatum genera miraculis coruscare. Quæ multa prædecessorum nostrorum seu ignavia seu imperitia ad tempus jacuerunt, et[111] studia litterarum sunt prætermissa; nos ea quæ vidimus aut audivimus, excellentiora[112] tantum notantes, suis in locis ponemus, et hoc faciemus ordine servato, cum Deo donante ad nostri temporis fæcem pervenerimus.

11. Decessit autem prædictus abbas triennio post præfatam elevationem (826), relinquens post se Ecgardum[113] abbatem. Cujus tempore ordinatio prima facta est in monasterio nostro, agente Theoderico Cameracensi pontifice, adhuc Ludovico imperatore superstite.

12. Ex hoc rebus humanis exempto, Habertus de Corbeia abbas asciscitur (835), vir bonus et multum laudatus, et ob id ad hoc a supradicto imperatore promotus. Erat enim religioni studens, et in construendis sive[114] exornandis rebus operam dans. Testatur campana percelebris ejus jussu facta et ecclesiæ nostræ donata, in qua sunt versus, qui abbatem[115] et factorem, vel ad quid facta sit, quasi ipsa de se loquente, hoc modo manifestant :

Haberti imperio componor ab arte Paterni,
Nec Musis docta, en cantus modulabor amœnos,
Nocte dieque vigil depromam carmina Christo.

Temptavit et idem abbas aquæductum a foreste ducere, ardua montium sulcans, ad competentem nutum in usum molendinorum, sed perficere non potuit opus præposterum et sero inchoatum[116] (72). Nam pervasa est abbatia illa hostiliter ab[117] Hucberto[118] (73) Deo et sanctis odibili. Qui ubi rerum summa[119] potitus est (864), expulso Harberto et Corbeiam reverso, omnem abbatiam illico partitur in re militari, delegans[120] victui fratrum villulas, et eas parvi redditus, ut placuit delegatori. Efficitur ad hæc uxorius, liberos procreans, et ad suæ damnationis cumulum nil sibi clericale præter tonsuram præferens[121]. Fuit enim tantæ perversitatis, ut vulgo fertur, ut ipsam[122] etiam evangelicæ veritatis majestatem quantum ad se non horruerit infamare, dicens illud quod scriptum est a[123] Domino, dicente : *Omnis qui se exaltat humiliabitur*, etc. (*Luc.* XIV, 11), non constare, pro eo[124] quod si ipse se tantum humiliaret quantum exaltaverat, numquam eum fuisse, ut tunc erat, tam præducem, immo abjectissimum omnibus et vilem. O linguam particulatim concidendam et canibus aut avibus projiciendam ! Ignoravit forsitan miser, aut sciens misere desipuit, quod talis ut sua, licet[125] permittente Deo, exaltatio, æternalis sit casus et abjectio : sicut imprecatur vel potius prophetat David in psalmo : *Deus meus*, inquiens, *pone illos ut rotam et sicut stipulam ante faciem venti* (*Psal.* LXXXII, 14). Rotam quippe videmus inferius[126] elevari, sed inante corruere, et unde inchoat ascensum, inde ibi patitur casum. Stipula autem quo altius vento raptatur, eo[127] gravius mergitur. Expertus est et ipse in se Dei super hoc vindictam. Nam ipsa die, qua hæc nauseabat vel latrabat, confligens in acie cum Conrado[128] Ræticarum vel Jurensium[129] partium duce, primum lingua blasphema transfossus, ad ultimum interfectus est (74) et hunc quidem necis finem blasphemus habere dignus

VARIÆ LECTIONES.

[97] fulradum 2. [98] *deest* 1. [99] relucet 2. [100] *deest* 2. [101] septra 2. [102] ingentes 1 ? 2. [103] aula 1 ? 2. [104] probare 2. [105] *deest* 1. 2. [106] *deest* 2. [107] agentis 2. [108] d. n. et p. c. esse *desunt* 2. [109] viri 2. [110] vere *ante* vivere *deletum* in 2. [111] *deest* 2. [112] excellentia 2. [113] ergardum 1 ? 2. eggardum *ed.* egardum *Ann. Laub.* [114] et 2. [115] habentur 1. [116] inquoatum *corr.* inchoatum 2. [117] a 1 ? 2. [118] huberto *corr.* hucberto 2. [119] *deest* 2. [120] delegatis 1 ? 2. [121] reservans 2. [122] *deest* 2. [123] ubi 2. [124] *superscr.* 2. [125] *deest* 1. [126] v. in altum 2. [127] *deest* 1. [128] cotra 1. cotrado 2. [129] virehensium 1 ? 2.

NOTÆ.

(71) Halitgarii.
(72) Einhardi verba in vita Karoli c. 25.
(73) Fratre Thietbirgæ uxoris Hlotharii II.
(74) Cf. Regionem et Ann. Xantenses a. 866, Hincmari Ann. a. 864.

fuit. Fuit autem hic tempore quatuor fratrum regum [130] de regno Francorum concertantium, vel tempore Lotharii [131] imperatoris, qui patrem domnum Ludovicum in carcerem retruserat, et postea Prumia monasterio monachus factus est.

13. Jam vero postea a Lothario rege, filio jam dicti imperatoris Lotharii, cœpit idem locus reparari [132] et per Johannem Cameracensem episcopum vel Hugonem quendam tam possessionibus quam et habitatoribus per ejusdem regis jussum non mediocriter redintegari. Is sane ille Lotharius, qui pro regina repudiata et Waldrada superducta Romæ fuerat excommunicatus, qua petente et rege concedente, fiscum Hum (75) dictum ecclesia nostra meruit habere. Erant autem ibi ædificia quamplura, ob quæ ibi illa plurimum morabatur, visitante se rege copula illicita. Quarto decimo igitur regni sui [133] anno (868) redditus villarum nostrarum describere jussit, quod polipticum vocant. Facta est autem hæc descriptio a Johanne episcopo prænominato.

14. Post hæc fratribus in quatuor tetrarchiis Franciæ regnantibus tam ipsis quam filiis eorum defunctis, solus domnus Carolus superfuit, quem bonus Johannes papa in imperatorem benedixit. Qui sicut etiam [134] aliis multis locis, ita Laubiensi. monasterio multa bona et præstitit et reddidit. Sed et Carlomannum filium suum eidem loco abbatem instituit (870).

15. Cui (76) in regimine successit [135] domnus Franco tempore Ludovici (885), vel dicti Caroli imperatoris filii. Qui Eranco multæ nobilitatis et palatinis studiis instructus extitit; unde et plura monasterio nostro acquisivit. Sunt qui monasterium Anthonium dictum (77), tunc puellarum, nunc canonicorum, ejus tempore nostrum effectum dicunt; licet sint alii, qui antiquitati hoc attribuant, sed ante alienatum, sub eo receptum esse [136]. Igitur Ludovico quarto regni sui anno defuncto, Francis in diversa tendentibus facto interregno per 18 annos, Conrado [137], Radulpho, Odone et Roberto in occidente regnantibus [138], cum Arnulphus, rex Noricorum, australis Franciæ rex ascisceretur, jam dictus Franco ad opus ecclesiæ Leodiensis supradictam abbatiam petiit (889, *Nov.* 15), et consentientibus fratribus impetravit, facta prius convenientia, ut medietas abbatiæ fratribus inibi regulariter militantibus in usu communi deserviret, aliam episcopus sibi et militantibus manciparet. Additur præterea, ut decimæ omnes indominicatæ [139] ad portam monasterii [140] in usus pauperum sint et peregrinorum, et ut dies anniversarius Carlomanni regis, cujus quidem Arnulphus erat filius, annuatim esset recensitus, præparato ad id opus ab episcopo competenti obsonio [141] quod præceptum regale volumus intexere :

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Arnulphus rex, etc [142].

16. Interea vacillante rerum statu, et regum naturalium, sicut ante diximus, qui apud Francos semper hæreditati habebantur, deficiente successione, pro eo quod Ludovicus supradictus, quem propter brevitatem regnandi nichil fecisse dicunt, Carolum filium vix bimum [143] (78) reliquisset, gens quædam aquilonaris [144], de qua forte dictum est : *Ab aquilone pandetur omne malum*, quam plerique Northalbincos [145], alii usitatius Northmannos vocant, pyraticam agens, novo et inaudito retro ante temporibus modo Franciam est aggressa; quæ maria primum occupans, demum hostia fluminum [146], quæ Franciam alluunt, est ingressa; subinde restans, subinde progrediens; ubi resistentem vidit neminem, quaqua versum sibi libitum visum est, ferebatur. Qui videlicet Northmanni per quatuor nobilissima flumina, Renum et Scalt ab oriente, Secanam et Ligerim ab occidente, Franciam ingressi, incendiis [147] et rapinis omnia depopulantur, nulli [148] sexui vel ætati parcentes, captivos abducunt; ipsa etiam altaria paganis manibus profanantes. Quorum metu plura sanctorum corpora, et optima quæque ad tutiora loca deportantur. Sed nostrorum patronorum non necesse fuit longius asportari, quoniam adjacens Thudinii castrum (79), idque nobis [149] proprium et munitissimum, fecerat affluentes indempnes haberi; villarum vero longe positarum erat multi exterminii desolatio. Hysa (80) nunc fluvii nomen est, qui antiquitus Hysara (81) dicebatur. De quo ita meminit Lucanus (82) in bellis civilibus :

> Hii vada liquerunt Hysaræ, qui gurgite ductus
> Per tam multa suo, famæ majoris [150] in amnem
> Lapsus, in æquoreas nomen non pertulit undas.

Influit enim in Secanam. Per quam Northmanni in illo delati, licet in illis partibus cuncta depopularentur, plurimum [151] tamen illi, qui littora Scaldi insederant, debacchabantur, quouiam gratissima

VARIÆ LECTIONES

[130] *deest* 2, [131] clotharii 1. [132] recuperari 1 ? 2. [133] *deest* 2. [134] *deest* 2. [135] sucessit 2. [136] *deest* 1. 37 *ita codd.* [138] *deest* 1. [139] intruncatæ 1. indecimatæ 2. [140] *deest* 1. [141] opsonio *corr.* obsonio 2. [142] *horta deest in codd. v. eam in Mirai Opp. I*, 650, *Diplomatibus nostris inserendam.* [143] *ita Dach.* unum *ut* *idetur* 2. *de* 1. *non constat.* [144] acquilonaris 1 ? 2. [145] northalbrincos 2. [146] *deest* 2. [147] incedentes 1 ? 2. [148] nil 1. [149] *deest* 2. [150] mevoris 2. [151] plurimam 1. plurima 2.

NOTÆ.

(75) Fortasse Ham, a meridie Marchiennæ.

(76) Omittit auctor, Karlomanno a. 873 cæcato, a. 883 Hugonem abbatem suffectum; v. Ann. Laubienses a. 873.

(77) Antoin ad Scaldim dioc. Tornacensis.

(78) Cf. Richer. I, 4.

(79) Thuin, cf. Reginonem a 879.

(80) Cf. Annal. a. 881, 884, 885.

(81) Oise.

(82) Lib. I, 399-401.

statio navium, sive ad hyemandum sive ad quodlibet A belli periculum declinandum, illic eos fecerat esse continuos. Singulphi villa nomen est fundi. Is nostræ ecclesiæ servit, et in eo memoria sancti Ursmari et sancti Petri, in qua tunc duodecim canonicorum habebatur conventus. Memini me et nostrorum plerosque hominem [152] illorum temporum vidisse, qui utrum [153] alio nomine vocaretur, a nobis non multo quæsitum, affectu tamen, ut putatur, patronali [154] a puero « bruoderchin (83) » vocabatur, quem nos etsi minus latine possumus nominare fraterculum, qui eosdem vidisse se et cognovisse, et quod præpositus eorum Sparnarius [155] dictus sit, testabatur. Qui locus a Northmannis ita destructus est, ut remanerent in eo vix maceriarum ruinæ. Similiter et cetera ecclesiæ nostræ predia, quæ apud Brabantum erant profusiora, hoc tempore exhausta sunt et exinanita.

17. Tali ergo modo turbata ecclesiæ pace, et firmamento [156] regni posito in formidine, Franco prædictus episcopus, coactus justa, quantum ad sæculares, et vere necessaria bella suscipere, accito sibi Reginerio quodam, quem Longumcollum vocant, viro strennuo et in bellicis rebus exercitato, hii frequenter in acie confligentes, perraro victi, multoties extitere victores. Nec cessatum est, donec [157] peste attrito [158] rege eorum Godefrido ad fidem Christi converso et baptisato, nec multo post interfecto, pax [159] ecclesiæ redditur (885). Post hæc Franco episcopus, sciens illicitum esse, quemquam sanguineis manibus C sancta tractare, mittit Romam Bericonem Leodiensem clericum, et Theuterum Lobbiensem monachum, quos ordinari episcopos, qui vicem suam suppleant [160], oravit et exoravit. Quibus jam factis episcopis parochiam suam gubernandam commisit, ipse de reliquo in pace et ocio [161] consenuit, vita discedens, postquam in episcopatu plus quam quinquaginta perageret [162] annos.

18. (901) Hunc Stephanus sequitur, vir litterarum et, quantum ad canonicos, religioni studens. Hic (84) passionem beati [163] Lamberti impolito [164] digestam stilo urbanius elucidavit, et armoniam ex ea dulcissimam melodiæ, quæ celebris habetur, composuit. Fecit et libellum quendam ex plurimis divinorum librorum [165] flosculis decerptis, in D quo singularum in anno festivitatum capitula cum collectis et versibus utili commento [166] congessit. In cujus libelli præfatione ostendit, se Mediomatricæ, quæ nunc Mettis dicitur, a puero educatum fuisse. Nam Roberto, ejusdem sedis episcopo, eundem libellum legendum misit et comprobandum. Hujus episcopi aliqui etiam nostra ætate meminerunt. Hujus quoque tempore dedicatur ecclesia nostra ab ipso evocato ad id opus, et conjuncto sibi Dodilone Cameracensi episcopo; quod in basibus columnarum, quis quam partem dedicaverit, in promptu est cernere. Hanc ergo novellam dedicationem, ne forte iterata aut antea infecta fuerit, si quis requirit, paucis absolvemus. Ecclesiam priorem, si meminit lector prudens, sub Pippino principe a sancto Ursmaro factam [167] jam supra diximus (82), diemque dedicationis ejus v Kalendas Septembris B annotavimus. Quæ, crescente copia rerum per munificentiam regum seu ceterorum fidelium, quia loci nobilitati parva et minus apta videbatur, destructa et funditus eversa est, et ista quæ nunc est elegantioris formæ et speciei ædificata. Quæ ad id opus columnis undecumque corrasis, cum basibus et epistiliis seu ceteris latomorum vel cementariorum disciplinis pro moduli sui quantitate omnibus circum se positis est incomparabilis, quod quia occulata, ut aiunt, probatur fide, hæc hic satis sit tetigisse. Auctorem autem ejus, sive rex fuerit ille sive abbas, id nescimus. Si quis improperat, antiquitati quæ de his siluit, non nobis, succensat.

19. Isto quoque mortuo et in ecclesia sancti Lamberti sepulto (920), turbatur rursus ecclesia de antistite substituendo. Nam (86) pars una Hilduinum, ejusdem ecclesiæ clericum sibi possebat episcopum, favente [168] sibi [169] ad hoc Gisleberto [170] Lothariensi duce, qui floccipendens regiam majestatem, regni sibi usurpaverat summam; alia Richarium [171] Prumiæ abbatem, donec et consensu Caroli regis expetitum. Qui videlicet Carolus, facto, ut dictum est, interregno regnum quorundam interregnantium, a Fulcone archiepiscopo Remis evocatus et consecratus paternoque regno est restitutus. Quam ordinationem novellam suis quippe in partibus dedignantes, partim, ut est ingenium hominum, spe acquirendi gratiam novi regis sibi reconciliabant, partim obfirmato supercilio per se suis principabantur. Ex quibus Gislebertus unus erat, qui tunc Lothariensem ducatum agebat [172]. Quo jubente, immo extorquente potius et urgente, consecratur Hilduinus episcopus ab Herimanno Aggrippinæ sedis archipræsule, novo et inusitato genere, absque regis et

VARIÆ LECTIONES.

[152] *deest* 2. [153] utrumque 1 ? 2. [154] matronali 2. [155] sponnarius 2. [156] firmamenti 1. [157] docnec *corr.* donec 2. [158] attrita 2. [159] p. christi 2. [160] supplerent 2. [161] ocyio *corr.* ocio 2. [162] ageret 2. [163] divi 2. [164] impolitam 1 ? 2. [165] libris 1 ? 2. [166] utilis coto 2. *De* 1. *non constat.* [167] *deest* 1, 2. [168] faciente 1 ? 2. [169] *deest* 2. [170] *ita Ann. Lobienses.* gillaberto 2. *sic et infra.* [171] riccarium *corr.* richarium 2. [172] gerebat 2.

NOTÆ.

(83) *Bruderchen.*
(84) Cf. Hist. litt. V, 170-172.
(85) Cap. 4.
(86) Cf. Flodoardi Ann. a. 920.

procerum regni sanctione. Quapropter mittuntur a clero alterius partis ad apostolicam sedem litteræ conquerentes [173] de his. Johannes tunc apostolicæ cathedræ præsidebat, qui ordinatorem et ordinatum et tertium regis [174] auctoritate designatum, Romam ut venirent, missis epistolis jubet. Quid plura? Veniunt, archiepiscopo valitudine detento. Hilduinus [175], incertum qua factione, judicium subterfugit. Ubi cognoscitur, Richario acclamatur, eligitur, producitur, et ab ipso summo pontifice pontifex [176] ordinatur et consecratur, donato sibi omnium prædecessorum suorum soli archiepiscopali pallio, et equo apostolico more ad procedendum strato. Tali ergo et tanto cum privilegio Gallias [177] reversus (922), contrariæ partis dissidium diremit [178], et solus in Leodiensis [179] ecclesiæ fascibus resedit. De quo satis ad dicendum [illegible] esset [180], quam amabilis omnibus, quam munificus, quam in exornandis sive construendis ecclesiæ rebus fuerit assiduus. Solum erga [181] monachicam [182] vitam minus fuerat cautus, et hoc in eo mirandum, qui a puero monachico lacte nutritus, monachicis ferulis edoctus, monachicis institutionibus fuerat assuefactus. Nam sub eo apud nos omnia fuere venalia. Siquidem annua, non dicam obedientiæ, quod quidem regulare est, sed ministeriorum commutatio, eorundemque dura coemtio, quicquid apud nos optimum erat, exhauserat, reliquum parasitorum turba abligurierat [183]. Sed cetera ejusdem episcopi bene gesta et animus civilis hanc infamiam obvelaverant, eumque omnibus gentibus summum effecerant. Qui [184] postquam in episcopatu 22 annos peregisset [185], in ecclesia sancti Petri Leodiensis, quam ipse construxit, tumulatus quiescit.

Floruerunt his temporibus apud nos studia litterarum, quibus ediscendts operam dantes opinatissimi [186] fuerunt Scaminus [187], Theoduinus, et perspicacissimus horum Ratherius: qui videlicet Ratherius partibus Hilduini favens, illi inseparabiliter adhæsit. Hilduinus enim fraudatus Leodiensi episcopio [188], ab Hugone rege Italiæ, apud quem fecerat confugium [189], usu stipendiario promeruerat (928) Veronensem [illegible], quod ubi [illegible] [190] [illegible] Ratherius Veronensibus daretur episcopus (732, *Aug.*); quid quantumque [illegible] in episcopatu illo pertulerit adversitates, ex ipsius scripto lector melius scire poterit, in epistola, quam summo pontifici [illegible] [illegible] de [illegible].

20 [illegible]. In illo autem quo se Ratherius [illegible] positum dixit exilio (935), vacans episcopio, edidit librum quem appellavit [illegible] (937) cui et talem præposuit titulum: *[illegible] cujusdam Ratherii [illegible] quidem episcopi, sed Lobiensis monachi, quas in sex digestas [196] scedulis, volumen censuit appellari præloquiorum, quod vocatur Agonisticum.* Quem librum ad legendum sive ad probandum eruditissimis quos noverat misit (90), Sobboni videlicet et Widoni [197] archiepiscopis (91), Godescalco (92) et Aurelio præsulibus, necnon et [198] Brunoni et Rotberto Galliarum archiepiscopis (93) nobilissimis et in philosophicis [199] studiis eruditissimis, ad extremum Flodoardo Remensi, missis una usque epistolis, quæ continentur in ecclesiæ nostræ scriniis (937). Libellum etiam vitæ sancti Ursmari, cum Cumis exularet (939), ibi repperit, quem solecismis refertissimum emendavit, nobisque transmisit (94). Postea cum in ea parte Burgundiæ (940), quæ Provincia dicitur, mansitaret, filium cujusdam viri ditissimi, nomine Rocstagnum, ad imbuendum litteris postulatus recepit, ad quem librum de arte grammatica conscripsit, quem librum gentilicio loquendi more Sparadorsum (95) vocavit, pro [200] eo quod qui illum in scholis assuesceret puerulus, dorsum a flagris servare posset. Ob quæ ei ibi episcopatus (96) datus est; quem relinquens Lobias [201] revertitur. Richarius tunc [202] adhuc supererat (944), a quo favorabiliter receptus, Lobiis est habitare permissus; nec multo post Richarius decessit [203].

21. (945) Post (97) quem Ogo [204], ex monasterio sancti Maximini [205] Treverensis abbas et monachus, pontifex est subrogatus; qui vix duobus annis ex-

VARIÆ LECTIONES.

[173] conquirentes 1? 2 [174] o. inscium regis 2. [175] Hylduinus *corr.* Hilduinus 2. [176] p. o. et *desunt* 1. [177] gallii 1. [178] dirimit 1? 2. [179] leodiensibus 1. [180] est q.; 2. [181] ergo 1? 2. [182] monasticam 2. [183] *super.* [183] abligaverat 1. [184] *deest* 2. [185] peregit 2. [186] oppinatissimi 2. [187] Scaminus 1. [188] episcopatu 2. [189] quem confugerat 2. [190] meruerat veronensem episcopatum 2. [191] quas 2. [192] et u. p. *desunt.* 2. [193] *caput hoc in 2. sequenti subjicitur, sed antepomendum esse ex ordine [illegible] et sententiarum [illegible] patet.* [194] *deest* 1. [195] *deest* 1. 2. [196] *ita corrigo ex Ratherio; quamvis ex [illegible] codd. et edd.* [197] muedoni 2. [198] *deest* 2. [199] philosophia 1. phisicis 2. [200] *deest* 2. [201] lobias 1. [202] *deest* 1, [203] *Dach. addit*: postquam in episcopatu 22 annos peregit, et in ecclesia sancti Petri quam construxerat in Leodio tumulatus quiescit. [204] hugo 2. [205] maximi 2.

NOTÆ.

(87) Joanni XII aut Agapito.

(88) V. Rath. Opp. ed. Ballerinis p. 557.

(89) Editus ex autographo Lobiensi in Martene [illegible] I. IX, 786-964. Rath. Opera. p. 9. Cf. Liudpr. III, [illegible]

(90) Epistola ad Æidonem, Sobbonem, Godescalcum et Aurelium prodiit apud Martene l. c. p. 965. Rath. Op. p. 524; aliæ ad Robertum, Brunonem archiepiscopos, Op. p. 527, 529. Quæ ad Flodoardum directa erat, desideratur.

(91) Viennensi et Lugdunensi.

(92) Fortasse Aniciensi.

(93) Coloniensi et Treverensi.

(94) Opera p. 195.

(95) Germanicum sparen est servare: igitur liber quo adhibito dorso parcitur. Opus haud amplius adstare videtur; cf. Rath. Op. Præf. p. XIV.

(96) De hac re nihil constat; episcopatus et nonnisi oblatus esse videtur; v. Ratherii Vita, Cf. p. LVI.

(97) Cf. Ann. Lobienses et Flod. a. 945.

ctis defunctus (947), Farabertum, item Prumiæ abbatem, antistitii sui reliquit heredem. Rursus sub eo, ut pridem sub Richario, apud nos cuncta fuerunt venalia, adeo ut locus idem a parasitis Argentea diceretur vallis. Tunc corona illa regalis aurea [206], hactenus artius deplorata [207], miri operis et non minimi ponderis, confracta pro libitu [208] et dilapidata, gemmæ ejus pessumdatæ mirifice et ab oculis subduciæ sunt. Et hoc ducebatur pro nihilo, tantum ut potiretur emens annuali ministerio: eoque quis dicebatur sanctior, quo ad dandum profusior, eo utilissimus, quo veracissimus [209]. Sed de [210] his nihil nostra interest, videat [211] qui fecit!

22. Ottho, tunc potentissimus rex australis, et subactæ Italiæ tunc imperitahat; cujus frater Brunp (98) unicum et singulare in Christi ecclesia decus futurum, velut pretiosissimus lapis multiplicibus philosophorum pollebat argumentis (952). Advocatur Ratherius (99), et habetur, inter palatinos philosophos primus. Quid multa? Non destitit, donec regiam illam et mirificam indolem in omnibus disciplinis perspicacissimam redderet et perfectam. Quod cernens regum tunc [212] maximus, eum a scholis cum tanto honore ut, per erat, evocavit, et in suggestum Caloniensis ecclesiæ post Wicfridum [213], qui nuper decesserat, omnibus acclamantibus et gaudentibus, intronizavit. Ubi quomodo vixerit, quomodo docuerit, vel quid fecerit, qualiter pro pace ecclesiarum Dei se ipsum impenderit, quam in ecclesiis sive ampliandis sive restaurandis [214], quam in privatis et [215] publicis ædificiis componendis, quam in ordinandis domi militiæque, quam sanctæ [216] Dei eeclesiæ rebus sollicitus fuerit, actu est admirabile, dictu laudabile.

23. (953) Contigit eo tempore Leodiensem cathedram vacare, Faraberto decedente; cui in emolumentum prioris magisterii magna (100) Brunonis industria Ratherius est incardinatus. Quod quidem propter habundantem doctrinam et eloquentiam copiosam, qua inter sapientissimos [217] florere visus est, non eidem solum [218] ecclesiæ cui præfuit, sed et multis aliis circumquaque valde proficuum fore putatum est. Simul quia in illis partibus per zelum et contentionem, unde fieri solet inconstantia et omne opus pravum, quidam etiam sacerdotes Domini, plerumque, quod nefas est dictu, terrenæ plus justo confisi

A potentiæ, populum imperitum scandalizabant, sæpe dictus et sæpe dicendus domnus Bruno, cui jam totius regni dispensandi cura imminebat, ratus id quod verum fuit, hunc ejectum antehac et neglectum hoc tanto beneficio ad illud fidei et veritatis fœdus adduci, ut a nemine posset seduci, ita demum os loquentium inimica [219] obstruere se posse credidit, si uulla occasio scandali posset in eorum episcopo reperiri. Sed ad sui perniciem pars sinistra prævaluit; quicquid pro salute eorum gestum est, hoc sibi pestiferum æstimabant. Quid multa? Erratum est, sævitum [220] est, nec cessatum est, donec expulsione ejus crudelitati suæ et nequitiæ satisfacerent. Ablata est omnis spes restitutionis ejus (954, *Dec.* 25). Nam cum apud nos nativitatem Domini

B festive et opipare celebraret, facta est in Leodio [221] contra eum gravissima conspiratio, quæ nisi et hic penitus amoveretur, et in eundem locum Baldricus, qui erat de magnatorum terræ illius prosapia oriundus, subrogaretur, sedari visa est non posse. Ad hanc sentinam [222] tempestates undique innumeræ confluxerunt; navis ecclesiæ laborante remige fluctuavit; gubernator ipse procellosæ tempestatis impetum ferre non potuit. Cessit igitur; cessit [223], ne vinceretur a malo, sed vinceret in bono malum; cessit adversantium voluntati, ut suo eos gladio jugularet sibi. Obstricti sunt sacramentorum fide spontanei [224], ut si accipere mererentur episcopum quem petebant, invicta exinde firmitate auctoritatem ecclesiæ et jus imperatori tuerentur (955).

24. (957) Exacto igitur in hac destitutione sua

C Ratherius ferme biennio (101), deficiente ab eo militari copia, Italiam revertitur; ac ne quid in ejusmodi negotio imperfectum restaret, quod curiosis alienarum rerum investigatoribus [225] (scrupulum [226]) commoveret, cum imperatore [227] germano suo prædictus Bruno id effecit (961), ut eidem jam bis destituto antiqua sedes Veronensis ecclesiæ redderetur [228]. Scripsit per idem tempus librum (955), quem appellavit Frenesim (102), eo quod quasi freneticus nimis austere [229] et ultra modum in Baldricum [230] inveheretur. Scripsit et alium quem appellavit Perpendiculum (103), necnon et alium quem appellavit Sirmam (104), in quo in eundem Baldricum invehitur, pervasorem [231], ut ipse nominat, suum.

D Est et ejusdem libellus [232] contra anthropomorphi-

VARIÆ LECTIONES.

[206] argentea 1. [207] decorata 1. [208] libito 2. [209] *ita edd.* — eo utimus quo veracissimus 1. eo deterior quo veracior 3 [210] *deest* 2. [211] ipse viderit 2. [212] suo tempore 2. [213] wifridum 1? 2. [214] restitueudis 2. [215] vel 2. [216] suæ 2. [217] doctissimos 2. [218] soli 1? 2. [219] iniqua 1. [220] sed vitum 1. [221] est leodii 2. [222] sententiam 1? 2. [223] *deest* 1? 2. [224] spontanea 2. [225] investigationibus 1. [226] *deest* 1. 2. [227] ipso 1. [228] restitueretur 2. [229] abjiceretur 2. [230] brunonem 1. [231] invasorem 2. [232] liber 2.

NOTÆ.

(98) Cf. Ruotgeri vitam Brunonis c. 5, 6.

(99) Qui anno 948 iterum a sede Veronensi expulsus erat.

(100) Totum hoc caput paucis exceptis ex Ruotgeri Vita Brunonis cap. 38 repetitum est.

(101) Hoc falsum esse probarunt Ballerini Rath. Op. p. CVI sqq. Ratherius non ante a. 961, Veronam rediit.

(102) Opera p. 217.

(103) Liber alias incognitus.

(104) Sive Couclusio deliberativa; v. Opera p. 203.

tas [233] (105), qui Deum, hoc est ipsam [illegible] deitatem, per membrorum lineamenta depingerent [234]. Synodica quoque ejus ad diocesanos presbyteros (106), et conjectura vitæ ejus (107), itinerarium quoque ejus Romam pergentis (108), sed et sermones quam plures, in pascha scilicet, et in [235] cœna Domini, et in ascensione Domini, et die penthecostes, necnon festivitatem [236] sanctæ Mariæ, et alia quam plura (109).

25. Gens [237] quædam ripam insidet [238] Danubii (954). Provinciam quam incolit Panoniam vocaverunt antiqui, Hungariam moderni; ex qua Hungri [239] venientes antea nobis sunt insita sibi et naturali barbarie comperti quam origine cogniti. Quorum insatiata crudelitas sub Henrico [240] rege transgressa terminos Marahensium [241], quos sibi non longe ante [242] impia usurpavit licentia, plerasque provincias regni ejus ferro [243] et igne longe lateque vastavit. Postea sub Ottone filio ejus, orta (110) est tempestas dissensionis [244], dormiente puto [245] Jesu in pectoribus vigilum ante fores domus Domini excubantium, ita ut quidam socii Sathanæ regem conarentur extinguere. Cassato [246] per Dei miserationem hoc per serpentinum sibilum [247] concepto consilio, nequitiæ suæ virus per totius regni ejus [248] viscera diffuderunt. Erat (111) in ea conjuratione princeps ipsius regis filius Liudulphus, spectabilis adolescens, et unice clarus, si [249] seductoribus minime [250] credidisset, et heres esse (954), non proditor, maluisset [251], et (112) cum eo quasi quidam stimulus Cono, dux paulo ante fortissimus; quibus, ut ita dicam, omnia erant in manibus; agendo ut plus haberent, sed ut nihil haberent [252] omnimodis effecerunt [253]. Hii Hungros, antiquam quam prædiximus pestem, sollicitaverunt, ut regnum in se ipsum divisum invaderent; arbitrantes, hoc modo sibi [254] se [illegible] premebatur, aut penitus adimi, aut aliquibus [illegible]. Hac (113) de re [255] sæva (114) Hungrorum gens, et qualem numquam [256] terra nostra sensit barbariem [257], a perversis illecta civibus [258], transitis Germaniæ et plerisque provintiis [259] Galliæ [illegible] Francorum populus insedit [261] omnia ferro et ignibus vastatura se totam infudit. In hac acie Cono prædictus [262] cum suis sequacibus militavit; sed (115) ubi Trajectum ventum est, quam Mosa alluit, incertum qua de causa ab eis descivit [263]. Hungri Hasbanium [264] ignibus et deprædatione [265] aggressi, Carbonariam petunt. Fama ad nos perlata, mittiur e collegio nostro Huchertus frater patiens laboris et fugitans quietis, et semet impendere paratus ob amorem loci et sanctæ religionis, pacisci cum illis. Facta pactione de solidis ducentis, revertitur post hæc, obsidibus ab eis acceptis. Sed nostri non satis creduli — quæ enim [266] fides est infideli? — munire Tudinium temptant, quod [267] Raginerus [268], suspectam [269] habens Leodiensem militiam, jam pridem destruxerat; sed misso [270] rursus milite, prohibiti sunt munitionem firmare [271]. Quid tunc agerent imminente hoste? Sublata itaque [272] spe Tudiniam potiundi [273], nullaque exstante fiducia in re militari — siquidem laudata illa et cunctis seculis prædicata Lothariensis [274] militia in Hungorum adventu justo Dei judicio hebetata, suis munitionibus passim tenebatur inclusa [275] — nostra quæ residua erat Deo dilecta monachorum turma et sibi satis fida ecclesia milicia [276] montem, ubi sanctorum corpora Ursmari [277] et Ermini venerantur, diu ante [278] deliberans scandit, et de Dei fisa adjutorio, cum plaustrorum vel qualiumcumque [279] surculorum vel sepium impedimentis cum [280] in modum munitionis cingit [281] agente [282] id ut credimus Deo, ut ostenderet, numquam deesse

VARIÆ LECTIONES.

[233] anthrophomorphitas *corr.* anthropomorphitas 2. [234] depingit, 1. [235] *deest* 2. [236] festivitate 2. [237] tunc temporis gens quædam, etc. Deinde sequitur Nos ut *omisso c.* 25, 2. *Eadem vero narratio extat in libro de miraculis S. Ursmari c.* 1., *cujus lectiones* 3, *significamus.* [238] G. q. r. ulteriorem i. D. provinciam incolens quam Pannoniam vocaverunt antiqui; ex 3. [239] hungari 1. *interdum.* [240] henrico 1. [241] marahentium 1. [242] antea 3 *Dach.* [243] ferro — filio *desunt* 1. [244] dissentionis 1? 2. *ita et infra*, orta tempestate facta est lisaensio regni 3. [245] credo 3. [246] sed cassato 3. [247] persequentium sibilo 1. [248] *deest* 3. [249] si se seductoribus 1. [250] non 3. [251] voluis et atque 3. [252] habuerunt 1. [253] omnimode effecerunt ut nihil haberent 3. [254] *deest* 3 [255] Hac ut dicere instituimus occasione 3. [256] *deest* 1. [257] barbariam 1. [258] illata 1. civibus illecta 3. [259] gallie provintiis 1. [260] *deest* 3. [261] insederat 3. [262] quem prædiximus 3. [263] desivit 1. qua factione ab eis dissidium fecit 3. [264] hasbaniam 3 *Dach.* [265] igne rapina 3. [266] q. e. vel qaanta f. esse potest i. 3. [267] quod non multo ante s.h. l.m. Raginerus destruxerat 3. [268] ragnerus 1. [269] suspecta 1. [270] sed ab eodem misso rursum 3. [271] restruere, Deo postea compertum est, maxime id agente, ut ostenderet non in homine sed in se et in sanctorum suorum patrocinio defensionem illos sperare debere. Sublata 3. [272] *deest* 1. [273] potiendi 1. potiundi et crebescente fama deprædationis et incendii 3. [274] lotharıensium m. i. d. i. in h. a. habetatas s. p. m. erat inclusa 3. [275] incla 1. [276] familia *Dach.* e. nostræ familia id quod verum est rata, quod numquam videlicet desit divinum ubi humanum cessat auxilium, montem 3. [377] u. et e. c. 3. [278] *deset* 3. [279] quorumcumque 3. [280] *deest* 3. [281] cingunt 1. [282] agente — auxilium *desunt* 3.

NOTÆ.

(105) Sermo a. 964 in quadragesima habitus extat Op. p. 581.
(106) Op. p. 409.
(107) Ibid. p. 373.
(108) Ibid. p. 437.
(109) Op. p. 578-645. Cf. ibidem Præf. p. vi sqq. Archiv. vii, 868-870.
(110) Ex Ruotgeri Vita Brunonis c. 10.
(111) Ex Ruotgero, c. 18.
(112) Ex Ruotgero c. 19.
(113) Ibid. c. 20.
(114) Ibid. c. 24.
(115) Hinc proprio Marte auctor pergit.

ctis defunctus (947), Farabertum, item Prumiæ abbatem, antistitii sui reliquit heredem. Rursus sub eo, ut pridem sub Richario, apud nos cuncta fuerunt venalia, adeo ut locus idem a parasitis Argentea diceretur vallis. Tunc corona illa regalis aurea [206], hactenus artius deplorata [207], miri operis et non minimi ponderis, confracta pro libitu [208] et dilapidata, gemmæ ejus pessumdatæ mirifice et ab oculis subduciæ sunt. Et hoc ducebatur pro nihilo, tantum ut potiretur emens annuali ministerio: eoque quis dicebatur sanctior, quo ad dandum profusior, eo utilissimus, quo veracissimus [209]. Sed de [210] his nihil nostra interest, videat [211] qui fecit!

22. Ottho, tunc potentissimus rex australis, et subactæ Italiæ tunc imperitahat; cujus frater Brunp (98) unicum et singulare in Christi ecclesia decus futurum, velut pretiosissimus lapis multiplicibus philosophorum pollebat argumentis (952). Advocatur Ratherius (99), et habetur, inter palatinos philosophos primus. Quid multa? Non destitit, donec regiam illam et mirificam indolem in omnibus disciplinis perspicacissimam redderet et perfectam. Quod cernens regum tunc [212] maximus, eum a scholis cum tanto honore ut, per erat, evocavit, et in suggestum Caloniensis ecclesiæ post Wicfridum [213], qui nuper decesserat, omnibus acclamantibus et gaudentibus, intronizavit. Ubi quomodo vixerit, quomodo docuerit, vel quid fecerit, qualiter pro pace ecclesiarum Dei se ipsum impenderit, quam in ecclesiis sive ampliandis sive restaurandis [214], quam in privatis et [215] publicis ædificiis componendis, quam in ordinandis domi militiæque, quam sanctæ [216] Dei eeclesiæ rebus sollicitus fuerit, actu est admirabile, dictu laudabile.

23. (953) Contigit eo tempore Leodiensem cathedram vacare, Faraberto decedente; cui in emolumentum prioris magisterii magna (100) Brunonis industria Ratherius est incardinatus. Quod quidem propter habundantem doctrinam et eloquentiam copiosam, qua inter sapientissimos [217] florere visus est, non eidem solum [218] ecclesiæ cui præfuit, sed et multis aliis circumquaque valde proficuum fore putatum est. Simul quia in illis partibus per zelum et contentionem, unde fieri solet inconstantia et omne opus pravum, quidam etiam sacerdotes Domini, plerumque, quod nefas est dictu, terrenæ plus justo confisi A potentiæ, populum imperitum scandalizabant, sæpe dictus et sæpe dicendus domnus Bruno, cui jam totius regni dispensandi cura imminebat, ratus id quod verum fuit, bunc ejectum antehac et neglectum hoc tanto beneficio ad illud fidei et verttatis fœdus adduci, ut a nemine posset seduci, ita demum os loquentium inimica [219] obstruere se posse credidit, si uulla occasio scandali posset in eorum episcopo reperiri. Sed ad sui perniciem pars sinistra prævaluit; quicquid pro salute eorum gestum est, hoc sibi pestiferum æstimabant. Quid multa? Erratum est, sævitum [220] est, nec cessatum est, donec expulsione ejus crudelitati suæ et nequitiæ satisfacerent. Ablata est omnis spes restitutionis ejus (954, *Dec.* 25). Nam cum apud nos nativitatem Domini B festive et opipare celebraret, facta est in Leodio [221] contra eum gravissima conspiratio, quæ nisi et hic penitus amoveretur, et in eundem locum Baldricus, qui erat de magnatorum terræ illius prosapia oriundus, subrogaretur, sedari visa est non posse. Ad hanc sentinam [222] tempestates undique innumeræ confluxerunt; navis ecclesiæ laborante remige fluctuavit; gubernator ipse procellosæ tempestatis impetum ferre non potuit. Cessit igitur; cessit [223], ne vinceretur a malo, sed vinceret in bono malum; cessit adversantium voluntati, ut suo eos gladio jugularet sibi. Obstricti sunt sacramentorum fide spontanei [224], ut si accipere mererentur episcopum quem petebant, invicta exinde firmitate auctoritatem ecclesiæ et jus imperatori tuerentur (955).

24. (957) Exacto igitur in hac destitutione sua C Ratherius ferme biennio (101), deficiente ab eo militari copia, Italiam revertitur; ac ne quid in ejusmodi negotio imperfectum restaret, quod curiosis alienarum rerum investigatoribus [225] (scrupulum [226]) commoveret, cum imperatore [227] germano suo prædictus Bruno id effecit (961), ut eidem jam bis destituto antiqua sedes Veronensis ecclesiæ redderetur [228]. Scripsit per idem tempus librum (955), quem appellavit Frenesim (102), eo quod quasi freneticus nimis austere [229] et ultra modum in Baldricum [230] inveheretur. Scripsit et alium quem appellavit Perpendiculum (103), necnon et alium quem appellavit Sirmam (104), in quo in eundem Baldricum invehitur, pervasorem [231], ut ipse nominat, suum. D Est et ejusdem libellus [232] contra anthropomorphi-

VARIÆ LECTIONES.

[206] argentea 1. [207] decorata 1. [208] libito 2. [209] *ita edd.* — eo utimus quo veracissimus 1. eo deterior quo veracior 3 [210] *deest* 2. [211] ipse viderit 2. [212] suo tempore 2. [213] wifridum 1? 2. [214] restitueudis 2. [215] vel 2. [216] suæ 2. [217] doctissimos 2. [218] soli 1? 2. [219] iniqua 1. [220] sed vitum 1. [221] est leodii 2. [222] sententiam 1? 2. [223] *deest* 1? 2. [224] spontanea 2. [225] investigationibus 1. [226] *deest* 1. 2. [227] ipso 1. [228] restitueretur 2. [229] abjiceretur 2. [230] brunonem 1. [231] invasorem 2. [232] liber 2.

NOTÆ.

(98) Cf. Ruotgeri vitam Brunonis c. 5, 6.

(99) Qui anno 948 iterum a sede Veronensi expulsus erat.

(100) Totum hoc caput paucis exceptis ex Ruotgeri Vita Brunonis cap. 38 repetitum est.

(101) Hoc falsum esse probarunt Ballerini Rath. Op. p. CVI sqq. Ratherius non ante a. 961, Veronam rediit.

(102) Opera p. 217.

(103) Liber alias incognitus.

(104) Sive Couclusio deliberativa; v. Opera p. 203.

tas [233] (105), qui Deum, hoc est ipsam [illegible] deitatem, per membrorum lineamenta depingerent [234]. Synodica quoque ejus ad diocesanos presbyteros (106), et conjectura vitæ ejus (107), itinerarium quoque ejus Romam pergentis (108), sed et sermones quam plures, in pascha scilicet, et in [235] cœna Domini, et in ascensione Domini, et de penthecostes, necnon festivitatem [236] sanctæ Mariæ, et alia quam plura (109).

25. Gens [237] quædam ripam insidet [238] Danubii (954). Provinciam quam incolit Pannoniam vocaverunt antiqui, Hungariam moderni: ex qua Hungri [239] venientes antea nobis sunt insita sibi et naturali barbarie comperti quam origine cogniti. Quorum insatiata crudelitas sub Henrico [240] rege transgressa terminos Marahensium [241], quos sibi non longe ante [242] impia usurpavit licentia, plerasque provincias regni ejus ferro [243] et igne longe lateque vastavit. Postea sub Ottone filio ejus, orta (110) est tempestas dissensionis [244], dormiente puto [245] Jesu in pectoribus vigilum ante fores domus Domini excubantium, ita ut quidam socii Sathanæ regem conarentur extinguere. Cassato [246] per Dei miserationem hoc per serpentinum sibilum [247] concepto consilio, nequitiæ suæ virus per totius regni ejus [248] viscera diffuderunt. Erat (111) in ea conjuratione princeps ipsius regis filius Liudulphus, spectabilis adolescens, et unice clarus, si [249] seductoribus minime [250] credidisset, et heres esse (954), non proditor, maluisset [251], et (112) cum eo quasi quidam stimulus Cono, dux paulo ante fortissimus; quibus, ut ita dicam, omnia erant in manibus; agendo ut plus haberent, sed ut nihil haberent [252] omnimodis effecerunt [253]. Hii Hungros, antiquam quam prædiximus pestem, sollicitaverunt, ut regnum in se ipsum divisum invaderent; arbitrantes, hoc modo sibi [254] [illegible] aut penitus adimi, aut aliquatenus [illegible]. Hac (113) de re [255] sæva (114) Hunnorum gens, et qualem numquam [256] terra nostra senserat barbariem [257], a perversis illecta civibus [258], [illegible] Germaniæ et plerasque provintias [259] Galliæ [illegible] Francorum populus [illegible] vastatura se totam infudit. In hac acie Cono prædictus [262] cum suis sequacibus militavit; sed (115) ubi Trajectum ventum est, quam Mosa alluit, incertum qua de causa ab eis descivit [263]. Hungri Hasbaniam [264] ignibus et deprædationibus [265] aggressi, Carbonariam petunt. Fama ad nos perlata, mittitur e collegio nostro Hucbertus frater patiens laboris et fugitans quietis, et semet [illegible] paratus ob amorem loci et sanctæ religionis, pacisci cum illis. Facta pactione de solidis ducentis, revertitur post hæc, obsidibus ab eis acceptis. Sed nostri non satis creduli — quæ enim [266] fides est infideli? — munire Tudinium temptant, quod [267] Raginerus [268], suspectam [269] habens Leodiensem militiam, jam pridem destruxerat; sed misso [270] rursus milite, prohibiti sunt munitionem firmare [271]. Quid tunc agerent imminente hoste? Sublata namque [272] spe Tudinium potiundi [273], nullaque exstante fiducia in [illegible] — siquidem laudata illa et cunctis seculis prædicata Lothariensis [274] militia in Hungorum adventu justo Dei judicio hebetata, suis munitionibus passim tenebatur inclusa [275] — nostra quæ residua erat Deo dilecta monachorum turma et sibi satis fida ecclesia milicia [276] montem, ubi sanctorum corpora Ursmari [277] et Ermini venerantur, diu ante [278] deliberans scandit, et de Dei fisa adjutorio, cum plaustrorum vel qualiumcumque [279] surculorum vel sepium impedimentis cum [280] in modum munitionis cingit [281] agente [282] id ut credimus Deo, ut ostenderet, numquam deesse

VARIÆ LECTIONES.

[233] anthrophomorphitas *corr.* anthropomorphitas 2. [234] depingit, 1. [235] *deest* 2. [236] festivitate 2. [237] tunc temporis gens quædam, etc. Deinde sequitur Nos ut *omisso c. 25, 2. [illegible] in libro de miraculis S. Ursmari c. 1., cujus lectiones 3, significamus.* [238] G. q. r. ulteriorem i. D. provinciam incolens quam Pannoniam vocaverunt antiqui; ex 3. [239] hungari 1. *interdum.* [240] henrico 1. [241] marahentium 1. [242] antea 3 *Dach.* [243] ferro — filio *desunt* 1. [244] dissentionis 1? 2. *ita et infra*, orta tempestate facta est [illegible] regni 3. [245] credo 3. [246] sed cassato 3. [247] persequentium sibilo 1. [248] *deest* 3. [249] si se seductoribus 1. [250] non 3. [251] voluis et atque 3. [252] habuerunt 1. [253] omni modo effecerunt ut nihil haberent 3. [254] *deest* 3 [255] Hac ut dicere instituimus occasione 3. [256] *deest 1.* [257] barbariam 1. [258] illata 1. civibus illecta 3. [259] gallie provintiis 1. [260] *deest* 3. [261] insederat 3 [262] quem prædiximus 3. [263] desivit 1. qua factione ab eis dissidium fecit 3. [264] hasbaniam 3 *Dach.* [265] igne rapina 3. [266] q. e. vel qaanta f. esse potest i. 3. [267] quod non multo ante s.h. l.m. Raginerus destruxerat 3. [268] ragnerus 1. [269] suspecta 1. [270] sed ab eodem misso rursum 3. [271] restruere, Deo postea compertum est, maxime id agente, ut ostenderet non in homine sed in se et in sanctorum suorum patrocinio defensionem illos sperare debere. Sublata 3. [272] *deest* 1. [273] potiendi 1. potiundi et crebescente fama deprædationis et incendii 3. [274] lothariensium m. i. d. i. in h. a. habetatas s. p. m. erat inclusa 3. [275] incla 1. [276] familia *Dach.* e. nostræ familia id quod verum est rata, quod numquam videlicet desit divinum ubi humanum cessat auxilium, montem 3. [377] u. et e. c. 3. [278] *deset* 3. [279] quorumcumque 3. [280] *deest* 3. [281] cingunt 1. [282] agente — auxilium *desunt* 3.

NOTÆ.

(105) Sermo a. 964 in quadragesima habitus extat Op. p. 581.
(106) Op. p. 409.
(107) Ibid. p. 373.
(108) Ibid. p. 437.
(109) Op. p. 578-645. Cf. ibidem Præf. p. VI sqq. Archiv. VII, 868-870.
(110) Ex Ruotgeri Vita Brunonis c. 10.
(111) Ex Ruotgero, c. 18.
(112) Ex Ruotgero c. 19.
(113) Ibid. c. 20.
(114) Ibid. c. 24.
(115) Hinc proprio Marte auctor pergit.

divinum, ubi humanum cessat auxilium. Jamque advenerat paschalium dierum sancta celebritas, et in completione octavarum ipsius, quæ erant tunc [283] IV Nonas Aprilis (*Apr.* 2), ecce [284] in exordio matutino subita [285] densaverat aer equorum nebula, et quasi de [286] abditis terræ finibus emergebant galearum [287] milia. Expavere [288] nostri, et mortem sibi præmeditarunt [289]. Qui agiliores erant [290], simulachrum, ut ita dicam, munitionis scandunt, immo vere futuram munitionem per sanctorum Dei intercessionem; qui [291] vero graviores erant ætate et impeditiores, substitere [292]; qui substiterant, capiuntur. Obsidentur alii [293]; obtruncantur in conspectu aspicientium duo de monachis Teutmarus et Theodulphus, reliqui captivitati [294] reservantur. Nulla erat inter obsessos et captos distantia, nisi quod secundum quendam [295] gravior est expectata quam illata mors. Interea urgentur obsessi, nec ulli telorum aut tormentorum parcitur generi. Nostri econtra [296], quia pro anima illis erat res, juncto sibi clericorum ipso etiam monachorum auxilio [297], quamvis illicitum sit huic ordini arma tractare [298], eniti obnixe. Jamque [299] hostibus irrumpentibus, jamque in mutuis amplexibus hærentibus, plerisque mortem sibi, plerisque deditionem pingentibus, ecce ex respectu miserantis [300] Dei, ex adytis [301] templi duæ [302] columbæ evolant, quæ terna circuitione acies obsidentium vallant. — Subsequitur [303] post hæc pluvia pergrandis, quæ gentiliciam illis sagittandi artem cordarum distentione frustravit. Metus [304] quoque ac terror tantus in eos irruit, ut maturarent fugam [305], et principes ipsi uterentur [306] flagellis [307] in eos qui volebant subsistere. Abducunt autem eos quos morti residuos ceperant [308]: ecclesia [309] sancti Pauli incensa, et ecclesia majori temptata sed miseratione Dei salvata. Thesaurum ecclesiæ et [310] optima quæque Theodulphus alius [311] ad munitionem quandam partim transportaverat, partim in ipsa [312] ecclesia terra obstruserat. Dictum postea est [313] et putatur [314] verum, quod a quodam capto pusillanimitate subdendi sit proditus: nam [315] effossus est et exportatus. Voverunt tunc omnes in commune, diem illum sibi et posteris festivum fore; et hæc est [316] celebratio [317], quæ in nostris martyrologiis inscribitur sic: *Quarto Nonas Aprilis commemoratio meritorum Ursmari et Ermini, quo meruerunt Lobienses* [318] *ab Hungrorum obsidione eripi.* Nec tacendum, quod hi [319], qui fuerant capti, in brevi revertuntur omnes [320] sani et læti (955). Nec [321] Hungros istud impune egisse passus est Deus. Nam cum (116) prope jam esset summa dies et ineluctabile tempus, quo Deus [322] omnipotens, propitius terræ populi sui, ultus sanguinem servorum suorum, vindictam retribuere [323] vellet in hostes eorum, aggravata est rursus [324] ultra modum et omnino intolerabiliter superbia ferocissimæ gentis Hungrorum, seducta, credo, superioris [325] anni successu. Siquidem, ut veracissime dictum est: *Ante ruinam exaltatur* [326] *cor* (*Prov.* XVI, 18), ibi [327] ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem. Prævenit imminentem [328] pressuram hanc ecclesiæ pax in placito [329] regali, quod in Arnestat habitum fuit, ex integra condicta, ex magna jam parte per imperatoris nostri (117) fratrumque ejus sapientiam [330] confirmata. Et revera tribubus et linguis innotuit, quia non est Deus dissensionis, sed pacis (*I. Cor.* XIV, 33), tanquam [331] ejus inicio operatus est salutem in populo suo. Imperatoris quidem spiritus agitabatur in ipso, quia non erat ei [332] tempus exercitum congregandi; sed fiduciam habuit per Christum ad Deum [333], qui potens est salvare in paucis sicut in multis. Aderat ibi Cono, non jam dux sed miles, toto, ut putabatur, animo conversus ad pacem, quam paulo ante atrociter impugnabat [334], cilicio membra domans, Deum gemitibus, ut fertur, exorans, ut si sic ejus sancta voluntas [335] existeret, permissa regi nostro (104) et exercitui ejus victoria, cum [336] ab impiis, quibus se prius male conjunxerat, permitteret [337] trucidari, ut possit in perpetuum ab eorum consortio liberari. Imperator indici sanxit [338] jejunium in ipsa quæ tunc

VARIÆ LECTIONES.

[283] *deest* 3. *Dach.* [284] e. subito 3. [285] *deest* 3. [286] ex 2 *Dach.* [287] loricarum et g. 3. [288] Expavescere 3. [289] præmeditari 3 *Dach.* [290] erant non dico munitionem sed sim. mun. s. immo veram m. 3. [291] Reliqui qui impeditiones erant ætate aut gravitate infra monasterii claustra substitere 3. [292] impeditores subsistere 1. [293] alii. nulla inter captos et obsessos distantia, nisi — mors. obtruncantur in aspectu aspiscientium Theodulphus et Theumarus qui inter captos visi sunt excellentiores, reliqui flagellati c. r. Interea 3. [294] captivi 1. [295] quædam 1. [296] e. pro viribus resistere et conglomerato plebium et clericorum 3. [297] agmine 3. [298] e. quoniam pro a. i. e. res 3. [299] jamque — pingentibus *leguntur in edit.; desunt* 1. Ubi eo ventum est, ut desperaretur omnino, tantum audiebatur : « kyrie eleyson » et « sante. Ursmore ad,uva, » more gentis usitato. Jam irruptionem timentibus, jam in mutuis osculis hærentibus, jam plerisque deditionem pangentibus 8. [300] miserationis 3. [301] abditis 1. [302] d. ex a. t. c. 3. [303] Subsecuta est illico pluvia prægrandis 3. [304] Pavor quoque ac timor 3. [305] fuge 1. [306] veterentur 1. [307] flagris 3 *Dach.* [308] quos infra ceperant 3. [309] Ecclesiam 1. Ecclesiam sancti Pauli et ambitum claustri ignis consumpserat, dormitorio illæso et monasterio temptato sed m. D. salvato 3. [310] et o. q. *desunt* 3. [311] a. partim secum ad m. q. t. 3. [312] in e. ne inveniretur terra 3. [313] *deest* 1. [314] putatum 1. [315] denique e. et e. est. In commemoratione autem tam mirificæ liberationis diem illam festivam sauxere sibi et posteris. Et hæc. [316] *deest* 1. [317] celebritas quæ ita i. in n. m. 3. [318] Lobienses 3. [319] etiam hi 3. [320] o. r. sani sunt 3. [321] Nec et ipsam gentem perfidam nequaquam p. est d. impune i. agere. Siquidem anno subsequente cum jam prope 3. [322] quo p. deus t. 3. [323] r. vellet v. 3. [324] *deest* 3. [325] a. s. 3. [326] exaltabatur 1. [327] et ibi 3. [328] immitem 1. i. b. p. 3. [329] beneplacito 1. [330] sapientia 1. [331] nam hujus 3. [332] *deest* 3. [333] dominum 3. [334] expugnabat 1. [335] s. v. ejus 3. [336] cum 1. [337] non p. 1. [338] 1. quippe indici sanxerat 1.

NOTÆ.

(116) Reliqua capitis ex Ruotgeri cap. 35 descripta sunt.

117 Ita Ruotgerum ad verbum exscribit!

erat vigilia sancti Laurentii martyris, per cujus interventum sibi populoque suo ipsum Deum perpendit esse refugium. Propositum [338*] suscepti operis negat [339] expedire bellum (104), prænuntiavit civitatis deducendo susceptum, vix dum vel pestifero crepusculo [340], Deo misericorditer desuper adstante et pro nobis pugnante, satis feliciter peractum [341], mirabiliter post victoriam Cononis interitum, gloriosissimum imperatoris triumphum, regem ipsum barbarorum, duces et principes captivos, trophæa [342] per totam regni [343] illius latitudinem usque ad ejusdem gentis fines frequentissima, quæ omnia proprii industriam operis ad laudem et gloriam omnipotentis [344] Dei exspectant.

26. Nos ut a diverticulo ad propositum redeamus, Baldricus ecclesiæ Leodiensi præerat. Is avunculum suum Raginerum [345-346] unice colebat, pro eo quod eum in episcopatu adipiscendo ille [347] plurimum juverat; qui Raginerum [348] post mirificam illam Hungrorum liberationem ecclesiam sancti Usmari omnium primus, et utinam abhinc solus! non exhorruit violare. Oduinum quendam odiis insequebatur, qui apud ecclesiam præfatam [349] confugium fecerat, volens aliquantum ab armis respirare, militibus suis in locis dimissis. Nactus occasionem Raginerus advolat, ut insperatum in ecclesia cogat; quem inermem ab ipsis sanctorum sepulcris, quæ tunc forte patebant, extrahit, et in ipsis atriis ante vestibulum ecclesiæ capite truncat. Esto, fuerit dignus ille hæc pati, sed observanda erat oportunitas temporis et sanctitas loci! De loco jam satis expertum erat, quam Deo carus, quam in patrociuando munificus, quam in violatoribus vindex et severus; de oportunitate temporis ille viderit, qui hæc in vigiliis Omnium sanctorum, dum vesperæ celebrarentur, vel legit vel audit. Raginerus interea Erluinum quendam sibi intimum facit. Erat autem a Gemblaus [350] monasterio, quod quidam Wibertus [351] mundanæ nobilitatis titulis insignitus in proprio suo construxerat (118), et in quo ipse vere conversus ex mundiali militia fuerat; quem inibi abbatem, cui ipse pauper Christi regulariter obediret, præfecerat. Hic Erluinus Raginerum adulatione assidua [352] lactabat, et paulatim et per incrementa ad Laubiensis abbatiæ ambitum [353] anhelabat, nec destitit, donec ad præpositurae honorem, qui tunc major habebatur, amoto Blitardo ipsius monasterii monacho, invitis licet fratribus, proveheretur [354]. Erat autem vir in exiguo ponens mendacium, cui ad versutiam nihil deerat. Si respiceres ad religionem, nihil illo quantum ad faciem sublimius, si ad voluntariam et invocatam sæpe mundialium rerum occupationem earundemque indefatigatam percursionem — quod monachum minus decet — nihil illo activius. In sermone ipso tanta illi diversitas, ut cum proloqueretur, verba ipsa quasi [355] trutinaret. ad ultimum multimodas cavillationum strofas doctus [356] versutiarum rhetor intexeret. Hic quia, ut dictum est, invitis fratribus promotus erat, unanimitati fratrum exosus erat. Contigit quadam die, instante vindemiarum tempore, consedentibus fratribus et nescio quid triste confabulantibus [357], supervenire Erluinum, quem tanta cæde fustium mulctati sunt, ut putaretur esse mortuus [358]. Quos ut discessisse persensit, paululum palpitans subduxit se et ad Bernardum tunc advocatum confugit, cujus auxilio postea Ercliacum [359] proficiscitur, ubi quantum est inventum vinearum eliquat et abducit, et in locis sibi oportunis recondit. Rogat præterea Raginerum cum Baldrico pontifice, ut dies natalicios Domini Laubiis celebrent; quod et obtinuit. Erat tunc videre abominationem, stantem in loco ubi non deberet. Nam comes cum conjuge in sacrario ecclesiæ mansitabat, et mensa, qua [360] sacratissimum [361] Domini corpus absumebatur [362], ministerium calciamentorum et paterarum seu scutellarum efficiebatur. Peracta igitur natalicia dierum celebritate, ubi discessum est, fratres sibi minui unde alii ingurgitarentur, ut illud genus hominum querulosissimum, in commune deplorant. Assumpta igitur [363] audacia. Fontanas [364] (119) petunt, villam quam Sambra alluit; ibi quantum vini est repertum — nam ibi aliquantulum portionem occultaverat — capiunt et abducunt. Profectus fuerat Erluinus Bermeriacas, ut annonam quæ ibi fuerat venumdaret in solutione debiti, quod in præfato obsonio oppigneraverat. Quem fratres insecuti cum multitudine magna populi, ita in eum debacchati sunt, ut mirum fuerit, quod mortem evasit [365]. Sed ad abbatem promotus [366], omnes a monasterio præter paucos expulit. Qui ob hoc magis irati, ne longius sermonem protraham, tres ex illis, qui juventutis et propinquorum adminiculo ceteris præstabant, magno satis professionis et ordinis cum periculo dormitorium noctu aggressi, eum extrahunt, et non longe ab ambitu claustri protractum [367], oculis privant, partem etiam linguæ amputant, sed non usque ad privationem loquelæ. Et quia, ut dicebat, martyrium desiderabat,

VARIÆ LECTIONES.

338* et p. 3. 339 urget expedire. Bellum 3. (*editoris error*). 340 c. v. 3. 341 actum est 1. 342 *deest* 1. 343 i. r. 3. 344 d. o. 3. 345-346 raginerium 2. 347 *deest* 2. 348 raginerius *corr.* raginerus 2. *ita et infra.* 349 prenominatam confugerat s. 350 gemblacensi 2. 351 *deest* 2. *qui post* insignitus *add.* Wibertus nomine. 352 sedula ad 2. 353 dignitatem 2. 354 promoveretur 2. 355 quæque 1? 2. 356 doctum 2. 357 fabulantibus 2. 358 p. moriturus 2. 359 erdiacum 1. 360 in qua 2. 361 sanctissimum 2. 362 absumebat 1. sumebatur 2. 363 sibi (g *pro* i) 1. 364 fontanos 2. 365 eum mortem evasisse 2. 366 p. fratres semper suspectos habens, omnes *edd.* 367 pertractum 2.

NOTÆ.

(118) Cf. Sigeberti Vita S. Guiberti c. 4-6: 9.

(119) Fontaine.

ipse sese fefellit, dum statim post hæc navi impositus, metuens ne denuo impeteretur, Gemblaus [368] est devectus; et quod prævidere ante debuerat sanus, declinavit debilis et exoculatus. Et quia, sicut scriptum est: *Impii agent impie, neque omnes intelligent impii* (*Dan.* XII, 10), et alibi: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII, 11), post prædictam ecclesiæ sancti Ursmari violationem Raginerus tyrannidem multiplicat, pauperes premit, et res ecclesiarum non Dei sed suas facit (958). Pro quibus omnibus a domno Brunone vere pacifico apud sanctum Salvium (120) evocatus, confessus, et læsæ [369] regiæ [370] majestatis convictus reus, proscriptus est, ac perpetuo exilio (damnatus ac [371]) deportatus. Multum itaque in hoc illi, licet invito, consultum est. Quo enim diuturnior est nequam, eo sibi graviorem et loginquiorem comparat pœnam (121).

27. Interea Baldrico decedente (959), domnus Evracrus ex Bonna decanus, Brunone concedente, efficitur episcopus, vir ingenuarum artium litteratus. Hic domnum Aletrannum undecumque doctissimum et in lege Dei exercitatum [372] ac eloquentem, volentibus omnibus, Laubiis præfecit abbatem (960); ubi ita vixit, ut servum Dei decuit. Nam cum ante eum permissa fratribus rerum [373] peculiarium et tricliniorum solummodo impunitas fuerit [374], de cetero honeste quidem et in commune vivebatur; hic, quomodo instructus fuit, omnia ad regulam correxit. Ad cujus supplementum domnus Evracrus [375] restituens ei villas ante abalienatas, Gimiacum videlicet, quam Folquinus quidam sibi et filiis in precariam acquisierat, et Stratam, quam Adelardus in beneficio habebat, et Gosiniacas, quam Heribrandus æque in precariam tenebat, et alia nonnulla. Sub illo omnia fuere nobilia, præterquam capsæ reliquiarum prægrandes et aureæ noctu furto sunt ablatæ, nec earum quid [376] repertum, præterquam quod erat ligneum. Erat et crux aureola, quæ sub Erluino confracta a fratribus in redemptione sua [377] Raginero est data. Hac igitur diu desiderata pace jam tandem sero potita, citissime ecclesia nostra est destituta. Nam domnus Bruno, in quem res [378] summa decumbebat, diem clausit extremum VI Idus Octobris (965), et domnus abbas [379] postquam biennio paralysi dissolutus est, postque quinquennium quam præesse [380] cœperat, in magna spe futuræ gloriæ defungitur III Nonas Novembris anno utique nongentesimo. . . . . [381] Dominicæ incarnationis.

28. Post hæc domnus Evracrus [382] Folcuinum, vere peccatorem, ætate juvenem, Laubiensibus [383] præfecit abbatem; quem, cum esset idem pontifex Coloniæ in præsentia imperiali, in frequentia magna populari, recitata [384] prius et lecta fratrum electione, ibidem ordinari fecit. Ordinatus est ergo ab Ingranno Cameracensi episcopo die ipso Domini natalicio (*Dec.* 25). Inde reversus, et loco potitus, plura suo arbitratu egit; unde [385] et fortuna in plurimis eam servire fecit. — Ratherius adhuc Veronæ erat. Qui pertæsus civium insolentia [386], simulque suspectam habens innatam illis et peculiarem perfidiam, de reditu cogitabat, proponens illud, quod in aliena patria sæpe quidem bene vivitur, sed male moritur. Mittit igitur ab abbatem librum (122), quem prætitulavit Conflictum duorum, per eo quod in eodem disputans, utrum reverteretur necne, anxius fluctuaret, simul et rogans, ut mitterentur ei equi et comites, quo expeditius ab eis iter accelerare posset. Factum est, missum est (968, *Jul.*); venit ille, afferens secum auri et argenti non dicam [387] pondera, sed ut ipsius verbis utar, massas et acervos. Ex quibus a Lothario rege mercatus est sancti Amandi abbatiam; qua vix una nocte potitus, eam, ut erat miræ levitatis vir, derelinquens [388], Alnam (123) revertitur villam, quam munificentia domni episcopi promeruerat. Inde quoque simili modo monasterium, quod Alium montem (124) nominant, dato magno precio comparavit, ubi quicquid sibi præcipuum in ornamentis [389] et vestimentis ecclesiasticis fuerat, quæque [390] antea ipse ecclesiæ nostræ largitus fuerat sed postea resumpserat, facta donatione congessit. Hoc quoque derelicto [391], Alnam denuo revertitur peracto vix. . . . . [392]. Dederat autem ei et abbas

VARIÆ LECTIONES.

[368] gemblacum 2. [369] *deest* 1. [370] *deest* 2. [371] d. ac. *desunt* 1. [372] exercitatissimum ad eloquentissimum 2. [373] *deest* 2. [374] impunitate 2. [375] E. juvit plurimum ei r. *edd.* [376] quicquam earum 2. [377] redemptionem sui 2. [378] rerum 2. [379] a. aletrannus 2. [380] postquam biennio profuerat paralysi solutus est et postquam quinquennium præesse 2. [381] *numerus deest* 1. 2. [382] eurarcus fulcuinum 2. [383] laubiensem 2. [384] rescita 2. [385] unde — fecit *deest* 1. [386] insolentiam 2. [387] modica 1. [388] dimisit alnam reversus 2. [389] o. et *desunt* 1. [390] quod 2. [391] hic quoque de reliquo 1. Hocque d. 2. [392] *ita* 1. 2.

NOTÆ.

(120) S. Sauve apud Valentianas.

(121) De hac re scribit auctor Vitæ Gerardi Broniensis abbatis: « Fuit Ottoni frater Heinricus, patri quidem equivocus, sed longe distans moribus. Instinctu enim reproborum fratri rebellavit infidus. Et ut mentio fiat quantulumcumque de altero fratre ejus, duce atque archiepiscopo Brunone, cujus nimirum memoria est in benedictione, quisnam queat condigna relatione virtutes ejus equiperare? Sub cujus procuratione sagacissima, radicitus amputante improborum spuria vitulamina [a] tanquam arbor fructifera refloruit Lotharingia pacis et justitiæ habundantia, asseverans ejus tutamina revixisse aurea quondam tempuscula. Cujus rei indicio est Raginerus comes Hainnoensium [b] haut ignotus, cognomento Longicollus, qui, quia tyrannice suis importunabatur provincialibus, et noluit resipiscere, semel et secundo commonitus, nunc usque exulat in ignotis regionibus, procurante industria ambidextri archipræsulis hujus. »

(122) Qui nusquam invenitur; cf. Rath. Cf. præf. p. XV.

(123) Aulne ad Sabim.

(124) Haumont, dioeceseos Cameracensis.

(a) *Vitii lamina*, cod. Guelferbyt. unde hæc edimus.

(b) *Haninœnsium*, id.

cum consensu fratrum villas Stratam et Gosinia-cas, et abbatiolam sancti Ursmari, et aliam quam Waslare monasterium vocant. Sed ipse locum [393] nostrum semper execrans, abbati insidias machinabatur, instigantibus eum [394] ad hoc [395] nonnullis. Quid multis morer [396]? Ad hoc res venit, ut abbas cederet loco, sciens sic quoque episcopum velle. Nam de eo nihil nostrum est aliud dicere. Ratherius, ut ostenderet prioris inimicitiæ causas, locum invadit, et metuens abbatis animositatem simulque cognationem ejus, quæ non erat infima, claustrum in modum castelli cingit, de mammona sibi, ut dicebat, residuo quorundam principum ad hoc empto adjutorio; ecclesia quoque sancti Dionisii, quam emerat a comite Roberto viginti librarum taxato precio, hujus rei causa sponte caruit. Nec quid, quantum, cuive ob [397] id daret, quicquam pensi habuit. Quid plura? Annus ille sic ductus est, donec [398] defunctus est Evracrus episcopus et iu loco [399] ejus Nothgerus successit. Cujus (125) animi dotes et virtutum summam si pergam dicere, quoniam adhuc superest (126), adulari videbor. Unum pro certo dicendum est, quod vir sit, in quem spiritus Dei donum singulare contulit veritatis et fidei. Qui nolens primordia sua levia aut præcipitata haberi, evocatis abbatibus, Werinfredo videlicet a Stabulaus et Heriberto ab Andagino, cum aliquibus fratribus, primum conspirationis exordia quærit, inventa trutinat et discutit, discussa demum judicio utitur. Ubi perspexit omnia esse frivola, fratres abbati reconciliat [400], ipsum restituit. Ratherius Alnam revertitur, ubi uterque, ipse videlicet et abbas, sibi reconciliatus, de reliquo deguit. Qui postea apud Namurcum, cum ibi forte cum comite aliquantulum moraretur, vita decessit. Cujus corpus ad nos delatum, pontificalibus exequiis solemniter celebratis, honorifice est tumulatum [401] in ecclesia sancti Ursmari ad partem aquilonarem.

29. Pace nobis per Dei gratiam Nothgero agente firmissima collata, domnus episcopus Leodium revertitur, reliquum tempus in innovandis sive decorandis ædibus et ecclesiasticis rebus multiplicandis consumens. Nam, ut verum fateamur, nullus prædecessorum suorum, quantum recordatur opinio, illo amplius Leodiensem ecclesiam rebus auxit, ædificiis nobilitavit. Creverunt illo tempore et in monasterio nostro ædificia nonnulla, instinctu episcopi, opera abbatis facta. Refectorium a fundamento cœptum, et Deo concedente satis elegans perfectum. In cujus introitu fecit vestibulum, in quo per subterraneos meatus aquæ ductum fecit, quæ sursum ebulliens ibidem scaturire videtur, concavaria huic superiori receptaculo præparata, quæ per quatuor foramina in supposita alia aquam cribans, sufficientem fratribus administrationem aquæ distillat. Quod refectorium a domno Tiedone [402] episcopo consecratum est cum cereis et timiamateriis et omni quo domus consecranda est apparatu. Ecclesiam sancti Pauli, quam Hungari incenderant, retexit, cui domum infirmorum annexit; obambulatorium claustri, si ita dicendum est — quoniam nunc non aliud quomodo nominandum [403] sit occurrit vocabulum —, nullum erat præter capituli domum et ligneam ædiculam, quæ prioris refectorii januam vestiebat [404] quæ annuatim scindulis [405] operiebatur [406]; sed ubi exsiccatæ erant, foco observiebant [407]. Hoc illo lapide cinxit, et facta contignatione, asseribus [408] cum ferreis clavis texit. Ecclesia quia per se satis elegans erat, ut in ornamentis elegantior redderetur operam dedit; quam de pulchra fecit pulcherrimam. Cujus altaris tabulam, quia nulla erat, fecit argenteam; domum ipsam altaris et laquear ipsius apprime [409] pinxit; pulpitumque evangelii tali modo fecit [410], ut essent quatuor emicedia altrinsecus e regione in modum crucis posita, quæ ex ære ductilia, et ad libitum artificis per loca scalprata [411] et deaurata, postibus undiquessecus [412] deargentatis, in septentrionali parte fusilem habent aquilam optime deauratam [413] quæ interdum alas stringit, interdum alis extensis capacem Evangeliorum codici locum pandit (127), colloque quasi pro libitu [414] artificiose ad audiendum retorto [415], immissis [416] prunis fragrantiam superimpositi thuris emittit. In occidentali autem parte ejusdem ambonis versus populum fecit altare in honorem sanctæ crucis et omnium sanctorum, cui et tabulam argenteam anteposuit, et desuper vivificam illam Domini imaginem, quam nostris adhuc terris incomparabilem ipse quendam ut faceret magno precio locaverat [417], erexit. De reliquo ornatu ecclesiastico et de multiplicatione librorum in armario non vacat dicere; sufficit ex superfluo hoc [418] tetigisse. Fecit et coronam argenteam, in qua versus scripsit. Fecit et campanas duas majores, quarum unam, quæ maxima erat, sancto Petro, et aliam sancto Ursmaro dedit [419]. In ista versus hii inscripti sunt : *Jussu Fulcuini me condidit artificis manus*

VARIÆ LECTIONES

[393] monasterium 2. [394] *deest* 1. [395] hæc 2. [396] moror 2. [397] ob id *desunt* 2. [398] d. d. e. e. *desunt* 1. [399] locum 2. [400] reconciliavit 1. [401] *reliqua capitis desunt* 1. [402] nedone 1. [403] dicendum 2. [404] nesciebat 1. [405] scedulis 2. scidulis 1. [406] vestiebatur 2. [407] deserviebant 2. [408] assilibus 1. [409] optime 2. [410] finxit 2. [411] sculpta 2. [412] undique se secus 1? 2. [413] deargentatam 2. [414] libito 2. [415] et iterum reducto *add. Dach.* [416] invisis 1. [417] *deest* 1. 2. [418] hoc tantum 2. [419] dedicavit?

NOTÆ.

(125) Cf. Einhardi Vitam Karoli c. 18.
(126) Obiit a. 1008.

(127) Aquila ærea ejusmodi in basilica Aquensi exstat. 55.

Danielis, ad laudem Triadis. In alia istud tantummodo : *Fulcuinus Deo et patrono suo sancto* [420] *Ursmaro.*

30. Ecclesia [421] trans Sambram in [422] monte quem nos Sanctorum, vulgus Pulchrum vocat, ejus tempore cœpta est occasione hujusmodi. Arebat quodam tempore [423] terra, et denegatis pluviis, desuper [424] sole torrente, [illegible] timebantur [425] tempora. Omnis plebs et tota provincia cucurrit experta [426] sibi ad suffragia, sanctum videlicet [427] Ursmarum patronum [428] in hujusmodi [429] anxietatibus ad Dei gratiam repropiciandam assuetissimum, rogans [430] abbatem, ut prolatis sanctorum pigneribus more letaniarum circumferri ea præciperet [431]. Rem abbas ad fratres refert, laudant devotionem plebis, dicunt ei [432], satisfacere debere [433]. Indicto ergo [434] generali jejunio et [435] die præfixo, plebs tanta confluxit, quantam [436] in unum conglobatam [437] vix [438] umquam vidit nemo. Producuntur [439] in feretris composita sanctorum corpora, non sine magno [440] populi luctu permixta lætitia; et quia tanta erat populi multitudo, ut eam [441] cujusvis campi quamvis latissimi vix caperet amplitudo, proposueruut, ut [442] hiis qui ultra [443] Sambram erant primum salutanda deferrentur in monte supra memorato et in loco præviso. Ibi tanta fuit populi devotio, ut non possit prosequi [444] scripto. Ex sumptibus, quos largitus est populus, designata est, et incepta ecclesia ; quando vel a quo erit perficienda, in Dei est providentia. Reportata sunt et citra; et hic nihilominus tanta erat multitudo, ut invicem artarentur. Ostendit et Dominus devotionem istam plebis per merita sancti Ursmari sibi placuisse. Nam ipso die in magna cœli serenitate obnubilato [445] aere, factus est sonus subsecuturæ pluviæ. Quæ postea tam larga profluxit [446], ut satis sufficeret, et copias anni fertilissimas redderet. — Et [447] quia parum hoc de virtutibus sancti Ursmari prægustavimus, et ad nostri temporis fæcem, sicut proposuimus, Deo donante pervenimus, libet in fine opusculi in miraculis ejusdem [448] patris aliquantisper immorari. Nam si quod promissimus, nos quoque [449] volumus, et tali modo fœnus persolvimus.

31. Fundus est, quam [450] Villam Reliam (128) vocant; is [451] nobis vicinus est, et in eo [452] memoria sancti Ursmari. Ferunt eundem virum Dei, dum mundo exularet, et regem apud Lyptinas commorantem [453] urbem crebrius visceret, quia locus contiguus viæ est, illic solitum requiescere; atque ibi dentem, qui ob nimium dolorem — qua valitudine ille plurimum laborabat — illic deciderat, inibi defodisse. Locus iste ecclesia sacer erat, sed civium negligentia destructa fuerat, altare [454] tamen loci incultum remanserat. Cæcus quidam ibi erat, cui in mentem sedit, ut altare viminibus cingeret, ne pecoribus aut canibus adibile esset. Qui quadam die puero præduce in silvam perrexit, dumque virgam ad se applicat, ut eam cum ferramento capularet [455], in [456] ipso conamine oculi ejus ita aperti sunt, ut clare videret [457].

32. Anus quædam apud nos erat, quæ interdum ecclesiæ stipendiis, interdum fidelium elemosinis alebatur. Cujus manus dextera ita erat contracta, ut ungues digitorum volam palmæ viderentur perforasse [458]. Hæc die quadam, quæ habebatur Dominica eratque quadragesimalium dierum tertia, in ecclesia sancti Ursmari loco suo stetit, et inter missarum celebrationem subito intremuit, cum subito, et propter diuturnitatem [459] incommodi illa insperata, cœperunt se nervi digitorum extendere et manus ad officium suum redire. Illa ut persensit, ecclesiam vocibus complevit. Plena erat ecclesia, subsequuntur [460] omnes : *Deo gratias!* Deo laudes, nemine tacente, in commune dicuntur. Curritur ad me, ubi eram in ecclesia forte majori, unus post alterum aliquid apportaturus novi, et quasi non prius esset dictum, rumigerulus afferebat nutibus gaudiorum. Nos illico ad ecclesiam scandimus, invenimus illam præ miraculi stupore stantem et trementem, attamen sanam. Laudavimus Deum, et ita discessum est.

33. Mulier quædam plena demonio, a parentibus

VARIÆ LECTIONES.

[420] sanctissimo 2. [421] Ecclesiam 2. *qui eccla legisse videtur.* [422] sambram quam nos 1 ? 2. [423] *sequentia om. 2. exstant in miraculis S. Ursmari* (3.) c. 2. [424] s. d. coquente 3. [425] timebant 1. [426] ad nota sibi et sæpius comperta s. 3. [427] utique 3. [428] p. ad. d. g. r. in h. a. assuet. 3. [429] hujus 1. [430] rogant 3. [431] permitteret 3. [432] eis 3. [433] deberi 3. [434] igitur 3. [435] et d. p. *desunt* 3. [436] quanta 1. [437] *deest* 1. [438] vix aliquis unquam vidit aut nemo 3. [439] esto ducunt 1. [440] multo 3. [441] eam in unum aliquis campus quamvis latissimus nequaquam caperet et omnes nihilominus ad salutanda sanctorum corpora populari fremitu impingerent prop. 3. *cujus lectiones aliquas tantum in sequentibus annotavimus.* [442] *deest* 1. [443] qui ab ulteriori parte Sambræ 3. [444] persequi 1. [445] obnubilatio 1. [446] perfluxit 1. [447] Et quia ad n. t. f. — pervenimus et nunc se occasio obtulit, ut paululum hoc de virtutibus Ursmari prægustaremus, libet uberius aliquantulum in fine opusculi nostri in ejus virtutum miraculis immorari, ut qui fuit initium, sit et clausula libri. Nam sic sponsionis nostræ memores, fœnus persolvimus, sed et ipsi percipimus. Dicemus igitur non ea quæ plura ab antecessoribus nostris aut neglecta aut obliterata sunt, sed ea quæ ipsi vidimus aut ab his qui viderunt audivimus. 3. *Hæc vero vix libro de miraculis S. Ursmari scripto conveniunt.* [448] ejus 1. [449] quod 1. [450] quem 3. [451] hic 3. [452] ea 1. [453] commoratam 1. [454] tantum altare id pie incultum 3. [455] copularet 1? [456] et in 1. [457] at Letior redditus in recompensatione beneficii ex facultatula sua illam reædificare cœpit, gratias agens Deo, qui sanctum Ursmarum in pluribus miraculis mirifice mirificavit. *add.* 3 *ubi ordo sequentium diversus.* [458] perforare 1. [459] diutuitatem inconmodi 1. [460] obsequuntur 1.

NOTÆ.

(128) Vellercille. HENSCHEN.

ad sancti viri sepulchrum [461] attracta est potius quam adducta; pedes, manus et colla arcebant [462] vincula; gutture solum et lingua horribilia quædam proferebat [463] et fetida. Audires interdum canem [464] latrantem, sibilum serpentum, taurorum mugitum, ut quasi in [465] uno cubili essent diversa ferarum monstra. Dies erat festivus [466] ejusdem patris, convenerant [467] ad festa plus solito populi. Illa ibi jacebat, tam terribiles voces emittens, ut vix aliæ audiri possent in die tam celebri. Festivitate peracta, ubi illuxit dies crastina, fratres condolentes illi, ecclesiam sancti Ursmari petunt, pro ejus ereptione Dominum deprecaturi; proposuerunt letaniam prostrati agere, cujus recitatio mihi injuncta est. Ubi ergo post recitationem sanctorum omnium [468] ad locum perventum est, cum [469] dicere deberem: *Per adventum tuum libera nos, Domine*, vocibus ejus perterritus anticipavi dicere: *Per nativitatem tuam*. Tunc illa, immo ille, quo misera illa torquebatur: *Mentiris*, inquit, *et præpostere loqueris*. Expavi, fateor, et pene extra me effectus sum. At ubi me recepi, letaniam sum prosecutus, cœpique mecum agere tacitus, quod isdem apostata spiritus Dei judicio tortus, vera tunc quoque dixerit coactus et invitus. Peccatis nostris agentibus, tunc nil actum est. Unde desperati parentes ejus, eam reducere temptant. Sed ubi ad Sambram ventum est, in pontis medio unus illorum respiciens ad ecclesiam: *Eya*, inquit, *sancte Ursmare, placetne tibi, ut* [470] *a te tam tristes redeamus* [471], *frustrati a te de longinquo* [472] *quæsita sospitate?* Vix verba compleverat, cum subito illa in eodem pontis loco corruit, et aliquantulum illic mortuo simillima [473] jacuit. Quid plura? Miseratione Dei per merita sancti Ursmari post paululum resedit, quæ circa se agebantur inquisivit, ciboque sumpto, omnique sanata incommodo, peste caruit, miraculumque suum ipsa postea circumtulit.

34. Nuper quoque quidam æque energuminus ad supradictam memoriam est delatus. Quem clerici ecclesiæ nobis alia curantibus per se temptant increpare, immersumque [474] in aqua consecrata exorcistarum more exorcizavere. Sed inter manus exorcizantium subito in altum rapitur, ita ut per plantas vix manibus teneretur, et magno satis cum conamine deorsum remittitur [475]. Instantibus nihilominus clericis orationi et increpationi, sanatur hic quoque ad laudem Dei per merita sancti Ursmari.

35 [476]. Atho [477] quidam erat in servitio fratris nostri Godescalci [478] calciamentoriam [479] artem agens [480], quem a puero contractum omnes cognovimus, ita ut progredi nequaquam nisi cum scabellis nequiret. Hic quadam die ad sepulchrum sancti Ursmari vota soluturus [481] accessit, ferens secum cerea munera, candelas videlicet cereas, petitque [482] ab [483] ædit、 tuo, ut eum ibi pernoctare sineret. Concessit ille; pernoctavit iste. Statim in ipso conticinio orante illo et Dei potentiam præstolante, cœperunt se tibiæ complicatæ reducere, et tali pedum a diutina [484] cohæsione nativum non sine magno patientis incommodo sejungere, usque dum plene erectus, custodibus mirantibus in pedes stetit; sed præ nimio dolore et inconsuetum [485] progrediendi usum ambulare non potuit. Qui præ nimia gratulatione quodammodo visus est fuisse ingratus, dum insciis omnibus mane ecclesiam egressus, nec tum laudes Deo dicere fecit, et ipse, ubi plene doloribus caruit, Ragenarianæ [486] rebellioni se satellitem miscuit.

36 [487]. Et abbas Aletramnus, ut diximus, paralisi laborabat. (974) Cæca quædam elemosina Fredesindis [488] illius, quæ Stephano cui Brebona serviebat nupserat, alebatur. Hæc quadam die orandi causa ad memoriam sancti Ursmari venit, et dum montem, cui suprapposita est ecclesia, ipsa scanderet, in intercapedine, quam quercus antiqua disterminat [489], ex adytis templi, quasi per aliquas rimulas tenuissimas aliquantulum lucis se versus vibrare persensit. Progressa demum ad sancti patris nostri [490] tumulum, ita mirata est visum, ut Gosberto [491] præposito nuntiante faceret jocundissimum et in Dei laudibus speciosissimum. Factum est hoc ante dominicam quam vocant medianam sexta feria.

37. [492]. In territorio quoque Wilare [493] (129) nobis deserviente quidam fuit [494] colonus, qui cum ceteris votive ad constructionem Transsambrinæ, quam prædiximus, ecclesiæ lapides subvehentibus insultaret, seque id servitium nullo modo subiturum dejeraret [495], repente omni membrorum officio debilitatus est. Sed ut reatum suum, sero licet, cognovit, vota accumulavit, et sanus illico effectus, plus ceteris, ceteros accendens, quo [496] potuit devotionis ardore confricavit.

38 [497]. Kalendæ erant Augusti, qui est dies celebris apud nos pro commemoratione vinculorum sancti Petri; Sambra forte tunc plus solito excreverat, et populus confluens ad festa festinabat. Inter

VARIÆ LECTIONES.

[461] *deest* 1. [462] arctabant 3. [463] promebat 3. *Dach.* [464] canum latratum 3. [465] *deest* 1. [466] festivitatis 3. *Dach.* [467] convenerat 1. quo ierant 3. coierant *Dach.* [468] nominum 3. [469] quo 3. *Dach.* [470] *deest* 1. [471] abeamus 3. *Dach.* [472] longinque 1. [473] similima 1. [474] immissumque 3. *Dach.* [475] reduceretur 3. *Dach.* [476] XXXVII *Dach.* [477] Atho 3. [478] m. G. *desunt* 1. [479] sutoriam 3. *Dach.* [480] agentis 1. [481] solviturus 1. [482] petitque 1. [483] *deest* 1 [484] diuciva 1. [485] indissuetum 3. [486] regeriane 1. rageneriane 3. [487] XXXVIII *Dach.* [488] Tredesendis 3. Fredesendis *Dach.* [489] disterminat victare quodammodo executiente cepit. Progressa 1. d. ex ad. t. q. p. ten. rim. al. luminis se v. v. p. Progressa 3. [490] *deest* 1. [491] Cozberto 3. [492] XXXVIIII *Dach.* [493] Villare 3. [494] fui 1. fuit nuper 3. [495] diceret 3. [496] qua 1. [497] XL. *Dach.*

NOTÆ.

(129) Parochia inter Lobium et Binchium. HENSCHEN.

agendum dum celebrantur missæ, et ad eas Transsambrini globatim maturarent accelerare, pons quem subierant multitudine [498] prægravatus decidit, immersosque quos acceperat [499] alveus longe fluvio suo traxit. Facta igitur conclamatione, turbatur ecclesia. Egressi pene omnes dum anxiarentur [500] ad cadavera solum requirenda, mira Dei potentia cuncta illa immersorum examina sospita obviavere et læta. Dicat hic quis quod vult; nos liberationem hanc Deo ascribimus, cui proprium est et singulare, sanctos suos ubique magnificare, et fidentes [501] in illis opera [502] misericordiæ suæ in periculis eorum meritis sublevare.

39 [503] Gislabertus, ex quatuor comitis Roberti filiis unus, nuper [504] cum aliis, qui Mathildem comitissam (130) stipaverant [505], apud nos hospitatum venerat. Qui inter cœnandum monachico ordini quasi minus profuso [506], utpote improvise ipsis venientibus, cœpit detrahere, licet pro oportunitate temporis illis sufficientes amministrarentur copiæ. Mane facto, montem oratum eques scandit [507], sed in ipso transgressu graduum, per quos ascenditur ad superius monasterium, equus sub ipso labitur, qui calcaribus multociens cæsus minime erigitur. Putaverunt, quod morbo, ut fit, sonipes urgeretur; temptatum est iterum et tertio; quadrupes procul dubio immobilis jacet. Persuasum est illi ab amicis et comitibus, maxime a Basone [508] nostro advocato, ut si quid forte teste conscientia transgressionis [509] egisset, votum vovens, Deo et ecclesiæ ejus satisfaceret, et hoc quantocius posset [510]. Promisit, et descendens equum quidem sanum repperit, sed nisi deorsum montis ei insidere nequivit.

40. Frater [511] Robertus, nostro tempore ecclesiæ sancti Ursmari edituus [512], baculum recurvum, quem plerique tambucam [513], alii petaculum [514] vocant, quasi sancti Ursmari gestabilem et proprium argento fabricavit, petiitque a nobis, ut aliquantulum de corpore ipsius ad majorem populi venerationem baculo illi insereremus. Fecimus quod petierat, quæsitis et sumptis ex [515] concineratione sanctissimi corporis in sepulchro duobus dentibus; quibus inmissis, ubi ab inferius ad superius monasterium delatus est, in ipso ingressu anus quædam, quæ interdum ecclesiæ stipendiis, interdum elemosinis fidelium sustentabatur et in ecclesia — missæ autem agebantur eratque dominica quadragesimalium dierum tertia — loco suo stabat, subito contremuit (131).

41 [516] Nec tantum in loco felicis ejusdem patris requietionis fiunt a Deo ejus interventu hæc specialiter mira, sed in remotis ejus memoriæ dicatis locis persæpe ostensa sunt plurima [517] miraculo digna. Tudinium denique, nobis adjacens castrum, locum habebat ecclesiæ sancti Ursmari memoria sacrum. In quo quodam tempore, ea videlicet quæ erat cœna Domini nocte, sicut audivimus Bosonem advocatum [518], qui interfuerat, referre, dum more solito in matutinali synaxi lucernæ extinguerentur, et ymno evangelii finito, terræ [519] astantes prosternerentur, tria stillicidia in modum illorum, quæ videmus porcina ex pinguedine ardentia stillare, a summo tecti in pavimento distillavere, adeo ut aliquibus ecclesiam incendere, aliquibus illustrare viderentur. Quod cum omnes viderent, cuidam tamen Tietbergæ [520], nobilissimæ matronæ, orationi incumbenti [521] vicinius et in ipso pene [522] occipicio visum est distillare [523]. Et hoc cur factum sit, nobis quidem est incertum, nil autem in terra sine causa fieri, quia legimus [524], non est dubium. Ternarius autem [525] numerus unde sit sacer, catholicis patet, et ignem Deum [526] esse, non ficte, sicut a poetis Vulcanus ignis dicitur, sed vere, ut Apostolus sensit, tam ex ipsius verbis, ubi : *Deus noster ignis consumens est* (*Hebr.* XII, 23), quam in eo [527], quod Spiritus sanctus verus in Trinitate perfecta Deus, in igneis linguis super apostolos descendit, orthodoxus quisque intelligit. Hanc igitur ternam [528] igneamque distillationem Trinitas sancta utrum pro alicujus astantis approbanda [529] devotione egit [530], quam eadem forte tunc igniverat [531], ut ostenderet foris quod intus agebat, aut propter commendanda sanctorum patrocinia — quod magis credibile est — quæ ibi populus devote frequentabat, nobis [532] quidem latet, sed ei, qui omnia facienda prævidet [533] et facta moderatur et regit, procul dubio patet.

42 [534] Magnitudine seu enormitate suscepti operis devicti [535] et enervati, plura prætermittimus. Unum hoc ultimum et omnibus peædicatum pluribusque sui comperto notissimum dicemus; quod videlicet nullus qui ecclesiæ illi unquam intulit dampnum, gloriatus sit in annum. Et si forte pro quolibet [536], ut assolet, injuste illato dampno monachi ex majori monasterio, quod quidem inferius est, montem

VARIÆ LECTIONES.

[498] multitudinem 1. [499] accepera 1. [500] anxiantur 3. [501] fidentibus 1. [502] ope 3. [503] XLI. *Dach.* [504] *deest* 1. [505] stupraverat 1. [506] profusum u. improvisum 1. [507] scandens in populo t. 1. [508] ab ofo 1. [509] transgressorie 3. [510] possit 1. [511] *hoc cap. deest apud Dach.; in* 3. *supra cum* 32. *conjunctum legitur.* [512] editus 1. [513] cambuttam 3. [514] petalum 3. [515] de 3. [516] XLII. *Dach.* [517] plura 3. *Dach.* [518] a. nostrum 3. [519] terra a. prosternuntur 1. [520] tibergæ 1. [521] inibi procumbenti 3. *Dach.* [522] birre 1. [523] distillasse 3. [524] legitimus 1. [525] siquidem 3. *Dach.* [526] domini 1. (dni *pro* dn); dominum 3. [527] quoniam vero 1. [528] trinam 1. [529] approbandam devotionem 1. [530] *deest* 1. [531] ignoraverat 1. [532] nos 3. [533] prævidit 1. [534] XLIII. *Dach.* [535] evicti 3. *Dach.* [536] quibuslibet 1.

NOTÆ.

(130) Uxorem Raginerii IV, comitis Hannoniæ. An Robertus sit aliis Rasbodus comes Namurc. pronepos ex matre Raginerii I non satis liquet. HENSCH.

(131) Cf. supra, c. 32.

sancti Ursmari scandunt reclamaturi, creditur, nec vana spes est, nunquam inultum iri. Experti sunt hoc plerique, et sero licet ingemuere. Nimirum locum, quem rexit corpore vivens, tuetur meritis, cum Christo regnans et in ipso gaudens.

43.[537] Presbyter est quem Osingerum nominant[538], qui ita paralisi erat dissolutus, ut cervix in ipsa junctura resiliret[539]. Quid dicam, quod loqui non poterat, cui omnium membrorum officia, solo spiritu anhelante, defecerant. Hic in hac valitudine annum explens, alterius solatio, elemosinis fidelium sustentabatur. Jacebat autem in villa Fleon dicta, cui vicina[540] est illa nativitatis sancii[541] Ursmari ministra, in qua erat ecclesiola lignea, quam fuerunt cum propriis manibus compaginasse et in prædio suo dedicasse. Quadam die euntibus quibusdam cum plaustris in Augusta Viromandorum (132) mercandi gratia, rogavit virtute qua poterat, ut superpositus plaustro ad supradictam ecclesiolam duceretur. Factum est. Positus est in ecclesia[542], et ibi pernoctavit. Mane autem facto, voluit temptare, confisus de Dei misericordia et sancti Ursmari intercessione, utrum per se in ipso grabato posset sublevatus residere. Fecit, miratus est rem. Deinde paulatim reviviscendo, viribus in membris resumptis[543], erexit se, et ambulavit, gratias agens Deo et patrocinatori suo. Nos postea frequentibus ejus missarum celebrationibus usi[544] sumus in eodem loco. Sanus ipse de reliquo, præterquam cervix quæ resilierat[545] parum retorta videretur, puto propter commemorationem tam mirifici beneficii, ad populandum omnibus, quantum valeat in conspectu Domini meritum sancti sui.

44. Retulit isdem presbyter nobis, quod[546] quadam die in ipsa ecclesia, cui in recompensatione beneficii jam dicti deserviebat[547], dum[548] missas ageret, lecto evangelio, vas quod consuetudinaliter juxta altare cum vino pendebat, in calicem versat, sed vinum ita congelatum erat, ut nec gutta proflueret. Dat vasculum clerico ministranti, ut glaciem igni resolvat! ipse interim officium percelebrat; dum tardatur, ille respexit ad calicem, qui plenus vino inventus est, adeo ut pene excresceret.

VARIÆ LECTIONES.

[537] *hæc capita apud Dach. supra 35 et 36, ponuntur, in 3, vero ante cap. 24, leguntur.* [538] n. sed et hic adhuc superest 3. [539] resileret 1. [540] vicinia 1? [541] s. u. *desunt* 1. [542] ecclesiola 3 *Dach.* [543] reviviscentibus membris mirum dictu erexit 3. *Dach.* [544] fruiti 3. *Dach.* [545] reselierat 1. [546] quia dum 3. [547] i. d. d. *desunt* 1. [548] *deest* 3.

NOTÆ.

(132) St. Quentin.

ANNO DOMINI DCCCCXCI

ERKEMBALDUS

ARGENTINENSIS EPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA IN ERKEMBALDUM

(*Gall. Christ.*)

Erkembaldus a puero litteris humanioribus apprime excultus librorum semper studiosus fuit. Promotus ergo exigentibus meritis an. 965 ad episcopatum Argentinensem, cum jam, ut diximus, decessoris esset coadjutor, inauguratur a Guillelmo archiepiscopo Moguntino, inde præsulum 17 ipse consecator, inter quos duo Moguntinenses archiepiscopi Hatto et Rupertus numerantur. An. 966 Altorfii consecravit ecclesiam. Eum Joannes papa XIII summis laudibus effert in epistola, qua illi sedis apostolicæ protectionem in omnibus spondet. Neque minori fuit in pretio apud Ottonem II imperatorem, a quo sui regiminis anno 17 insigne privilegium obtinuit datum anno 982, indict. x, octavo Idus Januarii, anno imperii ejus decimo quinto, quinto, regni autem 25. Illud recitat R. P. Laguille in Probationibus historiæ Alsatiæ pag 23. Vitam clausit Erkembaldus an. 991, vi Idus Octobris ex chronographo Saxonæ apud Ekcardum, pag. 363 et ex Necrol. Fuldensi, ait Nuperus auctor proxime laudatus. Plurimorum ex antecessoribus vitam descripsit metrico sermone, quod opus una cum libris undequaque collectis in bibliothecam ecclesiæ suæ congessit.

SUSPIRIUM ERKEMBALDI

Seu soliloquium et oratio ad Deum qua utebatur quoties cantantes in ecclesiis audivit.

Domine, qui es omnium qui tui esse contendunt, quem omnis amat, qui scit; et non amat qui nescit; et nescit, qui non amat. Da mihi, ut nesciam me; te autem sciam et amen. Velim, Domine, scire, quid sit, *Lætentur cœli, et exsultet terra*, ac sequentia. Quid aliud, lætentur cœli, nisi exsultent justi? Scriptum est : *Lætamini in Domino, et exsultate, justi.* Gaudeant justi, fleant injusti. Quid ego? Lætor, an fleo? Non lætor, quia non cœlum. Si cœlum essem, gauderem. Cum autem me dejiciam, dilacerem, et in nihilum redigam, *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*, tu elevas, et consolaris, et dicis : *Exsultet terra.* Gratias ago. Scio, terra sum; sed tu potes facere *cœlum.* Sat mihi, *Exsultet terra*, dixisti, *lætentur cœli.* Adjunxisti, *et exsultet terra*, lætificasti cœlos, consolatus es terram. Dixi, non lætor. Peccator hoc dixi, de *meo* dixi; sed de *tuo* dicis *Exsultet* terra, et quoniam *tuum* lætificasti, *meum* mentiar, et exsultem. Exsultem autem *te* quia propter *te*, et in *te* gaudeam. Tu ipse scis si *meum*,

A Quid scis? Quando *me* agnosco, ingemisco, aut fleo : quando *te* agnosco, resipisco et respiro. Me *meum* contristat, movet ac perturbat : *tuum* consolatur, stabilit, lætificat. Per *me* cado; per te me resurrecturum scio. Quia me casurum scio, non lætor cœlum, quod est firmamentum, quia me resurrecturum spero. *Exsultet terra*, quæ est futilatio, dicat propheta, dicat psalmista, et nos dicamus : *Lætentur cœli, exsultet terra.* Si arbiter cœli vult, cur non *exsultet terra? Exsultet terra*, quod sibi vult? *Jubilate, montes laudem.* Non jubilo, non laudo. Cur? Quia non sum *mons*, vallis sum, peccator sum. Dixit mihi Deus, *Quare enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum*? At quoniam præcipitur, *omnis spiritus laudet Dominum; et quia*
B *Dominus veniet, et pauperum suorum miserebetur* jubilo, et laudo, atque non obliviscor cujus illud, *miserentis Dei.* Fletum, peccatum, risum fecit mihi Deus.

ERKEMBALDI POEMATIA

Epigramma.

A nobis oculus juste liber iste locatus
Segnibus, ac pigris plurima clausa videt.

Tetrastichon.

Verax vir gaude virtutum stemma tuarum
Tu securus eris, quia certo calle viabis :
At qui mentiris cito post factum capieris,
Fallens fallaci sis fando famine fallax.

LEGES MUNICIPALES

QUAS

ARGENTINENSI CIVITATI DEDIT ERKEMBALDUS

(Grandidier, *Hist. de Strasbourg.*)

HÆC SUNT JURA ET LEGES CIVITATIS ARGENTINENSIS DE PACE IN CIVITATE TENENDA ET NE PREDA VEL FURTUM INTRODUCATUR

I. Ad formam aliarum civitatum in eo honore condita est Argentina, ut omnis homo tam extraneus quam indigena pacem in ea omni tempore et ab omnibus habeat (1).

II. Si quis foris peccaverit et ob culpæ metum in eam fugerit, securus in ea maneat. Nullus violenter
C in eum manum mittat : obediens tamen et paratus ad justitiam existat.

III. Nemo predam, aut furtum in eam inducat, vel conservare audeat, nisi redditurus rationem omni quærenti.

IV. Nullus captivum introducat, nisi presentet

(1) Le code du XIIe siècle, la traduction allemande, ainsi que l'édition latine de Schiller ajoutent que la ville de Strasbourg fut bâtie à l'exemple des autres villes pour être ville libre : *In eo honore condita est Argentina, ut libera civitas sit, eo quod omnis homo*, etc.

cum causidico, vel judici, qui ad justitiam ipsam conservet.

V. Omnes magistratus hujus civitatis ad episcopi spectant potestatem, ita quod vel ipsemet eos instituet, vel illi quos ipse statuit. Majores enim ordinabunt minores, prout sibi subjecti sunt.

VI. Nulli autem episcopus officium publicum committere debet, nisi qui sit de familia Ecclesie sue (2).

VII. Quatuor autem officiatos, in quibus urbis gubernatio consistit, episcopus manu sua investit, scilicet scultetum, burcgravium, theloncarium et monete magistrum.

De sculteto, qui et causidicus dicitur, primum exequimur.

VIII. *De jure sculteti* (3).

Causidici jus est duas sub se osdinare personas vicarias, quas judices appellare solet, adeo honestas, quod burgenses cum honore suo coram eis in judicio stare valeant.

IX. Item ad causidicum pertinet statuere tres personas, quas heymburgen (4) dicimus, unum in interiori scilicet veteri urbe, et duos in exteriori, et custodem cippi (5), sive carceris, in quo rei custodiuntur. Hec autem singulorum sunt officia.

X. Causidicus judicabit pro furto, pro frevela, pro geltschulda (6) in omnes cives urbis, et in omnes ingredientes eam de episcopatu isto, nisi rationabilem opponant exceptionem, preter ministeriales ecclesie, et eos qui sunt de familia episcopi, et qui ab ipso sunt officiati.

XI. Habet autem potestatem cogendi et constringendi judicatos, quam vocant bannum (7), non ab episcopo, sed ab advocato. Illam enim potestatem, que spectat ad sanguinis effusionem, suspendendorum, decollandorum, truncandorum et hujusmodi pro qualitate delictorum ecclesiastica persona nec habere, nec dare debet. Unde postquam episcopus advocatum posuerit, imperator ei bannum, id est, gladii vindictam in hujusmodi dampnandos et omnem potestatem stringendi tribuit.

XII Hanc igitur cum non habeat nisi ex gratia advocatiæ, justum est ut nulla ratione eam neget causidico, theloncario, monete magistro, quoscunque statuerit episcopus, de quo tenet advocatiam.

XIII. In hanc igitur civitatem judicandi potestatem nemo habet, nisi imperator, vel episcopus, vel qui de ipso (episcopo) habent.

XIV. Judicum, quos causidicus sub se habet, potestas judicandi non est in furta, vel frevelas, sed tantummodo in geltschuldas.

XV. Locus autem judiciorum est in foro juxta sanctum Martinum; ideoque nullus, de quo fit querimonia, vocandus est in domum causidici, vel judicis, sed tantum ad locum predictum publicum.

(2) *Nisi qui sit de familia Ecclesie sue.* Ce serait faire violence à ces expressions que de croire qu'elles signifient du diocèse de Strasbourg. Elles veulent dire qu'il fallait être attaché à l'Eglise de Strasbourg par quelque office, par quelque fief ou dignité. L'auteur de la Chronique d'Ebersmünster, en faisant l'énumération des différents sujets de l'évêché de Strasbourg, § 3, les divise en trois sortes. Il désigne ainsi la première : *Prima familia ministerialis, que etiam militaris recta dicitur, adeo nobilis et bellicosa, ut nimirum libere conditioni comparetur.*

(3) Le mot de *Sculteti* dérive de l'ancien mot *Schultais*, ou *Schuldasius*, nom qu'on donnait chez les Lombards aux juges des endroits, et qu'on a conservé de nos jours dans cette province aux prévôts ou maires des villages. Voyez le Glossaire Germanique de Wachter imprimé à Leipsick en 1737, pag. 1472 et suiv. Le mot de *Schultheizo* était commun chez les Francs à tous ceux qui exerçaient quelque juridiction soit dans le civil, soit dans le militaire. Otfride, moine alsacien de Weissembourg, qui vivait au milieu du IXe siècle, dans sa traduction paraphraséo de l'Evangile en vers tudesques, lib. IV, cap. 34, traduit par *schuldeizo* le centurion dont il est parlé dans S. Matthieu, cap. XXVII, v. 54. L'étymologie la plns certaine de *Schulteiss* est de *Schuld*, qui veut dire *dette*, et de *Heischen* qui signifie *demander* ou *exiger*, parce que la principale fonction du Schulteiss consistait dans le jugement des dettes et des amendes. C'est l'opinion d'Eccard, *in notis ad Legem Salicam*, pag. 193, de Reiz *in Belga Græcissante*, pag. 169, de Wachter, *lib. cit.* pag. 1474, et de Haltaus, *Glossario Germanic omedii ævi*, pag. 1657.

(4) Les *Heimburge* de la ville de Strasbourg, qu'on n'a remplacé aujourd'hui que fort imparfaitement par sept sergents de la ville nommés *Gerichts Boten*, étaient alors des personnes fort considérées, puisqu'elles avaient la direction de la police. Les *Heimburge* étaient choisis entre les principaux bourgeois de la ville pour veiller à la sûreté publique.

(5) *Cippus.* C'était proprement un instrument avec lequel on tenait serrés les pieds des criminels pour les empêcher de s'enfuir. On a ensuite donné généralement ce nom particulier à la prison, que les anciens Français nommaient *Chep à mestre malfaiteurs*. Voyez du Cange, *in Glossario*, tam. II, pag. 624.

(6) *Frevela* ou *Frævel* signifiait autrefois deux choses, ou un fait d'injures important amende, ou l'amende même imposée en conséquence. Wachter et Haltaus expliquent ce mot plus au long, *in Glossariis*, pag. 468 et 486. Le dernier prouve que *Frevel* dérive de l'ancien mot *Farfalium*, ou *Forfal*, qui signifie *Prolapsus*. On lit dans une ancienne pièce de l'abbaye de Honau, *apud Schilterum*, *in Chronico Konigshovii*, pag. 1156 : « Emendarum punitio Frevellarum diurnalium et nocturnalium emendatio. » Le *Geltschulda* ne peut mieux s'exprimer que par des dettes pécuniaires.

(7) *Bann*, dit aussi *Blutbann*, signifie principalement la haute justice, ou la juridiction criminellee et le droit de prononcer souverainement sur la via et la mort des hommes. De là vint qu'on nomma l'avoué *Blutvogt*, et le bourreau *Vicarius Advocati*. Ce droit dérivait du seul roi ou empereur. *Bannum nemo conferre potest, nisi rex ipse solus*, dit le *Speculum Saxonicum*, lib. III, art. 64, *apud Goldastum*, *Consuetudinum imperialium* pag. 162. Voyez Haltaus, *Glossarii* pag. 94, 174 et 1110. De là vient, selon Wachter, *Glossarii* pag. 114, le nom de banlieue. L'ancien droit provincial d'Allemagne défend à quiconque n'a pas le ban du roi de condamner à d'autre peine afflictive qu'à celle du fouet, cap. 74, § 2 : « Swer dez bannez niht en hat von dem Kunige, der mag niht gerihten, wan ze hute, und ze hare. » Voyez Mageru, *de Advocatia armata*, cap. 5, num. 443, et Bœhmer, *Observat. ad Petrum de Marca*, lib. I, cap. 12, observ. 18, § 2.

XVI. Si tamen aliquos vocaverint in domos suas judices, sive causidicus, illique non venerint, non ideo culpabiles erunt alicujus compositionis.

XVII. Officium custodis cippi, sive carceris est omnes custodie sue commissos diligenter servare.

XVIII. Quod si aliquem perdiderit, vicem ejus culpe subibit, nisi violenter ei ablatus fuerit (8).

XIX. Ejus etiam officium est ad suspendium dampnatos ad patibulum educere, oculos dampnati panno preligare, patibulum erigere, scalam apponere, usque ad scalam reum applicare : tunc demum assumet eum vicarius advocati, et laqueo collo innexo illum suspendet.

XX. Si vero non fuerit presens vicarius advocati, servabitur reus in custodia, quousque causidicus causam hanc referat ad episcopum.

XXI. Item, si quis dampnationem pellis et pili acceperit, hanc penam cipparius infliget.

XXII. Si quis vero dampnatus fuerit manu, idem cipparius tenebit bartam (8 *), vicarius advocati librabit malleum ligneum et amputabit manum.

XXIII. Idem advocati vicarius eruet oculos (9), truncabit testiculos, decollabit, et ceteras penas omnes exequetur pro varietate criminum.

XXIV. Est item cypparii officium, ut ita sit obediens theloneario et monetario, sicut causidico.

XXV. Pulsatos etiam coram causidico, vel judicibus vocare debet ad judicium.

XXVI. Est autem iste modus vocationis. Nominabit hominem pulsantem, intimabitque adversario suo quod pulsatus sit, sed viva voce præsenti ubicunque ei occurrerit, vel ad domum illius nunciabit primo, secundo, tercio ad inducias noctis unius.

XXNII. Si facta una vocatione, vel secunda, vel tertia non venerit, et nuncius judicis probaverit tercia manu, quod tres illas vocationes, vel saltem primam ore ad os fecerit, illi judici componet triginta solidos (10.).

XAVIII Vocatus autem ad judicium tempore prime se presentare debet, et quamdiu judex sedebit in judicio, tamdiu pulsatorem expectabit, aut licentia judicis recedet. Non autem ideo debet ei negare licentiam abeundi, si petierit. Quod si judex appellaverit eum, quod constituto tempore non venerit, ille jurabit se ibi fuisse, aut componet ei.

XXIX. Causidicus, vel judex nihil judicare debet, nisi quod coram ipso delatum fuerit. Qui si convictus fuerit sine judiciario ordine et justo judicio aliquid fecisse, de jure perdet officium suum.

XXX. Civem in procinctu itineris existentem scilicet jam navim ingredientem, aut equum, vel currum ascendentem nullus concivium suorum per querimoniam impedire debet. Sed quia adeo se neglexit, quod causam suam in illum articulum distulit, justum est, ut quicquid adversus illum habet usque ad reditum ejus differat.

XXXI. Si quis concivem suum pulsaverit extra civitatem coram alio judice, pro hac culpa debet componere, et judici civitatis, et ei quem pulsavit, dampnumque illi restituere, quod ex querimoniis ejus acceperit (11).

XXXII. Nulli solvenda est compositio, nisi cui facta est compositio.

XXXIII. Omnis autem compositio, que pro frevela fit, ascendit ad triginta solidos. Compositio, que fit pro geltschulda, pulsatoris est illius missetat qui pullatus est, judicis vero est tertia pars illius missetat.

XXXIV. Si quis fecerit compositionem judici et pulsatori, illamque ad certas inducias non persolverit, si causa usque ad finem rationabiliter fuerit perducta, servandus est in publica custodia quousque reddat primo pulsatori suam compositionem, deinde judici.

XXXV. Si quis alium fuerit injuriatus verbo, vel facto in populo, si ambo volunt stare ad judicium populi, judex determinabit secundum judicium et dictum populi. Sin autem pulsatus simplici sua assertione se expurgabit, vel cum ille convincere poterit duello.

(8) La loi des Visigoths (*lib.* VII, *tit*, 4, *num.* 3) prescrit la même chose : « Si ipse carcerarius, aut custos quos compeditos habet sine judicis jussione aliqua fraude laxare præsumpserit, eandem pœnam, vel damnum quod ipsi fuerant excepturi, sustineat. » On lit aussi dans le diplôme de Louis le Débonnaire de l'année 824 pour l'abbaye d'Ebersmünster : « Quod si captivus aufugerit, ipsi (custodes cippi) noxæ subjaceant. »

(8 *) *Barta*, hache, cognée.

(9) On arrachait les yeux principalement aux criminels convaincus de perfidie et de trahison. Haltaus dans son Glossaire Germanique, *pag.* 69 *et sqq.*, donne plusieurs exemples de ce supplice infligé aux traîtres. On faisait coucher ces criminels sur une échelle le ventre en haut pour leur faire cette opération, comme on peut le voir dans le *Layen-Spiegel* imprimé en 1511. L'usage de crever les yeux aux princes était fort pratiqué par les empereurs grecs.

(10) L'ancienne version allemande de ces lois, faite au XIII[e] siècle, traduit le mot *solini* par *scellinos.* Eccard, *in notis ad Legem Salicam* pag. 13, croit que de *solidus* on a fait insensiblement *scholigus*, *scolingus*, enfin *scellingus.* Mais cette étymologie est plus ingénieuse que vraie. En général le mot *solidus* a été employé dans les anciennes lois pour désigner une certaine somme destinée à payer les amendes, d'où ce nom a passé peu à peu de la désignation de l'amende à celle de l'argent, avec lequel on la payait. Wachter, *Glossarii* pag. 1416, dérive le mot *schilling* de *scylan*, qui chez les Anglo-Saxons signifie *diviser*, *séparer*, parce que le *schilling* est une partie du grand sol divisé et partagé en plusieurs petits sols. On lit dans la loi Salique (tit. 1, num. 1) : « Si quis ad mallum legibus dominicis mannitus fuerit et non venit, si eum sumis non detinuerit solidorum quindecim culpabilis judicetur. »

(11) L'ancien droit municipal de Worms rappelé par Schannat *in Historia episcopatus Wormatiensis* (tom. I, part. II, pag. 203) prescrit à peu près la même chose : « Si quis civium suum concivem alias extra civitatem, quam coram episcopo et suis, ac civitatis judicibus, super quacunque se Iraxerit in causam, ille dabit XXX solidos Wormatienses ad pœnam, et deponet patienti damna quæcunque ab ipso sustinuerit. »

XXXVI. Si quis concivem suum sive judice, vel nuncio judicis infra septa domus sue, vel atra sui temere invaserit, componet judici triginta solidos pro frevela : illi, quem invaserit, componet suam missetat (12) triplicatam.

XXXVII. In omnes curias fratrum de claustris, vel ministerialium, in quibus ipsi corporaliter non habitaverint, jus habet scultetus, vel judex vocandi ad judicium et cogendi inhabitatorem.

XXXVIII. Similiter, et ministros fratrum de quocunque claustro jus habet judicandi de ipsis, scilicet in causis pertinentibus ad mercaturam, si volunt esse mercatores.

XXXIX. Quicunque intraverit civitatem debitor existens alicujus hominis, si pulsatus fuerit coram judice, canonicus, vel ministerialis, in cujus domum ille forte hospes intravit, presentabit eum sculteto ad justiciam : quod si non fecerit, pro illo respondere tenebitur.

XL. Omnium compositionum factarum pro furto et pro frevela due partes sunt causidici, tertia advocati. In quibus talis est servanda distinctio. Si compositio facta fuerit advocato, ejus est dividere sibi terciam partem, causidico duas. Ipse enim accipiet compositionem sibi factam, et quamcunque summam in accipienda compositione ipse formaverit, sive parvam, sive magnam, illam causidicus nec minuere, nec augere debebit, sed ratam habebit.

XLI. E contrario, si facta fuerit compositio ipsi causidico, ejus erit jus accipere duas partes, et terciam advocato dare. Et similiter quamcunque compositionis ipse summam formaverit, advocatus non cassabit.

XLII. Advocatus autem non debet judicare nisi in palacio episcopi. Quod si in domum suam aliquem vocaverit, ille, qui non venerit, non ideo quicquam et componet.

XLIII. Mortuo vero advocato, vel vacante advocatia quocunque modo, episcopus nullum advocatum ponere debet sine electione et consensu canonicorum, ministerialium et burgensium (13).

XLIV. *De officio burcgravii et Theloneo ejus.*

Ad officium burcgravii pertinet ponere magistros omnium officiorum fere in urbe, scilicet sellariorum, pellificum, apothecariorum, sutorum, fabrorum, molendinariorum, et eorum qui faciunt vasa vinaria et pincarios, et qui purgant gladios, et qui vendunt poma, et cauponum (14). Et de eisdem habet potestatem judicandi, si quid deliquerint in officiis suis.

XLV. Locus autem judicationis et emendationis eorum est in palacio episcopi.

XLVI. Si qui vero predictorum inobedientes facti fuerint burcgravio, ipse causam defert ad episcopum.

XLVII. Item ad jus burcgravii spectat quedam thelonea accipere, ut gladiorum qui vaginis inclusi portantur in foro venales. Aliorum autem, qui in navibus de Colonia, vel undecunque portantur, theloneum accipiet thelonearius.

XLVIII. Item olei, nucum, pomorum undecunque adducta fuerint et vendita pro nummis, theloneum accipiet burcgravius. Si vero pro sale, vel vino, vel frumento, vel quocunque alio precio vendita fuerint, theloneum dividet burcgravius cum theloneario.

XLIX. Preter predicta, omnia thelonea alia pertinent ad officium thelonearii, quæ tamen fiunt diverso modo.

L. Si quis de navi una in alteram navim mercaturas suas transposuerit, de utraque navi dabit quatuor denarios.

LI. Quicunque mercator transierit in hanc civitatem cum soumis suis, si nichil vendiderit vel emerit, nullum theloneum dabit.

LII. Quicunque de familia Ecclesie hujus vir, vel mulier vendiderit in hac civitate res, quas vel manibus suis fecerit, vel que creverint ei, non dabit theloneum. Et si quid emerit ad opus suum, quod gracia lucri vendere noluerit, similiter theloneum non dabit. Si quis tamen imposuerit ei, quod res vendite sibi non creverint, ab ipso facte non fuerint, vel causa lucri emerit, simplici manu sua se expurgabit.

LIII. Si quis emerit, vel vendiderit citra quinque solidos, theloneum non dabit.

LIV. De quinque solidis nummum dabit, de talento quatuor, de equo quatuor, de mulo quatuor, de asino denarium.

LV. Theloneum de carbonibus et de canapo thelonearius non accipit, quod episcopi hucusque sum-

(12) *Missetat.* Ce mot signifie une mauvaise action, ou une faute criminelle. *Schilteri et Haltausii Glossaria*, pag. 590 et 1352. *Missetat* dérive de *that*, action, et de *miss* qui ajoute à l'action la marque de méchanceté. *Watchteri Glossarium*, pag. 1082.

(13) Ce mot ne signifie pas en géneral tous les bourgeois de la ville, mais seulement les principaux, comme étant l'élite des bourgeois. C'est l'explication que donnent à ce mot Haltaus, *Glossarii* pag. 197, et Moritz, *Abhandlung vom Ursprung deer Reichsstætte*, part. II, cap. 9, pag. 387.

(14) Selon la transaction passée en 1263 entre l'évêque Henri de Geroldseck et la ville de Strasbourg, *apud Schilter in notis ad Chrouicon Kœnigshovii*, (observat. 12, pag. 729), *et Wencherum de Usburgeris*, (pag. 24), le bourgrave de l'évêque devait veiller particulièrement sur les corps de métiers, dont l'inspection seule lui appartenait. Il avait le droit de commettre en son nom dans chaque maîtrise un maître pour connaître uniquement des objets relatifs à son métier. Les métiers formaient alors neuf tribus, savoir celles des corroyeurs, des charpentiers, des tonneliers, des fruitiers, des fourbisseurs, des meuniers, des maréchaux, des peintres et des selliers. Ces tribus étaient, au XIV[e] siècle, au nombre de vingt-huit ; elles furent réduites en 1442 au nombre de vingt-quatre, et en 1482 à celui de vingt.

pserunt, sicut et bannum de vino (15) et panes, qui dicuntur bernbrot (16), obtinuerunt.

LVI. *De officio theoloncarii.*

Ad officium thelonearii pertinet omnes mensuras minutas, sive grandes in sale, in vino, oleo, frumento a magistro cauponum formatas ignito ferro cauteriare; et eas nulli debet concedere, nisi forsan concivi suo ad amam vini (17), vel quartale frumenti, et in hujusmodi parvis et sine pretio.

LVII. Has tamen quicunque civium voluerit ad opus suum habere, licet ei, ita quod ex theloncarii conscientia et per ipsum signate sint. Sicut etiam licet unicuique burgensium pondera librarum in domo sua propria habere, ita tamen quod a monetario sint formata.

LVIII. Est item officium thelonearii omnes pontes de nova urbe, quoiquot fuerint necessarii, et Burcgravii omnes de veteri construere ita firmos, quod cum plaustris et jumentis suis quilibet secure possit transire. Quod si ex vetustate, vel nimia attritione, vel quacunque debilitate pontium aliquis dampnum accepit, thelonearius, aut burcgravius singuli in suis cogentur de jure restituere.

LIX. *De officio magistri monetariorum.*

Sequitur de officio monetarii. Hic ex jure potestatem habet judicandi in falsam monetam, et in ipsos falsarios, tam in civitate, quam extra per totum episcopatum, sine omni judicum contradictione.

LX. Ubicunque invenerit falsarium in toto episcopatu, adducet eum in civitatem, et secundum judicium civitatis judicabit.

LXI. Debet autem moneta esse in eo pondere, quod viginti solidi faciant marcam, qui denarii dicuntur pfundig. Et hec stabilis et perpetua currere A debet in hoc episcopatu, nisi forte falsata fuerit. Tunc enim per consilium sapientum mutabitur secundum aliam formam, non secundum pondus.

LXII. Locus autem percutiende monete est juxta piscatores (*codex secundus legum legit :* est prope fore juxta stationem carnificum). In una autem domo percutiendi sunt denarii, ut omnes invicem opera manuum suarum videant.

LXIII. Nullus facere deuurio debet, nisi qui sit de familia hujus Ecclesie.

LXIV. In loco, ubi cambitores sedent, nullus alius homo argentum emere debet, nisi soli denariorum percussores. Alibi per totam civitatem emant et vendant argentum quicunque volunt, nisi propter novam monetam interdictum fuerit.

B LXV. Quanto nova moneta percutitur et vetus interdicitur a dia interdictionis nunciabuntur terne quatuordecim dierum inducie, scilicet sex septimane, in quibus monetarius quemcunque voluerit potest impetere, quod interdictam monetam acceperit. Quod si ille negare voluerit, cum septima manu jurabit se non fecisse, alioquin componet monetario sexaginta solidos.

LXVI. Finitis sex septimanis, nullum impetere debet, nisi quem viderit accipere interdictam monetam.

LXVII. Si viderit, accipiet denarium, ducet eum in judicium, ibique ipsum pulsabit. Et si ille negaverit, cum honestis tribus personnis convincet eum quod acceperit, et convictus sexaginta solidos com- C ponet ei. Quod si noluerit eum convincere, ipse manu sua se expurgabit.

LXVIII. Non licet autem aliquem impetere, nec

(15) Le ban-vin, ou ban à vin, en allemand *bannwein*, est un droit qui compète au seigneur, auquel il est permis de vendre, ou faire vendre seul son vin pendant un certain nombre de jours, fixé différemment par les coutumes ou les usages, en des temps et lieux marqués, et cela à l'exclusion de tous ses sujets qui ne peuvent alors en débiter. Voyez du Cange, *Glossarii* tom. I, pag. 980, de la Mare, *Traité de la Police*, liv. v, tom IV, pag. 796, Schilter, *Glossarii Teutonici* pag. 83, et Haltaus, *Glossarii Germanici* pag. 98. Le droit de ban-vin, dont jouissaient les évêques de Strasbourg dans leur ville épiscopale, durait pendant six semaines à compter des premières vêpres de Pâques. Il fut changé dans la suite en une espèce de rétribution nommée *bannwein-gelt*, par laquelle les cabaretiers livraient à l'évêque une mesure par chariot de vin, qu'ils débitaient dans l'intervalle du ban-vin. « In civitate Argentinensi nostra de viro bannus dabatur, videlicet omni anno a vesperis pasce, usque ad sex ebdomadas de qualibet carrata vini una ama, que a cauponibus ibidem medio tempore vendebatur. » C'est ainsi que s'exprime Henri, évêque de Strasbourg, dans les lettres de 1252, par lesquelles il vend à la ville son droit de ban-vin pour la somme de quatre cents marcs d'argent. Les évêques l'avaient accordé précédemment en fief aux seigneurs de Lichtemberg, qui l'avaient donné en arrière-fief aux nobles de Beger. Le droit de ban à vin avait été d'une bien plus grande étendue jusqu'à l'épiscopat d'Othon, qui vivait sur la fin du onzième siècle. Il paraît par un diplôme de l'empereur Henri V de l'année 1119 que tout le vin qui se vendait dans Strasbourg depuis le jour de Pâques jusqu'au 8 de septembre, se vendait au profit de l'évêque, qui retirait deux pots de chaque mesure. « Vini venditio a die sancte Pasche, usque in nativitatam Sancte Marie per totam civitatem fiscum episcopalem respexerat, ita ut ab unaquaque venalis vini carrada due situle, quod nos Teutonice ama vocamus, fisco episcopali persolverent. »

(16) Le *berenbrot*, ou *bernbrot*, était une espèce de droit, que les bourgeois étaient obligés de payer à l'évêque en pain. *Brod* se dit *pain* en français, et *beren* est un vieux mot tudesque qui signifie *donner* ou *payer*. *Schilterus, in Glossario Teutonico,* pag. D 101. Un ancien mss. cité par Schilter, *ibid.* pag. 102, détermine le prix de chaque pain du *berenbrod* à un pfenning. Les geands officiers de l'Église de Strasbourg percevaient pour leurs revenus plusieurs de ces pains. On lit dans le registre des possessions et fiefs de cet évêché, composé vers l'an 1345, que le grand chambellan recevait chaque semaine de la table épiscopale dix-sept pains *berenbrod*, le grand échanson huit et demi, et le grand panetier ou le grand maître de la maison en percevait sept. Plusieurs autres personnes attachées par leurs fonctions au palais épiscopal retiraient pareillement des rentes en *Berenbrod.*

(17) *Ama vini.* Mesure de vin. Voy. Ducang. *Gloss.* tom. I, pag. 364.

debet quisdam componere, nisi pro denariis, qui dicuntur phundig.

LXIX. Si quis etiam coram monetario dampnationem manus acceperit, judicabitur sicut supra coram causidico.

LXX. Si episcopus voluerit argentum de camera sua fundere, et inde denarios percuti, accipiet illud magister monete, et dividet inter monetarios, ut inde denarios faciant. Et si denarii sunt phundig, reddet de marca viginti solidos, minus duobus denariis.

LXXI. Si autem in quocunque pondere leviori percussi fuerint, semper duobus denariis minus reddetur de marca.

LXXII. De camera episcoqi ministrabuntur eis carbones. Ad marcam dantur tria sextaria carbonum.

LXXIII. Quando novam monetam episcopus percuti jubet, a principio quinque solidi fiunt in ea forma et pondere, quo moneta cursura est.

LXXIV. Hos servabit burcgravius, quandiu moneta illa durabit, racione ut : Si forte moneta illa falsata esse accusetur, per illos quinque solidos examinetur et certificetur.

LXXV. Monetarius quoque jurabit, quod in eo pondere et forma, quam illi quinque solidi habent, monetam sit percussurus.

LXXVI. Quando monetarius ferramenta, in quibus denarii formantur, episcopo resignabit, reddet ei duo in forma nummorum et duo in forma obulorum. Preterea alia omnia ita ex toto resignabit, quod jurabit se non habere plura, nec scire aliquem habere. In quibus forme delebuntur et frangentur, fragmentaque monetario reddantur, aut ipse cum licentia episcopi integra et illesa retinebit.

LXXVII. Quicunque jus monetariorum habere desiderat dimidiam marcam auri dabit episcopo, monete magistro quinque denarios auri, monetariis viginti solidos gravis monete.

LXXVIII. Quando episcopus monetam mutare voluerit, ferramenta monete per sex ebdomadas dabit.

LXXIX. Quicunque monetarius extra civitatem habitans in civitate argentum emerit, justiciam monete persolvat.

LXXX. Quicunque muros, vel vallum civitatis dissipaverit, componet quadraginta solidos burcgravio.

LXXXI. Quicunque super stratam edificaverit, similiter dabit ad emendationem burcgravio. Nulli vero debet licentiam dare.

LXXXII. Nemo fimum, aut purgationem ante domum suam ponat, nisi statim educere velit ; exceptis locis ad hoc statutis, scilicet juxta macellum, item juxta sanctum Stephanum, itemque juxta puteum in foro equorum, et apud locum qui dicitur Gewirke.

LXXXIII. Vallum civitatis debet in circuitu habere extra a muro sexaginta pedes, intus triginta pedes.

LXXXIV. Quicunque molendinum facere voluerit, licentiam a burcgravio et consensum burgensium queret : quibus duobus habitis, aureum nummum burcgravio dabit.

LXXXV. Nemo tribuat theloneum de nattis, de pullis, de anseribus, de ovis, de porris, de caulibus et aliis quibuscunque oleribus, de scutellis, de bechariis, nisi vendat valens quinque solidos.

LXXXVI. Nemo porcos in civitate debet habere, nisi pastori eos committat.

LXXXVII. Curtis autem, ubi porci pascuntur, est inter portam, que dicitur vellemannes burgetor, et aliam portam proximam.

LXXXVIII. *De jure episcopi.*

Ad jus episcopi pertinet, ut de hac civitate habeat viginti quatuor legatos, et hos tantum de genere mercatorum. Quorum officium est infra episcopatum tantum facere legationes episcopi ad homines suos. Qui si dampnum interim aliquod passi fuerint, vel in persona, vel in rebus suis, quas in itinere duxerint, episcopus debet eis restituere.

LXXXIX. Debent singuli singulis annis hujusmodi legatione ter fungi cum expensis episcopi. Hiis ex parte episcopi talis honor exhibendus est, quod in suis festivitatibus, quando homines suos invitaverit, debent honestas coram ipso sedes habere ad prandium, ut eisdem hominibus suis eo nociores efficiantur.

XC. Cum episcopus intraverit civitatem, equi stabulandi sunt in dominico stabulo, quod incipit ab hospitali et procedit in circuitu muri usque ad pomerium episcopi.

XCI. Si plures habuerit equos, assument eos causidicus, vel judices sui, et marscalcus et stabulabunt eos in domibus, ubi peregrinorum solent esse hospicia. Si plures equos habuerit, non ponet eos de jure in aliquibus aliis domibus civitatis, nisi id per preces obtinere poterit.

XCII. Si autem imperator, vel rex intraverint, equi sui ubique hospitabuntur.

XCIII. Debent etiam singuli burgenses in singulis annis quinquies operari numero dierum in dominico opere ; exceptis monetariis omnibus, qui sunt de familia ecclesie, et exceptis duodecim inter pellifices, et exceptis sellariis omnibus, et quatuor inter cyrothecarios, et quatuor inter panifices, et octo inter sutores, et fabris omnibus, et carpentariis omnibus, et carnificibus, et cupariis vinariorum vasorum.

XCIV. *Ce curti dominica.*

Ad curtim dominicam, que est infra civitatem, dabit causidicus tredecim boves ad aratra episcopi, quos sumet de casu hominum Ecclesie morientium, et jumentum unum, quod magister curtis equitabit et semina ducet ad agros.

XCV. Dabit etiam duodecim sues et duos verres, unum ad opus episcopi, alium ad opus burgensium.

XCVI. Episcopus in eadem curti ponet stadela-

rium. Stadelarius dabit aratrum et egedam (18).

XCVII. Cetera omnia, que necessaria sunt, prebebit causidicus, excepta mercede et annona servientium.

XCVIII. Judicum uterque dabit in messibus quinque solidos, et magister molendinariorum unum solidum, et magister cauponum unum solidum, ad emendum panem in messibus.

XCIX. Et quando trituratur frumentum episcopi, dabit utrique judici maldrum unum (19), quia judices et precones custodire debent frumentum episcopi in messibus, dum metitur.

C. Boves ad aratra episcopi pertinentes non debet causidicus in alium usum applicare, nisi foret ad colendam suam schuchbuze, nec episcopus in alios aliquos usus transferre, nisi aratri sui.

CI. Si inter hos boves unus, vel duo, vel plures senio, vel aliquo alio modo, preter morbum contagii, fuerint inutiles redditi ad culturam, carnifices debent carnes eorum vendere, et nummos causidico dare, et interim nulle alie carnes vendende sunt.

CII. *De pellificibus.*

Inter pellifices duodecim sunt, qui cum expensis episcopi facere debent pelles et pellicia, quantum episcopus habuerit necesse. Horum materiam magister pellificum, assumptis secum quotquot fuerint necessarii de his duodecim, emet de argento episcopi vel Maguntie, vel Colonie. Si dampnum aliquod in via acceperint tam in rebus, quam in captivitate, episcopus debet eis restituere.

CIII. *De fabris.*

Fabrorum jus est, quando episcopus ierit in expeditionem imperatoris, quod quilibet faber dabit equorum ferramenta quatuor cum clavis suis, de quibus dabit episcopo burcgravius ad viginti quatuor equos, reliqua sibi retinebit.

CIV. Si ierit episcopus ad curiam, quilibet dabit duo ferramenta cum clavis suis, de quibus burcgravius ad duodecim equos dabit episcopo, reliqua retinebit.

CV. Preterea fabri debent omnia facere, que necessaria habuerit episcopus in palacio suo, sive in januis, sive in fenestris, sive in januis vasorum, que de materia ferri fieri conveniat, data eis materia ferri, et ministrata interim vivendi expensa.

CVI. Si castrum aliquod episcopus obsederit, vel ei obsessum fuerit, trecentas sagittas dabunt. Si pluribus eguerit episcopus, de sumptibus suis et expensis sufficienter amministrabunt.

CVII. Clausuras et catenas ad portas civitatis obserandas, datis sibi de republica sumptibus et expensis, facere debent.

CVIII. *De sutoribus.*

Inter sutores octo sunt, qui episcopo eunti ad curiam, vel, expeditionem imperatoris dabunt thecas candelabrorum, baccinorum (20) et cyphorum. Reliqua omnia, quecunque necessaria fuerint ad predicta, vel ad obsidiones castrorum, sive in bulgis, sive in bustris (21), sive in quacunque conveniente predictis negociis suppellectile de nigro corio facienda de sumptibus et expensis episcopi, facient.

CIX. *De cyrothecariis.*

Quatuor inter cyrothecarios eunti episcopo ad curiam, vel expeditionem dabunt quantumque fuerit necessarium de albo coreo ad thecas candelabrorum, baccinorum et cyphorum. Reliqua omnia, quantumcunque fuerint necessaria ad predictas res, et ad castrorum obsidiones, de albo coreo facient de sumptibus et expensis episcopi.

CX. *De sellariis.*

Sellarii episcopo eunti ad curiam duas sellas soumarias dabunt, ad expeditionem imperii quatuor. Si pluribus eguerit, de sumptibus et expensis episcopi facient.

CXI. *De purgatoribus gladiorum.*

Episcopo eunte in expeditionem, vel ad curiam, qui gladios poliunt debent purgare gladios et galeas vicedomini, marscalci, dapiferi, pincerne, camerarii et omnium, qui necessarii et cotidiani sunt ministri episcopi. Præterea purgabunt venabula episcopi, si necesse fuerit.

CXII. *De becherariis.*

Becherarii omnes becharios, quoscunque necessarios habuerit episcopus vel in curia sua, vel imperatoris, cum eum adierit, vel proficiscens ad curiam imperatoris, de sumptibus et expensis ipsius, facient. Magister autem cupariorum dabit materiam lignorum. Præterea cottidie dabit ligna becherariis episcopi.

CXIII. *De cupariis.*

Cuparii, data materia lignorum a magistro suo, et circulis ligaminibusque datis a cellerario episcopi, facient omnia quæcunque necessaria habuerit episcopus domi existens, vel imperator, vel imperatrix cum presentes fuerint, ad balnea sua, et preterea ad coquinam, et ad opus pincernarum. Similiter et cum vadit ad curiam, eadem omnia prebebunt cum sumptibus et expensis episcopi. Preterea omnia vasa vinaria parva et magna episcopi ligabunt, cum sumptibus et expensis ejus.

(18) *Egedam* herse.

(19) *Maldrum unum.* Le *malder* était une mesure allemande pour les solides contenant quatre boisseaux, selon les Glossaires de Schilter et de Ducange *pag.* 563 *et tom.* IV, *pag.* 376. Wachter dans le sien (*pag.* 1032) dérive le mot *malder* de *malen*, qui signifie *moudre*.

(20) Le *bacchinus*, selon du Cange, tom. I, pag. 905, et Carpentier, tom. I, pag. 413, était proprement un vase pour contenir de l'eau, d'où est dérivé le mot français *bassin.* On lit dans Grégoire de Tours (*Hist.* c. 28) : « Cum duobus pateris ligneis, quas vulgo *bacchinon* vocant. »

(21) *Sive in bulgis, sive in bustris. Bulga* est un tres-ancien mot celtique, qui signifie un sac de cuir. Festus dit : *Bulgas Galli saccos scorteos vocant.* Voyez les Glossaires de Schilter et de Wachter (*pag.* 228 *et* 104). La version allemande traduit *bustrum* par *laden*, qui désigne en français une *boite*.

CXIV. *De cauponibus.*

Cauponum jus est singulis diebus lune purgare necessarium episcopi et granarium, si habere voluerit.

CXV. *De molendinariis.*

Molendinarii et piscatores debent episcopum in aqua vehere quocunque voluerit inter Rust superius et Velletor inferius; quibus thelonearius prebebit naves quotcunque fuerint necessariæ. Ipsi enim cum remis suis intrabunt et reducent eas ad pomerium episcopi, unde et duxerunt cum expensis ipsius. Dabunt autem piscatores duos viros, molendinarii tercium virum. Si de sua negligentia naves perdiderint, solvent. Si vi fuerint eis ablate, episcopus restituet.

CXVI. *De piscatoribus.*

Piscatores debent piscari ad opus episcopi inter nativitatem sancte Marie et festum sancti Michahelis singulis annis tribus diebus et tribus noctibus, A cum omnibus suis instrumentis, cum aqua plus fuerit idonea, inter Velletor inferius in Reno et Rust superius; in Alsa usque Ebersheim, in Bruscha usque Mollesheim, in Schuttura usque Merburg, in Kintsika usque Kinzdorff, cum expensis episcopi. Infra terminos hos nullus eos excludere audeat ab aliqua aqua, nisi que sub claustro coarctata est.

CXVII. In Bruscha a vallo superiori civitatis usque ad inferius, juxta sanctum Stephanum, nullus audeat piscari sine licentia episcopi, vel dapiferi sui.

CXVIII. *De carpentariis.*

Carpentarii singulis diebus lune debent in opus episcopi ire cum expensis ipsius. Cum summo mane B venerint ante palacium, non audeant recedere ante sonitum campanæ, que ad missam mane pulsatur. Si interim non fuerint in opus episcopi assumpti, liberi illa die recedant. Non sunt cogendi ire in alicujus opus alterius, nisi episcopi.

ANNO DOMINI DCCCCXCII

ADSO

DERVENSIS IN PARTENSI CAMPANIÆ PAGO COENOBII MONACHUS

NOTITIA HISTORICA

(Apud Oudinum, *Supplementum de Scriptoribus ecclesiasticis*, p. 308.)

Adso monachus divi Benedicti, postea Dervensis abbas factus, circa annum 980 insigni litteratura et in temporalibus œconomia refulsit, cujus laudes abunde exsequitur auctor libri *Miraculorum sancti Bercharii* abbatis Dervensis, quem evulgavit Joannes Mabillon sæculo II Sanctorum ordinis divi Benedicti, pagina 844. Ibi num 11 : « Postmodum excedente vita domno Alberico, Adso abbas effectus, basilicam sanctorum a beato Berchario quondam exstructam parvissimam reputans, maximi templi fundamenta jecit : duas villas Drejam et alteram quæ vocatur Puellare-Monasterium incuria antecessorum amissas, cœnobio recuperavit, » etc. Scripsit *Vitam sancti Bercharii* quæ habetur Sæculo II. Sanctorum ordinis D. Benedicti, pag. 831 ; *Gesta quoque sancti Basoli confessoris*, quæ ibidem pag. 67 ; *Translationem et Miracula ejusdem sancti Basoli*, quæ sæculo IV Sanctorum ord. div. Benedicti tom. II, pag. 137 ; item *Vitam sancti Frodoberti abbatis primi Cellensis* prope Trecas, quam habes Sæculo II Sanctorum ordinis divi Benedicti, pag. 626, cum *Historia Translationis reliquiarum ejusdem sancti Frodoardi*, Sæculo IV, istorum Sanctorum tom. II, pag. 243. Denique *Vitam Mansueti primi Tullensium episcopi*. Mortuus est Adso anno 992. De quo in præludiis suis ad dictas legendas Joannes Mabillon.

DE ANTICHRISTO

(*Vide inter Alcuini Opera, Patrologiæ tom. CI, col.* 1289.)

VITA S. FRODOBERTI

ABBATIS PRIMI CELLENSIS PROPE TRECAS

AUCTORE ADSONE ABBATE DERVENSI

(Apud Mabill., *Acta sanctorum*, Sæc. II, *Camuzati Promptuario et Bollando.*)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ

1. Vitam S. Frodoberti [S. Fraubert], abbatis ac conditoris monasterii S. Petri, in insula Germanica, prope Trecas Campaniæ civitatem, « licet justo brevius scriptis alligavit Lupellus (infra, n. 21), » ejus discipulus : cujus lucubrationem utique deperditam auxit exornavitque alter monachus Cellensis anonymus, etsi longe posterior ætate, non tamen auctoritate aut eruditione destitutus. Hunc monachum Cellensem fuisse, conjicimus ex Vitæ subjectæ num. 11, nec longe post translationem, tempore Caroli Calvi factam, vixisse colligimus ex num. 23, ubi de Frodoberti statura loquens ait : « Ut illi quoque perhibent, qui ejus sacratissimi corporis ossa se aspexisse fatentur. » Nisi fortean is est Adso abbas Dervensis, qui, « Odonis abbatis Cellensis precibus, Vitam confessoris Christi Frodoberti primi ipsius monasterii (Cellensis seu insulæ Germanicæ) instauratoris et abbatis sermone veracissimo et simplici stylo exaravisse, » sæculo scilicet decimo, legitur in libro II De Gestis S. Bercharii abbatis. Quidquid sit, solam hanc nancisci potuimus lucubrationem, cui in codice ms. monasterii Vallislucentis præponitur carmen quoddam haud spernendi auctoris, qui sæculo VIII vivebat; subjicitur vero translatio S. Frodoberti heroico metro scripta, cum duobus sermonibus in festo S. Frodoberti habitis; quæ omnia beneficio R. P. Claudii Mailletii exprioris, ex ipso monasterio accepimus. Solum damus carmen prævium, ne eadem cum nausea recantare videamur.

2. Monasterium insulæ Germanicæ in suburbio Tricassino, ad occidentalem ejusdem urbis plagam, in loco palustri *Insula Germanica* dicto circa annum Christi 650 ædificatum; post sæculum octavum a tumulo S. Bobini episcopi Tricassini, monachi antea amplificatorisque sui, *Cella Bobini*, ac sæpe *Cella*, recentioribus *monasterium S. Petri de Cella*, vulgo *Monstier-la-Celle* appellatum est. Quo ex manasterio præter Aldobertum et S. Bobinum episcopus, S. Robertum abbatem postea Molismensem aliosque, prodiit Petrus, Cellensis dictus, abbas ejusdem cœnobii, deinde S. Remigii apud Remos, demum episcopus Carnotensis, scriptis et doctrina illustris. Nunc cella sub RR. Patribus congregationis Benedictinæ S. Yitoni reflorescit.

CARMEN DE SANCTO FRODOBERTO TRECENSI ABBATE

Ex Codice Vallislucentis.

Qui cupis in paucis perpendere grandia verbis
En potis es parvo cernere magna libro.
Si placet antiquos studio percurrere fastus,
His placeat rebus hoc novitatis opus.
Fortia magnorum celebrantur gesta virorum;
Nos celebramus opes hic, Frodoberte, tuas.
Qui puer a primo doctrinæ deditus ævo,
Imbueras teneros rore madente animos;
Indeque Luxovii vitæ subjectus honestæ.
Relligionis opem sumis amando fidem.
Mox Trecassinam repetens cœlestibus urbem
Muneribus plenus et bonitate probus :
Lucida divinæ diffundens dogmata normæ,
Ut prosis multis utilitate viris.
Cella dehinc placuit, strictis habitatio septis;
A In qua concluso fida fuit statio.
O quam multiplices dedit hæc clausura labores,
Solus in astrifero dum tenet ora polo!
Sed mage mens artata suos habitura triumphos,
Quo stricte vixit, latior inde fuit.
Tunc artus paries tenuit parvissimus antri :
Nunc retinet magni spiritus ampla poli;
Cujus opus, Bobine sacer, te præside crevit,
Antistes meritis magnificande tuis :
Per tua nunc Frodobertus ovans consulta beatus,
Continet Ecclesiæ culmina celsa suæ.
Hoc opus egregium quod cernimus (1) undique saxis
Collatis fundas, altaque tecta levas.
In quibus æterna stabilis sub laude cohortes,
Stat monachile decus, quod regit Altithronus.

(1) Hinc apparet poetam istum, qui monachus Cellensis fuisse videtur, vixisse paulo post S. Bobinum, et quidem ante sæculum IX, siquidem ex sequenti Vitæ num. 26, basilica a S. Bobino exornata et amplificata, circa medium sæculum IX, *antiquitate operis collapsa succubuit.* Colitur S. Bobinus in Martyrologiis Bened. et Gallicano IX Kalend. Maii, qui dies translationis ejus est; nam dies ejus natalis ignoratur. De eo infra num. 13.

Stant et millenæ numerosa præmia palmæ,
  Quæ hæc aula suis conferet emeritis.
Hic redeunt tristi venientia lumina fronti;
  Morborumque greges hic cecidere graves.
Claudus init gressum nodis compage salutis;
  Hicque dedit faciles terra negata vias.
Dæmonis et solitas furor hic collapsus in auras
  Desinit in mentem membra redire suam.
Quos augusta premunt surgentem damna malorum,
  Hic refluunt causæ corporis atque animæ.
Si quemquam scelerum depressit culpa nocentum,
  Si petit hic veniam, hinc retulit salubrem.
A Innumerabilium retinet liber iste bonorum
  Præmia, virtutes, miraque gesta, dapes.
Quos si quis recitare velit, millena supersunt,
  Pagina quæ siluit, nec liber iste canit.
Nam pia facta sacris si quis comprehendere libris
  Vellet, inexhaustus vinceret hora dies.
Pauca fidem faciant brevibus qui incredulus istis,
  Et dubitator erit, nec potiora capit.
Jam tibi perpetuæ maneant in sæcula laudes.
  O Frodoberte, tuo et miserere gregi.
Te retinet regnum per gaudia longa supernum;
  Tandem fac tecum nos retinere polum.

INCIPIT VITA.

Frodobertus Tricassium quo tempore floruerit.

1. Fuit vir vitæ valde venerabilis, egregiæ ac pretiosæ memoriæ Frodobertus, quem singulari fide et probitate sanctissimum, cive felicissimo divinitus cumulata Trecassensis oppidi tellus effudit, parentibus quidem mediocribus ortum, sed incomparabili mentis nitore clarissimum. Quippe qui inter ipsa jam teneræ ætatis primordia vas electionis manifestissime designatus, in infantis pectore spiritualem ac perfectissimum agebet virum, annorum exiguitatem sanctitatis et gratiæ doto compensans. Diligentius sane temporis serie revoluta, sub rege Francorum Clodoveo Dagoberti filio, itemque Clothario juniore ejusdem Clodovei filio, hic ipse sacerdos pretiosus et abbas eximius deprehenditur floruisse, cum apud præfatam urbem Trecassinam Ragnegisilus pontifex vicem apostolicam ministraret. Fuit autem idem Ragnegisilus natione Aquitanus, septimus decimus jam dictæ civitatis episcopus; de quo fertur inter cætera quod basilicam B. Savinæ virginis in fundo sui juris construxerit, ecclesiam cui præsidebat hæredem instituens, in quaque honorifice sepultus jacet. Vixit autem B. Frodobertus sub quinque suæ civitatis episcopis (2), asque ad Abbonem, qui vicesimus primus ejusdem urbis pontifex exstitisse cognoscitur.

Studiis traditur. Implet opere quod dicit.

2. Verum ut ad rerum ordinem recurramus, confestim ut ætas pertulit, prædicti pontificis Ragnegisili scholis parentnm studio mancipatur. Ibi sanctis studiis enutritus, quid fidei, quid probitatis jam in semetipso prætulerit, explicari non potest. Denique amore cœlestis patriæ impense flagrans, quiquid in divinis lectionibus intellectu capere poterat, mox ad effectum sancti operis instantissime transferebat. Itaque indefesso studio purissima Scripturarum fluenta frequentans, interioris hominis faciem, quasi adhibito quodam splendidissimo speculo componebat; scelusque reputabat permaximum si vel parnm quiddam legeret, quod non e vestigio efficaciter B adimpleret; illud secum et frequentius et familiarius replicans, non auditores tantum legis apud Deum, sed factores potius justificari (*Rom.* II, 13). Tum vero cerneres eum priorum sibi Patrum exempla certatim æmulanda proponentem, vixque discernere sufficeres in quo virtutum genere perfectius emicaret. Atque ut se totum Deo rationabilem victimam, et spirituale mactaret holocaustum, ad usum se continuæ orationis applicuit, quietisque impatiens, apostolicum præceptum, quod sine intermissione orandum docet (*I Thess.* v, 17), a seipso importunius exigebat. Jejunii vero observantiam non tam frequens quam continuus exercebat, doctus auctoritate Dominica, hoc duplici pugnandi genere nefandissimum illud dæmoniorum genus posse depelli C (*Matth.* XVII, 20). Hujusmodi armaturam jam tum in divinæ militiæ scholis novus Christi miles adsumpserat, et cœleste nuper professus tirocinium, sese ad debellandas spirituales nequitias circumspectius præparabat.

Dæmonem signo crucis fugat.

3. Interea his tam sanctis tamque optimis studiis non defuere livida hostis callidi tentamenta. Futuræ enim in eo sanctitatis excellentiam, humanæ salutis adversarius jam in annis puerilibus invidebat. Unde sicut ipso postmodum referente compertum est cum pro discendo Psalterio scholam expeteret, crebro se diabolus ejus aspectibus ingerebat, pavidos per naturam animos ingenti minarum et formidinis arte concutiens. Verum puer divini ingenii, dæmonicæ fraudis et versutiæ non ignarus, salutaris signi cly- D peo non minus frontem quam pectus armabat, Deumque sibi adjutorem invocans argumenta inimici callida viriliter proterebat.

Matri visum restituit.

4. Jamque tempus aderat, ut lucerna quæ sub modii latibulis eatenus fuerat occultata, sidereæ claritatis in populo jubar infunderet. Namque ut cujus esset apud Deum meriti longe lateque claresceret, sibi placitam puerili innocentiæ puritatem, superna

(2) Nempe Ragnesilo, Leuconio, Bertoaldo, Wammiro et Abbone Felice, qui cum Leudegisilo antistite Remensi nonnulla commutasse legitur apud Frodoardum lib. II, cap. VI.

dispositio dignata est miraculo declarare. Contigit itaque matrem ejus, oculorum suffragio destitutam, luminis dispendium incurrisse; cumque longam in cæcitatem noctem trahens, vitam mœrore consumeret, die quadam filium inter amplexus demulcens, obsecrat ut manu sua crucis signum super oculos ejus exprimeret. Quod cum ille abnueret, mater vero importunius perurgeret, tandem materna permotus instantia, invocato Domino, salutiferum signum super oculos genitricis expressit. Illico cedentibus tenebris lux amica revertitur, et parvuli merito filii magnum matri beneficium cumulatur. Hoc contestim miraculum per cuncta vulgatum, universos quidem stupore perculit, quosdam vero etiam ad sanctæ vitæ imitationem ardentius incitavit.

Clericus Luxovium tum celebre petit.

5. Exin prænominatus pontifex, egregiam in adolescente animi puritatem et præcelsam virtutis efficaciam contemplatus, divinis eum ministeriis imposito clericatus officio mancipavit. Posthæc charitatis sollicitudine et divini lucri studio animatus, ad Luxovium cœnobium spiritualis profectus gratia dirigere instituit, ut religiosorum imitatione allectus, et ipse in virtutibus cresceret, et regioni suæ postmodum sanctitatis ac perfecfionis exempla dulcissima reportaret. Præerat tunc ei cœnobio Walbertus abbas, vir et religione inclytus et sanctitatis opinione famosus. Quo cum ex præcepto pontificis pervenisset, a sanctis illius loci Patribus grata exsultatione suscipitur atque in congregationie contubernium deputatur. Cujus animi candor et præclara simplicitas brevi cunctis innotuit. Mirabantur omnes in juvene humilitatem eximiam, abstinentiam incomparabilem, patientiam singularem, quodque cœlestibus semper intentus desideriis vitam angelicam inter homines proferebat. Erat eo tempore prænominatum Luxoviense cœnobium, in Gallicis regionibus pene singulare tam in religionis apice quam etiam in perfectione doctrinæ. Qua ex causa plurimi, quibus in utramvis partem proficiendi fervor inerat, ad eumdem locum certantibus studiis undique confluebant.

Simplicitas ejus suspecta tentatur a Teudoleno.

6. Quo ergo tempore B. Frodobertus inibi morabatur, vir apostolicus Bertoaldus Lingonicæ urbis episcopus, quemdam ex cœnobio S. Sequani abbatem, Teudolenum nomine, eruditionis gratia illuc destinare curavit. Ad cujus diversorium B. Frodobertus frequentius accedebat, ut assolet ætas juvencula coævorum sibi familiaritates ardentius applicare. Ille autem tanta in viro Dei animi puritate comperta, curiosa levitate impulsus, sedulo explorare cœpit utrum ea simplicitas ex fonte manaret intimæ puritatis, an, sicut nonnullis familiare est, subdolam mentem simulata innocentia palliaret. Ob hanc rem tam ab ipso quam a quibusdam loci fratribus ludibriis crebro fatigabatur ineptis, cum tamen ille nulli contradiceret, neminem læderet, sed nec læsus vicem referret. Ita enim vitam instituerat suam ut illatas injurias patientia vinceret, illud Davidicum frequentius replicans : *Ut jumentum factus sum apud te* (*Psal.* LXXII, 23). Itaque simplicitatem infucatam mundanæ semper astutiæ præferebat, eligens ludibriis stultus effici sæculo, ut posset sapiens esse in Deo.

Eximium simplicis obedientiæ exemplum edit.

7. Una igitur dierum cum se ad præfati Teudoleni hospitium contulisset, ille ludibrii simul et experimenti gratia rogavit eum, ut ad cujusdam fratris in monasterio cellulam pergens, circinum ad se deportaret, asserens usum illius sibi esse necessarium in scribendo. Ille dicto citius gressum rapuit, atque ad designatum fratrem rapido cursu pervenit; qui et simplicitatis ejus conscius, et ludibrii ob quod directus fuerat non ignarus, medium molæ collo ejus imposuit, utque id ad diversorium Teudoleni quam citissime ferret obnixius imperavit. Nihil ille cunctatus, exceptum onus ferebat æquanimiter, quanquam ita lapidis pondere gravaretur, ut vix alternis passibus promoveret incessum. Inter hæc reverendissimum virum Walbertum abbatem obvium habuit, cui hoc ipsum a nonnullis fratribus jam fuerat nuntiatum. Cernens igitur venerabilis abbas ovem Christi mansuetissimam injusto fasce gravari, altius ingemuit, et hujus afflictioni, et illorum condolens levitati. Moxque vehementius increpatum impositum onus humeris dejicere imperat, causamque perquirit diligentius qua se tantopere fatigaret. At vir summæ innocentiæ, scribendi usibus asserit esse necessarium quem ferebat circinum, dicens quod ex præcepto Teudoleni ad cujusdam fratris cellulam deportaret. Cum enim esset omnimode æstutiæ expers, quid esset circinus penitus ignorabat, hoc tantum esse existimans, quod impositum collo ferebat. Tandem abbas simplicissinum viri animum conspicatus, pietatis intuitu erumpit in lacrymas, accitisque eis qui sanctum virum tanta crudelitate fatigare præsumpserant, acrius solito increpat, ac pro facti temeritate debitæ satisfactionis pœnitudinem indicit. Hisque ita correptis, cæteri deinceps fratris injuriis temperarunt. O virum angelicæ puritatis participem, et Salvatoris nostri imitatione felicem, qui sicut ovis ad victimam ductus est, et cum male tractaretur, non aperuit os suum! Fidenter dixerim, inquam, præceptis evangelicis singulariter parens, percutientem se non repercuteret, atque mille passus a quolibet angariatus, duo millia ultro properaret (*Matth.* v, 41). Utque amplius inferam, si quis eum ad supplicium protraheret, pœnalem ei crucem imposuisset, sponte susciperet, mansuetisque ferens in humeris, Christum Dominum sequeretur.

Trecas reversus ab episcopo retinetur. Quadragesimale jejunium rigide exercens, ab episcopo probatur.

8. Annis posthæc pluribus interjectis, ad urbem Trecassium pro episcopi sui desiderio et parentum visitatione cum quibusdam fratribus remeavit. Aliquot sane diebus apud præfatum suæ urbis antistitem

commoratus, redeundi unde venerat licentiam postulabat. At pontifex saniori usus consilio, tantum ac talem virum a se dimittere non sibi fore integrum arbitratus, violenta hunc auctoritate retinuit. Sancto igitur Quadragesimæ tempore accedente, in secretiore se cellula condens, cum orationis et vigiliarum instantia, acerrimis se cœpit jejuniis coarctare. Cum enim semper incomparabili abstinentiæ virtute polleret, his tamen diebus austeriorem sibi carnis macerationem corporis sui hostis indixerat, adeo ut plures continuosque dies absque ullius cibi adminiculo consummaret. Denique annorum curriculo recurrente, dum se duabus vel tribus Quadragesimis hujusmodi crudelitate conficeret, hæc vitæ illius institutio ad notitiam defertur pontificis, nec defuere malevoli, qui sanctitatem ejus invido dente carpentes, dicerent eum, aut latenter edere, aut corpus suum inedia velle perimere. Proxima igitur inimminente Quadragesima, pontifex talium curiosus, intra porticum ecclesiæ cellulam ei constituit, in qua solitæ devotionis officio, abstinentiæ tempora consummaret. Sæpius namque cellam ex improviso penetrabat episcopus, certius cupiens experiri quanto ferveret studio sanctitatis, quantamque in virtute abstinentiæ superna pietas illi gratiam ministraret. Moxque criminatorum fallacia patuit, et sanctæ conversationis ejus sinceritas episcopali curiositate probata refulsit; quodque antea simulationi deputabatur, ad divinæ laudis transiit incrementum.

Oleo sacro morbos curat. Crucis signo fugat dæmones.

9. Ex eo tempore fama beatitudinis ejus longe lateque personuit, adeo ut ex remotioribus quoque locis infirmantium ad eum catervæ confluerent, sanctitatis ejus merito sospitatis beneficia reposcentes. At vir Deo dignus in humilitatis arce persistere cupiens, nil de se præsumere, nil unquam passus est suis viribus assignare. Oleum tantummodo benedicens, super ægrotos Christi nomen obnoxius invocabat, quo peruncti, receptis viribus, votorum compotes ad propria remeabant. Jam vero in effugandis dæmonibus ea virtutis præstantia præpollebat, ut cuicunque energumeno in fronte vel pectore signum crucis imprimeret, mox ejus compellente imperio malignus spiritus effugatus abiret. Jure enim tanta ei potestas in expulsione dæmonum applaudebat, ut eis fiducialiter imperaret, qui totum se divinorum submiserat obedientiæ præceptorum.

Suas virtutes suis propalat.

10. Erat mos viro sanctissimo, ut siquando cum discipulis colloquium familiare inserebat, quæ a se clam gesta fuerant, ædificationis vel exempli gratia eis narraret, bona scilicet opera sua non arroganter ostentans, sed sapienter et humiliter manifestans, ut et divina laus per ipsum imo in ipso cresceret, et audientium animos ad sanctæ imitationis studium informaret. Quantum enim favoris vel jactantiæ refugus fuerit, cultus vitæ solitariæ declaravit.

Clodoveo juvante cœnobium condit.

11. Denique humanæ conversationis ardens vitare collegia, sollicita secum frequentius mente volvebat quonam loco suæ professioni ac proposito opportunum habitaculum collocaret. Et quanquam plurimi nobilium regionis, sanctitati ejus familiarissime cohærerent, ineptum tamen duxit a quoquam eorum partem agri vel prædii postulare, non sibi solum, sed etiam posteris consulens, ne religiosa fraternitas, quam ipse in sacro habitu aggregare cupiebat, a quolibet sæcularium pro loco suæ habitationis quid inquietudinis vel molestiæ pateretur. Quocirca divino aspirante consilio regiam profectus ad aulam, munificentia Clodovei illustris quondam regis Francorum, locum quemdam palustrem in suburbio Trecassinæ urbis obtinuit, qui antiquo ritu Insula Germanica vocabatur. Deinceps vero post decessum Clodovei, filium ejus Clotharium secundo anno regni ejus expetens (*anno* 656), annuente venerabili Balthilde regina ejusdem Clotharii matre, super præfato loco privilegium (3) regiæ auctoritatis denuo meruit adipisci. Quod quia in Archivis cœnobii nostri (4) usque hodie continetur, hic quidem inserere superfluum duximus, quoniam legere cuique volenti inpromptu adesse fatemur.

12. Erat autem locus idem partium quidem fisci, tamen, ut dictum est, paludibus refluens ac crebra lacunarum eruptione scaturiens, arbustisque refertus silvestribus, bestiarum potius ac serpentum quam hominum frequentiæ competebat. His itaque regum auctoritatibus instructus, quodque est maximum superno auxilio roboratus, horribilis loci squalores expetiit, dataque principali opera, virgultis erutis, lacubusque siccatis, spatium habitationi congruum præparavit. Ibi cellula oratorioque Frodobertus constructo, cum paucis primo quidem fratribus solitarius vixit divinæ contemplationi deditus, et angelicis semper actionibus occupatus.

Monasterium rebus et personis auget. Inde plures ad episcopatum assumpti.

13. Inclytus ergo Frodobertus jam tunc cœpit amplificare sibi suisque concessum habitationis locum, patrimonii sui quæcunque fuerunt prædia possessionesque ex integro in commune inibi contradens, et quæstum copiosum servorum, ancillarum, agrorum præterea et vinearum, sub testamentis, quæ hactenus habentur, dato pretio instantissime acquirens. Sed et mox parentes illius viri beati largissimas ei rerum gazarumque suarum condonaverunt portiones instrumentis ex lege rite perfectis. Processu vero temporis, locus idem religiosorum frequentia in robur incrementi convaluit, nobiliumque eo confluentium largitate ditatus, rerum ac possessionum terminos dilatavit; sed et congregationis monasticæ numerus in dies copiose succrescens, nobile ac famosum reddidit usquequaque cœnobium. Nec illud prætereundum, quod ex ejusdem loci cœ-

(3) Exstat in Promptuario Antiq. Tricas. pag. 19.

(4) Sic etiam nomine monachorum S. Basoli loquitur Adso abbas licet Dervensis, in Actis S. Basoli superius ad ann. 620.

nobitis B. Frodoberti vitam institutionemque sequentibus quamplures postmodum in urbe Trecassium exstitere pontifices, inter quos Aldobertus vir summi ingenii et præcipuæ sanctitatis; itemque Bobinus, natione Aquitanus (5); quorum uterque ipsi loco ingentia commoda contulere, intra extraque quibus possibile fuit amplificando modis, sicque in plenitudine bonorum operum diem ultimum consummantes, intra septa basilicæ ejusdem monasterii nobilem sortiti sunt sepulturam. Quibus ita digestis rerum gestarum ordinem repetamus.

In Parthenone sancti Quintini ejus meritis vinum augescit.

14. Florebat in sancto viro spiritualium profectuum indeficiens gratia non exemplis solum et moribus, sed etiam miraculorum splendore solemni commendata. In quo quanta fuerit largitas, quantaque affluentia charitatis, una ipsaque simplici relatione constabit. Contigit eum quodam tempore in puellarum cœnobio, quod B. Quintini martyris (6) nomini consecratum, intraque urbem situm est, duo vini vascula triginta ferme modiorum capacia commendasse, quod locus idem ei esset familiarissimus, ac speciali charitatis glutino copulatus, ejusque eruditioni ac regimini peculiariter mancipatus. Nam cum pro suæ sanctitatis merito ab omnibus principali reverentia coleretur, id sibi quisque summum deputabat bonum, si ejus familiaritati vel mediocriter conjungi meruisset; utque in omnibus et apud omnes sese affectuosius ageret, deque omnibus incunctanter præsumeret, cunctis gratissimum et peroptabile erat. Cumque illic sæpe charitatis officio, ad sumendum poculum plurimos convocaret, die quadam apothecariam solito cellam ingressus, pavimenti faciem vini exuberantia reperit superfusam; veritusque ne forte vasculi incontinentia liquoris dispendium provenisset, fratrem, qui secum forte venerat, os superioris meatus inspicere præcepit. Quo facto (mirum dictu quod est) vinum superne redundans aspicitur; satisque aperte constitit quod quanto hauriebat propensius charitas, tanto benigna Creatoris largitas hausta profusius reformabat. Ejus nimirum hoc factum creditur pietate, qui cum nos misericordes esse jubeat et dare indigentibus, ut nobis quoque plurima dentur; in qua tamen mensura tribuimus, in eadem nobis remetiendum nihilominus repromittit (*Matth.* VII, 2; *Marc.* IV, 24). Est enim manus divina non larga solum, verum etiam dives et proflua. Nec metuendum ne forte largitatem sequatur inopia, quoniam, ut ait Apostolus: *Qui seminat in benedictionibus*, (*II Cor.* IX, 6) etc; *quique administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit incrementa frugum justitiæ nostræ* (*Ibid*, 10).

Sanc'os pie colit.

15, Familiare fuit præterea viro Dei supernam patriam infatigabiliter sitienti sacra loca devotius circuire, sanctorumque martyrum vel confessorum festivitates, siquando revoluto anni circulo recurrissent, debita cum veneratione suscipere. Nam illud sibi specialiter indixerat, ut sacrorum dierum ferias peculiari qudam observatione tractaret, ut putares eum ipsis jam martyribus commori, nec jam terrenæ molis usibus detineri.

In festo S. Quintini a dæmone in oratione turbatur.

16. Ita quondam adveniente splendidissima solemnitate B. Quintini martyris pretiosi, a monasterii ipsius abbatissa, Rocula nomine, cæterisque sanctimonialibus religionis gratia invitatus est, ut officiis divinæ celebritatis vir sanctissimus interesset, tantæque festivitatis gaudia, sanctitatis ac meritorum sublimium lampade illustraret. Nam excepta devotione erga sanctos incomparabili, etiam illud eum sacra loca festis diebus frequentare cogebat, quod eis spirituale regimen adhibebat. Nec distulit quin veniret, devotarum Deo sanctimonialium desideria reputans non debere frustrari. Expleto igitur sacrarum vigiliarum officio vespertino, vulgique multitudine ad nota diversoria redeunte, vir sanctus in ecclesia perstitit, seque ipsum secretis orationibus mancipans, spirituales excubias exercebat. At præfata abbatissa, quid sanctus vir gereret non minimum curiosa, cum quibusdam sanctimonialibus in basilica se occultans, egregiam orationis instantiam compunctionisque illius largissimam ubertatem sedulo cum sororibus mirabatur. Mox saluti humanæ, contrarius, feliciumque operum quam maxime æmulus adfuit inimicus, qui mundissimum Dei holocaustum, etsi non penitus tollere potuit, veneno tamen suspectæ fraudis fœdare tentavit. Nam candelabrum, cui cereus impositus erat, subvertit, exstinctoque lumine. quod noctis et tenebrarum esset amator evidenter ostendit. Vir tamen Domini in orationis studio perstitit; nec mundanis tenebris fuscari potuit, cui Christus auctor et fons luminis præsentissimus fuit; cujus exterior oculus etsi nocturnis tenebris caligavit, mens tamen intima, semperque ad contemplandum Deum purissima, veræ lucis lampade coruscavit.

Ab energumeno ridetur.

17. Interea paucorum dierum interlabente curriculo, ad basilicam B. Aventini confessoris, ejus gratia ex more Christi famulus accedebat. Cumque jam fores ecclesiæ perintraret, contingit quemdam energumenum dæmone exagitante vexari; qui rabida peste captivus, cum miserum os in amentia verba laxasset, inter cætera famina pectoris furiosi, B. Frodoberti sæpius nomen ingeminans, sancto viro verbis procacibus insultabat, quod eo sacras exercente vigilias, solatium luminis detraxisset. At miles Christi strenuissimus, diabolicæ fraudis conscius, nulla hostis arte concuti, nulla potuit minarum intentione terreri, cui Christus erat præsidium, et contra hostiles machinas inexpugnabile firmamentum. Quin

(5) Lege carmen, supra.
(6) Illud Parthenon redactum est in prioratum Molismensi abbatiæ subjectum.

potius quanto adversum se certamina dæmonum acriora cognoverat, tanto se robustius ad spiritualem pugnam contra invisibiles nequitias præparabat.

Angelicas voces audit.

18. Operæ pretium est illud quoque fidelium auribus tradere, quod ei sæpe, annuente Domino secreta cœlestis curiæ pandebantur; et quoniam semper mente in cœlestibus habitabat, haustum supernæ jucunditatis divina ei pietas frequentius propinabat, ut tanto ad hanc ardentius curreret, quanto suavitatis ejus dulcedinem appetentius degustasset. Die enim quadam venerabilis Theudecarius ejusdem abbas suburbii, visitationis pariter et instructionis suæ gratia ad eum venerat, ut mos erat cunctis per circuitum religiosis hunc ipsum sanctum virum frequenter expetere, quatenus ejus et exhortatione instrui, et benedictione possent sanctissima roborari. Cum itaque circa horam fere tertiam Frodobertus Spiritu sancto plenus, cum præfato viro Christianissimo Theudecario abbate, fructuosum ac spirituale colloquium sereret, audivit angelorum choros harmonica suavitate ineffabilique concentu cœlestes hymnos ad sanctæ et individuæ Trinitatis gloriam concinentes. Cujus canorem dulcedinis postquam aliquandiu attonitis auribus hausit, præfatum Theudecarium huic miraculo testem adhibuit. Quo etiam postmodum referente, ad notitiam plurimorum res tam mirifica decurrit. O beati viri meritum singulare! qui quamvis adhuc mundi incolatum ageret, voces tamen agnoscebat in cœlis angelicas, Redemptore nostro hoc illi divinitus largiente, qui discipulis suis hora tertia Spiritum sanctum misit de cœlo.

Furiosam mente restituit.

19. Quædam ejusdem regionis mulier, Bertha a parentibus nuncupata, sensus rectitudine perdita, miseræ dementiæ alienationem incurrerat, quæ humanæ cohabitationis contubernium fugitans, vaga semper instabilis incertis sedibus ferebatur. Hanc parentes anxii ad beati viri præsentiam perduxerunt. At ille visceribus pietatis commotus infelicis sortem indoluit; seque mox in orationem corruens dedit, profusis lacrymis alienæ lucraturus commercia sanitatis. Nec diu dilata sunt supernæ clementiæ munera copiosa; namque ut ab oratione consurgens vivificæ signum crucis capiti ejus imposuit, mox miserabili cedente dementia, plenitudinem sensus sospitatis integritate recepit, longoque vivens postea tempore, ad sanctitatis ejus testimonium, suæ secum circumtulit gaudia sospitatis. His et hujusmodi virtutibus gratissimum sibi militem divina excellentia provehebat; quemque in superni regni apice eminentissimum collocare decreverat, in hujus quoque sæculi excursu insignem ac celebrem reddere per frequentia miracula non cessabat.

Morbo correptus diem mortis prædicit.

20. Jam enim tempus e proximo ferebatur, quo athletam suum Christus a periculoso mundi hujus agone subtraheret, atque in statione castrorum cœlestium victorem quietissimum solidaret. Jam, inquam, tempus aderat, ut pro multorum sudore certaminum, pro singularis abstinentiæ cruciatibus, pro universis denique operibus pietatis, fessum jam corpore bellatorem ad sese reciperet, atque in paternis mansionibus collocatum gloriæ et honoris stemmate decoraret, æternitatisque et immortalitatis amictu circum latum angelis insereret, apostolis sociaret. Itaque facili corporis ægritudine corripitur, qui tamen animo indeficiente robustus, bravium æternæ remunerationis prosequi nitebatur. Jamdudum enim ut Christo coesset, corporeæ molis præoptabat carcere solvi; quanquam propter instructionem fidelium, in carne esse necessarius probaretur. Cui ad summæ securitatis solatium hoc etiam muneris divina majestas adjecit, ut eidem sacri sui transitus diem a sæculo revelaret. Qua tandem revelatione percepta, totum se mox ad divinitatem contulit, nec mori metuens, nec corporeæ dispositionis dispendium reformidans; verum in secum sæpenumero volvens, quoniam si terrena hujus nostræ habitationis structura dissolvitur, multo melior in cœlestibus præparatur. Quinetiam illi anteactæ vitæ conscientia terroris minimum, fiduciæque plurimum conferebat, quod non præsenti sæculo, sed Deo vixerat; quod suæ voluntati divinam semper prætulerat, quod præmiis cœlestibus indefesse suspirans, Deum sibi præ oculis posuerat esse præsentem. Igitur ægritudine invalescente, discipulos convocat, eisque quam ex divina revelatione perceperat, sui diem transitus declarat. Cumque grex mitissimus de vigilantissimi pastoris decessu simul et absentia tristaretur, altius exhortationis sermone concepto, omnes compescit a fletibus, congratulandum potius sibi quam dolendum affirmans, quod qui hactenus exsul vixerat, nunc patriæ redditus ad sui Regis convivium vocaretur. Illud vel maxime sæpe contestans, ut normam sanctæ institutionis, quam ipso et docente didicerant, et operante conspexerant, inviolabili tenore usque ad vitæ terminum conservarent.

Ecclesiam novam die natali Domini postulat dedicari. Episcopo recusante, vitæ inducias impetrat.

21. Interea dies Dominicæ nativitatis cœlo terraque festivissimus, ac toto orbe colendus illuxerat. Accitis itaque duobus nominatim discipulis, Leone scilicet viro sanctissimo, qui tum in eodem suburbio abbas mitissimus existebat, itemque Lupullo, qui vitæ et conversationis ejus insignia, ut ipsius scripto declaratum est, licet justo brevius litteris alligavit, ad Abbomen virum reverentissimum ejusdem tunc urbis antistitem summa eos celeritate direxit, obnixius supplicans, ut oratorium quod ipse honori apostolorum principis in superius descripta palude construxerat, die ortus Dominici consecraret. Creverat siquidem opitulante Deo monachorum congregatio, et majorem quam prima fuerat alteram construxit ecclesiam. Qua pontifex supplicatione percepta, atque apud se rationabiliter expenso negotio,

prudenti moderatione excusavit factum, asserens illud die qua petebatur minime posse compleri; quod eum cum clero suo festivitatis officiositas cumulatius occuparet, et consuetudo ecclesiastica eo die id fieri nullo modo consentiret. Discipuli festinantius remeantes sancto Patri responsa pontificis detulerunt; quod ille pertractans diligentius et rationabile esse perpendens, elevatis manibus in cœlum et lacrymis ora perfusus: Parcat, inquit, mihi Dominus vosque filii indulgete, quod minus circumspecte negotium cogitans, fraternitatem vestram in eundo et redeundo casso labore compulerim. Ne tamen sancta mens suis usquequaque desideriis frustraretur, divina est pietate consultum. Siquidem sacri obitus dilatione percepta, in octavum Dominicæ nativitatis diem spatium vitæ produxit, ita Domino vota ejus sanctissima prosequente, ut una eademque die per manus jam dicti pontificis, et basilica consecrationem, et gleba sacri ejus corporis acciperet sepulturam.

Lector coram eo Evangelium legens, capitis dolore liberatur. Sanctus moritur.

22. Itaque cum juxta morem Christianæ observantiæ Kalendis Januariis Dominicæ circumcisionis celebritas immineret, ad felicem transitum urgente ægritudine sancta anima citabatnr. Nec sic tamen a sanctis monitis linguæ officium continebat, assistentes sibi discipulos indefessus exhortans, quatenus inter se insolubile charitatis vinculum custodirent, atque in exhibitione salutaris obedientiæ persistentes, timorem Dei semper sibi ante oculos revocarent. Jamque sole ad telluris infima doclinante, præfatum Lupellum, qui ei familiarius obsequi consueverai, maturius præcepit evocari. Eo coram adducto, ut sacrum Evangelium ante se legeret imperavit. Ille autem dolore capitis acrius torquebatur. Cumque, et ipse postmodum retulit, ad parendum sanctis imperiis quamvis ægre animum appulisset, in ipso mox legendi exordio ita universus dolor abscessit, ut nil doloris, pristinæ nil molestiæ resideret. Interea per totius noctis excursum Deo semper intentus, cum inter spiritualia colloquia hora succederet, expleta solemniter a fratribus in ecclesia psalmodiæ et orationum quantitate, universos denuo jubet adesse discipulos; dumque ante eum textus passionis legeretur Dominicæ, sub oculis omnium sancta anima carnis exuta velamine, felici decessu cœlestia penetravit (7).

Gibitrudi et sanctimonialibus sui desiderium relinquit. Proceræ fuit staturæ.

23. Et illo quidem ita ex humanis assumpto collegiis, extemplo reverentissimus nepos ejus Waldinus, qui postmodum loco avunculi in eodem ipsius monasterio abbas successit, gressu concito in cœnobio S. Quintini ad memorabilem Gibitrudem abbatissam perveniens, sancti viri obitum nuntiavit. A Illico omnium pectora novus quidam et pene intolerabilis dolor irrupit, parsque salutis absumpta putabatur tanti Patris absentia succedente. Universo itaque sanctimonialium cœtu in fletum et lacrymas erumpente, venerabilis abbatissa viscerali commota pietate, rapto cursu ad sancti viri exsequias quam celerrime properavit. Cumque inter eos de funeris diligentia tractaretur, illa perquirente an loculus tumulando præparatus corpori adesset, responsum est, emptum quidem esse a quodam illustri viro Walberto nomine lapideum monumentum, verum proceritati corporis ejus nullo modo convenire. Fuit enim ibi sacratissimus vir non solum animo splendidus, sed etiam venusto et procero corpore speciosus, ut illi quoque perhibent, qui ejus sacratissimi corporis ossa se aspexisse fatentur. B Missis itaque raptim ministris ad id devehendum, mox mirum in modum miraculo claruit quod summi esset meriti, cui funebres exsequiæ parabantur. Nam cum idem Walbertus quosdam e domesticis direxisset, qui emptum sarcophagum iis qui illud deferre venerant assignarent, superna dispensante clementia, tanta eos alienatio mentis elusit, ut pro vasculo breviore quod emptum fuerat, aliud spatiosius et capacius, quod sibi idem Walbertus præparaverat designarent. Quod illi vehiculo imponentes, ad locum quo vir sanctus se tumulandum decreverat, quam citissime perduxerunt. Ita omnipotens Deus, cui cura est de omnibus, nec ipsis quidem cineribus electi sui famuli quidpiam deesse passus est opportunum.

C *Sepelitur ab episcopo post ecclesiæ novæ dedicationem.*

24. Universis igitur ad usus sepulturæ pertinentibus elegantissime præparatis, supradictus reverendissimus pontifex, abhatum suburbanorum clerique ac populi agmine circumseptus, ad B. Frodoberti exsequias properat, cum adhuc sacrum ejus corpus in cella Christiano more compositum jaceret. Qui primum, ut ratio expetebat, ad præfatæ basilicæ dedicationem accingitur peragendam; quam cum solemni officio explevisset, sacrum corpus cum reverentia elevans in ecclesiam intulit, ac die ejusdem dedicationis, Kalendis scilicet Januariis, cum hymnis et laudibus et universo ecclesiastici officii apparatu pretiose in eadem basilica, quam ipse construxerat, tradidit sepulturæ. Ita vir Domini terræ visceribus officiosissime commendatus, septimam D Sabbati cum Christo in anima celebrat, octavam vero nostræ omnium resurrectioni generaliter repromissam interritus, imo de gloria securus exspetat, etsi corpore mortuus, meritis tamen vivacibus in perpetuum gloriosus.

Miraculis fulget.

25. Requievit itaque in eadem basilica per quamplura annorum volumina, multo confluentium undique populorum agmine frequentatus, et pene assiduis

(7) Nempe Kalendis Januariis, sicuti in Martyrologio Cellensi, quanquam in aliis fere Martyrologiis recentioribus vi Idus ejusdem mensis, qui dies translationis ejus est, celebratur. Cum Clothario Clodovei junioris filio haud diu supervixerit ex num. 11, supra ejus obitum anno circa 673 reponimus. Ejus reliquiæ ibidem asservantur.

miraculorum successibus sedulo declaratur. Quis enim ad sanctam ejus memoriam fideliter oraturus accessit, quem non continuo affectus devotæ orationis adjuverit? Varia denique ibi tam animarum quam corporum remedia præstabantur, dum et debilibus optata sospitas, scelerum immanitate depressis felix indulgentia proveniret. Sed et si quis capitali qualibet afflictione detentus, ad sancti se præsidium contulit, ejus consolatus beneficio, celere mox levamen invenit. Ita benignus Conditor per electissimum sui nominis confessorem multa et mirifica peragebat; quemque virtutem copiosis bonorum operum stipendiis cumulaverat, mortuum quoque indefessis miraculorum titulis sublimabat. Quocirca universorum pectora mirus erga sanctum fervor accenderat, ita ut plurimi contiguorum nobilium, sed et sanctimonialium feminarum, non modica locum ipsum prædiorum quantitate ditarent, tam pro adipiscenda sepultura quam omnes ibidem quam maxime expetebant; quam etiam ut his qui sacro famulabantur corpori, competens alimonia non deesset, utque ii, quos ex remotis regionibus sancti fama sedulo contrahebat impensæ humanitatis officio juvarentur.

Sancti cultus unde neglectus. Prudentius novam ecclesiam remotis prius corporibus dedicat.

26. Interea currentium temporum labente defluxu, cum et iniquitas abundaret, et multorum cœpisset refrigescere charitas (*Matth.* XXIV, 12), universus ille erga sancti officium fervor intepuit, cultuque religionis cessante, illa olim frequentia rarescente, ad tempus tepuere miracula. Hujus autem temporis vel torporis perniciosa incuria hoc ordine incurrit. Fabrica ejus ecclesiæ, quam ipse (ut superius constitit) ædificaverat, in qua sacrum ejus corpus debitis obsequiis diutius fuerat frequentatum et conservatum, antiquitate operis paulatim collapsa succubuit, ac nemine fulciente, ruinæ funditus dispendium traxit. In cujus loco altera cum exstrueretur ecclesia, venerabile B. confessoris corpus in crypta prioris basilicæ immotum intactumque permansit. Erat per idem tempus præfatæ sedis antistes, Prudentius nomine (8), natione Hispanus, pontificalis vitæ institutione clarissimus, in divinis rebus undecunque non mediocriter eruditus. Is ad prædictæ basilicæ consecrationem a fratribus evocatus, diligentius percunctatur utrum inter sacrandos parietes sepulta aliquorum cadavera tegerentur. Cumque comperisset inesse quamplurima, universa prius de templo eliminanda præcipit, contestans se non aliter consecrationis officium suscepturum; ignorabat enim adhuc prænominatus pontifex B. Frodoberti meritorum eximiam claritatem, tempus negligentia obscuratam: quippe qui vitam illius fide et miraculis plenam, nec lectione perceperat, nec uspiam catenus haberi comperit.

S. Frodoberti corpus referre volens Prudentius morte prævenitur.

27. Explicita sane templi dedicatione, cum in urbem reversus miracula per sanctissimum confessorem patrata ex revolutione gestorum ejus curiosius cognovisset, primo quidem semetipsum præteritæ ignorantiæ vehementius arguit, quodque tanti Patris causam minus honeste tractaverat mordaciter reprehendit, ac deinceps suæ sedis archidiaconum cum universo clericorum diregit apparatu, obnixe præcipiens, ut corpus viri præcellentissimi in ecclesiam cum ingenti reverentia referretur. Simulque terminum diemque præfixit ut ipse veniens, condigna illud honorificentia collocaret, ac sacræ translationis ejus festivitatem, publica officiositate percelebrans, perpetuo ritu posteris frequentandam indiceret. Verum hujus sancti proventum desiderii, supervenientis ægritudinis pondus elusit. Nam vicina evestigio morte præventus, quod pie disposuerat explere non valuit.

Otulfus id exsequitur. Sancti sepulcrum variis prodigiis illustratur.

28. Itaque usque ad annum incarnati Verbi 872, qui est annus Caroli (Calvi) imperatoris et regis Franciæ 31 (32), negotium restitit imperfectum. Otulfo religiosissimo ac venorabili episcopo, qui post ipsum tertius (9) floruit. Trecassinæ jam Ecclesiæ gubernaculo disponente, solummodo intra basilicæ ambitum collocatus. a loci fratribus cauta venerabatur diligentia, nullis populorum conventibus frequentatus, nulla solemni præeminentia celebratus. Non tamen superna benignitas sidus illud perspicuum caliginosis latebris diutius passa est occultari, quin et ipsius merita mundo patescerent, et efficax intercessio populis subveniret. Ea itaque tempestate cœpit se erga locum divinæ præsentiæ magnitudo quamplurimis fratrum ostendere, ac frequentium visionum portentis servorum Dei pectora perurgere. Nonnulli enim secretioribus per noctem vigiliis in ecclesia occupati, voces mellifluas super sepulcrum ejus quasi clericorum concinentium audiebant, alii per gyrum sepulcri disposita quasi quædam splendidissima luminaria cernebant; ut aperte constaret, quod cui humana obsequia minus aderant, divina ei et anglica officia suppetebant. Præterea columba candoris lactei de cœlis visa est descendisse, ac postquam aliquandiu circumvolitaverat, sepulcri abdita penetrasse. Per soporis nihilominus quietem pluribus videbatur, tamquam idem Pater sanctissimus, sacro emergens a tumulo ante aram apostolorum principis sese ageret, atque ad orationis studium daret. Per hæc et hujusmodi portenta mirifica, luce clarius eminebat, quod confessor Domini pretiosus, inertem culturam indigne ferens, et sepulturam sibi condignius præparari, et obsequii reveren-

(8) Colitur VIII Id. Aprilis S. Prudentius, Hincmaro antitisti Remensi charissimus, scriptis contra Gothescalcum aliisque famosus. Non diu vixit post concilium Suessionense II, cui anno 853 subscripsit.

(9) Quippe inter Prudentium et Otulfum medius sedit Fulcricus, qui concilio Suessionensi anno 866 interfuit; Otulfus vero Pontigonensi anno 876.

tiam impensius institui decernebat. Illud quoque ad hanc rem auctoritas non minimum afferebat, quod quibusque ad sacrum sepulcrum procumbentibus, affectus orationis et ubertas compunctionis largior affluebat; atque ut quod de eo visiones evidentissimæ suggerebant cleri consummarentur affectu, omnium inexplebiliter animus æstuabat, occulta nimirum inspiratione Dei singulorum pectora inflammante, atque ad tanti effectum negotii sancti desiderii stimulis perurgente.

Translatio nova inducitur.

29. Talibus tamque conspicuis prodigiis animati, venerabilem Otulfum pontificem adeuntes, tantique Patris præ manibus gesta ferentes, ut ipse divinæ voluntatis erga sanctum et cooperator et maturator existeret, instantissime supplicabant. Utque cerneres divinitatem votis famulorum fidelium usquequaque faventem, confestim episcopus intimæ inspirationis ignibus animatus, eo ardore negotium suscipit, ut abbatem et fratres a quibus fuerat supplicatus, ipse postmodum ad accelerandam cœpti operis efficaciam, monitis frequentibus perurgeret, indefessis precibus persistendum exhortans, ut divina pietas quos suæ voluntatis conscios fuerat, votorum quoque utilium compotes esse donaret.

Tumulo reserato grana auri in osse apparent. Corpus sacrum e terra levatur.

30. Itaque ad tanti inchoationem operis primam diem Quadragesimalis abstinentiæ (10) delegerunt, in qua ineffabilis divinæ dignatio pietatis, hoc primum humanæ evidentiæ miraculum declaravit. Accedente abbate cum fratribus ad pavimenti lapides revolvendos, lapis ille qui sacro superpositus fuerat monumento, nemine impellente ita in partem lubricus ruit, ut cæteris immobiliter persistentibus hunc summo impellentium nisu coactum violentius cessisse putares. Intellectum est ab omnibus sacri virtute corporis eum fuisse repulsum, quod pie quærentibus ultro se videbatur ingerere. Pertinacius itaque operi insistentes, ad reverendi tandem thecam corporis pervenerunt, cujus intima debitæ cautela reverentiæ illis perscrutantibus, ad augmentum miraculi in quodam osse corporis sanctissimi confessoris guttæ auri purissimi splenduerunt, credo illud evidentissime monstrantes thesaurum locupletissimum, qui divini largitate muneris patefactus, pia fidelium diligentia tractabatur. Et ea quidem nocte sanctum pignus eo persistit modo, continuis laudibus ac vigiliis sincerius honoratur. Crastino subeunte, pontifex maturius adesse curavit, solemnique oratione præmissa, ad sacrum tumuium reverenter accessit cum fratribus psalmodiæ et litaniis attente insistentibus. Ipse cum abbate et sacerdotibus sancta ossa reverenter elevans, linteisque pretiosis obducens, in loco mundissimo rite composuit, quem pontificali annulo diligentius signans, sacris de more expletis ad propria remeavit (11).

Matris percussor horrende punitur.

31. Exinde pervigili instantia sacri compositio ornatusque sepulcri accuratius parabatur, in cujus dilatione temporis, quid miraculi per præcipuum confessorem superna dispensatio dignata fuerit declarare, nulla ratione credimus omittendum. Ratbertus quidam nomine, pagi Ledunensis indigena, adversus matrem suam pro dividendis forte alimentis in segete jurgabatur. Cumque suæ parti majores secernens manipulos, minores quoque matri relinqueret, illa fraudis impatiens, filium ne talia faciendo Deum in se provocaret sedulo commonebat. Tum miser furiali pectore inflammatus, effertur in matrem, crinibusque ejus sinistro brachio circumplexis, ante pedes suos miseram impudenter elisit. Quem mox divina ultio comes excepit; nam sequenti nocte sinistri oculi cæcitate multatus, ejusdem quoque brachii tali efficitur detrimento, ut retro et ante semper illud motu agitans inquieto, conscientiam sceleris, exterioris quoque membri impatientia testaretur. Quin etiam in augmentum vindictæ sensu subducto, amentia plectitur infelici. At mater hujusmodi acerbitate confecta, tertia die miserabili morte finivit. Pro hoc nefandissimo scelere a sacerdote loci, ad Egilem, Senonicæ urbis archiepiscopum, perductus est; cujus præcepto carceri mancipatus, squalores ergastuli triennio pertulit; fame delnceps invalescente dimittitur, ne inopia deficiens moreretur.

Multis sanctorum locis lustratis, ad S. Frodebertum curatur.

32. Hinc ad S. Michaelis ecclesiam properat, eo loci qui ad Duas Tumbas (12) ex antiquo vocatur: unde digressus Romam expetit, quo tunc Adrianus (secundus) papa sedem apostolicam gubernabat. Qui cum eum pergentem ad ecclesiam S. Joannis quæ Lateranensis dicitur inspexisset, mirabili portento quod miser ob scelus circumferebat attonitus, ad se eum præcepit evocari, causaque ejus sollicitius perquisita, benigne eum ad pœnitentiam exhortatus, denuo eum ad B. Michaelis ecclesiam pergere, itemque ad se imperat remeare. A quo dimissus, cum in pagum Trecassinum fortuite devenisset, una noctium somnio commonetur, ut ad basilicam sanctæ Dei genitricis et virginis Mariæ sitam in

(10) Diem designat poeta ineditus, nempe XII Kalend. Martias his versibus:

Quos Februi medio conscendit calle gravido
Intrasset partem quartam, lucem duodenam
Quum Lector Martis sibi calculet ante Kalendas;
Compulsi hinc inde meditantur viscera terræ
Rastro scrutari.

(11) Post hæc duas Frodoberti apparitiones Bodoni abbati factas memorat poeta: una septimo die ab elevatione sacri corporis, Bodo de inventione verarum reliquiarum Frodoberti certior factus dicitur: alia XII Kalend. April., Frodobertus dormienti Bodoni apparuisse in crypta dicitur, et advocasse Arembertum monachum, virtute et sanguine clarum.

(12) Eadem appellatione *ad Duas Tumbas* Odo Glannafoliensis designat Montem S. Michaelis in Epistola præfixa Vitæ S. Mauri.

villa cui Falearias vocabulum est, candelam suæ longitudinis deportaret; ad quam quia labore pariter et ægritudine fessus ire non poterat, per internuntiam personam dirigere curavit. Hinc ad S. Petri cœnobium, quo B. Frodoberti pretiosa pignora venerantur, forte devenit; cumque die Dominica, quæ Domini ascensionem secuta est, sacerdos ex more publicis sacris operam daret, illeque ad ostium ecclesiæ orationi incumberet, vidit, ut ipse postmodum retulit, clericum quemdam juvenili decorum habitudine ad se accedere, lumbisque ejus acerrime coarctatis toto se corpore validissime concussisse. Quo impulsu in terram elisus, diu immobilis jacuit, ut pene exanimis putaretur; cujus spatio intervalli, et quietem brachii, et sensus, capitisque integritatem recepit. Indeque consurgens haustu aquæ percepto, præ ingenti lassitudine cum iterum obdormisset, eumdem clericum quem supra conspexit hæc sibi verba familiarius inculcantem. Hoc, inquit, indumentum quo amictus es, suspende ad limina Frodoberti. (Erat autem pœnitentium more cilicio tantum indutus.) Cumque de hoc sermone sollicitus, ea domum Frodoberti se nescire fateretur, et non habere indumentum aliud causaretur, inter hæc ab uno de custodibus excitur. Tunc ille anxius, enarrans quid viderat, Frodoberti domus quanam in parte esse sedulus exquirebat. Cumque ipsam ecclesiam comperisset, ante cujus procumbens fores sospitati fuerat reformatus, inexplicabili alacritate perfusus, templum insiluit, magnificans eum gratesque persolvens, cujus beneficio et salutem receperat, et gravissimi levamen sceleris se adeptum esse gaudebat: depositoque illic cilicio ad S. archangeli Michaelis ecclesiam ex præcepto apostolico properavit. Res vere mirabilis et ad divinæ pietatis præconium solito referenda; quod ejus interventu salvatus est, cujus ne nomen quidem ante perceperat; cujus vocabulum mox ut divinitus didicit, animæ corporisque salutem ejus merito se recuperasse persensit. Multa præterea per eosdem dies, quibus sacri corporis depositio parabatur, ejus merito beneficia provenere languentibus, hisque maxime qui diversa febrium valetudine profligati, ad B. Frodoberti opem se submissius contulerunt.

Translatio S. Frodoberti 8 Januarii.

33. Interea temporis serie defluente, Kalend. Jan. dies illuxit, quo illum diximus mundanis exemptum laboribus ad supernæ civitatis culmina subvolasse. Sed quoniam illa dies circumcisioni Dominicæ specialiter mancipata, celebritatis alterius non patitur obsolescere superventu, B. Frodoberti dignitas iisdem suscepta Kalendis, minus celebris, minus videbatur esse solemnis; quod populus Dominicæ festivitatis cæremoniis occupatus non haberet liberum ad B. confessoris gaudia ex voto confluere. Venerabilis itaque et memoratus Trecassinæ urbis pontifex, cum abbate et fratribus participato consilio, rationi congruum judicarunt, ut in octavum abhinc diem prænominata celebritas differretur, quatenus et festivitatis dignitati prospicerent, et populorum desiderio, qui erga B. Frodoberti gloriam jam tunc inexplebiliter ardebant, consultius providerent. Igitur die sexto Iduum Januariarum accedente, nocturnalis officii functione completa, sacrum corpus devotis levantes in humeris, in vicinam B. Michaelis ecclesiam detulerunt. Quod ideo eis decernere libuit, ut et populi frequentia copiosior accederet, et effectus translationis die succedente celebrior redderetur. Ibi itaque matutinalibus hymnis angustius celebratis, missis ab abbate fratribus pontifex invitabatur, qui eo quo dictum est fervore succensus, rapto agmine cleri et populi maturius adesse curavit.

Tempestas commodior obtenta.

34. Quid sane miraculi tum quoque contigerit, succincta relatione constabit. Erat tempus implacidum, et, ut se habent hiberna, profusis paludibus inquietum. Noctis itaque præteritæ superventu, cum ea quæ ad futuræ translationis obsequium pertinebant, abbas cum fratribus præpararet; considerata aquosa temporis qualitate, anxie secum de populi superventuri inquietudine pertractabat. Et, utinam, inquit abbas fratribus, superna pietas per hujus B. Patris meritum paludis mollitiem gelu constringeret, et nivium superventu difficultatem itineris temperaret. Mox devota desideria clementia Creatoris excepit, noctemque totam glacialis rigor validissime coarctavit. Circa gallicinium vero tanta nivium congerie terra obducitur, ut universis liquido claresceret B. Frodoberti patrocinio ad suæ translationis occursum facultatem opportuni itineris populo præparatam.

Translationis anniversaria solemnitas præcepta.

35. Itaque omnibus rite provisis quæ tanta diei officiositas exposcebat, pretiosi gleba corporis de B. Michaelis basilica a pontifice elevata, hymnorum concentibus in sublime sublatis, in apostolorum Principis ecclesiam infertur, tanta gaudiorum pompa, tanto tripudio populorum, ut sole clarius patesceret præcellentissimi hunc apud Deum esse meriti, cujus apud homines tanta tamque ingens gloria refulgebat. In loco igitur præparato incomparabilis ille sanctissimi corporis thesaurus deponitur, cunctisque sepulcri ornamentis opportune compositis, a parte capitis ara honori Innocentium martyrum consecratur, sacrorumque cultus solemnibus officiis expenditur, et festivitatis ejus privilegium, cunctis postea sæculis immutabiliter observandum pontificali auctoritate sancitur. Dies tota omnibus lætitiis afflata peragitur, quantoque studio a posteris frequentari debeat, iis primis officiis designatur.

36. Tantis itaque per B. Frodoberti merita beneficiis cumulati, grates et beneficio et gratias inexplebiles omnipotenti Deo et agimus et habemus; qui nobis sibi famulantibus, nostræ gentis, nostri ordinis peculiarem dignatus est præparare patronum, qui loci istius et a fundamentis propagator

tiam impensius institui decernebat. Illud quoque ad hanc rem auctoritas non minimum afferebat, quod quibusque ad sacrum sepulcrum procumbentibus, affectus orationis et ubertas compunctionis largior affluebat; atque ut quod de eo visiones evidentissimæ suggerebant cleri consummarentur affectu, omnium inexplebiliter animus æstuabat, occulta nimirum inspiratione Dei singulorum pectora inflammante, atque ad tanti effectum negotii sancti desiderii stimulis perurgente.

Translatio nova inducitur.

29. Talibus tamque conspicuis prodigiis animati, venerabilem Otulfum pontificem adeuntes, tantique Patris præ manibus gesta ferentes, ut ipse divinæ voluntatis erga sanctum et cooperator et maturator existsret, instantissime supplicabant. Utque cerneres divinitatem votis famulorum fidelium usquequaque faventem, confestim episcopus intimæ inspirationis ignibus animatus, eo ardore negotium suscipit, ut abbatem et fratres a quibus fuerat supplicatus, ipse postmodum ad accelerandam cœpti operis efficaciam, monitis frequentibus perurgeret, indefessis precibus persistendum exhortans, ut divina pietas quos suæ voluntatis conscios fuerat, votorum quoque utilium compotes esse donaret.

Tumulo reserato grana auri in osse apparent. Corpus sacrum e terra levatur.

30. Itaque ad tanti inchoationem operis primam diem Quadragesimalis abstinentiæ (10) delegerunt, in qua ineffabilis divinæ dignatio pietatis, hoc primum humanæ evidentiæ miraculum declaravit. Accedente abbate cum fratribus ad pavimenti lapides revolvendos, lapis ille qui sacro superpositus fuerat monumento, nemine impellente ita in partem lubricus ruit, ut cæteris immobiliter persistentibus hunc summo impellentium nisu coactum violentius cessisse putares. Intellectum est ab omnibus sacri virtute corporis eum fuisse repulsum, quod pie quærentibus ultro se videbatur ingerere. Pertinacius itaque operi insistentes, ad reverendi tandem thecam corporis pervenerunt, cujus intima debitæ cautela reverentiæ illis perscrutantibus, ad augmentum miraculi in quodam osse corporis sanctissimi confessoris guttæ auri purissimi splenduerunt, credo illud evidentissime monstrantes thesaurum locupletissimum, qui divini largitate muneris patefactus, pia fidelium diligentia tractabatur. Et ea quidem nocte sanctum pignus eo persistit modo, continuis laudibus ac vigiliis sincerius honoratur. Crastino subeunte, pontifex maturius adesse curavit, solemnique oratione præmissa, ad sacrum tumuium reve-

A rentor accessit cum fratribus psalmodiæ et litaniis attente insistentibus. Ipse cum abbate et sacerdotibus sancta ossa reverenter elevans, linteisque pretiosis obducens, in loco mundissimo rite composuit, quem pontificali annulo diligentius signans, sacris de more expletis ad propria remeavit (11).

Matris percussor horrende punitur.

31. Exinde pervigili instantia sacri compositio ornatusque sepulcri accuratius parabatur, in cujus dilatione temporis, quid miraculi per præcipuum confessorem superna dispensatio dignata fuerit declarare, nulla ratione credimus omittendum. Ratbertus quidam nomine, pagi Ledunensis indigena, adversus matrem suam pro dividendis forte alimentis in segete jurgabatur. Cumque suæ parti majores B secernens manipulos, minores quoque matri relinqueret, illa fraudis impatiens, filium ne talia faciendo Deum in se provocaret sedulo commonebat. Tum miser furiali pectore inflammatus, effertur in matrem, crinibusque ejus sinistro brachio circumplexis, ante pedes suos miseram impudenter elisit. Quem mox divina ultio comes excepit; nam sequenti nocte sinistri eculi cæcitate multatus, ejusdem quoque brachii tali efficitur detrimento, ut retro et ante semper illud motu agitans inquieto, conscientiam sceleris, exterioris quoque membri impatientia testaretur. Quin etiam in augmentum vindictæ sensu subducto, amentia plectitur infelici. At mater hujusmodi acerbitate confecta, tertia die miserabili morte finivit. Pro hoc nefandissimo scelere a sacerdote loci, ad Egilem, Senonicæ urbis C archiepiscopum, perductus est; cujus præcepto carceri mancipatus, squalores ergastuli triennio pertulit; fame deinceps invalescente dimittitur, ne inopia deficiens moreretur.

Multis sanctorum locis lustratis, ad S. Frodebertum curatur.

32. Hinc ad S. Michaelis ecclesiam properat, eo loci qui ad Duas Tumbas (12) ex antiquo vocatur: unde digressus Romam expetit, quo tunc Adrianus (secundus) papa sedem apostolicam gubernabat. Qui cum eum pergentem ad ecclesiam S. Joannis quæ Lateranensis dicitur inspexisset, mirabili portento quod miser ob scelus circumferebat attonitus, ad se eum præcepit evocari, causaque ejus sollicitius perquisita, benigne eum ad pœnitentiam exhortatus, denuo eum ad B. Michaelis ecclesiam perD gere, itemque ad se imperat remeare. A quo dimissus, cum in pagum Trecassinum fortuite devenisset, una noctium somnio commonetur, ut ad basilicam sanctæ Dei genitricis et virginis Mariæ sitam in

(10) Diem designat poeta ineditus, nempe XII Kalend. Martias his versibus:

Quos Februi medio conscendit calle gravido
Intrasset partem quartam, lucem duodenam
Quum Lector Martis sibi calculat ante Kalendas;
Compulsi hinc inde meditantur viscera terræ
Rastro scrutari.

(11) Post hæc duas Frodoberti apparitiones Bodoni abbati factas memorat poeta: una septimo die ab elevatione sacri corporis, Bodo de inventione verarum reliquiarum Frodoberti certior factus dicitur: alia XII Kalend. April., Frodobertus dormienti Bodoni apparuisse in crypta dicitur, et advocasse Arembertum monachum, virtute et sanguine clarum.

(12) Eadem appellatione *ad Duas Tumbas* Odo Glannafoliensis designat Montem S. Michaelis in Epistola præfixa Vitæ S. Mauri.

villa cui Falearias vocabulum est, candelam suæ longitudinis deportaret; ad quam quia labore pariter et ægritudine fessus ire non poterat, per internuntiam personam dirigere curavit. Hinc ad S. Petri cœnobium, quo B. Frodoberti pretiosa pignora venerantur, forte devenit; cumque die Dominica, quæ Domini ascensionem secuta est, sacerdos ex more publicis sacris operam daret, illeque ad ostium ecclesiæ orationi incumberet, vidit, ut ipse postmodum retulit, clericum quemdam juvenili decorum habitudine ad se accedere, lumbisque ejus acerrime coarctatis toto se corpore validissime concussisse. Quo impulsu in terram elisus, diu immobilis jacuit, ut pene exanimis putaretur; cujus spatio intervalli, et quietem brachii, et sensus, capitisque integritatem recepit. Indeque consurgens haustu aquæ percepto, præ ingenti lassitudine cum iterum obdormisset, eumdem clericum quem supra conspexit hæc sibi verba familiarius inculcantem. Hoc, inquit, indumentum quo amictus es, suspende ad limina Frodoberti. (Erat autem pœnitentium more cilicio tantum indutus.) Cumque de hoc sermone sollicitus, ea domum Frodoberti se nescire fateretur, et non habere indumentum aliud causaretur, inter hæc ab uno de custodibus excitur. Tunc ille anxius, enarrans quid viderat, Frodoberti domus quanam in parte esse sedulus exquirebat. Cumque ipsam ecclesiam comperisset, ante cujus procumbens fores sospitati fuerat reformatus, inexplicabili alacritate perfusus, templum insiluit, magnificans eum gratesque persolvens, cujus beneficio et salutem receperat, et gravissimi levamen sceleris se adeptum esse gaudebat: depositoque illic cilicio ad S. archangeli Michaelis ecclesiam ex præcepto apostolico properavit. Res vere mirabilis et ad divinæ pietatis præconium solito referenda; quod ejus interventu salvatus est, cujus ne nomen quidem ante perceperat; cujus vocabulum mox ut divinitus didicit, animæ corporisque salutem ejus merito se recuperasse persensit. Multa præterea per eosdem dies, quibus sacri corporis depositio parabatur, ejus merito beneficia provenere languentibus, hisque maxime qui diversa febrium valetudine profligati, ad B. Frodoberti opem se submissius contulerunt.

Translatio S. Frodoberti 8 Januarii.

33. Interea temporis serie defluente, Kalend. Jan. dies illuxit, quo illum diximus mundanis exemptum laboribus ad supernæ civitatis culmina subvolasse. Sed quoniam illa dies circumcisioni Dominicæ specialiter mancipata, celebritatis alterius non patitur obsolescere superventu, B. Frodoberti dignitas iisdem suscepta Kalendis, minus celebris, minus videbatur esse solemnis; quod populus Dominicæ festivitatis cæremoniis occupatus non haberet liberum ad B. confessoris gaudia ex voto confluere. Venerabilis itaque et memoratus Trecassinæ urbis pontifex, cum abbate et fratribus participato consilio, rationi congruum judicarunt, ut in octavum abhinc diem præmemorata celebritas differretur, quatenus et festivitatis dignitati prospicerent, et populorum desiderio, qui erga B. Frodoberti gloriam jam tunc inexplebiliter ardebant, consultius providerent. Igitur die sexto Iduum Januariarum accedente, nocturnalis officii functione completa, sacrum corpus devotis levantes in humeris, in vicinam B. Michaelis ecclesiam detulerunt. Quod ideo eis decernere libuit, ut et populi frequentia copiosior accederet, et effectus translationis die sequenti deinde celebrior redderetur. Ibi itaque matutinalibus hymnis angelicis celebratis, missis ab abbate fratribus pontifex invitabatur, qui eo quo dictum est fervore succensus, rapto agmine cleri et populi maturius adesse curavit.

Tempestas commodior obtenta.

34. Quid sane miraculi tum quoque contigerit, succincta relatione constabit. Erat tempus implacidum, et, ut se habent hiberna, profusis paludibus inquietum. Noctis itaque præteritæ superventu, cum ea quæ ad futuræ translationis obsequium pertinebant, abbas cum fratribus præpararet; considerata aquosa temporis qualitate, anxie secum de populi superventuri inquietudine pertractabat. Et, utinam, inquit abbas fratribus, superna pietas per hujus B. Patris meritum paludis mollitiem gelu constringeret, et nivium superventu difficultatem itineris temperaret. Mox devota desideria clementia Creatoris excepit, noctemque totam glacialis rigor validissime coarctavit. Circa gallicinium vero tanta nivium congerie terra obducitur, ut universis liquido claresceret B. Frodoberti patrocinio ad suæ translationis occursum facultatem opportuni itineris populo præparatam.

Translationis anniversaria solemnitas præcepta.

35. Itaque omnibus rite provisis quæ tanta diei officiositas exposcebat, pretiosi gleba corporis de B. Michaelis basilica a pontifice elevata, hymnorum concentibus in sublime sublatis, in apostolorum Principis ecclesiam infrofertur, tanta gaudiorum pompa, tanto tripudio populorum, ut sole clarius patesceret præcellentissimi hunc apud Deum esse meriti, cujus apud homines tanta tamque ingens gloria refulgebat. In loco igitur præparato incomparabilis ille sanctissimi corporis thesaurus deponitur, cunctisque sepulcri ornamentis opportune compositis, a parte capitis ara honori Innocentium martyrum consecratur, sacrorum quoque cultus solemnibus officiis expenditur, et festivitatis ejus privilegium, cunctis postea sæculis immutabiliter observandum pontificali auctoritate sancitur. Dies tota omnibus lætitiis afflata peragitur, quantoque studio a posteris frequentari debeat, iis primis officiis designatur.

36. Tantis itaque per B. Frodoberti merita beneficiis cumulati, grates et beneficio et gratias inexplebiles omnipotenti Deo et agimus et habemus; qui nobis sibi famulantibus, nostræ gentis, nostri ordinis peculiarem dignatus est præparare patronum, qui loci istius et a fundamentis propagator

tiam impensius institui decernebat. Illud quoque ad hanc rem auctoritas non minimum afferebat, quod quibusque ad sacrum sepulcrum procumbentibus, affectus orationis et ubertas compunctionis largior affluebat; atque ut quod de eo visiones evidentissimæ suggerebant cleri consummarentur affectu, omnium inexplebiliter animus æstuabat, occulta nimirum inspiratione Dei singulorum pectora inflammante, atque ad tanti effectum negotii sancti desiderii stimulis perurgente.

Translatio nova inducitur.

29. Talibus tamque conspicuis prodigiis animati, venerabilem Otulfum pontificem adeuntes, tantique Patris præ manibus gesta ferentes, ut ipse divinæ voluntatis erga sanctum et cooperator et maturator existeret, instantissime supplicabant. Utque cerneres divinitatem votis famulorum fidelium usquequaque faventem, confestim episcopus intimæ inspirationis ignibus animatus, eo ardore negotium suscipit, ut abbatem et fratres a quibus fuerat supplicatus, ipse postmodum ad accelerandam cœpti operis efficaciam, monitis frequentibus perurgeret, indefessis precibus persistendum exhortans, ut divina pietas quos suæ voluntatis conscios fuerat, votorum quoque utilium compotes esse donaret.

Tumulo reserato grana auri in osse apparent. Corpus sacrum e terra levatur.

30. Itaque ad tanti inchoationem operis primam diem Quadragesimalis abstinentiæ (10) delegerunt, in qua ineffabilis divinæ dignatio pietatis, hoc primum humanæ evidentiæ miraculum declaravit. Accedente abbate cum fratribus ad pavimenti lapides revolvendos, lapis ille qui sacro superpositus fuerat monumento, nemine impellente ita in partem lubricus ruit, ut cæteris immobiliter persistentibus hunc summo impellentium nisu coactum violentius cessisse putares. Intellectum est ab omnibus sacri virtute corporis eum fuisse repulsum, quod pie quærentibus ultro se videbatur ingerere. Pertinacius itaque operi insistentes, ad reverendi tandem thecam corporis pervenerunt, cujus intima debitæ cautela reverentiæ illis perscrutantibus, ad augmentum miraculi in quodam osse corporis sanctissimi confessoris guttæ auri purissimi splenduerunt, credo illud evidentissime monstrantes thesaurum locupletissimum, qui divini largitate muneris patefactus, pia fidelium diligentia tractabatur. Et ea quidem nocte sanctum pignus eo persistit modo, continuis laudibus ac vigiliis sincerius honoratur. Crastino subeunte, pontifex maturius adesse curavit, solemnique oratione præmissa, ad sacrum tumuium reverenter accessit cum fratribus psalmodiæ et litaniis attente insistentibus. Ipse cum abbate et sacerdotibus sancta ossa reverenter elevans, linteisque pretiosis obducens, in loco mundissimo rite composuit, quem pontificali annulo diligentius signans, sacris de more expletis ad propria remeavit (11).

Matris percussor horrende punitur.

31. Exinde pervigili instantia sacri compositio ornatusque sepulcri accuratius parabatur, in cujus dilatione temporis, quid miraculi per præcipuum confessorem superna dispensatio dignata fuerit declarare, nulla ratione credimus omittendum. Ratbertus quidam nomine, pagi Ledunensis indigena, adversus matrem suam pro dividendis forte alimentis in segete jurgabatur. Cumque suæ parti majores secernens manipulos, minores quoque matri relinqueret, illa fraudis impatiens, filium ne talia faciendo Deum in se provocaret sedulo commonebat. Tum miser furiali pectore inflammatus, effertur in matrem, crinibusque ejus sinistro brachio circumplexis, ante pedes suos miseram impudenter elisit. Quem mox divina ultio comes excepit; nam sequenti nocte sinistri oculi cæcitate multatus, ejusdem quoque brachii tali efficitur detrimento, ut retro et ante semper illud motu agitans inquieto, conscientiam sceleris, exterioris quoque membri impatientia testaretur. Quin etiam in augmentum vindictæ sensu subducto, amentia plectitur infelici. At mater hujusmodi acerbitate confecta, tertia die miserabili morte finivit. Pro hoc nefandissimo scelere a sacerdote loci, ad Egilem, Senonicæ urbis archiepiscopum, perductus est; cujus præcepto carceri mancipatus, squalores ergastuli triennio pertulit; fame deinceps invalescente dimittitur, ne inopia deficiens moreretur.

Multis sanctorum locis lustratis, ad S. Frodebertum curatur.

32. Hinc ad S. Michaelis ecclesiam properat, eo loci qui ad Duas Tumbas (12) ex antiquo vocatur: unde digressus Romam expetit, quo tunc Adrianus (secundus) papa sedem apostolicam gubernabat. Qui cum eum pergentem ad ecclesiam S. Joannis quæ Lateranensis dicitur inspexisset, mirabili portento quod miser ob scelus circumferebat attonitus, ad se eum præcepit evocari, causaque ejus sollicitius perquisita, benigne eum ad pœnitentiam exhortatus, denuo eum ad B. Michaelis ecclesiam pergere, itemque ad se imperat remeare. A quo dimissus, cum in pagum Trecassinum fortuite devenisset, una noctium somnio commonetur, ut ad basilicam sanctæ Dei genitricis et virginis Mariæ sitam in

(10) Diem designat poeta ineditus, nempe XII Kalend. Martias his versibus:

Quos Februi medio conscendit calle gravido
Intrasset partem quartam, lucem duodenam
Quum Lector Martis sibi calculat ante Kalendas:
Compulsi hinc inde meditantur viscera terræ
Rastro scrutari.

(11) Post hæc duas Frodoberti apparitiones Bodoni abbati factas memorat poeta: una septimo die ab elevatione sacri corporis, Bodo de inventione verarum reliquiarum Frodoberti certior factus dicitur: alia XII Kalend. April., Frodobertus dormienti Bodoni apparuisse in crypta dicitur, et advocasse Arembertum monachum, virtute et sanguine clarum.

(12) Eadem appellatione *ad Duas Tumbas* Odo Glannafoliensis designat Montem S. Michaelis in Epistola præfixa Vitæ S. Mauri.

villa cui Falcarias vocabulum est, candelam suæ longitudinis deportaret; ad quam quia labore pariter et ægritudine fessus ire non poterat, per internuntiam personam dirigere curavit. Hinc ad S. Petri cœnobium, quo B. Frodoberti pretiosa pignora venerantur, forte devenit; cumque die Dominica, quæ Domini ascensionem secuta est, sacerdos ex more publicis sacris operam daret, illeque ad ostium ecclesiæ orationi incumberet, vidit, ut ipse postmodum retulit, clericum quemdam juvenili decorum habitudine ad se accedere, lumbisque ejus acerrime coarctatis toto se corpore validissime concussisse. Quo impulsu in terram elisus, diu immobilis jacuit, ut pene exanimis putaretur; cujus spatio intervalli, et quietem brachii, et sensus, capitisque integritatem recepit. Indeque consurgens haustu aquæ percepto, præ ingenti lassitudine cum iterum obdormisset, eumdem clericum quem supra conspexit hæc sibi verba familiarius inculcantem. Hoc, inquit, indumentum quo amictus es, suspende ad limina Frodoberti. (Erat autem pœnitentium more cilicio tantum indutus.) Cumque de hoc sermone sollicitus, ea domum Frodoberti se nescire fateretur, et non habere indumentum aliud causaretur, inter hæc ab uno de custodibus excitur. Tunc ille anxius, enarrans quid viderat, Frodoberti domus quanam in parte esse sedulus exquirebat. Cumque ipsam ecclesiam comperisset, ante cujus procumbens fores sospitati fuerat reformatus, inexplicabili alacritate perfusus, templum insiluit, magnificans eum gratesque persolvens, cujus beneficio et salutem receperat, et gravissimi levamen sceleris se adeptum esse gaudebat: depositoque illic cilicio ad S. archangeli Michaelis ecclesiam ex præcepto apostolico properavit. Res vere mirabilis et ad divinæ pietatis præconium solito referenda; quod ejus interventu salvatus est, cujus ne nomen quidem ante perceperat; cujus vocabulum mox ut divinitus didicit, animæ corporisque salutem ejus merito se recuperasse persensit. Multa præterea per eosdem dies, quibus sacri corporis depositio parabatur, ejus merito beneficia provenere languentibus, hisque maxime qui diversa febrium valetudine profligati, ad B. Frodoberti opem se submissius contulerunt.

Translatio S. Frodoberti 8 Januarii.

33. Interea temporis serie defluente, Kalend. Jan. dies illuxit, quo illum diximus mundanis exemptum laboribus ad supernæ civitatis culmina subvolasse. Sed quoniam illa dies circumcisioni Dominicæ specialiter mancipata, celebritatis alterius non patitur obsolescere superventu, B. Frodoberti dignitas iisdem suscepta Kalendis, minus celebris, minus videbatur esse solemnis; quod populus Dominicæ festivitatis cæremoniis occupatus non haberet liberum ad B. confessoris gaudia ex voto confluere. Venerabilis itaque et memoratus Trecassinæ urbis pontifex, cum abbate et fratribus participato consilio, rationi congruum judicarunt, ut in octavum abhinc diem præmemorata celebritas differretur, quatenus et festivitatis dignitati providerent, et populorum desiderio, qui erga B. Frodoberti gloriam jam tunc inexplebiliter ardebant, consultius providerent. Igitur die sexto Iduum Januariarum accedente, nocturnalis officii functione completa, sacrum corpus devotis levantes in humeris, in vicinam B. Michaelis ecclesiam detulerunt. Quod ideo eis decernere libuit, ut et populi frequentia copiosior accederet, et effectus translationis die succedente celebrior redderetur. Ibi itaque matutinalibus hymnis angustius celebratis, missis ab abbate fratribus pontifex invitabatur, qui eo quo dictum est fervore succensus, rapto agmine cleri et populi maturius adesse curavit.

Tempestas commodior obtenta.

34. Quid sane miraculi tum quoque contigerit, succincta relatione constabit. Erat tempus implacidum, et, ut se habent hiberna, profusis paludibus inquietum. Noctis itaque præteritæ superventu, cum ea quæ ad futuræ translationis obsequium pertinebant, abbas cum fratribus præpararet; considerata aquosa temporis qualitate, anxie secum de populi superventuri inquietudine pertractabat. Et, utinam, inquit abbas fratribus, superna pietas per hujus B. Patris meritum paludis mollitiem gelu constringeret, et nivium superventu difficultatem itineris temperaret. Mox devota desideria clementia Creatoris excepit, noctemque totam glacialis rigor validissime coarctavit. Circa gallicinium vero tanta nivium congerie terra obducitur, ut universis liquido claresceret B. Frodoberti patrocinio ad suæ translationis occursum facultatem opportuni itineris populo præparatam.

Translationis anniversaria solemnitas præcepta.

35. Itaque omnibus rite provisis quæ tanta diei officiositas exposcebat, pretiosi gleba corporis de B. Michaelis basilica a pontifice elevata, hymnorum concentibus in sublime sublatis, in apostolorum Principis ecclesiam infertur, tanta gaudiorum pompa, tanto tripudio populorum, ut sole clarius patesceret præcellentissimi hunc apud Deum esse meriti, cujus apud homines tanta tamque ingens gloria refulgebat. In loco igitur præparato incomparabilis ille sanctissimi corporis thesaurus deponitur, cunctisque sepulcri ornamentis opportune compositis, a parte capitis ara honori Innocentium martyrum consecratur, sacrorum quoque cultus solemnibus officiis expenditur, et festivitatis ejus privilegium, cunctis postea sæculis immutabiliter observandum pontificali auctoritate sancitur. Dies tota omnibus lætitiis afflata peragitur, quantoque studio a posteris frequentari debeat, iis primis officiis designatur.

36. Tantis itaque per B. Frodoberti merita beneficiis cumulati, grates et beneficio et gratias inexplebiles omnipotenti Deo et agimus et habemus; qui nobis sibi famulantibus, nostræ gentis, nostri ordinis peculiarem dignatus est præparare patronum, qui loci istius et a fundamentis propagator

existeret, et sua illum habitatione proveheret, exemplis beatissimis illustraret, obitu sanctissimo consecraret, quique vivens signorum doto refulserat, mortuus imo feliciter immortalis, locum suum et præsentia lætificaret, et patrocinio protegeret, et A miraculis indeficientibus perornaret; horum omnium auctore, auspice, et cooperante immortali Deo, qui perpes gloria, infinita victoria, majestas et dignitas sempiterna, ex tunc et nunc et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

VITA S. MANSUETI

PRIMI LEUCORUM URBIS PONTIFICIS

Auctore Adsono.

PROLOGUS

(Apud Marten., Thesaurus Anecdot., tom. III, pag. 1013.)

Domino sancto ac vero beatissimo antisti GERARDO ADSO indignus servorum Dei servus, abbatum ultimus, peccatorum primus, æternæ redemptionis munus.

Sacro est subnixum eloquio, quia sicut præfulget in sanctis prælatis imperandi potestas, ita quoque resplendere debet in bonis subjectis exsequendi devota voluntas; nam ut illos ex justis imperiis in conspectu divinæ majestatis oportet absolvi : ita et istos sequente obedientiæ fructu æterna expedit remuneratione salvari. Hujus sententiæ ego non expers, vestra jussione promotus opus assumpsi, legenti, ut credo, non omnimodis ingratum, auctori vero omnimodis formidandum: quia sicut decursis spatiis temporum obscura est notitia præteritorum: ita quoque est libera certitudo præsentium rerum. Quod ergo jussistis humiliter suscepi, quod præmonuistis quamvis inepte explevi. Sumite ergo libellum vestro jussu compositum, meo labore confertum. Quem quidem in specie columbæ super Dominum descendentis ac colentis, etiam beatissimi Mansueti meritis quem colitis, quem diligitis, columbinum vocandum instituto, ut columbinus vocetur, qui tanti patris gestis insignitur.

METRUM ADSONIS IN LAUDE S. MANSUETI PONTIFICIS UBILIBET CONCINENDUM.

Inclyta Mansueti clari natalibus orti
  Progenies titulis fulsit in orbe suis.
Insula Christicolas gestabat Hibernia gentes,
  Unde genus traxit, et satus inde fuit.
Indolis egregiæ, qui mox comitatus honore
  Virtutum placidis emicuit studiis.
Cumque subit teneros maturis sensibus annos,
  Justitiæ speculum sparsit ubique virum :
Ardor inest animis exsul natalibus arvis,
B Ut situs Ausonias tenderet ire vias.
Petrus apostolicæ pollebat culmine Romæ,
  Huncque sequutus amans expetit ipse libens.
Suscipit ardentem Petrus pietatis alumnum,
  Et facit expertem sancta secreta virum :
Cujus ab ore piis attrectans dogmata verbis,
  Ebiberat stabilem fonte salutis opem.
Sedulis Ausonii per tempora longa magistri,
  Obsequio Petri hæsit amore sui.
Quem Petrus ad summam provexit culminis arcem,
  Et dat gavisus pontificale decus.
Hinc placet ad tumidos præcones mittere Gallos,
  Qui doceant animos ore fideque feros.
Electi veniunt Romanis arcibus, adsunt
  Prælia gesturi pro pietate viri.
C In quibus, antistes, Mansueto nomine polles ;
  Emicat atque tuus vocis honore gradus.
Hique adeunt alias Gallorum partibus urbes,
  Quos ut consultet pervius orbis habet.
Tu, pater, agrestem Leuchorum solus in urbem
  Ingreeeris fisus ad pietatis opus.
Pervigil in populo Petro præeunte beato,
  Urbs ut in æternas Leucha notetur oves.
Per te prima fuit nobis via neta salutis,
  Per te sit noster finis ubique, pater.
Si tamen et meriti res est augenda juvandi,
  Par sit Aper socius nostra juvando tuus.
Vos etenim binæ cœli super axe columnæ
  Ducitis, hinc faciles nos relevare greges.
Jam nostris igitur prosit fiducia votis,
  Quam nostra in nobis pectora fixa tenent.
D O Mansuete, tuos petimus defende fideles,
  Et fac cum sanctis gaudia longa dari.
Adsis et precibus, pastor mitissime, nostris,
  Ut teneant populi regna beata tui.

VERSUS ACROSTICHI DE EODEM.

Magni consilii per te quos imbuit olim
Angelus, in fidei sublimis arce decenti,
Nominis atque sui ditans charismate summi,
A Sit tua pietas, qui noster apostolus exstas,
Uraniæ nobis habitatio detur ut urbis,
Electis cunctis quo nos per sæcula juncti,
Tecum laudare, benedicere, magnificare,
Et spectare Deum, læti mereamur in ævum.

VITA S. MANSUETI

(Apud Dom Calmet, *Histoire de Lorraine*, tom. IV, *Preuves*, p. 84.)

LIBER PRIMUS

CAPUT PRIMUM.

Quod beatus Petrus Hierosolymam [illegible] initialibus illustrans, primum Antiochiæ, dein Romæ sedens, verbum vitæ orbi Romano infudit.

Post gloriosum cœlestis victoriæ triumphum, cum quo sæculorum Conditor, hoste devicto, cœlorum penetravit regnum, apostolicæ dignitati ipsius Salvatoris præsentia Petrus apostolus electus et auctor præsignatus, claves cœli suscipere atque universalis Ecclesiæ gubernacula meruit obtinere. Cumque primum, ut in ecclesiasticis Historiis legimus, Jerosolymorum, post Antiochiæ partibus divinæ illustrationis radios infudisset, et diabolicæ superstitionis tenebras manifesta veritate depulisset, Romani imperii dignitatem Christianitati titulo ac sanctæ Crucis vexillo dilatare et sublimare decernens, mundi dominam et caput orbis Romam aggreditur, C ac Deo disponente cœlestis magisterio disciplinæ sanctæ Ecclesiæ catholicæ principalis pastor et magister efficitur; ut videlicet, ubi diversarum nationum confluxerat multitudo, inde quoque liberius atque valentius cresceret in Deum Christianitatis sana religio; cumque sanctæ prædicationis, velut clarissimos solis radios per diversas terrarum partes sollicitus evibrasset, credentium populorum multitudines aggregans, in spem salutis æternæ corroborabat. Cujus sancti fama nominis non solum ad finitimas, sed etiam ad exteras perlata fuerat nationes.

CAPUT II.

De beati Mansueti exordio, et quod Romam profectus, præsentiam expetierit beati Petri apostoli.

Ea tempestate, ut scripturæ documento percepimus, quidam sanctæ indolis fuerat adolescens, nomine Mansuetus, transmarinis partibus nobilium quidem Scothorum clara progenie genitus, sed D mentis egregiæ nobilitate multo pretiosius insignitus. Quo videlicet teneræ adhuc ætatis progressu consistente, cum præsagio nominis provehebatur culmine sanctitatis, moribus vocabulo consonantibus se semper sublimior studebat fieri augmento pietatis. Qui cum cæteris bonorum operum studiis veræ exstiterat amator innocentiæ, ita quoque ut sui commoda præteriens, exterorum causas libentius ageret, B aliorumque infortuniis ut propriis influebat, mansuetorum cordibus copulari, rigidioribus vero instantius abrumpi, in sanctificationis puritatem assumi, in declivioris ludibrii præludium absolvi, imbecillibus atque inopia profligatis tota mentis intentione conferri, ac miserorum gemitus ut suos adhiberi. Tanta quoque in eo fuerat virtutis et pietatis infusio, ut non solum sibi, sed etiam parentibus fieret in salutem. Naturalis quoque ingenii efficacia cœlesti inspiratione præcedente, litteralis magisterii disciplinam sic dilexit, sic est prosecutus, ut neminem consortis collegii perspicaciorem, neminem in his studiis habuerit præcedentem. Cumque felicibus auspiciis divini fervoris instantia animos inspiraret adolescentis, a Romanis arcibus Christianæ fidei beati Petri apostoli solertia titulo radiante Romam profectus, ejus quem totis visceribus ambiebat, præsentiam expetit, atque apostolicæ institutionis magisterio se abjectis omnibus subdens, in eum injecit oculos, cujus ardebat desiderio sanctitatis. Insigni itaque divinorum operum præconio præeunte, catholicæ informationis prælegit principem, de cujus fonte sumeret quod verissimis testimoniis, ut patuit, postmodum approbaret.

CAPUT III.

Quod beatus Petrus eum sibi ascitum cum aliis perfectissimis viris, in Gallias eligit destinandum.

Videns autem beatus Petrus futuri proventus ac bonarum virtutum in eo signa radiare, et claritatem supernæ illustrationis manifestis indiciis emicare, tanto arcius beatum virum ad cœleste magisterium edocendum sibi virtute confessionis asciverat, quanto in salutem credentium, præsentium scilicet ac futurorum, multiplicibus veritatis cooperatoribus indigebat. Qui videlicet beatissimus pastor universalis Ecclesiæ totum mundum quem a Domino Jesu Christo sibi creditum acceperat, dæmonum erroribus involvi, ac subditum esse illacrymans, perfectissimos quosque divini verbi præcones ordinavit, qui a se in Galliam dirigendi virtute constantiæ et fidei testimonio comprobati, Galliarum populos qui jugo tenebantur diaboli eruerent, et ad divini cultus sacramenta provocarent. Ex hujus itaque numero

collegii beatum Maternum. Trevericæ civitatis pontificem, Rhemorumque sanctum Sinicium, Mediomatricorum vero Clementem, Felicem atque Cœlestem, Memmium autem Catalaunensium fuisse non dubitamus. Cum quibus etiam hunc beatum virum consortis ministerii collegam deputaverat; utpote longo apostolicæ sublimitatis exercitio edoctum, ac cœlestis magisterii experientia in cunctis adsumme comprobatum.

CAPUT IV.

Quod hic prius a beato Petro ipso ordinatus, Gallias ingressus, Leuchorum urbem aggreditur.

Quem videlicet majoris dignitatis et gratiæ esse decernens, pontificalis auctoritatis privilegio præmunivit, ut prædicationis divinæ emolumentum sacerdotalis officii præcederet sacramentum. Imperium itaque magistri eminentis exsecutus [*al.* exsequitur] perfecte discipulus, armatus edicto, instructus eloquio, obediens in præceptis, fidus in promissionibus, Roma egressus, per longissimos jam dicti itineris anfractus a beato Petro corporali, non mentis intuitu separatus, longinque peregrinationi pro Christi regno se ultro subjiciens, Leuchorum urbis se civibus intulit, in omnia suppliciorum perferenda præparatus genera. Quæ videlicet civitas aquis irrigua, pascuis uberrima, murorum ambitu jucunda, seris et turribus secus undique præmunita, idolorum tamen sordibus usquequaque polluta fuerat et confusa. Metas itaque præfate civitatis Christo duce ac beati Petri prævia auctoritate ingressus, barbaricam multitudinem nihil veritus, veræ fidei sacramentum et Christianæ religionis cultum gentibus prædicare cœpit : idola vana esse, surda et muta, manu potius facta hominum et commento [*al.* cœmento],quam vere rationis existentia primordio, nihil divini habentia, nec ad beatam felicitatem, quæ hanc mortalem vitam secutura est, aliquid attinentia; unum Deum potius colerent,qui terras et maria condidisset, qui cœli sublimitatem sua ditione teneret, qui corporibus vitam post mortem felicius præstaret vivendi facultatem; tantorum falsorum deorum culturam horrendæ vanitatis esse ludibria, animarum dispendia, perennium tormentorum nihil aliud quam futura irritamenta.

CAPUT V.

Quod regi et reginæ necnon, et urbis principibus, unum et verum Deum instanter annuntiat.

Erat tunc temporis memorata civitas populorum stipata catervis, rerum ditissima copiis, ac diversæ supellectilis referta commerciis. Rex quoque gentilis et barbaricus cum sua conjuge, Leo nomine, Deum ignorans, cum omni populo suo idololatriæ cultibus subjugatus. Ad quem cum perlatus esset sancti viri adventus, et quam per populos serebat divini prædicatio verbi, sprevit et abnuit, et verum æternæ deitatis præconem surda aure præteribat. Vir autem Domini instanti constantia reluctatus, prope mœnia civitatis exiguæ habitationis sibi receptorium præparavit, cunctosque ad se venientes

A ad cognitionem veri Dei a superstitionibus dæmonum revocabat; eligens potius diversis cruciatibus ac suppliciis corpus esse tradendum, quam id quod beati apostoli magistri sui edicto susceperat, æternæ salutis ministerium declinaret. Instabat igitur negotio perseveranter quod cœperat. Cumque supradicto negotio indefessæ solertiæ dierum subigerent curricula plurimum, rumoris hujus solemnis frequentia ad notitiam reginæ profertur, cui familiares ac domestici adjungunt talia referentes, adesse videlicet quemdam, patria quidem peregrinum, genere ignotum, affatu dissimilem, vultu et habitu sibi penitus non esse consortem, conditione tamen Christianæ fidei esse cultorem, ab Italiæ penitus venientem, ab eo quem Romanorum pars maxima veræ
B fidei signiferum et papam sequitur; se a Petro esse missum veraciter asserentem, Deum cœli hominumque factorem apertis atque assiduis vocibus prædicantem.

Cumque hæc et similia rei novæ admiratione referentibus reginæ gentilis animus aliquo modo flecteretur ad audiendum, absentis regis sui libera posita facultate, secreto usa cubiculi virum Dei sibi præcepit intromitti. Quæ est, inquens, hæc nova et hactenus nobis inaudita religio, quam nostrorum culturæ duorum superducere gestiens, alia nobis colenda denuntias, quæ usque in præsens generi nostro et incognita permanent et inculta? Intelligens autem vir beatus intentionem reginæ sciscitantis, et spem habens in ea vitæ regenerantis : Deum,inquit, unum et verum in distinctione trium personarum :
C Patris scilicet, Filii, ac Spiritus sancti, omnium rerum incommutabile principium, qui est fons et origo bonorum, a quo omne genus mortalium existendi sumpsit initium, cujus potestas nec cœpit esse, nec desinit in æternum; per quem pereunti mundo æternæ redemptionis venit remedium, postquam Deus et Dominus noster Jesus Christus Filius omnipotentis Patris de cœlis missus, ad terras per uterum intactæ Virginis carne vestitus humana, mortalibus visibilis ostensus, plurimis et mirandis virtutum signis declaratus, ad ultimum ut diaboli excluderet dominationem,in cruce Judæorum infidelitate spontanea dispensatione sui consilii appensus, pretio fusi sanguinis ab errore dæmonum eos absolvit, quos vitæ perennis hæredes futuros præfinivit? Quid
D plura ? Regina credidit, et nisi pagani regis potestas obstitisset, legitimo annexa matrimonio purgari non desisteret fonte salutari. Tamen rege aliarum rerum eventibus et curis applicato, quoties reginæ seria opportuna considerant, virum Dei frequentius ascitum, viam salutis intendebat strenue demonstrantem.

CAPUT VI.

Quod regis filius parvulus ritu gentis instruitur; et de consistorio ejus vicino urbi, ad quod sæpe canibus impulsæ agrestes feræ confluerent.

Erat igitur his parvulus filius, qui instituebatur ad ritum parentum profanorum, cujus videlicet ex-

gua pueritia tempora licet teneris ageret natura sub annis, parentibus tamen, ut post patuit res, fuit initium et proventus tandiu dilatæ credulitatis et salutis. Beatus autem pontifex in prospectu urbis, ut diximus, umbrosis silvarum frondibus contectum locum delegerat, et remotum, in quo soli Domino vacans attentius, opus quod cœperat, votis assiduis deferebat. Qui non tantum suis quantum etiam magistri sui apostolorum principis subsidiis innixus, signis et virtutibus coruscabat. Clarus aspectu, moribus dulcis, alloquio mitis, constantia fortis, patientia longanimis, castitate præcipuus, in beneficiis largus, egenorum miseriis pronus, consiliis cautus, misericordia plenus, hospitalitatis gratiam consectatus, in orationibus assiduus, in lectione devotus, in lacrymis profusus, in cordis compunctione attritus, in cæteris bonis actibus probatus atque perfectus. Cujus virtutem cum in rebus maximis, tum etiam in minimis et in vilibus causarum eventibus plures sunt experti. Nam cum in agendis ferarum exsecutionibus, quælibet animalia canum violentia illud hominum genus insequeretur, qui talibus exercitiis impliciti tenebantur, usque ad eum quo vir Dei manebat locum pervenientes, stupefactos cerneres riguisse, nec ultra exemptæ necem intentare capturæ. Quare sæpe regia indignata potestas, sanctum Domini pontificem decreverat trucidandum; quem tamen divina virtus inter arma barbarica et mores ferocissimos ad erudiendam plebem fidelium, et expiandam urbem fæcibus idolorum conservabat illæsum, nolens vitam ejus brevi consummare articulo martyrii, sed prolixis temporum sudoribus immorantem, fructum afferre copiosiorem, et navem Ecclesiæ quam recturus erat, multimodo commercia referentem, ad regnum transire cœlorum.

CAPUT VII.

De lapsu pueri in Mosellam fluvium, et quod sanctus Mansuetus per visum conquestus sit utrumque parentem.

Interea causa exstitit, qua rex et populosa gentilium multitudo ludis suis solemnem frequentiam agerent, et consuetis otii sui exercitiis vacarent. Cumque talibus intenti tenerentur, accidit prædicti regis unicum parvulum filium ex muro cui tum forte superstare videbatur, ea videlicet parte qua reducto paululum sinu quem sors ædificantibus dederat, muri ambitus quemdam deflexerat angulum, e sublimi loco prolapsum casu in fluvium Mosellæ cecidisse. Qui scilicet fluvius alvei sui cursu loca viciniora possidens, tunc temporis prope mœnia civitatis influebat. Tantaque erat illic aquarum profunditas, ut absorptum hac voragine puerum arte et spe desisceret quærentium solers industria virorum. Civitas tota ruit in funera, clamor attollitur rusticorum, pater et mater pene exanimes referuntur, tragediæ personant mulierum, falsorum frustra provocantur sub specie deorum; dies vertitur in luctum, ludi in miseriam, solemnitas in mœrorem; ita sorde duplici mœrore et labore consumptis omnibus, nocte irruente dies clauditur. Cumque fessa membra post tantum laborem lecto reclinarent, gravi uterque parens somno deprimitur; cum ecce repente dormienti regis conjugi ut ambo decumbebant, beatus Mansuetus per visum apparuit, dicens: Merito, regina, turbaris, merito confunderis, merito triste filii tui funus ex olvis; nam si Creatorem tuum cognosceres, et verbis olim meis tu et rex tuus fidem adhiberet, ab hoc forsan infortunio libera fuisses, vel multo salubrius hæc contingerent, dum animam simul cum corpore pereuntis, beata quies exciperet vitæ renascentis. Sed quid jam nunc facies, si vel corpus exstincti recipere merearis? At vero illa se devovens acturam quod imperaret, cum prolixiora sancti viri ambiret colloquia, ejus visio inter affamina rumpitur. At illa protinus somno excitata, marito quod viderat ex ordine intimavit. Tunc ille: O si possim, inquit, ejus quem sanctum Dei edoces, promereri præsentiam, polliceor enim me ejus dictis assensum præbiturum, tantum per eum obtineam ut cadaver exanime et lanianda membra gurgustio non carere sepulcro.

CAPUT VIII.

Quod B. Mansuetus, triduo quæsitus, tandem invenitur, locoque sibi ostenso, factaque oratione, puer super undas reducitur, et vivus patri restituitur.

Inter hæc, nocte decedente, dies adducitur crastinus. Quæritur vir sanctus a regiis officialibus; sed eo die minime reperiri potuit. Labor frustra quærentium usque in diem tertium protelatus, jamque spes inveniendi pene subtrahitur. Illucescente autem die tertio tandem pro libitu vir Domini inventus, regiis obtutibus præsentatur. Cui ille pristinæ feritatis rigore deposito: O sancte, inquit, Dei, quem saluti nostræ ab exteris partibus gaudemus advenisse, miserere orbati parentis, miserere exstincti nati, adhuc sub aquis lethifere decumbentis. Jam pronus asto et credulus, aras destruo, templa et simulacra subverto, dæmonum figmenta cuncta contemno, immolatitios cruores devito, fidem quam prædicas suscipio, Deum cœli, quem orbis Romanus jam Petro docente prosensit, adorandum spondeo; et me, et populum meum divinis legibus subjugabo, dum per te merear tantum vel exstinctum suscipere, quem constat tam creduliter perdidisse. Vir itaque sanctus, qui jam profecto noverat quod facturus esset, his vocibus motus, his lacrymis compunctus, simul sentiens tanta fruge populorum divinam sibi adesse virtutem, ad muri locum se perduci præcepit, de cujus culmine princeps devolutus puer in gurgitem decidisset.

In quo videlicet loco orationem fundens, ac præcipue fidens in Domino, devotis precibus incubuit, invocatoque Christi nomine, cunctis qui littora cinxerant aspicientibus, corpus jacentis pueri apparuit, et a profundis eductum ferri super æquora cœpit. Quod celeriter ab undis ereptum, ante pedes beati viri protinus est illatum. Ecce habes, inquit ad pa-

trem, corpus exanime quod petisti. Si tamen implere decreveris quod spopondisti, aderit quoque divina clementia, quæ tibi adhuc valeat multo præstare majora. Nam ego ad hoc veni, ad hoc peregrinationem tantam assumpsi, ut per me vobis pateat cœlestis janua regni. A principe apostolorum missus salutis vestræ negotia prosequor, vestrarum gaudens lucra animarum quæro. Tunc pater, et cuncti qui aderant, unanimiter profitentur, abdicatis idolis, veri Dei futuros se esse cultores, si is qui jacebat exanimis, spiritu redeunte, monstraretur post mortem ad superos posse respirare. Hinc sanctus pontifex, plenus semper visceribus pietatis, id quod petebatur per Spiritum intelligit operandum. Iterum genu flexo, in orationem divinæ majestati supplicaturus humi prosternitur, et Christianos qui tum forte pauci admodum numero aderant, idem facere votis cœlestibus præmunivit (*forte præmonuit*); cum oratione expleta mortuus repente vitali flatu membris concutitur, atque ad sancti viri imperium in pedes erigitur, et cunctis admirantibus patri incolumis redditur.

CAPUT IX.

Quod ad resuscitationem pueri, omnes præ gaudio flere cœperint, et de locis pœnalibus ubi fuerat deputatus.

Tunc universi qui ad hoc spectaculum convenerant, manifesta Dei virtute flere præ gaudio, nomen Christi in commune fateri, et illum præ omnibus esse colendum, qui cunctis mortalibus spiraculum vitæ dedit, et post lethalia funera mortuorum, spiritus imperio coercet, atque iterum, cum voluerit, redivivis corporibus ad superos revocari jubet. Tunc fidelis Domini sacerdos ad resuscitatum puerum conversus : Accede, inquit, propius, et per temet enarra parentibus quid videris, vel ubi fueris, cunctis simul patenter ostende. Tunc ille, ut recens ab inferis prodiens emerserat umbris, ad nutum antistitis ora resolvens, atque a tenero pectore alta suspiria trahens, libere cœpit edicere quid in inferno positus vel senserat vel vidisset ; multa videlicet et innumerabilia tormentorum genera, inter tartaraeos ignes flammivomos vigere serpentes, immensas reorum multitudines diversis suppliciis mancipatos, ac miserorum spiritus inter flammas et frigora coarctatos stridore deficere, atque ex suo defectu ad rediviva iterum incendia renovari, ubi ad vitam nulla recuperatio, sed omnium bonorum oblivio, sola præsentium pœnarum inenarrabilis cruciatio ; ad quam ipse quoque rex et regina, omnesque qui præsentes aderant, procul dubio essent perventuri, nisi beati antistitis dictis et factis crederent, et Christianæ fidei colla subjugarent, seque ipsum ad eadem pœnarum loca deductum perpetuæ damnationis tenebris fuisse deputatum, nisi beati confessoris Christi citius intercessio subvenisset, quæ eum a malignis spiritibus atque ab infernalibus claustris eriperet, et ad superos revocaret.

CAPUT X.

Quod, puero baptisato, omnes indola projiciunt, et baptismatis sacramentum in commune suscipiunt, et unanimi voto in sedem episcopalem B. Mansuetum constituunt.

Hæc ita et plura similia prosecutus ad pedes sancti gemebundus puer substernitur, et fonte salutis ablui humiliter ac devote profitetur. Patrem ac matrem cæterosque quorum sollicitior fuerat, ut idem facerent votis et monitis quibus poterat suadebat, dicens suum pontificem a Deo fuisse destinatum urbi, in salutem venisse civibus, pastorem sanctum animarum rectorem atque custodem divina dispositione et apostolica institutione electum ; cujus ipse et tota communiter civitas salvaretur adventu. Tunc igitur inter verba pueri, et evidentissimam resuscitationis ejus virtutem, tantæ novitatis insolito miraculo stupefacti omnes, videntes manifestam Dei virtutem, cui resistere et in aliquo contradicere nemo eorum poterat, idola respuunt, aras subvertunt, cunctas diaboli officinas prosternunt, et manus protendentes Christi nomen communiter inclamare, et laudes in cœlo personare cœperant. Deinde claris vocibus erumpentes, baptismatis sacramentum, quod prius pertinaciter recusabant, humiliter omnes expostulant. Tunc vero secundum catholicam disciplinam a beato antistite sanctæ fidei regulam prius edocti, ac deinde gratiam baptismatis sunt consecuti, rex scilicet et regina, omnisque eorum familia, omnis militaris ordo, universa rusticorum multitudo, et factum est gaudium magnum in illa civitate. Tunc omnis candidatorum turba, et cœlestes in laude Christi cohortes, novum redemptionis genus adepti, et vetusto anguini tegminis squalore exspoliati, divinam potentiam admirantes, et gloriosa beati Mansueti merita magnifice prædicantes, pari voto parique consensu sanctum virum totius Ecclesiæ summum rectorem eligunt ac pastorem justum esse, qui ad totius populi salutem venerat, totius electione populi pastoris jura teneret ; ac sic universi acclamantes, hunc esse dignum, hunc esse gloriosum, hunc per omnia civibus profuturum non jam quasi peregrinum, sed tanquam pastorem proprium apostolicæ præfultum privilegio dignitatis, in sedem statuunt pontificalis honoris.

CAPUT XI.

Quod rex in omnes suæ ditionis partes salutis verbum annuntiari jusserit, et quod B. Mansuetus signis et virtutibus declaratus, duas basilicas intra mœnia urbis construxerunt.

Tunc rex et principes ejus jam catholica fide fundati, per omnes dominationis suæ terminos longe lateque verbum salutis cunctis inferre præcipiunt, ita volentes nolentesque aut vere convertantur, aut patria propellantur, nec ullus infra relinquatur qui aut non baptizetur, aut non baptizandus ad fidem imbuatur. Sic igitur vir Dei electus prius quidem Romæ episcopus consecratus ; post vero, in verbis præcedentibus patet, generali populorum caclamatione signis atque prodigiis ad pontificii cul-

men Leuchorum urbi[illegible] completis, sermone non potest comprehendi quanta et qualia divinitus meruit liberari. Misericordia namque et pietas semper in ejus ore et mente versabatur, nec episcopalis auctoritas pristini rigoris et abstinentiæ frena resolvit, noctes diesque continuata oratio sæpe consummavit. Motus animi tanta mansuetudine coarctavit, ut cum sciret misereri, nesciret irasci, omnibusque clemens, omnibusque misericors. Advenientium vero miserias ita perferebat, ut quicunque mœrens venisset, apprime consolatus lætior rediret. Languores autem ægre se habentium non solum sua intercessione, sed etiam beati Petri Apostoli accepta auctoritate libere curabat. Ita pastor in populis vere medicus agnoscebatur esse salutis. Sicut autem in gestis ejus quæ multo ante nos conscripta sunt, studioso lectori perfacile est inveniri, emundata, ut supra diximus, eadem Leuchorum urbe omni idolorum superstitiosa spurcitia, ædificavit intra mœnia civitatis templum Domino, in honore videlicet genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi ac perpetuæ virginis Mariæ, necnon et sancti protomartyris Stephani. Aliud vero templum construxit ex latere in parte australi, quod solemni populorum frequentia dedicavit in honore et veneratione sancti Joannis Baptistæ, ubi dicitur ad Fontes. Deinde autem per omnem diœcesis suæ provinciam plurimas construxit ecclesias; ordinatis presbyteris et diaconibus, ubi divinæ majestati debita laus redditur, et glorificatur Deus admirabilis in sanctis suis, usque in præsentem diem. In eo vero loco ubi primum adveniens, eo minus in suburbio civitatis sibi, ut diximus, hospitium præparaverat, diurnis quidem in civitate divini pabulum verbi gregi sibi commisso sollicite ministrabat; nocturnis autem temporibus, ut liberius orationi instaret, ad idem tanquam conscium sibi habitaculum revertebatur. Ubi scilicet lacrymarum affluentia diluebat, si quid circa aliorum salutem occupatus, sibi ipsius diurnis spatiis minus perfecte procurasset.

CAPUT XII.

Quod cives Tullensium sint ejus apostolatus in Domini, et de constantia et doctrina B. Petri Apostoli.

Tantis igitur ac talibus, ut prædiximus, longo temporis exercitio divinus operator incessanter insistens, fatigari non poterat, quem sancti Spiritus fervor accendebat; qui, secundum Apostoli dictum, et si aliis non erat apostolus, huic tamen plebi vere apostolus exstitit (*I Cor.* IX, 2), quam ipse tot signis atque virtutibus, tot laboris et instantiæ suæ sudoribus Deo acquisivit, et quamvis moribus nostris et conversioni multa deesse senserimus, quæ ille vir beatus et docuit et excoluit, signa tamen apostolatus ejus nos omnes in Domino sumus (*Ibid.*), quia quod ille ab ipso primordiali sanctæ et universalis Ecclesiæ sumpsit exordium, hoc postmodum generi nostro libera auctoritate perfudit, fide potius armatus quam ferro. Præterea beatus Petrus apostolus, qui in numero apostolorum [illegible] primus, confessor Filii Dei factus, humani generis pastor electus, Ecclesiæ fundamentum, clavicularius regni cœlorum, Christi Domini confessione probatus, passione postmodum coronatus, Galatiam, Pontum, Cappadociam, Bithyniam, Asiam atque Italiam evangelicis pleno repleverat documentis: qui cum sub priori Claudio Cæsare Antiochenam fide catholica primum perfecte fundasset Ecclesiam, eamque per septem continuos regeret annos, Simonis Magi versutias, qui veritatem apostolicæ institutionis ubique locorum fugitans, sanæ doctrinæ radios suis tenebris maculare conabatur; Spiritu sancto edoctus perveniens, eumdem Simonem Magum Romam persecutus ingreditur, ibique electione fidelium pastor Ecclesiæ factus, Evangelium prædicans, viginti et quinque annis ejus urbis tenuit principatum. Contra cujus clarissimam prædicationem, ut historiæ referunt, idem Simon Antichristi membrum utique factus, rabido ore consurgens, Neronis et Agrippæ præfecti fisus audacia, apostolicam assertionem sui pravitate mendacii impugnare non destitit, unde magicis artibus cœlum conscendere molitus, virtute et oratione B. Petri apostoli, dum fertur per aera, ad terras amens corruit in partes elidendus; quibus actis, Nerone jubente, proscriptus sexto et tricesimo anno post passionem Domini in urbe Roma, ut ipse voluit deorsum crucifixus, post apostolicum meritum supernorum cœlorum regna ingreditur glorioso martyrii sanguine laureatus.

CAPUT XIII.

De obitu beati viri.

Cujus in toto terrarum orbe merito recolendam beatus Mansuetus tanquam fidissimus discipulus magistri audiens passionem; loco quo prædiximus beatum virum non longe ab urbe pro tempore fuisse hospitatum, quem etiam sacri oratorii jam pridem titulo illustraverat, nobiliorem ecclesiam condidit, quam videlicet in honore et memoria beati Petri apostoli sui utique præceptoris statuens, sacri pignoris ejus, quam secum attulisse fertur, benedictione consecravit; ubi scilicet diebus ac noctibus peracto prædicandi officio conveniens, ac soli Deo vacare desiderans, plures postea agens annos, multitudines fidelium in Christi fide colligens, ad consortium præmisit angelorum. Cumque jam Dei athleta electus plenus esset dierum, et provectæ ætatis, multis et diurnis bonorum operum sudoribus et laborum exercitiis, ut prædiximus, fatigatus, virtutibus quoque et miraculorum signis admodum declaratus, tanquam fidelis servus et prudens, qui Dominicæ familiæ mensuram tritici in tempore suo erogaverat (*Luc.* XII, 32), ad accipiendam æternæ recompensationis mercedem Domino jubente vocatus, carnis onere deposito III Nonarum Septembrium spiritum cœlo reddidit, et stolam beatæ immortalitatis cum Domino suo perenniter regnaturus accepit, ubi modo gaudet angelorum cœtibus admistus, atque ovium suarum adhuc in terris degentium, multo magis præ-

trem, corpus examine quod petisti. Si tamen implere decreveris quod spopondisti, aderit quoque divina clementia, quæ tibi adhuc valeat multo præstare majora. Nam ego ad hoc veni, ad hoc peregrinationem tantam assumpsi, ut per me vobis pateat cœlestis janua regni. A principe apostolorum missus salutis vestræ negotia prosequor, vestrarum gaudens lucra animarum quæro. Tunc pater, et cuncti qui aderant, unanimiter profitentur, abdicatis idolis, veri Dei futuros se esse cultores, si is qui jacebat exanimis, spiritu redeunte, monstraretur post mortem ad superos posse respirare. Hinc sanctus pontifex, plenus semper visceribus pietatis, id quod petebatur per Spiritum intelligit operandum. Iterum genu flexo, in orationem divinæ majestati supplicaturus humi prosternitur, et Christianos qui tum forte pauci admodum numero aderant, idem facere votis cœlestibus præmunivit (*forte præmonuit*); cum oratione expleta mortuus repente vitali flatu membris concutitur, atque ad sancti viri imperium in pedes erigitur, et cunctis admirantibus patri incolumis redditur.

CAPUT IX.

Quod ad resuscitationem pueri, omnes præ gaudio flere cœperint, et de locis pœnalibus ubi fuerat deputatus.

Tunc universi qui ad hoc spectaculum convenerant, manifesta Dei virtute flere præ gaudio, nomen Christi in commune fateri, et illum præ omnibus esse colendum, qui cunctis mortalibus spiraculum vitæ dedit, et post lethalia funera mortuorum, spiritus imperio coercet, atque iterum, cum voluerit, redivivis corporibus ad superos revocari jubet. Tunc fidelis Domini sacerdos ad resuscitatum puerum conversus: Accede, inquit, propius, et per temet enarra parentibus quid videris, vel ubi fueris, cunctis simul patenter ostende. Tunc ille, ut recens ab inferis prodiens emerserat umbris, ad nutum antistitis ora resolvens, atque a tenero pectore alta suspiria trahens, libere cœpit edicere quid in inferno positus vel senserat vel vidisset; multa videlicet et innumerabilia tormentorum genera, inter tartaraeos ignes flammivomos vigere serpentes, immensas reorum multitudines diversis suppliciis mancipatos, ac miserorum spiritus inter flammas et frigora coarctatos stridore deficere, atque ex suo defectu ad rediviva iterum incendia renovari, ubi ad vitam nulla recuperatio, sed omnium bonorum oblivio, sola præsentium pœnarum inenarrabilis cruciatio; ad quam ipse quoque rex et regina, omnesque qui præsentes aderant, procul dubio essent perventuri, nisi beati antistitis dictis et factis crederent, et Christianæ fidei colla subjugarent, seque ipsum ad eadem pœnarum loca deductum perpetuæ damnationis tenebris fuisse deputatum, nisi beati confessoris Christi citius intercessio subvenisset, quæ eum a malignis spiritibus atque ab infernalibus claustris eriperet, et ad superos revocaret.

CAPUT X.

Quod, puero baptisato, omnes indola projiciunt, et baptismatis sacramentum in commune suscipiunt, et unanimi voto in sedem episcopalem B. Mansuetum constituunt.

Hæc ita et plura similia prosecutus ad pedes sancti gemebundus puer substernitur, et fonte salutis ablui humiliter ac devote profitetur. Patrem ac matrem cæterosque quorum sollicitior fuerat, ut idem facerent votis et monitis quibus poterat suadebat, dicens suum pontificem a Deo fuisse destinatum urbi, in salutem venisse civibus, pastorem sanctum animarum rectorem atque custodem divina dispositione et apostolica institutione electum; cujus ipse et tota communiter civitas salvaretur adventu. Tunc igitur inter verba pueri, et evidentissimam resuscitationis ejus virtutem, tantæ novitatis insolito miraculo stupefacti omnes, videntes manifestam Dei virtutem, cui resistere et in aliquo contradicere nemo eorum poterat, idola respuunt, aras subvertunt, cunctas diaboli officinas prosternunt, et manus protendentes Christi nomen communiter inclamare, et laudes in cœlo personare cœperant. Deinde claris vocibus erumpentes, baptismatis sacramentum, quod prius pertinaciter recusabant, humiliter omnes expostulant. Tunc vero secundum catholicam disciplinam a beato antistite sanctæ fidei regulam prius edocti, ac deinde gratiam baptismatis sunt consecuti, rex scilicet et regina, omnisque eorum familia, omnis militaris ordo, universa rusticorum multitudo, et factum est gaudium magnum in illa civitate. Tunc omnis candidatorum turba, et cœlestes in laude Christi cohortes, novum redemptionis genus adepti, et vetusto anguini tegminis squalore exspoliati, divinam potentiam admirantes, et gloriosa beati Mansueti merita magnifice prædicantes, pari voto parique consensu sanctum virum totius Ecclesiæ summum rectorem eligunt ac pastorem justum esse, qui ad totius populi salutem venerat, totius electione populi pastoris jura teneret; ac sic universi acclamantes, hunc esse dignum, hunc esse gloriosum, hunc per omnia civibus profuturum non jam quasi peregrinum, sed tanquam pastorem proprium apostolicæ præfultum privilegio dignitatis, in sedem statuunt pontificalis honoris.

CAPUT XI.

Quod rex in omnes suæ ditionis partes salutis verbum annuntiari jusserit, et quod B. Mansuetus signis et virtutibus declaratus, duas basiticas intra mœnia urbis construxerunt.

Tunc rex et principes ejus jam catholica fide fundati, per omnes dominationis suæ terminos longe lateque verbum salutis cunctis inferre præcipiunt, ita volentes nolentesque aut vere convertantur, aut patria propellantur, nec ullus infra relinquatur qui aut non baptizetur, aut non baptizandus ad fidem imbuatur. Sic igitur vir Dei electus prius quidem Romæ episcopus consecratus; post vero, in verbis præcedentibus patet, generali populorum caclamatione signis atque prodigiis ad pontificii cul-

men Leuchorum urbs [illegible], sermone non potest comprehendi quanta et qualia divinitus meruit liberari. Misericordia namque et pietas semper in ejus ore et mente versabatur, nec episcopalis auctoritas pristini rigoris et abstinentiæ frena resolvit, noctesdiesque continuata oratione sæpe consummavit. Motus animi tanta mansuetudine coarctavit, ut cum sciret misereri, nesciret irasci, omnibusque clemens, omnibusque misericors. Advenientium vero miserias ita perferebat, ut quicunque mœrens venisset, apprime consolatus lætior rediret. Languores autem ægre se habentium non solum sua intercessione, sed etiam beati Petri Apostoli accepta auctoritate libere curabat. Ita pastor in populis vere medicus agnoscebatur esse salutis. Sicut autem in gestis ejus quæ multo ante nos conscripta sunt, studioso lectori B perfacile est inveniri, emundata, ut supra diximus, eadem Leuchorum urbe omni idolorum superstitiosa spurcitia, ædificavit intra mœnia civitatis templum Domino, in honore videlicet genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi ac perpetuæ virginis Mariæ, necnon et sancti protomartyris Stephani. Aliud vero templum construxit ex latere in parte australi, quod solemni populorum frequentia dedicavit in honore et veneratione sancti Joannis Baptistæ, ubi dicitur ad Fontes. Deinde autem per omnem diœcesis suæ provinciam plurimas construxit ecclesias; ordinatis presbyteris et diaconibus, ubi divinæ majestati debita laus redditur, et glorificatur Deus admirabilis in sanctis suis, usque in præsentem diem. In eo vero loco ubi primum adveniens, eo minus in suburbio civitatis sibi, ut diximus, hospitium C præparaverat, diurnis quidem in civitate divini pabulum verbi gregi sibi commisso sollicite ministrabat; nocturnis autem temporibus, ut liberius orationi instaret, ad idem tanquam conscium sibi habitaculum revertebatur. Ubi scilicet lacrymarum affluentia diluebat, si quid circa aliorum salutem occupatus, sibi ipsius diurnis spatiis minus perfecte procurasset.

CAPUT XII.

Quod cives Tullensium sint ejus apostolatus in Domini, et de constantia et doctrina B. Petri Apostoli.

Tantis igitur ac talibus, ut prædiximus, longo temporis exercitio divinus operator incessanter insistens, fatigari non poterat, quem sancti Spiritus D fervor accendebat; qui, secundum Apostoli dictum, et si aliis non erat apostolus, huic tamen plebi vere apostolus exstitit (*I Cor.* IX, 2), quam ipse tot signis atque virtutibus, tot laboris et instantiæ suæ sudoribus Deo acquisivit, et quamvis moribus nostris et conversioni multa deesse senserimus, quæ ille vir beatus et docuit et excoluit, signa tamen apostolatus ejus nos omnes in Domino sumus (*Ibid.*), quia quod ille ab ipso primordiali sanctæ et universalis Ecclesiæ sumpsit exordium, hoc postmodum generi nostro libera auctoritate perfudit, fide potius armatus quam ferro. Præterea beatus Petrus apostolus, qui in A numero apostolorum eligitur primus, confessor Filii Dei factus, humani generis pastor electus, Ecclesiæ fundamentum, clavicularius regni cœlorum, Christi Domini confessione probatus, passione postmodum coronatus, Galatiam, Pontum, Cappadociam, Bithyniam, Asiam atque Italiam evangelicis pleno repleverat documentis: qui cum sub priori Claudio Cæsare Antiochenam fide catholica primum perfecte fundasset Ecclesiam, eamque per septem continuos regeret annos, Simonis Magi versutias, qui veritatem apostolicæ institutionis ubique locorum fugitans, sanæ doctrinæ radios suis tenebris maculare conabatur; Spiritu sancto edoctus perveniens, eumdem Simonem Magum Romam persecutus ingreditur, ibique electione fidelium pastor Ecclesiæ factus, Evangelium prædicans, viginti et quinque annis ejus urbis tenuit principatum. Contra cujus clarissimam prædicationem, ut historiæ referunt, idem Simon Antichristi membrum utique factus, rabido ore consurgens, Neronis et Agrippæ præfecti fisus audacia, apostolicam assertionem sui pravitate mendacii impugnare non destitit, unde magicis artibus cœlum conscendere molitus, virtute et oratione B. Petri apostoli, dum fertur per aera, ad terras amens corruit in partes elidendus; quibus actis, Nerone jubente, proscriptus sexto et tricesimo anno post passionem Domini in urbe Roma, ut ipse voluit deorsum crucifixus, post apostolicum meritum supernorum cœlorum regna ingreditur glorioso martyrii sanguine laureatus.

CAPUT XIII.

De obitu beati viri.

Cujus in toto terrarum orbe merito recolendam beatus Mansuetus tanquam fidissimus discipulus magistri audiens passionem; loco quo prædiximus beatum virum non longe ab urbe pro tempore fuisse hospitatum, quem etiam sacri oratorii jam pridem titulo illustraverat, nobiliorem ecclesiam condidit, quam videlicet in honore et memoria beati Petri apostoli sui utique præceptoris statuens, sacri pignoris ejus, quam secum attulisse fertur, benedictione consecravit; ubi scilicet diebus ac noctibus peracto prædicandi officio conveniens, ac soli Deo vacare desiderans, plures postea agens annos, multitudines fidelium in Christi fide colligens, ad consortium præmisit angelorum. Cumque jam Dei athleta electus plenus esset dierum, et provectæ ætatis, multis et diurnis bonorum operum sudoribus et laborum exercitiis, ut prædiximus, fatigatus, virtutibus quoque et miraculorum signis admodum declaratus, tanquam fidelis servus et prudens, qui Dominicæ familiæ mensuram tritici in tempore suo erogaverat (*Luc.* XII, 32), ad accipiendam æternæ recompensationis mercedem Domino jubente vocatus, carnis onere deposito III Nonarum Septembrium spiritum cœlo reddidit, et stolam beatæ immortalitatis cum Domino suo perenniter regnaturus accepit, ubi modo gaudet angelorum cœtibus admistus, atque ovium suarum adhuc in terris degentium, multo magis præ-

stantius et potentius intercessor effectus, ad cujus exsequiarum solemne commercium jam dici non potest quanta multitudo fidelium convenerat, quos videlicet ipse laboris sui instantia in filios adoptionis per Spiritus sancti gratiam transfuderat. Cerneres maximas populorum catervas non jam peregrini et ignoti, sed proprii patris et pastoris sui triste funus stipasse, et lamentabiles exsequias undique quodam quasi præcinctu flentium atque dolentium confusio ordine micuisse. Ita præeuntium atque sequentium agmine usque ad locum sepulcri corpus defertur exanime, et in eo loco quo eum prædiximus beati Petri apostolorum principis honore et merito Ecclesiam dedicasse, dignissime traditur sepulturæ. Ubi enim tot certaminum et laborum consummaverat cursum, ibi Domino disponente debitam corpori voluit habere sepulturam. Quem videlicet locum, meritis ejus obtinentibus, ex tunc et modo divina potestas ad laudem et gloriam sui nominis signis et virtutibus illustrat, ut ostendatur quantum in conspectu æternæ claritatis in cœlis fulgeat, qui tantarum quotidie virtutum in conspectu mortalium admiratione coruscat. Cujus merita gloriosa nos, qui oves et grex ejus sumus, cum humili devotione debito honore veneremur, ut ipsius intercedentibus meritis sine fine cum eo gaudere mereamur. Nunc quoque, quia vitæ et conversionis ejus in carne degentis ex parte finem agnovimus, quis ejus fuerit successor compendiosa brevitate huic narrationi inserere dignum judicavimus.

CAPUT XIV.

De sancto Amone beato viro in episcopatu succedente.

Post gloriosum beati Mansueti hujus urbis primi pontificis ex hoc mundo ad cœlos transitum, sicut in gestis præcedentium Leucorum urbis antistitum invenitur, sanctus ac beatissimus Amon, Dei providente clementia, in hac sede communi universorum voto atque consensu ordinatus episcopus, beati viri successor effectus; qui prædecessoris sui mores et instituta ad unguem exsecutus, non valet explicari quantæ bonitatis et sanctitatis fuerit operibus comprobatus. Hic namque pontificalem dignitatem in cuncta morum honestate exsuperans, non solum verbis et exemplis subjectam plebem circumquaque competenter excoluit, sed etiam miris ac magnificis virtutibus illustravit. Qui sic quoque cum daret in celebrationibus decus, et ornaret tempora, ut scriptum est (*Eccli.* XLVII, 12), usque ad consummationem vitæ, recedens ab hoc sæculo in oratorio, quod superius diximus beati Petri apostolorum principis honore a sancto viro studiose constructum, cum eodem prædecessore suo sanctissimo condigne traditus est sepulturæ. Unde quoque amborum meritis et intercessionibus ad laudem divini nominis idem locus ex eo tempore magnificis visus est miraculis effulsisse, cum scilicet cæcorum oculi diuturna caligine pressi, optatam expulsis tenebris lucem, variarum peste cladium languentes exuti, attractis quoque nervis plures repentes humi, necnon et quam multi diversis et innumerabilibus languoribus infecti salutis gaudia horum interventu se gaudeant ad propria retulisse; ad quorum videlicet patrocinium, regum ac principum legimus frequentiam confluxisse, ac viris suis xenia plurima ad sublevandam servorum Dei et pauperum indigentiam devote contulisse, ubi etiam diversis temporibus, mirifica sunt ostensa virtutum amborum meritis insignia. Sed vel propter irruptiones barbarum gentium, vel certe propter scriptorum inopiam, sine dubio sunt prætermissa vel perdita. Cum etiam hanc noverimus urbem ob inhabitantium enormitatem scelerum, simul cum rebus Wandalorum vastatam persecutione crudelium ac postmodum antiqui hostis insidiis atrocibus flammarum incendiis concrematam.

Hoc tamen non est sileutio supprimendum quod ore quorumdam nobis fideliter est relatum. Martinus Turonorum sanctus episcopus toto orbe, ut notum est, famosissimum, beato Maximino Trevirorum antistiti admodum fuerat familiarissimus, ita ut sæpe collatis fruerentur alloquiis, et beatum Petrum Romam pariter adituri, mutuis viatim inniterentur colloquiis. Beatus igitur Martinus communi disposito quodam tempore id acturus, oratorium beati Mansueti ad quod declinaverat divinam exoraturus clementiam, devotus ut erat, ingreditur; cum ecce repente cujusdam sanctimonialis spiritus puellæ, cujus corpus non longe ante sepultum eo loci fuerat, repetitis vocibus sancti viri nomen ex sepulcro ingeminat. Cujus precibus cum vir beatus intenderet, protinus illa subsequitur: Sanctissime, inquit, pontifex, cœlo terrisque præpotens, animæ miserere sepulti. Corpus quidem hic tegitur terris, sed spiritus adhuc versatur in pœnis; adhibe in auxilium sanctissimi Mansueti et tunm patrocinium, hancque salvatam credideris, cum reversus, vocem non audieris supplicantis. Hinc ille abiens, iter quod cœperat aggreditur, petenti præcipue subvenire sollicitus. Interea toto confecto illo itinere, cum rediens, glebam beatissimi Mansueti, nt erat solitus, non præteriret, et signa petentis defunctæ jam nulla percepisset, gratias Salvatori persolvit, quia utriusque interventu salvatam agnovit. Hæc enim perire quomodo poterat, cui tales intercessores immensa Dei misericordia contulerat? His ita gestis, quia ad alia tendimus, in his quoque pro voto finem faciamus.

Hoc etiam non indigne placuit inserendum, quod frequenti testimonio vulgatum adhuc inter ora versatur plurimorum. Ex transmarinis Scotorum finibus, has partes moris erat expetisse multorum, inter quos eo tempore vir quadam pauper cum conjuge dicitur accessisse; antiqui enim temporis multos fama excierat suæ gentis virum sanctissimum. Scottigenis peregre solito abeuntibus, potissimum expetendum. Unde hic conscius, ut rumor erat, amoris et gratiæ, non longe ab æde beati viri potitus hospitio voluerat mansitare. Huic in rebus dome-

sticis exigua fuerat admodum supellectilis, tantum A inter rei familiaris commoda, non magnæ quantitatis solitus alere porculam, futuris sibi escarum usibus inferendam. Ut autem assolet in tanta multitudine hominum, amicam bestiolam cum absentem diutius conspicit, furto sibi sublatam pauper intelligit. Furantis autem personam cum nusquam deprehenderet, damni sui non ferens dispendium, ad sacram ædem tendit, et efferis, ut Scotorum natura est, animis tumulo sancti se mœstum injecit, et plenum querimoniis, et ut rustici verbis eloquar : O sancte Dei, Scotum, inquam, te Scotum et me, genti Scotigenæ propitius miserere. Me eminus positum forte juvare debueras ; ecce peregre constitutum, quid aporiari pateris ; quid rebus destitui permittis ? Redde, obsecro, quod perdidi, redde quod fur impius forte jam B absumit. Hæc et his similia multa prosequens pauper ille, tristis recipitur hospitio.

Interim latro avidus miserum illud animal jam ferro præfocaverat, spe gaudens saturandi gutturis ex his quias furto sublegerat rapinis. Nec diu distulit sanctus sui querimonias pauperis. Nam ut exstincta bestia tegebatur latibulis, virtute sancti, flatu redeunte, in pedes erigitur furisque domo violenter eripitur ; ac contubernale stabulum ingressa, non sine multorum admiratione proprio domino viva et incolumis restituitur. Sic delusa est iniqui furis præsumptio ; sic pauper recreatus est suo quod fuerat passus gravi infortunio ; sic etiam admirabilis facta est non tantum in maximis quam etiam in rebus vilibus, sancti Mansueti, si fide petitur, evidentissima virtus. Si quis vero huic rei incredulus esse voluerit, nihil nostra intererit, cum hoc si siscitari placuerit, multorum adhuc relationibus comprobabit.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT XV.

Incipit opusculum libelli sequentis, de his quæ per eum post obitum gesta sunt.

Quoniam in anterioris exsecutione operis, prout divina sublimitas ad memoriam præsentium temporum renovandum exiguitati nostræ contulerat, C pauca ex pluribus breviter explicuimus, ea scilicet quæ dum maneret in corpore, Dei est virtute operatus, omissis hic quæ vel incuria, vel prolixæ vetustatis desidia tacita sunt vel neglecta. ad ea quoque quæ nostra ætate gesta sunt, suscepti negotii studium convertamus ; quæ videlicet tanto securius proferimus, quanto hæc quoque vicinius fuisse facta sine dubio tenemus ; in primis si quidem.... sive, ut diximus, barbarica irrumpente.... feritate gentium, seu etiam celeberrimis inter se consectationibus populorum per succedentia tempora isdem locus rebus privatus, munitionibus dissipatus, pene ad nihilum fuerat redactus, frequenter etiam virorum sæcularium dominationi subjectus. Interea longa evoluta quoque temporum D serie, post Drogonem, inclytum Leucorum urbis episcopum, domnus Goslinus nobilissimis Francorum natalibus ortus, pietate et religione conspicuus, litterarum studiis apprime eruditus, per Dei providentiam electus, in hac sede est pontifex ordinatus, qui diligenter clerum instituens, viros prudentes undecunque colligens, urbem rebus auxit, sapientia decoravit, providenti dispensatione munivit. Hic itaque præfatum locum diversis, ut diximus, casibus lapsantem considerans, ascito sibi ex loco sancti Apri confessoris Christi egregii, domno Herchemboldo patri venerabili, quem ipse quoque illic abbatem ante constituerat, locum hunc in religionis ordinem committit reparandum. Qui videlicet vir venerabilis, ut erat religiosissimus, sub præpositorum manu monachorum aliquos delegavit, et quia illis stipendia eo tempore deerant propriis monasterii sui sumptibus alendos instituerat.

CAPUT XVI.

De quadam cæca, quæ ante januam beati Mansueti illuminata est.

Præfati igitur felicissimi antistitis Domini Gauzlini tempore, dum isdem locus sub præpositorum, ut diximus, custodia ageret, quæ ante e vicino, vel post visu vel auditu contigerint, satis sit vel pauca de multis expedire. Widonem istius urbis multi noverunt comitem. Hic vinculum quemdam habuerat ab urbe non longe positum ; quem quia ipse construxerat, usque in præsens tempus nomen Widonis habet. In hoc quædam ancilla ejus fuerat, quæ jam per annos cæca septem permanebat, hæc et conjugem et filios potius ad calumniam, quam ad adjutorium possidebat. Quid ageret omnino nesciebat, omnium et maxime suorum infelix patens contemptu, præsenti subjectæ inopiæ. Interea instabat dies qua exspectabantur in crastinum annuæ beati Mansueti solemnitatis gaudia. Tum illa inimicam cæcitatem perferens, turmis se miscuit confluentium, alieno duci innititur, beati pontificis domum gemebunda ingreditur, fletibus profusa faciem, divinæ majestatis amicum invocat, mitis pastoris affuturam sibi clementiam exorat. Cumque in oratorio pernoctare cupiens, ab ecclesiæ præposito cum cæteris excluditur, ante januam vallatam populis excubat, habens in eo fiduciam in quem totam mentem direxerat. Cum ecce nocte media elata voce Deo gratias agit, interventu sancti lucernas

ardentes sibi patere asserit, Eia, inquiens, sancte Dei, cæcam illuminasti, infirmam solidasti, tristem refovisti. Amodo me tuis obsequiis habeto famulantem, super quam tuam potentiam ostendisti. Ita quæ alieno duce venerat, collatæ lucis Auctorem libera rediens omnibus prædicabat.

CAPUT XVII.

De muliere sanata, quæ a dæmonibus vexata sensum perdiderat.

Stephanus quidam miles inter suos non infimus non longe ab urbe rure proprio commanebat; hic ex conjuge filiam acceperat, quam tenero amore diligebat, et, ut solet hostis chariora persequi electa confundere, incauta perrumpere, peccatis exigentibus vas puellæ diabolus ingreditur, confundit mentem, tollit vigorem, penitus evacuat sensum. Illa consepta nexibus, stipata custodibus, sanctorum a parentibus illata patrociniis, tandem in oratorium sancti Mansueti perducitur; intra basilicam vero permissa pernoctare uno superstite, pressis sopore cæteris, ea parte qua illa solo decubuerat, evagantes supra tectum ecclesiæ dæmones, mirum dictu! voces ululantium ac varios imitantes sonitus bestiarum mistis aera complent clamoribus, conquesti publice nihil sibi et sancto convenire, nec donum salutis quam ipsi merito abstulissent, ullo modo posse reportare. Ille tremefactus, cæteros excitat, ut et ipsi voces perciperent quas ille audiebat. At vero illi cum per aliquot horas palam insultarent, egressi terroribus dæmones fugiunt, puellam deserunt, virtute sancti protinus evanescunt; puella surgit libera, et reparato sensu secum ipsa miratur quibus tradita fuerat inimicis.

CAPUT XVIII.

De leproso curato.

Alio quoque tempore elephantiæ quidam morbo percussis, cujus cutis instar nivis, speciem prætenderat pœnitentem, toto trepidus corpore beati Mansueti suffragium censuit expetendum. Quo cum pervenisset, præpositus ecclesiæ visus est pro foribus astitisse; cujus ille cupiens pedibus procumbere, visus est quid vellet, aut quid quæreret indicare. At ille: Heu me, inquit, miserum, vivus quodammodo artubus omni ex parte præmortuum, cui vita in pœnis ducitur, caro lethiferis angoribus coarctatur! Ad hoc enim veni, ut sancti hujus, etsi non merear, vel parum remedii beneficio Deitatis attingam. Ad quem senior speciе intentantis: Quid habes, inquit, offerre in donariis? Cui ille, ostensa protinus summitate qua tegebatur vestis: En, inquam, salis exiguum sublevandæ inopiæ miserantis gratia condonatum. Vade, inquit, sumens illud sacris inferendum. His dictis ratus ille accurate ista sibi juberi, quæ sub ludentis habitu prolata audierat, festinus templum ingreditur, donum salis ante aram perfundit, ipse in preces prosternitur: qui solo decubans, subito quasi pedem transeuntis sensit dorso vestigium impressisse. Hinc concitus assurgens, cum neminem circumquaque conspiceret,

A ad sanitatem revertitur, et jam sanus factus colore in pristinum converso, deposuisse cutem gravisus est male albicantem.

CAPUT XIX.

De clerico a febribus erepto.

Est quo.... simum hunc beatum vir.... etiam quæsitæ sanitatis sæpissime remedium contulisse; et ut nota replicem, vidimus ex clero non mediocris secundum sæculum personam dignitatis, quem quoque cum tanta vis febrium toto tremebundo corpore ardentius inflammaret, ut dies noctesque quamplures sine cibo duceret, vitæ jam pene desperatus, ad sacram defertur ædem manibus famulantium; compositis stramentis secus beati aram sedulus excubator exponitur. Ita eo loco biduo commoratus,
B pulso ardore torrido, sic præsensit opem medicinæ salvantis, ut libera facultate domum rediret incolumis, a qua prius elatus fuerat passus igniferæ tormenta passionis. Nec in hoc solo virtus ostensa est hujusmodi morbos excludendi, sed certe frequentissime hoc angore pressos aspeximus sancti pontificis auxilium implorasse, quos alacriter contigit optatæ incolumitatis gaudia reportasse. Si cui vero tam cita salus non occurrerit, sciat vel non mereri, vel potius in provectum differri.

Eodem fere tempore... to quoque miles notissimus........ fuerat oriundus, hujus gratiam sancti pontificis est pleniter expertus. Qui videlicet cum esset in rebus militaribus strenuus et promptus, non minus tamen erat fide et bonitate conspicuus. Hic irruente febrium peste, pene ad extrema
C perducitur, atque amissis totius viribus corporis, nihil sibi superesse, nisi mortem vicinam conspicatur. Quid potissimum faciendum esset, mente confusa versabatur. Vitalia exosus alimenta, et quietis impatiens, de sola morte cogitabat. Cum ecce inter lethiferos febrium anhelitus, et ignis ardentis stridentia acumina, menti incidit sancti hujus expetere perfugium, et vobis præeuntibus implorare suffragium. Adducitur igitur vectus subsidio servulorum, ingressusque templum venerabile, imposito cervici vinculo, sancto se ex libero in cervum dedicat, et votum censuale die certo devovet. Sicque nocte illa ante aram provolutus excubat atque in crastinum inter sacra missarum solemnia, livido jam furore erutus, domum qua
D vectus fuerat, liber revertitur et sanus; non oblitus post hæc ereptoris sui beneficii, quo tam evidenter ab illis stridoribus meruerat absolvi.

Præterea innumerabiles nos vidisse meminimus hujusmodi vexationibus detritos, qui flammis stridentibus totis effusi corporum viribus solum exitum meditantes, hujus meritis et potentia sancti, redierint ad propria sani et incolumes facti. Quæ omnia si velimus plene prosequi, ante deficient nobis tempora, quam universa magnalia ejus valeant litteris comprehendi.

Tamen si cupimus hujus nostri protectoris meritis provehi, beneficiis adjuvari, nos ab ejus laudi-

bus et obsequiis non convenit exserere depromi : quod in uno solo facile est deprehendi, quod congruum duximus adjungi.

Quodam tempore, ut mos est rusticorum, quidam Barrensium partium non parvo numero rustici grege facto, sumptis vehiculis, et rerum copiis, vicos expetierant Salinarum (*Vic-aux-Salines*) ; datisque in coemptionem rerum venalium convectatentibus, ad sua [illegible] cupientes, [illegible] referebant et jam ex maxima parte [illegible], Gundulfi villam (*Gondreville*) transgressi, ad alveum Moselle cum illis suis rhedis quibus utebantur rustici pervenerunt. Ubi objectu transmeandi fluminis aliquantulum intricati, a loci illius incolis duriter sunt invecti, cur eo die rotalibus actibus insudantes in tanti Patris quæ ea die annua colebatur solemnitate, tanquam agrestibus animis communis lætitiæ se paterentur non esse consortes. Rustici hæc e contra ludibriis prosequuntur, dicentes, hæc sacra ad illos non pertinere, nec quidquam cum hac celebritate habere commune, quam solis Leuchorum populis nossent debitam et votis civilibus excolendam. His ita contumaciter persistentibus ultio divina prosequitur, mira dicturus sum. Tanta subito rabies miseris illis animalibus incubuit, ut se invicem concertis cornibus appeterent, et cunctis videntibus maximum terrorem incuterent.

Infelices vero rustici pene ab humanis sensibus excedentes, circumquaque vagabundi feruntur, bovesque versi in amentiam pœnas suorum luerunt dominorum. At illi in quibus vigoris animi aliquid resederat, ecclesiam Beati pontificis celerius irrumpentes, reatum suum publice profitentur, votis se et supplicationibus astringunt; de cætero fore cautiores, si pœnis præsentibus erepti, liberi redire potuissent. Nec distulit sanctus voces audire gementium, quibus et misera armenta restituit, et abeundi facultatem donavit.

Præfati domni Gozlini pontificis obtentu, Grimauldus quidam vir vitæ venerabilis, quodam tempore ex monachorum sancti Apri religioso collegio assumptus, ejusdem loci, sui abbatis imperio, rector et præpositus fuerat constitutus, qui videlicet pro merito charus omnibus principalis obedientiæ titulis fuerat insignitus, disciplinis regularibus pretiosus. Hic itaque in usibus necessariis unius vaccæ subsidio fruebatur, quo videlicet animal condiendis potissimum oleribus familiare præstabat obsequium. Sed quadam die dum hora competenti exspectatur, quo non aderat, diversitate quæritur locorum studio famulantium. Res est incerta cujus idem animal fraudulenta fuerit factione traductum. Tunc præpositus inquit ad ministrum, qui tunc forte damni familiaris nuntiator mœstus advenerat : Vade igitur, dic sancto illi qui nostris utitur ministeriis, si nostræ velit amodo commune servitutis obsequium, restituat citius animal necessarium, iniqua fraude sublatum. Nec sermo in vanum eecidit. Nam in crastinum raptoris idem animal exactum vinculo, fertur stabulo proprio, [illegible] B. pontificis celerrime revocatum.

Gloriosæ vero et felicis ac perennis memoriæ domnus Gozlinus sæpe dictus episcopus, piis ac sanctissimis operibus approbatus, plenus dierum et bonarum virtutum insignibus, suæ complens tempora vitæ, magno mœrore et luctu omnium, quadragesimo [illegible] anno [illegible] clero et populo in Basilica [illegible], quam ipse a fundamentis longe ante construxerat, dignissimam sicut vivens jusserat, accipit sepulturam inter choros virginum, quas illic plures numero vitæ districtioris aggregaverat, longis sæculis in Dei laudibus excolendam. Cujus dies depositionis VII Idus Septembris agitur, sub obtentu Dei genitricis et perpetuæ virginis Mariæ in sæculum permanentis.

CAPUT XX.

De his quæ acta sunt beati Mansueti meritis, tempore domni Gerardi pontificis.

Ut vero adhuc competens historiæ nostræ rei veritas et ordo consequatur, hujus sanctissimæ et intemeratæ virginis Mariæ præeunte gratia et virtute, necnon et beati protomartyris Stephani sanguine coruscante, cui urbs tota innititur, universus populus meritis sanctificatur et regitur. Hæc eadem Leuchorum civitas suo, ut dictum est, rectore destituta, nequaquam diutius est, Deo disponente, pessumdari permissa. Nam votis utriusque fidelium ordinis aspirante gratia divinæ majestatis, triumphatoris invicti domni videlicet Ottonis Augusti decreto statuente, agente quoque germano ejus domno Brunone pontifice, Gerardus Coloniæ civitatis oriundus, in clero genere et religione præclarus, destitutæ Leuchorum ubi futurus designatur episcopus. Qui si quidem cum esset ecclesiasticis institutis apprime eruditus, regnante in perpetuum Domino Salvatore, dum nongentesimus sexagesimus tertius ejusdem sanctæ Incarnationis ageretur temporum cursus, omnium unanimitate acclamante fidelium, in hac eadem sede intronizatus pariter et assumptus. Hic itaque imprimis dum sibi commissam urbem expeteret, in præfatum beati Mansueti oratorium, quod forte obvium habuerat, primo ingressu divinitus, ut creditur, menti incidit, quod illic requiem in sæculum sæculi, et habitationem electam secundum Prophetæ vaticinium eodem currente versiculo sibi præsignavit (*Psal.* CXXXI, 14), et hæc, ut patet liquido, circa eumdem locum potioris devotionis causa fuit pariter et salutis augmentum. Nam rerum competentium dispensatione composita, non longo temporis interjectu laudabilis memoriæ abbatis Huncberti consilio, qui tunc temporis B. Apri gloriose regebat monasterium ; cujus nomen, ut speramus et cupimus, libro beatæ vitæ tenetur fixum. Suorum etiam consensu fidelium, quemdam boni testimonii virum Adam nomine, moribusque fulgentem, verbis et actibus institutum, eidem loco abbatem præfecit et rectorem. Ex his vero quæ ad se videbantur pertinere rebus, locum decenter ampliavit, et numerum Deo famulantium

secundum regularis vitæ disciplinam fideliter instruxit. His tandem ita gestis, quia hæ res in propatulo constant, et solit. . . . . cœptæ historiæ seriem prosequentes, ea omnia opera quæ præsentis domni Gerardi pontificis tempore, beati virtute Mansueti gesta sunt, breviter explicemus.

Suspensis cœlo imbribus, inimica frugibus magna et illius temporis inusitata sterilitas arvis squalentibus incubuerat; deinde tellure fatiscente, laboribus hominum æstu nimium irruente pene concrematis, exustæ terræ (dictu horrendum!) cultura deperibat, et ut in ultionem infidelis populi invectione Domini longe ante probatum fuerat, cœlum desuper speciem minabatur æream; deorsum vero terra crudelis prætendebat ferream. Hoc autem in dies iræ cœlestis effulgurante judicio, jussi pontificis plebi æstuanti agendum triduo jejunium indicitur; et quia facile non valet contrairi divinæ ultioni, præsulem expetunt beati viri corpus arentium agrorum finibus deferendum, utpote arescentibus his æstibus misericorditer opponendum. Quid plura? Astante domno pontifice, et plebe universa, exponitur de loco in quo pridem jacuerat. Dant voces in excelsis, cœlestibus personant hymnis Deum laudantes, et flebilibus B. Mansueti medio procedentibus, ut ostenderetur divinitas cujus in terra ferebatur corpus, tantus de cœlestibus fragor repente bis inhorruit, ut voces rumperet psallentium, et corda stupentia redderet singulorum. Ita attonita multitudine quæ ad duo millia hominum, vel eo amplius undecunque eo die confluxerat, ad locum sancti Apri quo ire decreverant, perducuntur. Illa vero æstuosa cœli serenitas quæ ardente Syrio terras videbatur exurere, in nubes mox cœpit densescere, et datis largis imbribus, impetrati roris gratiam pleniter ministrare. Quid vero interim contigerit, non est silentio præterire.

In hac copiosa multitudine quæ tantum spectaculum impleverat, hujus tunc urbis comes Sindebauldus eorum unus erat. Is cum Immone quodam domni præsulis non ignobili milite, sancti viri se glebæ petiit supponi deferendæ. Quem scilicet præ doloribus omni humano officio destituta manus valde fatigabat. Hanc jamjam salvandam aliter desperaverat, quam si, ut assolet, ustione depelleret quod graviter dolebat. Deposito vero beati Mansueti quod ferebat corpore, expletisque missarum solemnibus, ita manum morbo liberam cunctis videntibus extulit, ac si unquam prius doloris nihil senserit. Cujus rei adhuc est ipse testis certus, si a quolibet fuerit requisitus.

Hinc vero abeuntes cum illa suo cœlesti thesauro urbem ingrediuntur, magno resultantes divinæ modulationis tripudio. Sacris deinde illius noctis vigiliis insistentes, præsenti viri corpore dedicant basilicam, quam ipse præsul a fundamentis ante construxerat, sanctæ Dei genitricis, sanctique Mansueti honore venerabilem quæ ex tunc et modo sancti Mansueti magnifice illustratur meritis, ubique solvuntur vincula peccati aggravantis.

A His autem ita compositis, beati viri corpus sedi propriæ referri cupientes, obvium quemdam habent rusticum magnificis vocibus ejulantem. Hic ulnis impositum sui mœroris miserum decem annorum filium attulerat, cui nervorum implexio spinæ dorsuali vestigia fixa retinebat; qui cum sancti viri glebam ad templum lamentis prosequitur, Judæus quidam, qui tum forte se turbis miscuerat, centum blasphemias ludibriis rabidioris evomens, preces rogantis invehitur. Heus, tu! inquiens, quid mortuum insequeris? Quid clamoribus aera confundis? Quid ab immoto beneficii petiturus accedis, cum ego, equidem ipse vivens multo defuncto præstantius, prosim, si vota contuleris? His auditis ualde indignatus qui præsens aderat pontifex, astantibus fratribus: Heu B me! inquit, quid veneramur, quid colimus? Aut enim nulla sancti virtus, quæ lætificetur Ecclesia, qua Judæi confundatur vesania; aut certe pro eo alter colitur, qui dum putatur, hic nullo modo retinetur. Interea populis alia procurantibus expositi pavimento pueri nervorum subito rupta connexio, sanguine cœpit defluente dissolvi; et dum nititur manu sancti glebam irrepere, in pedes constitit, et iter quod nuuquam noverat, propriis nitens gressibus, turbis mirantibus, recognovit. Sic sanctus vir, ut voluit, gratiam virtutis exhibuit, et ora flentium in gaudia commutavit. Puer autem in testimonium facti usque in præsens tempus stipendiis ecclesiæ confovetur.

Inter cætera autem hujus beatissimi viri huic pontifici virtutnm experta beneficia, illud etiam addimus, quod ejus relatione nos certos fuisse non C dubitamus. Cum adhuc in eodem cœnobio sancti præsens contubernio esset; abeunte die Sabbati nox funditur, quia videlicet Dominica solemnitas in crastinum sperabatur. In qua cum maturius fratres ad divinæ servitutis præconium surgerent; episcopus præteritorum labore defessus, lecto decumbebat, gravi sopore depressus. Interim illis consueto more laudes agentibus, soporato pontifici cum jam daret albentes pallens aurora recursus, astitit vir quidam aspectu venerandus, stola candidissima coopertus, habitu præcipuus, staturæ quantitate profusus, ut nil aliud videretur quam sanctus Mansuetus. Qui cum divinus visitator cubiculum quiescentis intraret, quadam impellente virtute, ostia contiguæ subito patuere fenestræ, ac radio vibrante domus resplen- D duit omnis. Tum ille vir clarus ad stratum præsulis soporati accessit, manuque corpori superposita, levi agitante motu, nam cæteri jacentes circumfusi tanto sopore tenebantur innexi, ut vix facto strepitu irruente quiete laxari potuissent, eum excitat, dicens: Quid dormis? Quid aliis sacras vigilias agentibus, tu tanto sopore deprimeris? Atque, ut ejus verba ipsa retexam, mox subjunxit: Non enim dormientibus pervenit regnum Dei, sed vigilantibus. His auditis, pontifex somno excitus, ecclesiam tremebundus irrumpit, magnoque terrore concussus, pudore profunditur, quod his officiis exsors ita tardius interesse

videretur. Cujus rei testis non sine sui pudore refert, quid in illo sit passus secreto cubiculo, virtute præstanti beati Mansueti.

Sed qua gloria regis est celare verbum, Domini autem investigare sermonem; veniam ad illud quoque quod ea sub tempestate, hujus beati viri meritis fuisse probatur ostensum. Non multo post tempore ulciscendis obnoxia facinoribus omnium divinæ animadversionis severitas peccata perstrinxerat populorum. Morbosæ calamitatis clades acta Dei judicio per populos incanduerat. Nam instar inguinariæ pestis, quæ quondam populos Italiæ corripuerat, quidam litteralis [*f.* lateralis] dolor ubique redivivo germine spargitur, ac lethiferis invalescens successibus, regionum finibus late pervagatur; sicque quodam malo auspicio, serie cumulata morborum, plebes pereunt, populi concidunt, sine differentia utriusque sexus et ordinis, volvuntur agmina mortuorum. Nec is qui tali dolore corripitur ultra triduum vix superesse ullo modo permittitur. Et quid in aliis fieret terrarum partibus incertum. Hanc urbem clades ita superveniens irruperat, ut ad unum quemlibet, exceptis aliis diversarum ecclesiarum, locum. sicut idem pontifex non sine gemitu memorabat, denos vel septenos mortuorum loculos sub oculis aspiceret inferri tumulandos. Arctatur pontifex plurimorum periculo morientium. Tandem id consilii menti infunditur, ut videlicet idem protector beatus Mansuetus, ex quo fuerat positus loco iterum assumptus, tanquam inter viventes et mortuos medius opponatur. Itaque triduano præmisso jejunio, consultu habito, videtur episcopo congruum, ut collectis denuo populorum undique catervis, beati viri corpus ad ecclesiam sitam scropulis [*Ecrouves près de Toul*], quæ beatæ Dei genitricis Mariæ sæpius solet illustrari miraculis, debeat destinari, tanquam apud cœlestis Imperatoris summam Imperatricem, matrem omnium sane suarum ovium, commissa legatione perfungi. Sicque hoc facto visa est clades illa suo aliquantulum furore mitescere. Sed nec sic paventium populorum terror abscinditur: nam iterum beati viri glebam humeris imponentes, principale ejusdem Dei genitricis Buxeriarum [*Bouxières-aux-Dames*] cum choris permiscui ordinis psallentium, erectis in Dominum cordibus expetunt cœnobium, ibique præsente domno Gerardo pontifice exacta nocte illa, dum reditum gestiunt, dici jam ullo modo non potest quam incredibili multitudine stipatæ populorum cohortes confuso ordine turbas miscuerunt, ex vicis, ex agris, ex diversis partibus in unum repente coeuntium. Hinc sacræ virgines, illinc innumerabiles Christianæ fidei greges, ad littus Murtensis fluminis usque properantes, ubi ab incolis loci illius votive petentibus, acceptum est beati viri venerabile corpus. Et cum jam satis visa illis fuerit excrevisse aquarum immensitas, liberis inter undas vestibus ad renes usque aquis convoluti, dicti sunt alveum pedibus transmeasse, non sine admiratione multorum. Hinc omnis illa popularis turba, progrediens lætis conjubilo, precibus, vallidam undique catervis sancti viri glebam ad propriam sedem, non sine voti sui munere, referunt. Nam coactis inter aera nubibus, tantus prius imploratus imber cœlo profluxerat, quantus arenti terræ sufficere plene potuisset. Tandem igitur templi januam cum laudibus propinquantibus, mox tantæ claritatis jubar illud venerabile corpus visum est processisse, ut tota ecclesiæ domo effulgurans manifeste daret intelligi quam divinum esset quod templo sancto videbatur inferri. Tunc sonitu confusæ multitudinis rumpitur concentus cœptæ modulationis; versisque in contraria votis, cœperunt plures flere præ gaudio, dum nescirent cur flere debuissent, nisi quod sancti pietas supernæ infusionis affectum suorum concitaverat in mentibus filiorum. Nec vero præsens antistes lacrymis temperat, qui illius dulcedinis communem cum populo ubertatem mire sentiebat. Et ecce clades illa quam . . . . . . hominum effusam esse diximus, favente istius nostri protectoris meritis gratia Domini Redemptoris, sic suis desuevit processibus, ut palam cognosceret universus populus quod pro domo Israel in die Domini staret ex adverso in pretio sanctus Mansuetus suarum omnium ovium adjutor præstantissimus factus.

Libet quoque illud huic nostræ narrationi inserere, quod pene nostris omnibus præcedenti tempore, ad laudem quoqne istius beati viri notum est contigisse. Et quia prædictus episcopus est in causa, non derogat personæ præcellenti Divinitati debita clementia porrecta peccatori. Severitate igitur flagelli percussis plebibus, sanctorum meritis exempti, cælesti disciplinæ præfatus quoque pontifex subditur, ut tactus ex verbere celerius agnoscat quia unus est Dominus præpotens qui percutit et sanat. Ergo ut plura reticeam, qui multis aliis orationum fomenta porrexerat, gravi pressus incommodo valneque se habens ægre, infirmus decumbebat.

Nulla huic virtus, nullus vigor permanserat, toto corpore contabescens, nec somnum nec cibum capere valde debilitatus poterat, vitam exosam ducens inter angustias, de imminenti funere solummodo cogitabat. Quid faceret, quo se verteret anxius nesciebat; plebes absolvens, ipse a plebibus absolutus, solum exitum mœstus exspectabat. Cujus quidem infirmitatis ita exprimimus incommoda, ut videlicet ostendamus quanta per beatum Mansuetum hanc sit gratiam subsecuta. Nam hac invalescente molestia, cum pene jam jamque in extremis ageret, ternasque continue hebdomadas insomnes lethaliter duceret, ad notum sancti Mansueti refugium urgente morbo recurrere ægrotus deliberat. Obstat e contra militum familiare obsequium, ne videlicet sicut rumor fuerat, si contigeret Dominum in ordinem monasticum converti, eos quoque pariter rebus domesticis cum Domino privari. Quæ scilicet res eorum mentes animos que confuderat. At ille qui vim laboris torquentis insenserat, rumpit obstacula prohibentium, beati viri suffragium festinus impetit, totum

se ejus apud Deum interventioni committit, tam fratrum orationibus studiosus incumbit, votaque sua Deo ac sancto Mansueto imo pectore deferens, non prius abstitit quam redeuntis salutis, Domino miserante, sanctique Mansueti virtute conferente, sperata beneficia persensit. Quod usque hodie idem pontifex non sine suspiriis solitus est referre, quanto eo tempore fuerit incommodo depressus, quam potenti interventu sancti exstiterit cœlesti medicina salvatus. Et quia aliqua de sancti hujus virtutibus præsentis in carne pontificis tempore gesta brevi calamo, ut ita dicam, sodalem sibi libellum ejus imperio exsoluturus, nunc in his quoque finem faciamus adjuti ejus orationibus, aspirante gratia Domini Redemptoris.

VITA SANCTI BASOLI

CONFESSORIS

Auctore Adsone

(Apud Mabill., *Acta SS. ord. S. Bened.*, Sæc II, p. 66, *ex membranis monasterii S. Basoli.*)

PROLOGUS AUCTORIS

1. Quoniam describenda sanctissimi confessoris Christi Basoli vitæ actuumque insignia præ manibus habemus, os et cor nostrum in cœlum dirigimus, quia, testante Scriptura, Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum esse (*Jac.* I, 17) cognoscimus. Ad hoc autem opus trepidi omnino manum extendimus, quia tantæ materiæ meritis et ingenio impares viribus fracti succumbimus, quam uni ex antiqui temporis primoribus satis condignam esse perpendimus. Cui etiamsi, ut gentilium figmenta referunt, Homerus aut Tullius Cicero rediret ab inferis, non posset verbis includere omne, ut gestum est, opus divinæ virtutis; quanto minus ego solus homuncio, cui nec scientia præsto est, nec meritorum ulla decusat ratio, nec ea, quæ in rebus excellentibus est valde necessaria, docti sermonis oratio? Quid ergo? etsi indigni sumus, omnino tacebimus? Forsitan enim culpam incurrimus, si ejus, de quo semper digne loqui possumus, virtutes et opera silemus. Quod si ex nobis nullam sufficientiam habemus, credimus tamen, ut Gregorius Romanæ rex eloquentiæ scribit, quia vires, quas imperitia denegat, charitas ministrat. Et fortasse eo facundiores erimus, quo propria virtute nil fidimus; quia quanto quis humiliter intra suam se deprimit ignorantiam, tanto sublevatur interius per Spiritum illuminantem, et auditoribus animo utilius solet prodesse quod procedit exterius ex vera humilitate. At vero oratio quæ ex fastu superbiæ prodit, audientem non adjuvat, sed fastidit. Ergo quia mentis ariditate constricti sumus, tanto vehementius ad fontem aquarum viventium sitientes recurrimus, quanto inardescente siti intus æstuamus, in illum suspirantes, in illum nostra præcordia ponentes, de quo veraciter scriptum tenemus, quia in cœlo habet cathedram qui docet corda hominum (Aug. *tract.* 3 *in* I. *Epist. Joan. circa finem*).

Quibus auctoribus scriptor hanc vitam componat.

2. Inde itaque accipere volumus, unde innumerabilium fluenta paginarum emanasse cognoscimus, cujus gratiæ totum profecto ascribimus, quo docente egreditur quidquid profertur. Sed et si post non subito prosiliat, qui opus hoc nostrum evestigio remordeat, ut et ipse his venustius componendis eloquii sui torrentes influat, quæ nos minus idonee vel temere composuisse redarguat; reducat ad memoriam, quod non hoc proprius quidlibet faciendi impetus, sed præceptum venerabilium Patrum nos duxerit, sub quorum imperio militamus; quibus si contradiceremus, majoris dementiæ nefas esse putavimus. Ipsorum ergo contra omnia inopinatæ objectionis jacula defensione confidimus, quibus obedientiæ onus auctoribus tolerandum esse suscepimus, qui post longam monasticæ institutionis abolitam honestatem hac nostra ætate regularis militiæ sunt reparatores atque recreatores (13). Quibus cum obedimus, vitæ nostræ ordinem honoramus ac nostræ servitutis propositum illæsum conservamus. Cum vero ab eorum obedientia temere declinamus, Deum offendimus, animas nostras lædimus, pro mer-

(15) Frodoardus in Chron. ad an. 952. *Artoldus*, inquit, *archiepiscopus in monasterio S. Basoli monachos mittit, expulsis clericis qui serviebant ibi, committens illud Hincmaro et Rotmaro abbatibus*. Hincmarus abbas S. Remigii apud Remos, et Rotmarus Altivillacensis forte abbas, monachis apud Basolum restitutis præficiendum curarunt Odoleum abbatem, cui Adso Gerberto Remorum antitisti coævus successit, ædificavitque basilicam qualis etiam nunc superest, ut Gerbertus in epist. 7 testatur. Lege Guillelmum *Marlot* in lib. IV metrop. Rem., cap. 25 et 26.

eodem inobedientiæ damnationis judicium sustinemus. Ergo in hac parte nemo mordaci præjudicio in nos jacula contorqueat, quia vituperari non debemus si institutæ servitutis humiliter officium implemus.

Auctoris modestia.

3. Sed neque econtra laudationis cujusquam fames innectimus, quia omnino laudari a quoquam recusamus, qui laudandum nunquam aliquid nos egisse meminimus. In hoc namque tali negotio non est a dictante quærenda laudatio, sed virtutum imitanda proportio, et rerum gestarum cum veritate proferenda assertio. Si igitur debet quis laudari, ille laudetur de quo nos famuli loquimur, ille laudetur qui virtutes operatur, ille qui jam triumphaliter pervenit ad portum, non ille qui adhuc in incerto, inter fluctus dirigit remum. Unus est igitur ex principibus monachorum sublimium, quem nos Monasticæ vitæ professores indignissimos qui nec minimam meritorum particulam attigimus, oportet laudare et recolere devotis pectoribus. Justum quippe est, ut quem habemus præ oculis nostri ordinis ducem præcipuum, quo regente, per varios casus et tot discrimina rerum tendimus ad patriam, nostri devotionem exhibeamus obsequii ritumque colendi, ut tunc suos esse recognoscat, cum in judicio veniens a servitute sua non fuisse extraneos considerat. Qui hæc autem legerit, intelligat, quod nostra exactio ad legendum eum non compellat, sciatque quia alia pro aliis non introducere voluimus, sed rei gestæ ordinem diligentissime investigantes, quantum studium nostrum pertingere potuit, ne tantus dominum confessorem in populo lateret, offerat, qui his Franciæ partibus et monachorum imitator egregius extitit, totius populi sui apud Dominum semper piissimus mediator erit.

Fides hujus historiæ. Auctor rerum ordinem non servat.

4. Quædam igitur tradita ex antiquorum memoria copiosius retulimus, quædam vero ab eo fidelium relata stilo proprio commendavimus, nonnulla quoque addere libuit quibus et ipsi interfuimus, sed et illa breviter executi sumus quæ rebus testimonio præsentium astipulante didicimus. In descriptione autem nostra ordinem servare supersedimus; dummodo id ageremus, ut quæ se nostræ inferrent notitiæ, surda ore non transeundum esse judicaremus; quamvis quoque a pluribus affirmari soleat, quod solers antiquitas ex beati viri actibus posterorum memoriæ non modicæ quantitatis librum reliquerit, qui tamen adhuc nostris conspectibus usque in præsens deprehendi non potuit. Sed sive illud est, sive, ut poeta canit, Audieras, sed fama fuit; specialis pastoris nostri virtutes et opera nos silere minime convenit, qui et ante corpus ejus excubias agimus (14), et patrocinii singularitate gaudemus. Nec nobis erit oneri quantumcunque ipsius præconia scimus ab aliis dilatari : imo potius surgent incrementa gaudii, si ubi nos deficimus, contigerit per alium adimpleri; quia virtutes ejus quas cœlo teste est operatus, sicut nullus mortalium potuit pleniter agnoscere, ita sermo plurimorum non valet omnimodis explicare.

PRÆFATIO.

Exempla sanctorum quam utilia. Auctor nomen suum premit.

5. Ex longo hujus peregrinationis tædio felicem ad patriam revertentes, habemus necessaria SS. Patrum exempla, quos novimus promeruisse virtutibus gloriosum ad cœlos ascensum. Hic namque, ut dicitur, inter Charybdim Syllamque navigantes, non sine magno periculo iter medium ducimus, et valde formidandum ne in dexteram sive in partem sinistram vela relaxemus. Præsto sunt enim utrimque truculentæ bestiæ, quæ si nos ad se declinantes aspexerint, patenti barathro sorbeant, atque profundis gurgitibus immergant. Quia igitur hæc mortis latibula per nos caute evitare non possumus, ideo curiose lumine sanctorum præcedentium semitas exploremus, ut iter tutum inter tot discrimina teneamus. Quod tunc convenienter agimus, si eorum virtutes et opera consideremus, nobisque ex eorum imitatione salutis exempla capiamus; si mores componimus, vitam emendamus, et quidquid est in nobis Deo displicens, per sanctæ conversationis studium fiat Redemptori placens. Bono etenim fructu sanctorum memoriam recolimus, si fastidium non sit imitari quod auribus audimus. Bono fructu sanctorum celebramus festa, si condimentum innocentiæ accipit his infelix conscientia nostra. Festiva namque gaudia non ciborum vinique affluentiæ, sed mentem purificaas desiderium de Spiritu sancto componit lætitia.

6. Ideo ergo nos beati pastoris nostri ac præclari confessoris Christi Basoli vitam actusque describimus, ut per quod iter ad gloriam pervenerit in memoriam reducamus. Ecce etenim si quanta sit ejus gloria in cœlo consideremus, ad ea tamen quæ ante pertulit visum reflectamus; quia nihil mihi prodest, cum de cœlestibus audio, si hæc quibus ad cœlestia tenditur, ad manus non evolvo. Unde sanctissimi hujus Patris vitam fidelibus ducimus in exemplum, qui quod diaboli tentamenta fortiter evicit, se profecto in ardua sequendum filios edocuit. Et quoniam gentiles philosophi præclaris suorum facinoribus provocati, ipsi perditi perditos quæsivere memoriæ

(14) Hic nomine monachorum S. Basoli loquitur Adso abbas Dervensis cœnobii, vulgo *Monstier-en-Der*, diœcesis Catalaunensis, in tractu Partensi, *le Parthois*.

mandare perenni, ut in ore hominum viverent qui anima et corpore pariter decessissent: quanto nos gloriosos sanctorum triumphos dignius attollimus, quos in æternitate cum Deo regnare non dubitamus? Hi namque post mortem melius vivunt, illic ubi vivunt; cum exstincta quoque eorum corpora tantis quotidie miraculis coruscant, illic etiam ubi temporaliter non vivunt. Patientius enim actionem recito, quæ confessorem meum beatissimum Basolum æternæ jucunditati ascriptum cum civibus narrat, quam eam quæ Herculem gigantea olim enormitate præditum in cœlum translatum esse mendaciter affirmat. Iste
A itaque, dum sol mundum suo lumine cinxerit, apud homines perenni vivet in gloria; illum vero, ut fertur, æternæ morti semper apud inferos torquebit Ixionea rota. Ipsius ergo gesta breviter in notitiam deducimus hominum, qui laudibus honoratur angelorum. Præstabit, ut credimus, lectori suo non minimam in cœlestibus gloriam, quicunque cum dilectione suam recitaverit lectionem. Sed ne styli rusticitate sancti viri actibus vilitatis injuriam subministret, solam tantum præferat materiam, sed tamen auctoris occultet pagina nomen.

INCIPIT VITA.

S. Basoli patria et nobilitas. Virtutes ejus adhuc laici.

7. Igitur beatissimus Basolus Aquitania provincia inclyto parentum germine exortus, territorio urbis Lemovicinæ, natu et genere fuit nobilissimus. Qui felici auspicio metas infantiæ supergressus, cum tempora adolescentiæ sacri tirocinii incremento contigisset, ad divinæ servitutis opus totum se convertit. Ac primum terrenæ militiæ specie detentus, illos primævæ ætatis annos inter populares turmas sub studio pietatis exsolverat. Qui licet communiter in sæculo aliquandiu conversatus, non tamen sacram adolescentiam vitiis subdiderat, quibus illa ætas nimium implicari solet. Jam tum quidem æstuans amore cœlestium, semperque tendens in augmenta virtutum. Et quamvis sæcularis rei superducta specie teneretur, disciplinis tamen cœlestibus animum inserebat, evangelicam perfectionem in illa etiam infirmitate sibi præ oculis inferens, patrem matremque minus dilexerat, ut Deo se approbante fieri dignior potuisset. Ecclesiis Dei aut monasteriis animus pervigilans in adolescentia meditabatur, quod postmodum altius impleretur. Fides in ejus pectore amplum regebat imperium, charitas atque dilectio apud eum perpetui fomitis perurgebat incendium; castitatis autem candore in se eminente, non fixit pedem in lubrico ne maculam traheret ab occulto. Vigilias ac sacras orationes sibi perpetuans, quantum intelligere poterat, non segniter agebat; abstinentiæ autem districtionibus deditus, cibo potúque temperans, juventutis insolentiam duris nexibus infrenaverat. Patientiam quoque in adversis inter sæculares quantum excoluit, exponere nemo sufficit. Circa pauperes tanta ei liberalitas erat, ut quidquid concessæ facultatis fuerat, id totum præter quotidianum victum, stipendiis effunderet miserorum. Erat autem inter hæc animo piissimus, sermone veracissimus, justitia insignis, spe longanimis, motu acceptus, incessu verecundus, moribus gravis, lenitate amabilis, verbo communis, omnibus affabilis, gratus alloquio, honestus in domo, tardus in publico, lacrymantium dulcedo, imbecillium fortitudo, stantium beatitudo, om-
B niumque in eo bonorum decentissima claritudo Tanta etiam se vi coarctaverat, ut ecclesiasticæ disciplinæ nonnullos exercitio præditos animi virtutibus sub illo quoque habitu transcenderet.

Ad S. Remigii sepulcrum devotus accedit.

8. Cum denique prædictos hos omnes bonorum gradus pertransiret florida beatissimi Basoli juventus, Dei præventus dono accenditur ejus animus, ut jam plenius renuntiare debuisset mundo, sua omnia desereret, de finibus suis exiret, regnum Franciæ penetraret, Remensem urbem specialiter expeteret, ac beati Remigii, de cujus sanctis actibus mira et egregia jam olim multa cognovisset, tumulum corporaliter inviseret, ibique sacris vigiliis et orationi-
C bus excubaret. Et quotidie quanto gratia major in eo excreverat, tanto altius animo revolvebat, quia ad claritatem visionis Dei aliter ascendere non posset, nisi liber omnibus sæculi impedimentis, discipulum se faciat Salvatoris, qui cunctis suis veris sequacibus dicit: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* I, 29). Cujus vocem beatissimus vir Basolus diligenter amplectens, metuebat se inter turbines sæculi positum animæ suæ facile incurrisse jacturam. Felicissimum vincendi genus esse, fallaces mundi divitias contemnere, aurum atque argentum nec habere nec quærere, veram paupertatem ambire, quæ cœlorum tribuat ampla palatia possidere. Hæc igitur secum versans in pectore, fidem atque constantiam Abrahæ
D antiqui ac nobilis patriarchæ præ oculis revocat, qui, derelicto nativitatis solo atque paternæ cognationis domo, ignota sibi fidenter expetiit, et quo est jussus exivit.

Omnia relinquere statuit.

9. Hinc itaque vir sanctus altius cœpit ingemiscere, quod hoc præcepti genus necdum fuerat expertus. Qui si mente nativum jam cespitem reliquerat, reputabat tamen quia adhuc corpore interesset. Tandem igitur sumpta, ut ferunt, tantummodo illa sua re militari, qua primos flores casta juventus non voluptate sæculi, sed perfunctorio exercitio agere consueverat, nudatus parentibus, Dei protectione

vestitus, lætus jam suam peregrinationem aggreditur; atque ita qui ante suorum fultus blandimentis fuerat, longæ peregrinationis hospes factus, egregium habendi genus elegerat, ut saltem ubi caput reclinaret cum Christo omnino non haberet (*Luc.* IX, 58). Nam ut non arbitreris hanc viri laudabilem peregrinationem supernæ mercedis gloria vacuatam, attende paululum, et quiddam tibi in ea invenies valde admirandum.

Angelum itineris ducem meretur.

10. Cum enim sanctissimus Christi confessor extra regni sui fines pedem peregrinaturus extenderet, quantus esset in cœlo qui peregrinabatur in terra divina virtus ostenderet, sicut et ab initio sæculi omnibus sanctis suis peregre proficiscentibus, ita et isti merito aptavit ductorem, ut quo tendebat pede vel mente æthereum secum haberet custodem, quem et meruerat interna intentione consortem, ita ut de eo scriptum esse videatur: *Ecce ego mitto angelum meum qui præcedat te et custodiat semper* (*Exod.* XXIII, 20). Apparuit siquidem ei angelus Domini socius itineris, qui erat jam particeps effectus vero cultu divinæ majestatis, sicut scriptum est de veris Dei cultoribus; quia cum inhæremus Deo, non est angelus nostra mente potentior, Domino etiam alibi testante de innocentium non ætate sed puritate: *Angeli*, inquit, *eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII, 10). Etenim qui quondam Israelitico populo, Pharaonis imperium declinanti, vias maris Rubri aperuit, atque eum per terribiles solitudines gradientem columnam ignis in nocte, et columnam in die præcedere jussit, nec non a loco nativitatis usque in promissionis terram festinantem magnis de cœlo signis comitantibus introduxit; ipse nunc non dissimilibus miraculorum causis beato viro Basolo ducem angelicum per totum illud piæ peregrinationis delegavit exsilium. Quo fretus ductore viæ, ad Remensem pervenit urbem, longo viæ labori finem daturus. Divinitus ergo, ut creditur, beatus Basolus a regione Armoricana atque ex territorio Lemovicino provocatus, has est partes ingressus; qui relictis magnis copiis Aquitaniæ, sanctam sibi paupertatem elegit Remensis Campaniæ; nobilis terrigena sublimitate, sed nobilior cœlesti dignitate, generosus humana prosapia, sed generosior societate angelica; quem sic ideo Deus exaltavit, quia ipse in conspectu divinæ majestatis seipsum semper humiliare studuit.

Multi sanctitate illustres florent Remis. In his Ægidius Remorum episcopus. Fortunatus illius gesta metro conscripsit.

11. Eodem autem tempore urbis Remorum florente concivio, ita tota refulgebat civitas distinctis sanctorum fulgoribus adhuc in carne degentium, tanquam quidam cœlesti circulus stellarum adornatur micantium compositis ordinibus. Quorum tunc erat vir admirandæ sanctitatis summus pastor Ægidius, qui eodem Remorum pontificio sublimatus, post dignæ et laudabilis vitæ antistitem Remigium, ea sede claruit quartus (15). Qui scilicet venerabilis pontifex viribus suis et ingenio plurima addidit eidem episcopio. Moribus et vita pontificis dignitatem implebat, rebus episcopium sublimaverat, terminos dilataverat, ecclesiasticæ familiæ copia quantum fuit possibile dilataverat, multis se laboribus tradens atque vigiliis, ne sui sentiret dispendia gregis; qui quantis floruit bonorum exercitiis, Fortunatus presbyter doctor egregius ac poeta facundissimus ab ipse Ægidio partibus, ut legitur, Italiæ in Gallias provocatus, vitam, mores, prædicationem ac pastoralem ejus sollicitudinem metrica ratione breviter, sed eloquenter complexus est. Hunc ergo valde diligebant Francorum proceres. Rex etiam Chilpericus, qui tunc temporis Francorum potiebatur imperio, quippe administrationem regni post patris obitum viribus obtinuerat, quoniam et ejus partibus faveret, et mysterio regalis consilii interesset. In ea quoque altercatione quæ inter Chilpericum ac Childebertum reges de principatu regni fuerit oborta, hic idem præsul a Chilperici regis auxilio non defecit et copia, unde multa postea legitur sustinuisse adversa.

Ægidius a parentibus S. Basoli hospitio exceptus.

12. Interea dum frequentibus regiis expeditionibus non deesset Ægidius, Chilperico Francorum rege Aquitaniæ partes sæpe expetente, cum aliis illius regni urbibus, tum etiam Lemovico territorio clarus et notus erat episcopus pro suæ bonitatis merito omnibus venerandus. Et cum per multa bonorum exercitia curreret, quibus haud immerito justorum judicio laudari debuisset, in hoc præcipue etiam a Deo sublimari meruit, quando suo tempore Remorum urbem adventu beatissimi Basoli divina gratia illustravit. Qui scilicet vir in omnibus Deo acceptissimus, licet egressus de terra sua his Franciæ nostræ se intulerit partibus, tamen sicut ex his potest lector cognoscere, prædictus præsul in has oras beato viro adventus causa fuit, quia videlicet ab ipsius nobilissimis parentibus, regium comitatum secutus, ut traditur, officiosa liberalitate fuerit Lemovicis susceptus, atque apud eos familiaritatis gratia per aliquod tempus diversatus.

S. Basolus Remis ab Ægidio reverenter excipitur.

13. Denique cum devotissimus Christi cultor S. Basolus Remensem urbem per Dei dispensationem fuisset ingressus, cognito tanti viri adventu, jam dici non potest quanta devotione plurimi civium ei currunt obviam. Nec defuit inter cæteros civitatem ingresso dilectus pastor Ægidius, qui dignissimo

(15) Frodoardus in libri II Historiæ cap. I, *Beato Remigio*, inquit, *successisse traditur Romanus, Romano Flavius, post quos Mapinius.* Et cap. II, *præsul Ægidius Mapinium legitur secutus*, anno scilicet 569 Ægidii elogium a Fortunato conditum refertur apud eumdem Frodoardum in cap. 2, supra citato. De Ægidii depositione quæ anno 598 in concilio Metensi agente Childeberto rege facta est, legendus Gregorius Turon. in lib. X, cap. 19 et 20. Hujus Vitæ auctor in Ægidio laudando nimius videtur. Cur enim Childeberto proprio rege neglecto immoderatius favebat Chilperico?

sicut competebat homini, sanctum Dei suscipiens, cujus in hoc quoque erat studium, ut religiosas ac Deo acceptas personas undecunque suæ urbi adssisceret, lætatur et gaudet, quod de longinquis terrarum finibus hanc sibi perfectæ virtutis columnam Deus destinavisset. Christi vero fidelis servus ac devotus quis potest cogitare quanto interius replebatur gaudio, cum Dominus in conspectu suo viam peregrinationis ejus dirigeret? Posthæc itaque venerabilis pontifex interrogat, cur summæ nobilitatis vir nativum solum reliquerat, cur tantus peregrinandi ardor sibi placuisset? Cui sicut veritas expetebat, dilectus Dei famulus suum propositum per ordinem indicavit, Deo se in paupertate velle servire ac pro cognatione patria hujus regni exsilium sponte commutasse, non jam sua repetere, sed sicut multi sanctorum priori ævo fecerant, pergere vitam finire. Cognito ergo pio exsulantis viri desiderio, præsul clarissimus ingenti alacritate repletus, magnis præconiis benedicebat Dominum, qui in se confidentibus benignum semper confert auxilium, et ad se serviendum animos attrahit plurimorum.

Ab eodem obtinet locum a turba remotum. Verziacensium monachorum societati adjungitur.

14. Post hæc igitur vir Domini Basolus memoratum antistitem petiit, ut secretius ei conversandi gratia concederet habitaculum, quoniam videri nolebat in publico, cum haberet propositum turbas vitare populorum; ad hoc se testatus advenisse, ut cultum divinæ religionis, quem liber inter suos non sibi fuisset licitum expedire, inter ignotas terras potuisset forsitan perfectius adimplere. Inde quoque venerabilis præsul magis gaudere et glorificare Dei misericordiam, cum audisset tantum virum se præ omnibus elegisse, atque intra episcopii sui fines habitare velle. Sed cum potius optaret penes se eum retinendum, nisi viro Dei a populi frequentia remotius vivendi intentio esset, ei spatium perquirendi et optionem libenti concessit animo, aptum sibi et competentem ad habitandum locum in toto Remensi territorio. Tandem itaque Deo providente reperit quemdam locum in vico, cui antiquus ille et primus indigena Viriziaco [*Verzy*] nomen imposuit, situm ad radices montis Remorum. Quod quidem suarum densitate frondium nemus obumbrat Rigetium (*les bois de la Route*), dum inchoationis suæ illic sumit exordium. Hic olim a primis temporibus cœnobium habuit vitæ regularis, hic competentia monachorum habitacula prioris ævi sagax industria procuravit. Inhabitantes monachi collegium suum intra duodenum numerum contraxerant mores et actus militantium beati Columbani (16), sicut in antiquariis reperimus, tunc temporis instituta regebant: unius Patris spiritualis cuncti parebant imperio. Agebatur cœlestis militia studii ac præclaris exercitiis Dominici disciplina servitii, ubi nullus communis regulæ transcendebat terminum, nisi abbatis judicio causa obedientiæ constitutum vel corporis infirmitate concessum. Huc igitur cum gratia et auctoritate dilecti præsulis Ægidii perveniens, comperto a fratribus ejus desiderio, mox omnium unanimitate ac summæ devotionis alacritate, in societatem fraternitatis suscipitur; atque pro suæ religionis merito ab universis reverenter amatur et colitur.

Sacris litteris imbuitur.

15. Susceptus itaque a fratribus intra septa monasterii B. Basolus congregationi monachorum addictus, cuidam monacho Komarcho nomine, a Diomero ejusdem loci venerabili abbate, sacris litteris traditur imbuendus. Qui sanctæ disciplinæ studia ingressus divina se perlustrante gratia, die noctuque in lege Domini meditando in eo doctrinæ perfectionis in brevi culmen emicuit. Nec mirum, cum per sancti Spiritus magisterium edoctus, id ejus consequeretur gratia, pro cujus amore se tanta libertate privaverat cognatione paterna.

Virtutum ejus catalogus. Pietatem præ cæteris virtutibus coluit maxime erga afflictos.

16. Jam vero quantæ humilitatis, quantæ fuerit patientiæ, quantæ lenitatis, quantæ mansuetudinis, quantæ benivolentiæ, quis digne poterit sermone perstringere? Solers in lectione, studiosus in retractatione, devotus in oratione, compunctus in lacrymis, intentus psalmorum oraculis, verax in verbis, assiduus in divinis rebus. Abstinentiæ rigore carnem macerans, statutum sibi generali regula victum minuendo subtrahens, ut plus esset quod pauperi posset erogari, quam corporis usibus indulgeri, potius desiderans animæ semper cibum quærere quam timens per famis inopiam corpus deperire, sententiam Evangelii semper habens præ oculis, per quam sciebat a Domino repromissum: ***Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*** (*Matth.* v, 6). Ad obediendum vero semper seniorum decretis ita in omnibus promptissimus et paratus, ut etiam in abjectis et vilissimis rebus summo gaudio excurreret explendis. In omni vero vita sua, in toto suo illo primario tirocinio, nihil plus dilexit, plus amavit, plus secutus est quam pietatis habere virtutem, in qua adeo studuit, adeo operatus est ut cum aliis multis floruerit, hanc tamen tanquam

(16) Si nostra de tempore adventus S. Columbani in Galliam sententia probatur, prius in cœnobium Viriziacense admissus est Basolus, quam S. Columbanus institutum suum in has partes intulerat. Imo in aliorum opinione qui S. Columbanum anno circa 570 hic advenisse dicunt, Columbani regula nondum invaluerat ante Ægidii Remorum antistitis, qui S. Basolum excepit, exauctorationem anno 590 factam; quo anno Columbanus fundamenta jecit Luxoviensis monasterii, ex quo religionem a se inductam propagavit. At *regula sancta*, ut loquitur Frodoardus lib. II, cap. 7, a B. Nivardo, Remorum episcopo, S. Basoli monasterio imposita est sæculo VII, eoque nomine passim intelligit Frodoardus regulam SS. Benedicti et Columbani insimul in monasteriis illo sæculo receptam, ad quod sine dubio sæculum *antiquaria* illa instrumenta referenda sunt.

omnium bonarum virtutum suarum optimum salsamentum in cunctis sibi adhibuit. Qui ab illo pietatum fonte primario plene decoratus, nil aliud foris ostendere potuit, quam quod intus donum pietatis infudit. Fuit namque ubique piissimus, ubique clementiæ ubertate profusus; pius in opulentia, pius in mediocri substantia; pius circa ditiores, pius nihilominus circa pauperiores. Et si coarctatos atque extrema necessitate possessos manu sublevante instantibus non posset angustiis eruere, precibus insistebat quo superna potentis levamen afferret. Unde usque hodie quilibet aut rerum pulsus incommodis, aut alicujus malefactoris fatigatione constrictus, aut morbo urgente vexatus, si plena fide ad sancti hujus accesserit tumulum, quia pium quæsierit, largitate pietatis indulgentiam lætus reportabit. Sæpe quoque et nos tubas populares ad sacrum corpus ejus, coacto grege venisse aspeximus, contra adversarios suos voto ac lacrymis adjutorium implorasse; quorum precibus sanctus Dei confessor pietate permotus semineces erexit, miseris occurrit, vexatos absolvit, hostes abjecit, tristes in gaudia commutavit, et dolentibus felicia provenire fecit. Hinc igitur facile cognosce quia quicunque ad eum cum pietate accessit, a munere pietatis vacuus non recessit, quia quod vir iste beatus accepit, gratis dedit; quod possedit, libenter tribuit; quod obtineri decuit, nunquam negavit.

Ad perfectionem jugiter aspirat.

17. Hic siquidem longo inter fratres in monasterio tempore vivens, ac sub monasticæ institutionis disciplina cum cæteris Deo militans, ita se spiritualibus subdidit institutis, ut moribus consocios suos antecederet, atque prudentiæ decore inter alios ipse resplenderet. Et cum de virtute in virtutem fidelis Domini miles sublimiter excrevisset, perfectissimis ipse cœpit haberi perfectior; et cum caveret ne de fervoris atque constantiæ suæ gratia, divina in statera justitiæ examinatio minus aliquid invenisset; per quotidiana incrementa semper tendebat ad altiora, semper in sanctitate ferventior ac seipso sublimior. Nam cum diuturna examinatione in congregatione fratrum communis exercitio pugnæ bene probatus et undique perfecte fuisset elimatus, ut secundum Scripturam justior esset, et magis adhuc sanctificari potuisset (*Apoc.* xxii, 11), ad singulare certamen properat contra diabolum pugnaturus, Domini virtute sapienter armatus.

18. Volens itaque humanam per omnia vitare conversationem et ingredi vitam solitariam, in nemorosi montis cacumine locum rursus sibi elegit alterum, in quo cellam cum oratorio construxit, singulariter conversari desiderans, quo mandatis cœlestibus perfectius esset intentus, et contemplativos suavius et purius posset decerpere fructus. Quo in loco secretius per quadraginta annos habitans, et contra antiquum serpentem (*Apoc.* xii, 9) ut fortis athleta viriliter atque insuperabiliter dimicans, imperatori suo fideliter militavit. Ubi quantos sudores, quantos subierit pro Christo labores, quantasve spiritualium certaminum sibi indixerit passiones, solo teste cœlo, solo decertans cœlestis Arbitri cuncta penetrante secreto atque invisibili judicio, quia non valet nostro sermone revolvi, decernendum relinquimus fidelium æstimationi, quia sancti non minuitur gloria, ubi nostræ deficit copia linguæ. Vigiliis nimirum et orationibus jugiter intentus, aut legebat semper, aut vir sanctus orabat. Nullum tempus a meditatione legis Dei præteriens, nullo momento a salutis operibus cessans, lassata continuis afflictionibus membra in servitutem spiritus redigebat, carnem spiritui, spiritum curvabat Salvatori, totus in lectione, totus in oratione; semper in ejus ore Christus, semper in ejus corde Spiritus sanctus; semper ab ejus pectore æternæ vitæ monita procedebant.

Populum verbo et exemplo ad melioris vitæ institutum hortatur.

19. Cum autem ejus opinio cœpisset ire per populos, quia profecto tanti viri religiosa vita occultari diu non poterat, cœperunt ad eum populorum confluere multitudines, salutis et vitæ auxilium ab ipso expetentes. Qui beatissimus Dei servus per sancti Spiritus gratiam sapienter edoctus, venientium ad se frequentias hominum effugere non valens, eas sanctarum prædicationum radiis illustrabat, eloquiis Domini inflammabat, atque ad amorem cœlestium quod dictis provocabat, exemplis informabat. Gaudebat populus universus ad doctrinam ipsius, benedicendo simul et laudando Dominum, qui sibi ad salutem multorum in fines suos liberalissimum direxerat patronum.

Fontem in montis vertice cœlitus impetrat.

20. Non vero est ullo modo dubitandum, quod B. Basolus qui tantorum bonorum prius radices fixerat, atque intimis virtutibus Dei soli sibique cognitus fuerat per signorum ramos exterius diffusus, non etiam hominibus demonstratus insigniter miraculis coruscaret. Qui dum in prædicto loco in sanctæ conversationis culmen eminere cœpisset, placuit clementiæ divinitatis ostendere, quantæ apud se esset virtutls et meriti, qui tantum in terra coram populis visus fuisset humiliari. Nam cum in summo montis vertice, sicut prædiximus, reconditioris habitaculi cellulam erexisset, et aquæ penuria vir sanctus nimium laboraret; quadam die in illo monte nisus est de terræ visceribus ad suos usus aquam educere. Qui cum ad fodiendam terram accederet, et aquam sibi deesse anxius ferret, devotis precibus ad Dominum conversus eum invocat, qui quondam populo sua per deserta sitis inopia fatigato, aquam de duro dignatus est producere saxo. Mox dicto citius fons in eodem loco cœpit abundantissimus fluere, qui usque in præsens tempus de superioribus ad ima delabitur; cui videlicet fonti, ad viri Dei obsequium in monte emananti, vetus nomen est : Legit ossa. Qui tamen non absque ratione sic appellari creditur; nam pro eo quod ex officio medicaminis depulsa in-

firmitate humana ligat ossa, id est firmat et solidat, ab ipsa sua salubri potatione nomen ei fuisse impositum non dubitamus. Qui fons olim sub sancti sepulcro exsiliens, nunc quodam quasi de vasculo per ecclesiæ se fundamenta prorumpit (17), haustu dulcis et ad potandum salubris. De quo scilicet sicut multis sanitatum experimentis compertum tenemus, si quis ægrotus quacunque infirmitate detentus desiderium potandi, vel corpus ex eo habuerit abluendi, de virtute sancti confessoris confisus, adeptione speratæ salutis non erit ullo modo divina pietate frustratus.

Cæco nato lumen restituit.

21. Aliud quoque non prætermimus insigne virtutis miraculum, quod ad ostendendum B. confessoris Christi Basoli meritum constat in eodem loco divina fuisse potentia declaratum. Nam quidam puer, sicut ab ipso portantis utero in mundum nascendo prodierat, perpetua luminis orbitate privatus, nomine Aunegiselus, oculorum male ingenita cæcitate tenebatur damnatus; cui cœlum et terra per suæ naturæ qualitatem incognita fuerant, nisi tantum quod auditu vel tactu potuisset advertere. Hic igitur cæcitatis suæ damna non sponte ferens, ad montis superiora per alterum ductus, ante illius viri Dei cellulam excubare consueverat cæcus. Cujus injuriæ sanctus Domini misericorditer compassus, ad cœlestem recurrens Medicum, orando studebat obtinere remedium. Nec divina dignatio audire distulit proximi pro salute infirmi certantem. Nam mox expleta oratione, inter medias tenebras diu negata lux patuit, atque ad novæ claritatis gratiam reserata fronte novum sibi mundum quem nunquam viderat recognovit; qui duodecimo suæ ætatis anno meliori ducatu lumen ad propria lætus reportavit. Quo venerabiles monachi in inferiori montis situ, sicut supra ostendimus, habitantes audito, insolitæ rei admiranda novitate perculsi, accensis cereis Dominicæ crucis in manibus signum ferentes triumphale, magnis laudum vocibus usque ad eum locum venerunt psallentes, Deo gratias unanimiter agentes.

Crucem lapideam in eremo erigere curavit.

22. Ab eo igitur tempore nomen beati viri omnem circa regionem, per plures cœpit diffundi, quia sicut scriptum est: *Non potest civitas abscondi supra montem constituta* (*Matth.* v, 14). Ad multorum quoque notitiam ipsius fama sanctitatis illata, ad laudem Conditoris et gloriam plurimorum provocaverat corda. In septentrionali autem ipsius montis eminentiori parte quæ urbem respicit, antequam in eo loco cellam sibi construeret, inter condensa silvarum frutecta orandi sibi frequentiam fecerat. In quo scilicet loco orationis ac sacræ lectionis vota quanto secretius tanto purius persolvebat. Ubi etiam crux erat posita lapidea, quia vir Dei nimis indignum ferebat quemquam diutius inhabitare locum, nisi hoc salutis signum continentem. Quæ etiam crux integerrima ibi permanet usque in præsentem diem (18). Lectoriolum quoque quoddam ligneum sculptoriæ artis pulcherrima specie compositum secum Dei famulus ferre consueverat, altitudine palmo a terra prominenti: cui sive sedens, sive etiam in terra jacens, psalmorum vel sacrarum Scripturarum supposita volumina sæpe recitabat. De qua videlicet mensula, excisas ad fidem divinæ virtutis sparsim particulas morbisque et maxime dentium æstibus interpositas, multas novimus effecisse virtutes, sicut loco suo poterit cognoscere lector.

Aprum a venatoribus tuetur. Insigne miraculum ad Vidulam amnem.

23. Jam igitur divina potentia secundum ineffabiles divinitatis et gloriæ suæ divitias, hunc beatum virum terrenæ etiam sublimitatis hominibus constituens haberi reverendum, locum quoque propter inhabitantis meritum temporalibus rebus, adpræsen. quidem sub hac occasione decreverat fulciendums Erat namque quidam præpotens Attila nomine; hic venandi gratia (ut illud genus est hominum) contiguam viri Dei cellulæ silvam suam intraverat. Nec spe frustrata agrestis præda defuit. Nam miræ magnitudinis aprum, recentibus vestigiis fugientem insequitur anhelantibus equis. At illa immanis bestia, ut cunctis viventibus est natura mortis horrere interitum, montem in quo vir Dei resederat ascendit, ad cellam ejus recto gressu pervenit, sensumque quodammodo rationis habens, deposita feritate ante pedes sancti hispida buella pervolvitur, quasi vitæ suæ imploratura præsidium. At ille misertus irrationabili pecudi, sicut erat plenus pietatis et gratiæ, tanta insecutores virtute uno fixit in loco, ut et viderent oculis sibi proximam bestiam, et tamen hianti ore non possent omnino contingere. Prædictus itaque Attila, sicut erat vir bonus, manifeste cognita Dei virtute, præsumptionis suæ flagitans veniam, quidquid circa locum sui juris erat, nonnulla etiam propriæ possessionis prædia, villam quoque ubi usu rustico Septemsalices (*Sept-Saulx*) dicitur, sancto viro contulit, locumque ejns traditis facultatibus primus ipse ditavit. Atque extunc quasi mos inolevisse creditur, et usque hodie venerationi ex illo observatur, ut si in prædicto Regetii saltu quælibet fuerit promota venatio, postquam illius intra aggestum silvulæ, cui hinc inde prominet, ingressa pervenerit, nec canis, nec venator ulterius audeat insequi,

Ultio divina in eum qui in S. Basoli festo venationi vacabat.

24. Et quoniam se præbuit rei gestæ occasio, dicemus et aliud quod longe post sancti viri transitum tempore in re simili, sed dissimiliter accedit; quæ res pene tota gesta est in circuitu (*f.*, intuitu) regionis. Quidam ex Francorum ducibus, non longe a sancti viri Basoli cœnobio illum suum domesticum

(17) Visitur hodie quoque fons ipse in crypta B. Mariæ sacra sub majori altari, distinctus ab eo qui ex proximo loco per tubos plumbeos in monasterium derivatur.

(18) In ipso loco crux etiam nunc visitur, cui exigua cella ante annos paucos adjuncta erat.

collocaverat apparatum; in cujus superbo dein gestu, vultu et habitu nihil quam sæcularis potentiæ tumor insederat. Erat igitur ea dies, qua sancti confessoris hujus exspectabatur ventura solemnitas. Ait igitur suis: Ante diluculum estote parati, quia cras venatum ire dispono. Inter quos, qui sanioris mentis exstiterant, ab hac eum intentione principem conabantur avertere, dicentes sacram [illegible] esse; a tali potius opere parcendum, tantæ diei servare reverentiam, sibi magis quiescendum et esse feriatum. Contra quæ ille obstinatior sua verba rotat, quod dixerat se impleturum firmat. Crastinum tempus advenerat, equi sternuntur, quæ talibus fuerant officiis apta præparantur, capturis silvestribus tendunt frenos committere. Nec mora, spumantis apri cursum ille insequens usque ad prædictum silvulæ aggestum pervolaverat. Hic mox equo labente ad terram graviter confractus devolvitur; ita correptus non jam equo, sed humeris hominum impositus ad sua deportatur, diem illum venerari de cætero, si vitæ redderetur, pollicitus.

Suspensum in patibulo incolumem servat.

25. Referimus et aliud non contemnendæ rei miraculum, in quo uno solo liquido pateat, quantæ fuerit virtutis et meriti, cujus solummodo invocato nomine mors jus suum perdidit, et prædam quam intra fauces pene contraxerat ut penitus absorbens ingluttiret, virtute sancti Basoli superata non potuit. Dicant alii quid sentiant et velint, ego autem profiteor et testor, quia ubicunque se opportunitas dedit, si vera ex fide rogatus est sicut rogandus fuit, miserorum necessitates juvit atque in mortibus frequenter positis occurrit. Homo quidam erat vocabulo Ragenulfus; hic quadam admissi interveniente factione ab adversariis fuerat comprehensus. Qui cum morti ejus nullatenus parcere voluissent, ad medium deductus, discussus, dijudicatus, tandem mox est patibulo affixus. Hic ergo sicut erat inter cœlum terramque suspensus, cum anima jam in extremis ageret, ac prope miserrimam animam nodis exactus evomere debuisset, inter laqueos (quod aliis est mortibus nequius) hujus sanctisssimi confessoris Christi subito sibi memoria incidit. Voce itaque, qua poterat, astrictus ut erat faucibus, omni conamine spiritum colligens, totis præcordiis sanctum Dei Basolum invocat, et ut sibi in extrema necessitate succurat lacrymabiliter expostulat. Nec privatus est ereptoris auxilio; nam laqueus mox rumpitur, ille ab alto labitur, pœnale tormentum solvitur. Super omnes timor et admiratio ruit, ille solutus et liber a morte recedit. Plures qnoque alii per diversa locorum ad ejus invocationem sacri nominis lethale periculum evaserunt.

Balsemium nepotem ex Aquitania ad se vocat.

26. Fuit autem inter hæc S. Basolus vita perfectus, mansuetus et benignus, morum honestate præcipuus, jucundus in sermone, devotus in prædicatione, pietate laudabilis, suavitate anabilis, nudos vestimento tegens, surdis auditum reddens, cæcos illuminans, dæmonia ab obsessis corporibus eliminans. Denique suæ resolutionis diem spiritu prophetiæ sibi prævidens imminere, in Aquitaniam dirigens, nepotem suum ad se sanctum convocat ab urbe Lemovica Balsemium, qui continuo hujus Patris legatione suscepta, ab illis egreditur finibus, atque ipsius se præsentat gratanter aspectibus. Cui B. Basolus asserit per Spiritum sibi fuisse revelatum, quod ipse in ejusdem habitatione cellæ conversari debeat post obitum suum: cujus salutaria præcepta, ut bonus filius obedienter amplectitur. Itaque quandiu posthæc in corpore sanctissimus supervixit Basolus, hi duo viri nobilissimi in timore Domini religiosissime sunt conversati.

Dies obitus.

27. Denique cum jam divina clementia tot labores æternæ retributionis dignos decerneret; quia non aliter immortalitatis gloria vestiri poterat, nisi pro debito carnis mortali exutus tegmine fuisset, per quadraginta annos Deo probatus ac perfectus inventus, onus deponens corporis cœlum ingreditur, beatis angelicis spiritibus sociandus, atque in æternum sine fine victurus; in quo modo lætatur, modo gaudet, modo bonornm omnium felici jucunditate perfruitur, qui nunquam in hac vita requiem habuit, nunquam cessavit donec ad eum perveniret quem quæsierat, quem optaverat, quem et diu de toto corde in hac lacrymarum convalle suspirans desiderabat. Si quis ergo plenius hunc virum nosse desiderat, quam fortiter fide mundum vicerit, legat illud ubi inscribitur ei nomen novum et nomen civitatis novæ Jerusalem (*Apoc.* III, 12); et cum intellexerit quibus illa civitas fulgeat ornamentis, hoc totum illi conferat, eo quod ibidem quodammodo ipse civis et possessor hujus civitatis a Deo conditore creditur in perpetuum constitutus, factus jam suavis inter paradisi delicias, nec est in eo macula. Quem dextera Christi amplectitur, et lævam sub capite (*Cant.* II, 6), pacis somno dormiens, premit, ideo coram eo in æternum *factus est in pace locus et habitatio ejus in Sion* (*Psal.* LXXV, 3). Dum igitur sæcula manent et nox cum die partitur vices, fama prædicabitur in eo sanctissimæ vitæ, et nos nunquam immunes erimus ab ipsius laude. Decessit autem hic patronus noster ab hac luce ad Dominum, die sexto Kalendarum Decembrium, in eo loco quem sibi composuerat ad agendum sanctæ vitæ propositum. Nepos vero ejus Balsemius et ipse sanctissimus in eadem cella usque ad exitum suum mansit, bene Patris sui per omnia vestigia secutus (18*).

(18) *Sancti Basoli corpus ab Hincmaro Remorum episcopo e tumulo levatum est medio sæculo* IX, *cujus rei historiam a Frodoardo prætermissam habes infra. Interim monitum lectorem volumus, S. Basoli corpus præter ipsius baculum in proprio monasterio a nostris honorificentissime asservari in argentea theca, quam Hugo abbas hujus nominis secundus fieri jussit, sacrasque B. Basoli reliquias in ea recondidit anno Inc. Verbi* 1121, *regnante Ludovico rege Francor., anno regni* 13, *archiepiscopatus vero D. Rodulfi* 14, *uti in capsæ suppedaneo legitur.*

LIBELLUS

DE TRANSLATIONE ET MIRACULIS S. BASOLI CONFESSORIS

Auctore Adsone abbate

(Apud Mabill., *Acta sanctorum ord. S. Bened.*, Sæculi IV parte II, p. 137, ex ms. codice cœnobii S. Basoli.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Historiam translationis seu elevationis S. Basoli ab Adsone abbate Dervensi sub annum 980 scriptam fuisse diximus in sæculo secundo, ubi ejusdem sancti Vita relata est. Hanc Adsonis lucubrationem hic exhibemus cum nonnullis miraculis, quorum aliqua commemorat Frodoardus, nulla, quod sciam, translationis mentione facta. An vero Frodoardus ex Adsone, an Adso ex Frodoardo quædam mutuatus sit, mihi incompertum; nam alter alteri æqualis fuit, tametsi Frodoardus annis fere viginti ante Adsonem decessit. Utrum canonici vel monachi in cœnobio S. Basoli tum, cum translatio celebrata est, existerint, non satis liquet. Certe anno 882 jam locum insidebant canonici monachis suffecti, ut testantur litteræ excusatoriæ clericorum Remensium ad Hildeboldum aliosque suffraganeos, quibus sese purgabant ex eo, quod mortuo Hincmaro de futuro successore ante visitatoris adventum tractaverant. Demum canonicis abjectis restituti sunt monachi anno 952, ut ex Frodoardo ad Vitam S. Basoli observavimus: et sub secundo abbate Adsone, Odolci primi post restitutionem abbatis successore, Adso Dervensis abbas hunc libellum exaravit. In illis primordiis apud S. Basolum utcunque viguisse litteras, colligimus ex Gerberti epistola 7, in qua Plinium et Eugraphium ex S. Basoli aut Orbacensi monasterio sibi perscribi ab Airardo Gerbertus postulat.

CAP. I. *Monasterii S. Basoli instauratio, ejusdemque sancti translatio.*

Postquam autem beatissimus Pater Basolus hinc ad superna cœlorum transierat regna, in illo duodecim monachorum cœnobio, quod ad radices montis statutum olim fuisse diximus, longo defluenti tempore partim propter incursus barbaricos, partim vero propter frequentes et perpetes in regno principum discordias, omnis antiquorum Patrum deperit instituta traditio. Tunc etiam et alia monasteria sunt suo honore privata, nudatæ rebus ecclesiæ, et plurimæ subversæ.

Post multos igitur dies redeunte Ecclesiis pace, rursus in diverso montis latere, eo in loco ubi sanctus Domini egregie conversatus fuerat, ob miraculorum assiduitatem, quæ Dominus dignabatur operari per eum, aliud est monasterium a B. Nivardo Remensi archiepiscopo congruo satis et decenti opere fabricatum, habitaculis in circuitu juxta cultum religionis convenienter dispositis. Quando vero totum ejus loci ad laudem et gloriam divini nominis esset consummatum opus, sed et post multa annorum curricula venerabilis Hincmarus Remorum archiepiscopus sanctissimi Basoli corpus a loco, in quo erat venerabiliter humatum, decrevit transferendum. Hic igitur convocato omni clero suo atque maxima multitudine populi, prout tanto negotio dignum fuerat, effodiens sacri corporis thesaurum, de loco in quo prius jacuerat, composito quoque ecclesiasticæ dignitatis plurimo competenter apparatu, cum canticis et hymnis in ipsa ecclesia multo nobilius quam A ante fuerat repositum, collocavit. In eadem vero die, qua honorificentissimum translatum est ejus corpus, ipsa etiam dedicatur ecclesia in honore beati Martini, Christi Domini confessoris, ac sanctissimi Basoli nostri per sæcula patroni specialis. Hæc vero translatio simul et ecclesiæ sacræ dedicatio Idus Octobris facta est a præfato Hincmaro, magnæ auctoritatis archiepiscopo; qua scilicet die ipsius sancti solemnitas recolitur celebrior, quia propter populorum (ut diximus) ex diversis et longinquis partibus confluentiam contigit ut haberetur famosior. Ex eo denique tempore multis et intercessionibus sancti hujus, multa sunt signa ostensa virtutum, quæ non sunt comprehensa litteris ad memoriam posterorum. Nos autem quantum nostra ætate B aut fieri vidimus, aut certe vera fidelium relatione jam olim facta cognovimus, sive ea quæ a prudentioribus historiis breviter notata ipsi perspeximus, ad utilitatem legentium palam exsecuti sumus.

CAP. II. *De illo qui irreverenter sancti baculum accepit, cujus pes emarcuit.*

Longe post beati Christi confessoris obitum, quidam natione nobilis, sed elatus tumore et bestiali feritate mentis, ad sacram accessit ecclesiam, velut causa orationis. Qui post orationem solo excussus, baculum sancti accepit, ac mento suspensum, super pedem stultus et amens ponit, deinde subsannando dixit: En baculus iste indicat quam parvulæ staturæ Basolus hic fuerat. Nec mora hanc blasphemiam ultio divina complectitur. Nam pes ejus, cui sancti C baculus fuerat superpositus, emarcuit, e vestigio

putrefactus, nec multo post cum gravibus tormentis de corpore est evulsus. Corpus itaque ad templum viri Dei disponitur evehendum; quod tamen ita est loco infixum, quasi quoddam simulacrum immane saxeum. Cumque ad locum sancti Remigii illatum, etiam exsequias decernerent inferendas, ut posset elevari gleba, non est a Deo et sancto Basolo concessa licentia. At vero necessitate cogente, in Catalaunico territorio demum permittitur habere sepulturam.

CAP. III. *De monstruoso homine ex vico Curmelensi curato.*

Nec illud quoque silendum est quod ad sancti hujus obtentum, divino nutu novimus fuisse concessum. Pluribus est compertum, vicum Curmolensem *Courmelois* non longe esse a monasterio situm. Tempus instabat, quo sancti confessoris solemnitas annuis gaudiis celebranda esset. Illuc se plebs universa contulerat: promiscui multitudo sexus hanc e diverso frequentiam impleverat. Huic quoque tantæ claritatis spectaculo, ex vico superius illato inter populares turmas se etiam quidam immerserat, qui corporis in massam contracta congerie, gressum vivo ferens in corpore sepultum, videntibus quemdam horrorem incusserat mirabilem. Per totam tamen repens ab hujus diei spectaculo non abstinuit, ipse potius omni populo spectaculum factus, voti sui censum brevissimum cum aliis plena fide intulit. Cum jam hiems cœlestibus nocturna esset celebranda celebritas, divina circa se irruente vestigia, quæ dorsualibus inhæserant partibus, extensis nervis loca sua violenter repetunt, supra pedes teste populo constitit, et ex incessu novo lætitiam festivitatis urbis mirantibus auxit.

CAP. IV. *De illuminatione puellæ.*

Axonam (*Aisne*) fluvium nostrorum multi noverunt, in cujus partibus puella quædam fuerat, quam a cunabulis invisa cæcitas tenebat. Hæc fere quadraginta annis tali fuerat inclusa carcere pœnali. Quam parentes tandem impositam vehiculo, instante die festo, longo exacto itinere inter cæteras vulgi frequentias, ad monasterium ducentes, perveniunt, illatisque voti sui muneribus, hanc quoque sancti meritis medendam offerunt. Neque hic defuit profusæ pietatis mysterium, nam longe mœroris angustias subito in gaudia commutavit. Quæ cæca venerat, illuminata recessit, ac postea plures vivens per annos, miraculum suum ipsa circumtulit.

CAP. V. *De muliere cæca atque illuminata.*

Aliud siquidem huic non ex toto dissimile virtutis opus gestum referimus super Coslam itidem fluviolum (19). Quidam inter proximos habitans, nativum incolebat cespitem, qui videlicet a loco distare cernitur decem et octo ferme milliariis. Hic uxorem habebat [illegible] diu concluserat, quam conjux sollicitus per sancti hujus meritum credidit liberandam. Jumentum igitur stravit, hac superposita procedenti sanctæ celebritatis festivo conventu, fit ipse cum uxore cæca unus e circumstantium turba. Jamque pene itineris illo suo labore consummato, bino adhuc restante milliario, sensit etiam in via virtutem sancti Basoli, qui non est passus ut devota fides antequam laborem exsolveret, laboris præmio frustrata remaneret. Nam mox orbata femina malæ possessionis tenebras deserit, pinnaculum templi apertis oculis de longe respicit, gaudensque marito dixit: Gratias Deo et sancto Basolo, redditi luminis gratiam recognosco, atque ecclesiæ culmen fulgore video. Indeque se terræ protinus excutiens, nudatis pedibus reliquum itineris quod superfuerat, celeriter peragit. Ad templum gratias actura pervenit, et lætanti populo gaudia majora cumulavit.

CAP. VI. *De quodam administratore Sperno nomine. Qualiter correptus fuit.*

Non longe a nostra ætate (20) quidam religiosus vir et vitæ probabilis, Benedictus nomine, ipsius monasterii abbas et rector est constitutus, vir simplicitati studens, et altaris familiam juste et moderate gubernans. Qui Benedictus decus ecclesiæ spatiis ampliavit, et variis donariis exornavit, et post non modica vitæ suæ spatia bono fine quievit. Huic germanus frater, nomine Spernus, Pater est subrogatus, qui fraternis degenerans moribus, dira cupiditate correptus, vinoque ad os usque perflatus, cœpit sibimet aliquando dicere: Hic meus germanus prædecessor ignavia detentus, ut puto segnitie, ex lucris hujus familiæ nescivit sua lucra docte cumulare. Præcepit ego ipse procuratori suo villarum incolas sibi tanquam ad puteal exhiberi; quos per varia distringens supplicia, sibi bona eorum posset violenter extorquere. Adest tremens et misera rusticanorum multitudo confusa, injustas sibi intentari pœnas considerat. Tunc ad notum cuncti recurrunt auxilium, protendunt manus ad templum, flebili gemitu sanctum invocant Basolum. Nec ille plebis suæ diu querelas sustinuit. Spernus malorum intentator et minarum spirans, nocturno silentio, in stratu suo divina virtute confunditur, sensum perdidit, medius crepuit, cum fetore nimio pessime vitam amisit. Familia tremore soluta, cuncti sunt instantibus periculi liberati.

CAP. VII. *Quod per preces et merita beati Basoli Wandalorum exercitus redit.*

Propter perseverantes malorum nostrorum nequitias, has Galliarum partes divina ultio gentili gladio disposuit tradere feriendas. Francorum regnum eo tempore regem habuerat Carolum (21) re-

(19) Colsa fluviolus, *Cosle*, in pago Catalaunensi paulo supra urbem influit in Matronam, habetque vicum cognominem, ubi sepultus S. Gibrianus, ex Frodoardi lib. IV, cap. 9.

(20) *Tempore scilicet domni Ebonis archiepiscopi*, addit Frodoardus, id est imperante Ludovico Pio.

(21) Carolum Simplicem intelligit, cujus tempore Hungari in Gallias effusi sunt, scilicet anno 919, ex Chronico Frodoardi.

gis Ludovici filium, ante cujus tempora hoc paganorum genus intra fines Franciæ invisum incognitumque fuerat, sed absque dubio totius populi commune fit meritum nos ultionis incurrisse discrimen horrendum, quia videlicet modo ubique regnat cessante charitate mater impietas, lex Dei confunditur, justitia subvertitur, secundum prophetiæ dictum, adulterium, homicidium, perjurium inundaverunt, *sanguis sanguinem tetigit* (*Osee* IV, 2), id est peccatum super peccatum sine aliqua interpositione cumulando crevit, omnia confusa sunt et corrupta. Inter sæculares atque (quod est pejus) inter eos qui nomen habent religionis, jam sine differentia cupiditas discurrit, et avaritia, multisque rectns justitiæ semitas deserentibus multiplicata sunt mala in terra. Minoratur quotidie Christianorum numerus; alii in captivitatem abeunt, alii ferro intereunt, alii inter pœnas et cruciatus deficiunt, alii præfocantur aquis, alii manibus et pedibus detruncantur, alii flammis injecti comburuntur, alii captivi ducti exstinctis cadaveribus crudeliter sunt per vias projecti, alii ex captivitate redeunt, proh dolor! miserandi. Exersæ sunt villæ, paucæ extra urbes remanserunt ecclesiæ; exstinctis colonis, vacuæ relictæ sunt terræ. Hujus igitur detestandæ gentis formidine, quando primum se rumor per has partes fama volante diffuderat, præsidiis quique munimenta capient. Tunc quoque collecta sancti confessoris non modica multitudine, clerici omnes in unum conveniunt, cum sui patroni sacro pignore ad civitatem deliberant gressus intendere; relictisque non sine mœstitia propriis sedibus, illa sua domestica undique turba, tunsis in sequente pectoribus ad vicum cui Pusiolos (*Puisieux*) nomen est, fluvio Vidulæ (*la Vesle*) contiguum duobus jam millibus pervenerant. Tunc clamor mœsti populi in excelsis attollitur, confusæ lamentis voces longius incessanter audiuntur clamantium atque dicentium: O sancte Dei, quid est quod tale tibi adhibes obsequium, talemque tibi colligis comitatum? quo te sequemur? cur locum tuum sic vacuum esse pateris? Illis ita se terræ prosternentibus atque clementiam Dei et sancti Basoli deprecantibus, ut si ab hac auditione aliquid sibi deberet noxium contingere, certum aliquod daret indicium, ne esset necesse amplius fatigari populum. Tanto pondere mox sancti gleba figitur, ut non ultra quam in vicinam ecclesiam divertendi facultas concederetur, ubi imminentem noctem vigiliis transigunt. In crastinum cum sui protectoris auxilio, omnes ad propria redeunt. Prædicta vero paganorum gens, eo quidem tempore ecclesiam sancti Mauricii non transiit, quæ est sita in confinio Campaniæ ac silvæ Arguennæ.

CAP. VIII. *De illo qui metallum deauratum im summitate turris cœperat convellere.*

Sed quia paganorum gentem semel ingressi sumus, referre etiam debemus, quæ diversis temporibus facta fuisse cognovimus. Nam quia humanæ duritiæ non cessat culpa, non possunt quoque super nos divini judicii cessare flagella. Alio etenim tempore hæc iterum intra Gallias facta est barbarorum irruptio, qui more ferino, quidquid sibi obvium habuit, cepit, occidit, incendit et vastavit, quorum adventu præcognito, dum quisque vitæ munimenta capit, atque interitum cuncti verentur, clerici accepto corpore sancto festini se in civitatem conferunt. Quare multitudo gentilium, vacua ab hominibus cœnobii loca inveniens, divinum non verita defensorem, libere ingreditur, ac propter loci congruentiam cum universo comitatu tota paganorum statio ibidem collocatur. Huc etiam strages quamplurimam et spolia passim insectantes, ex diversis partibus prædatu revertuntur. Interea dum turriculam in summo ecclesiæ positam deaurata conspiciunt specie refulgere, eorum unus auri cupiditate ductus, cui videlicet vicinæ mortis erat interitus præfinitus, per tecta repit, culmen templi conscendit, ac fulgida metalla convellere cœpit. Sed cum in id operis esset irreverenter intentus, divinam expertus a loco non deesse custodiam, subito per tecta rotatus in præceps datur, atque confractis membris ad terram perveniens, debita mortis pœna corripitur.

CAP. IX. *De barbaro seu Wandalo, qui cornu altaris ut convelleret temere apprehendit.*

Iterum alius quoque sacrum altare indigna pervicacia nisus conscendere dum cornu altaris temere apprehenderet, ita manus ejus subito inhæsit superposita marmori (22), ut cum magis posset abrumpi, nullatenus posset avelli. Cerneres captivam bestiam absque catenarum vinculis uno stare in loco divina virtute confixam. Interea barbara mirari multitudo, ne se par ultio constringeret, horrescere ac numen invisibile bruta audacia præsentialiter persentire: sed hunc ita revinctum, alii ita remanere nen passi, hinc inde circa manum appositis bipennibus, lapidem concidentes, tandem gentilem solvunt, particula tamen marmoris manu ejus perpetua tenacitate insolubiliter adhærente. Hoc itaque tale pondus usque ad terram suam deferens, virtutis sancti Basoli invitus prædicator referentibus ex captivitate quamplurimis visus est ad suos jam arente brachio pervenisse.

CAP. X. *De illo qui cum uxore incidit in latrones.*

Quidam quoque antiquus (23) Remorum metropolis, et sanguine et sedulitate multis notissimus civium, semel in anno ad sancti Dei cœnobium

(22) Istius miraculi meminit Hugo Flaviniac. Abbas in Chron. ad ann. 937, his verbis: « In ecclesia S. Basoli cum quidam Hungarorum ascendere super altare nitens arcum manu applicuisset, manus ejus adhæsit lapidi, nec omnino quivit evelli, donec cæteris saxum circa manum ipsam incidentibus, partem ipsam lapidis in omniam admiratione perferre cogeretur ethnicus. »

(23) Avunculum matris suæ, nomine Flawardum, appellat Frodoardus, atque duos eidem Flawardo filios in S. Basoli cœnobio Deo servientes fuisse.

consueverat celerem pertendere gressum, cupiens suarum ex facultatibus rerum ejusdem loci fratribus ad augmentum justitiæ devotius ire ministratum. Quo cum aliquando solito more venire decerneret, et sancti confessoris famulis quædam largitate sua offerenda secum assumeret, latrones offendit in itinere. Cui mox equus diripitur, omnis delata pecunia ad spolium retorquetur, comitantis uxoris universa, si ut illa sunt mulierum, ornamenta in prædam rediguntur. His acceptis gressum latrones corripiunt, hos infelicitatis damno mœror et anxietas confuderunt. At mulier dolore stimulata despendii. querelosis sanctum Dei cœpit inclamare vocibus, dicens, non se esse deinceps servorum ejus acturos obsequium, si sic eos abire sineret non ferendo præsidium. Post voces autem lamentis convulsas et gemitu, latronum equi obrigescunt, ut fixa simulacra dextra lævaque nec ad modicum flexibilia. Cum præda sua miseros horrere conspiceres, eosque divino quodam numine ad injuriam sancti veluti saxa rigida uno in loco immobiles hærere non sine admiratione perpenderes. Cum itaque diutius ad se invicem rotarentur, tandem inter se conferunt, ob suam contra innocentes temeritatem factam divinitus se teneri, ac nisi resipiscant, penitus abeundi privari licentia; mitoque consilio ad eos quos rebus injuste nudaverant, trepide redeunt, quibus cuncta restituunt, et ut suorum veniam deprecentur facinorum, pudore perfusi exposcunt. Ita sancti Basoli suffragante sibi patrocinio hostibus in via relaxatis, isti devotiores facti, ad destinatum properant cœnobium. gratias Deo et sancto suo confessori pro indultis sibi beneficiis referunt, læti quod detulerant offerunt, donariis locum honorant, ac deinceps annis singulis quod cœperant, animis promptioribus exsolvunt.

Cap. XI. *De rectore qui noluit prohibere canes a fonte.*

Illud denique referendum existimo, quod cum idem locus sacros olim decenter satis habitæ cœpisset religionis amittere cultus, nostri sæculi jam moribus depravatis, cœnobium cum rebus est cuidam laico Francigenæ in jus dominandi concessum. Nec mirum quoque, cum per ea tempora etiam sedes pontificum subripuerit sibi temeritas inepta sæcularium potestatum; et ubi abbates aut religiosi viri prius sedere consueverant, insipientium jam facta conventicula terreni fastus et vanæ multitudines loca possidebant, sicut propheta sanctus, lapides sanctuarii dispersos ingemuit (*Thren.* IV, 1), et sacris elatos stationibus oraculis ostendit. Illic siquidem cui possidenda tanta res fuerat, genere quidem clarus, sed animis et vultu cernebatur nimium efferatus. Hac igitur sibi statione concessa vir sæcularis suam illis cogit familiam, cœnobii sedes occupat, res suas convehit, apparatum componit, atque hic potissimum mansitare decernit; illic tonstrinas muliercularum collocat, et greges canum plurimorum. Interea dum solutis habenis palantes canes

A laxius evagantur, ut sunt naturæ avidæ, ad fontem sancti Basoli, cujus superius mentionem fecimus, incaute perveniunt; ubi cum frequenter indignis haustibus sacri fontis aquas nil lambere prohibentur, omnia illa canica multitudo versa in rabiem, confessoris sancti injuriam pœna furiali digniter expiavit. Ssd nec conquievit ira tot motibus divinitus excitata. Nam et ipse indebitus dominator simili vindicta corripitur, qui inimici potestati traditus totus confunditur, amittit sensum, ferro religatur, ac circumseptus amentia nec hominem se cognoscit, qui immunda animalia a sacris templi sollicitus arcere contempsit. At vero familiaribus ejus sanctum Basolum pie conclamantihus, ac locum muneribus honorantibus, tandem curatus insania,
B cavit servare reverentiam, cujus in se meminerat exercitatam ultionem.

Cap. XII. *De pincerna impudico.*

Hujus vero ad obsequium potentis cura quidam domestica pincernæ gerebat officium, vir levis nimis et frenos respuens continentiæ, promptus ad actus illicitos. Nam sacro templo parte occidentali adhærens quoddam priori ævo structum parvum fuerat habitaculum, in quo adhuc clausuris exstantibus rebusque aliis deputatis, aræ jam collapsæ cernitur indicium. Hic denique ille dormitare solitus, cum epotato nimium urgeretur vino, noctis opportuna secutus, uni ex grege faminarum vi irreverenter jungitur, tanquam beatus Bassolus aut suo abesset loco, aut quasi clementer ferens nollet punire facinus. Sed is qui semper fuerat amicus pu-
C dicitiæ, non est passus juxta se nefariam temeritatem inultam remanere. Nam inter sibi familiares tenebras dæmone corripitur, gravique supplicio infeliciter toto corpore laniatus, astrictisque fortius loris nexualibus tanquam efferatum animal ad arborem religatur ulmum. Diversorum utique monstrorum voces imitatus cum canum latratibus sua membra ipse exulcerans, post longos cruciatus ad invocationem rursus confessoris Christi Basoli dæmonio solvitur, ne quid illic tam indecens præsumeret agere de cætero castigandus.

Cap. XIII. *De illo qui tertio monitus ecclesiam adiit, et sanitatem integerrimam recepit.*

Sed nec premendum silentio, quod non parvo excedenti tempore per aures effluxerat plurimorum,
D cujus facti est innumera testium multitudo. Maximum inter principes regni animositas accenso fomite divortium fuerat concitatum, quibus neutri parti cedentibus cuncta irarum pondera, castri quoque Catalaunensis sensere dispendia. Nam gravundique excitata multitudine, quodam Basone præduce, facto impetu assistunt mœnibus, ac flammis universa committunt absorbentibus, ubi laxatis habenis toto regnante incendio, nil superesse potuit coacto in cineres municipio, ignibus quodammodo Trojanis revirentibus. Huic tanto facinori quidam Belgicæ provinciæ interfuisse traditur, cum cæteros quidem, tum hunc quoque ultio divina impunem

abire non siverat. Nam morbo concusso intolerabili, in modum utris pars lateris tabefacta distenditur, ac per diuturna tempora vivis excruciatus doloribus, diebus singulis infelicem animam pene intra fauces volvens solum exitum præstolatur. Nubatur substantia, caret familia, descritur a conjuge propria, abjicitur a cunctis, velut jam cadaver exanime. Inter hæc itaque pœnarum incendia, per visum cœnobium sancti confessoris adire tertio monitus, nullo modo se salvari nisi virtute sancti Basoli, cum usque ad ea tempora nec nomen ipsius, nec locum audierat. Tandem feretro semivivus imponitur ad locum devehendus, uni cum adhuc vitæ diffidens panlulum orationes animo desperatus effunderet, ac e sepulcro sancti misti liquoris aliquid prælibasset; rediviva cœperunt membra paulatim reviviscere, ita quod non post multum temporis saluti redditus, tantæ incolumitatis exstitit, quantam nunquam fuerat expertus.

Plura sunt denique quæ de hujus beati confessoris actibus visa vel audita referuntur : nos tamen hæc ad utilitatem legentium, humilitatis persequi exempla volentium paucis edidisse sufficiat. Cumque gestorum excellentiora solummodo lector notata deprehenderit, sublato prolixitatis tædio gratius ista suscipiat, et noxia scrupulositate animus nusquam evacillet. Nam si cuncta quæ gesta sunt, casæ membranæ susciperent, non brevi Historia elimata tenerentur. His ante omnia providi vera cautius dicere et fastidiosis effusius non obesse. Sicut autem qui cibo semper uno alitur, tædio gravatur, alternis vero vesci delectabilius mens trahitur : sic si verba prodixius cudendo pertrahimus, verborum fastidium de verbis congerimus. Hic ergo finem facimus, et tanquam post emensi dispendia gurgitis laboriosum navis nostræ non sine mercedis fructu quieta statione finem religamus, agentes Deo gratias humiliter, qui nos per sanctum confessorem suum Basolum et miraculorum honorat insigniis, et incessantibus adjuvat patrociniis, favente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæculorum sæcula. Amen (23*).

(23) Sequebatur in ms. codice Historiola de relatione corporis S. Basoli in ipsius cœnobium *anno primo sacerdotii Rodulfi archiepiscopi* facta de more. *Moris quippe est, ut hujus beati viri corpus per singulos annos ab abbate monasterii et fratribus ad Indictum Remense deferatur, et facto sermone a pontifice ad populum, rursum ad locum sibi destinatum deducatur :* quod hactenus in secunda Feria Pentecostes obtinuit. Eo igitur anno, id est anno Christi 1108, quidam Lotharingus, nomine Dominicus, corpore procerus, cum S. Basoli clientes ob corporis brevitatem subsannaret, et sanctis officium exhibere detrectaret; illico a dæmonio correptus dicitur; sed mox facti pœnitens, cooperante Girulfo *probatæ vitæ* monacho, meritis S. Basoli hac infestatione liberatus.

VITA S. BERCHARII

ABBATIS ALTIVILLARENSIS ET DERVENSIS PRIMI,

Auctore Adsone.

(Apud Mabill., *Acta SS. ord. S. Bened.* Sæc. II p.831, *ex ms. cod. Compendiensi et Comuzati Promptuario.*)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Acta S. Bercharii (*S. Bercaire*) abbatis primum quidem ab auctore anonymo descripta stylo rudi et impolito, dein *Adso* abbas Dervensis post medium sæculum x, expolivit, *Gesta hujus sancti ac piissimi protectoris nostri Bercharii*, inquit monachus, Dervensis anonymus in libro sequenti Mirac. *ad extremum, quoad potuit, comens lepore facundiæ spectabilis, sparsit totius Galliæ oris, quæ eatenus inculte exarata habebantur et abdita.* Et Frodoardus Ecclesiæ Remensis canonicus in Hist. Rem. lib. II, cap. 27, paulo ante Adsonem, S. Bercharii gesta quædam perstrinxerat. Adsonis lucubrationem a Nicolas Camuzato jam editam una cum subjecto libro Miraculorum in Promptuario Trecassino, cum ms. cod. abbatiæ nostræ Compendiensis collatam hic exhibemus, quando antiquiorem S. Bercharii historiam nancisci non licuit. In mss. codd. isti Vitæ non præfigitur Adsonis auctoris nomen : at genuinum Adsonis esse fetum libri Miraculorum, qui subsequi solet, versus primi persuadent.

2. S. Bercharii nomen in antiquis Fastis desideratur. In veterrimo nostro Usuardi exemplari ab aunis octingentis exarato S. Bercharius manu quidem secundaria : at quæ annos quadringentos facile præ se fert, memoratus XVII *Kalend. Novemb.* (quem translationis ejus diem esse inferius dicemus) his verbis : *Dervo monasterio S. Bercharii martyris atque abbatis.* In diplomatibus vero Ludovici Pii Augusti Caroli Calvi aliorumque litteris *Bercharius sanctus* prædicatur, ejusque *corpus in Dervensi monasterio requiescere* dicitur. Eum *martyrem* vocant, pro more auctorum mediæ ætatis, qui viros pios violenter necatos quacumque ex causa *Martyres* appellabant. Sic. S. *Præjectum* Avernorum, *Theodardum* Tungorum, *Leodegarium* Æduorum episcopos; *Arnulfum in Porciensi Comitiva* (uti in Chronico Mosomagensi tom. II Spi-

cil. Acheriani legitur) *a latronibus* interfectum, *Adalbaldum* S. Rectrudis maritum, *Eduardum* Anglorum regem a noverca necatum, aliosque quamplures *martyrum* nomine exornant. In Actis S. Leodegarii ab anonymo descriptis leguntur hi versus, cap. 5 : *Nec enim adeo æstimandum est, cum (Leodegarium) formidasse martyrium. Nam cum pridem per quemdam monachum nomine Bercharium; in Dominica cœna de suo ei fuisset interitu nuntiatum, die passionis Domini cruentum regis adiit palatium*, etc. Quod an S. Berchario abbati possit aptari, lectoris judicium esto. Certe S. Bercharius *Waimerum tormentorum S. Leodegarii reum* secum perduxisse Hierosolymam dicitur in lib. Mirac. num. 11.

3. S. Bercharius præter varia oratoria ædificavit duo monasteria, Altivillarense primum, postea Dervense, quibus ipse præfuit. Altivillarense (Hautvillers diœcesis Remensis ad Matronam fluvium, quarto milliari a civitate Remorum, *secundum regulam Patrum S. Benedicti et Columbani* uti in Nivonis seu Nivardi Remorum antistitis Charta a Sammarthanis vulgata, a Frodoardo laudata præfertur) conditum est : Dervense (Monstier-en-Der) vero in Partensi (le Parthois) Campaniæ pago, diœcesi Catalaunensi subjectum, Trecassinæ finitium ad fluvium Vigeram (la Voire) *sub regula S. Benedicti* itidem constructum a S. Berchario fertur in instrumento Ludovici Pii imp. anno 815 concesso, quod Sammarthani post Chesnium retulerunt. Viget etiam nunc utrumque monasterium sub Benedictina S. Vitoni congregatione; Altivillarense quidem S. Helenæ reliquiarum cultu illustratum; Dervense vero ejusdem sanctæ capite, oppidulo et jurisdictione spirituali, quam in ipsum oppidulum et vicos quinque monasterio subjectos exercet.

PROLOGUS AUCTORIS

1. Cum gloriosas virorum illustrium palmas ac præmia meritorum, sancta per orbem et universalis competentis obsequii functionibus solemniter persolvat passim mater Ecclesia catholica, nos quoque pro infructuosi ignavia silentii multandos fore arbitror, si gesta ejus lateant, cujus specialiter apud nos et virtutum exuberat copia, et sanctæ institutionis refulgent incrementa, præcipue cum facta præcedentium, salutis sit materies ad memoriam relata posterorum. Actus igitur ac laborum certamina B. Bercharii abbatis et martyris A gloriosi summatim perstringere cupientes, tanto difficilius hanc narrandi materiam sumimus, quanto ad explicandam hujus operis magnitudinem nos impares esse sentimus; sed non est illi difficile elinguem in verba resolvere, quem constat muta etiam elementa consonis vocibus solemniter prædicare. Ea itaque prosequi intendimus, quæ vel ab ipso domestico sanctissimoque ejus collegio notata claruerunt, vel postea divino beneficio ipsius compensata meritis, ætati nostræ perferri potuerunt.

INCIPIT VITA

Bercharius nobilis Aquitanus.

2. Prioris monimenta temporis pagum Aquitanicum ortus ejus tradidere ac generis fuisse exordium. Parentes ejus vita venerabiles et valde religiosi in vita sua, exteriore affluentia rerum non mediocriter decorati, et (quod longe est excellentius) quodam singularis innocentiæ ac inter suos felicium proventuum privilegio insigniti; qui cum conjugalis pudicitiæ jura fidei integritate servarent commodis temporalibus præcellentes, divinorum tamen operum pia intentione studio perflagrantes, supernæ dispositione clementiæ tantam ac talem meruerunt sobolem accipere, cujus institutione et meritis in cœlestibus castris niveas militantium innumerabilis multitudo bonorum fructuum palmas perferret, et multiqlex antiqui deceptoris versutia ablatis fidelium animarum spoliis deperiret. Quod facile est deprehendere, si quis altioribus abstinens, hæc pauca in consequentibus dignetur advertere. Cui videlicet ex matris utero cum divini jam tunc san- B ctificatione muneris in luce prodeunti, more Aquitanico Bererum [*al.*, Bereum] a parentibus inditum constat fuisse vocabulum, tanquam ab ipso jam nascendi exordio bonæ hæreditatis herum.

Nivardo agente litteris imbuitur.

3. Eo tempore Francorum imperium rege Childerico (24) felicissime disponente, viro quidem rebus bellicis potentissimo, circa Ecclesiarum autem Dei cultum devotissimo, B. pontifex Nivardus sanctitatis ac religionis magnitudine toto Francorum orbe famosissimus, apostolica auctoritate cœlestem in terris vitam agens, sanctæ Remorum præsidebat Ecclesiæ. Qui quia esset plenus auctoritatis et gratiæ, cum peteretur quoque diversas terrarum C vel nationum tam pro vitæ merito quam etiam doctrinæ affluentis eloquio partes invisere, fines Aquitaniæ aliquando contigit expetisse, atque ad illud usque prædium traditur pervenisse, in quo viri Dei parentes videbantur propria statione resedisse. Nam inter cætera quæ ex dote supernæ

(24) Solemne est auctoribus, qui res gestas sanctorum litteris mandaverunt, ut quo quisque rege floruit, eodem natum esse affirment; quod hic quoque ab Adsone factum. Bercharius Clotharii II principatu natus est, apud Luxovium admissus est non ab Eustasio, sed a Waldeberto seu Walberto abbate; anno circa 650. Altivillarense cœnobium erexit, Dervense anno circa 670, denique anno (ut aiunt) 684 obiit.

abire non siverat. Nam morbo concusso intolerabili, in modum utris pars lateris tabefacta distenditur, ac per diuturna tempora vivis excruciatus doloribus, diebus singulis infelicem animam pene intra fauces volvens solum exitum præstolatur. Nubatur substantia, caret familia, descritur a conjuge propria, abjicitur a cunctis, velut jam cadaver exanime. Inter hæc itaque pœnarum incendia, per visum cœnobium sancti confessoris adire tertio monitus, nullo modo se salvari nisi virtute sancti Basoli, cum usque ad ea tempora nec nomen ipsius, nec locum audierat. Tandem feretro semivivus imponitur ad locum devehendus, uni cum adhuc vitæ diffidens paululum orationes animo desperatus effunderet, ac e sepulcro sancti misti liquoris aliquid prælibasset; rediviva cœperunt membra paulatim reviviscere, ita quod non post multum temporis saluti redditus, tantæ incolumitatis exstitit, quantam nunquam fuerat expertus.

Plura sunt denique quæ de hujus beati confessoris actibus visa vel audita referuntur : nos tamen hæc ad utilitatem legentium, humilitatis persequi exempla volentium paucis edidisse sufficiat. Cumque gestorum excellentiora solummodo lector notata deprehenderit, sublato prolixitatis tædio gratius ista suscipiat, et noxia scrupulositate animus nusquam evacillet. Nam si cuncta quæ gesta sunt, casæ membranæ susciperent, non brevi Historia climata tenerentur. His ante omnia providi vera cautius dicere et fastidiosis effusius non obesse. Sicut autem qui cibo semper uno alitur, tædio gravatur, alternis vero vesci delectabilius mens trahitur : sic si verba prodixius cudendo pertrahimus, verborum fastidium de verbis congerimus. Hic ergo finem facimus, et tanquam post emensi dispendia gurgitis laboriosum navis nostræ non sine mercedis fructu quieta statione finem religamus, agentes Deo gratias humiliter, qui nos per sanctum confessorem suum Basolum et miraculorum honorat insigniis, et incessantibus adjuvat patrociniis, favente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæculorum sæcula. Amen (23*).

(23) Sequebatur in ms. codice Historiola de relatione corporis S. Basoli in ipsius cœnobium *anno primo sacerdotii Rodulfi archiepiscopi* facta de more. *Moris* quippe *est, ut hujus beati viri corpus per singulos annos ab abbate monasterii et fratribus ad Indictum Remense deferatur, et facto sermone a pontifice ad populum, rursum ad locum sibi destinatum deducatur :* quod hactenus in secunda Feria Pentecostes obtinuit. Eo igitur anno, id est anno Christi 1108, quidam Lotharingus, nomine Dominicus, corpore procerus, cum S. Basoli clientes ob corporis brevitatem subsannaret, et sanctis officium exhibere detrectaret; illico a dæmonio correptus dicitur; sed mox facti pœnitens, cooperante Girulfo *probatæ vitæ* monacho, meritis S. Basoli hac infestatione liberatus.

VITA S. BERCHARII

ABBATIS ALTIVILLARENSIS ET DERVENSIS PRIMI,

Auctore Adsone.

(Apud Mabill., *Acta SS. ord. S. Bened.* Sæc. II p. 831, *ex ms. cod. Compendiensi et Comuzati Promptuario.*)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Acta S. Bercharii [*S. Bercaire*] abbatis primum quidem ab auctore anonymo descripta stylo rudi et impolito, dein *Adso* abbas Dervensis post medium sæculum x, expolivit, *Gesta hujus sancti ac piissimi protectoris nostri Bercharii*, inquit monachus, Dervensis anonymus in libro sequenti Mirac. *ad extremum, quoad potuit, comens lepore facundiæ spectabilis, sparsit totius Galliæ oris, quæ eatenus inculte exarata habebantur et abdita.* Et Frodoardus Ecclesiæ Remensis canonicus in Hist. Rem. lib. II, cap. 27, paulo ante Adsonem, S. Bercharii gesta quædam perstrinxerat. Adsonis lucubrationem a Nicolas Camuzato jam editam una cum subjecto libro Miraculorum in Promptuario Trecassino, cum ms. cod. abbatiæ nostræ Compendiensis collatam hic exhibemus, quando antiquiorem S. Bercharii historiam nancisci non licuit. In mss. codd. isti Vitæ non præfigitur Adsonis auctoris nomen : at genuinum Adsonis esse fetum libri Miraculorum, qui subsequi solet, versus primi persuadent.

2. S. Bercharii nomen in antiquis Fastis desideratur. In veterrimo nostro Usuardi exemplari ab annis octingentis exarato S. Bercharius manu quidem secundaria : at quæ annos quadringentos facile præ se fert, memoratus XVII *Kalend. Novemb.* (quem translationis ejus diem esse inferius dicemus) his verbis : *Dervo monasterio S. Bercharii martyris atque abbatis.* In diplomatibus vero Ludovici Pii Augusti Caroli Calvi aliorumque litteris *Bercharius sanctus* prædicatur, ejusque *corpus in Dervensi monasterio requiescere* dicitur. Eum *martyrem* vocant, pro more auctorum mediæ ætatis, qui viros pios violenter necatos quacumque ex causa *Martyres* appellabant. Sic. *S. Prajectum* Avernorum, *Theodardum* Tungorum, *Leodegarium* Æduorum episcopos; *Arnulfum in Porciensi Comitiva* (uti in Chronico Mosomagensi tom. II Spi-

cil. Acheriani legitur) *a latronibus* interfectum, *Adalbaldum* S. Rectrudis maritum, *Eduardum* Anglorum regem a noverca necatum, aliosque quamplures *martyrum* nomine exornant. In Actis S. Leodegarii ab anonymo descriptis leguntur hi versus, cap. 5 : *Nec enim adeo æstimandum est, cum (Leodegarium) formidasse martyrium. Nam cum pridem per quemdam monachum nomine Bercharium; in Dominica cœna de suo ei fuisset interitu nuntiatum, die passionis Domini cruentum regis adiit palentium*, etc. Quod an S. Berchario abbati possit aptari, lectoris judicium esto. Certe S. Bercharius *Waimerum tormentorum S. Leodegarii reum* secum perduxisse Hierosolymam dicitur in lib. Mirac. num. 11.

3. S. Bercharius præter varia oratoria ædificavit duo monasteria, Altivillarense primum, postea Dervense, quibus ipse præfuit. Altivillarense (Hautvillers) diœcesis Remensis ad Matronam fluvium, quarto milliari a civitate Remorum, *secundum regulam Patrum S. Benedicti et Columbani* (uti in Nivonis seu Nivardi Remorum antistitis Charta a Sammarthanis vulgata, a Frodoardo laudata præfertur) conditum est : Dervense (Monstier-en-Der) vero in Partensi (le Partheis) Campaniæ pago, diœcesi Catalaunensi subjectum, Trecassinæ finitium ad fluvium Vigeram (la Voire) *sub regula S. Benedicti* itidem constructum a S. Berchario fertur in instrumento Ludovici Pii imp. anno 815 concesso, quod Sammarthani post Chesnium retulerunt. Viget etiam nunc utrumque monasterium sub Benedictina S. Vitoni congregatione; Altivillarense quidem S. Helenæ reliquiarum cultu illustratum; Dervense vero ejusdem sanctæ capite, oppidulo et jurisdictione spirituali, quam in ipsum oppidulum et vicos quinque monasterio subjectos exercet.

PROLOGUS AUCTORIS

1. Cum gloriosas virorum illustrium palmas ac præmia meritorum, sancta per orbem et universalis competentis obsequii functionibus solemniter persolvat passim mater Ecclesia catholica, nos quoque pro infructuosi ignavia silentii multandos fore arbitror, si gesta ejus lateant, cujus specialiter apud nos et virtutum exuberat copia, et sanctæ institutionis refulgent incrementa, præcipue cum facta præcedentium, salutis sit materies ad memoriam relata posterorum. Actus igitur ac laborum certamina B. Bercharii abbatis et martyris gloriosi summatim perstringere cupientes, tanto difficilius hanc narrandi materiam sumimus, quanto ad explicandam hujus operis magnitudinem nos impares esse sentimus; sed non est illi difficile elinguem in verba resolvere, quem constat muta etiam elementa consonis vocibus solemniter prædicare. Ea itaque prosequi intendimus, quæ vel ab ipso domestico sanctissimoque ejus collegio notata claruerunt, vel postea divino beneficio ipsius compensata meritis, ætati nostræ perferri potuerunt.

INCIPIT VITA

Bercharius nobilis Aquitanus.

2. Prioris monimenta temporis pagum Aquitanicum ortus ejus tradidere ac generis fuisse exordium. Parentes ejus vita venerabiles et valde religiosi in vita sua, exteriore affluentia rerum non mediocriter decorati, et (quod longe est excellentius) quodam singularis innocentiæ ac inter suos felicium proventuum privilegio insigniti; qui cum conjugalis pudicitiæ jura fidei integritate servarent commodis temporalibus præcellentes, divinorum tamen operum pia intentione studio perflagrantes, supernæ dispositione clementiæ tantam ac talem meruerunt sobolem accipere, cujus institutione et meritis in cœlestibus castris niveas militantium innumerabilis multitudo bonorum fructuum palmas perferret, et multiqlex antiqui deceptoris versutia ablatis fidelium animarum spoliis deperiret. Quod facile est deprehendere, si quis altioribus abstinens, hæc pauca in consequentibus dignetur advertere. Cui videlicet ex matris utero cum divini jam tunc sanctificatione muneris in luce prodeunti, more Aquitanico Bererum [*al.*, Bereum] a parentibus inditum constat fuisse vocabulum, tanquam ab ipso jam nascendi exordio bonæ hæreditatis herum.

Nivardo agente litteris imbuitur.

3. Eo tempore Francorum imperium rege Childerico (24) felicissime disponente, viro quidem rebus bellicis potentissimo, circa Ecclesiarum autem Dei cultum devotissimo, B. pontifex Nivardus sanctitatis ac religionis magnitudine toto Francorum orbe famosissimus, apostolica auctoritate cœlestem in terris vitam agens, sanctæ Remorum præsidebat Ecclesiæ. Qui quia esset plenus auctoritatis et gratiæ, cum peteretur quoque diversas terrarum vel nationum tam pro vitæ merito quam etiam doctrinæ affluentis eloquio partes invisere, fines Aquitaniæ aliquando contigit expetisse, atque ad illud usque prædium traditur pervenisse, in quo viri Dei parentes videbantur propria statione resedisse. Nam inter cætera quæ ex dote supernæ

(24) Solemne est auctoribus, qui res gestas sanctorum litteris mandaverunt, ut quo quisque rege floruit, eodem natum esse affirment; quod hic quoque ab Adsone factum. Bercharius Clotharii II principatu natus est, apud Luxovium admissus est non ab Eustasio, sed a Waldeberto seu Walberto abbate; anno circa 650. Altivillarense cœnobium erexit, Dervense anno circa 670, denique anno (ut aiunt) 684 obiit.

dispensationis hic vir sanctus acceperat, non mediocribus quoque paternæ hæreditatis titulis a progenitoribus temporaliter etiam certum est floruisse, quod videlicet, si quis diligenter velit, in promptu est agnoscere, cum pene usque ad hæc nostra tempora ejus juris villas et prædia tam ultra Ligerim, ubi Discias dicitur, quam etiam intra fines Aquitaniæ constituta, hi qui sibi in monasterii sui regimine probantur successisse, per longa temporum curricula jure quieto visi sint possedisse. Sed ingruentium causa malorum, partim negligentia torpentium, partim etiam crudeli perversarum infestatione gentium videntur amissa, quæ quondam monachorum fuerant usibus attributa. Sed, ut ad id quod cœpimus exsequendum redeamus, cum prædictus pontifex sanctus, a viri Dei parentibus debitæ venerationis liberalitate, ut par erat, officiosissime susceptus, quamdam futuræ habitudinis speciem miraretur in puero boni operis candidato, divino instinctu sacris mysteriis eum applicandum esse præcensuit. Hac itaque sanctissimi pontificis auctoritate animati devotissimi genitores, infra teneros annos exactæ infantiæ, temporis opportunitatem nacti, litteratoriæ professionis salutaribus disciplinis mox mancipandum esse decernunt, in quo præeunte supernæ illustrationis munere, cum sacræ institutionis instantia spiritalium etiam donorum fulserunt incrementa. Qui scilicet non otiose passus illa de lucidissimo litterarum fonte commercia sub ætatis teneræ crepundiis ardentius aggregare, quibus postea in virile robur assurgens, et sibi et aliis ad mensuram Dominicæ dispensationis potuisset prodesse. Ita jam tunc puerilis inconstantiæ motus, quibus sæpe illa ætas labilis et fluxa resolvitur, rigore virtutis ingenitæ et moderaminis justi componens honestate, ut præter hæc quibus addictus fuerat litterarum conamina nil in se aliud residere pateretur, nisi forte dum aut opera pietatis ageret, aut certe, prout natura concesserit, sacris orationum exercitiis devotius insudaret.

Remos ad Nivardum se recipit.

4. Igitur, dum puer sanctæ indolis tam scientia quam virtute animi coævos suos brevi præcederet, atque paulatim bonæ intentionis primordiis ad cœlestis militiæ perfectius tirocinium decrevisset intendere; supernæ vitæ æstuantis animi desiderio cœpit altius aspirare, terrenarum rerum contemptu sufficiens atque ea quæ ad virtutum incrementa respiciunt perennis intuitu gloriæ totis nisibus attentans, æterna præ oculis indefessa constituere, peritura manentibus compensare, diversis afflictionum generibus affectionum carnalium molimina coarctare, atque adolescentiæ gressus, divini amoris virtute roborare. Spretis deinde propinquorum et patriæ retinaculis, diligenter replicans, quia qui novæ conversationis rudimenta suscipiunt, tanquam A peregrinos et advenas non cives suos mundus aspiciat, præfatum sanctissimum Nivardum Remorum pontificem flagrat ardore expetendi. Qui, sicut diximus, apostolicæ institutionis prærogativa suffultus, nobilitatis honore clarissimus, variis virtutum generibus adornatus, inter Francorum proceres primus in aula regis, vita et conversatione dignissimus fulgebat. Per id temporis ea civitas sanctorum stipata cohortibus, et licet inter militares alas sub principe suo Childerico, capiti tamen suo consona, divini amore cultus urbs populosa spirabat. Hujus itaque tantæ opinionis gratia provocatus felix adolescens Bercharius, ecclesiasticis sacramentis, fide, habitu et actu aptissimus, cum illo beato sene, cui jampridem dictum a Domino fuerat : *Egredere* B *de terra et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi, et faciam te crescere in gentem magnam* (*Gen.* XII, 1, 2), fidem participans et meritum, cognationem relinquens et patriam, post longi laboris excursum, fines ingreditur Franciæ, futurus cum S. Nivardo pontifice cives felicissimus (ut patulum est in sequentibus deprehendere) sanctæ Remensis Ecclesiæ, in augmentum videlicet operationis divinæ, quam Domini omnipotentia Redemptoris, in lucrandis fidelium animarum quæstibus per hos duos synergos felicissimos præordinaverat adimplere. Hic igitur beatus pontifex ut semper optaverat, tali ac tanto suppare adepto, quoniam ipse exterioribus tractandæ reipublicæ fuerat negotiis implicatus, regiæ dispositionis consiliis et actibus frequenter interesse, pontificalis C providentiæ pondus volens nolensve cœlesti ordinatione perferre, ministerium sibi injunctum tum publice tum privatim increpando, arguendo, obsecrando, ut perfectus agricola sedulus exercere, gaudio replebatur non modico, familiari potitus adjutore atque in divinis operibus devotissimo consorte.

Remaclo informandus traditur.

5. Quapropter cupiens eum undecunque perfectius erudiri, sanctioribus ac religiosioribus divinæ scientiæ viris, quos sibi undique collata familiaritate addiderat, copulandum esse constituit, ut videlicet plurimorum instituentium auctoritate disceret, quod postmodum plurimis ministraret. Inter quos tunc temporis in regis Francornm aula præpollentis beaD tissimi Remacli procuratoris (25) quidem sacri scrinii palatii prudentiæ et sanctitatis titulis commendata ubique excreverat opinio veneranda : qui scilicet vir inclytus, confessor postmodum Domini gloriosus, multis signorum virtutibus approbatus, placidus cunctis, benignus universis, in prosperitate modestus, in adversis patientissimus, vita laudabilis, eloquio affabilis, sic temporalia cautus exhibebat, ut æterna semper ab oculis non averteret. Hujus talis ac tanti viri sacris institutionibus rore superni nectaris illustrandum, B. Bercharius nutu prædicti

(25) An Remaclus id munus in palatio gesserit, an etiam Bercharius in aula alibive cum eo vixerit, non satis constat. Lege Acta S. Remacli ad an. 664.

pontificis se maluit pro tempore ire copulatum, ut A in quo perfectam doctrinæ scientiam intellexerat, ipse quoque per hunc ætatis suæ ac morum imbecillitati consulens, non tam scientiæ quam sanctæ puritatis commercia reportaret.

Luxovium petit.

6. Interea cum beati viri justus adolescens per aliquod tempus magisterio frueretur, et cœlestis pro viribus prælibasset haustum sapientiæ, Luxoviense monasterium accepto tulit expetere, quoniam B. Columbani districtis commendata regulis, ad se perlata fuerat fama religionis. Erat enim eo tempore in cunctis Galliarum partibus hoc cœnobium cum in multimodis rerum possessionibus, tum etiam divinæ venerationis cultibus nomen singulare habens, quod illic et districtior institutio, et studium sapientiæ B plenius haberetur; quem videlicet miræ spectationis locum idem B. Columbanus Pater in vasta Vosagi eremo a fundamentis construxerat, inventis antiquissimi operis ædificiis cum aquis natura ferventibus e terræ venis ultro prodeuntibus, ubi et ipse postmodum aggregato fidelium numero sexcentorum ferme monachorum rector exstitit, longoque tempore eidem monasterio nobilissime præfuit, multisque miraculorum signis in eodem loco claruit, donec Brunechildis regina impiissima, eo quod duos filios suos quos ex adulterino Theoderici nefandi regis, filii videlicet regis Sigeberti, conjugio (26) susceperat, suo colloquio et benedictione indignos judicasset, ab eo loco instinctu diabolico proturbavit. Qui non sine magno mœrore et luctu omnium recessurus inde, Eustasium virum æque sanctissimum dignitate C generis et vita illustrissimum, quem ipse pago oriundum Lingonico a puero instituerat, eidem numeroso fratrum collegio rectorem præfecit. Inde Italiam expetens, Bobiense cœnobium non minus decenti opere statuit, in quo consummatus virtutibus, beato fine quievit. Sanctus vero Eustasius loco Patris residens, non minimam monachorum multitudinem in Domini servitute verbis et exemplis præmuniens, nominis et meriti magistri hæres exstitit. Audita igitur fama tanti nominis, viri religiosi illuc undecunque confluunt, se suosque liberos plurimi certatim imbuendos offerunt, illud ante omnia ducentes permaximum, si vel post longævam probantis injuriæ tolerantiam, quodammodo admitti mereantur in congregationem. Jam vero quis locus D vel civitas non gaudeat, ex beati viri disciplina rectorem habere pontificem vel abbatem, cum constet ex hujus virtute magisterii pene totum Francorum orbem decretis regularibus fuisse primum decenter illustratum? Bercharius itaque famulus Christi ad altioris vitæ semper instituta conscendere desiderans, pontificis sui auctoritate et gratia, celeri gressu ad locum hunc pro voto properat: præfati Patris (27) alacritate condignus approbatur sanctæ monachorum cohorti, non tam corpore quam mente et actu sociatur.

Pie vitam instituit.

7. Susceptus autem in commune cum cæteris, aggressusque denuo tanquam athleta recentissimus militiæ gymnasium cœlestis, præteritorum immemor certaminum, et quasi qui virtutum in scammate positus, ad perfectionem pugnæ nihil plene ante peregisset, cœpit rursus divinis operibus spiritum coercere, veluti cum cerneres monasticæ districtionis tunc primum rudimenta suscepisse, seipso semper validior, et gratia supernæ illustrationis vitæ præcedentis qualitate jocundior. Jam vero styli non patitur opera, quanta in viro Dei fuerit humilitas, quanta virtus obedientiæ, quanta modestiæ gravitas, quanta charitas, quanta benignitas, quanta mansuetudo, quanta etiam patientiæ fortitudo. Obedientiæ sibi injunctæ negotium ita jubentis percurrit imperio, ut mentem in sublime dirigens, nec laudis humanæ compendia quæreret, et suæ præmium gloriæ, rei pereuntis pretio nullo compensaret. Studebat etiam aliorum consideratione seipsum despicere, et cum apud se cunctis judicaretur inferior, in humilitatis tamen culmine certabat omnibus inveniri sublimior: mœstissimum revolvens si quis in illo sancto collegio aliqua fortia attrectaret, quæ ille favente Dei gratia segnius attigisset.

Pincerna factus, miraculo commendatur obediens.

8. Traditur siquidem per idem tempus, hunc in eo loco factum aliquando ministrum a caliculis (28), in curam promptuarii, rectoris nutu, vicibus successisse. Cumque ille hanc officinam corporum dispensandam acciperet, quippe quem strenuum ad omnia sancta obedientia fecerat, quæ commissa fuerant prudenter inferebat. Quadam vero die dum talibus tenetur implicitus, jussu patris est subito vocatus. Forte ille tunc promptuarium ingressus, ante vas steterat, et sudem quæ vulgo ducidulum a potu scilicet educendo dicitur in manu tenens, cerealem (29) amphoræ potum infundebat: mirum dictu! ad unius jussionis nutum audito abbatis nomine, relictis quæ habebat præ manibus concitus cucurrit, oblitus ardore obedientiæ et vasis observantiam et amphoræ cautelam. Cumque vocatus

(26) Fœde hallucinatur auctor, si Brunechildem putat filios proprios suscepisse ex Theoderico, qui Brunechildis nepos fuit, eique pronepotes ex pellice generavit.

(27) S. Eustasius cœnobio Luxoviensi præfuit ab anno 613 ad 614, quo tempore Remensi cathedræ præerat Sonnatius, cui post Leudegislum, Engilbertum et Landonem Nivardus anno circa 650 successit. Non ergo Bercharius Luxovium admissus est ab Eustasio, sed fortasse a Walberto ejus successore, qui ab anno 625 ad 665 locum rexit.

(28) Tametsi *caliculas* pro *caligulis* nonnunquam usurpant auctores, hic tamen intelligendi videntur calices seu pocilla, uti ex sequentibus apparet.

(29) Ita cervisiam seu zitum vocant, eo quod ex cerere seu ex granis hordei potissimum eliciatur. Id genus miraculi refertur in Vita S. Columbani num. 26; at Berchario aptari non potest: siquidem factum dicitur Columbani imperio, quem Bercharius suppar videre non potuit.

astaret ante abbatis præsentiam, interim potus ille in vasculum non cessans defluere subter positum, postquam ad superficiem vasis pervenerat, in modum columnæ superne constipatum in gyrum coronari cœpit. Ultro cerneres illud genus liquaminis, quo vix claustris contineri valeat, ut quondam Dei transeunte populo absque littoribus Jordanis fluenta in sublime tolli ; ut liquido patesceret quanta esset virtus obedientiæ, cujus fructus nullomodo possit in terram deperire. At vero ille non sine abbatis admiratione reversus, factum stupuit, quod prius potuisse a se fieri omnino non præsumpsit : tamen vir ille sanctus hoc quod acciderat non suo, sed totum abbatis sui merito deputavit.

Remos reversus, Nivardo monasterium construere cogitanti sociatur.

9. Ita vero cum jam esset regularibus apprime disciplinis edoctus, divinæ militiæ in utramque partem armis præmunitus, ut videlicet per hæc quæ longo exercitio didicisset, in lucri Dominici dispensationem jam plurimorum saluti consulere potuisset; in provinciam Remorum ad S. Nivardum pontificem revertitur, qui tam virtutibus quam rebus, ut diximus, supra gregis sui custodiam vigilans, hostis insidias relidebat, atque ecclesiasticam dignitatem profusis successibus ampliabat : cuique olim volventibus annis divinæ inspirationis instinctu hic ardor sensibus inerat; uti in quolibet suæ diœcesis contubernio eo loci ad serviendum Deo viventi domum construeret, ubi rerum competentia aptiora divinæ servitutis commoda prætulisset. Illa erat in hac deliberatione morarum causa permaxima, quoniam deesset persona voti ad id agendum socia, quæ et desiderium suppleret pontificis, et strenua in Dei rebus inveniretur instantia suscipiendæ tantæ collaborationis. Sed diu in dubio suspensus animus nequaquam frustrari potuit spe jampridem conceptæ intentionis. Bercharium itaque præripit, vote applicat, consultu præeligit, virum quidem in Dei rebus idoneum, religione præditum, animo efficacem, exteriorum experientia non minus agilem quam prudentem. Cumque per id temporis urbs illa, ut diximus, et multorum floreret ingenio, et in admiratione reipublicæ, divinorum operum insignis haberetur commercio, hunc tamen solum, hunc sibi adsciscit præcipuum, cui consona auctoritate et merito futuræ fabricæ curam deponeret, et sani dispositione, consilii omni illi structuræ specialiter præficiendum decerneret. Prædium est publicum in pago Remensi octo millibus ab urbe disparatum, cui videlicet ævo præcedenti Sparnacus (*Epernay*) nomen fuisse constat impositum, quod olim quidem, tempore scilicet Chlodovei Francorum magni principis, quem beatus Remigius apostolica auctoritate et præditus et probatus, doctrina et virtutibus magnificus, cum suo exercitu, ut in gestis ejus legitur, angelico ministerio sacro chrismate aquæ regene-

A rantis illinierat, idem pater mirificus non modicæ quantitatis pretio acquisierat, ac Remensem Ecclesiam, cui auctore Deo præsidebat, hæredem constituerat. Denique gloriosissimus Dei pontifex Nivardus pastoralis solertiæ condigne administrans officium, tum ad alia suæ diœcesis loca invisenda, tum quoque ad hunc sæpe vicum egrediens, non tam propriæ causas agebat utilitatis, quam cunctis se affabilem quoque exhibens, salutem subjectorum sedulus impendebat. Cumque dies ac noctes ædificandi cœnobium in aliquo prædiorum suorum, quibus nobiliter temporali quoque emolumento pollebat, desiderii continuatione pervigiles duceret, assumpto suo illo, ut sæpe solebat, domestico beato Berchario) causa exstitit, qua præfatum vicum ex-
B petere pro more cogitaret. Hujus processu itineris, quo ad eumdem vicum Maternæ fluminis littoribus contiguum tenditur, quidam sui juris locus erat gratissimus, qui paululum reducto sinu in montis latere amœnissimo herbis virentibus aquarumque rivulis ex sublimi vertice leniter effluentibus, arboribusque ac vineis in declivi circumquaque constipatus, intuentium oculis oblectamenta præstabat.

Nivardo in soporem verso, loco per angelum designato, mandatum de condendo cœnobio Altivillarensi recipit.

10. Sanctus igitur pontifex hoc iter aggressus, cum jam eas partes per clivum montis attigisset, qua de contra illa loci gradientis visibus se amœnitas propius objecisset, super equestre quo ferebatur vehiculum eo gravi sopore deprimitur, ut omni protinus
C eundi facultate proscriptus, symmystem suum B. Bercharium inclamaret, omnemque illum equestrem qui tunc forte se comitabatur ordinem stare loco præciperet, et quibus ad soporem urgeretur stimulis patentius indicaret. Ecce, inquit, irruente soporis immanitate secus solito concutior, ita ut hinc gressum promovere, impotem me esse omnino confiderem. Procuretur ergo fessis artubus inter hæc virecta amœnitas paululum divertendi, ut redeuntibus per soporem viribus cœptum reddatur facultas iter peragendi. Inter late patentia nemora diffusis frondibus, virentibus foliis instanti rei grata fagus eligitur.

> Hæc alias inter tantum caput extulit alnos,
> Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

D Huic itaque arbori ocius se subter injiciunt gratia quiescendi. Ita individui sui comitis B. Bercharii solo decumbentis festinans composito vertice gremio recipi, sternitur hic patulæ recubans sub tegmine fagi, Quid vero tunc miraculi cœlitus sit ostensum, styli duxi officio non improbe intimandum, ut supernæ illustrationis veritas ostenderet, qui essent quos silvarum densitas obtexisset. Interim pontifice quiescente, sanctus vir Bercharius in cœlum defixis luminibus aspicit subito aere per serenum conspicuo columbam (30) e sublimibus de-

(30) Hanc historiam paulo aliter describit Frodoardus in lib. II hist. Rem. cap. 7. Quippe Bercharius post visionem columbæ hic relatam lacrymas fudisse dicitur. « Experrectus autem B. Præsul a

scendere, niveo fulgore radiantem, atque eidem cui substrati manserant arbori leniter insidentem. Cumque in eam oculorum dirigeret aciem, diligenter explorare cupiens, quasnam in partes ales ille niveus declinare decerneret, repente alarum soluto remigio, ab arbore cui insederat prosilit, et rumpens aera vacuum, futuræ spatium fabricæ circumvolans, locum in quo cœnobium construi debeat, gyro designat, præsentia sanctificat, expleto hoc lustramine, rursus nota recipitur arbore. Cumque eosdem sui ambitus circulos cœli nuntius ad futuræ rei firmitatis indicium tertio repetisset, patenti cœlo reconditur, et nihilominus hominibus in terra degentibus divinæ voluntatis præsagium aperitur, et novæ admirationis vestigium relinquitur. Intelligit hic vir sanctus, puro ut erat animo, signum esse cœleste, quo et dubitantium animi firmarentur, et diu dilatum opus in Dei servitute fundaretur. O beatum virum cui ostenditur corporali intuitu angelicæ dignitas visionis, in specie columbæ rutilantis, ad comprobandum testimonium innocentiæ et puritatis. Est etiam in hac re illud quoque non minus admirabile, quia quod iste corporalibus deprehenderat oculis, hoc idem quiescens sanctus pontifex senserat sopore cœlestis visionis. Qui cum post aliquantulum perceptæ quietis spatium somno excitus, caput ab imis superna revelatione prædoctus erigeret : O, inquit, votorum meorum compar fidelissime, quam gratum mihi est huc paululum gratia soporis pro tempore divertisse, quem constat per Dei gratiam tantæ revelationis mysterium cœlitus agnovisse. Ecce enim hinc jam lætus progredior, cœlorum signa sequor, quod diu differens corde gestaveram, mirandæ visionis arcano maturius aggrediendum esse compellor : sed ne longius res inopinata te duxerit, quid viderim patenter expedior. Et prius præsentias hic esse domum Dei, ut felicissimo quondam antiquo patriarchæ, et portam cœli mihi indigno Christi Domini famulo divinitus ostensam. Nam mox submissis artubus, subito hic sopore præreptus, cum vix in utramlibet partem vis naturæ quiescentem impelleret, videre mihi videor a supernis instar nivei candoris speciem adesse columbæ, quæ post hujus arboris sessum, non incerta quo tenderet, locum hunc præpeti cursu volando præcingit, trinoque gyro æque peracto cœli cacumen tendit. Credo equidem hoc spei conceptæ proficuum a Deo portentum, ut quod erat voto susceptum, jam cœlo præmonente sit celerius exsequendum. Sancto hæc pontifice perorante : Me, inquit B. Bercharius qui sancto viro gremii sui reclinatorium fecerat, quidquid, pater sanctissime, cœlesti prodigio in visione spiritus divinitus tibi testeris illatum, manifesta Dei virtute noveris etiam corporaliter fuisse conspicatum.

Childerico juvante, ecclesiam S. Petro, aliam B. Mariæ curat dedicari.

11. His igitur alternis ita conserentibus, altero quidem quod in somnis senserat, altero vero quod oculis corporeis aspexerat, res in prospectum deducitur locum illum angelica perlustratione signatum, ad agendum divinæ servitutis obsequium mira dispositione a Deo esse quam dignanter electum. Ita vero percepta tantæ revelationis de cœlestibus simul et consolationis gratia certiores utrique facti, et quod erat ambiguum loci designatione specialiter edocti, inde ambo consurgunt, ac si oculos antistes beatissimus in cœlum dirigens, illum protinus tota cordis intentione collaudans, gratias egit in quem ab æterni Patris secreto Spiritus sanctus corporali specie in columba descendit, ac fluentia Jordanis sacri corporis tinctione in nostrorum ablutionem scelerum cœlo patente beavit. Præcedente itaque in conditionem æterni tabernaculi tanto ac tali auspicio : Tibi, inquit ad B. Bercharium præsul eximius, tuæque industriæ hoc sanctum opus dispono committere, ut quem prudentia et sanctitate perfectum esse non dubitem, principem quoque in constructione cœlestis fabricæ te jure consciscam. Quod vir Domini, ardens ut erat, totis affluens in Dominum visceribus, cui inimica profecto omnis ignavia, amica vero indefessa laboris efficacitas, libenter suscipiens, tanto amplectitur desiderio, quanta in eo superna gratia meritorum excreverat magnitudo. Et quoniam seipsum jam ante Spiritus sancti templum virtutis effecerat, ipse quoque terrenæ molis pulchritudine templum Domino oculis etiam spectabile fundare exoptabat, confisus videlicet undique tam divino quam summi pontificis in cunctis auxilio. Nam et universis sui temporis Francorum regibus, episcopis quoque ac regiæ dignitatis proceribus tam gratum acceptabilemque eum certum est exstitisse, ut si quid in divinis cultibus seu etiam terrenæ commoditatis opportunitatibus cordi esset, ab eis facile obtineret : quod in consequentibus quoque diligens lector suo loco patenter poterit invenire, si ea quæ diversis temporibus regiæ majestatis ac Francorum principum munificentia sibi concessa fuerint, recensere voluerit beneficia. Quorum videlicet fultus auctoritate et gratiam jam maturius componendæ fabricæ negotiis accingitur, copias sumptuum præparat, et universa quæ tanto operi necessaria videbantur sedulus operator assignat. Itaque in supradicti prædio loci quod in declivi montis latere (ut diximus) situm, reducto profusius sinu pulcherrimam blandientis amœnitatis planitiem red-

somno, ex lacrymis ejus faciem sibi reperit udam. et interrogans quæ illi causa fletus existeret. Accepit eum propter sui ruinam flevisse operis. a Ecclesiæ scilicet in Villari a Nivardo bis exstructæ, bisque casu incerto eversæ. « Invicemque sibi visa referentibus, traditur pontifex hæc etiam Dei servo cuidam nomine Bavoni, cujus erat ipsa possessio, visa narrasse. Qui oratorium in honore sanctæ Crucis illic babens, ibi conservabatur. Qui etiam postquam visionem præsulis et ejus cognovit voluntatem, obtulit ei eamdem possessionem, partem quoque possessionis cujusdam fratris sui nomine Baldini. » Addit Frodoardus Theoderamnum alterum Bavonis fratrem, Reolum comitem postea episcopum Remensem ipsiusque filium Gedeonem illic monasticum habitum suscepisse.

dit, atque in prospectu suo subjacentia Maternæ fluminis longe lateque littora circumdespicit, mulcenti quadam visionis voluptate compellat, ab antiquo Altumvillare nomen acceperat, angelicæ designationis spatium ut cœlitus ostensum fuerat, murorum ambitu jactis fundamentis complectitur, omnesque illius parietes ædificii ad modum columbæ in aere permeantis suspecta permensione metatur. Nec ante divini cultoris opera destitit, donec superna annuente providentia, Childerici etiam regis Francorum ac sacri antistitis opitulante clementia, opus quod ad laudem Dei susceperat optata perfectione compleret.

Monasterium rebus et personis instruit.

12. Ea vero arbor, quæ quondam opulentissima fagus steterat, in qua columba cœlitus emissa pridem resederat, ac suo gyro situm monasterii volando expresserat, habita deliberatione succiditur, et collatis in commune omnium votis, in loco cui affixa fuerat, aram in veneratione B. Petri apostolorum principis (31) statuit. Ad consecrationem vero basilicæ cum S. Nivardo metropolitano pontifice, alii etiam episcopi conveniunt, clerus omnis et numerosæ plebes utriusque sexus irruunt, proceres quoque Francorum non minori voto concurrunt, et per B. viri Berebarii opus laudabile in Dei laudibus pari omnes magnitudine jucunditatis exultant. In australi vero ejusdem montis latere, aliam struxit vir sanctus ecclesiam, quam genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi semper virginis Mariæ nomine decrevit honorandam. Septa etiam monasterii et universas competentes ordinis officinas, ad sectandam vitæ regularis observantiam prudentissime composuit, monasticæ conversationis viros religiosos aggregavit, et cuncta quæ huic ordini commoda judicabantur, diligenter implevit. Copiosos vero prædiorum sumptus sanctissimus antistes, tam ea quæ sui juris esse videbantur, quam quæ etiam beato interveniente Berchario ab ipsis Francorum primoribus obtineri poterant, in necessarios servorum Dei delegavit usus, ut videlicet in eodem cœnobio et merito et numero populus Deo serviens utriusque laboribus augeretur. Hæc sunt igitur hujus B. Patris nostri Bercharii magnorum operum sancta principia : sed adhuc restant ad divinæ obsequium majestatis piorum laborum majora certamina, quæ in hoc postmodum monstrabit opere rerum consequentia. Qui videlicet cum esset in spiritalis exercitii sublimitate perfectus, in divinæ legis meditatione continuus, temporalem tamen non auspicatus est gloriam, sed mentis puritate jugiter concupivit æternam, nec levi felicitati inclinari nec inani voluit laude resolvi. Jam vero consummata omni sacri illius templi structura, his duobus sanctissimis viris quanta fuerit immensitas exultationis, quam grata societas unanimis affectionis, quantus divinitatis amor, quantus vitæ cœlestis ardor, nec sermo capere, nec lingua ullo modo valet explicare.

Nivardo mortuo, virtutibus, miraculis et auctoritate clarescit.

13. At vero cum in his sanctorum operum studiis quam gloriose tenerentur inserti, sanctæ exhortationis gratiam per populos infundentes et ad æternitatis gloriam quaquaversum animos fidelium incitantes, cum jam superna clementia antistitis sui Nivardi vitam laudabilem perpetuæ jucunditatis commercio compensare et pro labore brevi palmam decrevisset permanentis rependere gloriæ, opere perfectus, virtutibus consummatus, adveniente Kalendarum Septembrium die, mortis nexibus absolutus migravit ad Dominum, beatæ immortalitatis stolam consecutus, angelorum agminibus in illa cœlestis curiæ dignitate concivis factus, apostolorum particeps, martyrum et confessorum cohæres, illius insatiabiliter aspectu fruitur, cujus amor ab ejus pectore nunquam recessisse certum tenetur. Qui licet pro lege carnis debitum solverit humanæ conditionis, vivit tamen in gloria perpetuæ exsultationis, nostris autem illic procul dubio miseriis præstantius, si ex corde rogatus fuerit, occurrere paratus, quanto nunc potentius illi summo atque invisibili spiritui cernitur esse conjunctus, per virtutem universa scientis ipse scius omnium ac exauditor effectus. Ad cujus exsequias corporis tota Remorum civitas ruit, clerus ac populus utriusque sexus convenit, ex vicinis etiam urbibus multi adfuerunt tanti pastoris excessum admistis pio mærori hymnorum solemnibus obsequiis assignantes. Cujus quidem corpus diversis populorum catervis constipatum usque ad basilicam S. Remigii a S. Berchario nec non et sanctis pontificibus, qui ea die illuc confluxerant, universa gregis sui multitudine prosequente, condigno honore defertur, ac excellenti mausoleo condendum, decentissimam ibidem accepit sepulturam, sanctissimo viro Berchario in supradicto Altivillari cœnobio glorioso præsuli superstite relicto. Qui licet tanti patris fuerit solamine destitutus, nequaquam tamen a cœpti operis intentione desistens, subjectorum animos exemplis instruebat et verbis. Locum vero, quæ ædificare cœperat, rebus ac varios decore collustrans, nihil subtraxit industriæ, donec ad culmen proveheret perfectionis summæ. Spiritualium enim donorum perfusus rore, vitæ jam consertus angelicæ, civis cœlestis patriæ

Dogmate justitiæ, Christi refovebat ovile,
Constituens plebi cœlestia templa fideli.
Nec minus in magnis flagrans resplenduit actis,
Quæ gessere Patres fulti pietate priores,
Optima dans vitæ populis documenta beatæ

Domini namque gratia præeunte, multis miraculorum signis in eo loco claruit, ac supervenientibus diversarum incommoditatum casibus se opponens,

(31) Additur in diplomate Nivardi a Sammarthanis relato, *et Pauli, seu etiam S. Joannis et cæterorum martyrum et confessorum, quorum pignora ibidem venerari noscuntur.*

multa cœlestis beneficii emolumenta populis impendebat : sanitas corporum, salutem animarum. Francorum quoque regibus diverso tempore sibi succedentibus ac palatii optimatibus ita in cunctis erat affabilis, ut eorum usus pro voto familiaritatibus, quæ intenderet citius obtineret, et in construendis servorum Dei habitaculis sumptus ei et copias eorum largitas pleniter ministraret. Si quis his hæsitans forte manet incredulus, prædicti loci miretur mœnia, aspiciat ædificia, perlustret diligenter opera : patebit scire cupienti quanti fuerit meriti, per quem Dominus tanta ac talia dignatus sit operari.

Parthenona in saltu Dervensi ædificat.

14. Rebus igitur tam exterioribus quam interioribus prædicti Altivilarensis cœnobii secundum Dei cultum honorifice ordinatis, jamdictus Pater Bercharius corporeæ quietis impatiens, opportuna sibi loca lucrificandi gratia perquirebat. Abinde namque egressus, Dei munere præcurrente, vastam saltus Dervensis solitudinem petere contendit : quo in loco qua venerat intentionis non immemor, aptum ædificandi cœnobii statum invigilando sollicite scrutabatur. Hæc igitur inter cogitandum, Dei gratia præduce contulit se ad quamdam matronam, Waltildem nomine, quæ superbo nobilitata sanguine, plurimorum a proavis prædioruum affluentia lætabatur : a qua vir sanctus condicti pretii dono emit sibi partem silvæ, eum scilicet locum qui dicitur vulgo Mangis villare : ibique cellulam (32) ædificans, eamque B. Mariæ ad honorem consecrans, puellarum cœtum Deo matrique serviturarum, prout posse fuit, diligentissime aggregavit. Nam viam publicam vulgo Cantillam dictam expetens, pretio a prætereuntibus suscepit captivas puellas octo, quas in sancta religione edocens, Deo dicatas ibi manere constituit. Ex hoc igitur Christi adminiculante suffragio excrevit numerus virginum adusque sexagenarii cumulum, quibus etiam prædictus pater neptem supra scriptæ matronæ Waltildis solemniter abbatissam præfecit.

Oratoria etiam diversa.

15. His quoque rite peractis, secretoria saltus infatigabiliter excutiens, cognoscere summopere gestiebat, sicubi opportuniora loca ædificandi cellulas reperisset, veniens in quemdam locum, Lutosas (33) nomine, cellam construendi aptum reputans, nimia sollicitudine vota explere studebat. Hoc igitur propriis viribus nullo modo dignum ducens agredi, cujus erat hoc prædium potestatis adiit. Eo siquidem tempore Childericus rex regnum Francorum nobilissime gubernans, libentissime sancti viri petitionibus acquiescebat. Hunc ergo pater eximius adiit, atque sibi ad bona vota consortibus viris Dei amore ferventibus Leodegario et Mummuleno episcopis, Amalrico quoque et Wlfaudo optimatibus, impetravit a rege licentiam ædificandi sibi in eodem loco basilicam, quam B. Martini in honore consecratam prædictus rex Childericus circumquaque ab Ecclesia silvæ leuca una benigne donavit. Beatus vero Bercharius neque his contentus, cellulam sibi juxta locum qui dicitur Puteolus, ea in parte quæ nunc monasteriolum (34) dicitur, ad honorem B. Mauricii condidit, sperans aptum se monasterium ædificandi locum reperisse. Verum cum hoc etiam sibi habile non videretur, super fluvium Vigeræ (*la rivière de Voyre*) quamdam ecclesiam S. Sulpitii honori dicavit. Neque ibi etiam statum cœnobii aptum fore ducens, mente pervigili ut sapiens architectus, eum qui petentibus se adesse comprobat, dare votis congrua loca poscebat.

Monasterio condendo locum invenit, rege locum concedente.

16. Quodam igitur tempore cum jam divina clementia ulterius famulantis animum per diversa distrahi nollet, præcurrentibus indiciis locum votis congruum iri repertum dedit. Nam abdita silvæ perlustrans, casu quemdam ad locum devenit, ubi pastores subulcos reperit : quos blande allocutus, aureique illos numismatis munere donans, poposcit ostendi sibi quæ habiliora aliquando silvas circumeundo ad habitandum loca pervidissent, dicens sibi animum esse, uti congruo habitandi loco exstirpando silvas cœnobitarum tabernacula designaret : se quidem diversa tentasse, sed nullo penitus loco commanendi habitacula fida invenisse. At illi præmio accepto, talibus animi votis sancto viro respondent : Nos quidem cum fides teneat firma, munerati tuis ad vota processibus parere decrevimus, locumque habitandi habilem pro nostro scire ostendere parati sumus : nam persæpe inibi suillos greges jam desperati invenimus, nec seductos aliorsum spes est requirere porcos, cum illum semper absque aliquo ductore perditi sues expetant locum. Adest quoque ibi, Domine pater, quædam non ignoti miraculi fagus, subter quam luminaria sæpe cum accensa absque hominum accessu viderimus, divini aliquid fore suspicamur. Nunc, inquit B. Bercharius, ocius præite, tanti præsagii loca significate, meque consequentem jamjamque diu suspensum animo quietiorem reddendo, tanta curarum mole absolvite. His dictis prædictus pater ad locum properat fidem dictorum excepturus : nec inaniter ferens testimonium pastorum divinitus credidit factum esse miraculum, et a Deo sibi locum ostensum, qui non pateretur servum suum diversis intentum, proprio labore frustrari.

(32) Id est exiguum monasterium sanctimonialium, quod teste Camuzato septingentis abhinc annis funditus dirutum et eversum, Puellare monasterium dicebatur. Nostrates locum Gallico idiomate *Puelle Monstier* appellant : qui locus vix tertio milliari distat a cœnobio Dervensi, ad Vigeram fluvium itidem situs. Lege mirac. num. 1.

(33) Vicus Lutosæ, *Louzes*, diœcesis Trecensis distinguendus est a Villa Lutosa, *Leuze*, diœcesis Cameracensis, de qua Baldericus in Chron. lib. II, cap. 43.

(34) Nunc locus redactus est in exiguum oratorium S. Mauricii dictum, quod sesquimilliari distat a Dervo, versus Vigeræ fontem.

Nam qui eo cœtum bonorum exsecutione operum pollentem adunandum prænoverat, digne tali præsagio initia operum beati viri præsignavit : qui locus duobus integris milliariis a præfato loco, qui dicitur Puteolus, disparatur. Ibi ergo B. Bercharius multo labore silvis radicitus erutis, cœnobii ædificandi statum præelegit. Exinde ad palatium progreditur, regis super hoc negotio clementiæ supplicaturus. Auxiliantibus vero sibi per divinam gratiam, ex cujus desiderio ista agebat, S. Leodegario episcopo et Almarico Majore domus, Fulcoaldo quoque et Wlfaudo, Nivardo etiam et Atelano (35) episcopis, impetravit sibi dari a rege silvam ex suo fisco qui vocatur Vassiacus (36) in circuitu præfati loci, sicut ex auctoritate regia tenetur exterminatum, unde sumptus habere valeret ac prædia ad cœnobium (37) constituendum. Cum etiam Deo disponente ad plurima sibi rex libentissime faveret, ad hoc usque processit, ut aulam sibi decenti ornatu, ut regiam decebat majestatem, in loco qui dicitur Puteolus fabricatam, ubi causa venandi crebro adventare consueverat, dono ei concederet : unde ipse domnus Bercharius ecclesiam Deo in honore SS. apostolorum Petri et Pauli consecrandam construxit, quam ex præfato loco Puteolum (Puysie) appellavit.

Locum monachis, reliquiis, etc. *ditat.*

17. Sanctus vero vir quando supra memoratas puellas emit, simul cum ipsis pretio suscepit viros octo captivos, quos in sancta religione edocens, primos in eodem loco monachos constituit. Multi vero sanctam conversationem illius ac religiositatem admirantes, per ipsius exhortationem Deo favente, qui neminem vult perire, relinquentes omnia quæ in sæculo habere videbantur, sub monastica norma et sub doctrina sancti ipsius patris Deo se mancipaverunt. Ipse ergo aquam ad ipsum cœnobium delonge perduxit, officinas ad omnia necessaria paravit, habitacula quoque puellarum ordinate disponens, Hierosolymam adiit (38), sacrasque plurimum reliquias impetravit, tabulasque eburneas optimas secum deportavit: sicque Romam multoties adiens, plurimorum sanctorum reliquias detulit, et honorifice cum episcopis in præfatis locis conservandas condidit : in quibus locis suffragantibus illorum sanctorum meritis, quorum reliquiæ ibi delatæ sunt, præstante Christo, uberiora fidelibus populis beneficia largiuntur.

Obitum suum prædicit.

18. Tantis igitur laborum certaminibus in hujus mundi stadio pro vitæ cœlestis bravio transcursis, cum jam Dominus operarium suum digna donare mercede disponeret, resolutionis corporeæ imminens tempus ante dedit agnoscere. Nam jam paschali instante solemnitate, feria quinta qua cœna Domini habebatur, gregis sibi commissi pater sollicitus monasterium puellarum devote adiit, pro more fidelium præcepta Domini expleturus. Inter igitur multa exhortationum verba et consolationum affamina, hoc quoque eis prædixit, quod de resolutione proprii corporis divinitus sibi notificatum manebat. Scitote, filiolæ, superna instante vocatione, me in hoc ulterius corpore manere nullo modo posse ; nec mœreatis quasi pastorem ablatum, cum vos æterno custodi regique sponsatas certa cordis devotione teneatis fixum. Nullo igitur corporeo ex me adjutorio amplius sustentandas, cœlesti rectori ut proprias commendo filias. Ad harum ergo consolationum affamina cum vehementi ululatu erumpentes in lacrymas, pater sanctus dolorem verbis exhortationem mitigans, valedicens eis et benedicens abscessit. Cum psalmis autem et hymnis peractis omnibus, ad cœnobium redeundi iter aggreditur, eadem monachis pauperibus et peregrinis facturus.

A filiolo suo indisciplinato appetitur cultro.

19. Inter ordinandum igitur plurima forte accidit, ut filiolum suum quem de sacro fonte susceptum monachum esse statuerat, Daguinum nomine, exigentibus culpis suis, verbere increpationis, ut moris est, feriendum decerneret. Nam hic, ut postea claruit, pessimus et flagitiosus, fronte polita sub ovina pelle, rapacias contegebat gestamina belluæ. Itaque ex merito suæ iniquitatis, diabolo cum Juda proditore traditus, indignæ ferens doctrinalia patris objurgamina, intumescente mascula sub pectore bili, contendit insanus sanctum virum injustæ tradere neci. Denique cum beatus pater diurno anxietatis labore non modice fessus, una cum fratribus lectulo reclinatus membra sopori dedisset, quia odium indictum. Ejus primordia anno circa 665 collocanda sunt.

(35) *Al.* Azelano, qui videtur fuisse Attila episcopus Landunensis, de quo Frodoardus in hist. Rem. lib. II, cap. 7. Istius donationis diploma refert Camuzatus in Promptuario, fol. 80. An Amalricus hic memoratus Major domus fuerit, dubitat Adrianus Valesius in Rer. Franc. lib. XXI. Certe Nivardus supra num. 13, mortuus dicitur, antequam Bercharius cogitaret de cœnobio Dervensi, cujus primordia anno circa 665 revocamus. Childericus anno regni tertio in Neustria, seu anno Christi 671 prædia concessisse legitur in quadam charta a Camuzato et Sammarthanis relata, cui subscribunt viri hic memorati ; ubi *Wlfaudus* Major domus, non Amalricus exprimitur.

(36) Vassiacus, *Vassy*, oppidum ad Blesam fluvium in Matronam influentem, alius a Wasciaco Frodoardi, lib. III, cap. 7.

(37) Dervense scilicet de quo in observat. præviis

(38) Et quidem comite Waimero cui S. Leodegarius inedia consumendus commissus est, uti in libro Mirac. S. Bercharii num. 11 dicitur. Ex illo itinere S. Bercharius retulisse fertur corpus S. Theodosiæ, de qua hæc legimus in ms. cod. Dervensi : « Anno Verbi incarnati 1108, epacta XVII, Idus Septemb. eodemque anno quo obiit rex Philipus, filiusque ejus in regem unctus est, a D. Rotgero abbate anno ordinationis suæ 11 positum est in hoc scrinio corpus S. Theodosiæ virginis, quæ pro Christi nomine multa tormenta etiam capitis abscissione in Cæsarea Palestinæ passa est : hanc tamen ex eadem urbe S. Bercharius abbas cum multorum sanctorum reliquiis detulit, ac in hoc monasterio quod dono regali exstruxerat, decenter collocavit. »

currit qui arguit criminosos, idem filius Satanæ armis impietatis armatus, postquam eum fessum soporatum credidit, irruens in eum mortali vulnere attentavit. Nam cultello illum valide ferit, et patris sanguine manus proprias impendens filius maculavit. Arreptum vero Daguinus quo sanctum percusserat ferrum, reatus sui conscius in piscinam, quæ intra claustra monasterii tunc temporis habebatur, quam citissime potuit velut occultandum deposuit. Videres tunc laticem velut tanti sceleris cognitorem, ferrum in se receptare expavescere. Nam mox ut aquam tetigit, velut levissimæ pluma materiei super aquas mirabiliter natavit, ipse autem homicida amens factus, ecclesiam petiit, cruentisque manibus signum pulsare cœpit.

Percussori veniam indulget.

20. Fratres vero ut audierunt signum inconsueta hora, cum magna admiratione surgentes, et sanctum virum interfectum audientes, ad lectum illius occurrerunt : sed adhuc anxietate nutantem in eo spiritum repererunt. Comprehensum igitur prædictum Daguinum fratres sancto viro obtulerunt, scire cupientes quid de admisso tanto scelere severitas clementiæ ejus judicaret. Denique sanctus pater verborum Domini non immemor, quibus patri pro persecutoribus supplicavit, dicens : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, clementer remisit illi, quam in se exercuerat culpam. Deum tibi, frater, inquiens, pœnitentialiter placabilem fieri studeto : nam quantum ad me attinet omni te liberum impunitate remitto. Romam ergo, fili, progredere, ut te hoc scelere innocentem exhibeat, qui largiendi sanitatem undique potestate suscepta, diversis morborum generibus subvenit corporis umbra. Egressus igitur Daguinus, ex præcepto beati viri Romam petiit, unde postea non est reversus.

Moritur. In ecclesiam transfertur. Oleum e tumulo manat.

21. Beatus vero Bercharius diutissime angore vulneris morbidus, tandem carne solutus, cœlestis vitæ gaudia exsultanti spiritu felix petiit. Ad tanti quoque viri obitum viris undecunque religiosis confluentibus, sepultus est quodam loco extra cœnobium [*al.* ecclesiam], multis inibi Deo donante miraculorum pollens effectibus. Sed cum jam Dominus ulterius sanctum suum occultare nollet, ex præfato cultelli miraculo cæterisque ad tumulum sancti viri ostensis, servis Dei visum est inde corpus beati patris deberre transferri, ac illi inde translatum tumulaverunt retro altare in basilica SS. apostolorum Petri et Pauli, quam ipse vivens ædificaverat, ubi suffragantibus ejus meritis multa tribuuntur dona populis. Ex cujus sepulcro longo post tempore oleum pullulans in vas ad hoc paratum visum est defluxisse, cunctis morbo obsessis nimium salubre. Hujus igitur, quia peccatorum pondere prægavati summa operum assequi propriis viribus nequaquam præsumimus, ejus qui dixit : Sine me nihil potestis facere, imploremus auxilium gratiæ, quatenus qui merito peccatorum deprimimur, dextera virtutis suæ sublevemur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur Deus in sæcula sæculorum. Amen.

APPENDIX

Ex ms. cod. Dervensi per R. P. Filibertum Boulanger congreg. S. Vitoni monachum Benedictum communicato.

Dies obitus.

22. Beatus Bercharius durissimi languore vulneris orbidus, licet trahens louga suspiria vix proloquetur, fesso anhelitu tamen Dominicæ passionis et surrectionis solemnia, suæ etiam depositionis sequium ac locum sepulturæ humiliter ordinans, scipulis multa ventura prædixit, indicendo eis llicitudinem divini timoris ac observantiam sanæ religionis. Tandem triumphanti Domino cum alma victoriæ occursurus, mane Dominica ipsius erosanctæ ab inferis Resurrectionis carne solutus, clestis vitæ gaudia exsultanti spiritu felix petit (39). Ad tanti viri qnoque obitum viris undecunque religiosis confluentibus, sepultus est ut jusserat odam loco extra ecclesiam, multis inibi Deo donte miraculorum pollens effectibus.

Translationis dies et modus.

23. Sed cum jam Dominus ulterius sanctum suum occultare nollet, ex præfato cultelli miraculo cæterisque ad tumulum sancti viri ostensis, servis Dei visum est inde corpus beati patris debere transferri. Habita itaque collatione cum plurimo collegio sacerdotum ob hoc in unum convenientium, decretum ad fieri sexto decimo Kalendas Martii. Nullam tamen capessunt audaciam tangendi glebam sanctissimi corporis; neque fatigandi longa bajulatione trepidi quo tegebatur sarcophagi, sed humillimam quam potuerunt, deliberant transferendi facilitatem. Nam decenti fornice perforata orientali maceria ipsius ecclesiæ quæ proxima ejus sepulturæ erat, inde eo aditu infra cum sarcophago translatum, secundo tumulaverunt retro altare in ipsa basilica

(39) In eodem ms. hæc leguntur : « Extremum æ diem obivit hic B. P. Bercharius anno ab Incarnat. Domini 685, indict. 13, epacta XI, VI Kalend. Aprilis, mane sacro Dominicæ Resurrectionis. » Qui characteres chronologici non conveniunt, si legas VII Kalend. Aprilis, in quem Pascha anno 624 incidebat. S. Bercharius inscribitur in Addit. ad Usuardum XVII Kalend. Novemb., qui dies translationis est ex dicendis infra num. 7. Corpus S. Bercharii in Ecclesia Dervensis monasterii, caput quidem in sinu argenteo, reliqua ossa in theca asservantur.

sanctorum apostolorum Petri et Pauli quam ipse vivens ædificaverat, ubi suffragantibus ejus meritis multa tribuuntur dona populis. Quando Deo disponente domni Adsonis tempore hoc cœnobium cœpit germinare, etc., *ut infra num.* 15.

DE MIRACULIS S. WALDEBERTI

ABBATIS LUXOVIENSIS TERTII

LIBER

Auctore Adsone âbbate

(Apud Mabill., *Acta SS. Bened.* Sæc. III, p. 451, *ex ms. cod. Luxoviensi erutus a R. P. Constantio Gravellio, tum priore.*)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ

---

1. Elogium sancti Waldeberti seu Walberti abbatis Luxoviensis, quatenus ex vetustis monumentis concinnari potuit, exhibuimus in Sæculo. Postea librum de ejus miraculis ad me transmisit R. P. Constantius Gravellius, tum Luxovii prior e florentissima congregatione S. Vitoni, cum hac epigraphe : *Incipit Vita sanctissimi ac Deo acceptissimi Patris Walberti, monasterii Luxoviensis abbatis ;* tametsi libellum, non de vita, sed de miraculis longe post Waldeberti obitum patratis scribere instituit auctor, Adso videlicet, alio nomine dictus Hermiricus, qui post medium sæculum x Luxovio præfuit post Aaloncum, quem *abbatem et episcopum* appellat : et Adso in Prologo suo memorat *volumen de gestis S. Waldeberti* quæ temporum injuria excidisse dolemus. In veterrimo Kalendario Corbeiensi, ante annos nongentos exarato, quod mutilum et imperfectum Isidori Hispalensis episcopi libris de summo bono assutum præmittitur, S. Waldeberti memoria exprimitur his verbis : VI *Nonas Madias depositio sancti Waldeberti abbatis,* episcopalis nominis mentione facta, uti nec in libello subjecto.

2. De cœnobio Luxoviensi plura leges in Sæculo nostro secundo, tum in Præfatione, tum in Actis sanctorum Columbani et Eustasii abbatum. Tempus quo Columbanus Vosagum incolere cœpit, signavi paulo ante annum quingentesimum nonagesimum. Calculus iste confirmari videtur ex quadam clausula, quæ habetur in fine Expositionis S. Augustini in epistolam Joannis, in novem homilias distinctæ, in quarum fine sic legitur in pervetusto apographo ecclesiæ S. Petri Bellovacensis, uncialibus litteris descripto a quodam monacho Luxoviensi : Explicitum opus favente Domino apud cœnobium Lussovium anno duodecimo regis Chlothacharii, indictione tertia decima, anno Xlsimo Pis Ni felicius peracto, id est (ut quidem interpretor) *anno quadragesimo Patris nostri*, Columbani videlicet : qui proinde anno quingentesimo octogesimo quinto in Vosagum advenisse dicendus est, siquidem *annus duodecimus Clotharii regis* in Burgundia regnantis, *et indicio* 13 conveniunt in annum Christi 625. Qua in scriptura illud etiam observatione dignum est, indictionem usurpatam aliquando fuisse in calculo Gallicano, Merovingorum stirpe regnante.

PROLOGUS AUCTORIS

Luxoviensium cœnobitarum sacræ concioni (40)... qui et HERMIRICUS, nomine abbas, non merito vocatus, perpetuam in Christo Domini salutem.

Consideranti mihi ac sæpius ore ac mente revolventi, quid utilitatis et commodi loco conferrem, in quo a parentibus traditus primævi tirocinii juvenilia rudimenta inter dubia Pythagoricæ litteræ bicornia peregisse memineram, illud potissimum occurrit, ut ad reparandam succedentium solertiæ præteritarum rerum memoriam, ea quæ per egregios Christi Domini confessores sexcentorum ferme monachorum Luxoviensium fundatores atque rectores, Eustasium videlicet atque Waldebertum, etiam nostra ætate gesta esse divina gratia noscuntur, stylo commendarem. Nam inter illa quæ jam transierunt, et ea quæ ventura sperantur, profundæ caliginis quasi quodam nebulo interpolante humana perspicacia liberam notitiæ non potest habere facultatem, nisi exterius litteralis industriæ traditione juvetur, per quam ea quæ cursus anterior absorbuit, præ oculis adducta, quasi præsentia censeantur. Cujus rei studio nos provocante manum misimus, ut ea quæ ad honorem divinæ majestatis geruntur, quatenus nostra scientia contingere potuit,

(40) Supple Adso. Is enim decessorum suorum seriem et breve chronicon descripsisse memoratur, æqualis Adsonis abbatis Dervensis, de quo in sæculo II.

torporis ignavia non lateant, præcipue cum eos nobis divina providentia tanquam specialis dono privilegii patronos destinaverit, quorum præsens suffragium nos muniret, miraculorum virtus clarius illustraret. Sed cum laudamus viros gloriosos in vita sua, nequaquam illum prætermittimus, imo cunctis omnibus proponendum recta fide censemus, per quem hæc omnia eos promeruisse et obtinuisse non dubitamus, qui est gloriosus in sanctis suis, et admirandus in cunctis operibus suis. Ea itaque quæ idem præfati Patres vel in vita, vel certe quæ paulo post discessionis suæ tempora operati sunt, nequaquam tangimus : sed quod post longe succedentis ætatis excursum, nobis scilicet intuentibus, divina clementia per eos declarare voluit, ex pluribus quæ memoriæ mandari potuerunt, ad exhibendam tenacius tantorum virorum reverentiam non tacemus. Nam si quis eorum gesta plenius nosse desiderat, eorum actus qui voluminibus propriis ab exordio rerum gestarum latius continentur, diligentius inquirat, ubi perfacile inveniri poterit, quantis et qualibus virtutum uterque eorum insignibus clarescat.

2. Suscipiat ergo vestra sancta paternitas hoc nostræ devotionis opusculum : quæ etsi imperitos nos facundiæ lepore considerat, tamen dedisse nos operam cognoscat, ne ad glorificandam divinorum operum magnificentiam nostra ignavia torpescat. Ita tamen ista prosequimur, ut si vel rectius vel facetius ad explenda hæc scriptorum quilibet emerserit, si quis ex his aut laudis seu mortalis nobis honoris fructus provenire possit, libenter nos hoc profitemur carere privilegio, dum solummodo nos loco cedimus, si alter potior vel facundior subrogetur, tantum pernoscendæ materiæ viam ostendisse sufficiat. Nec nobis merces laboris, ut speramus, a Domino frustrabitur, si vocis facultas defuerit, cum promptus exstiterit nostræ devotionis affectus.

INCIPIT VITA

Columbano Luxovio pulso, succedit Eustasius.

3. Igitur postquam beatissimus pater Columbanus, ut liber historiæ de Vita et virtutibus ejus scriptus indicat, sub rege Francorum Sigeberto patriæ Hiberniæ finibus exsul Burgundiam aggressus locum sibi specialiter delegerat, cui ab antiquo Luxovium (ut illic legitur) nomen erat, tantam a Domino efficiendorum operum gratiam est consecutus, ut in eo loco signis et prodigiis præeuntibus, sexcentorum ferme monachorum in brevi multitudinem, dispositis per loca sibi exigua (ut usque hodie cernitur) agminibus aggregaret. Quibus in omni sanctitate, sapientia, doctrina et religione optime institutis, ita ut longe lateque per urbes vel monasteria ex disciplinæ beati patris Columbani discipulis pastores eligerentur et rectores, instigante diabolo ab impiissima Brunechilde regina expulsus, egressus a Luxovio Italiam petiit, Bobiense monasterium magnifice condidit, in quo tandem multis miraculorum signis clarus beato fine quievit. Cui ad regendam Luxoviensium monachorum congregationem beatus pater Eustasius providus gubernator successit, qui nobiliori Lingonensium genere exortus, prædecessoris sui in omnibus instituta secutus, æque sapientia et sanctitate ubique locorum fama et virtutibus notissimus migravit ad Dominum, in eodem loco corpore tumulatus.

Dein Walbertus ex milite.

4. Cui in regimine sanctus successor exstitit Walbertus. Qui videlicet vir in vita sua gloriosissimus, licet posterior fuerit ordine, non tamen inferior exstitit meritorum qualitate ; cujus quoque annos adolescentiæ in armis tradunt primum excellentissime floruisse. Qui scilicet cum esset inclyta prosapia clarissimus, in pago qui vulgo Pontivus dicitur, honoribus et rerum dignitate juxta natales suos ditissimus, tamen sub rebus sæculi regni non immemor æterni, sectabatur sedulus opera misericordiæ, agens quæ Dei sunt, non quæ hominum. Qualis autem et quanta in eo sub illo militari habitu bonorum operum virtus effulserit, sermo nullus explicare sufficit : cum in cæteris quampluribus, tum etiam in his intentissimus, scilicet algentes vestire, inopes alere, imbecillibus præstare solamen, pauperes recreare, refovere mœstos, ad pacem revocare discordes. Sic miles optimus inter fasces constitutus et arma, perituris præponens semper æterna, sedula versabatur cogitatione, quod postea devotus complevit opere. Cujus quidem sub illo bonorum exercitio initium signorum hoc referunt exstitisse.

In pago Meldicensi clarescit adolescens.

5. Intra fines Franciæ, in pago videlicet Meldense, famosi vicus est nominis, prisco nomine *Nant* (*infra n.* 14) vocatus : qui scilicet vicus sibi a progenitoribus jure hæreditario competebat, ortu quoque ejus et puerilibus incrementis hic locus usque in præsens admodum habetur insignis. Ad laudem etiam ejus nominis fons illic exoritur memorabilis, ex quo perfusa turba popularis lætiorum (*an* lætiorem) se arbitratur ad sua referre ob memoriam beati viri lucra incolumitatis. In hoc itaque, ut diximus, vico sui juris ager latissimus fuerat et fecundus. Nam cum in aliis vir iste felicimus, tum quoque rebus pollebat : et hunc quoque agrum anseres agrestes, quas a candore vel sonitu vocis more rustico gan-

tas (41) vocant, agmine collecto frequenti ruptione A ab ipso jactu seminis et sationis incremento vastabant. Minister indignatus, cum eas nulla vi inde posset abigere, familiare damnum domino procurat intimari. At ille imperans : Vade, inquit, citius, et ordine pedestri numero integro subsequens reclude eas domi. Mox servo præcedente videres mœstas volucres mirum in globum deposita feritate colligi, ac pro jubentis nutu certo tramite quo ducebantur tectum subintrasse. Ita jam triduum aves illæ sine cibo agentes, beati viri tandem indulgentia relaxantur, dempta scilicet una de numero cæterarum, quam unus e familia furto sublegerat, et sibi male conscius in escas vorax temerator absumpserat. Illæ tamen volucres solutæ de carcere, elato in altum gemitu clamore replentes aera, tecta circumvolant, atque in aures sancti viri damnum sociale B resolvunt. Qui mox causam intelligens, depositum inquirit, pœnas jussisse debitas pro crimine profitetur, non neces intulisse. Præsumptor ut furti reus pudore deprehensus, plumarum quas forte subduxerat ac quæque residua profert in medium. Ita vir sanctus facta oratione exanimem reparans, restaurato numero sinit abire lætantes, nunquam post hæc infra agrum illum irruptionem facere præsumentes. Hæc ergo jam tunc Dominus in servo suo dignabatur ostendere, quem disponebat postmodum sancto illi Luxoviensium monachorum gregi pastorali auctoritate præficere. Qui etiam si sic in minimis laicus potuit, quanto magis in maximis credendus est sub sancto habitu valuisse!

Eustasii monitis Luxovium se recepit. Solitarius vivit. C

6. Hinc jam cum ad altiora tenderet, sæculo omnino renuntiare desiderat, Dei nutu ab beati patris Eustasii consultu Luxoviense monasterium, quod præ cæteris eo tempore regulari ordine districtius erat, copia rerum et numero monachorum excellentius præpollebat, devotus expetiit : ac traditis rerum suarum illic quæ per diversa loca amplissime possederat prædiis, armisque depositis, quæ usque hodie in testimonium sacræ militiæ ejus in eo loco habentur, servorum Dei numero adiit sociandus. Qui sanctæ oonversionis gratiam tanta est perfectione adeptus, ut etiam sancto Spiritu illustrante signa virtutum ostenderet, cum in alterius dispositione consisteret. Monstratur adhuc (42) denique locus, duobus a monasterio millibus disparatus, sub saxo D quidem præeminenti concavus, aqua vero e terra prodeunte blandius irriguus, ubi cellulam sibi referunt statuisse ac contra vel carnis vel antiqui hostis tentamina non parvo tempore singulariter decertasse.

Eustasio sufficitur. Rem optime gerit.

7. Præterea pater Eustasius, sicut supra prælibavimus, signis et virtutibus quampluribus, ut in descriptione actuum ipsius sufficienter legitur, comprobatus, cum palma bonorum operum, Domino vocante, cœleste capitolium ingreditur coronandus. Qui etiam post sacram beati Petri apostolorum principis aram intra mœnia principalis eccleciæ, quam ipse cum patre Columbano condiderat, magnificam, ut par erat, sepulturam retentat. Nec patitur divina providentia sacrum ovile rectore destitui. Nam in illo sanctorum collegio cum forent plurimi, quos et sapientia et vita commendarat; tamen universi pari voto parique consensu Waldebertum virum æque sanctissimum loco patris decedentis decernunt, ac loci rectorum constituunt, certi de ejus virtute et meritis : quæ etsi in eo poterant augmentari, nulli dubium quin possent fixa deliberatione moveri. Nihil enim a pristino vigore agens remissius, exquisitis arctioris vitæ se districtionibus coercebat. Si quid vero in rebus vel cæteris utriusque vitæ commoditatibus tempore illorum duorum patrum, Columbani videlicet et Eustasii, imperfectum restabat, hic pastor beatissimus Waldebertus omni industria supplevit, auxit, et ad unguem perfectius elimavit. Villas quoque et prædia copiosa traditione publice facta in usus Monasterii contulit : inter quæ vicum quoque, quem superius *Nant* vocatum diximus, genuinum videlicet ejus (43) solum, cum membris adjacentibus sub interminatione tradidit : ut qui eum a loco auferret, æternæ maledictioni succumberet. In pago quoque Tarnensi (44) vicum Herlerum nomine cum omnibus ad se pertinentibus, seu quidquid in Pontivo solido jure possederat, obtulit : et omnium rerum suarum beatum Petrum apostolum in perpetuum hæredem esse constituit. Inter cætera quoque ejus donaria contulit etiam pretiosissimæ gemmæ poculum ex uno topazio, miro modo guttulis aureis, ut ejus est natura, interlitum, interposito anathemate, ut quisquis quacunque occasione exinde illud subtraheret, vel subtractum ausu temerario retinere tentaret, cum diabolo et angelis ejus æternis flammis in perpetuum cruciandus adesset, salva quoque auctoritate Francorum regum et procerum, qui usus admodum eo tempore ferebatur.

Nicetio episcopo familiaris, obit. Ab eo sepultus.

8. Sancto Nicetio episcopo magnarum virtutum

(41) Sic sancta Amalberga virgo ex agro suo fugasse dicitur aves quasdam *quas communi vocabulo gantas appellare placet.*

(42) Cernitur ad hunc usque diem, habeturque in spelunca sacra rigidum saxum jacenti homini aptatum, in quo febricitantes sæpissime sanitatem recipiunt.

(43) Ex hoc loco intelligitur (quod etiam manifestum est ex Actis S. Bertini abbatis) alium esse Waldebertum hunc a Walberto comite Arcensi, discipulo S. Bertini : nec Faræ germanum, aut Ecclesiæ Meldicensis episcopum fuisse, uti alias probatum.

(44) Sic nonnunquam contractis litteris mediæ ætatis auctores vocant pagum Tarvennensem, cui contiguus est vicus Herlerus, vulgo jam *Herly*, situs in comitatu Paulensi ad Romanas vias, inter Agnionis et Ediviniæ fluviorum capita, teste Malbranco in lib. IV de Morinis cap. 6.

viro familiarius adhærebat, interposita utriusque conditione pacti, ut quis eorum primus Domino vocante rebus humanis excederet, alter superstes locum sibi sepulturæ competentis ordinasset. Quod et ita contigit. Nam cum per quadraginta annorum spatium gloriosus confessor Domini Waldebertus locum sibi delegatum, omni virtutis genere optime dispositum augeret rebus et numero Deo servientium, multis miraculorum virtutibus adornatus migravit, ad Dominum VI Nonas Maias, supernorum civium socius et consors effectus, et ad januam perpetuæ jucunditatis feliciter introductus. In cujus obsequium funeris confluentibus undique fidelium turmis, in ecclesia beati Martini (45) quæ est constructa ex latere monasterii in parte aquilonari, composita a sancto Nicetio pontifice post aram crypta opere mirifico, Domino disponente dignissima ibidem conditus est sepultura.

Corpus ejus præsidium maxime contra paganos.

9. In quo videlicet loco, post gloriosum vitæ ejus excessum, ad honorem divini nominis plurima sunt ostensa miracula, cum cæcatis vultibus visus redditur, claudis rupta nervorum compagine gressus restauratur, infirmis aspirat sanitas, a membris ægrotantium pellitur invisa debilitas, mœstis solatia, adversis decidentibus præstantur beneficia: inter quæ etiam divina sunt virtutis commercia. Id certa ratione prior ætas dicitur comprobasse, quod exhibita pio debito jacenti honoris reverentia, quandiu manu hominis exstiterat sacri corporis sepultura, nec pravitas infidelium, nec ulla illic prævalere potuerit sæva irruptio paganorum. At postquam, seu ob paucioris præconii meritum, seu etiam aliquo compellente casu, supervenientium rerum sumpta inde reverendi corporis ossa alterius templi sunt illata sacrariis, nec nocitura impietas perversorum, nec defuerunt strages et infortunia crudelium nationum: cum etiam longe post pagani (46) subito illuc irrumpentes, omni conamine nisi fuerunt monasterium incendere, sed relisi manifesta Dei virtute, incassum visi sunt sua incendia admovisse. Quo etiam tempore, ut post dicetur, nonnulli monachorum a paganis inventi sunt interempti.

Successores ejus.

10. Decedente itaque ab hac vita, ut præfati sumus, Waldeberto pastore beatissimo, sanctus Ingofredus, omni virtutum genere conspicuus et perfectus, loco ejus est solemniter subrogatus. Deinde prolixa plurimornm temporum serie decurrente, in illo candido nivei monachorum agminis conventu patribus, ut in catalogo eorum facile est inveniri, sibi invicem succedentibus, nec pastoralis auctoritas defuit, et temporalis subsidii copia usque ad ultimum eorum abbatem, nomine Melinum, prospere perduravit. Hæc nos siquidem quasi per præoccupationem materiæ breviter prælibantes, cum nobis propositum non fuerit præteritorum temporum acta replicare, his omissis ad nostræ ætatis tempora, sicut sumus polliciti, redeamus.

Drogo etiam abbas Luxoviensis. Quo mortis genere extinctus.

11. Post memorabilem Caroli Magni (47) et gloriosi imperatoris obitum, orta fuisse dicitur inter quatuor reges dissensionis magnæ controversia, Carolum scilicet et Pippinum, Lutharium quoque et Ludovicum, rixantibus quoque et vi magna inter se decertantibus, cui eorum solius regni dominatio Franciæ specialius obveniret, quod jam quidem germanus eorum junior Carolus nutu patris decedentis singulariter acceperat. Quæ fraternæ litis impietas cum nulla posset ratione revinci, eo usque deducta est, ut convocatis utrinque regnorum cohortibus, dispositis bellantium cuneis, in fraternas acies vexilla solverentur. In qua acie Lutharii fugiente exercitu, juvante Warino Burgundiæ duce potentissimo Carolus victoriæ signa reportavit, ac sic regnum Franciæ divisis in cæteros regnorum partibus solus accepit. Drogonem (48) vero quintum, æque regnandi avidum, qui clarissimæ utpote ex eodem genere videbatur esse indolis, in clericum attondent, ac in sede Metensis Ecclesiæ pontificem constituunt. Hunc etiam ad amplioris supplementum honoris Luxovio pastorem præesse decernunt. Quem ille locum acceptum ita strenue post priorum studia et potentissime gubernavit, ut aucta rerum copia in quindecim mansorum millia suo tempore recensenda videretur. Hic interdum ille solito commoratus, dum amœnitate locorum fruitur, Lignonem vicinum fluvium gratia piscandi aggressus, dum piscem immanem sequitur, aquis lapsus subito præfocatur, Mettisque delatus in sancti Arnulfi confessoris Chisti ecclesia tumulatur. Post hæc tempora Ludovicus, cognomento Pius, in Francia papa Stephano coronante imperator efficitur. His diebus per plurima monasteriorum loca regularis ordo defecerat, et rerum temporalium administratio quotidianis malorum casibus deperibat. Hic tamen frequentibus synodalibus conciliis statum Ecclesiarum in pristinum pro viribus reparabat.

Ansegisus abbas.

12. Ea tempestate Luxoviensium quoque dignitas inter cætera pristino rigore tabescente jam pene vacillabat. Quod Cæsar Ludovicus expertus, Ansegisum (49) virum dignissimum, comptum mo-

(45) Ecclesia ista hactenus superest in meditullio oppidi Luxovii, estque parœcialis.

(46) Saraceni scilicet, et quidem anno (ut videtur) 731 ex dictis ad eum annum.

(47) Imo post Ludovici Augusti ejus filii obitum, cujus hi filii fuerunt. Alia etiam hic peccat auctor, ut cum Pippinum Fontanetensi prælio superstitem facit, cum Drogonem Ludovici filiis adnumerat, quem Ludovici Augusti fratrem, et eo vivente Metensem episcopum creatum fuisse constat.

(48) Id nemo, quod sciam, de Drogonis morte prodidit. Eo Luxovii abbate Angelomus libros Regum explanavit, uti ipse testatur in epistola nuncupatoria.

(49) In vulgato indice abbatum Ansegisus Drogoni præponitur et Drogo quidem Ansegiso supervixit.

tas (41) vocant, agmine collecto frequenti ruptione ab ipso jactu seminis et sationis incremento vastabant. Minister indignatus, cum eas nulla vi inde posset abigere, familiare damnum domino procurat intimari. At ille imperans : Vade, inquit, citius, et ordine pedestri numero integro subsequens reclude eas domi. Mox servo præcedente videres mœstas volucres mirum in globum deposita feritate colligi, ac pro jubentis nutu certo tramite quo ducebantur tectum subintrasse. Ita jam triduum aves illæ sine cibo agentes, beati viri tandem indulgentia relaxantur, dempta scilicet una de numero cæterarum, quam unus e familia furto sublegerat, et sibi male conscius in escas vorax temerator absumpserat. Illæ tamen volucres solutæ de carcere, elato in altum gemitu clamore replentes aera, tecta circumvolant, atque in aures sancti viri damnum sociale resolvunt. Qui mox causam intelligens, depositum inquirit, pœnas jussisse debitas pro crimine profitetur, non neces intulisse. Præsumptor ut furti reus pudore deprehensus, plumarum quas forte subduxerat ac quæque residua profert in medium. Ita vir sanctus facta oratione exanimem reparans, restaurato numero sinit abire lætantes, nunquam post hæc infra agrum illum irruptionem facere præsumentes. Hæc ergo jam tunc Dominus in servo suo dignabatur ostendere, quem disponebat postmodum sancto illi Luxoviensium monachorum gregi pastorali auctoritate præficere. Qui etiam si sic in minimis laicus potuit, quanto magis in maximis credendus est sub sancto habitu valuisse!

Eustasii monitis Luxovium se recepit. Solitarius vivit.

6. Hinc jam cum ad altiora tenderet, sæculo omnino renuntiare desiderat, Dei nutu ab beati patris Eustasii consultu Luxoviense monasterium, quod præ cæteris eo tempore regulari ordine districtius erat, copia rerum et numero monachorum excellentius præpollebat, devotus expetiit : ac traditis rerum suarum illic quæ per diversa loca amplissime possederat prædiis, armisque depositis, quæ usque hodie in testimonium sacræ militiæ ejus in eo loco habentur, servorum Dei numero adiit sociandus. Qui sanctæ oonversionis gratiam tanta est perfectione adeptus, ut etiam sancto Spiritu illustrante signa virtutum ostenderet, cum in alterius dispositione consisteret. Monstratur adhuc (42) denique locus, duobus a monasterio millibus disparatus, sub saxo quidem præeminenti concavus, aqua vero e terra prodeunte blandius irriguus, ubi cellulam sibi referunt statuisse ac contra vel carnis vel antiqui hostis tentamina non parvo tempore singulariter decertasse.

Eustasio sufficitur. Rem optime gerit.

7. Præterea pater Eustasius, sicut supra prælibavimus, signis et virtutibus quampluribus, ut in descriptione actuum ipsius sufficienter legitur, comprobatus, cum palma bonorum operum, Domino vocante, cœleste capitolium ingreditur coronandus. Qui etiam post sacram beati Petri apostolorum principis aram intra mœnia principalis eccleciæ, quam ipse cum patre Columbano condiderat, magnificam, ut par erat, sepulturam retentat. Nec patitur divina providentia sacrum ovile rectore destitui. Nam in illo sanctorum collegio cum forent plurimi, quos et sapientia et vita commendarat; tamen universi pari voto parique consensu Waldebertum virum æque sanctissimum loco patris decedentis decernunt, ac loci rectorum constituunt, certi de ejus virtute et meritis : quæ etsi in eo poterant augmentari, nulli dubium quin possent fixa deliberatione moveri. Nihil enim a pristino vigore agens remissius, exquisitis arctioris vitæ se districtionibus coercebat. Si quid vero in rebus vel cæteris utriusque vitæ commoditatibus tempore illorum duorum patrum, Columbani videlicet et Eustasii, imperfectum restabat, hic pastor beatissimus Waldebertus omni industria supplevit, auxit, et ad unguem perfectius elimavit. Villas quoque et prædia copiosa traditione publice facta in usus Monasterii contulit : inter quæ vicum quoque, quem superius *Nant* vocatum diximus, genuinum videlicet ejus (43) solum, cum membris adjacentibus sub interminatione tradidit : ut qui eum a loco auferret, æternæ maledictioni succumberet. In pago quoque Tarnensi (44) vicum Herlerum nomine cum omnibus ad se pertinentibus, seu quidquid in Pontivo solido jure possederat, obtulit : et omnium rerum suarum beatum Petrum apostolum in perpetuum hæredem esse constituit. Inter cætera quoque ejus donaria contulit etiam pretiosissimæ gemmæ poculum ex uno topazio, miro modo guttulis aureis, ut ejus est natura, interlitum, interposito anathemate, ut quisquis quacunque occasione exiude illud subtraheret, vel subtractum ausu temerario retinere tentaret, cum diabolo et angelis ejus æternis flammis in perpetuum cruciandus adesset, salva quoque auctoritate Francorum regum et procerum, qui usus admodum eo iempore ferebatur.

Nicetio episcopo familiaris, obit. Ab eo sepultus.

8. Sancto Nicetio episcopo magnarum virtutum

(41) Sic sancta Amalberga virgo ex agro suo fugasse dicitur aves quasdam *quas communi vocabulo gantas appellare placet.*

(42) Cernitur ad hunc usque diem, habeturque in spelunca sacra rigidum saxum jacenti homini aptatum, in quo febricitantes sæpissime sanitatem recipiunt.

(43) Ex hoc loco intelligitur (quod etiam manifestum est ex Actis S. Bertini abbatis) alium esse Waldebertum hunc a Walberto comite Arcensi, discipulo S. Bertini : nec Faræ germanum, aut Ecclesiæ Meldicensis episcopum fuisse, uti alias probatum.

(44) Sic nonnunquam contractis litteris mediæ ætatis auctores vocant pagum Tarvennensem, cui contiguus est vicus Herlerus, vulgo jam *Herly*, situs in comitatu Paulensi ad Romanas vias, inter Agnionis et Edivíniæ fluviorum capita, teste Malbranco in lib. IV de Morinis cap. 6.

viro familiarius adhærebat, interposita utriusque conditione pacti, ut quis eorum primus Domino vocante rebus humanis excederet, alter superstes locum sibi sepulturæ competentis ordinasset. Quod et ita contigit. Nam cum per quadraginta annorum spatium gloriosus confessor Domini Waldebertus locum sibi delegatum, omni virtutis genere optime dispositum augeret rebus et numero Deo servientium, multis miraculorum virtutibus adornatus migravit, ad Dominum VI Nonas Maias, supernorum civium socius et consors effectus, et ad januam perpetuæ jucunditatis feliciter introductus. In cujus obsequium funeris confluentibus undique fidelium turmis, in ecclesia beati Martini (45) quæ est constructa ex latere monasterii in parte aquilonari, composita a sancto Nicetio pontifice post aram crypta opere mirifico, Domino disponente dignissima ibidem conditus est sepultura.

Corpus ejus præsidium maxime contra paganos.

9. In quo videlicet loco, post gloriosum vitæ ejus excessum, ad honorem divini nominis plurima sunt ostensa miracula, cum cæcatis vultibus visus redditur, claudis rupta nervorum compagine gressus restauratur, infirmis aspirat sanitas, a membris ægrotantium pellitur invisa debilitas, mœstis solatia, adversis decidentibus præstantur beneficia: inter quæ etiam divina sunt virtutis commercia. Id certa ratione prior ætas dicitur comprobasse, quod exhibita pio debito jacenti honoris reverentia, quandiu manu hominis exstiterat sacri corporis sepultura, nec pravitas infidelium, nec ulla illic prævalere potuerit sæva irruptio paganorum. At postquam, seu ob paucioris præconii meritum, seu etiam aliquo compellente casu, supervenientium rerum sumpta inde reverendi corporis ossa alterius templi sunt illata sacrariis, nec nocitura impietas perversorum, nec defuerunt strages et infortunia crudelium nationum: cum etiam longe post pagani (46) subito illuc irrumpentes, omni conamine nisi fuerunt monasterium incendere, sed relisi manifesta Dei virtute, incassum visi sunt sua incendia admovisse. Quo etiam tempore, ut post dicetur, nonnulli monachorum a paganis inventi sunt interempti.

Successores ejus.

10. Decedente itaque ab hac vita, ut præfati sumus, Waldeberto pastore beatissimo, sanctus Ingofredus, omni virtutum genere conspicuus et perfectus, loco ejus est solemniter subrogatus. Deinde prolixa plurimornm temporum serie decurrente, in illo candido nivei monachorum agminis conventu patribus, ut in catalogo eorum facile est inveniri, sibi invicem succedentibus, nec pastoralis auctoritas defuit, et temporalis subsidii copia usque ad ultimum eorum abbatem, nomine Melinum, prospere perduravit. Hæc nos siquidem quasi per præoccupationem materiæ breviter prælibantes, cum nobis propositum non fuerit præteritorum temporum acta replicare, his omissis ad nostræ ætatis tempora, sicut sumus polliciti, redeamus.

Drogo etiam abbas Luxoviensis. Quo mortis genere extinctus.

11. Post memorabilem Caroli Magni (47) et gloriosi imperatoris obitum, orta fuisse dicitur inter quatuor reges dissensionis magnæ controversia, Carolum scilicet et Pippinum, Lutharium quoque et Ludovicum, rixantibus quoque et vi magna inter se decertantibus, cui eorum solius regni dominatio Franciæ specialius obveniret, quod jam quidem germanus eorum junior Carolus nutu patris decedentis singulariter acceperat. Quæ fraternæ litis impietas cum nulla posset ratione revinci, eo usque deducta est, ut convocatis utrinque regnorum cohortibus, dispositis bellantium cuneis, in fraternas acies vexilla solverentur. In qua acie Lutharii fugiente exercitu, juvante Warino Burgundiæ duce potentissimo Carolus victoriæ signa reportavit, ac sic regnum Franciæ divisis in cæteros regnorum partibus solus accepit. Drogonem (48) vero quintum, æque regnandi avidum, qui clarissimæ utpote ex eodem genere videbatur esse indolis, in clericum attondent, ac in sede Metensis Ecclesiæ pontificem constituunt. Hunc etiam ad amplioris supplementum honoris Luxovio pastorem præesse decernunt. Quem ille locum acceptum ita strenue post priorum studia et potentissime gubernavit, ut aucta rerum copia in quindecim mansorum millia suo tempore recensenda videretur. Hic interdum ille solito commoratus, dum amœnitate locorum fruitur, Lignonem vicinum fluvium gratia piscandi aggressus, dum piscem immanem sequitur, aquis lapsus subito præfocatur, Mettisque delatus in sancti Arnulfi confessoris Chisti ecclesia tumulatur. Post hæc tempora Ludovicus, cognomento Pius, in Francia papa Stephano coronante imperator efficitur. His diebus per plurima monasteriorum loca regularis ordo defecerat, et rerum temporalium administratio quotidianis malorum casibus deperibat. Hic tamen frequentibus synodalibus conciliis statum Ecclesiarum in pristinum pro viribus reparabat.

Ansegisus abbas.

12. Ea tempestate Luxoviensium quoque dignitas inter cætera pristino rigore tabescente jam pene vacillabat. Quod Cæsar Ludovicus expertus, Ansegisum (49) virum dignissimum, comptum mo-

(45) Ecclesia ista hactenus superest in meditullio oppidi Luxovii, estque parœcialis.

(46) Saraceni scilicet, et quidem anno (ut videtur) 731 ex dictis ad eum annum.

(47) Imo post Ludovici Augusti ejus filii obitum, cujus hi filii fuerunt. Alia etiam hic peccat auctor, ut cum Pippinum Fontanetensi prælio superstitem facit, cum Drogonem Ludovici filiis adnumerat, quem Ludovici Augusti fratrem, et eo vivente Metensem episcopum creatum fuisse constat.

(48) Id nemo, quod sciam, de Drogonis morte prodidit. Eo Luxovii abbate Angelomus libros Regum explanavit, uti ipse testatur in epistola nuncupatoria.

(49) In vulgato indice abbatum Ansegisus Drogoni præponitur et Drogo quidem Ansegiso supervixit.

ribus et sapientiæ decore præpollentem, loco præficit in pastorem. A Hic collapsa reparat, dispersa recolligit, situm Ecclesiæ longius extendit, circumpositas officinas amplioribus spatiis atque altioribus muris exporrigit, parietes quoque Ecclesiæ cum cæteris ornamentis pulchra varietate depingit. Capitula siquidem regum Francorum quæ diversis fuerant acta conciliis, excepit, et uno volumine contineri fecit. Cumque inter regni proceres Francorum regibus gratus esset, justis et piis operibus intentus vitæ finem fecit, et illic ubi spatiosius Ecclesiam extenderat, dignam accepit sepulturam.

Fulbertus abbas Gibardus. Galliarum infelix status. Reliquiæ in rerum invasores delatæ.

13. Fulbertus quoque, vir quidam illustris, procedenti tempore in eodem loco constituitur : qui B etiam sanctorum oratoria inter duo monasteria pulchro satis decore composuit, rebusque decentibus adornavit. Post hæc longe paganis, ut prædiximus, irruentibus, monachis fama terroris subiti per diversa reptantibus, Gibardus vir genere et doctrina clarissimus, qui pastor monasterii et abbas eo tempore fuerat constitutus, dum longius ad alias partes fuerat digressus, paganorum (50) sagittis confoditur, atque in loco qui Martini villa dicitur, sepelitur. Tetelmus quoque monachus honorabilis inter suos, non longe a monasterio inventus est cum aliis quibusdam interfectus. Hinc jam usque ad hæc nostra tempora pastoribus decedentibus, Richardo (51) magno duce Burgundiæ, dum invisi tyranni passim cœpissent emergere, ac sese invicem mutua strage collidere, C Ecclesia Dei confunditur, jura rumpuntur (*l.* violantur), legum statuta rumpuntur, possessiones Ecclesiæ pervaduntur, et ab impiis undique rapiuntur. Sacris non est reverentia locis, sed prævalente nequitia impiorum totus pariter concidit honor religionis : quod nimium habitatores Luxoviensis cœnobii peccatis exigentibus pleniter sunt experti ; nam villas et possessiones eorum in hæreditatem sibi diripuerunt manus alienorum. Cumque rex non esset et judex, qui veræ intuitu justitiæ huic impiorum pravitati vellet ex toto resistere, compulsi sunt quamplurimi clericorum contra temeratam audaciam diripientium suorum pignora circumferre sanctorum, ut quos potestas humana non compesceret, virtus ostensa divine coerceret. Inde est quod loci hujus incolæ alibi fiduciam non habentes, contra D nequitiam perversorum sancti Waldeberti sui defensoris latis corporis ejus pignoribus soleant inferre virtutem, ut qui quondam temporalis militiæ sacramenta servasse visus fuerat, ipse quoque inter casus suorum fidelium pius propugnator assistat. Cujus rei experimentum se ultro ingerit, si consideretur virtutis ejus potentia, quam frequenter ostendit.

S. Waldeberti corpus in primis.

14. Villa marinis littoribus contigua, quæ superius Herlerium est vocata, tyrannorum vi sublata fuerat. Monachi ancipiti in discrimine positi, sancti Waldeberti protectoris sui suffragium expetunt, sanctorumque pignorum ejus glebam sibi imponentes, per fines Franciæ illuc iter intendunt. Quibus abeuntibus subito Mantne (*l.* Materna) fluvius obvius occurrit. Quem cum transmittere cupiunt, plurima præcedente turba populorum sacri pignoris gleba citra littus constiterat. Monachi in articulo positi quid facerent nesciebant. Mira dicturus sum. Mox navis divino impulsu a remige illuc absque humano juvamine sponte perducitur, qua sancti corporis gleba tenebatur. Mirati comites tanta facultate fluvio transducti, quanta catenus nunquam fuerant experti. Hinc itaque procedentes, paulo post ad prædium perveniunt *Nant* (52) superius memoratum : ubi videlicet ipse et vitæ exordium temporaliter sumpserat, et quibusdam miraculorum signis vivens illustrarat. Hic comperta corporali ejus præsentia, dici non potest, quanta utriusque sexus illuc confluxerit populorum frequentia. Inter quæ ob beneficiorum ejus gratiam cum diversa donorum munera cum gleba sancti viri inter frondes arborum præ turba irruente decernerent appendi, quoddam ligneum poculum a quodam contigit offerri. Hoc unus e famulis servandum acceperat. Quod cum quidam lascivus juvenis et petulans ab illo peteret sibi dari, cum forte videretur indignus promereri, ille exempto ense viri Dei obsequio deditum gladio nisus est appetere. Cumque in eum librasset ictum, subito ferientis dextera ligatur in aere. Sic ille sine patibulo cœlo suspensus amens redditur, sensu confunditur, fixus tellure tenetur, nec prius potuit sibi reddi, quam oratione illorum, quibus nociturus venerat, mereretur absolvi. Ita plurimorum pectora terror perstrinxerat hujus facti. Denique hic aliquantisper a populo detenti resumunt iter quod cœperant, ad Herlerum veniunt quo tendebant. Insurgunt undique injusti pervasores, volentes eos a finibus repellere, quos sui dispendio cernebant advenisse. Sed sancti viri virtus terrore mentes edomat impiorum, et suis reformat domestica prædia, quæ alienorum factionibus fuerant direpta. Ita, licet cum labore, rebus compositis, cum sacris pignoribus monachi obsequentes lætiores redduntur propriis laribus.

Invasores puniti.

15. Vicus est iterum non ignobilis, Provincherias suo vocabulo dictus, pene viginti millibus a monasterio disparatus : quem videlicet vicum quidam miles pervaserat, inter suos nominatissimus. Ad quem angustia imminenti, quia deerat suffragium terreni defensoris, sancti viri glebam imperabat ne-

(50) Id est Nortmannorum. Quod existimo accidisse anno Domini 888, quo cæsi ab eisdem monachi Besuenses, teste Johanne monacho Besuensi in Chronico, Spicilegii tomo II.

(51) Richardus Burgundiæ dux strenuus adversus Nortmannos, mortuus est anno tertio post obsidionem Carnutum, teste Hugone monacho Floriacensi, quæ contigit anno 891.

(52) Hinc conjicimus Nantum, Waldeberti natalem locum, esse oppidum Nantogilum, *Nantueil*, quod e Burgundia Materram prætervectis obvium est, ubi hactenus est prioratus ordinis Cluniacensis.

cessitas deportari. Qua in ecclesia illic propria collocata miles indignatus cœpit furere, irasci, sancto derogare, bacchari et insanire, affirmans res ecclesiæ ditioni suæ libere subjugare. Denique cum quadam die tumidus et elatus equo spumanti per subterpositum ecclesiæ campum solutis habenis cursu ferretur præpeti, crure fracto equus in præceps concidit; ipse vix casum evadens, in proximo a milite interfectus, villam usque in præsens sancto Petro libere possidendam reliquit.

16. Alio quoque tempore Rotbertus quidam miles, viribus potens et opibus, cum nepote Berardo in pago Divionensi Caciacum villam apprime viniferam; Hubaldus vero Molisiacum in pago Belnensi, res videlicet Luxoviensis Ecclesiæ, satis iniqua dominatione possidebant. Quare monachi cum principibus Burgundiæ sæpius conquesti, prævalere non poterant. Inito igitur Letoldi comitis consultu eo tempore, quo rex Lotharius (53) pulsa obsidione Burgundiorum sub ditione sua Divionense receperat castrum; monachi notum repetunt suffragium, sancti Waldeberti pignus venerabile illuc constituunt deferendum. Quo cum pervenissent, medio villæ tentorium competenter cum sacro loculo statuunt, cum repente hostes armati ferro et animis, Berardus videlicet cum suis, advenientes quidem cum suo defensore non audent contingere. Villam tamen solito more corripiunt, familiam male opprimunt, alimentorum sumptus copiosius ac durius exigunt; sicque cibo rapaciter et vino perfusi, monachis inedia laborantibus, nocte irruente, sopore membra protensa resolvunt. Ecce subito noctis medio eorum princeps, Berardus videlicet, febre corripitur, morbo dysenteriæ membra torquentur, fluxu ventris undique coarctatur. Vixque auroram præstolatus monachos adit, ante præsentiam sancti corruit, reatus sui pœnitentiam agit : sicque indulta sanitate, villa Caciacus ex tunc et nunc alieno eruitur possessore, domini proprii potitur libertate.

17. Hubaldus vero miles, licet in rebus sanctuarii avidus, alias tamen vir probus, et ut armis, ita etiam moribus modestus, quem in pago Belnensis provinciæ apud Molisiacum villam monachorum vini et frugum redditus diximus subjugasse. Visis hujus sancti virtutibus territus et miraculis, in reliquum, licet nolens, possessionem suam ecclesiæ dereliquit.

Alia miracula.

18. Alio post hæc tempore iidem monachi in pago Alsgodiensium, tyrannorum infestatione prorumpente, quarumdam rerum suarum fuerant dispendia passi. Hac perurgente necessitate eas habita deliberatione decernunt partes adire, habentes secum fidei tutamina; sacra videlicet reliquiarum (34) pignora ex membris sancti Eustasii, nec non S. Waldeberti confessoris Domini gloriosi, in quo itinere non longe a monasterio, apud villam quæ Sanctæ Mariæ dicitur, primum sunt hospitati. Deinde locum qui Campaniolas vocatur aggressi, quarto demum die illuc perveniunt, quo fuerant malorum improbitate provocati. Erat in illo comitatu non parvus numerus tam ex monachis quam ex ministrantibus, cum quibus ierat abbas et episcopus, nomine Aaloncus. Pervenientes itaque ad locum destinatum, quia alibi locus aptus non fuerat, in prato quodam quod eis contradicebat, super unius quercus abscisæ truncum statuunt. Ad famam igitur tantæ novitatis pluribus concitatis, cerneres promiscui sexus infinitam populorum multitudinem illuc repente confluxisse, non solum ex vicinis, sed ex longinquis partibus, locis, villis et oppidis mirum in modum conglobati omnes conveniunt : ac mox campum replentes, una voce, consona devotione omnipotentis Dei nomen et sancti Waldeberti cuncti invocant, suis incommodis opportuna suffragia petunt. Ut autem declararet divina potestas sanctorum suorum etiam corporale adesse beneficium, fit subito tantus de cœlo strepitus, tantus terror, ac in modum tonitrui sonus vehemens concitati, ut terra, sicut eis videbatur, tremente, vix præsentes populi supra pedes consisterent, ac quisquis illorum qua parte esset constitutus nescirent. Illi attoniti, et de ea re quæ acciderat nimium pavefacti, postquam virtute reddita ad semetipsos sunt reversi (mira dicturus sum), videres avem in figura columbæ per serenum aera de sublimibus descendisse, ac blande volatu super loculum sanctum familiariter circumvolasse : quæ deinde expleto cursu cœli secreto recipitur, quo manifeste advenisse probatur. Hinc virtus utriusque sancti cœpit ostendi. Mox etenim duo propriis diu luminibus orbati, ea hora qua avis prædicta visa est abscessisse, sine ductu alterius recepta luminis claritate ineunt gaudentes ad sua festinanter properare. Deinde quoque alii duo complicita nervorum nodositate catenatis quasi membris toto corpore astricti, aliorum manibus sacris pignoribus illati, divina virtute ostensa in pedes sunt subito erecti, et ad propria absque humno juvamine lætantes sunt reversi, ac terram quam prius calcare nesciebant, novo docti itinere liberis gressibus Dominum glorificantes et sanctum Waldebertum prævium habentes ambulare cœperunt.

19. Huic itidem loco castrum cernitur esse contiguum, quod priori tempore Montem Biliardæ (55) novimus esse cognominatum. Hujus oppidi incolam nomine Utonem, non ab ignobili genere oriundum, pluribus notum fuisse satis est compertum. Hic nervis coactis et corporis facultate privatus manibus

(53) Lotharius regnavit ab anno 954 in annos triginta. Hinc auctoris ætatem disce, qui successor ponitur Aalonci, aliis Adalonci inferius memorati.

(54) Reliquiarum S. Eustasii pars quædam in cœnobio Luxoviensi asservatur, scrinio oburneo et argenteo inclusa.

(55) *Montbéliard* oppidum munitissimum in comitatu Burgundiæ.

per terram repens ire non poterat, nisi vel equo, vel asino sessore uteretur. Hic itaque ad locum perductus est cum summa devotione, quo sancti hujus venerabile pignus cognoverat constitisse. Venit igitur, lacrymis humum perfudit, sancti nomen invocat, suffragium exposcit : nec ante a loco discedit, donec divina virtute ruptis nervorum nexibus redit ad propria, pristina incolumitate donatus.

20. Et quoniam tamporis et ejusdem beneficii se opportunitas dedit; non piget iterum aliud ad laudem divini nominis referre, quod in re simili vir iste sanctus dissimiliter est operatus. In pago siquidem rusticorum usu Warascum (56) nuncupato, ætate priore fuisse quemdam virum novimus, qui proprio fuerat Bernericus nomine dictus. Qui quidem generis erat libertate potitus, sed tamen toto corpore et nervis astrictus, nulla facultate poterat solide terris affligere gressus. Hic biroto carpento impositus quocunque esset ducendus, unius bovis et famuli videbatur esse contentus. Qui audita virtute sancti, juncto bove ac ministro præmisso carpento impositus, pervenit ad locum, quo se duci fuerat deprecatus. Ante præsentiam sancti in terra prostratus diu decubat, cum lacrymis preces miscet, et familiarem bovem sancto Waldeberto non tardans polliceri, si hac corporis incommoditate mereretur absolvi. Cujus quidem vir sanctus non est dedignatus suscipere gemitum supplicantis, sed tamen præsentem distulit impendere sanitatem. Nam non impetrato quod diu rogaverat, mœstissimus abscedebat. Cumque aliquantulum itineris rediens peregisset : O sancte, inquit, Waldeberte, placetne tibi quod tristis veni, tristior recedo? Hæc dicens plaustrum stare jubet, terram petit, bovemque in pascua resolvit : cum subito sanus factus concitus redit, gratias agit, bovem ductorem obtulit, ac firmatis gressibus ad domum lætissimus redit.

21. Quædam iterum femina genere nobilis, gravissimo tenebatur morbo ejusdem contractionis, destituta solatio corporeæ facultatis. Quæ cum jam consequendæ salutis commercio desperata videretur, ad locum eumdem (57) se petiit deportari. Ubi cum diutinis precibus et lacrymis insisteret, repente sanata non sine admiratione multorum in pedes constitit. Sed cum adepta sanitate vellet inde recedere, in itinere jam posita subito in terram concidit, et in eumdem contractionis morbum astrictam se esse cognovit. Suspiciens cœlum ingemuit, et rursus ad locum se referri fecit. Ubi cum pristinam sanitatem recepisset, quasi aliquantulum jam secura, res necessarias revisere cupiens a loco discedit, et abire jam cœpit. Sicque in itinere jam constituta, rursus in unum corporis globum contrahitur, atque denuo ad locum refertur. Sicque factum est, ut quotiescunque inde abire voluisset, in eumdem morbum concideret, donec tandem recepta sanitate animum fixit, et usque ad ultimum vitæ suæ tempus in eodem loco permansit.

(56) Eustasius abbas et cum eo Agilus *Warascos* ab erroribus revocasse dicuntur.

(57) Reliquiæ S. Waldeberti hactenus in ecclesia Luxoviensi coluntur, caput quidem in argentea effigie, reliquæ corporis partes in theca ex argento deaurato, ut me monuit jam laudatus R. P. Constantinus Gravellius, cui plurimum in his adnotationibus debemus. S. Waldeberti translatio (forsan elevatio) Luxovii celebratur Maii die 16, uti et SS. Eustasii et Columbani.

ANNO DOMINI DCCCCXCIV

SANCTUS AYMARDUS

ABBAS CLUNIACENSIS III

VETERUM DE S. AYMARDO ABBATE CLUNIACENSI TESTIMONIA

(Ex *Bibliotheca Cluniacensi*, edente D. Marrier.)

I.

S. Odilo abbas Cluniacensis in Vita S. Maioti prædecessoris sui.

Huic (Odoni) successit felicis memoriæ Heymardus nomine, beatæ simplicitatis et innocentiæ filius. Hic in augmentatione prædiorum, et acquisitione temporalis commodi adeo studiosus fuit et in observatione satis devotus. Hic et amissionem temporalis luminis, et quidquid sibi adversitatis accidere potuit, absque omni murmuratione et indignatione patientissime tulit. Hic etenim vir ob meritum patientiæ, simplicis et innocentis vitæ, tanto taliqne a Christo ditatus est munere, ut ejus tempore ad amorem monastici ordinis auctorem nostræ salutis beatum Maiolum dignatus est accersere.

II.

Glaber Rodolphus lib. III *Historiæ, cap.* 5.

Post Odonis obitum successit Heimardus vir simplex in ipsius locum, qui, licet non adeo famosissimus, regularis tamen observantiæ non impar custos.

A

III.

Petrus Damianus cardinalis, lib. II *Epistolarum, epistola* 14.

A venerabilis plane Cluniacensis cœnobii fratribus didicisse me contigit insignia duo sanctæ humilitatis exempla, quorum unum non mediocriter quosque prælatos, alterum valet ædificare subjectos. Marcuardus (Aymardus, *vel* Ademarus) certe ejusdem rector ecclesiæ Maiolum sibimet substituit, et grandævæ jam senectuti suæ quietis otium procuravit. Hic itaque dum privatus in infirmorum maneret ædicula, quadam advesperascente die caseum petiit, quem cellerarius pluribus, ut fieri solet, intentus, non modo dedit, sed et duris insuper ministrum ejus responsionibus fregit. Conquestus est abbatum turbam, nec posse se tot dominorum perferre molestiam. Quo senex audito, non mediocre scandalum pertulit : et quia lumen oculorum prorsus amiserat, dolor in ejus corde tenacius hæsit. Nam quo
B
cæcus a visibus vacat, eo quicquid audierit, in corde subtilius versat : et quia per exteriora quæque non spargitur, interiori zeli stimulo truculentius inflammatur. Mane vero facto, ministro suo, ut sese ad manum in capitulo duceret, jussit. Adductus autem, talibus Abbatem aggressus est verbis : Frater, inquit, Maiole, non ego te super me, ut me persequeris, imposui, nec ut tanquam emptor mancipio dominareris : sed ut revera patri filius compatereris, elegi. Et post hujusmodi multa, propemodum commotus, adjecit : Esne, quæso, meus monachus ? Quo respondente : Sum, tuumque me non magis fuisse, quam et nunc esse, profiteor. Et ille : Si meus, inquit, es monachus, protinus cede sedi, et locum, quem ante noveras, repete. Quo Maiolus audito, repente surrexit, humilem locum prout jussus fuerat, expetivit. Marcuardus (Aymardus) itaque quasi postliminio reversus, vacantem occupat sedem.
C
Cellerarium, cui fuerat infensus, accusat, quem mox terræ prostratum durius corripit, tandemque modum pœnitentiæ, qui sibi videbatur, injungit. Perfunctus itaque tam longi tribunatus officio, præsto dethronizatus assistit ; Maiolo, ut ad suam sedem redeat, præcipit. Ille confestim nil cunctatus obedit.

IV.

Sigebertus Monachus Gemblacensis, ad annum 937 (944.*)*

Obiit sanctus Odo abbas Cluniacensis : succedit ei Ademarus. *Et ad ann.* 943 (954). Ademarus Cluniacensium abbas substituit sibi abbatem Maiolum.

V.

Vincentius Bellovacensis lib. XXVI *Speculi Historialis, cap.* 68.

D
Porro sancto Odoni successit Ademarus sive Heimardus simplicitatis et innocentiæ filius. Hic in augmentatione prædiorum, et acquisitione commodi temporalis fuit studiosus, et in observantia regulari devotus. Amissionem luminis temporalis, et quicquid sibi adversitatis accidere possit, absque omni murmure et indignatione patientissime tulit.

VI.

Chronicon Lemovicense ms. ad annum 941.

Sub hoc tempore S. Odo abbas Cluniacensis dormivit in Christo, cui Ademarus successit, qui cum sex annis rexisset Cluniacense cœnobium, sanctum Maiolum sibi constituit abbatem, virum fervoris eximii, et admirandæ abstinentiæ, reparatoremque præcipuum monasticæ disciplinæ.

VII.

Wornerus Rolewinkius in Fasciculo temporum, ad annum 934.

Adamarus vir sanctus, successor S. Othonis (Odonis) abbatis Cluniacensis.

VIII.

Joannes Trithemius lib. III *de Viris illustribus ordinis S. Benedicti, cap.* 218.

Adamarus post Odonem secundus abbas Cluniacensis monasterii, vir in scripturis sacris eruditus, morum conversatione sanctissimus, lumine oculorum orbatus, velut alter Job, in medio fratrum suorum exemplar patientiæ et humilitatis enituit. Claruit anno Domini 932 (932), *electus enim an.* 944). Cujus festum agitur apud Cluniacenses Idib. Septembris.

IX.

B
Martyrologium monasticum Benedictinum, ad III *Nonas Octobris.*

In cœnobio Cluniacensi depositio S. Aymardi abbatis, sanctitate et miraculorum gloria celebris.

X.

Chronicon Cluniacense.

Aymardus primus, abbas tertius Cluniaco, eligitur anno nongentesimo quadragesimo quarto. Nam fratribus super electione abbatis agentibus concilium, idem sanctissimus Aymardus a Caviniis sua obedientia rediens, equum super quem sedere consueverat ante se ipse pedes piscibus onustum ducens concilio eorum admiscetur, omnibus humilitatem ejus admirantibus. Itaque ejus humilitate obtinente abbas eligitur, et ab Eduensi episcopo, nomine Rothmundo, regnante Ludovico, consecratur.

Iste Aymardus fuit filius Engolismensis comitis, ut refert Richardus in sua Chronica. Qui propter
C
morum honestatem, et suam nobilitatem multis monasteriis in Aquitania præfuit.

Sub isto Aymardo fuit factus monachus sanctus Maiolus Matiscensis archidiaconus, nobilibus parentibus ab infantia nobiliter enutritus.

Venerabilis itaque pater Aymardus fuit simplicitatis et innocentiæ filius. Hic in augmentatione prædiorum, et acquisitione commodi temporalis fuit studiosus, et in observantia regulari devotus. Amissionem luminis temporalis, et quidquid sibi adversitatis accidere potuit, absque omni murmure et indignatione potentissime tulit. Qui tandem tota corporis valetudine destitutus, et oculorum lumine privatus, habito fratrum concilio anno 954 in loco suo sanctum Maiolum instituit. Qui in capitulo existens, in hæc vel similia prorumpens verba, ait. « Ex magnanimi regis audacia novimus in milites spiritum fortitudinis derivari : sicut ab opposito negligentia remissi ducis commilitonibus animum
D
dissolutionis inspirat. Adversa capitis valetudo toto redundat in corpore, sicut eo incolumi permanente, membra certa sospitate et gaudio penitus hilarescunt. Rex etenim formidolosus et pavidus, si terga vertat, si fuerit elapsus in fugam, nunquid non statim quisque fortissimus et virilis femineo pavore solvetur? Quis in capite molestiam sustinens, et in membro patiens principali, non illico totis animi et corporis viribus elanguescat? Quorsum evadat oratio, perspicuum est. Ego enim vobis in cœlesti militia ducatum præbens, et more capitis toti humano Ecclesiæ corpori providentiam exhibens generalem, senio et debilitate confectus, officio meo responsum operis exhibere non possum. Processi in dies multos, etiam grandævus et senex, totius virtutis in me defectum sentio naturalem : facilis excursus annorum me ignorante deprædatus est vires meas. Caligant oculi, luminum acies tota retunditur, et sensuum veritas imminuta sentit directionis suæ injuriam,

Licet sit animus perseverans, et spiritus victor annorum, totius tamen corporis ruinam passus excubias ordinis celebrare non possum. Providebat sibi discretio vestra pastorem, qui præcedat vos in via Dei, et veluti columna luminis in nocte offensionis dirigat gressus vestros. Navis sine remige commissa ventis, non enavigare ad portum, sed illidi scopulis, et mediis insepeliri fluctibus consuevit. Castrensis militiæ multitudo, nisi ducis legibus informetur, præsentia muniatur, firmetur auxilio, sævas circumfrementium hostium manus incurrit : Ecclesia viduata rectore, dum non habet oculum providentiæ, quo regatur, foveam præcipitationis offendit. » Cum hæc et similia venerabilis senex Aymardus in virtute spiritus loqueretur, et ad ejus vultum et verba circumsedentium mentes et oculi raperentur, adjecit : « Vobis quidem incumbit electio, et vestrum erat communi providentia præfecisse pastorem Sed quoniam in nostræ discretionis judicio vestri quoque posuistis arbitrii libertatem, de Domini misericordia pie præsumens, hortor atque commoneo ut fratrem Maiolum in custodiam gregis Domini substituatis vigilem et rectorem. » Quo facto ipsum ab episcopo Cabilonensi nomine Holdebado ordinari rogavit. Et deinde post resignationem vixit gloriosus Aymardus novem annis in Cluniaco, et ibi obiit anno 953, III Nonas Octob., jacetque in prædicta veteri ecclesia retro altare beatæ Mariæ.

SANCTI AYMARDI

CHARTULARIUM

(Apud D. Marrier, *Bibliotheca Cluniacensis*, ex chartario Cluniacensi.

I.

Privilegium domni Agapeti papæ domno Aymardo concessum.

(Vide inter epistolas et privilegia Agapeti II, hujus nostræ Patrologiæ tom. CXXXIII.)

II.

Præceptum Ludovici regis Francorum de sancto Joanne Matisconensi.

(Anno 946.)

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, LUDOVICUS divina ordinante providentia rex.

Si enim precibus servorum Dei, pro sanctæ Dei Ecclesiæ, et eorum utilitatibus assensum præbemus, regalem procul dubio exercemus dignitatem, et hoc imposterum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium et nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum industria, quia adierunt nostri principes, Hugo videlicet dux Francorum, et alter Hugo dux Burgundionum, necnon et Letaldus comes, nostram regiam serenitatem deprecantes, quatenus Cluniaco monasterio in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli consecrato, quasdam res concederemus per regale præceptum, ecclesiam videlicet in honore sancti Joannis dedicatam in suburbio Matisconensi situatam, cum omnibus rebus ad eamdem ecclesiam pertinentibus, villam etiam ejus, Hosam, Malorem, Exboscum, et villam Senosanam cum terris, pratis, silvis, aquis majoribus, rivis minoribus, vivariis, stagnis, fossis, et portu de supra jam dicta Hosa, et aliis portis, cum pascuis, exitibus, et regressibus, et omnibus adjacentis et universis piscariis, quæsitum et inquirendum, et cum Arnulfo et uxore sua et filiis et filiabus eorum, seu omnibus servis et ancillis vel infantibus ad supradictas res aspicientibus, seu alodiis eorum foris et intus ubicunque dispersis, excepto tertio tractu de Hosa, quod pertinet ad S. Vincentium. Sit......... etiam de Davaiaco cum uxore sua, filiis et filiabus, cum universis alodiis et rebus suis, et omnia quæ in dicto comitatu tenet : quod tam pro amore beatorum apostolorum Petri et Pauli, quam etiam pro statu regni nostri simul et Principum nostrorum, ac omnium fidelium Christianorum salute voluntarie fecimus, eorumque piæ et devotæ petitioni libenter annuimus. Præcipientes ergo jubemus, ut deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo prædicti Christi testes, beatus Petrus et Paulus, vel abbas eorum, seu monachi eisdem ipsis Christi apostolis servientes teneant atque possideant, et quidquid exinde facere vel judicare voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Et ut hæc nostra auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Signum Ludovici Regis.

Rorigus cancellarius ad vicem Acardi recognovit.

Actum Capriniaco villa Kal., Jul. anno XI regni Ludovici regis, quando etiam Franciam recuperavit.

III.

Charta ejusdem regis, de Tusiaco.

(Anno 946.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, LUDOVICUS divina propitiante clementia rex.

Si enim precibus servorum Dei pro sanctæ Dei Ecclesiæ statu, necnon et eorum utilitatibus, assensum præbemus; regiam in omnibus conservamus dignitatem : et hoc imposterum jure firmissimo, et inviolabiliter fore permansurum decernimus. Idcirco sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque noverit industria, præsentium scilicet et futurorum, quoniam

illustrissimi principes regni nostri, Hugo videlicet dux Francorum,et alter Hugo dux Burgundionum, et Letaldus comes, nostræ Regiæ serenitatis adierunt excellentiam, deprecantes quatenus Cluniaco monasterio in honore beatorum Petri et Pauli apostolorum consecrato, quandam villulam de ratione vicecomitatus Lugdunensis per regale concederemus præceptum. Est vero ipsa villa sita in eodem pago Lugdunensi super Ararim fluvium,quam cum omnibus rebus ad eam pertinentibus donamus, vineis scilicet et campis, terris, pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus majoribus, et rivis minoribus, vivariis, stagnis, fossis, et portu, cum exitibus et regressibus,cum pascuis et omnibus adjacentiis,et universis piscatoribus et piscatoriis, ceu omnibus servis et ancillis, vel colonis, cum infantibus suis, et omni agnatione eorum, quæsitum et inquirendum, totum et ad integrum cedo atque transfundo pro Dei amore, et beatorum apostolorum ejus, pro statu et stabilitate regni nostri, simul et principum nostrorum, atque omnium Christi fidelium, vivorum scilicet ac defunctorum salute. Præcipientes ergo jubemus, ut deinceps per hanc nostræ sublimitatis auctoritatem jure firmissimo, prædicti Dei judices, beati videlicet Petrus et Paulus, vel abbates et rectores præfati cœnobii eorum, seu etiam monasterii ejusdem, Christi apostolicis servientes,teneant atque possideant,et quidquid exinde facere vel judicare voluerint, liberum in omnibus potiantur arbitrium ordinandi et faciendi quidquid elegerint. Et ut hæc nostræ celsitudinis auctoritas firmior habeatur, et per ventura tempora melius conservetur, de annulo nostro subter sigillari duximus.

Signum Ludovici regis.

Rogerius cancellarius ad vicem Acardi recognovit.

Actnm Caprinacio villa, Kal. Julii, anno XI regni Ludovici regis, quando etiam Franciam recuperavit.

IV.

Præceptum ejusdem regis de Cariloco, et Reginaldo, et Ecclesia beati Martini Turonensi pertinente, in surburbio Matisconensi sita.

(Anno 946.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, LUDOVICUS divina propitiante clementia Francorum rex.

Si enim precibus servorum Dei pro sanctæ Dei Ecclesiæ statu,necnon et eorum utilitatibus assensum præbemus,regiam procul dubio conservamus dignitatem,et hoc in posterum jure firmissimo et inviolabili mansurum fore decernimus.Igitur omnium universalis sanctæ Dei Ecclesiæ,nostrorumque fidelium noverit industria, præsentium scilicet ac futurorum, quoniam inclytissimi principes regni nostri, Hugo videlicet dux Francorum, et alter Hugo, dux Burgundionum, necnon et Leucaldus (Letaldus) comes nostræ regiæ serenitatis adierunt excellentiam, deprecantes quatenus Cluniaco monasterio,
A in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli consecrato, quoddam monasterium in honore S. Stephani consecratum, quod cognominatur Carilocus, et cellam sibi pertinentem Regniacum in veneratione S. Martini dedicatam per regale concederemus præceptum : ecclesiam etiam de ratione beati Martini Turonensis pertinentem in suburbio Matisconensi sitam. Hæc vero loca superius denominata in pago Matisconensi sita cum omnibus rebus sibi pertinentibus, ecclesiis videlicet, villis, mancipiis utriusque sexus, vineis, campis, pratis, silvis, aquis,aquarumve decursibus cum omni integritate concedimus. Quod tam pro divino amore, et beatorum apostolorum, vel pro nobis, quam etiam pro statu regni nostri,similiter et principum nostrorum,
B atque pro omnium Christi fidelium, voluntarie fecimus, eorumque piæ et devotæ petitioni libenter annuimus. Præcipientes ergo jubemus, ut deinceps præfatas res per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo, prædicti testes Christi, Petrus et Paulus, vel abbas eorum, seu monachi eisdem Christi apostolis servientes,teneant atque possideant; et quidquid exinde facere vel judicare voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Ut autem hæc nostræ sublimatis auctoritas firmior habeatur,et per futura tempora melius conservetur,de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Signum Ludovici regis.

Rorigus cancellarius ad vicem Acardi recognovit.

Actum Capriniaco villa Kal. Julii, anno XI regni
C Ludovici regis,quando etiam Franciam recuperavit.

V.

Præceptum ejusdem regis de confirmatione Affredi.

(Anno 950.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, LUDOVICUS divina propitiante misericordia Francorum rex.

Si divinis cultibus operam dantes,Ecclesiam Dei ad summum sacræ religionis statum sustollere conamur, regio more, ac progenitorum nostrorum privilegiis innitimur. Quocirca omnium sanctæ Dei Ecclesiæ tam præsentium,quam futurorum fidelium noverit solertia, quoniam nostram adiens præsentiam Stephanus Arvernorum venerabilis episcopus, reverenter expetiit, quatenus quasdam res, quas
D Acfredus quondam comes ex suæ proprietatis jure in pago Arvernensi, ob animæ suæ remedium, ac parentum suorum, Deo et sanctis ejus contulerat, pro regula sancti Benedicti inibi construenda, Cluniacensi monasterio ac abbati ipsius, nostræ regalitatis præcepto easdem res confirmare dignaremur, quod et fecimus.Unde hoc nostræ altitudinis decretum fieri,ac Aymardo abbati prædicti monasterii dare præcepimus, id est, per quod præfatas res cum omni integritate,quemadmodum in charta prælibati comitis Acfredi continetur, isdem abbas,atque successores ejus, perpetualiter, nemine inquietante, possideant. Et ut hoc nostræ auctoritatis emolu-

mentum per succedentia temporum curricula inviolabiliter conservetur, manu propria eum subtus firmantes, annuli impressione nostri insigniri jussimus.

Signum Domini Ludovici gloriosissimi regis.

Odylo notarius ad vicem Altaldi archiepiscopi relegit et subnotavit.

Actum Polliaco villa super Ligerim, III Nonas Febr. indict. VI, anno autem XV regnante Ludovico rege glorioso.

ELECTIO S. MAIOLI IN ABBATEM CLUNIACENSEM

Vivente Haymardo itidem abbate.

(*Anno Christi* 954.)

Ordine divinæ dispensationis cum primum sacris legibus a patriarchis et prophetis, tum etiam humanis consulibus et regibus motus populorum comprimeretur, post tempore incarnati Verbi ignea rhomphæa in ostio paradisi fonte lateris Christi extincta, ut regnum Dei violentius raperetur, cœpit status Ecclesiarum ab apostolicis viris piis moribus informari, et demum a sacris viris et abbatibus in subditorum mentibus regularis ordo disponi, ut per eam currentibus facilis cœlestis patriæ videretur ascensus. Sicque fit, ut quanto quis per exempla pietatis paterno cultu se ad excelsa erigens processerit, et subditis ad cœlestia sequendi ducatum præbuerit, tanto a remuneratore Domino multiplex mercedis et filiationis fenus percipiet. Et quoniam ad prælatos respicit quidquid a subditis delinquitur, exemplum pravæ vitæ, et negligentiam subditorum, sententia divini examinis ignis gehennæ inexhaustus vindicat.

Quapropter ego Haymardus, sancti Petri Cluniacensis cœnobii abbas indignus, præsentibus atque futuris omnibus generatim notum esse volo, quia hæc et hujuscemodi mente pertractans, ætate defatigatus, officiis quoque corporis imminutus, dum minus me pastorali cura idoneum persentisco, beati Benedicti capitulatim (*f.*, capituli) de constituendo abbate sollicitudine præmonitus (*Regulæ* cap. 64), cum omnibus fratribus meis, filiis et conservis, beati quidem Petri pridem clericum fratrem ac filium monachis Maiolum religiosum eligimus et abbatem esse decernimus, ne insolentia nostræ infirmitatis ordo deterescat, et repulsam in aliquo patiatur, Domino propitio semper ad meliora provehendus, et ne technam alicujus excusationis prætendat (nam sicut quis indigne ad regimen incautus aspirat, ita si quis dignus refugit, merito constringendus habetur), concilium episcoporum et abbatum adhibuimus. Et sicut Cluniacense monasterium Domino auctore a Guillelmo duce fundatum, nomine principis apostolorum sacratum, privilegiis Romanæ sedis insignitum, regalibus præceptis confirmatum, a reverendis quoque abbatibus domno Bernone et Odone ordinatum constat, ita cum omnibus abbatiis, locis et cellis ubiubi eorum vel nostro tempore acquisitis, prædicto fratri ordinandum tradimus, atque tam ad ordinem servandum secundum beatum Benedictum, et instituta Patrum nostrorum, quam ad res disponendas, sub omni integritate, propitia divinitate, vinculis obedientiæ astringimus et abbatem unanimiter omnes proclamamus.

Hujus vero electionis et ordinationis ejus seriem per consultum, ut diximus, primatum comitis, et etiam nostri et advocati Leotoldi litteris sanciri præcipimus, atque reguiariter celebratam ordinationem in Christi nomine confirmavimus, a Patribus et fratribus nostris scriptis confirmari precati sumus. Acta Cluniacensi cœnobio feliciter. Amen.

Ego Haymardus abbas huic electioni assensum præbui.

Maguboldus sanctæ Matiscensis Ecclesiæ episcopus.

Childebodus peccator ipso jubente.

Eilbadus episcopus et monachus ipso jubente.

Rodulphus humilis abbas sancti Petri Cavillonsnsis.

Richardus humilis abbas.

Et centum triginta duo alii monachi cum eis subsignant.

ANNO DOMINI DCCCCXCIV.

SANCTUS MAIOLUS

ABBAS CLUNIACENSIS QUARTUS

SANCTI MAIOLI ELOGIUM HISTORICUM.

Apud Mabill. *Acta*, Sæculi V, pag. 760.

I. *Ejus vitæ scriptores ejusque laudatores.*

1. Ea est primorum Cluniacensium abbatum celebritas et factorum gloria, ut quamquam de illis plures scripserunt auctores, ea tamen nec pro dignitate explicent, nec pro votis nostris. Quapropter quod in sancto Odone jam præstitum est a nobis, idem etiam in Maiolo aliisque duobus subsequentibus, Odilone scilicet atque Hugone, præstandum est, ne eorum memoriam neglexisse videamus, si eam segniter illustremus. De Maiolo quidem jam multa retulerunt socii Bollandiani in Maii tomo III, ab antiquis auctoribus accepta; sed multa de eo dicenda restant ex archivis Cluniacensibus, quorum copiam habere nobis licuit.

2. Tres vero Maioli præcones nobis exhibent Bollandiani, nempe Nalgodum quem Maioli discipulum putant, ac primæ Vitæ scriptorem; alteros: Syrum et Aldebaldum, itidem coævos, qui conjunctis studiis alteram de Maiolo lucubrationem condiderunt; tertium sanctum Odilonem, Maioli in abbatiali dignitate successorem. De his omnibus hic in limine agendum, antequam ulterius progrediamur.

3. Primus Maioli encomiastes omnino censendus est Syrus monachus, cujus puram putam scriptionem ex ms. codice sancti Martialis ecclesiæ apud Lemovicas accepimus a nostro Petro Trellio, una cum epistola Syri ad sanctum Odilonem abbatem Vitæ præfixa, in qua facti sui rationem reddit auctor. Ait quippe id operis a se susceptum fuisse flagitante *Warnerio sanctæ recordationis* monacho, qui Syro misso in Italiam ante perfectum opus, ipse in Alsatiam directus, opus imperfectum detulerit. Postea vero mortuo Warnerio, cum opus istud, quale ab ipso relictum fuerat, Odilo *in Morbacensi cœnobio* (ubi forsan mortuus Warnerius) reperisset, Syro demandata cura ut id perficeret; quod ipse tandem exsecutus est, non eo tamen modo, ut numeris omnibus absolutum aliis visum sit. Quapropter statim post Syri obitum Aldebaldus supremam operi manum imponere aggressus est. At sane quæ is supplevit, ornatus admodum vicem præstant, hoc est quædam non necessaria, quibus Syri narrationem illustrare atque connectere sibi visus est. Rem explicat Reimbaldus monachus, qui breve carmen communi huic Syri et Aldebaldi scriptioni præposuit, ex quibus hæc referre non ab re fuerit:

Hunc ubi gravisum fore credimus archimagistrum,
Cujus in hoc parvo retinentur gesta libello
Pauca, velut patris flores carpuntur amœnis:
Ad Christi laudem quæ Warennerius autem
In cunctis Vitæ monachus nimium reverendæ
Persuasit domno supplex multa prece Syro
Scribere communi cunctorum commoditati,
Ne patris tanti possent pia facta recondi.
Qui tandem precibus et amore sui superatus,
Discere quæ potuit narrantibus, edere cœpit.
Tegmina sed carnis solvens per debita mortis.
Hoc opus eximium dimisit semiperactum,
Mox Aldebaldus quod supplevit studiosus,
Congrua subnectens, et, ut aspicis, ordine jungens.
Certus in hac opera meruit sibi præmia digna.

Sed ut intelligat lector, quod cujus sit, totam de Maiolo narrationem tribus libris complexus est Syrus, ut eo tempore disertus, nonnullis carminibus hinc inde narrationi insertis. Aldebaldus vero suum singulis libris prologum aptavit, carmina multis in locis adjecit; sed nullum factum retulit ab Syro prætermissum, nisi quod initio libri primi narrationem instituit de Saracenorum impressione in cœnobium Lerinense, quæ ad Maioli facta nihil pertinebat. Communem illam Syri et Aldebaldi lucubrationem ediderunt socii Bollandiani. Nobis puram Syri scriptionem hic repræsentare visum est, suo loco referendis iis quæ de clade Lerinensi Aldebaldus explicavit.

4. De Aldebaldo atque Warnerio, cujus rogatu Syrus operi manum admovit, nihil legimus, nisi quod Warnerium oportet fuisse monachum religione celebrem, utpote quem *sanctæ recordationis* virum Syrus, et Raimbaldus *monachum Vitæ nimium reverendæ* appellat. De Syro id unum discimus, quod Iotsaldus (in editis mendose *Lotsaldus*) in Actis sancti Odilonis sub finem memorat apud Bollandum in hæc verba .«Verum plurima quæ in prima fonte dicturus sum, ipse non vidi; sed duobus monachis ejus, Petro videlicet monasterii sancti Maioli, quod apud Papiam est, præposito, viro scilicet religioso,

et Syrone cujusdam monasterii abbate, per adnotationem fratris Bosonis, miræ simplicitatis et innocentiæ monachi, sicut rogaveram, dum hoc opus inciperem, referentibus agnovi. Fuerunt autem prædicti fratres probabiles viri, patris Odilonis admodum familiarissimi, secretorum etiam illius in pluribus conscii, et itineris vel laboris per multa tempora socii, » etc. Diu anceps fui num in lib. II de Vita sancti Maioli per Syrum cap. 23, ubi de reformatione agens Ticinensis monasterii ita habet *ibique suum ordinavit abbatem*, legendum sit *Syrum* pro *suum*. Sed obstant mss. codices cum vulgatis.

5. His auctoribus, Syro videlicet atque Aldebaldo, accessit Odilo eorum abbas sanctus, qui non tam novum de Maioli Vita commentarium, quam orationem laudatoriam composuit, lectorem ad alios remittens scriptores, qui prius de illo egerant. Ita enim legimus in cap. II ad apud Bollandianos: « Quanta per eum Dominus et ante et post transitum ejus ostendere dignatus est miracula, testantur volumina a doctissimis viris ordinata, sensu catholico, calamo conscripta rhetorico et in quibusdam locis metro variata dactylico. » Libellum suum Odilo inscribit Hugoni, postea ejus successori, et Almanno monachis, præmissa epistola, quam in ejus Elogio aliquando referemus.

6. Postremus omnium Nalgodus Cluniacensis monachus itidem sancti Maioli gesta illustrare aggressus est, Petro venerabili abbate; quo tempore Vita sancti Odonis ab eodem expolita, et in compendium redacta est, qualem superius suo loco retulimus. Ex his omnibus unam Syri scriptionem huc adducere visum est, in hoc Elogium referendo, si qua ab aliis auctoribus singularia dicta sunt, omissis etiam duobus miraculorum libellis, in quibus paucissima observatione digna memorantur; et quæ facile consuli possunt in Bibliotheca Cluniacensi, in cujus appendice hæc leguntur, et in Maio Bollandiano. Cæterum hi duo Miraculorum libri in ms. codice Lemovicensi, ex quo Syri lucubrationem accepimus, ipsius Syri tribus de Maioli Vita libellis continenter subjiciuntur; in quorum prologo innuit auctor, se Vitam sancti Maioli scripsisse, cum ita præfatur : « Gloriosa virtutum opera, quæ omnipotentis Dei providentia per beatum suique dilectorem Maiolum dignata est operari, dum fragile su iipsius corporis indumentum vivificaretur vitalis spiritus additamento, compendiosa, prout scire potuimus, descripsimus ratione, etc. Nunc deposito carnis onere in cœlis lucidum et sanctissimum sidus renitens, ampliatarum virtutum cumulos. Hos ex parte aliqua, pro paterno imperio domni ac reverendissimi Odilonis abbatis obedimus mandare scriptis. » Unde quis inferat Syrum esse istorum Miraculorum scriptorem, tametsi ejus stylum penitus assequi non videntur. Ut ut sit, si qua in eis notatu digniora erunt, in fine hujus Elogii referentur.

7. Præter hos auctores, multi de sancto Maiolo honorificam fecerunt mentionem, quorum verbis commode in subsequentibus utemur. In his sunt Petrus Damiani in opusculo 33, Glaber Rodulfus variis in locis, Vincentius Bellovacensis, Petrus Equilinus episcopus in lib. IV, cap. 153, Joannes Trithemius et plerique chronographi. In appendice Bibliothecæ Cluniacensis exstat etiam brevior Maioli Vita, cum Syri lucubratione in compendium redacta Jam ad Maioli facta veniamus.

II. *Maioli patria, parentes, studia et vita canonicalis; archiepiscopatus Vesontionensis ab eo recusatus*

8. Etsi eum patria Provincialem, id est ex Provincia (*la Provence*) ortnm fuisse liquet, non tamen de ipsius natali solo constans est et unanimis veterum ac recentiorum consensus. Valentiolæ (*Valensolle*) [quod oppidulum diœcesis Regiensis, medio Regium (*Riez*) inter et Manoscam (*Manosque*) intervallo] natum communis fert Cluniacensium traditio, præeunte Petro de Rivo, cui inscriptio ecclesiæ sancti Martialis apud Avenionem Cluniaco subjectæ astipulatur ab Honorato Boucheo relata in chronographia Provinciæ pag. 232. Et quidem locum hunc ex Maioli hæreditate fuisse constat; sed an ejus natalis fuerit sedes, merito dubitare licet ex Syro, qui Maiolum ex Avennicorum oppido, id est Avenionensi (*Avignon*), prodiisse tradit, quod totidem verbis in communi Syri et Aldebaldi scriptione legimus. In alia Vita, breviori quæ exstat in appendice Bibliothecæ Cluniacensis, *oppidanorum Avennicorum alumnus* dicitur. Provinciam eidem patriam tribuit Nalgodus, de natali solo tacet; utrumque præterit Odilo. Mihi religio fuerit discedere a Syri et Aldebaldi auctoritate.

9. Mirari vero subit, cur ex omnibus illis qui de Maiolo scripsere auctoribus, nullus parentum nomina vel dignitates præmittit, quos fuisse splendidissimos sat habuerunt dicere, quasi sub illo verborum involucro ad nos integra eorumdem memoria pertingere deberet. In primis Syrus : « Clarus, *inquit*, ortus natalibus, ex Avennicorum oppido parentibns splendidissimis est procreatus, Provincialis quidem genere, nobilium Gallorum clarus generositate. » *Odiloni :* « Præclaro stemmate ortus, et a nobilibus parentibus pervigili cura enutritus. » *Nalgodo :* « Provinciæ regionis indigena, usque ad ipsos Galliæ proceres affinitatis suæ terminos dilatavit, et a linea sanguinis Gallicani magnum sibi nobilitatis apicem comparavit. » Ampullosa hæc verba sunt, sed fere inania, nisi quod prænobili genere Maiolum progenitum ostendunt. Sed ubi parentum nomina et dignitates? Quanquam illud eo tempore in more positum erat, nt nobiles quique raro suæ dignitatis titulos præferrent, præterquam reges, duces ac comites. Cæteri fere nudo nomine censebantur. Nihilominus *militis* nomen pro nobili sæculo X in usu esse cœpit, ut patet cum ex aliis, tum ex charta Trasmari Noviomensis episcopi pro cœnobio Humolariensi, superius relata ad translationem sanctæ Hunegundis : cui chartæ multi *milites* subscribunt. At sane vix excusari potest eorum in-

diligentia, qui parentes eorum, quorum facta describere volebant, intactos præteriere. Unus tamen ex Maioli præconibus Odilo in fine elogii sui, quasi fortuito, Maioli patrem Folcherium nominat, eumque *militem* appellat. « Fuit eodem tempore, ait, quidam miles in illis partibus, nomine Folcherius, in armis strenuus, jure hæreditario cæterisque bonis et divitiis ditissimus, et ut de nobilissima ejus prole diximus ex utroque parente gemina nobilitate coruscus; vir magni consilii, prudentis sagacisque ingenii, pater videlicet istius sanctissimi Patris nostri, de quo loquimur, Maioli. » Eumdem etiam Fulcherium nominat epitome edita in appendice bibliothecæ Cluniacensis.

10. Verum etsi hanc Odiloni gratiam non haberemus, integrum nobis Fulcherii nomen servassent tabulæ Cluniacenses, in quibus non semel legitur, nec non Fulcherii amplissimæ donationes, quæ eum ex locuplete familia ortum fuisse demonstrant. In primis Fulcherius Cluniaco donat « alodum suum in pago Regensi, in comitatu Atensi villas Ausnanam et Serulionem; et in comitatu Aquense villam Reglanam, item villam Pinetum cum ejus ecclesia sub titulo sancti Siffredi, item in eadem valle villam Paludem; et in comitati Secustironense Alairacum cum ecclesia sancti Petri, item villam Adducellum; et in comitatu Regense villam Abiacum cum ecclesia sanctæ Mariæ, villam Pauliacum, Valentiolam cum ecclesia sancti Maximi, ecclesiam et villam sancti Tyrsi, villam et ecclesiam sancti Stephani de Margis, villam et ecclesiam sancti Joannis de Ardas; in valle Mixenis ecclesias sancti Stephani, sancti Martini, sancti Petri, item villam Fabricas, villam Narbonam, cum ecclesiis, Fagentiam cum ecclesia, Dragonianum, villam Arcus, et medietatem Centumclavis vallis, villas Locatum, Surigerias, ecclesiam beatæ Mariæ, Bonolas villam, » omnia hæc cum appendiciis suis. Quæ idcirco minutatim retuli, ut appareat quam amplæ fuerint Fulcherii facultates: quibus in locis sitæ, nempe in pagis Regensi, Atensi seu Aptensi, Aquensi et Secustironensi; tum quanta ejus munificentia in loca sacra, ac demum, quam illo ævo laicis familiare fuerit plebanas possidere ecclesias, easque monasteriis tradere : quod sexcentis exemplis (quorum multa in superioribus Bernonis, Odonis et Aymardi, elogiis vidimus) probari potest. Quo anno facta sit hæc Fulcherii donatio, in charta non exprimitur : at certum est eam factam esse prius quam Maiolus sæculo nuntium remisit, quippe non nisi mortuis parentibus Cluniacum secessit, ut postea exponemus. In ea porro donatione mentio fit de Valentiolæ traditione, quam Boucheus retulit ad annum 990, eamque a comitibus Provinciæ Cluniaco primum factam putavit. In Maioli chartario legitur in charta sexta Willelmi, data regnante Conrado rege, Willelmum ipsum donasse Cluniensi monasterio et Maiolo abbati ex rebus quas ipse Maiolus abbas et Clunienses fratres ei ad vitam dederant, villam Valentiolam. Post Maiolum Almeradus Regensis episcopus Odiloni abbati remittit quædam annua debita, quæ Valentiola episcopo pendere solebat. Inter Cluniacenses ecclesias ex Provincia recensetur in bibliotheca Cluniacensi « decanatus de Valensolis Reiensis diœcesis, ubi debent esse decano computato quinque monachi, et unus presbyter commensalis, et debent ibi celebrari quotidie duæ missæ.

11. Ex archivo Cluniacensi non solum discimus Maioli patris nomen, sed etiam ejus avi ac fratris, quorum alterum itidem Fulcherium, alterum Cyricum dictum fuisse inde intelligimus. Id patet ex Maioli charta 344, quæ præstaria est Arnulfo episcopo Atensi a Maiolo facta, de quibusdam rebus cœnobii Cluniacensis, sitis in pago Atensi. Has litteras huc integras referre juvat.

« In nomine Domini..... Ego Maiolus favente Christi clementia Cluniensis cœnobii abbas. Notum fieri volumus omnibus fidelibus Christianis, tam præsentibus quam succedentibus, quod domnus Arnulfus episcopus Atensis nostram expostulando adiit præsentiam, quatenus ei concederemus loco precariæ res quasdam juris sanctorum apostolorum, Petri videlicet et Pauli, supradicti cœnobii Cluniensis inquisita itaque voluntate fratrum nostrorum, eisque rationabiliter assensum præbentibus, decrevimus prælibati domni episcopi precibus obtemperare. Concedimus itaque eidem domno Arnulfo episcopo atque consanguineo ejusdem Teoberto, res sanctis apostolis Petro et Paulo dicatas, quæ sunt in pago Atensi sitæ, in villa Lausnana, et in alia villa, quam vocant Soldo, usque in montem Clavaniacum, et in alio loco, ubi dicitur Trabalio, et in alia villa quæ vocatur Bassus, et in alia villa quæ dicitur Siciago, et in alia villa quæ dicitur Borcio, et in alia quæ dicitur Soricarias, et in alia quæ dicitur Leocola, et in alia quæ dicitur Valle, et ipsum alodum quem avus meus Fulcherius comparavit de Bernardo, et in alia villa quæ vocatur Jocadas, et in alia quæ vocatur Cariaras, et in alia quæ vocatur Serulias. Ista omnia mihi et fratri meo Cyrico ex successione nostrorum parentum nobis evenerunt : nos vero, ego videlicet Maiolus, præfati cœnobii Cluniensis abbas, et prædictus frater meus pro remedio animarum nostrarum, nostrorumque parentum omniumque fidelium Christianorum, Deo et sanctis ejus apostolis Petro et Paulo in Cluniaco cœnobio tradidimus. Omnia itaque jam denominatis villis conjacentia, sive quantum avus meus Fulcherius et genitor meus ejusdem nominis in comitatu Atensi tenuere, vel conquisiere, totum prædicto episcopo et ejus consanguineo Teoberto concedimus, in ea scilicet ratione tradente domno episcopo res suas, quæ sunt sitæ in pago vel comitatu Atensi, in villa Lausnana, Deo et sanctis ejus apostolis Petro et Paulo in prælibato cœnobio Cluniensi, eo videlicet tenore, ut quandiu ipse episcopus et ejus consanguineus vixerint, teneant et possideant, et festivitate S. Martini in censu solidos quinque ad Clu-

et Syrone cujusdam monasterii abbate, per adnotationem fratris Bosonis, miræ simplicitatis et innocentiæ monachi, sicut rogaveram, dum hoc opus inciperem, referentibus agnovi. Fuerunt autem prædicti fratres probabiles viri, patris Odilonis admodum familiarissimi, secretorum etiam illius in pluribus conscii, et itineris vel laboris per multa tempora socii, » etc. Diu anceps fui num in lib. II de Vita sancti Maioli per Syrum cap. 23, ubi de reformatione agens Ticinensis monasterii ita habet *ibique suum ordinavit abbatem*, legendum sit *Syrum* pro *suum*. Sed obstant mss. codices cum vulgatis.

5. His auctoribus, Syro videlicet atque Aldebaldo, accessit Odilo eorum abbas sanctus, qui non tam novum de Maioli Vita commentarium, quam orationem laudatoriam composuit, lectorem ad alios remittens scriptores, qui prius de illo egerant. Ita enim legimus in cap. II ad apud Bollandianos: «Quanta per eum Dominus et ante et post transitum ejus ostendere dignatus est miracula, testantur volumina a doctissimis viris ordinata, sensu catholico, calamo conscripta rhetorico et in quibusdam locis metro variata dactylico. » Libellum suum Odilo inscribit Hugoni, postea ejus successori, et Almanno monachis, præmissa epistola, quam in ejus Elogio aliquando referemus.

6. Postremus omnium Nalgodus Cluniacensis monachus itidem sancti Maioli gesta illustrare aggressus est, Petro venerabili abbate; quo tempore Vita sancti Odonis ab eodem expolita, et in compendium redacta est, qualem superius suo loco retulimus. Ex his omnibus unam Syri scriptionem huc adducere visum est, in hoc Elogium referendo, si qua ab aliis auctoribus singularia dicta sunt, omissis etiam duobus miraculorum libellis, in quibus paucissima observatione digna memorantur; et quæ facile consuli possunt in Bibliotheca Cluniacensi, in cujus appendice hæc leguntur, et in Maio Bollandiano. Cæterum hi duo Miraculorum libri in ms. codice Lemovicensi, ex quo Syri lucubrationem accepimus, ipsius Syri tribus de Maioli Vita libellis continenter subjiciuntur; in quorum prologo innuit auctor, se Vitam sancti Maioli scripsisse, cum ita præfatur: «Gloriosa virtutum opera, quæ omnipotentis Dei providentia per beatum suique dilectorem Maiolum dignata est operari, dum fragile su iipsius corporis indumentum vivificaretur vitalis spiritus additamento, compendiosa, prout scire potuimus, descripsimus ratione, etc. Nunc deposito carnis onere in cœlis lucidum et sanctissimum sidus renitens, ampliatarum virtutum cumulos. Hos ex parte aliqua, pro paterno imperio domni ac reverendissimi Odilonis abbatis obedimus mandare scriptis. » Unde quis inferat Syrum esse istorum Miraculorum scriptorem, tametsi ejus stylum penitus assequi non videntur. Ut ut sit, si qua in eis notatu digniora erunt, in fine hujus Elogii referentur.

7. Præter hos auctores, multi de sancto Maiolo honorificam fecerunt mentionem, quorum verbis commode in subsequentibus utemur. In his sunt Petrus Damiani in opusculo 33, Glaber Rodulfus variis in locis, Vincentius Bellovacensis, Petrus Equilinus episcopus in lib. IV, cap. 153, Joannes Trithemius et plerique chronographi. In appendice Bibliothecæ Cluniacensis exstat etiam brevior Maioli Vita, cum Syri lucubratione in compendium redacta Jam ad Maioli facta veniamus.

II. *Maioli patria, parentes, studia et vita canonicalis; archiepiscopatus Vesontionensis ab eo recusatus*

8. Etsi eum patria Provincialem, id est ex Provincia (*la Provence*) ortnm fuisse liquet, non tamen de ipsius natali solo constans est et unanimis veterum ac recentiorum consensus. Valentiolæ (*Valensolle*) [quod oppidulum diœcesis Regiensis, medio Regium (*Riez*) inter et Manoscam (*Manosque*) intervallo] natum communis fert Cluniacensium traditio, præeunte Petro de Rivo, cui inscriptio ecclesiæ sancti Martialis apud Avenionem Cluniaco subjectæ astipulatur ab Honorato Boucheo relata in chronographia Provinciæ pag. 232. Et quidem locum hunc ex Maioli hæreditate fuisse constat; sed an ejus natalis fuerit sedes, merito dubitare licet ex Syro, qui Maiolum ex Avennicorum oppido, id est Avenionensi (*Avignon*), prodiisse tradit, quod totidem verbis in communi Syri et Aldebaldi scriptione legimus. In alia Vita, breviori quæ exstat in appendice Bibliothecæ Cluniacensis, *oppidanorum Avennicorum alumnus* dicitur. Provinciam eidem patriam tribuit Nalgodus, de natali solo tacet; utrumque prætcrit Odilo. Mihi religio fuerit discedere a Syri et Aldebaldi auctoritate.

9. Mirari vero subit, cur ex omnibus illis qui de Maiolo scripsere auctoribus, nullus parentum nomina vel dignitates præmittit, quos fuisse splendidissimos sat habuerunt dicere, quasi sub illo verborum involucro ad nos integra eorumdem memoria pertingere deberet. In primis Syrus: « Clarus, *inquit*, ortus natalibus, ex Avennicorum oppido parentibns splendidissimis est procreatus, Provincialis quidem genere, nobilium Gallorum clarus generositate. » *Odiloni*: « Præclaro stemmate ortus, et a nobilibus parentibus pervigili cura enutritus. » *Nalgodo*: « Provinciæ regionis indigena, usque ad ipsos Galliæ proceres affinitatis suæ terminos dilatavit, et a linea sanguinis Gallicani magnum sibi nobilitatis apicem comparavit. » Ampullosa hæc verba sunt, sed fere inania, nisi quod prænobili genere Maiolum progenitum ostendunt. Sed ubi parentum nomina et dignitates? Quanquam illud eo tempore in more positum erat, nt nobiles quique raro suæ dignitatis titulos præferrent, præterquam reges, duces ac comites. Cæteri fere nudo nomine censebantur. Nihilominus *militis* nomen pro nobili sæculo X in usu esse cœpit, ut patet cum ex aliis, tum ex charta Trasmari Noviomensis episcopi pro cœnobio Humolariensi, superius relata ad translationem sanctæ Hunegundis: cui chartæ multi *milites* subscribunt. At sane vix excusari potest eorum in-

diligentia, qui parentes eorum, quorum facta describere volebant, intactos præteriere. Unus tamen ex Maioli præconibus Odilo in fine elogii sui, quasi fortuito, Maioli patrem Folcherium nominat, eumque *militem* appellat. « Fuit eodem tempore, ait, quidam miles in illis partibus, nomine Folcherius, in armis strenuus, jure hæreditario cæterisque bonis et divitiis ditissimus, et ut de nobilissima ejus prole diximus ex utroque parente gemina nobilitate coruscus; vir magni consilii, prudentis sagacisque ingenii, pater videlicet istius sanctissimi Patris nostri, de quo loquimur, Maioli. » Eumdem etiam Fulcherium nominat epitome edita in appendice bibliothecæ Cluniacensis.

10. Verum etsi hanc Odiloni gratiam non haberemus, integrum nobis Fulcherii nomen servassent tabulæ Cluniacenses, in quibus non semel legitur, nec non Fulcherii amplissimæ donationes, quæ eum ex locuplete familia ortum fuisse demonstrant. In primis Fulcherius Cluniaco donat « alodum suum in pago Regensi, in comitatu Atensi villas Ausnanam et Serulionem; et in comitatu Aquense villam Reglanam, item viilam Pinetum cum ejus ecclesia sub titulo sancti Siffredi, item in eadem valle villam Paludem; et in comitati Secustironense Alairacum cum ecclesia sancti Petri, item villam Adducellum; et in comitatu Regense villam Abiacum cum ecclesia sanctæ Mariæ, villam Pauliacum, Valentiolam cum ecclesia sancti Maximi, ecclesiam et villam sancti Tyrsi, villam et ecclesiam sancti Stephani de Margis, villam et ecclesiam sancti Joannis de Ardas; in valle Mixenis ecclesias sancti Stephani, sancti Martini, sancti Petri, item villam Fabricas, villam Narbonam, cum ecclesiis, Fagentiam cum ecclesia, Dragonianum, villam Arcus, et medietatem Centumclavis vallis, villas Locatum, Surigerias, ecclesiam beatæ Mariæ, Bonolas villam, » omnia hæc cum appendiciis suis. Quæ idcirco minutatim retuli, ut appareat quam amplæ fuerint Fulcherii facultates: quibus in locis sitæ, nempe in pagis Regensi, Atensi seu Aptensi, Aquensi et Secustironensi; tum quanta ejus munificentia in loca sacra, ac demum, quam illo ævo laicis familiare fuerit plebanas possidere ecclesias, easque monasteriis tradere: quod sexcentis exemplis (quorum multa in superioribus Bernonis, Odonis et Aymardi, elogiis vidimus) probari potest. Quo anno facta sit hæc Fulcherii donatio, in charta non exprimitur: at certum est eam factam esse prius quam Maiolus sæculo nuntium remisit, quippe non nisi mortuis parentibus Cluniacum secessit, ut postea exponemus. In ea porro donatione mentio fit de Valentiolæ traditione, quam Boucheus retulit ad annum 990, eamque a comitibus Provinciæ Cluniaco primum factam putavit. In Maioli chartario legitur in charta sexta Willelmi, data regnante Conrado rege, Willelmum ipsum donasse Cluniensi monasterio et Maiolo abbati ex rebus quas ipse Maiolus abbas et Clunienses fratres ei ad vitam dederant, villam Valentiolam. Post Maiolum Almera-

A dus Regensis episcopus Odiloni abbati remittit quædam annua debita, quæ Valentiola episcopo pendere solebat. Inter Cluniacenses ecclesias ex Provincia recensetur in bibliotheca Cluniacensi « decanatus de Valensoliis Reiensis diœcesis, ubi debent esse decano computato quinque monachi, et unus presbyter commensalis, et debent ibi celebrari quotidie duæ missæ.

11. Ex archivo Cluniacensi non solum discimus Maioli patris nomen, sed etiam ejus avi ac fratris, quorum alterum itidem Fulcherium, alterum Cyricum dictum fuisse inde intelligimus. Id patet ex Maioli charta 344, quæ præstaria est Arnulfo episcopo Atensi a Maiolo facta, de quibusdam rebus cœnobii Cluniacensis, sitis in pago Atensi. Has

B litteras huc integras referre juvat.

« In nomine Domini..... Ego Maiolus favente Christi clementia Cluniensis cœnobii abbas. Notum fieri volumus omnibus fidelibus Christianis, tam præsentibus quam succedentibus, quod domnus Arnulfus episcopus Atensis nostram expostulando adiit præsentiam, quatenus ei concederemus loco precariæ res quasdam juris sanctorum apostolorum, Petri videlicet et Pauli, supradicti cœnobii Cluniensis inquisita itaque voluntate fratrum nostrorum, eisque rationabiliter assensum præbentibus, decrevimus prælibati domni episcopi precibus obtemperare. Concedimus itaque eidem domno Arnulfo episcopo atque consanguineo ejusdem Teoberto, res sanctis apostolis Petro et Paulo dicatas, quæ sunt in pago Atensi sitæ, in villa Lausnana, et in alia

C villa, quam vocant Soldo, usque in montem Clavaniacum, et in alio loco, ubi dicitur Trabalio, et in alia villa quæ vocatur Bassus, et in alia villa quæ dicitur Siciago, et in alia villa quæ dicitur Borcio. et in alia quæ dicitur Soricarias, et in alia quæ dicitur Leocola, et in alia quæ dicitur Valle, et ipsum alodum quem avus meus Fulcherius comparavit de Bernardo, et in alia villa quæ vocatur Jocadas, et in alia quæ vocatur Cariaras, et in alia quæ vocatur Serulias. Ista omnia mihi et fratri meo Cyrico ex successione nostrorum parentum nobis evenerunt: nos vero, ego videlicet Maiolus, præfati cœnobii Cluniensis abbas, et prædictus frater meus pro remedio animarum nostrarum, nostrorumque parentum omniumque fidelium Christianorum, Deo et

D sanctis ejus apostolis Petro et Paulo in Cluniaco cœnobio tradidimus. Omnia itaque jam denominatis villis conjacentia, sive quantum avus meus Fulcherius et genitor meus ejusdem nominis in comitatu Atensi tenuere, vel conquisiere, totum prædicto episcopo et ejus consanguineo Teoberto concedimus, in ea scilicet ratione tradente domno episcopo res suas, quæ sunt sitæ in pago vel comitatu Atensi, in villa Lausnana, Deo et sanctis ejus apostolis Petro et Paulo in prælibato cœnobio Cluniensi, eo videlicet tenore, ut quandiu ipse episcopus et ejus consanguineus vixerint, teneant et possideant, et festivitate S. Martini in censu solidos quinque ad Clu-

niacum persolvant : post obitum vero utrorumque res omnes supra scriptæ cum omni melioratione ad præfatum Cluniense cœnobium absque ullius contradictione proveniant. Ut vero precaria ista illibata inviolabilisque omne tempore permaneat, manu nostra firmavimus, et fratribus nostris corroborandam porreximus. Maiolus peccator et humilis abba, Adiblamus, Jacob, Fulcardus, Stephanus, Andreas... S. Duranni, Teoderici. Ego frater Clemens scripsi. Actum apud S. Saturninum, anno vicesimo tertio regnante Conrado rege. » Ex hac præstaria intelligimus, præter superiorem Fulcherii Maioli patris donationem, aliam ab ipsomet Maiolo et Cyrico ejus fratre Cluniacensibus factam de rebus, quas his litteris in precariam tradit Arnulfo episcopo Atensi : cujus consanguineus Teutbertus in alia charta *vir illustrissimus* dicitur, laudaturque *Raimodis* ejus uxor et filius *Ulricus*. Sed et alias res memorat alia charta, qua Willelmus nobilissimus comes et Lucia ejus uxor Cluniacensibus sub Odilone abbate restituunt « hæreditatem sancti Maioli, scilicet Diliodam et Septemfontes in episcopatu Regensi. Actum apud Podii Odolinum monasterium anno Inc. 1036, ind. 5, Chunone imperatore regnante anno 10. » Unde iterum perspicuum efficitur quam diti stirpe procreatus sit Maiolus, cujus parentes tot prædiis ac possessionibus Cluniacum auxerunt absque gravi (ut credere par est) dispendio rei familiaris. Hæc mihi consideranti dubitatio succurrit, num Folcherius Maioli avus fuerit ille *Folcratus dux Arclatensium*, quem Lotharius una cum aliis comitibus rebellare molientem, in deditionem accepisse, eoque facto *Provinciam ordinasse* memoratur in Annalibus Fuldensibus anno 844.

12. Postquam Maiolus integris intaminatisque moribus pueritiam in patria exegisset, « cum eum jam sibi vindicaret adolescentia, parentibus humana sorte præventis (*ita scribit Syrus*) prædiisque barbarica invasione in solitudinem redactis, divina disponente providentia natale solum coactus est deserere, ac Burgundiæ partes expetere : veniensque in urbem Matiscensem, susceptus est ibi in hospitio a quodam suo propinquo, qui inter reliquos ejusdem urbis proceres nobilitatis gerebat decus. Cumque aliquandiu in ejus moraretur diversorio, ejus fultus adminiculo, uti cœpit ejusdem civitatis episcopo, qui eum liberali cernens ingenio valere, canonicorum studuit collegio copulare; qui etiam eum secretius summa hortabatur instantia, ut se virginem conservaret. » Matisconensi Ecclesiæ tum præerat Berno, cujus in Cluniacenses munificentiam varia monumenta contestantur.

13. Quænam vero sit illa clades, de qua hic agit Syrus, haud usquequaque exploratum. Duo hostium genera Provinciam per id tempus infestarunt, Hungari et Saraceni. Hi piratico more ex Hispania, in Italiam forte delati, Fraxinetum arcem ad Alpes Cotias occaparunt anno 891, eamque per multos annos cum maximo Lombardiæ et Provinciæ detrimento tenuerunt, donec Hugo Italiæ rex maritimo eos ac terrestri exercitu adortus, illorum navibus Græco igne combustis, plerosque Fraxinetum relinquere et in montem Maurum se recipere coegit anno 941. Eos autem obsidione cinctos Hugo in suam potestatem facile redegisset, ni Berengarium adversarium timens, ab illorum oppugnatione destitisset, fœdere cum eis ita percusso, ut pars illorum in montibus Italiam ad Suevia dirimentibus consideret, et Berengarium ex Suevia per eos montem exercitum trajicere molientem impediret. Isti eo loco positi quoscunque postea ad apostolorum limina visitanda illac iter facientes aut penitus spoliarunt, aut inhumaniter peremerunt. Eodem sæculo Hungari ex Germania in Galliam atque Italiam sæpius effusi, funestas clades intulerunt. Hi ductu Berengarii regis, quem Langobardi expulerant, anno 924 Italiam depopulati, teste Frodoardo, postea per abrupta Alpium juga transeuntes, in Galliam irruperunt. Quos Rodulphus, Cisalpinæ Galliæ rex, cum Hugone Viennensi « inter angustias collium Alpinarum » conclusit; unde inopinato per devia montis evadentes, Gothiam impetierunt, ibidem a prædictis Rodulfo et Hugone subacti. Paulo post, id est anno 993, dum Hugo rex Italiæ Romam obsidet, Saraceni meatus Alpium occupant, atque vicina quæque loca deprædantur. Biennio peracto, Hungari per Burgundiam diffusi, prædis, incendiis ac cædibus debacchantur. Tot et tam frequentes clades indubie Maiolum in urbem Masticonem perfugere coegerunt, dum Provincia, id est patria ejus, tot cladibus infestaretur.

14. Interea temporis is canonicus Masticone factus, Lugdunum in scholas abit, ubi Antonio præceptore usus, homine in philosophia erudito, « cujus multum convaluit (*Syri hæc verba sunt*) non modo doctrina, verum moribus et vita. » Lugdunensi academiæ antiquitatem recte probat Hericus Antissiodorensis monachus in libro I de Miraculis S. Germani, ubi disserit de temporibus Constantii Lugdunensis, id est de sæculo quinto. « Ea, inquit, tempestate Lugdunensium civitas prima ac præcipua Galliarum, professione quoque scientiæ artiumque disciplina inter omnes extulerat caput. Ibi, quas dicunt, liberalium disciplinarum peritia, quasque ordine currere hoc tempore fabula tantum est, eo usque convaluit, ut quantum ad scholas publicum appellaretur citramarini orbis gymnasium. Et ut aliquid rationis afferre videar, eo id argumento colligimus, quod quisquis artium profitendarum afficeretur studio, non ante professis inscribi merebatur, quam hinc explorata diligentia examinatus abiret, ubi *professorum* nomine eos intelligit gradus, quod magisterii et doctoris nomine censemus. Ex eorum numero erat procedente sæculo x Antonius, *quem virtus et religio* insulæ *Barbarensis præfecerat cœnobio*, ex Syro. Erat hic locus in meditullio Araris supra Lugdunum, celebris quondam ordinis nostri abbatia, nuper sæculari veste donata : in cujus indicibus abbatum nu-

mero ascribendus est Antonius, cum id Syrus diserte contestetur.

15. E studiis reversus Maiolus, « per cunctos gradus conscendens ecclesiasticos, cum levitarum potiretur officio, ad ejusdem usque arcem, doctrina id exigente, ab eodem est sublimatus supra scripto pontifice, » id est ad *archidiaconatus officium*, uti Syri verba explicat Odilo. Ea in dignitate mores ad doctrinæ formam componens, Christianis virtutibus, maxime in pauperum charitate excelluit : quod ipsi omnium existimationem comparavit. Verum is laudes fugiens ac popularem tumultum, identidem secedebat « in oratoriolum, quod ipse reædificaverat, sancti Michaelis, trans Ararim, » ubi « in orationibus pervigil, divino famulamini manciparetur attentius. » Inde in aliorum profectum se extendens, ex diversis ad se partibus clericos convenientes *gratis libenterque* erudiebat. Tum hominis fama quaquaversum diffusa, « Vesontionensi archiepiscopo viam universæ carnis ingresso, tam ipsius terræ principis, quam totius cleri consensu et populi, ad ejus culmen suscipiendum pontificatus beatus Maiolus impulsus, » haudquaquam assentire voluit : quinimo eo magis ad declinandam (quæ fugientes sequi solet) gloriam ardentior factus, de sæculo fugiendo sedulo cogitare cœpit. Sed ut accuratius tempus, quo id contigit, investigare liceat, quædam Maioli tum archidiaconi facta hic commemorare juvat. In his reperitur charta quædam, qua « Achertus vir præcelsæ nobilitatis » a Maymboldo seu Mainbodo episcopo Matisconensi (quem nonnulli *Maguboldum* mendose vocant) ecclesias quoad viveret, obtinet in fundo suæ proprietatis, qui dicitur Scociasus (*Escuzolles*), ubi principalis ecclesia est in honore sancti Andreæ, insuper capella sancti Joannis, et altera sancti Marcelli. Quibus litteris manu propria subscribunt Maymbodus episcopus, Ado abba, (dignitas ecclesiæ Matisconensis) et Mayolus archidiaconus, anno tertio Ludovici regis, Christi 939. Item anno ejusdem regis sexto idem Maimbodus « nobili viro Achardo » terram suæ ecclesiæ, « sitam in pago Forense, » locat : ejusque ei instrumento inter alios manum ac signum apposuit M*ayolus archidiaconus* ante Adonem abbatem. Itaque ad id usque tempus archidiaconus esse perseveravit Maiolus, nempe ad annum Ludovici regis sextum, qui Christi annus 942 erat, idemque primus Aymardi abbatis Cluniacensis post mortem Odonis.

16. « Cum ejusmodi moribus polleret Maiolus, Vesontionensi archiepiscopo viam universæ carnis ingresso, tam ipsius terræ principis quam totius cleri consensu et populi, ad ejus culmen suscipiendum pontificatus impellitur. » Quod ipse præ modestia constanter recusavit. Id a Syro et Nalgodo memoriæ proditum est, nec mirum si prætermissum ab Odilone, qui etiam de recusata summi pontificatus dignitate siluit. Quippe qui Maioli breve elogium potius excurrendo adornavit quam vitam accuratam composuit. Maioli loco electus est in sedem Vesontionensem Gerfredus, cujus decessorem penitus perspectum non habeo.

III. *Maioli conversio ad vitam monasticam. Abbatialis electio.*

16*. Aymardo abbate Maiolus Cluniacum frequenter accedebat, « et cum fratribus frequens habebat colloquium et spiritale contubernium, » referente Odilone, quibus in votis erat « ut eum possent sibi acquirere fratrem, quem postmodum mererentur habere et patrem. In hujus vero conversionis obsequio multum valuit venerabilis viri Hildebranni dulcis collocutio et spiritalis suggestio. Hic cum esset ex prioribus Cluniacensibus et monachis ejusdem monasterii præpositus, bis invitatus est ut officium abbatiæ susciperet, sed noluit ; quia semper plus obedire quam præcipere, et magis subesse quam præesse voluit. » Hanc vero Maioli conversionem non solum in Hildebrannum priorem, sed etiam in Aymardi « meritum patientiæ et innocentis vitæ, » ob quam « tanto talique a Christo ditatus est munere, ut ejus tempore ad amorem monastici ordinis auctor nostræ salutis beatum Maiolum dignatus sit accersere. »

17. Monachus factus, « singulari præ cæteris præeminebat virtute, » ait Syrus : cumque Aymardus « bibliothecæ præficiens, apocrisiariatus officium eidem injunxit, » de cætero a Virgilii aliorumque profanorum auctorum lectione abstinens, aliosque fratres ab ea deterrens. « Aprocrisiarius est qui custodit ecclesiæ thesaurum, et in cujus manu est quidquid a popularibus ad altaria offertur. » Udalricus auctor in lib. III Consuetudinum Cluniacensium cap. 12. Ad idem officium pertinuisse videtur, ut si qua negotia foras exsequenda erant, eorum gratia mitteretur apocrisiarius, ut apud Romanos. Maiolus quippe aliquando missus est Romam ab Aymardo negotiorum causa ; eoque in itinere Yporediæ (*Yvrée*) (quæ urbs est episcopalis sub archiepiscopo Taurinensi) Heldricum monachum ægrotantem sacri olei unctione sanat. Fuerat is « quondam in Italia inter cæteros palatinos honorabilis ; » qui « uxori cum magna rerum temporali copia abrenuntians, deposito cingulo Cluniacum se conferens, beati Benedicti se subdidit proposito, » et quidem Maioli fama impulsus, ut tradit Syrus in lib. II. An is sit Heldricus, qui sancti Germani apud Autissiodorum abbas fuit, inferius expendemus. *Unctionis sacramentum* appellat Nalgodus eum ritum, quo Heldricus a Maiolo sanatus est. Huc spectant ea quæ diximus in præfatione sæculi primi de ejusmodi unctionibus.

18. Prædictum apocrisiariatus officium item probant alia quædam negotia, quorum exsecutor Maiolus monachus fuit. Nam anno 11 Ludovici regis « Hildebrandus et Moiolus placitarunt » coram Leotaldo comite, Walterio vicecomite, aliisque horum *fidelibus* (alibi *primates* appellant) pro qoibusdam terris Cluniaco datis, quæ a nonnullis occupabantur. Item anno secundo Lotharii regis « Eldebrandus et Maiolus monachi Clunienses » mittuntur ab abbate Ey-

mardo ad Maimbodum episcopum Matisconensum in synodo existentem, petituri ab eo decimas ecclesiarum sancti Andreæ in Evranda, et sancti Boniti. Hæc aliaque facta apprime demonstrant Cluniacensem præpositum, qualis erat Hildebrannus, atque apocrisiarium curam gessisse de temporalibus causis. Deinde collatione facta prioris istius facti, quod anno 11 Ludovici regis a Maiolo jam monacho gestum est, cum alio superiori, cui idem tum archidiaconus anno sexto ipsius Ludovici subscripsit, manifeste colligimus Maiolum sæculo nuntium remisisse anno septimo vel octavo regni Ludovici, id est anno 943 vel insequente.

IV. *Ejusdem electio in abbatem Cluniacensem. Acta sub ejus regimine.*

19. Neque id obscure indicat tempus, quo Aymardus eum sibi successorem allegit. Maiolus enim jam inde ab anno 13 Ludovici abbas dictus est, ut ex quibusdam instrumentis in elogio Aymardi ostendimus. Atqui « sexto anno (ut fertur) conversionis suæ a sæculo » Aymardi vicarium ac successorem designatum fuisse Odilo tradit. Itaque si ab anno Ludovici tertio decimo detrahas annos sex, remanebit annus septimus, quem Maioli conversione illustrem fuisse proinde existimare licet. At quo minus ejus electionem sub Ludovico Transmarino reponamus, illud obstare videtur, quod anno secundo Lotharii regis, Ludovici filii ac successoris, quo anno Maiolus cum Hildebrando ad Maimbodi synodum pro decimis Evrandæ et sancti Boniti missus est, ipsius nomen in charta Eldebrando postponitur, neque *abbas*, sed tantum *monachus* appellatur. Verum præter ea quæ ad prius illud probandum in elogio Aymardi adducta sunt, occurrit et aliud argumentum ex litteris donationis Maytrami cujusdam, qui « ad locum Celsinianas et domno Maiolo abbati » dedit villam de Becedas « mense Februario, regnante Ludovico rege Francorum. » Unde consequens est, Maiolum regnante Ludovico jam abbatem audiisse. At quoniam Aymardus non ita regimen in eum rejecerat, ut primis annis nihil omnino gesserit, ut in elogio Aymardi a nobis dictum est, contigit, ut Maiolus, qui potius coadjutor censebatur, aliquando *abbas* a sæcularibus in publicis instrumentis, aliquando *monachus* aqpellaretur, maxime in iis actis quæ curante Aymardo gerebat. Id innuere videtur Chronicon Malleacense, ubi Maiolus dicitur, « anno 961, sexto anno ordinationis suæ suscepisse curam Cluniacensis cœnobii, » id est integrum regimen in se suscepisse anno sexto a sua electione, tametsi ex dictis dicendum esset anno 12. Ejus porro litteras electionis in ipsius Aymardi elogio retulimus, quarum fragmentum etiam Syrus refert; ibidemqne ex Hetro Damiani factum insigne retulimus, in quo Maioli modestiæ egregium specimen apparet. Nam ab Aymardo privatam sedem repetere jussus, assensit non gravate, idemque abbatis cathedram (increpito per Aymardum cellario, qui in ipsum petulanter locutus fuerat) eadem facilitate repetiit.

20. Per id communis administrationis tempus, alterutrius abbatis nomine instrumenta publica insignita erant, qualia in elogio Aymardi observare licet. His addo in præsens chartam Girbergæ, ecclesiam sancti Mauricii in comitatu Cabilonensi in villa Breugis et villa Canna concedentis, sicut Ardradus episcopus tenuit, anno tertio Lotharii regis. Addo etiam chartam Gauzberti cujusdam, qui alodum suum, « cui vetusto vocabulo Latina rusticitas Petrafixa nomen indidit, situm in suburbio Brivatensi, Heymardo abbati, » ac monachis Celsinianas incolentibus, perpetuo jure dedit « pro remedio animæ suæ et senioris sui Bertrandi ac Stephani filii ejus. » Actum est hoc apud Celsinianas « mense Januario, anno quarto regnante Lothario rege, ab Incarnatione Domini 958. » Eodem anno mense Decembri « Maiolus abbas » quasdam terras in pago Matisconensi, in villa Materiaco aliisque emit « pretio 400 solidorum. » Biennio post Adalradus res suas in villa « de Persezcel, » vicaria Ycionensi, tradit « sanctuario, quod dicitur Celsinanias, instituens hæredes monachos, ibidem Deo nocte ac die servientes, quibus moderatur reverens paternitas domni Maioli præcipui patris. Data in mense Februario, 11 die ipsius mensis anno Dominicæ incarnationis 960, anno autem imperii Lotharii regis Francigenæ IV (*legendum* VI) secundæ olympiadis. » Anno superiore Lotharius rex, postulante Gerberga regina matre sua, monasterium sancti Amandi in comitatu Trahesino (Nantuense vocant) quod « absque rectoribus veluti in inhabitabilibus locis » situm erat, Cluniaco subjicit, « ut in quantum Deus suppeditaverit consilium, illud construatur in habitabilibus locis. Datum IX Kal. Decemb. anno 5 Latharii regis, indict. 3, in Divionensi palatio. » Sed hoc loco in memoriam revocanda est superius edita præstaria Maioli abbatis in gratiam Arnulfi Atensis episcopi de quibusdam rebus suis hæreditariis in Provincia sitis, facta anno 23 Conradi regis, qui annus Christi anno 960 respondet. Dein anno 962 Albericus comes, Leotaldi filius, Maiolo abbati et monachis ejus multa donat in pago Matisconensi « anno 8 Lotharii regis. » Præterea anno decimo ejusdem Amblardus Lugdunensis pontifex ipsismet Maiolo et fratribus dat ecclesiam sanctæ Mariæ de Cantumerula « in pago Arvernico » et in vicaria Randerensi, et vineam cum silva apud Vetreriam, « et in pago Claromontense » villam Luxiacum. Ejus litteris subscribunt Stephanus episcopus Arvernorum et Rotbertus abbas anno 11 Lotharii. *Maiolus humilis abbas et Heymardus abbas* subscribunt cuidam præstariæ, duobus levitis factæ, de rebus sitis in pago Cabilonensi. Ab eo anno nulla ulterius mentio est Aymardi abbatis, sed omnia instrumenta solum Maiolum abbatem præferunt. Quædam commemorare operæ pretium puto.

21. In Cluniacensi archivo inveniuntur plura diplomata Ottonum imperatorum. Unum est placitum datum « in civitate Papia, in caminata salæ domus

Lietefredi Ticinensis episcopi, post capitium ecclesiæ sancti Cyri confessoris, ubi ejus corpus sanctum quiescit, residente Otberto marchio ac comite palatii, ut justitiam inter homines discerneret cum aliis judicibus. » Ad cujus præsentiam « domnus Maiolus Cluniacensis abbas venit, et repræsentavit duo monimina » seu instrumenta, unum nomine Ottonum imperatorum « datum 16 Julii anno 6 regni in Italia », continens, quomodo Gaidulfus filius Petri judicis quasdam terras emisset, ubi erat « capella una in honore sanctæ Mariæ juxta Papiam seu etiam sancti Michaelis, easque cum capella Maiolo abbati dedisset, ut monachi sub norma sancti Benedicti viventes ibi in perpetuum habitarent et orarent pro anima Liutardi Cumani episcopi : » alia item *monimina* donationum aliquot eidem factarum ; postulavitque ut contra invasores sibi confirmarentur. Quod et præstitum est tempore regni « duorum Ottonum patris et filii anno 6 regni Italici Ottonis junioris, indict. 10 », lege *Ottonis majoris, et junioris anno* 1. Hæc cella postea S. Maioli dicta est. Idem qui supra *Otbertus marchio et comes palatii* monasterio *quod Clugnes dicitur*, donat quæcunque habebat super fluvium Padi infra castrum Vicopiculo, etc., anno senioris Ottonis 10, Junioris 4. ind. 14. Præter ea invenio Ottonis primi diploma duplex, unum in quo hæc leguntur : « Recipimus Oddonem abbatem sub nostri tuitione mundiburdi cum abbatia sancti Sabini, in loco qui dicitur Tuscana. » Datum 8 Id. Julii anno Inc. 969, Ottonis 8, « indict. 12. Actum in Plista. » Quis sit Odo iste abbas, quodve ejus monasterium, non capio. Fortasse id in Italia situm erat. Idem Otto ad preces conjugis suæ Adeleidis monasterio sancti Petri Ticinensi concedit vineam, quæ fuit cujusdam presbyteri de cardine Ticinencis ecclesiæ, et ad jus regni sui tunc pertinebat. Ad hæc « anno sexto regnantibus in Italia Ottone et Ottone filio, » Ingelbaudus quidam, filius Ansegisi, vivens *lege Saliga*, donat quædam prædia in comitatu Viennensi « ad monasterium Cluniacum, per cultellum, festucam nodatam, per vuantonem et vuasonem terræ in manus domni Maioli abbatis. »

22. Anno 36 Conradi regis Maiolus abbas in precariam nonnulla tradit Hugoni filio Lamberti comitis, in hæc verba. « Notum sit omnibus sacri cœnobii Cluniacensis abbatibus atque monachis quibusque futuris, quod ego frater Maiolus prædicti cœnobii, licet indignus, abbas, una cum consensu fratrum, res juris nostri cuidam nobili viro Hugoni, Almodi ejus uxori, et Stephano eorum filio, atque ejusdem primogenito » (*nos hodie ad tres vitas diceremus*) « villam Ambariacum concedimus, » etc. Subscribunt « Maiolus humillimus abbas, Vivianus prior, Ermenfredus episcopus, Balduinus », deinde alii monachi numero 25. Hæc anno 973. Per idem tempus Joannes papa XIII monasterium Cluniense, « cui sapienter, inquit, et beate præest charissimus filius noster domnus Maiolus abbas, » commendat episcopis Galliarum, Stephanum Arvernensem episcopum compellans, ut pro insita sua bonitate Amblardum fidelem suum ad restitutionem Celsinianensi cœnobio faciendam compellat, Adonem etiam Matisconensem antistitem obtestatus, in hunc modum : « Res quoque exigit ut tibi aliqua dicamus, frater charissime et amande domne Ado episcope, quem licet non viderimus, ex nomine novimus in omni spirituali bonitate. Efflagitamus itaque benignissimam tuæ paternitatis dulcedinem, ut quo vicinior esse videris præfati monasterii scholæ, eo tua protectio pro tuo posse celerior fratrum necessitatibus occurrat, qui te ex abundanti charitate diligunt, et ulnis totius amoris perfectisime ambiunt et amplecti desiderant. Quocirca Cluniensis monasterii semper esto protector, sicut B. Petri es fidelis amator. » Hæc bulla caret notis chronicis in Bullario Cluniacensi.

23. Anno 20 Lotharii regis Albericus comes Matisconensis et Ermentrudis ejus conjux Cluniacensibus sub Maiolo dant multa prædia in villa Aponiaco (*Apogny*). Anno vero 978, indict. 6, Lugduni coram populi multitudine Amblardus episcopus Lugdunensis « dedit res suas in pago Arvernico fratribus Cluniensis monasterii, ut cellam ædificarent in villa Nisiaco (*Nizy*) in agro Tyernenso, in vicaria Doratense, hoc est villam Genretam, Montembriosonem, » etc. Legimus ejusdem Amblardi hac de re instrumentum, in quo ait se hæc Deo et sanctis apostolis Petro et Paulo donare, « quatenus monachi Cluniacensis loci in Nisiaco cellam Deo dicatam sibi construerent in honore beati Petri principis apostolorum, sub regula sancti Benedicti monachorum patris Deo militantes ; præcipitque *vadiatoribus* suis, id est testamenti sui exsecutoribus (*eleemosynarios* alii appellant), ut chartam de hac donatione faciant. Quod quidem continuo præstant « Andreas præpositus, Ornadus decanus, Gundramnus abbas, Hugo abbas (*digni'ates Ecclesiæ Lugdunensis*), Augendus canonicus, Stephanus diaconus, Pontio canonicus, et Hugo laicus. » Nisiaci hactenus est prioratus Cluniacensis.

24. Benedictus papa VII « ordinandum tradidit Lirinense monasterium Maiolo abbati Cluniacensi, » ut legit noster Stephanotius in Tabulario Lirinensi. Exstat ejus rei pontificium diploma in Bullario Cluniacensi, datum « anno 4 pontificatus Benedicti VII, imperii Ottonis anno 11, mense Maio, indict. 6. » In ea bulla fit mentio etiam de Arluco (*S. Etienne d'Arluc*) monasterio, modo dsetructo : quod sanctus Honoratus pro sanctimonialibus construxerat in monte peramœno ad littus maris et ad ripam fluvii Siagnæ (*la Siagne*), ubi Angarisma præerat sancto Aigulfo abbate. Sed insignis est præ cæteris charta Rodulfi Cabilonensis episcopi, in qua « Ageus canonicus adiit nostræ, inquit, munificentiæ serenitatem, rogans, ut Cluniensibus monachis et domno Maiolo abbati domum cum area juxta muros urbis ex una parte, ex alia juxta claustra canonicorum cum canonia quam ab ineunte ætate obtinuerat, æternaliter daret. » Quod ait se ultro facere ex consensu

clericorum suorum, « maxime cum tanti viri Maioli gloriam ab ipso Domino mutuatam et aure percipimus, et intuitu proprii luminis nihil in ejus dilectione conniventes quotidie perspicimus. Ille enim ut vere est Galliarum jubar ad tempus exortum, nostris seculis admirandum, et, si potis est, omnibus imitandum. » Quo elogio luculentius nihil afferri potest de homine vivente : neque ullam invenio ante id tempus datam Cluniacensibus præbendam (quam vocant) canonicorum ; plures postea sub Odilone et Hugone abbatibus. Subscribunt isti chartæ post Rodulfum « Adalais comitissa, Hugo filius ejus, Rotbertus » vicecomes, cum canonicis, anno 26 Lotharii regis.

25. Anno 34 Lotharii regis, id est anno 980, Gaufredus comes atque uxor ejus Adeleidis donant ad locum Cluniacum, ubi Maiolus erat abbas, res suas sitas in pago Cabilonensi, in fine Jemulacensi, villa Fusciaco. Subscribunt « Gaufredus comes, Adeleidis ejus uxor, et Hugo filius ejus, nempe Adeleidis ex Lamberto comite, priori ejus conjuge. Anno 26 Lotharii, Wido vicecomes Arvernicæ civitatis et Ausenda ejus conjux » dant ecclesiam sanctæ Mariæ de Bellomonte in pago Cabilonensi sub Maiolo item abbate.

26. Anno 981 Milo episcopus Matisconensis ecclesiam sancti Germani in villa Rofeio, et ecclesiam sanctæ Mariæ in villa Pedrono in synodo sua Maiolo abbati ejusque monachis concedit cum decimis et omnibus ad eas pertinentibus, « salvo servitio synodali, paratis et eulogiis. » Anno 28 Lotharii regis, Lambertus comes et Adeleis ejus uxor dant Cluniaco ecclesiam sancti Martini de Ingheto in pago Augustodunensi. Præterea multas alias ecclesias, quas tum Burcardus Lugdunensis archiepiscopus cum consensu *præpositi et abbatis Hugonis*, tum Roclenus homo laicus in diœcesi Lugdunensi regnante Conrado ab anno regni ejus trigesimo ad quadragesimum ; tum Walterius Æduensis episcopus anno 29 Lotharii regis, aliique Cluniacensibus monachis contulerunt : ex quibus Walterius dedit ecclesiam de Montemelardi, et ecclesiam sanctæ Mariæ in villa Vallis, et ecclesiam sancti Germani in villa Tirinaco, « ubi prædicti monachi, inquit, in obedientia quotidie assistunt. »

27. Anno 30 Lotharii regis, id est anno 984, Maiolus Cluniacensis et Valorgus Luxoviensis abbates aliqua inter sese commutant in villis Salustriaco et Danaico pagi Matisconensis : ubi antea Aymardus abbas cum Guidone abbate item Luxoviensi quædam permutaverat. Eodem anno Aynus Matisconensis archidiaconus Cluniaco dat vineas sitas in pago Cabilonensi, villa Fusciaco : confirmant « Rotdulfus episcopus, Cauzfredus comes, et Adeleis comitissa. »

28. Anno 985 Lambertus comes Valentinensis tradit locum ad construendum monasterium in honorem sancti Marcelli. Litteræ hac de re confectæ sic habent prologo et nonnullis omissis : « Ego Lambertus et uxor mea Falectrudis donamus aliquid de res nostras proprias Deo, et S. Marcello, et monachis istis, id est Odoino atque Duranno, et ad illos qui ad locum B. Marcelli venerint, et ibi in unum communiter habitaverint, pro remedio animarum nostrarum, et pro filiis nostris Ademaro atque Lamberto, et ut ecclesia B. Marcelli reædificetur, monasteriumque ibi faciatur, nullique loco ipsa ecclesia nec ipse locus subjectus sit, nisi ad S. Petrum principem apostolorum : omnique tempore ad Romam monachi ibidem pariter habitantes ad quintum annum quinque solidos in censum reddant. Abbatem enim in locum B. Marcelli, quæ dicitur Fellinis, non habeat qui regulam S. Benedicti non teneat, et secundum eam non vivat ; nullique monachi ibi habitent, qui fraternam et communem vitam bene non custodierint. Si enim aliquis homo aut aliqua persona propter aurum, vel propter argentum, aut propter aliquam facultatem abbatem in locum B. Marcelli mittere voluerit ; omnes sancti sint ei contrarii, et B. Benedictus cum grege monachorum suorum.... Sunt ergo ipsæ res sitæ in comitatu Valentinense, hoc est mons quæ appellatur Alavinea, et mons quæ vocatur Medialuna... Donamus, donatumque in perpetuum esse volumus in alimonia et stipendio monachorum, et susceptione hospitum, et peregrinorum et orphanorum, in jam dicto loco sub regula jam dicti patris Benedicti servientium, pro remedio animæ meæ, nec non et pro remedio patris mei Guntardi, et pro matre mea Ermengarde, » etc. Subscribit inter alios Richardus filius Lamberti. Hanc donationem confirmat Conradus rex anno 46 regni sui. Ademarus comes et uxor ejus Roteldis Odiloni abbati iterum eum prioratum restituerunt anno 1035. De eo prioratu vide bibliothecam Cluniacensem, col. 1727.

29. Anno 986, qui obitu Lotharii Francorum regis præditus est, Maiolo « ejusque monachis datur vinea apud Noglas villam pagi Matisconensis, anno primo Ludovici regis, » qui Lotharii filius ac successor fuit. De eodem Ludovico rege interpretanda est charta, qua canonicus quidam Aniciensis ædes suas igne consumptas, infra claustra canonicorum sitas restituit, donatque Maiolo et Cluniacensibus, « anno quo Ludovicus rex in adolescentia vitam finivit. Datum quinta feria III Id. Augusti. » In quodam brevi chronico regum Franciæ, quod manu exaratum habetur in bibliotheca Patrum Carmelitarum Cantoennensium apud Clarummontem, de postremis secundæ stirpis Francicæ regibus eorumque annis regni ita legitur : « Chlotharius 31, Ludovicus 1, Carolus frater ejus 6 mensibus, Hugo alienus 9. » Hic filius Hugonis comitis « Parisiensis ex Hawide sorore Othonis cœpit regnare anno Domini 987, et regnum usurpavit. » Et in alio : « Ludovicus Ultramarinus genuit Lotharium ; Lotharius genuit Ludovicum, qui adhuc puer Blanchiam cepit in uxorem, in quo etiam reges de familia Caroli Magni defecerunt. Huic quoque ex alia familia suc-

cessit Hugo in regnum, Hugonis Magni filius, cui successit Rotbertus filius ejus in regno. Huic autem successit filius ejus Anricus, qui modo Deo protegente, prout potest, regnum Franciæ gubernat. Hæc ex nostro Stephanodo accepimus. Charta quædam, numero 329 in Chartario Maioli, notatur « anno 5 Hugonis regis, Carolo tunc in carcere, » qui Ludovici patruus erat, dux Lotharingiæ.

30. Anno 988 Maiolo et Cluniacensibus a quodam clerico, nomine Richardo, datur ecclesia sancti Andreæ « in pago Vapincense (*de Gap*), » cum ipsa villa Rosanis, castro Risone, villis Sorbaria, Gemma, etc. tum in « comitatu Vasense (*de Vaison*), infra terminos » castri Malaucenæ sex mansi, medietas castri Minson, etc., ut ibi, id est in prædicta ecclesia, « perpetuo degant monachi. »

31. Hucusque res actæ sub Maiolo solo abbate, qui anno 991 Odilonem sibi substituendum curavit; unde pleraque acta Odiloni soli ascripta sunt, ut dicemus in sequenti capite 8. Sed priusquam hinc discedo, memoranda sunt reliqua acta duo per Maiolum abbatem, notis chronicis destituta, quorum unum est de concessione cœnobii sancti Marcelli apud Cabilonem, de qua sic charta Tetbaldi comitis Cabilonensis, ex chartario S. Marcelli et ex Bibliotheca Cluniacensi, col. 314. Ego in Dei nomine Tetbaldus comes Cabilonensium omnibus filiis sanctæ Ecclesiæ in Domino salutem. Audivi a prædecessoribus meis et vicinis antiquis viris quod nobilissimus comes Gaufredus, qui post mortem præstantissimi et Christianissimi comitis avi mei Lamberti accepit ejus conjugem aviam meam Adheleidam comitissam, accessit ad beatæ recordationis abbatem Maiolum, et commendavit illi monasterium in suburbio Cabilonensium civitatis a Guntramno nobilissimo et religioso rege magnifice constructum, ubi requiescit corpus B. Marcelli martyris, eo tenore, ut religionem monastici ordinis, quæ pene ibi abolita fuerat, reformaret, et terram et possessiones ad ipsum locum pertinentes excoleret, et ut ipse et successores ejus Cluniacenses abbates monasterium perpetualiter haberent et possiderent. Hunc autem commendationem sive donationem fecit supradictus comes Gaufredus domno Maiolo cum consilio conjugis suæ Adeleidis et filii ejus Hugonis, tunc clerici, postea episcopi, adjuvante et laudante Henrico duce. Postea vero regnante serenissimo rege Rotberto avunculus meus domnus Hugo comes et episcopus, præsente ipso rege et comitibus et episcopis istius patriæ, monasterii donum tradidit domno Odiloni abbati, successori abbatis Maioli, ut ipse jure antecessoris sui locum haberet, teneret ac possideret. Ego vero gratia Dei comes Tetbaldus quod antecessores mei et parentes Deo et sancto Petro et loco Cluniacensi dederunt, laudo, volo et firmo, et uxori meæ et meis fidelibus laudare et firmare facio, etc. Signum Tetbaldi comitis, S. Ermentrudis ejus conjugis, etc.

32. Alia charta est Maioli abbatis, qua Humberto de Bellojoco quasdam obedientias commendat sub hoc titulo: « Notitia commendationis, quam venerabilis memoriæ Maiolus fecit Humberto de Bellojoco de his obedientiis, Algoia, Pola. Scotiolas, Arpajaco, ita dicens: Commendo tibi has supranominatas obedientias ad custodiendum ac defendendum a malis et perversis hominibus, in loco satisfactionis et emendationis pro innumeris malis, quæ nobis fecisti, pro quibus te excommunicare debeamus : ita tamen, ut pauperibus nostris reddas quæ tu eis tulisti. Facio autem hanc commendationem tibi, non ut aliquem censum per consuetudinem requiras in his obedientiis ; quod cum summa diligentia et animadversione interdico et excommunico, nisi tantum si transitum habueris juxta obedientiam cum 6 aut 10 militibus, et monachus spontanee te admonuerit, reficias, et post refectionem viam tuam teneas, nec præsumas ibi jacere. S. Alberici comitis qui hanc notitiam laudavit. » Ubi vides *obedientiæ* vocabulum jam sumptum sæculo x pro ministerio seu cella, cui unus pluresve monachi præfecti erant. Hactenus instrumenta præcipua sub Maiolo facta retulimus, quæ omnia non Maiolo ipsi, sed vel monasterio Cluniacensi, cui Maiolus præerat, vel monachis, vel certe in manus Maioli abbatis facta dicuntur, uti et quævis aliæ donationes monasteriis factæ : quo magis mirari subit nonnullos homines, quia abbati non monachis quaslibet donationes factas fuisse audent affirmare, contra certam et exploratam veterum traditionem. Omnes chartæ sub Maiolo conditæ sunt numero 859.

V. *Monasteria per Maiolum reformata.*

33. Postquam varias donationes Cluniaco factas retulimus, nunc de cæteris ejus factis agendum est : quo in genere multa de ejus virtutibus tradit Syrus, quæ hoc loco repetere non juvat. Nonnulla retulisse sufficiat, quæ illustratione indigent. In primis commemoranda venit ejus familiaritas cum Ottone Magno seu primo ejusque filio Ottone secundo, et cum Adheleide Augusta prioris uxore, quæ eum ad restituendam in multis monasteriis regularem disciplinam adhibuit. De Ottone Magno hæc Syrus memoriæ prodidit in lib. II : Magnus Otto, qui tunc temporis rempublicam gubernabat, tanti viri virtute plurimorum relatione comperta, ejus præsentiam ardentius cupiebat. Hic enim vir, licet imperiali potiretur fastigio, magna tamen erat illi circa monasteria devotio ; quia nequaquam se feliciter imperium sperabat tenere, nisi summo Regi studeret non displicere. Et ideo sæpius ingemiscebat, dum qui per religionis habitum Deo se devoverant, sæculari intentos negotio ire per abrupta cernebat. Et infra. Huic conjunx Adheleis inhærebat, quæ Deo amabilis et omnibus diligibilis, ita regali copulabatur toro, ut mentem castam omni custodia Regi servaret superno. » Subdit Syrus Maiolum venisse in amborum notitiam præsertim ex relatu Heldrici inter palatinos præcipui. Unde factum est, ut Otto Maiolum accerseret. « Quem

adeo pro salutari dilexit doctrina, ut quæ in Italia sibi subdebantur et Germania, ejus ordinationi vellet committere. In his beati Apollinaris cœnobium, quod per viginti quatuor stadiorum spatium a Ravennate urbe fertur sepositum, ad beati Benedicti instituit (id est restituit) tramitem, ibique suum ordinavit abbatem. Præterea imperatricis non contemnendæ petitionis tunc exoratus instantia, juxta Ticinensem urbem desudare cœpit in fabrica. » Id accidisse puto anno 966, quo Maiolus Ticini erat, ex dictis supra num 21. Classense appellabatur sancti Apollinaris Ravennense monasterium : de Ticinensi ita scribit Odilo in lib. I de Vita Adalheidis imperatricis. « Postmodum in Italia juxta Ticinensem urbem monasterium a fundamentis incœpit, et ad honorem Salvatoris mundi imperiali auctoritate et sua largissima donatione perfecit, ac jam dicto Maiolo ordinandum regulariter » tradidit. Monasterium in Cœloaureo interpretatur Nalgodus, quod longe ante id ad tempus a Liutprando conditum fuisse diximus in secundo II, ubi de translatione S. Augustini et de Vita S. Appiani. Maioli etiam opera usus est Sigefridus Parmensis antistes, qui mellifluis ejus admonitionibus multa ad cœnobialem usum apta constituit in Parmensi cœnobio sancti Joannis evangelistæ. ut superius vidimus in Actis sancti Joannis primi ejus loci abbatis.

34. Per idem tempus Maiolus « Romam venturus » (*sic rem memorat Petrus Damiani in opusculo* 33) « præcepit cuidam fratri ut secum pergeret, quia sicut rogatus fuerat, eum in monasterio sancti Pauli priorem constituere decrevisset. Ille vero nonnulla difficultatis obstacula reluctatus opposuit, et modo hoc, modo illud, tandem obstinatus obedire contempsit. Maiolus autem inobedientiam fratris æquanimiter tulit, eoque relicto, itinere quod decreverat commeavit. Cumque frater in monasterio per inobedientiam remansisset, et reliqui fratres in eum vehementer inveherent, tandem ad cor reversus, post Maiolum festinanter acceleravit. Mox ad quemdam fluvium pervenit, cujus vir Domini jam vada transierat, et super ripam adhuc alteram consistebat. Cum itaque monachus in citeriori se fluminis crepidine figeret, quoniam absente navigio transitum non haberet, videns procul astare magistrum, quod solum potuit, præsto corruens in terram se humiliter stravit; et quia veniam deprecans per oris organum forte non posset audire clamorem, de toto corpore linguam fecit. Quod dum Maiolus eminus aspexit, quid hoc esset incunctanter agnovit : moxque misso remigio transferri ad se monachum fecit; quem præsto vir Dei ad quid venisset inquirit. At ille simul et de præteritis veniam deprecatur, et impleturum se de cæteris quidquid injungeret pollicetur. Tum ille : Vis, inquit, absque dubio pœnitentiam. Quo respondente : Volo. Protinus addidit: Huic igitur osculum præbe : nam casu tuberosæ cutis illic leprosus astabat. Ille confestim in ejus osculum ruit, moxque lepra mundati corporis prorsus evanuit. » Ex his ita infert Petrus Damiani : « Sic sancta obedientia fructum suæ humilitatis invenit, dummodo veniam se corrigendo promeruit. Sed et signum insuper tam perspicuæ virtutis ostendit : et cui superbia pene potuit apostaticam inferre perniciem, humilitas dedit apostolicam exhibere virtutem. »

35. Redeo ad restitutam per Maiolum in monasteriis etiam Germanicis disciplinam, ex quibus nulla Syrus aliive signanter enuntiant, nisi quod Syrus Aldebaldum in epistola vitæ præfixa, missum in Germaniam, secum asportasse dicit Maioli Vitam, quam postea Odilo in cœnobio Morbacensi repererit; quod argumento est ipsum locum suscepisse normam monasterii Cluniacensis. De Paterniaco, quod in diœcesi Lausanensi situm est, ita S. Odilo in Vita Adalheidis Augustæ. « In patris vero Ruodolfi videlicet et nobilissimi regis, et domini Chuonradi fratris, regni loco, videlicet Paterniaco, ubi matrem reginam vocabulo Bertam, Deo in omni humilitate devotam, sepulturæ tradidit, in honorem Dei Genitricis monasterium condidit, et sanctissimo patri Maiolo suisque successoribus sua munificentia, et fratris sui Chuonradi regis præcepto ordinandum perpetuo commisit. » Sed hoc novæ institutionis erat, non reformationis, de quo rursus in Actis sancti Odilonis.

36. At nullibi Cluniacensis disciplina tam late propagata est atque in cœnobiis Gallicanis, quorum non pauca Maiolus abbas in meliorem statum revocavit. In eorum numero præcipua sunt Majus monasterium, Antissiodorense sancti Germani, Reomaense sancti Joannis, Divionense S. Benigni, Fossatense sancti Mauri, aliaque de quorum nonnullis in superiori capite jam dictum est.

37. Quid in Majori monasterio apud Turonos Maiolus præstiterit, docet in bibliotheca Cluniacensi fragmentum ex gestis abbatum ejus loci, alibi ex integro editis. Ibi quippe legitur, Odonem comitem, suggerente uxore sua Hermengarde, « a Cluniaco tredecim bonæ vitæ et opinionis monachos » obtinuisse, et in locum clericorum sæcularium, qui apud Majus monasterium tum degebant, substituisse: ex quibus « unum ex tredecim, Stephani papæ et Regis Roberti vigente imperio, in abbatem sibi elegerint. » Sed allucinatur auctor in Stephano papa, siquidem nullus eo nomine pontifex Maiolo abbate sedem Romanam gubernavit. Stephanus enim VII anno 943 decessit, et Stephanus IX nonnisi anno 1057 pontificatum iniit. Subdit auctor pontificem « in monachum benedixisse Odonem comitem, » et privilegii sui auctoritate liberam concessisse eligendi abbatis facultatem a Cluniaco absolutam, Rotberti regis auctoritate approbatam, et Maiolum quidem principio restitisse, sed tandem audita privilegiarum mentione acquievisse. Quæ ut vera sint, vereor ut omnia ad Maioli tempus referri possint. Nam econtrario Maiolus initio abbatis nomen eo in loco tulit, ut docet charta Herlanni levitæ, et sui vice postea Gislebertum

abbatem institui curavit, ut alias dicemus. Idem asserit chronographus Malleacensis, qui Guthbertum primum Majoris monasterii abbatem post Maiolum vocat ad ann. 994 (Cursni *tom. II, pag.* 836). Ad reformationem hanc pertinet Gerberti epistola abbati Majoris monasterii scripta, in qua hæc verba : « Servat natura vices, terraque bona, non suo judicio diu infecunda, flores fructusque parturit. Ecce enim beati Martini cellula monachorum agmina jam dudum emortua resuscitat, Martini virtus in suis discipulis dignoscitur. E quibus beatæ conversationis alumnum, tanquam exemplar vitæ et morum, accepisse Osulfum gaudemus. » Hæc epistola in editis hunc titulum præfert : *Adalberto archiepiscopo abbati Majoris monasterii.* Sed legendum puto, *Adalbero archiepiscopus*, ut hæc epistola scripta sit a Gerberto in persona Adalberonis Remorum archiepiscopi, uti et aliæ quædam.

38. Venio ad Antissiodorense sancti Germani monasterium, de quo hæc legimus in historia episcoporum Antissiodorensium capite 47 in Heriberto episcopo his verbis : « Hujus ergo pontificatus tempore, dux Heinricus ejus frater, ut erat totius religiositatis amator, monasterium beati Germani domno Maiolo commisit abbati, qualiter videlicet regularis normæ tramitem inibi constitueret, sicut per multa loca tam in Italia quam in Gallia dignoscebatur fecisse monachorum. Longo enim jam transacto tempore, locus ibidem absque abbate a præpositis regebatur. Qui gratanter illum suscipiens, regulari districtione quæque repererat devia, ad unguem correxit. Postmodum vero vir sanctus ac venerabilis Maiolus præfecit ibidem virum honorabilem Heldricum abbatem, qui et ipse prædictum locum ad regularis beati Benedicti tramitis informavit callem. Quem prædictus episcopus, nec non et frater ejus dux Henricus nimio cum suis dilexerunt amore. » Sic legitur in tomo I Bibliothecæ Labbeanæ, ubi item edita est historia de Gestis abbatum sancti Germani Antissiodorensis, in cujus capite primo hæc fusius referuntur ; atque Heldrici abbatis ibidem institutio facta dicitur « anno Domini 989. » Qui Heldricus « propter suam sanctitatem et religionis fervorem multis nobilibus charus fuerit : » in cujus gratiam « venerabilis Deo digna ducissa Gersendis, sæpedicti ducis (Henrici) uxor a viro suo petiit, et obtinuit monasterium sancti Leodegarii, quod Campellis dicitur, eidem committi, sperans illud per eum ad regularis vitæ normam posse reduci. Idem enim monasterium a bonæ memoriæ Theodrada (*al.* Theogradam) regina (scilicet filia Caroli M.; nam filias regum reginas dici mos erat) restauratum fuerat, et monastico ordini mancipatum ; sed jam peccatis exigentibus a plusquam ducentorum annorum spatio ab hujus sancti propositi lumine funditus exstinctum. » Exstat hac de re diploma Rotberti regis in lib. VI De Re diplomatica, pag. 578, ubi corrigenda notatio de cœnobio sancti Leodegarii Campellensi : quod non de Campellensi diœcesis Parisiensis, sed de alio cognomine diœcesis Lingonensis intelligendum est, ubi hactenus exstat prioratus prædicto sancto Germano subjectus. Mitto alia multa quæ in jam dicta historia abbatum sancti Germani de Heldrico leguntur, cujus obitus post annos circiter 21 regiminis contigisse dicitur XIX *Kalendas Januarii*. Is videtur Heldricus a Syro laudatus in sequentis Vitæ libro II, apud Ottonem Magnum « in laicali potentia præcipuus, qui quondam in Italia inter cæteros palatinos exstitit honorabilis : qui uxori cum magna rerum copia abrenuntians, deposito cingulo Cluniaco se conferens, beati Benedicti se subdidit proposito. » In prædicta sancti Germani abbatum historia legitur, Heldricum eo tempore, quo Rotbertus rex Antissiodorum expugnabat, cum Odilone Cluniacensi abbate se transtulisse « ad aliud monasterium suæ ditioni subditum, quod Reomaum (Reomaens) vocatur : » quod monasterium Maiolo abbati paruisse docet historia Reomaensis, Roverio auctore, sed non ita ut Cluniaco *subjectum* esset eo modo quo postea sub Hugone hæc subjectio se habuit.

39. Idem in Divionensi sancti Benigni ascetorio Maiolus præstitisse perhibetur in chronico Benigniano. Bruno siquidem Lingonensis antistes locum in melius reformare volens, Maiolum adiit ejus rei gratia : « Cujus precibus flexus reverendus abbas Maiolus dedit ei duodecim monachos disciplina sanctæ religionis instructos, divina et humana sapientia doctos, nobilitate carnali claros. His abbatem præfecit Willelmum nomine, et patrem spiritualem sibi poscentibus filiis petiit. » Sed de eo plura in hujus Vita in sæculo sequenti.

40. Ejusdem negotii causa Fiscamnum arcessitus est a Richardo Nortmannorum duce Maiolus, ut in locum canonicorum monachos istuc restitueret. Id vero aggredi noluit vir sanctus, ni Richardus tributum, « quod pasnagium dicitur » (*Sæc.* II *Bened. pag.* 975), subditis suis relaxaret : quod cum duci non placuisset, res ad Willelmi abbatis mox laudati tempus dilata est.

41. Sed illustris in primis fuit reformatio cœnobii sancti Mauri Fossatensis prope Parisios, late descripta in Actis Burchardi comitis, quam in sæculo proximo referemus. Ibi quippe legitur istius cœnobii statum Magenardo abbate eo prolapsum fuisse, ut abbas ipse nobilis quidem, sed vitæ solutioris, « depositis monachalibus indumentis, pretiosarum pellium tegumentis exornaretur, calamantumque optimum pro capitio humili capiti imponeret ; » qui ritus et in aliis monasteriis Gallicanis in usum venerit. Burchardus loci conditionem miseratus, Adico monacho instigante regem Hugonem interpellavit, ut sibi restituendæ inibi disciplinæ provincia committeretur. Annuente rege Burchardus ad Maiolum perrexit, qui tandem ægre acquiescens, « acceptis perfectioribus sui cœnobii fratribus, » isthuc accessit. Solutioribus monachis data optione vel cum Maioli discipulis commanendi, si regulariter conversari

vellent; sin minus, abeundi quo vellent, plerique *vias cordis proprii* prælegerunt, ipseque abbas Magenardus, « nobilis progenie, » quippe « ex sanguinitate Ansoaldi divitis » civis Parisini, « in cœnobium sancti Mauri, quod Glannafolium dicitur, » tunc Fossatensi subjectum, « transmissus est. » At sanctus Maiolus prædictum locum « cum suis suscipiens monachis, districtionem regularis ordinis districte observare cœpit. » Ejus rogatu Hugo rex in alimoniam fratrum concessit villam Mansiores, dato diplomato, quod exstat in lib. VI De Re diplomatica, pag. 576, « XII Kal. Julii, indict. 2, anno 2 regnante Hugone rege, » id est anno Christi 989, non præcedente, ut Odo monachus in Vita Burchardi comitis, aliique male interpretati sunt. Verum Maiolus Cluniacum regredi coactus, locum commisit « cuidam religioso viro, nomine Teutoni, quem Cluniaco secum adduxerat. » Hugone rege mortuo cum Maiolus eo reverti cunctaretur, Rotbertus ejus filius « consilio et hortatu comitis ejusdem Teutoni donum abbatiæ isdem rex dedit, cumque abbatem ordinare præcepit. Quod cum ad aures Cluniacensium pervenisset, valde tristes effecti sunt, quia cupiebant sibi ipsum locum in cellam redigere. » At Teutonem (de quo plura inferius) curante Maiolo abbatem ibi institutum puto. Neque enim dum apud Cluniacenses vigebat mos ille abbatias redigendi in cellas: sed coabbates instituebantur sub Cluniacensi abbate, præterquam in minoribus monasteriis, quæ tunc « abbatiæ, cellæ, et obedientiæ, » nunc prioratus appellantur. Sed hac de re fusius in præfatione dictum est. In majoribus vero cœnobiis ubi vivere desierat is, quem sui loco abbas Cluniacensis tum instituerat, redibat ad monachos ejus cœnobii proprium abbatem eligendi facultas.

42. Tale erat Floriacense monasterium, quod ab Odone abbate ad regularum vitam reformatum, postea varias turbas sustinuit in eligendo post Oylboldi (ut puto) mortem abbate. Nam cum superbus quidam monachus per factionem intrusus fuisset in ejus loci regimen, pii quique uti pro domo Dei se opposuerunt, in primis Gerbertus, cujus plures hac de re epistolæ exstant. Una est nonagesima quinta ad fratres Floriacenses ex persona Remensium abbatum. « Non immerito, inquiunt, nos unius collegii esse profitemur, qui vestra felicitate erigimur, vestro infortunio etiam opinione clarissimorum hominum humiliamur. Hanc sanctissimam societatem castissimamque amicitiam quorumdam fœdat ambitio lasciva, detestabilis audacia, dum per factionem is vobis præficitur pater, quem verissimi non metuant damnare Patres: et quomodo una est Ecclesia catholica, cunctorumque fidelium una societas, a sententiis eorum non deviare decrevimus, qui in Ecclesia Domini, velut clarissimæ stellæ, relucent in perpetuas æternitates. An non lucidissima est stella reverendus pater Maiolus? an non præfulgidum sidus pater Egberdus? Alter in epistola quam patri nostro venerabili Adalberoni archiepiscopo nuper direxit (querebatur enim ejus sententia de prælatura patris vestri) inter cætera sic dicit: Persona quidem vobis jam olim infami conversatione erat famosa, » etc. Cujus fuerit hæc epistola, Maioli, an Egberti (nam uterque consultus fuerat), inde non liquet. Gerberti epistola 88 scripta est « ex persona Adalberonis archiepiscopi abbati Maiolo Cluniacensi, » ex qua colligere licet, Maioli eam epistolam esse, cujus verba in epistola 95 referuntur. Maiolum quippe arguit Adalbero, quod in hac causa aliter scribat quam se gerat. « Præclara quidem, ait, exhortatio vestra in pervasorem; sed cum scriptum sit: Quæ cœpit Jesus facere et docere, cur diversa imperia, diversa cœli climata prætenditis, ut ei quem reum statuistis, aliis non communicantibus communicetis? Detestamini ergo pervasorem, sentiat vos sibi non favere, non sibi communicare, ac per vos non solum quosque religiosos vestri ordinis, sed etiam, si fieri potest, Romani pontificis se maledictis urgeri. » Sed et alia ipsius Gerberti ad Maiolum epistola 70 eodem tendit. « Etsi vigilanti cura super vestro grege occupati estis, propensioris est tamen charitatis, si alieni gregis contagio interdum medemini. Floriacensis cœnobii propter reverentiam patris Benedicti summum locum penes monachos, ut aiunt, pervasor occupavit. Si vos tacetis, quis loquetur? hoc incorrecto, quis improbus similia non sperabit? Nos quidem hæc zelo divini amoris dicimus, et ut nostro examine, si probus est, recipiatur; si improbus, omnium abbatum ac monastici ordinis societate ad pœnam suæ damnationis privetur: quod vobis ratum, litteris vestris nobis fiet acceptissimum. » Ex hac epistola intelligimus, quod superius dicebamus, Floriacense monasterium Maiolo fuisse *alieni gregis*, ac proinde Cluniaco haudquaquam subjectum, tametsi per sanctum Odonem, qui et ibidem abbas fuit, ad regularem vitam restitutum.

43. Quis fuerit Egbertus seu Ebrardus abbas ille, ad quem Gerbertus, tanquam ad alterum monastici ordinis sidus, de eodem argumento scribit, non satis explicatum est. Tres ad eum Gerberti leguntur epistolæ, nempe 81 et 89 contra invasorem Floriacensem, et 44 de re litteraria. Hæc ita inscripta est: *Egberto abbati Turonensi*; aliæ *Egberdo*, et ad marginem alia est ascripta lectio, *Evrardo et Ebrardo*. Scriptæ sunt hæ epistolæ, ut mox dicemus, sub annum 987, quo tempore Bernerius Majori monasterio præerat, sancti Juliani cœnobio *Evrardus*, quem ipsum esse puto, cui istæ epistolæ directæ sunt. In laudem ejus fere tota est epistola 89: « Quæ morum gravitas vobis insit, quam integer vitæ actus, quam purum eloquium, litteræ vestræ palam fecerunt. Itaque studium pietatis ac severitatis vestræ movit nos ire in vestram sententiam, virque ille Deo plenus, ad quem multam fidem habemus. Submovebimus ergo illum perfidum a societate nostra, nostrorumque judicio tantorum Patrum: isque nobis habebatur hostis, qui in sententiam reverendi patris Maioli et colendi patris Egberdi dicere non dicenda attentabit.

Quod si divinitate propitia favorem principum obti- A nebimus, ad hæc utilia majora jungemus. » Hic *principum* nomine intelligi videntur Hugo et Rotbertus Francorum reges, quorum anno primo hæ turbæ motæ videntur, mortuo Oylboldo abbate. Tunc enim cum pars Floriacensium in Abbatem conspiraret, alii « huic electioni pervicacius remisi sunt, » ut scribit Aimoinus in Vita sancti Abbonis. Sane Gerberti epistolæ, quæ has proxime antecedunt sequunturque, post Lotharii regis obitum scriptæ sunt, tametsi in epistolarum serie haud accurata est temporis ratio. Sed non diu supervixit invasor ille, a Maiolo et Egberto rejectus, qua de re Gerbertus Constantino Floriacensi monacho gratulatur in epistola 142 : « Congratulamur tibi, dulcissime frater, pervasore atque hoste monasticæ religionis ad B multorum salutem humanis rebus exempto. Insta ergo, et si jam patrem tua ac fratrum dilectione dignum habes, habeamus et nos præsentem tua opera proxime in festo beati Remigii. » Hæc prolixius exponenda fuere, tum quod in Maioli et Egberti gloriam redundent, tum quia sancti Abbonis Actis præferunt lucem.

44. Sed jam tempus est, ut hoc caput de monasteriorum facta per Maiolum reformatione absolvamus, observando ea quæ sub finem vitæ ab eo facta sunt pro cœnobio sancti Dionysii. « Eadem siquidem tempestate, inquit Syrus, regis Francornm impellebatur nimia importunitate, ut secundum beati patris Benedicti magisterium beati Dionysii disponeret monasterium. Qui ut opus bonum ad finem vitæ usque perduceret, licet finem dierum suorum jam C jamque adfore non ignoraret, proficisci tamen ob istiusmodi causam minime recusavit. » Verum in itinere Silviniaci morte interceptus est. Ex his omnibus intelligitur verum esse quod Syrus de Maiolo scripsit in lib. II, nempe cum « regularis vitæ disciplinam, quæ jam pene deciderat per veterum negligentiam, in pristinum statum restituisse, ac per diversas mundi partes perplura monasteria a regulari tramite devia, tam per se, quam per suos quos abbates ordinaverat, monastico ordini subdidisse, » id est restituisse.

VI. *Maioli captivias sub Saracenis. Romanus pontificatus ab eo recusatus. Reconciliatus Otto II cum matre; Romanæ ejusdem peregrinationes.*

45. Initio libri tertii Syrus agit de captivitate D Maioli sub Saracenis, qui tunc Penninas Alpes insidebant jam inde ab eo tempore, quo ex Hispania in Italia effusi, Hugoni Italiæ regi adversus Berengarium suppetias tulerunt. Idipsum de Maiolo commemorat Glaber Rodulfus in lib. I, cap, 4, ubi ejus epistolam ad suos Cluniacenses pro suo lytro refert, et factum duplex a Syro aliisque prætermissum. Nempe Saraceni « cum ei hora prandii obtulissent cibos, quibus vescebantur, carnes videlicet panemque admodum asperum, et dicerent : Comede, respondit : Ego vero si esuriero, Domini est me pascere : ex his tamen non comedam, quia non nihil usui fuerunt. Cernens enim unus illorum viri Dei reverentiam, pietate ductus, exuens brachia simulque abluens, et clypeum, super quem etiam in conspectu venerabilis Maioli satis mundissime panem conficit; quem etiam calidissime decoquens, ei reverentissime detulit. Ipse quoque suscipiens illum, atque ex more oratione præmissa ex eodem reficiens, Domino gratias egit. » Aliud factum ejusmodi est : « Alius quoque Saracenorum eorumdem cultro deplanans ligni castulam, posuit incunctanter pedem super viri Dei codicem, bibliothecam scilicet *id est codicem bibliorum* quam ex more secum semper consueverat. Dumque vir sanctus intuens ingemuisset, aliqui minus feroces ex ipsis perspicientes, suum increpuerunt comparem, dicentes, non debere magnos prophetas sic pro nihilo duci, ut illorum dicta pedi substerneret... Præterea, ut B. Maioli sanctitas claresceret, is qui ejus volumen pede calcaverat, eodem die pro quavis occasione, revera judicio Dei, cæteri furiose irruentes in eum, eumdem ei truncaverunt pedem. Plures enim jam ex ipsis erga eum cœperunt mitiores ac reverentiores existere. » De hac Maioli comprehensione S. Odilo pauca hæc habet. « Inter cætera mala quæ populus ille nefandissimus gessit, beatissimum patrem Maiolum, a liminibus apostolorum redeuntem, fraude et insidiis cepit, rebus omnibus exspoliatum alligavit, fame et siti afflixit. Ille vero divinitus absolutus, ad postremum monasterii sui pecuniis redemptus, de manibus illorum Domino protegente evasit illæsus, et ejus injusta captio expulsionis illorum et perpetuæ perditionis fuit occasio. Sicut vero post passionem Christi Judæi sunt a sui exsulati, ita post captionem servi illius et fidelissimi ejus famuli. Maioli, Saraceni a finibus Christianorum sunt expulsi, et sicut per Titum et Vespasianum Romanorum principes Dominus de Judæis vindictam exercuit, ita per Willelmum illustrissimum virum et Christianissimum principem, meritis B. Maioli, jugum Saracenorum ab humeris Christianorum deposuit, et multa terrarum spatia, ab eis injuste possessa, ab eorum tyrannica dominatione, potenti virtute eripuit. » Hæc sub annum 973 contigere.

45*. « Non longa post tempora, inquit Syrus, Romana sede proprio viduata pastore, idem Dei famulus, Ottonis secundi juncta cum matris prece, Italiam repetere a partibus est coactus Galliæ, A matre tunc et filio honore susceptus dignissimo, ad culmen apostolicæ dignitatis precibus impelli cœpit continuatis : sed cui magis objectio, quam expeteretur elatio; nullatenus ad se promovere potuit sublimitatis ambitiio. » Hanc itaque dignitatem constanter recusavit : Nalgodus id accidisse tradit, « cum navis Ecclesiæ rectoris præsidio destituta, in hujus vitæ fluctuantis incerto diversis molestiis pulsabatur. » Henschenius, qui Nalgodum Maioli discipulum existimavit id retulit ad illud tempus, quando Benedictus papa VI anno 974 conjectus in carcerem, ibique strangulatus est a Francone quo-

vellent ; sin minus, abeundi quo vellent, plerique *vias cordis proprii* prælegerunt, ipseque abbas Magenardus, « nobilis progenie, » quippe « ex sanguinitate Ansoaldi divitis » civis Parisini, « in cœnobium sancti Mauri, quod Glannafolium dicitur, » tunc Fossatensi subjectum, « transmissus est. » At sanctus Maiolus prædictum locum « cum suis suscipiens monachis, districtionem regularis ordinis districte observare cœpit. » Ejus rogatu Hugo rex in alimoniam fratrum concessit villam Mansiones, dato diplomato, quod exstat in lib. VI De Re diplomatica, pag. 576, « XII Kal. Julii, indict. 2, anno 2 regnante Hugone rege, » id est anno Christi 989, non præcedente, ut Odo monachus in Vita Burchardi comitis, aliique male interpretati sunt. Verum Maiolus Cluniacum regredi coactus, locum commisit « cuidam religioso viro, nomine Teutoni, quem Cluniaco secum adduxerat. » Hugone rege mortuo cum Maiolus eo reverti cunctaretur, Rotbertus ejus filius « consilio et hortatu comitis ejdem Teutoni donum abbatiæ isdem rex dedit, cumque abbatem ordinare præcepit. Quod cum ad aures Cluniacensium pervenisset, valde tristes effecti sunt, quia cupiebant sibi ipsum locum in cellam redigere. » At Teutonem (de quo plura inferius) curante Maiolo abbatem ibi institutum puto. Neque enim dum apud Cluniacenses vigebat mos ille abbatias redigendi in cellas : sed coabbates instituebantur sub Cluniacensi abbate, præterquam in minoribus monasteriis, quæ tunc « abbatiæ, cellæ, et obedientiæ, » nunc prioratus appellantur. Sed hac de re fusius in præfatione dictum est. In majoribus vero cœnobiis ubi vivere desierat is, quem sui loco abbas Cluniacensis tum instituerat, redibat ad monachos ejus cœnobii proprium abbatem eligendi facultas.

42. Tale erat Floriacense monasterium, quod ab Odone abbate ad regularum vitam reformatum, postea varias turbas sustinuit in eligendo post Oylboldi (ut puto) mortem abbate. Nam cum superbus quidam monachus per factionem intrusus fuisset in ejus loci regimen, pii quique uti pro domo Dei se opposuerunt, in primis Gerbertus, cujus plures hac de re epistolæ exstant. Una est nonagesima quinta ad fratres Floriacenses ex persona Remensium abbatum. « Non immerito, inquiunt, nos unius collegii esse profitemur, qui vestra felicitate erigimur, vestro infortunio etiam opinione clarissimorum hominum humiliamur. Hanc sanctissimam societatem castissimamque amicitiam quorumdam fœdat ambitio lasciva, detestabilis audacia, dum per factionem is vobis præficitur pater, quem verissimi non metuant damnare Patres : et quomodo una est Ecclesia catholica, cunctorumque fidelium una societas, a sententiis eorum non deviare decrevimus, qui in Ecclesia Domini, velut clarissimæ stellæ, relucent in perpetuas æternitates. An non lucidissima est stella reverendus pater Maiolus ? an non præfulgidum sidus pater Egberdus ? Alter in epistola quam patri nostro venerabili Adalberoni archiepiscopo nuper direxit (querebatur enim ejus sententia de prælatura patris vestri) inter cætera sic dicit : Persona quidem vobis jam olim infami conversatione erat famosa, » etc. Cujus fuerit hæc epistola, Maioli, an Egberti (nam uterque consultus fuerat), inde non liquet. Gerberti epistola 88 scripta est « ex persona Adalberonis archiepiscopi abbati Maiolo Cluniacensi, » ex qua colligere licet, Maioli eam epistolam esse, cujus verba in epistola 95 referuntur. Maiolum quippe arguit Adalbero, quod in hac causa aliter scribat quam se gerat. « Præclara quidem, ait, exhortatio vestra in pervasorem ; sed cum scriptum sit : Quæ cœpit Jesus facere et docere, cur diversa imperia, diversa cœli climata prætenditis, ut ei quem reum statuistis, aliis non communicantibus communicetis ? Detestamini ergo pervasorem, sentiat vos sibi non favere, non sibi communicare, ac per vos non solum quosque religiosos vestri ordinis, sed etiam, si fieri potest, Romani pontificis se maledictis urgeri. » Sed et alia ipsius Gerberti ad Maiolum epistola 70 eodem tendit. « Etsi vigilanti cura super vestro grege occupati estis, propensioris est tamen charitatis, si alieni gregis contagio interdum medemini. Floriacensis cœnobii propter reverentiam patris Benedicti summum locum penes monachos, ut aiunt, pervasor occupavit. Si vos tacetis, quis loquetur ? hoc incorrecto, quis improbus similia non sperabit ? Nos quidem hæc zelo divini amoris dicimus, et ut nostro examine, si probus est, recipiatur ; si improbus, omnium abbatum ac monastici ordinis societate ad pœnam suæ damnationis privetur : quod vobis ratum, litteris vestris nobis fiet acceptissimum. » Ex hac epistola intelligimus, quod superius dicebamus, Floriacense monasterium Maiolo fuisse *alieni gregis*, ac proinde Cluniaco haudquaquam subjectum, tametsi per sanctum Odonem, qui et ibidem abbas fuit, ad regularem vitam restitutum.

43. Quis fuerit Egbertus seu Ebrardus abbas ille, ad quem Gerbertus, tanquam ad alterum monastici ordinis sidus, de eodem argumento scribit, non satis explicatum est. Tres ad eum Gerberti leguntur epistolæ, nempe 81 et 89 contra invasorem Floriacensem, et 44 de re litteraria. Hæc ita inscripta est : *Egberto abbati Turonensi* ; aliæ *Egberdo*, et ad marginem alia est ascripta lectio, *Evrardo et Ebrardo*. Scriptæ sunt hæ epistolæ, ut mox dicemus, sub annum 987, quo tempore Bernerius Majori monasterio præerat, sancti Juliani cœnobio *Evrardus*, quem ipsum esse puto, cui istæ epistolæ directæ sunt. In laudem ejus fere tota est epistola 89 : « Quæ morum gravitas vobis insit, quam integer vitæ actus, quam purum eloquium, litteræ vestræ palam fecerunt. Itaque studium pietatis ac severitatis vestræ movit nos ire in vestram sententiam, virque ille Deo plenus, ad quem multam fidem habemus. Submovebimus ergo illum perfidum a societate nostra, nostrorumque judicio tantorum Patrum : isque nobis habebatur hostis, qui in sententiam reverendi patris Maioli et colendi patris Egberdi dicere non dicenda attentabit.

Quod si divinitate propitia favorem principum obtinebimus, ad hæc utilia majora jungemus. » Hic *principum* nomine intelligi videntur Hugo et Rotbertus Francorum reges, quorum anno primo hæ turbæ motæ videntur, mortuo Oylboldo abbate. Tunc enim cum pars Floriacensium in Abbanem conspiraret, alii « huic electioni pervicacius renisi sunt, » ut scribit Aimoinus in Vita sancti Abbonis. Sane Gerberti epistolæ, quæ has proxime antecedunt sequunturque, post Lotharii regis obitum scriptæ sunt, tametsi in epistolarum serie haud accurata est temporis ratio. Sed non diu supervixit invasor ille, a Maiolo et Egberto rejectus, qua de re Gerbertus Constantino Floriacensi monacho gratulatur in epistola 142 : « Congratulamur tibi, dulcissime frater, pervasore atque hoste monasticæ religionis ad multorum salutem humanis rebus exempto. Ista ergo, et si jam patrem tua ac fratrum dilectione dignum habes, habeamus et nos præsentem tua opera proxime in festo beati Remigii. » Hæc prolixius exponenda fuere, tum quod in Maioli et Egberti gloriam redundent, tum quia sancti Abbonis Actis præferunt lucem.

44. Sed jam tempus est, ut hoc caput de monasteriorum facta per Maiolum reformatione absolvamus, observando ea quæ sub finem vitæ ab eo facta sunt pro cœnobio sancti Dionysii. « Eadem siquidem tempestate, inquit Syrus, regis Francornm impellebatur nimia importunitate, ut secundum beati patris Benedicti magisterium beati Dionysii disponeret monasterium. Qui ut opus bonum ad finem vitæ usque perduceret, licet finem dierum suorum jam jamque adfore non ignoraret, proficisci tamen ob istiusmodi causam minime recusavit. » Verum in itinere Silviniaci morte interceptus est. Ex his omnibus intelligitur verum esse quod Syrus de Maiolo scripsit in lib. II, nempe eum « regularis vitæ disciplinam, quæ jam pene deciderat per veterum negligentiam, in pristinum statum restituisse, ac per diversas mundi partes perplura monasteria a regulari tramite devia, tam per se, quam per suos quos abbates ordinaverat, monastico ordini subdidisse, » id est restituisse.

VI. *Maioli captivitas sub Saracenis. Romanus pontificatus ab eo recusatus. Reconciliatus Otto II cum matre; Romanæ ejusdem peregrinationes.*

45. Initio libri tertii Syrus agit de captivitate Maioli sub Saracenis, qui tunc Penninas Alpes insidebant jam inde ab eo tempore, quo ex Hispania in Italia effusi, Hugoni Italiæ regi adversus Berengarium suppetias tulerunt. Idipsum de Maiolo commemorat Glaber Rodulfus in lib. I, cap, 4, ubi ejus epistolam ad suos Cluniacenses pro suo lytro refert, et factum duplex a Syro aliisque prætermissum. Nempe Saraceni « cum ei hora prandii obtulissent cibos, quibus vescebantur, carnes videlicet panemque admodum asperum, et dicerent : Comede, respondit : Ego vero si esuriero, Domini est me pascere : ex his tamen non comedam, quia non nihil usui fuerunt. Cernens enim unus illorum viri Dei reverentiam, pietate ductus, exuens brachia simulque abluens, et clypeum, super quem etiam in conspectu venerabilis Maioli satis mundi sine panem conficit ; quem etiam elatissime deferens, ei reverentissime detulit. Ipse quoque suscipiens illum, atque ex more oratione præmissa ex eodem reficiens, Domino gratias egit. » Aliud factum ejusmodi est : « Alius quoque Saracenorum eorumdem cultro deplanans ligni castulam, posuit incunctanter pedem super viri Dei codicem, bibliothecam scilicet *id est codicem bibliorum*) quam ex more secum semper consueverat. Dumque vir sanctus intuens ingemuisset, aliqui minus feroces ex ipsis perspicientes, suum increpuerunt comparem, dicentes, non debere magnos prophetas sic pro nihilo duci, ut illorum dicta pedi substerneret... Præterea, ut B. Maioli sanctitas claresceret, is qui ejus volumen pede calcaverat, eodem die pro quavis occasione, revera judicio Dei, cæteri furiose irruentes in eum, eumdem ei truncaverunt pedem. Plures enim jam ex ipsis erga eum cœperunt mitiores ac reverentiores existere. » De hac Maioli comprehensione S. Odilo pauca hæc habet. « Inter cætera mala quæ populus ille nefandissimus gessit, beatissimum patrem Maiolum, a liminibus apostolorum redeuntem, fraude et insidiis cepit, rebus omnibus exspoliatum alligavit, fame et siti afflixit. Ille vero divinitus absolutus, ad postremium monasterii sui pecuniis redemptus, de manibus illorum Domino protegente evasit illæsus, et ejus injusta captio expulsionis illorum et perpetuæ perditionis fuit occasio. Sicut vero post passionem Christi Judæi sunt a sui exsulati, ita post captionem servi illius et fidelissimi ejus famuli. Maioli, Saraceni a finibus Christianorum sunt expulsi, et sicut per Titum et Vespasianum Romanorum principes Dominus de Judæis vindictam exercuit, ita per Willelmum illustrissimum virum et Christianissimum principem, meritis B. Maioli, jugum Saracenorum ab humeris Christianorum deposuit, et multa terrarum spatia, ab eis injuste possessa, ab eorum tyrannica dominatione, potenti virtute eripuit. » Hæc sub annum 973 contigere.

45*. « Non longa post tempora, inquit Syrus, Romana sede proprio viduata pastore, idem Dei famulus, Ottonis secundi juncta cum matris prece, Italiam repetere a partibus est coactus Galliæ, A matre tunc et filio honore susceptus dignissimo, ad culmen apostolicæ dignitatis precibus impelli cœpit continuatis : sed cui magis objectio, quam expeteretur elatio ; nullatenus ad se promovere potuit sublimitatis ambitiio. » Hanc itaque dignitatem constanter recusavit : Nalgodus id accidisse tradit, « cum navis Ecclesiæ rectoris præsidio destituta, in hujus vitæ fluctuantis incerto diversis molestiis pulsabatur. » Henschenius, qui Nalgodum Maioli discipulum existimavit id retulit ad illud tempus, quando Benedictus papa VI anno 974 conjectus in carcerem, ibique strangulatus est a Francone quo-

dam nefarios homine,qui sub Bonifacii VII nomine tyrannice sedem invasit.Quo Constantinopolim pulso cum Donus Benedicti VI (ut Henschenius putat) successor,non (quod aliis videtur) decessor, legitime institutus, cum circa finem Octobris anni 975 decessisset, Bonifacianis antipapam reducere conantibus, Otto a Romanis de electionis libertate ipsis conservanda interpellatus,Maiolum in Germaniam evocaverit,quasi cum eo super tanti momenti negotio consultaturus, priusquam legatos suos Romam mitteret interfuturos electioni.Verum Maiolus non in Germaniam, sed *in Italiam* arcessitus est, testante Syro : neque vero ante annum 980 eo profectus est Otto post obitum patris. At neque toto illo triennio, quo in Italia reliquum vitæ peregit imperator, ad annum scilicet 983, qui vitæ ejus supremus fuit,vacavit Romana sedes, cum Joannes nonnisi anno subsequente mortuus sit.Itaque facile concesserim, Syrum hoc in loco memoria lapsum pro Germania posuisse Italiam : et re quidem vera Maiolum adiisse Ottonem II in Germania tum cum matre commorantem; a quibus nunquam persuaderi potuit,ut oblatum per eas turbas pontificatum susciperet.

46.« Sub eodem tempore»Syrus subdit accidisse, ut Otto II in Adelaidem piissimam matrem suam commotus, « in eam quasi in rei publicæ dilapidatricem»excanduerit; nullumque principum,tametsi Augustæ innocentiam probe agnoscerent, « crimen a sancta matre avertere » ausum fuisse. Tum vero Maiolus ab ipsis ejus rei gratiam Papiam accitur; isque oratione sua Ottoni,ut cum matre in gratiam rediret,persuasit.Maiolum ab Ottone ipso invitatum Odilo scribit in libro de Vita ipsius Adalheidis,quæ « filium diligens, auctores discordiæ, » quam quidam *viri iniqui* inter matrem ac filium disseminabant, « ferre non valens, secundum Apostoli præceptum dans ad modicum iræ locum, paternum decrevit expetere regnum, ubi a fratre, scilicet Chuonrado, et nobilissima Mathilde ejus conjuge,» qui in Provincia regnabant,«benigne et honorabiliter est suscepta.Tristabatur de absentia ejus Germania; lætabatur in adventu ejus tota Burgundia; exsultabat Lugdunum,quondam philosophiæ mater et nutrix, nec non et Vienna nobilis sedes regia. Postmodum vero Cæsar Otto ductus pœnitentia, direxit regi avunculo legationem, et sanctæ recordationis patri Maiolo sub celerrima festinatione, obnixius deprecans, ut gratiam matris, quam propriis exigentibus culpis perdiderat,eorum interventionibus promeri posset : orans iterum et obsecrans,ut quantocius possent,una cum Augusta matre Papiam ei studerent occurrere. Tantorum enim virorum usa consilio, apud Papiam tempore constituto occurrit mater filio: quo cum mutuo se cernerent,flendo et lacrymando toto corpore solo prostrati,humiliter se salutare cœperunt.Adfuit in filio humilis pœnitudo,erat in matre liberalis remissio; permansit in utrisque de cetero perpetuæ pacis connexio.»Annales Saxonici seu Magdeburgenses mss. discordiam Ottonis cum matre reponunt anno 978. « Adelheidis imperatrix cum filia Athelheide abbatissa in Italiam profecta est propter quasdam discordias inter se et filium factas. » At non in Italiam. sed in Provinciam secessit Adelheidis,referente Odilone Adelheidis familiari : quæ reconciliatio cum facta sit Papiæ, in annum 980,quo Otto in Italiam abiit, revocanda est. Et quidem anno insequenti Pascha Romæ Otto celebravit *præsente matre*, ex Annalibus Saxonicis mss. quem paulo post ipsam reconciliationem mortuum fuisse idem Odilo affirmat.

47. Ut ea quæ hoc in capite aliisque de Maiolo diximus,magis dilucide intelligantur,varia ejus Romana Italicave itinera distinguere operæ prætium puto. Primo monachus Romam ab Aymardo abbate negotiorum causa missus est, nempe sub annum 945, ex dictis num. 17. Deinde jam abbas Papiæ versabatur anno 966, cum quædam capella juxta eam urbem ad cellam construendam ipsi concessa est,supra num.21. Syrus duo miracula ab eo Papiæ facta commemorat in lib. III, cap. 13 et 16.His adde quæ Widricus abbas Tullensis in actis sancti Gerardi episcopi commemorat de mutuo conspectu et colloquio ejusdem Gerardi cum Maiolo.Gerardus quippe Romam proficiscens « Papiam ingreditur,ubi viros magnificos,sanctum scilicet abbatum Maiolum,nec non Adalbertum post martyrem se reperisse est ineffabiliter collætatus.Pendebant singuli invicem ab alterno ore. In hac mutua confabulatione longum diei transigentes spatium,simul tres sancti convivæ resident ad prandendum. » Gerardo aquam postulanti,et vinum ex aqua cœlitus factum accipere nolenti : « Desine, inquit Maiolus, sancte pontifex,in hoc facto aliis succensere; sed percipe cum gratiarum actione, quod tibi rerum Creator sua contulit benedictione;»quod ad secundum Maioli Romanum iter referendum videtur, id est ad annum 966, qui Gerardi episcopi tertius ordinationis erat.Post hæc, id est anno 973, Roma cum reverteretur Maiolus, Ottonis Magni obitum prædixit, ex cap. 10, quæ tertia minimum est ejus peregrinatio Italica, quo tempore a Saracenis in reditu captus est. Quarta sub annum 982, cum Veronæ positus, Ottoni secundo mortem prænuntiavit. Ejus devotionem in visitandis Romæ sanctorum basilicis explicat Syrus in lib. II.

VII. *Odilonis substitutio in locum Maioli abbatis; hujus obitus, cultus, reliquiæ.*

48. Cum Maiolus senectute jam grandævus, obitum suum præsentisceret,Odilonem sibi substituendum curavit cum ad modum,quo Odo in locum Bernonis adhuc viventis, Aymardus in locum Odonis, et Maiolus ipse in locum Aymardi substituti fuerant. Hoc factum reticent Syrus, Odilo,Nalgodus,et alii : imo apud Nalgodum Maiolus Cluniacum« sine pastoris cura, sine provisoris diligentia reliquisse »dicitur.Nihilominus Odilonis electionem Maiolo vivente factam esse docet non solum instrumentum de ipsa

electione, sed etiam veteres chartæ, quæ Odilonem abbatem præferunt ante obitum Maioli. Electionis instrumentum editum est in Spicilegii tomo VI pag. 425, iisdem conceptum verbis atque charta de ipsius Maioli electione, quam superius suo loco repræsentavimus. Quapropter postrema tantum verba, quæ in Odilonis instrumento electionis leguntur, una cum subscriptionibus referre sufficiat : « Hujus vero electionis et ordinationis ejus seriem per consultum (ut diximus) primatum, comitis etiam, et advocati nostri Henrici ducis, nec non et Ottonis, litteris sanciri præcipimus, atque regulariter celebratam ordinationem in Christi nomine confirmavimus, et a Patribus ac fratribus nostris, scriptis coufirmari precati sumus. Acta Cluniacense cœnobio feliciter amen. Ego Maiolus abbas huic electioni assensum præbui et subs.; Rodulfus rex subs.; Burchardus archiepiscopus (Lugdunensis) subs.; Hugo episcopus Genevensis subs.; Aynricus episcopus Lausanensis subs.; Hugo episcopus (Matisconensis); Tento abbas (Fossatensis) subs.; Richfredus abbas; Ermenfredus episcopus; Burchardus comes; Lambertus comes; Adalbertus comes; Leotaldus archiepiscopus; Walterius episcopus (Æduensis); Hugo abbas; Wago abbas; Theobaldus abbas; Warembertus abbas; Willelmus abbas; Maiolus præpositus: Walterius præpositus; Gundulfus, David, Aynricus, Sendelenus, » et cum eis monachi centum septuaginta septem.

49. Mirabitur fortasse nonnemo, cur tot ecclesiastici ac sæculares viri huic electioni interfuerint, imo etiam electioni Odonis, Aymardi et ipsius Maioli. Verum mos ille quibusdam in locis obtinuit in electione abbatum, fluxitque ex S. Benedicti regula in cap. 64, ubi de ordinando abbate agens, vicinos episcopos, abbates, et Christianos in testimonium admittit contra electionem vitiosi abbatis. Ut autem hi aut illi convocarentur, id erat in eligentium potestate, aliquando etiam a fundatoribus jure inductnm. Sic Gregorius papa VII, postulante Adelheide comitissa, sanxit atque constituit, ut electioni abbatis beatæ Mariæ de Pinarolo interessent abbates Fructuariensis, Bremetensis, S. Solutoris Taurinensis, Clusinus et alii easum partium religiosi, apud Guichenonem in tomo I de principibus Sabaudiæ pag. 17. Sic in eligendo abbate Lezatensi locum olim habebant nobiles terræ viri, ut constat ex vetustis monumentis.

50. Quod vero Cluniacenses abbates sibi successorem eligere principio soliti sunt, inde procul dubio usu venit, ut hoc pacto extraneis intrudendi abbatis via præcluderetur. Electus autem abbas, ut in superioribus observatum, ita coadjutores vices agebat, ut ea tantum curaret quæ sibi a superstite abbate demandabantur. Ita quippe sanxerat concilium Cabilonense sub annum 650 in cap. 12 : « Ut duo abbates in uno monasterio esse non debeant, ne sub obtentu potestatis simultas inter monachos et scandala generentur Verumtamen si quilibet abbas sibi elegerit successorem, ipse qui eligitur, de facultatibus ipsius monasterii ad regendum nullam habeat potestatem. » Ita persæpe accidit, ut acta publica nomine prioris abbatis conderentur; aliquando tamen posterioris, ut in Aymardi elogio advertimus.

51. Quo tempore Odilonis electio celebrata sit, non exprimit superius instrumentum : sed ex chartis ejus nomine inscriptis eam anno 991 contigisse intelligimus. Itaque ante eum annum ac conversionem venit, tametsi ipso anno eam reponat Hugo Flaviniacensis in Chronico, qui ejus ordinationem remittit in annum 994, uti et Chronicon Cluniacense, nempe post obitum Maioli. In primis censenda est charta Humberti episcopi Gratianopolitani, qui Cluniacensi cœnobio, « ubi, inquit, domnus Odilo abbas præest, » medietatem castri de Ursilia cum toto burgo atque ecclesia sanctæ Mariæ, aliaque largitur « anno Incarnationis 991, tertio Rodulfi regis; » cui chartæ subscribunt « Fredeburgis mater ejus, Wigo frater ejus, et Humbertus episcopus de Valentia, nepos ejus. » Aliunde *anno 6 Hugonis regis* Maiolus abbas acquirit per commutationem quasdam ecclesias in comitatu Augustodunensi. Abbatis nomen haud exprimit eodem anno data charta Walterii Æduensis episcopi, largientis « Cluniacensi cœnobio, speciali sibi præ cæteris amore conjuncto, ubi pollet religio, » quidquid ad se vel ad archidiaconos pertinebat in ecclesiis suæ diœcesis Cluniaco attributis, exceptis synodalibus eulogiis. Subscribunt *Elinardus abbas*, et post præpositos et cantorem *Expertus abbas*, *Ugo abbas*, forte dignitates; deinde archipresbyteri et canonici. Anno sequenti, id est septimo Hugonis regis, invenitur charta, in qua Bernarduo vir nobilis servos aliquot manumittit « ad preces Viviani præpositi Cluniensis cœnobii et monachorum, » et dicitur « werpivisse querelam illam adversus dictum Cluni locum, cui domnus ac reverentissimus pater Odilo præest jussione sanctissimi patri Maioli. » Item « anno 7 Hugonis regis » Maiolo abbati conceditur ecclesia sancti Desiderii, eodemque anno quidam Beraldus clericus Cluniacensibus, « ubi Maiolus est abbas, » dat medietatem silvæ Adrolt. Hæc postrema sunt acta Maioli nomine insignita anno Hugonis regis septimo, desinente in annum Christi 994, qui Maioli vitæ supremus fuit.

52. Huc spectat id quod de Maiolo Syrus scribit, nempe cum « biennio priusquam obiret, a publico penitus abstinuisse, atque in monasterio aut in quadam cellula se continuisse, ut ibi aut fratres solerti studio corrigeret, et ad meliora paterna admonitione proveheret, aut sæpius remotis omnibus solus soli Deo inhæreret, atque frequenti alternatione aut lectioni, aut orationi vacaret. » Per id tempus contigit id quod de eo refert Widricus abbas Tullensis in Actis sancti Gerardi episcopi, qui cum anno eodem quo Maiolus, et quidem Aprilis 23 die obiisset, « eadem tempestate beatus Maiolus Cluniaco aderat, et in hora qua venerandus pastor sæculo eximebatur, a fratribus divino impleto officio tempus refectionis

dam nefarios homine,qui sub Bonifacii VII nomine A tyrannice sedem invasit.Quo Constantinopolim pulso cum Donus Benedicti VI (ut Henschenius putat) successor,non (quod aliis videtur) decessor, legitime institutus, cum circa finem Octobris anni 975 decessisset, Bonifacianis antipapam reducere conantibus, Otto a Romanis de electionis libertate ipsis conservanda interpellatus,Maiolum in Germaniam evocaverit,quasi cum eo super tanti momenti negotio consultaturus, priusquam legatos suos Romam mitteret interfuturos electioni.Verum Maiolus non in Germaniam, sed *in Italiam* arcessitus est, testante Syro : neque vero ante annum 980 eo profectus est Otto post obitum patris. At neque toto illo triennio, quo in Italia reliquum vitæ peregit imperator, ad annum scilicet 983, qui vitæ ejus B supremus fuit,vacavit Romana sedes, cum Joannes nonnisi anno subsequente mortuus sit.Itaque facile concesserim, Syrum hoc in loco memoria lapsum pro Germania posuisse Italiam : et re quidem vera Maiolum adiisse Ottonem II in Germania tum cum matre commorantem ; a quibus nunquam persuaderi potuit,ut oblatum per eas turbas pontificatum susciperet.

46.« Sub eodem tempore»Syrus subdit accidisse, ut Otto II in Adelaidem piissimam matrem suam commotus, « in eam quasi in rei publicæ dilapidatricem» excanduerit; nullumque principum,tametsi Augustæ innocentiam probe agnoscerent, « crimen a sancta matre avertere » ausum fuisse. Tum vero Maiolus ab ipsis ejus rei gratiam Papiam accitur ; isque oratione sua Ottoni,ut cum matre in gratiam C rediret,persuasit.Maiolum ab Ottone ipso invitatum Odilo scribit in libro de Vita ipsius Adalheidis,quæ « filium diligens, auctores discordiæ, » quam quidam *viri iniqui* inter matrem ac filium disseminabant, « ferre non valens, secundum Apostoli præceptum dans ad modicum iræ locum, paternum decrevit expetere regnum, ubi a fratre, scilicet Chuonrado, et nobilissima Mathilde ejus conjuge,» qui in Provincia regnabant,«benigne et honorabiliter est suscepta.Tristabatur de absentia ejus Germania; lætabatur in adventu ejus tota Burgundia ; exsultabat Lugdunum,quondam philosophiæ mater et nutrix, nec non et Vienna nobilis sedes regia. Postmodum vero Cæsar Otto ductus pœnitentia, direxit regi avunculo legationem, et sanctæ recor- D dationis patri Maiolo sub celerrima festinatione, obnixius deprecans, ut gratiam matris, quam propriis exigentibus culpis perdiderat,eorum interventionibus promeri posset : orans iterum et obsecrans,ut quantocius possent,una cum Augusta matre Papiam ei studerent occurrere. Tantorum enim virorum usa consilio, apud Papiam tempore constituto occurrit mater filio : quo cum mutuo se cernerent,flendo et lacrymando toto corpore solo prostrati,humiliter se salutare cœperunt.Adfuit in filio humilis pœnitudo,erat in matre liberalis remissio; permansit in utrisque de cetero perpetuæ pacis connexio.»Annales Saxonici seu Magdeburgenses mss. discordiam Ottonis cum matre reponunt anno 978. « Adelheidis imperatrix cum filia Athelheide abbatissa in Italiam profecta est propter quasdam discordias inter se et filium factas. » At non in Italiam, sed in Provinciam secessit Adelheidis,referente Odilone Adelheidis familiari : quæ reconciliatio cum facta sit Papiæ, in annum 980,quo Otto in Italiam abiit, revocanda est. Et quidem anno insequenti Pascha Romæ Otto celebravit *præsente matre*, ex Annalibus Saxonicis mss. quem paulo post ipsam reconciliationem mortuum fuisse idem Odilo affirmat.

47. Ut ea quæ hoc in capite aliisque de Maiolo diximus,magis dilucide intelligantur,varia ejus Romana Italicave itinera distinguere operæ prætium puto. Primo monachus Romam ab Aymardo abbate negotiorum causa missus est, nempe sub annum 945, ex dictis num. 17. Deinde jam abbas Papiæ vorsabatur anno 966, cum quædam capella juxta eam urbem ad cellam construendam ipsi concessa est,supra num.21. Syrus duo miracula ab eo Papiæ facta commemorat in lib. III, cap. 13 et 16.His adde quæ Widricus abbas Tullensis in actis sancti Gerardi episcopi commemorat de mutuo conspectu et colloquio ejusdem Gerardi cum Maiolo.Gerardus quippe Romam proficiscens « Papiam ingreditur,ubi viros magnificos,sanctum scilicet abbatum Maiolum,nec non Adalbertum post martyrem se reperisse est ineffabiliter collætatus.Pendebant singuli invicem ab alterno ore. In hac mutua confabulatione longum diei transigentes spatium,simul tres sancti convivæ resident ad prandendum. » Gerardo aquam postulanti,et vinum ex aqua cœlitus factum accipere nolenti : « Desine, inquit Maiolus, sancte pontifex,in hoc facto aliis succensere; sed percipe cum gratiarum actione, quod tibi rerum Creator sua contulit benedictione ;»quod ad secundum Maioli Romanum iter referendum videtur, id est ad annum 966, qui Gerardi episcopi tertius ordinationis erat.Post hæc, id est anno 973, Roma cum reverteretur Maiolus, Ottonis Magni obitum prædixit, ex cap. 10, quæ tertia minimum est ejus peregrinatio Italica, quo tempore a Saracenis in reditu captus est. Quarta sub annum 982, cum Veronæ positus, Ottoni secundo mortem prænuntiavit. Ejus devotionem in visitandis Romæ sanctorum basilicis explicat Syrus in lib. II.

VII. *Odilonis substitutio in locum Maioli abbatis ; hujus obitus, cultus, reliquiæ.*

48. Cum Maiolus senectute jam grandævus, obitum suum præsentisceret,Odilonem sibi substituendum curavit cum ad modum,quo Odo in locum Bernonis adhuc viventis, Aymardus in locum Odonis, et Maiolus ipse in locum Aymardi substituti fuerant. Hoc factum reticent Syrus, Odilo,Nalgodus,et aiii : imo apud Nalgodum Maiolus Cluniacum« sine pastoris cura, sine provisoris diligentia reliquisse »dicitur.Nihilominus Odilonis electionem Maiolo vivente factam esse docet non solum instrumentum de ipsa

electione, sed etiam veteres chartæ, quæ Odilonem abbatem præferunt ante obitum Maioli. Electionis instrumentum editum est in Spicilegii tomo VI pag. 425, iisdem conceptum verbis atque charta de ipsius Maioli electione, quam superius suo loco repræsentavimus. Quapropter postrema tantum verba, quæ in Odilonis instrumento electionis leguntur, una cum subscriptionibus referre sufficiat : « Hujus vero electionis et ordinationis ejus seriem per consultum (ut diximus) primatum, comitis etiam, et advocati nostri Henrici ducis, nec non et Ottonis, litteris sanciri præcipimus, atque regulariter celebratam ordinationem in Christi nomine confirmavimus, et a Patribus ac fratribus nostris, scriptis coufirmari precati sumus. Acta Cluniacense cœnobio feliciter amen. Ego Maiolus abbas huic electioni assensum præbui et subs.; Rodulfus rex subs.; Burchardus archiepiscopus (Lugdunensis) subs.; Hugo episcopus Genevensis subs.; Aynricus episcopus Lausanensis subs.; Hugo episcopus (Matisconensis); Teuto abbas (Fossatensis) subs.; Richfredus abbas; Ermenfredus episcopus; Burchardus comes; Lambertus comes; Adalbertus comes; Leotaldus archiepiscopus; Walterius episcopus (Æduensis); Hugo abbas : Wago abbas; Theobaldus abbas; Warembertus abbas; Willelmus abbas; Maiolus præpositus : Walterius præpositus; Gundulfus, David, Aynricus, Sendelenus, » et cum eis monachi centum septuaginta septem.

49. Mirabitur fortasse nonnemo, cur tot ecclesiastici ac sæculares viri huic electioni interfuerint, imo etiam electioni Odonis, Aymardi et ipsius Maioli. Verum mos ille quibusdam in locis obtinuit in electione abbatum, fluxitque ex S. Benedicti regula in cap. 64, ubi de ordinando abbate agens, vicinos episcopos, abbates, et Christianos in testimonium admittit contra electionem vitiosi abbatis. Ut autem hi aut illi convocarentur, id erat in eligentium potestate, aliquando etiam a fundatoribus jure inductum. Sic Gregorius papa VII, postulante Adelheide comitissa, sanxit atque constituit, ut electioni abbatis beatæ Mariæ de Pinarolo interessent abbates Fructuariensis, Bremetensis, S. Solutoris Taurinensis, Clusinus et alii earum partium religiosi, apud Guichenonem in tomo I de principibus Sabaudiæ pag. 17. Sic in eligendo abbate Lezatensi locum olim habebant nobiles terræ viri, ut constat ex vetustis monumentis.

50. Quod vero Cluniacenses abbates sibi successorem eligere principio soliti sunt, inde procul dubio usu venit, ut hoc pacto extraneis intrudendi abbatis via præcluderetur. Electus autem abbas, ut in superioribus observatum, ita coadjutores vices agebat, ut ea tantum curaret quæ sibi a superstite abbate demandabantur. Ita quippe sanxerat concilium Cabilonense sub annum 650 in cap. 12 : « Ut duo abbates in uno monasterio esse non debeant, ne sub obtentu potestatis simultas inter monachos et scandala generentur. Verumtamen si quilibet abbas sibi elegerit successorem, ipse qui eligitur, de facultatibus ipsius monasterii ad regendum nullam habeat potestatem. » Ita persæpe accidit, ut acta publica nomine prioris abbatis conderentur; aliquando tamen posterioris, ut in Aymardi elogio advertimus.

51. Quo tempore Odilonis electio celebrata sit, non exprimit superius instrumentum : sed ex chartis ejus nomine inscriptis eam anno 991 contigisse intelligimus. Itaque ante eum annum ac conversionem venit, tametsi ipso anno eam reponat Hugo Flaviniacensis in Chronico, qui ejus ordinationem remittit in annum 994, uti et Chronicon Cluniacense, nempe post obitum Maioli. In primis censenda est charta Humberti episcopi Gratianopolitani, qui Cluniacensi cœnobio, « ubi, inquit, domnus Odilo abbas præest, » medietatem castri de Ursilia cum toto burgo atque ecclesia sanctæ Mariæ, aliaque largitur « anno Incarnationis 991, tertio Rodulfi regis; » cui chartæ subscribunt « Fredeburgis mater ejus, Wigo frater ejus, et Humbertus episcopus de Valentia, nepos ejus. » Aliunde *anno* 6 *Hugonis regis* Maiolus abbas acquirit per commutationem quasdam ecclesias in comitatu Augustodunensi. Abbatis nomen haud exprimit eodem anno data charta Walterii Æduensis episcopi, largientis « Cluniacensi cœnobio, speciali sibi præ cæteris amore conjuncto, ubi pollet religio, » quidquid ad se vel ad archidiaconos pertinebat in ecclesiis suæ diœcesis Cluniaco attributis, exceptis synodalibus eulogiis. Subscribunt *Elinardus abbas*, et post præpositos et cantorem *Expertus abbas*, *Ugo abbas*, forte dignitates; deinde archipresbyteri et canonici. Anno sequenti, id est septimo Hugonis regis, invenitur charta, in qua Bernardus vir nobilis servos aliquot manumittit « ad preces Viviani præpositi Cluniensis cœnobii et monachorum, » et dicitur « werpivisse querelam illam adversus dictum Cluni locum, cui domnus ac reverentissimus pater Odilo præest jussione sanctissimi patri Maioli. » Item « anno 7 Hugonis regis » Maiolo abbati conceditur ecclesia sancti Desiderii, eodemque anno quidam Beraldus clericus Cluniacensibus, « ubi Maiolus est abbas, » dat medietatem silvæ Adrolt. Hæc postrema sunt acta Maioli nomine insignita anno Hugonis regis septimo, desinente in annum Christi 994, qui Maioli vitæ supremus fuit.

52. Huc spectat id quod de Maiolo Syrus scribit, nempe cum « biennio priusquam obiret, a publico penitus abstinuisse, atque in monasterio aut in quadam cellula se continuisse, ut ibi aut fratres solerti studio corrigeret, et ad meliora paterna admonitione proveheret, aut sæpius remotis omnibus solus soli Deo inhæreret, atque frequenti alternatione aut lectioni, aut orationi vacaret. » Per id tempus contigit id quod de eo refert Widricus abbas Tullensis in Actis sancti Gerardi episcopi, qui cum anno eodem quo Maiolus, et quidem Aprilis 23 die obiisset, « eadem tempestate beatus Maiolus Cluniaco aderat, et in hora qua venerandus pastor sæculo eximebatur, a fratribus divino impleto officio tempus refectionis

advenerat, ipseque Maiolus ad esum convocando fratres, monastico more cymbalum insonabat. » Tum obitu Gerardi divinitus comperto, eum fratribus nuntiavit, atque ipsius animam eis commendavit, ut superius de Gerardo retulimus.

53. Etsi vero a publico Maiolus prorsus abstinere animo statuisset, nihilominus ab Hugone Francorum rege de reformanda in sancti Dionysii Parisiensi cœnobio regulari disciplina sollicitatus, « licet finem dierum suorum jam jamque adfore non ignoraret, » iter arripuit per territorium Arvernense, « ibique in quadam sua cellula, Silviniaco (*Souvigny*) scilicet, nunc loco celeberrimo, ultima ægritudine exerceri cœpit, ac demum dormivit cum patribus v Iduum Maiarum, sepultusque est in basilica sancti Petri, ubi sanctissimis ejus meritis multa præstantur beneficia. » De ea re ita sanctus Odilo : « Adeo magnificatus et glorificatus est beatus Maiolus, Domini præveniente gratia, in conspectu regum et principum coram omni populo, ut possimus dicere de eo sine dubio, quod de Moyse Dei famulo Ecclesiasticus replicat sermo : Glorificavit illum in conspectu regum, et ostendit illi gloriam suam. Hugo ex Francorum quoties illum vidit, humili devotione suscepit, et cum magno honore tractavit. Tempore vero suæ vocationis ad se venire rogavit ea intentione, ut monasterium S. Dionysii ejus consilio et adtutorio melius, quam tunc erat, ordinari posset.... Ad illud negotium peragendum gaudens iter suscepit, usque ad locum Silviniacum pervenit, ubi se Deo vocante plenus dierum et sanctitatis ex hac vita obiit v Idus Maii illucescente feria sexta, post celebrationem ipsius sacratissimæ solemnitatis, qua Christus Jesus Dominus noster, subacto mortis principe, ad dexteram Patris ascendit, et fideli suo Maiolo ascendendi post se iter ostendit. » Quæ omnia conveniunt anno Christi 994, quo Pascha in diem primum Aprilis sub littera Dominicali G incidebat, feria sexta post ascensionem Domini in diem 11 Maii. Hunc diem et annum diserte exprimit Nalgodus, qui Maiolo annos 41 regiminis ascribit ab anno suæ ordinationis. Errat itaque Lambertus Scafnaburgensis, cum Maioli obitum ponit anno 991.

54. Pergit Odilo : « Post cujus transitum supradictus rex Hugo adventus sui præsentia et regalibus donis exsequias ejus honoravit et tumulum, ubi præstante Domino multa patrata sunt et patrantur miracula, et plurimis plurima præstita sunt et præstantur beneficia. quorum numerositatem et magnitudinem non sufficit per ordinem omnium nostrorum enarrare memoria. Sed ut brevissima utar conclusione, ad sepulcrum istius sanctissimi viri, de quo loquimur, et cujus vitam et merita charitati fidelium commendare nitimus, gratia et misericordia Christi a quacunque infirmitate detenti, multi sanati sunt et sanantur infirmi. Ibi paralytici eriguntur et claudi ; ibi febricitantes sanantur et cæci ; ibi a dæmonibus possessi mundantur, et nescimus cujus generis igne terribiliter et miserabiliter adusti liberantur : et quisquis ibi devotus adveniens de quacunque necessitate fideliter auxilium expetit, voti sui compos effectus redit ad propria sospes et lætus. » His consentanea scribit Glaber Rodulfus in lib, III, cap. 5. « Nam ad illius famam sanctitatis confluxere ex universo Romano orbe viri et mulieres utrorumque ordinum plurium, exinde referentes diversarum infirmitatum gratias sanitatis. Desæviebat eodem tempore clades pessima in hominibus, ignis scilicet occultus, qui quodcunque membrorum arripuisset, exurendo truncabat a corpore. Plerosque etiam in spatio unius noctis hujus ignis consumptis exustio. Sed cum in plurimis sanctorum memoriis hujus tremendæ pestis sint inventa remedia, maximus tamen concursus factus est ad trium sanctorum confessorum ecclesias, Martini scilicet Turonorum, atque Odolrici Bajoariorum, nec non et istius venerabilis patris Maioli ; optatæque salutis inventa sunt remedia. » Hanc miraculorum frequentiam ad tempora Petri Venerabilis perseverasse auctor est ipse Petrus in lib. II, de miraculis cap. 31, ubi referens miraculum de puero *per sanctum Maiolum* a morte suscitato. » Is etenim sanctus, ait, sicut pene cunctis Galliarum populis notum est, ut magnus vita, sic miraculis, et dum mortalis viveret, et post mortem maximo insignis exstitit. Hac miraculorum gratia in tantum jam per centum sexaginta et duos annos, hoc est a tempore mortis suæ, claruit, ut post sanctam Dei Genitricem nullum sanctorum in tota Europa nostra in hujusmodi operibus parem habeat. » Nec defuere subsequentibus temporibus beati Maioli miracula, de quibus testimonium præbent Clemens Papa IV, Honorius IV et Clemens VI in bullis suis.

55. Hinc factum est, ut Maiolus statim post suum ipsius obitum sanctus habitus cultusque sit. Unde Adalheidis imperatrix, testante Odilone, « ipso tempore quo instabat sibi dies supremus (*anno scilicet millesimo*) beatissimum patrem Benedictum, id est Floriacense monasterium, licet exiguis, tamen propriis visitavit muneribus : nec non et beatæ recordationis patrem Maiolum, cœlesti gloria jam coronatum, quem dum in hac vita subsisteret, præ cunctis mortalibus illo ordine diligebat. » Et quidem jam inde ab ipsius obitu sanctum dictum fuisse probat charta 145 in ejus chartario, in qua hæc leguntur : « Ego Arleis dono Deo et sancto Maiolo, ut per merita ipsius valeam adipisci præmia æterna, et ejus monachis partem de Medio Planto in pago Matisconensi, villa Maziaco, loco ad Tribladam, anno 6 Rotberti regis. » Festum ejus inter præcipuas anni solemnitates censetur apud Udalricum in lib. I Consuetudinum Cluniacensium cap. 11, et in cap. 54 *ecclesia S. Maioli* apud Cluniacum tum fuisse, et ad eam processionem fieri solitam ait in Ramis Palmarum. In plerisque Kalendariis ab anno millesimo scriptis sancti Maioli memoria invenitur, nedum in recentioribus Martyrologiis Romano, Gallicano, Benedictino aliisque.

56. S. Maioli corpus non statim atque is pro sancto honorari meruit, e tumulo levatum est ; sed

primo super illud erectum est altare a Begone Arvernensi episcopo, qui ritus erat quondam sanctos in canonem redigendi, ut in prælatione observatum est. De istius altaris consecratione lege quæ in fine hujus elogii referemus. Post annos fere centum ex tumulo elatum est sacrum corpus. Ejus relatorem invenio Urbanum papam II, cujus litteras Joellus Remensis archiepiscopus recognoscit in bibliotheca Cluniacensi col, 309, ubi hæc pontificis verba ad Silviniacenses : « Quoniam supernæ benedictionis dignatione multimoda actum est, ut nos ipsi monasterium vestrum, et beati Maiolus corpus intra ecclesiam ad locum alium transferre meruimus, dignum duximus, cum Cluniacensis cœnobii, cui tanquam membra capiti singulariter inhæretis, dilectione præcipua, tum religionis vestræ reverentia, vos et locum vestrum specialius sedis apostolicæ protectione munire.... Datum apud Monticulum.... Idib. Octob. indict. 3., anno Dominicæ inc. 1097. » Subsequitur bulla Clementis IV, ita loquentis : « Cum itaque, sicut ex vestra insinuatione accepimus, propter merita gloriosa sanctorum confessorum Maioli et Odilonis, quorum corpora in vestra ecclesia requiescunt, mirabilis Deus in sanctis suis multa quotidie miracula operetur ibidem, propter quæ ad camdem ecclesiam de diversis partibus fidelium multitudine confluente, corpus prædicti sancti Maioli ad alium locum ipsius ecclesiæ magis venerabilem et decentem intenditis cum debita veneratione transferre; nos..... omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui ad dictam ecclesiam die translationis sancti ejusdem, unum annum et quadraginta dies hac vice; illis autem qui infra octo dies immediate sequentes et in anniversario die translationis ipsius venerabiliter et devote accesserint, centum dies et injunctis sibi pœnitentiis relaxamus. Datum Viterbii prid. Id. Martii, pontificatus nostri anno tertio, » seu anno 1266. Alias indulgentias ibidem concedunt Honorius IV et Clemens VI. S. Maioli tumulus, adjunctum habens sancti Odilonis, visitur in navi ecclesiæ Silviniacensis.

57. In hunc usque diem reliquiæ S. Maioli asservantur Silvianici, nempe ejus ossa præcipua in capsa ex argento et cupro, posita super ejus altare ad odeum ad aquilonem ; scrinio sancti Odilonis ad aliud latus posito ; utriusque caput in scrinio peculiari. S. Maioli scapulare, longum ulna una, latum tertiis ulnæ partibus, cui simile aliud Cluniaci habetur; ejusdem item pedi pastoralis summa pars ex ebore, scyphusque corneus itidem Silviniaci visuntur. Gaufridus Choleti prior sæculo XV reliquiaria fecit, quæ ante eum Ildricus supprior et sacrista inchoaverat. Hactenus Silviniacum religione et Maioli cultu celebre est, de quo egimus in elogiis Odonis et Aymardi.

VIII. *Maioli præcipui discipuli, cultores et miracula.*

58. Etsi nonnullos Maioli discipulos in superioribus exhibuerimus, hic tamen in unum locum conferendi sunt saltem præcipui, ut ex discipulorum qualitate magistri meritum intelligatur. In his duo præcipui fuerunt Odilo et Willelmus, ille Maioli successor, hic abbas Divionensis, qui multa monasteria ad meliorem frugem revocavit. De hoc agens Odilo in libello de actis sancti Maioli : « Et ut pace spiritualium artificum, ait, in eadem fabrica cœlesti laborantium dicam, unus præcipue refulsit qui super rebus humanis excessit, et qui plus nobis omnibus laboravit, domnus videlicet abbas Willelmus, de cujus clarissimis actibus et vita laudabili et mirabili conversatione parvitas nostra non sufficit quod sentit ad plenum referre. » De eo ac de Odilone ipso agemus in sæculo sequenti. His adjungendi Teuto abbas Fossatensis, et Heldricus Antissiodorensis jam a nobis laudati. De Teutone multa præclara commemorantur in libello de vita Burhardi comitis. Inter cætera, « religiosus abbas Teuto jejuniis et orationibus, vigiliarumque pernoctationibus assidue intentus fuisse, ac Deo semper placere fideliter desiderasse perhibetur. Cum ergo in loco sibi commisso arduam, ut cupiebat, vitam ob pastoralis custodiæ curam minime servare posset, Remensis urbis pagum ad habitandum sibi elegit. Habetur siquidem illuc quædam possessiuncula, quam gloriosus rex Carolus Calvus ecclesiæ Fossatensi abbatique Godofredo refugii causa propter Nortmannorum persecutionem dedit, in qua etiam corpus S. Mauri multis annis traditur conservatum. Illuc ergo jam dictus abbas arduam pro Christo peragens vitam, multo tempore conversatus est. Quo pergens, ibidemque permanere desiderans, baculum curæ pastoralis per sui servitii ministrum, nomine Walterum, quem ipse in Domini timore nutriverat, fratribus transmisit, mandans ut sibi secundum Christi voluntatem dignum pastorem eligerent. » Postquam eo in loco arduam ac solitariam vitam Teuto egisset, Fossatenses revisere animo destinavit. At illi obstitere, allegantes, suffecto alio abbate, jam « non debere eum recipi, quia animarum curam penitus reliquerat. » Ille hoc responso turbatus, Cluniacum se recepit, ubi « feliciter obiit sub die Iduum Septembrium : ad cujus sepulcrum, ut referre audivimus, inquit auctor, multi infirmi postea sanitatem receperunt. » De Heldrico abbate actum supra in cap. 7. Inter Maioli discipulos etiam censendi sunt plurimi alii abbates, quos ad varia monasteria reformanda instituit : ex quibus unus mihi videtur esse Egbertus seu Evrardus ille abbas Turonensis, quem ex Gerberto superius laudavimus. Neque prætereundi Syrus et Aldebaldus Vitæ sancti Maioli scriptores, neque Vivianus sub eo præpositus Cluniacensis post Hildebrandum, cui Maiolus præcipuus auctor fuit sæculo nuntium remittendi. Denique inter primos numerandus venit Willelmus Provinciæ dux, *Pater patriæ* appellatus, de quo hæc Odilo in Vita sancti Maioli. « Quantum illum Willelmus rector Provinciæ coluit, vita illius et finis ostendit. Per ejus quippe meritum et fidele obsequium, beati Benedicti percipere meruit habitum. »

Nescio an id contigerit in extremo illo morbo, quem Syrus commemorat in lib. III. Hunc Willelmum Cluniaci sepultum fuisse non satis aperte exprimit charta Leodegarii Cluniacensis monachi, in qua legitur, hunc cellam et ecclesiam in honorem sancti Marcellini papæ et martyris atque sancti Saturnini, quam Regimbaldus Arelatensis archiepiscopus dedicaverit, construxisse in villa Sarrianis, « quam Willelmus quondam dux Provinciæ, pater patriæ, sanctorum apostolorum Petri et Pauli monasterio Cluniensi, et loco in quo se sepeliri rogavit, et beato Maiolo adhuc in carne viventi et vivens delegavit, et moriens donando attribuit. » Quod argumento est, eum in extremis habitum suscepisse pro more illorum temporum.

59. Odilo sub finem libelli de Maioli gestis multos laudat catholicos et honorabiles clericos, religiosos monachos et reverendos abbates, qui illum venerabantur; sanctos et sapientes, qui « tractabant illum ut sanctissimum fratrem ; » imperatores et imperatrices, reges et mundi principes, a quibus « senior appellabatur dominus ; » pontifices apostolicæ sedis, a quibus « honorabatur ut princeps religionis monasticæ. » Tum subdit : « Ille divus Cæsar et maximus Otto eum diligebat pectore toto : et diligebat eum ejusdem Cæsaris conjux diva Adaleida imperatrix Augusta, charitate sincerissima et devotione charissima. Diligebat eum eorum filius humili devotione imperator Otto; affectu et non dissimili voto Conradus, supradictæ imperatricis frater nobilis et pacificus, ejusque Mathildis nobilissima conjux, quanto frequentius faciem ejus cernebant, tanto amplius in ejus amore crescebant. Quid dicam de nobilissimo viro Henrico Burgundionum duce? quid de Lamberto illustrissimo viro et nobilissimo comite? quid de Willelmo, quid de Richardo Aquitanorum et Normannorum fortissimis ducibus? quid de Italicis principibus et marchionibus? Quantum illum Willelmus rector Provinciæ coluit, vita illius et finis ostendit. Per ejus quippe meritum et fidele obsequium B. Benedicti percipere meruit habitum. Archenbaldus etiam, Silviniacensis loci provisor fidelissimus, inter suos clarissimus, et adjacentis patriæ pater, et pauperum tutor fortissimus, quantum et qualiter exstitit B. Maiolo devotus, supradictus multimode prædicat locus, ab eo et ante et post transitum semper dicendi patris ædificiis et divitiis, et diversorum ornamentorum speciebus ornatus et nobilitatus : ita ut deceret, si tale quid fecisset aliquis ex regibus. Iste vero qui nunc superest, honoris ejus hæres et nominis, bene tractat locum illum, nullum etiam infert habitatoribus damnum. »

60. Restat ut pauca dicamus de duobus Miraculorum libris, quos exhibet cum Henschenio Bibliothecæ Cluniacensis appendix. In istis libris memorantur curationes factæ dæmoniacorum, cæcorum, contractorum, mutorum, mancorum, amentium, et sacro igne affectorum. Duo tantum huc refero, quorum primum continet erectionem altaris ad caput sancti Maioli, qui primus gradus fuit ad ejus canonizationem : « Postquam igitur primo beati Maioli corpus cum maximo honoris et reverentiæ cultu est sepultum, et ad sanctissimum ejus caput altare quoddam est constructum, fratres Deo inibi servientes commune ac salubre tale invenerunt consilium. Ad episcopum namque, in cujus diœcesi isdem erat locus, transmittunt, ut altare illud consecraret. Unde veniens domnus Beggo Arvernensis sedis episcopus, altare illud cum magna consecravit reverentia. » Beggo iste Arvernis præerat regnante apud Francos Hugone. Subdit auctor contracti et duorum amentium sanationem ; postridie puer quidam de Cavannis (*Chevines*) villa pagi Matisconensis, manum habens aridam, restitutus est.

61. « Quoddam etiam miraculum adjungimus, de quo non solum vulgarem populum testem deducimus, sed etiam ipsum regem Hugonem, comitemque Burchardum, filium ejus domnum Rainaldum Parisiensem episcopum. Hic igitur rex ad sancti Maioli expetendum auxilium veniens, super infirmitatis suæ gravitudinem invenire promeruit aliquantulam levigabilitatem. Qui uno dierum post peracta orationum solemnia ab ecclesia progrediens, quemdam cæcum in eodem loco illuminatum audivit, quem ad se adduci jubet, ut ab eo veritatem retineret. Dum namque in pauperem talem virtutem factam esse pro certo cognovit, præ gaudio, sicut vir magnæ dulcedinis, cum supradictis personis profluos lacrymarum rivulos effudit : sicque cum multa turba populorum collaudans Deum, sanctumque venerans Maiolum, et cæcus illuminatus ad propria redit, et rex magnificus lætior in Franciam viam assumpsit. »

62. Subjicitur miraculum de alio cæco qui natus erat in « Enguilinensi silva, » ubi « est sancti Arnulfi ecclesia; » quod intelligendum de ecclesia sancti Arnulfi in silva Aquilina (*Foret d'Iveline*), diœcesis Parisiensis. Subsequitur curatio Viviani (qui unus erat « e fratribus Cluniacensis monasterii ; » nescio an præpositus supra laudatus), articulari morbo laborantis, et paulo post Bernardi clerici Carnotensis contractione laborantis. Hæc satis de miraculis : Syrum audiamus, cujus lucubratio in ms. codice collegiatæ sancti Martialis Lemovicensis, ex quo eam eruit noster Petrus Trelius, hanc præfert inscriptionem.

VITA SANCTI MAIOLI

AUCTORE SYRO MONACHO

EPISTOLA DOMNI SYRI AD DOMNUM ODILONEM ABBATEM DIRECTA

Spirituali Patri domno ODILONI abbati. SYRUS monachorum infimus, quidquid in Christo felicius.

Sæpe mihi multumque cunctanti beati Maioli venerabiles actus styli prosequi officio, cum ad id operis sanctæ recordationis Warnerii importuna perurgeret petitio, multa se objiciebant, quæ ne id conarer non modica me formidine deterrebant. Vir quippe ille qui divulgari petebatur, sic virtutis sectantium exstitit imitator, ut earum omnium indefessus esset operator. Unde ei gesta digerere absque cunctarum virtutum conjectura quempiam est impossibile. Recte vero disputare non prævalet de virtutibus, quisquis his fuerit vacuus; quoniam mens cui caret intelligentia, id discere nequit scientia. Hæc idcirco aggredi cunctabar, quibus me nulla virtute dignabar. Rerum denique magnitudo laborque difficilis me rursus movebat, quod multiplices miraculorum actusque virtutum dum mens contemplabatur, suamque scientiam scrutabatur, veritatis territa sententia incipere A non audebat quæ ingenii parvitate consummare diffidebat. Temeritatis insuper non immerito argui verebar, si audacter præsumerem, quæ me perspicacioribus vel ingeniosioribus committenda fore non ignorabam. Sed hæc mihi de me cognita præfatio quamlibet vero sæpius pro excusatione foret opposita, ille........ Sub eodem temporis articulo me ad Italiam, illumque vobis dirigere placuisset ad Alsatiam, opus quod relinquebam imperfectum, secum ipse detulit per schedas dispersum. Post ejusdemque lacrymabilem transitum, cum vestræ præsentiæ in Morbacensi cœnobio fuisset oblatum, injunctum mihi est ex vestra sententia, quo studerem quæ deerant addere, et scriptorum vitio depravata ad statum pristinum relegendo corrigere, quod inchoans B ut potui pro vestra jussione perficere studui, et utinam tam efficaciter, quam libenter, atque ut debui vestro imperio parui. Ideo....... præsumptio contra redargu......

INCIPIT VITA

LIBER PRIMUS

I. Laudabilis Dei nostri virtus et sapientia ætatis et generationis succedentia sibi tempora mirabili præordinans sæculorum dispensatione, nullum tempus relinquit vacuum bonitatis suæ. Unde sanctæ suæ Ecclesiæ fideles per aquam salutis et regenerationis in filiorum numero annumeratos bono exemplo meliorationis tam præcedentium patrum quam et præsentium semper confirmat, et ad consequenda æternæ hæreditatis gaudia invigilare insinuat. In hoc igitur ultimo ætatis termino verum suique fidelem certissimum beatum Maiolum divina pietas mundo protulit, qui claris ortus natalibus, ex Avennicorum oppido parentibus splendidissimis est procreatus, Provincialis quidem genere, nobilium Gallorum clarus generositate. Hic ab ipsis infantiæ rudimentis studiis litteratum traditus, superna providente clementia ita in domo Domini lucerna ardens elucens refulsit, ut de eo illud Mosaicum possit dici : *Novi te ex nomine*.

II. *Maiolus ex nomine laudatus*.—Nam Maiolus, ut jucundo lætemur interprete, quasi magnus videtur C dici oculus. Convenienti etenim futurarum rerum præsagio, tali nomine donatur illa veritatis et justitiæ columna; quoniam quidem per quadrifida terrarum spatia magna extendit suæ beatitudinis lumina. Pro operibus enim iterato præscitæ et dispositæ sibi divinitus vitæ tale ei nomen conveniebat habere, quod in sui memoriale bonum Christi odorem in cordibus fidelium faceret redolere, ut, secundum Apostoli testimonium, Christi bonus odor mererentur fieri, qui vitæ et conversationis ejus voluissent vestigia imitari. Hic etenim beatissimus pater Maiolus pro sanctitatis et pietatis suæ fructibus inundandis Christi bonus odor permansit, et permanet in his qui pereunt, et in his qui salvi fiunt. Sanctificatum namque thymiama unguentorum suorum D secundum Cantica canticorum multos et innumerabiles post se traxit, qui zelo sanctitatis accensi, igne perfectionis fervidi, abjecta inveterati corporis et pigredinis ruga, in adolescentiorum irruerunt fortitudinem. Qui tympanizant illud monachis perfectionis opere, quod S. Pater Benedictus edocuit

divino dogmate, ut, relicta superfluæ curiositatis sarcina, transvolent pennis fidei et libertatis ad æthera.

III. *Puer dat specimina virtutis.* — Hic etenim beatissimus ac dilectissimus Maiolus divino præventus munere, qualia itinera laudum et virtutum sequeretur, prædicebat nomine: et in infantilis ætatis tempore, quasi quoddam præmonstrabat maturioris ætatis irreprehensibile decus, scienter nescius vitæ suæ primordia cœlesti discipulatui, et sapienter indoctus acquirens sibi magistrale decus in novello dierum numero. Sic igitur cœlestis pietas in ipsius ætatis termino coaptans eum sibi ad electionis futuræ privilegium, scholaribus disciplinis ipsum subdi voluit, per quem postea abundans divinæ largitatis thesaurus pleniter mundo aperiretur: multi quoque adjuvante Redemptoris benignitate meliorarentur, qui ipsius sanctitatis laudabili affabilitate fruerentur. Multiplicibus denique virtutum adornatus donis beatus Pater Maiolus, vita operibusque laudabilis, suæ ætatis infantilem teneritudinem maturioris animi firmitate reddidit perfectam. Cui in initio viarum suarum prædivinabant coætanei non deesse ei in futurum quoddam magnificentiæ magisterium, eum quoque, ut eorum scire manebat, favoribus magnis extollebant et laudibus.

IV. *Matisconem accedit, ibique canonicus caste vivit.* — Processu itaque temporis decursa pueritia, cum eum jam sibi vindicaret adolescentia, parentibus humana sorte præventis, paternisque prædiis barbarica invasione in solitudinem jam redactis, divina disponente providentia naturale solum coactus est C deserere, ac Burgundiæ partes expetere; veniensque ad urbem Matiscensem susceptus est ibi in hospitio a quodam suo propinquo, qui inter reliquos ejusdem urbis proceres, nobilitatis gerebat decus. Cumque aliquandiu in ejus moraretur diversorio, ejus fultus adminiculo, uti cœpit ejusdem civitatis episcopo: quem liberali cernens ingenio valere, canonicorum studuit collegio copulare. Qui etiam eum secretius summa hortabatur instantia, ut se virginem conservaret, et velut vas electionis, in Ecclesia dignus Deo fieret. Sed Virginis Filius jam olim castitatis amore pectus ei afflaverat, ut ne puncto quidem temporis ab ejus intuitu pateretur divelli. Dulcorem Domini hic a tenero imbiberat: et ideo pudicitiæ nitor in eo incanduerat, auxeratque D largitrix gratia pectus infantis muneribus geminis; quodque assolet esse duobus gratum et sufficiens, hoc præcumulaverat uni.

V. *Lugduni litteris vacat.* — Per idem tempus Lugduni Antonius quidam bonis pollebat moribus, in philosophia satis eruditus, quem virtus et religio Insulæ-Barbarensi præfecerat cœnobio. Hoc vir Dei quorumdam relatione comperto, quia nimio discendi fervebat desiderio, Lugdunum perrexit, ejusque magisterio se ad erudiendum commisit: cujus mul- A tum convaluit non modo doctrina, verum moribus et vita. Prædicta quidem tunc civitas omnes excellebat sibi propinquas tam religione virtutum quam studio liberalium artium. Offensa namque sapientia, quæ propter seipsam tantum appetenda est, quorumdam lucris turpibus, multorum indisciplinata vita, omnium postremo tepide se appetentium inhonesta desidia, præceptorum inopia intercedente priorumque studiis collapsis, hujus nostræ exitialiter perosa regionis, Lugduni sibi aliquandiu familiare consistorium collocavit. Ibi quas dicunt disciplinarum liberalium peritia, quasque ordine currere hoc tempore fabula tantum est, eo usque convaluit, ut quantum ad scholas, publicum appellaretur citra marini orbis gymnasium. Et, ut aliquid rationis afferre videar, B eo id argumento colligimus, quod quisquis artium profitendarum afficeretur studio, non ante professis inscribi merebatur, quam hinc explorata diligentia examinatus abiret. Cui rei satyricus quoque astipulatur qui ut exempli circumstantia res eluceat, primo sui operis libro acriter diuque in impudicos invectus, fert eos conscientia frequentati sceleris perinde pallescere.

Ut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram (1).

In ea itaque urbe, ut diximus, cum philosophos virosque audiret ecclesiasticos, divina inspirante gratia, omnes suos præcessit æmulos sapientia. Facunditas eloquentiæ gravitati tunc componebatur sapientiæ. Ex materia hujusce compositionis, vas esse cœpit electionis.

VI. *Virtutem jungit studiis.* — Cumque jam vestiri cœpisset vernantibus juventutis floribus, ita suam adolescentiam bonis instruxit moribus, ut eo tempore jam putaretur monachus. Integrum se et sincerum omni custodia ab his observabat vitiis quibus contaminari solent homines hujus ætatis. His enim imbui timebat, ne tenera in ætate his infectus esset quibus, cum vellet, carere non posset, juxta illud quod scriptum est: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (*Prov.* XXII, 6). Bonorum virorum et maxime prudentium contubernio potitus, turpitudinis sectatores exosus.

VII. *Archidiaconus creatus.* — Jam vero per cunctos, prout moris est, gradus conscendens ecclesiasticos, cum levitarum potiretur officio, ad ejusdem usque arcem, doctrina id exigente justitiæ, ab eodem est sublimatus jam prædicto pontifice. Officio igitur ministrationis acceptæ cum cultui vineæ manciparetur divinæ, ut hujus se assignaret colonum, commune utile multorum magis quærebat quam proprium. Cunctis benignus, omnibus æquus, nemini nocebat; quibus poterat prodesse studebat. Sana quippe ei doctrina inerat; quia suæ conditioni quod competebat, illud solerter agebat, propter illud Apostoli: *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur*

(1) Strabo in Geographiæ lib. IV, postquam egit de templo ibidem a Gallis Augusto erecti, *aderat,* inquit, *et ara cum titulo gentium sexaginta,* notante Henschenio.

ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros (*II Cor.* vi, 3).

VIII. *Sensus refrenat.* — Legerat mortem per fenestras ingredientem, et per easdem domus interius penetrantem: Ideoque sua sic induxit animo oppilare prudentiæ pessulo, ne penetral illideretur cruentæ mortis jaculo. Nam unusquisque sui potiens officii, fieri cogebatur alieni. Taliter ejus intuitus a concupiscentia deductus, sincerus reddebatur et purus. A lingua vero carente modestia procul distabant adulatio et detractio. Opportunitas tamen si exegisset, severa non deerat correctio; quoniam quidem si hic est vir perfectus qui in lingua non offendit, nullatenus habetur deterior, qui quempiam fratrum videns peccantem admonendo, exhortando, increpando, juxta Apostolum, ad viam veritatis reducit. Et quia nec lingua, nec oculis facile delinquere volebat, recte illud ei congruere videtur quod dicitur. Quoniam aspectu et auditu justus erat. Scientiis etiam et modestis sermonibus inditus, obscenis et turpibus omnino intercludebatur auditus, propter illud quod scriptum est : *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam* (*Eccli.* xxviii, 28). Jam pedes a spatioso mundi itinere retrahebantur, et arduum callem cœlestis patriæ jam proficisci nitebantur. Doctrina quidem qua fovebatur justitiæ, sibi prudenter ingerente, beatius fore dare quam accipere, suas ipsius manus sæpe contractio capacitati, sæpius tamen et facilius extensio habebat largitati.

IX. *Munificus in pauperes.* — Charitatis equidem affluens visceribus, pro pauperibus semper erat sollicitus; Christum vero totis diligens visceribus, dum sicut Martha corporaliter non valebat, in egenis illum quotidie reficiebat, suo ipsius testimonio qui ait in Evangelio: *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis* (*Joan.* xii, 8). Unde idem ipse suis dicturus est in fine: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 40). Sic igitur in pauperum susceptione Christo suo lætabatur mansore ; sed ad opus exercendæ misericordiæ illa quamvis impelleretur beatitudine quæ inter cæteras in Evangelio Domini denuntiatur voce : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v, 7), ordinatæ tamen charitatis qua stringebatur vinculo, non ad luxuriam, sed necessitatem, prout cuique opus erat, singulis petentibus subveniebat.

X. *In publica necessitate secedit in S. Michaelis oratorium. Solidos septem reperit in pauperum usus.* —Quodam igitur tempore cum rerum victualium fertilitas more solito non proveniret, totamque regionem alimentorum indigentia fames acerba constringeret, ad virum Dei plus solito venire cœpit pauperum multitudo. Quorum importuna precatio dum quotidie miserabiliter insisteret ut suæ inopiæ viri Dei pietas subveniret, charitatis perfossus cuspide, nimia cœpit cogitatione æstuare. Larga enim habendi copia in magna penu jam defecerat in similia dispertita opera. Hinc eos qui tuendi cura sibi domestica fuerant alendi necessitas, atque omnibus indigentibus subveniendi sollicitabat voluntas : cuncta quibus humanæ vitæ continetur actio abesse videbantur cellario, suæque domus præposito protestante, sibi suisque parva quæ superfuerant non suppeditare, nedum tot petentium quivisset penuriam sublevare. Tunc vir Dei oratoriolum quod in honore sancti Michaelis ipse trans Ararim reædificaverat, et ad quod propter popularem tumultum sese a civitate contulerat, quo secreta quiete pervigil in orationibus divino famulamini maniparetur attentius, ingressus pauperum miseratione commotus, cœpit Dominum enixius exorare. Cumque pronus in terram sese cum lacrymis prosterneret, ac largiier flens diu in oratione persisteret, ut oculos a terra subduxit, ante se septem solidos aspexit, quos quidem tangere noluit, quia sibi metuit ne aut phantastica illusio, aut alienum damnum esset, et culpam velut exactione pietatis perpetraret. Egressus ab oratorio solidos quos reperit per omnes huc adventare solitos direxit, eosque qui perdidisset percontari præcepit. Omnibus negantibus se denarios perdidisse, suosque qui reperti fuerant asserentibus non fuisse, non ad usum proprium, sed eos ad alimenta deputavit pauperum.

XI. *Alios docet.* — Porro divinorum præceptorum sicut avidus erat indagator, ita studiosus operator, semetipsum ad pietatem exercebat, et quos poterat, ad eamdem trahere procurabat. Adolescentiam suam ut contemni posset a nemine, sic in bonam quam assecutus fuerat doctrinam satagebat informare, ut cæteris esset exemplum bonæ vitæ in verbo, scientiaque, conversatione (*I Tim.* iii, 13). Apostolum quia legerat promittentem, quod illi qui bene ministraverint gradum sibi bonum acquirent, et multam fiduciam, quæ est in Christo Jesu, sic ministerio sibi credito attendebat, ut suis omnibus profectus esset manifestus, omnibusque prodesset se audientibus. Doctrinam quam secundum sibi concessam gratiam fuerat assecutus, ut ad usuram commodaret pluribus, ne de talento sibi credito, torpente damnaretur cum servo, de diversis ad se partibus clericos convocabat : et quos dociles cernebat, eos gratis libenterque docebat. Hoc autem studebat cupiens facere propter illud Danielis prophetæ : *Qui docti fuerint fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (*Dan.* xii, 3). Et hoc ideo, ut non solus, sed suis ipse cum auditoribus inseri sidereis dignus inveniretur splendoribus.

XII. *Vesontionensem archiepiscopatum recusat. Cluniaci fit monachus.* — Vir igitur Dei cum talibus et hujuscemodi polleret moribus, ejusque nomen fama celebri divulgaretur, Vesontiensi archiepiscopo viam universæ carnis ingresso, tam ipsius terræ principis, quam totius cleri consensu et populi, ad ejus culmen suscipiendum pontificatus beatus impellabatur Maiolus. Sed ejus animus robore licet firmatus auctoritatis, ac erectus foret culmine virtutis, sub hujus

tamen specie ne mundi lucrum cogeretur expetere, A et ad mundi gloriam quam mente spreverat, per sæculare negotium delectabiliter tendere, grave pondus procellosi culminis per custodiam refugit humilitatis, Creatoris omnium sequens exemplum, qui cum ante sæcula regnaret in cœlis regnum percipere vitavit in terris : scriptum quippe est : *Jesus cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent sibi regem, ascendit iterum in montem solus orare* (*Joan.* VI, 15). Quocirca beatus Maiolus æterni Regis magisterio edoctus, qui oblatam gloriam culminis fugit, et postea sponte venit ad patibulum crucis, quatenus ejus membrum fieret, omnem spem suam in eo collocavit: hoc studuit opere adimplere quod ille præcepit sermone. Hoc enim præceptum est in Evangelio : *Qui vult post me venire, abneget* B *semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Luc.* IX, 23). Ita vir Dei per cœlestis studii disciplinam mundi labilem contempsit gloriam, et supernæ vitæ tactus dulcedine, quæ a mundi amatoribus concupiscuntur, omnia a se funditus temperavit abscidere. Igitur cœnobium in collis valle quæ Cluniaca dicitur, cui vir vitæ venerabilis Heymardus præerat, pro morum honestate et virtutum studiis appetiit, ibique secundum beati Benedicti regulam ab eodem viro jam præfato conversationis habitum petens, ut susciperetur rogavit.

XIII. *Obedientiæ deditus.* — Spretis itaque omnibus terrenæ possessionis stipendiis ob spem futuræ repromissionis, habitum sanctæ conversationis sumpsit, sicque deinceps alieno vixit imperio, ut in nullo deviaret a sanctæ conversationis proposito. C Hic enim procul a se remotis hebetudine et murmure, singularis præ cæteris obedientiæ præeminebat virtute, implens illud in fratribus quod præcipit beatus Benedictus (*Reg. S. Bened.* c. 71): Obedientiæ bonum non solum abbati exhibendum est, sed etiam sibi invicem obediant fratres. De abbate vero apostolico instruebatur exemplo. *Obedite*, inquit, *præpositis vestris* (*Hebr.* XIII, 17). Enimvero beati Benedicti cujus subjacebat discipulatui imitator existens, induta parvuli humilitate, stulto philosophorum neglecto dogmate, sapientem Dei stultitiam est adorsus, juxta quod præcipit Apostolus : *Si quis vult inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens* (*I Cor.* III, 18). Unde qui prius doctor grammaticorum, discipulus post cœpit esse simpli- D cium virorum.

XIV. *Bibliothecarius et Apocrisiarius. Auctores profanos rejicit. Monita dat optima.* — Haud secus enim ac philosophi ad syllogismorum argumentoria se conferunt mentis instantia: ita se contulit ad ea dicenda quæ quotidianum per usum in monasterio sunt explenda. Quibus omnibus solerti sibi cura cognitis et experimento memoriæ commissis, videri jam cœpit doctior cunctis. Hunc ergo ut in monachico ordine ita prudentem jam dictus Pater intellexit, bibliothecæ præficiens, apocrisiariatus officium eidem injuxit. Quod ministerium tanta auctoritate tantaque adimplevit sollicitudine, ut omnibus secum conservantibus exemplo fuerit et terrori. Legerat isdem vir Domini libros olim antiquorum philosophorum, Virgiliique mendacia, quæ nolebat nec ipse jam audire, nec alios legere. Sufficiunt, inquiens, divini poetæ vobis, nec egetis luxuriosa Virgilii vos pollui facundia. Regulari quidem contentus conversatione, sic studebat parcimoniæ, ut differre nullatenus videretur a societate communis vitæ; quorum vitia dum conspiceret reprehendenda, hoc exquisito quod unicuique competebat vitio prius in unoquoque laudanda canebat: dehinc velut ignarus reprehendenda carpebat. Cunctos tamen sæpius admonebat ut tales se Deo exhiberint interius, quales humana opinio pro religionis habitu ferebat exterius. O virum cui semper summa debentur, qui amore vitæ æternæ voluntariam amplexus pauperiem, totum Christo dedit quod in ara cordis invenit, nihil suis meritis tribuens !

XV. *Romam missus. Socium oleo sancto sanitati restituit.* — Quodam tempore pro monasterii utilitate beatum Maiolum cum altero fratre Romam dirigi contigit ab abbate. Qui expleta legatione dum redirent, ut Yporediem (*Yurée*) ad hospitium venerunt, frater qui eum comitabatur, nomine Heldricus (2), febrium correptus langore, fatigari cœpit acri ardore. Verumtamen ægritudine ingravescente, cum toto jam pateretur corpore, de vita desperatus, circa mortem tenebatur sollicitus. Vir autem Dei qui nihilominus quam qui patiebatur de fraterno cruciatu tristabatur, deplicato tunc afficiebatur infortunio; quia hinc eum fratris mœstificaverat ægritudo, inde paterna quæ incœpto pendebat legatio. Sed quid ageret nescius, divinam clementiam exorare cœpit attentius. Tribus tandem diebus peractis, post matutinas laudes cum se sopori dedisset, quidam vir canitie reverendus ei visus est dicens : Quid ignavo mœrore deprimeris ? quid a memoria excidit quod frater meus Jacobus de infirmantibus præcepit : *Tristatur aliquis vestrum, oret æquo animo, et psallat. Infirmatur quis in nobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus* (*Jac.* V, 41), Hac visione aliquantulum sublevatus animo, statim ut surrexit e somno, celeri actione duxit ad effectum, quod apostolica fuerat revelatione compertum. Res mira et vehementer stupenda ! eadem quippe die qua sanctificationis oleo qui patiebatur est delibutus, ita sanitati pristinæ restitutus convaluit, ac si nullam molestiam corporis pertulisset. Altera die Domini gratulantes virtute, conati sunt inter cœptum perducere ad effectum ; quoniam quidem beati Jacobi voce sanari testabatur infirmus fidei oratione, ideo luce clarius patet beatum virum hoc suis obti-

(2) Fuerat is apud Ottonem Magnum in aula præcipuus, ut legitur infra in lib. II, cap. 22, postea monachus tum abbas Autissidorensis, supra in elegio num. 6.

nuisse precibus, quod [illegible] sanitati est redditus. Hoc plane miraculum fratribus [illegible] cum fuisset agnitum, [illegible] in magna veneratione habere cœperunt beatum Maiolum, quem jam ita Deo proximum noverant effectum per signa virtutum.

XVI. *Hum[illegible]* [illegible] cupiens vita, quo fratrum devotione attentius honorabatur, eo magis omni se vilitate et extremitate dignabatur. [illegible] munditiam tamen cordis ne jactantia fœdaret, a nemine se laudari volebat. Et ideo hominibus fugiens esse in pretio, sua se conscientia charum Deo exhibebat. Christi quin etiam indutus tunica, cujus sequebatur vestigia, miroque ornatus patientia, meliora secundum Apostolum sectari semper studebat charismata. Ideoque vitia aversando, de virtute in virtutem proficiendo, per obedientiæ quadruvium ad [illegible]. Sed quia obedientiam nemo valet bene imperare subjectis, nisi hanc ipse didicerit prius exhibere prælatis; ideo hunc longo tempore Dei dispensatio statuit subesse, ut sub alterius magisterio disceret, [illegible]. At ego hic ab efflorationis opere paululum respirabo, ut debitum finem hic liber accipiat, indigna quanquam cogi brevitate queratur.

LIBER SECUNDUS

I. *Abbas designatur, sed assentiri recusat.* — Cernens interea vir Domini Heymardus beatum Maiolum virtutum pennis ad alta subvehi, terrena cuncta despicere, mundi gloriam declinare, verbis pluere, miraculis obscurare, ac toto conamine de virtute in virtutem velle proficere: at contra se infirmum, lumine privatum, senio fessum, atque emeritæ militiæ jam veteranum, convocatis in unum fratribus, his eos compellare cœpit affatibus: Me privatum lumine vobis utiliter præesse decernitis minime posse. Ideoque talem ex vobis ipsis eligite, qui tutor et custos sit vobis in Dei famulamine. Illis autem hæsitantibus, et nihil ad hæc respondentibus, quod mens conceperat divina inspiratione, allegavit sermone, beatum Maiolum ut eligerent adhortans, solum hunc esse ad id officium idoneum affirmans. Unus omnium consensus, nec dispar fuit affectus. Cernere erat omnes in consona vota ruentes. Namque agmina monachorum et clericorum nobilibus viris conserta ruunt, plebs rustica plebi concinit urbanæ, par est sententia cunctis, vox eadem, studiisque ardent communibus omnes Maiolo titulum decernere pastoris. Hunc clarum meritis, hunc nobilitate legendum, dogmate præcipuum, generoso pectore primum, principibus notum et nonnulla parte verendum. Sed assensum ut præberet cum nullis flecteretur precibus, abbas bono usus consilio, quod sibi denegabat possibile, ei qui omnia potest studuit committere. Quocirca post singularum determinationem horarum, super hac petitione prostratis in terram fratribus, octogesimus sextus decantabatur psalmus. Hocque dum fieret per triduum, tale Dei pietatis intulit indicium.

II. *B. Benedicti monitis tandem acquiescit.* — Vir namque Dei nimia sollicitus cura, cum sequentem noctem fere jam mediam duxisset insomnem, longa tamen cogitatione fessus, cum sopor ita irrueret, ut adhuc quasi vigilantem se putaret, quidam religionis habitu comptus, venusta facie decorus, visus est sibi astare et dicere: Securus esto, frater; ne titubes in suscipiendo regiminis honorem, quia ad hoc peragendum officium divinum tibi non deerit auxilium. Tunc libellum quem forte manu gestabat prætendens: Hunc, inquit, tu comitem habeto, ejusque testimonio quæ agenda sunt agito. Hæc autem qui fabatur, non alius sibi quam B. Benedictus videbatur. Itaque hac visione aliquantulum recreatus, titubare nequivit se ad hoc opus divina cogi dispensatione. Jactans ergo in Domino curam suam, totumque suum posse in ejus ponens velle; facto mane in conventu fratrum, corpore in terram prostrato, tam abbati, quam omnibus fratribus satisfecit in capitulo, arguens se culpæ, talique eos conveniens sermocinatione. « O Patres, o fratres, hoc contumaciæ deputare nolite, quod obstinato animo vestræ jussioni distuli obedire. Animarum enim regiminis dum vim et magnitudinem mente pertracto, meæ imbecilitatis conscius, ad hoc suscipiendum minime me fore idoneum sentio; et ideo fuit obedientiæ dilatio, quia tanti ponderis sub mole ruinam perpeti formido. Nemo enim alter alteri sic est notus ut sibi. Unde si me ut ego nosceretis, ad id officium nullatenus cogeretis. Sed quia vestra urget jussio, cui contradicere non audeo: nunc in eo qui lenire aspera, relevare valet gravia, superare valet adversa; omni spe posita, vestra mutor ab immutata sententia. » Hoc fratres audito omnes gratulabantur Deo, cujus benignissima miseratione exaudiri meruerunt in sua petitione. Tunc domnus abba multitudinem convocans nobilium, pontificum et abbatum, adhibuit consilium, in quorum præsentia hæc prorupit in verba: « Vestram minime latet industriam, quia ad prælatos respicit, quidquid a subditis delinquitur. Quapropter exemplum pravæ vitæ, et negligentiam subditorum ignis gehennæ inexhaustus vindicat. Idcirco ego Heymardus, sancti Petri Cluniacensis cœnobii abba indignus, præsentibus atque futuris omnibus generatim notum esse volo, quia hæc et huscemodi mente pertractans, ætate defatigatus, officiis etiam corporis imminutus dum minus me pastorali curæ idoneum persentisco, beati Benedicti capitulatim de constituendo abbate sollicitudine præmonitus, cum omnibus fratribus meis filiis et conservis,

beati quidem Petri pridem electum fratrem ac filium Maiolum reelegimus, et abbatem esse decernimus, ne insolentia nostræ infirmitatis ordo deterescat, et repulsam in aliquo patiatur, Deo propitio semper ad meliora provehendus. Nam sicut quis ad regimen incautus aspirat, ita si quis dignus refugit merito constringendus habetur. Et sicut Cluniacense monasterium Deo auctore a Willelmo duce fundatum nomine principis apostolorum sacratum, privilegiis Romanæ sedis insignitum, regalibus præceptis confirmatum, a reverendis quoque abbatibus domnis Bernone et Odone ordinatum constat; ita cum omnibus abbatiis, locis, et cellis ubi ubi, eorum vel nostro tempore acquisitis, prædicto fratri ordinandum tradimus, atque tam ad ordinem servandum secundum beatum Benedictum et instituta patrum nostrorum, quam ad res disponendas sub omni integritate, propitia divinitate, vinculis obedientiæ astringimus, et abbatem unanimiter omnes proclamamus.» Post hæc denique verba, electione conscripta, et universitatis consensu roborata, impositaque antiphona ducitur in ecclesiam, benedicitur, et in sua sede omnibus gratulantibus levatur.

III. *Scripturæ sacræ lectione se et alios regit.* — Ut speculi fieri solet inspectione, ita se interius divina considerabat lectione, et ex hac mentis ornatus componebatur; deformitatis vero si quid deprehendebatur, justitiæ moderamine corrigebatur. Ideo divinorum præceptorum plus delectabatur eloquiis, quam dapium ditissimis ferculis; quia ex his et suos mores componere, et sibi commissos instruebatur docere et corrigere.. Cunctis tamen seipsum bene vivendi præbebat exemplum. Et ideo sicut in ordine, ita primus studebat ut esset in opere, juxta illud evangelistæ : *Cæpit Jesus focere et docere* (*Act.* I, 1). Adeo lectioni semper erat deditus, ut in itinere positus, libellum sæpius gestaret in manibus. Itaque in equitando reficiebatur animus legendo.

IV. *Profanos ut legit.* — Philosophos vero sæcularisque sapientiæ libros quando legebat, illud sagaci sectabatur industria, quod ad legislatorem divina vox in legis secundatione (*id est* Deuteronomio) præcipit de captiva quæ, sumpto calvitio, unguibus præsectis, pilis abrasis, omnibus purgata sordibus, ejus a quo capta fuerat transibat in amplexus. Hac quippe similitudine, quæ in philosophorum libris reperiebantur utilia, hæc sua dignabatur memoria : quæ vero superflua, de amore scilicet rerumque sæcularium cura, hæc quasi venenata radebat et mortifera, his calvitium inducebat, hæc ungium more ferro acutissimo desecabat. Ex lectionis ergo assiduitate, Scripturarum informatus auctoritate, ita in canonicis ac monasticis valebat institutis, ut nulli videretur secundus in legum decretis ac philosophicis argumentis.

V. *Erga subditos ut se gerit.* — Tum virtute et sapientia compositus, fandi quoque honestissima copia ditatus, ita se coaptabat singulis, ut omnibus esset diligibilis, implens illud Apostoli : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem* (*I Cor.* IX, 22). Quidquid loquebatur, sapientiæ gravitate componebat. Sermo ejus sale conditus, quo virtutis pondere brevis et rarus, eo prudenti suavitate habebatur pretiosus. Ideo quotiescunque ad ædificationem moralem faciebat sermonem, ut disertisssimus, ita habebatur gratissimus. Gregem sibi commissum provida regens pietate adversus pessimum sanctis omnibus inimicum, concordi sanctoque certamine admonebat certare, ut eorum quisque quod posset, operari bonum non desisteret, ne tunc vellet quando non liceret. Illis etiam B. Pauli sæpius inferebat monita, qui in sua ait Epistola : *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum.* Vetus enim proverbium est, parem pari facile congregari. Ideo perpetuus virginitatis custos nullius turpitudinis ignominia maculari patiebatur sibi subditos. Peccantes vero zelo pii amoris coram omnibus arguebat, ut cæteri timorem haberent. Sed et verba quæ sub increpatione proferebat, quasi stimuli dura videbantur et aspera, juxta illud : *Verba sapientis quasi stimuli et quasi clavi in altum defixi* (*Eccle.* XII, 11). Quin etiam paterno more quos aspera redarguebat invectione, mirum est referre, quam sancte, quam pie eos postmodum demulcebat, prout cuique expedire videbat, proferens de thesauro cordis sui nova et vetera; alios quidem blandimentis, alios admonitionibus, alios terroribus et ita omnibus omnia factus juxta Apostolum, prædicans verbum, instans opportune, imporfune, arguens, obsecrans in omni patientia et doctrina (*II Tim.* IV, 2). Verum quia charitate replebatur Christi, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire, omnium bonorum ut propriis gratulabatur provectibus, malorum ingemiscebat iniquitatibus : miserorum vero, haud secus ac si ipse pateretur, afficiebatur calamitatibus.

VI. *In palatiis quam caute se habet. Multos convertit a sæculo. Monasteria reformat.* — Augustorum vero seu regum palatia cum per diversas partes frequenter adiit, in eis non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quæsivit, ut ex eorum scilicet familiari collocutione, subveniret oppressis sua interventione, aut certe aliquos ex sæculari vel clericali habitu Deo lucrifaceret, ut juxta Domini præceptum propria relinquerent, et sæcularibus curis semoti, Deo in tranquillitate servire studerent. Itaque licet sæpius in terreno conversaretur palatio, animus tamen in nullo se flectebat a cælestis vitæ proposito; quoniam humanis cælestia præponens, ideo a cælesti rege separari non poterat, cui tota mente adhærebat. Deinde ut obsceni rumoris nulla de se fabula, sed bene vivendi exemplum ex sua procederet continentia, in incessu, in omni corporis motu, tali se perornabat habitu, ut omnis ejus actio, omnis locutio doctrina apostolorum esset et institutio. Os ejus ita replebatur ex cordis abundantia, ut in eodem ore pene nihil aliud nisi lex resonaret divina. Et quia Scriptura jubet : *Qui audit dicat : Veni* (*Apoc.*

xiii, 17; ideo [illegible] sæculi ne-quitia [illegible] per [illegible] supernum regnum anhelaret, [illegible] ho-mines, si fieri posset, exoptabat. Sed nullatenus est fraudatus a [illegible] vera dilectio. Ille enim qui charitas est, qui se ti-mentium complet voluntatem, viri Dei ferventem affectum [illegible] nita multi quæ possederant relinquentes, regulari se disciplinæ subdiderunt, et beati Benedicti sequen-tes vestigia, semetipsos abnegantes, vero regi totis viribus militaverunt. Partibus namque ex diversis ad ejus cœnobium multitudo confluxit innumera-bilis: sed nationibus licet diversi, mente tamen ita erant uniti, ut illud ad litteram in eis impletum videretur, quod de initio nascentis Ecclesiæ in apo-stolorum Actibus legitur: *Erat illis cor unum et anima una (Act.* iv, 32). Lætabatur pastor in sui gregis augmento, magisque gaudebat, quod omnes instabant operi proposito. Verum quia super gre-gem sibi commissum solerti vigilavit cura, divina promeruit gratia de fructu laborum suorum in hac gaudere vita. Nam regularis vitæ disciplinam, quæ jam pene deciderat per veterum negligentiam, prout B. Benedictus eam composuit, in pristinum statum corrigendo restituit, ac per diversas mundi partes, perplura monasteria a regulari tramite de-via, tam per se, quam per suos quos abbates ordi-naverat, monastico ordini (3) subdidit. In hoc vero gaudens gratulabatur Deo, quod eorum quos sua sub cura educaverat, ad monasticum regendum or-dinem fore multos idoneos videbat.

VII. *Discretione utitur in cibo.* — Si quidem, ut discretissimus pater, omnibus quæ agebat dis-cretionem præferebat, et tali discretione com-munis vitæ utebatur ratione, ut et abstinentiæ supra cæteros studeret, et ex eadem tamen absti-nentia se laudandi materiam nemini præberet. Re-gulari enim præcepto concessis ita utebatur et lici-tis, non ut voluptas aleretur, sed ut corporis neces-sitas brevi sumptu aleretur. Apostoli obtemperans præcepto, vino utebatur modico, sic sanctis et mo-deratis jejuniis corpus semper attenuabatur, sic adulantium lingua vitabatur, sic mente jactantia pellebatur.

VIII. *In mensis etiam divitnm et in colloquiis.* — Nobilium mensis quoties coactus intererat, sic apposita libabat, ut et superstitionem fugeret, et continentiam reservaret; quoniam quidem mensura ubique est laudabilis. Rebus enim in omnibus, etiam in bonis, est vitium quidquid excesserit mo-dum. Ita sibi competens et moderatus erat habitus, ut nec nimium speciosus aut nitidus, nec plurimum videretur abjectus. Ex his enim sæpius se solent homines vel insolenter jactare, vel indiscrete abji-cere. Quocirca discretione usus, inter utrumque incessit medius, ut nec jactantiæ argui possit pre-tiosis de vestibus, nec simulatæ sanctitatis de ni-mium abjectis et vilibus. Disertis quoque viris quo-t[illegible] aliquid proponebatur, libenter audiebat, prudenter et verecunde respondebat, libenter ac laudabiliter suscipiebat. Prava vero si quæ proponebantur, non acriter, sed ingenuo pudore confutabatur, non cal-lida argumentatione disputantem contra se supe-ra[illegible] exempla benigne docendo. Tunc dicta orthodoxorum trahe-bat ad medium cum evangelicis et apostolicis toni-tribus, atque in hunc modum et eruditissimus decla-rabatur, et eruditionis jactantiam fugere videbatur.

IX. *[illegible]* — In [illegible] ut itinere, per singulos dies, ubicumque esset, secretum sibi adhibebat locum mœroris amicum, ut remotus ab hominibus Deo jungeretur pro-pius; sed dicere non possumus, quantis tunc gemitibus, quantis afficiebatur fletibus. Plerum-que terra ante oculos ita lacrymis videbatur irri-gata, ac si foret unda perfusa. Si quæ levia con-tingerent, quæ pro humana fragilitate solent eve-nire in cogitatione, tali hæc eadem plorabat mœ-rore, ut gravissimorum criminum eum crederet reum. Porro quia justus in principio accusator est sui, ipse sæpius se accusabat, se reum esse clama-bat, illud beati Job frequenti memoria replicans: *Nonne cognoscit Deus vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat?* (*Job* xxxi, 4.) In itinere positus, sæpius iter carpebat ab aliis semotus. Orationi dum insistebat, aut lectioni dum incumbebat, suorum nullus eum aggredi præsumebat quia, juxta illud beati Job, *Subditis erat tremendus, et lux vultus ejus non cadebat in terram* (*Job* xxix, 24). Omnem intentionem suam ideo fore volebat in occulto, ne qua laudandi daretur occasio ex qua mentis subre-pere potuisset elatio. Sed quominus petebat glo-riam, eo illum magis sequebatur, quoniam ut Au-gustinus ait: « Melior est virtus, quæ humano tes-timonio contenta non est, nisi conscientiæ suæ. » Vera enim est virtus quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis quo melior non est. Et ideo virtutes habenti magna virtus est contumnere glo riam; quia contemptus ejus in conspectu Dei est, judicio autem non aperitur humano.

X. *Virtutes ejus quot et quales. Animarum susci-tatio.* — Diversi namque fideles viri diversis laudan-tur virtutibus; beatus tamen Maiolus non in una, sed in omnibus est laudandus. Verum nos eas in eo laudare debemus, quas tota novit Italia, non ignorat Germania, in quibus tota exsultat Gallia: restaura-tionem scilicet cœnobiorum, pacem Ecclesiis red-ditam, regum et principium concordiam, intemera-tam regulæ observantiam, lucrum animarum, quas

(3) Id est restituit, severiore disciplina inducta. Sic infra cap. 23. B. Apollinaris cœnobium ad B. Benedicti dicitur *instituisse tramitem.* Ex hoc vero loco patet abbates, non priores fuisse præpositos cœnobiis Cluniaco adjunctis, idque variis exemplis jam probavimus.

(ut quondam David, manu fortis a sævissimis urso- A rum brachiis abstraxit, et a cruentis leonum faucibus eripuit, easque Domino ita restituit, ut cum justo viro dicere posset : *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam* Job XXIX, 17). Toties enim ex iniqui, hoc est diaboli, dentibus prædam tulit, quoties ex erroris morsu animam prædicando diripuit. A multis quippe dæmonia expulit, quos præripiens diabolo, Christi servitio subjugavit. Perpluribus quoque veneno serpentis tumidis per antidotum subvenit suæ exhortationis. Infirmos in bono opere per manus impositionem perplures sanavit, dum suæ operationis exemplo illorum vitam roboravit. Leguntur plurimi miræ sanctitatis viri, qui suis obtinuerunt precibus ut ad corpora hi qui olim suppliciis deputati erant infer- B nalibus redirent : sed si hoc est mirabile, cum anima per dissolutionem ad hanc vitam resuscitatur corruptibilem, illud est mirabilius et gloriosius, cum ad suum revocatur auctorem, ejusque a quo alienabatur perverse agendo, ita postea ut unus cum eo sit spiritus, adhæret bene vivendo. Multos enim mortuos mente, beatus resuscitavit Maiolus ad gaudia æternæ vitæ, et submersos in fluctibus magni maris retibus suæ prædicationis ad littus traxit firmæ soliditatis. Mortuorum ergo suscitatoribus nullatenus inferior beatus decernitur Maiolus; sed sagaci mente si quis vult indagare, quis unquam valet enarrare quot in tenebris et umbra mortis sedentibus viam rectam ostendit, et ad civitatem habitationis, cœlestem scilicet Jerusalem, ut irent, edocuit; qui in bono claudicabant opere, illos sa- C lutare iter docuit currere. Verum sunt nonnulli qui eos tantum efferunt, quos signa fecisse visibilia audiunt; operatores vero invisibilium quæ perpendere nesciunt, minoris fore meriti contendunt. Quocirca exteriora perpetranda beatum Maiolum ut compotem fuisse monstremus, pauca de multis quæ mirabiliter gessit dicemus.

XI. *B. Mariam Anicii adit.* — Quodam tempore ut supplici devotione misericordiæ deposceret matrem, Dei scilicet Genitricem, aggredi studuit Vallavorum civitatem. Tota tunc civitas tripudiat, ejus visione uterque sexus indiscreta ætas gaudebat. Omnes petunt benedictionem, audire exoptant ejus sanctam sermocinationem, occurrunt proceres, properat promiscua plebs, tum sacer ecclesiæ denso D ruit agmine clerus. Laudibus hi plaudunt, persultant plausibus illi, et commune decus parili pietate salutant. Exin multiflua comitante turba iter dirigit ad sanctam ecclesiam, sternitur, et Christum solito prostratus adorat, rigat lacrymis solum, vocat planctibus Christum, cui lacrymæ fecere viam super astra volanti.

XII. *Cæcus illuminatus.* — Postquam itaque spiritali suavitate in Christo debriatus jucundissimis se virtutum dapibus explevit, diversorium repetens, occurrit mendica manus, stipemque petebat, docta et sufficiens aliena vivere quadra. Inter quos occurrit unus, qui multos jam per annos lumine fuerat privatus, dum cæteri corporeum sublevamen, ipse solus petebat lumen : apostolorum a principe scilicet sibi testabatur revelatum fuisse, ut si ex unda qua vir Dei manus ablueret, oculos lavaret, expulsis tenebris oculorum lumen ipse recuperaret. Cumque ab eodem aspera fuisset increpatione repulsus, expetere id tamen non destitit a sibi famulantibus. Hoc idem comperto eis interdixit sub interminatione hoc facere caverent temeraria præsumptione; sed lumine qui carebat eadem quin peteret quiescere nesciebat Denique sua sæpius frustratus petitione, cum quod quærebat in civitate non posset impetrare, virum Dei suæ egressionis in itinere sua tentabat improbitate lacessire, illi per omnia similis in petendo, de quo Dominus ait in Evangelio : ***Et ille si perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget et dabit illi quotquot habet necessarios.*** In locum, qui Mons gaudii vocatur, quod hinc Christi matri ecclesiæ spectat, tunc virum Dei præcessit ejus operiens adventum, et equum venientis per frenum arripiens tenuit, atque cum juramento dixit : Hunc equum non dimittam, etiamsi vapulavero, nisi prius quod deprecor impetravero. Aquam quoque, ne exinde aliqua excusandi subriperetur occasio, secum ille deferebat in vasculo sibi pendente a collo. Tunc vir Dei in multa sollicitudine constitutus, tandem flectitur ad misericordiam petentis pietate compassus. Descendens itaque, aquam more ecclesiastico exorcisavit, ac ipsi salutare signum Dominicæ crucis infudit, et super cæci oculos eadem de aqua salutare signum imposuit, de sua nihil virtute præsumens, nec tamen in fide hæsitans, dum eum, cujus nomen super aquam vocavit, et ex hac salutare lignum lavit, lumen posse cæco reddere nullatenus dubitavit. Ei quia hoc fideliter credidit, effectu suæ fidei minime caruit. Nam flexis dehinc in terram genibus cum his qui secum tunc aderant fratribus Matrem misericordiæ fusis cœpit lacrymis postulare. Mira res! ille qui privatus fuerat lumine, antequam vir Dei surgeret ab oratione, tenebris evacuatis lumen (4) recepit veritatis; quique gressum figere solebat dirigente altero, lætus rediit ad sua nullo ductus auxilio. Cujus vocem a clamore vir Domini compescens, hoc in mandatis dedit : Vade, inquit, in pace domum tuam, et narra quanta tibi fecerit virtus B. Mariæ virginis. Hoc miraculum non aliunde commendatum, verum ex eorum qui interfuerunt sincera relatione insertum est.

XIII. *Item alius.* — Aliud quoque haud dissimile virtutis indicium per eumdem novimus operatum opificem omnium Dominum. In Viennensi pago, qua-

(4) S. Maioli festum ejus miraculi causa in Ecclesia Aniciensi celebrari solitum tradit Odo Gisseius in historia Deiparæ Podiensis, ubi hoc miraculum ait contigisse anno 950; at serius accidit. Lege donationem a canonico Aniciensi Maiolo factam in elogio num. 29.

dam in villa, qu[illegible] lumine privatum [illegible] erat domnus pater Maiolus cum suis ad hospitium venerat. Rusticus ergo [illegible] vir Dei [illegible] rat ejus abluerentur oculi, quia virum Dei super hoc convenire timuit, hoc ab ejus ministro clam petere studuit. [illegible] oculos ablu[illegible]. Hoc vir Dei, ut comperit, quia [illegible] riam fugiebat, aquam [illegible] ante se spargere faciebat; sed ex hac furtum [illegible] factum laudabile multos longa debilitatis infirmitate lætos optata reddidit sospitate.

XIV. *Febricitans sanatus.* — Quodam vero tempore cum iter ageret, frater qui secum comitabatur, immensis cœpit agitari febribus, qui ita nimio irriguerat algore, ac si funditur vitali careret calore; fratres qui aderant suis eum vestimentis tegebant; ipse tamen calere nullo modo valebat. Tunc vir Dei sua se tunica exuit, qua eum induens sic collocari præcepit; ipse vero ad solitum orationis accessit confugium. Sed quid Christus non operetur in sanctis? Extemplo enim sancti viri tunica frigoretrici corpus ut obtexit, illico per ejus qui patiebatur membra placidus se sopor infudit; et sudoris inundatio totum corpus quod nimio prius inhorruerat algore, resumpto, operuit optato calore. Post modicum intervallum ut surrexit a somno, ita pristina usus est sospitate, ac si nulla prius opprimeretur infirmitate. Ex qua re potest animadverti, ejus anima quid virtutis intus, quidve haberet meriti, cujus vestis exterius sanitatem restituit infirmanti.

XV. *Maioli devotio in itinere Romano.* — Illud vero quis explicet digne, quoties ad apostolorum limina iter dirigeret, qua devotione illud iter explebat? Cuncta sanctorum loca, sancto itineri contigua, spiritali visitabat studio; ibique fundens lacrymarum flumina, sibi eos quo succurrerent orationis deposcebat instantia. Pauperum quos in via reperiebat neminem sine consolatione transire sinebat; fidelem per ministrum cui hæc cura commissa fuerat, singulis subveniebat, et quidquid in eos contulerat, in Christum se contulisse gaudebat. Apostolorum ad sepulcra cum perveniret, dici non potest quot lacrymarum, quantumve gemituum, quid ibi doloris effunderet; corporis ejus ut hic esset dissolutio, illic vili quo tegeretur mausoleo omni exposcens desiderio. Romæ dum aderat, cordis in lætitia plus solito exsultabat, et nimio præ gaudio (sicut ipse fatebatur) sibi sæpius gloriosos principes quasi præsenti cernere intuitu videbatur, hac de re festiva sibi et celeberrima dies ducebatur accessionis; expers vero gaudii et plena mœroris deputabatur recessionis.

XVI. *Arpertus Curiensis episcopus prævia confessione a morbo recreatus.* — Aliquando vero iter illud cum ageret, et Coriam (*Coire*) per Penninas Alpes transiret, prædictæ civitatis episcopus, virtute venerabilis Arpertus gravi peste percussus, acerrimis indesinenter cruciabatur doloribus. Qui viri Dei adventum populi rumore ut comperit, ut ad se visitandum pergeret precibus obtinuit. Qui morbo ingravescente jam desperatus de vita sua, ei studuit confiteri delicta, in multis se confitens offendisse, maxime in elatione, et quod boni egerat, per inanem gloriam se perdidisse timebat. Dum hæc et alia [illegible] quo torquebatur dolore aliquantulum sublevari se sensit beati viri visitatione, et ideo per ejus meritum se sanitati credidit reddendum. Et quoniam paschalis dies jam appropinquaverat, et dies qua sanctum chrisma conficitur jam imminebat, cum ad altare non posset accedere, et debitum obsequium persolvere, ideo Dei famuli clementiam obnixius cœpit deposcere, quatenus sibi virtutis ab omnipotente Deo sua ipsius deposceret deprecatio, quantum ea die sufficeret, qua more ecclesiastico sanctum chrisma conficeret. Sed totus qui possidebatur a pietate, quod juste petebatur, nescivit negare. Mox oratorium petiit, seseque cum lacrymis in orationem dedit, et oratione in brevi completa exiit. Antistitem ægritudo deserere cœpit, præfata nimirum die, pro qua petebatur, se lætatus est tantam virtutis sumpsisse constantiam, ut ægritudinis in se nullam sentiret molestiam. Gaudere denique cœpit, quod Maioli precibus ex infirmitate convaluit; sed ex hoc plus, quod præscripto vitio (sicut ipse fatebatur) magna ex parte caruit. Inde datur intelligi non tam pro corporis sospitate, quam pro salute animæ beatum virum libentius Dominum exorasse.

XVII. *Œconomi punita tenacitas.* — Romæ quondam dum moraretur, ad B. Pauli limen, placuit ut orationis causa proficisceretur. Ad egregii doctoris ædem ut venit, ante sepulcrum sese cum lacrymis in oratione solotenus stravit. Surgens vero ab oratione, ejusdem loci monachos fraterno visitavit amore: quibus verbum dum faceret, et eorum mores ut pius pater instrueret, suis quo subveniret necessitatibus, agere ipsi cœperunt cum precibus. Tum ille, ut semper misericordiæ visceribus affluebat, dispensatori præcepit, ut eis argenti libram tribueret. Sed dispensator, parvam quantitatem quia fore sciebat in sumptibus, medietatem tantum libræ concessit, ut providus. Mox vero ut ad B. Petri basilicam repedavit, vir quidam adfuit, qui ei decem solidos obtulit. At ille suscipiens hæc: Hæc cape, ministro dixit,

ac te succumbere noxæ
Disce, quod in fratribus fraudem meditatus egenis,
Malueris esse tenax, nam si quod tradere jussi
Cessisses, solito, Christo tribuente, refusos
Viginti caperes hodierno fenore soldos.
Invadit formido hominem secreta reatus
Maiolo patuisse sui, non sane putato.
Hoc mirum, bone vir, tanto quod clausa prophetæ
Cordis hiant: plenus qui sancti numine flatus.
Jam Deus est, jam divinos sortitur honores.

XVIII. *Nudus vestitus.* — Alio quoque tempore cum iter carperet, pauper in itinere est repertus pede nudus, cucullo vacuus. Super quem misericordia vir Dei motus cum induit veste qua tegebatur exutus. Ad hospitium quo tendebat ut venit, ejusdem compositionis et similitudinis [illegible] in civitatis episcopus obtulit. Hanc vir beatissimus ut sumpsit, suos affari taliter cœpit : « Illi hæsitare nostra non debemus impendere, qui abundantius tam cito quæ tribuimus valet restituere.

XIX. *Ottonis Augusti opinio de Maiolo et de monachis. Ottonis elogium et Adalaidis.* — Hujus igitur sanctitatis opinio, mira per eumdem patrante omnipotente Deo, cum apud hominum notitiam magis ac magis innotesceret ejusque nominis fama longe lateque se spargeret, Magnus Otto qui tunc temporis strenue rempublicam gubernabat, tanti viri plurimorum relatione comperta, ejus præsentiam ardentius cupiebat. Hic enim vir licet imperiali potiretur fastigio, magna tamen erat illi circa monasteria devotio; quia nequaquam se feliciter imperium sperabat tenere, nisi summo Regi studeret non displicere. Et ideo sæpius ingemiscebat, dum qui per religionis habitum se Deo devoverant, sæculari intentos negotio ire per abrupta cernebat. Nam regiminis ad cultum ita videbatur idoneus, quatenus nulli non modo secundus, sed (ut planius dicatur) primis et summis conferendus videretur. Nihil leve moliebatur, quia gravitatis eum modestia comitabatur; verum quidquid incipiebat, efficacia nullo modo Deo auctore carebat. Huic conjux Adeleidis inhærebat, quæ Deo amabilis et hominibus diligibilis, ita regali copulabatur toro, ut mentem castam omni custodia Regi servaret superno. Pauperibus subveniebat, ægrotos et debiles sine intermissione fovebat. Gaudebat cum gaudentibus, flebat cum flentibus, spes miserorum, solamen lugentium : quo regali nobilis stemmate, eo per omnia pollebat nobilior sanctitate.

XX. Virtutum in culmine posita, cum superbiendi non defuisset materia, ita se humilitatis protexit custodia, quatenus nullius jactantiæ exemplum ex sua deprehenderetur continentia, illud mente pertractans quod Salomonis loquitur sapientia : *Rectorem te constituerunt? noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis* (*Eccli.* XXXII, 1). Si enim, juxta Apostolum, vir infidelis per mulierem fidelem, et infidelis mulier per virum fidelem (I *Cor.* VII, 14) alterno fidei bono salvabuntur, multo magis hi in Christo copulati, qui sunt per fidem justitiam operati, ipsius testimonio repromissiones quas repromisit qui non mentitur Deus, sunt sine dubio adepti. Ambo enim Evangelii auditores, et quia auditores, ideo operatores, quoniam quidem ex Evangelio didicerant : *Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet* (*Matth.* x, 41); ideo quos in Dei famulamine cernebant devotiores, eos sibi habebant chariores. Sed illi præ cæteris diligebantur, qui falsa abrenuntiantes gaudia, beati Benedicti sectabantur vestigia devotione promptissima.

XXI. *Maiolus per Heldricum utrique charus. Monasteriis reformandis præpositus.* — Itaque (ut prælibatum est) B. Maioli fama plurimorum relatione comperta, haud secus ac perfrui vita, ejus potiri delectabantur notitia, quorum adimplere non distulit desiderium, qui fide pulsantibus beatæ vitæ pandit ingressum. Enimvero Heldricus, cujus supra (*lib.* I, *c.* 15) meminimus in laicali potentia præcipuus, qui quondam in Italia inter cæteros Palatinos exstitit honorabilis, uxori cum magna rerum temporalium copia abrenuntians, deposito cingulo. Cluniaco se conferens, B. Benedicti se subdidit proposito. Hujus quippe familiaritas gignere diffamatur causam qua Romanus princeps habuit sancti viri notitiam. Per hunc enim eum sibi accersivit, quem adeo pro salutari dilexit doctrina, ut quæ sibi in Italia subdebantur et in Germania. ejusdem ordinationis committere vellet monasteria. Imperatrix vero, ac si ancillarum ultima, impendere cupiebat ei devotionis obsequia, quoniam beati Maioli per preces abundantiori se visitari divinæ præsentiæ sperabat gratia. Cuncti eum venerabantur optimates, cunctique diligebant principes. Hunc imperator habebat auricularium, hunc a secretis fidum internuntium. Si quis apud imperatorem aliqnod haberet negotium, mediatorem beatum quærebat Maiolum.

XXI. Per idem tempus beati Apollinaris cœnobium, quod per viginti quatuor stadiorum spatium a Ravennate urbe fertur sepositum, ad B. Benedicti instituit tramitem, ibique suum ordinavit abbatem. Præterea imperatricis non contemnendæ petitionis tunc exoratus instantia, juxta Ticinensem urbem sancti Salvatoris (5) desudare cœpit in fabrica. Interim vero jam debitum finem secundus hic liber postulat, ut ea quæ restant, tertius, signis evidentibus, ad finem usque perducat.

LIBER TERTIUS

I. *Maiolus Cluniacum revertens, a Saracenis capitur.* — Vir itaque Domini (ut supra diximus) imperatricis animis satisfaciendo, longo temporis spatio jam evoluto cum Cluniacensi deesset monasterio, accessit libitum quo fratres pergeret visitatum. Cunctis igitur in via necessariis præparatis, laborem aggreditur itineris. Magna tandem cum difficultate laboriosi itineris cum jam cacumina Alpinæ præ-

(5) Nalgodus : *Juxta Ticinum, id est Papiam, in honore S. Salvatoris construxit ecclesiam, et monasterium, quod vulgo Cella Aurea dicitur, et collapsam pene fuerat in ruinam, restauravit ad unguem.*

terissent altitudinis, ad [illegible] descenderent [illegible] que prope Dranci (*Drac*) [illegible] Pons [illegible] [illegible] diversis regionibus tunc B. Maiolum comitabantur, quia ejus sanctitate se liberari posse arbitrabantur. Ad hunc igitur locum cum suo discrimine pervenissent, eumdemque rivulum transissent, mox inter ipsos artæ viæ, difficiles reflexus, qui parvo intervallo se præbent descendentibus, subito eos invasit perfidæ gentis Sarracenorum exercitus. Subita itaque incursione turbati, et conantes plurima frustra, omnique spe meliori deposita, fugæ consulunt, sed nequidquam. Vesana enim impiorum turba calle citato hos persequens, omnes quos comprehendere potuit, in vinculis conjecit. Cumque unus ex illa impiorum turba ab alta rupe unum ex viri Dei famulis telo appeteret, ut famulus eriperetur, vir Dei venienti jaculo charitativam manum opposuit: in qua quandiu postea vixit, inflicti vulneris cicatrix apparuit. Nihil vero de sua morte formidans, pro reliquis tamen exæstuans, altius tunc ingemiscebat, dum his quos impiorum crudelitas turbabat, subvenire nequibat. Evadendi itaque cum non deesset facultas, hunc tamen immobilem mentis tenebat charitas; quia eos pro quorum dilectione animam optabat ponere, etsi non poterat ab impiorum manibus eripere, magno tamen dolore convictus nolebat relinquere. Apostoli interim reversus ad exemplum, qui dum pateretur naufragium, salvavit oratione animas omnium secum navigantium, cum eos humano auxilio ab imminente nequiret liberare periculo, hoc suis apud Deum promeruit precibus, ut ex illa miserabili turba nemo moreretur inter hostium tela. Feroces itaque barbari peracto scelere ad suas latebras dum redirent cum captivorum multitudine, beatum Maiolum cernunt a longe solum sedentem in lapide. Celeres ad eum tunc pedites accesserunt, et sceleratas manus in sanctum injecerunt, eumque tenentes, cum cæteris captivis duxerunt. Tunc B. Maiolum qui cæteris habebantur præstantiores, honorare, qui vero leviores illudere, Christianæque fidei cœperunt detrahere.

II. *Ob Christum prædicatum religatur.* — Protinus ergo beatus Maiolus belligerator optimus, scutum fidei arripiens, cuspide verbi Dei perfodiebat inimicos Christi, Christianæ religionis cultum approbans, et eum quem Deum colebant, nec se a supplicio liberare, nec illos in aliquo posse adjuvare, certis et evidentissimis agressus est rationibus demonstrare. Quo audito barbarorum jactantia furore inflammata vesano, sanctos pedes compede constringentes ferreo, abscesso rupis sub antro, horrendo claudunt ergastulo. Sanctus itaque Domini ut eos in sui perniciem conspicit dira frementes:

Martyrii [illegible] palmam,
[illegible]
Optat, et intrepido profundit talia vultu.
Quod satis est, supraque satis, huc viximus usque.
Nunc faciem penetrare cupit cum spiritus ardens,
Christe, tuam: tædetque viæ, tædetque laboris.
Qua breviora patent recti compendia callis,
Ire juvat, via sit trepidis nimis ardua quanquam,
Propere sidereos dabitur contingere campos.
Sanguinis effusi si nos vestigia ducant,
Martyrii titulum tensis complectimur ulnis,
Et sponte expetimus pulchram per vulnera mortem.
Tu modo nos dignare tuo pro nomine testes.
Hæc dicens, animumque neci, collumque parabat
Carnifici: sat fixa viro sententia mortis
Intrepido; sed, Christe, tuis mundissima castris
Lilia cum rosis pariter candentia vernant,
Nec te martyrii constantia sola meretur,
Nec fuso quisquam tantum sit sanguine martyr.
Sæpe etiam multis peperit pia vita coronam:
Estque sacerdotum confessio munda tuorum
Grata tibi, quos justitiæ perfectio vestit.

III. *Se liberandum cœlitus intelligit, meritis beatæ Mariæ.* — Ergo, ut prælibavimus, vir Domini ferreis astrictus vinculis, horrendo in antro tenebrosi carceris pro confitendo nomine divinitatis, suffragia est expertus divinæ pietatis. Nocte igitur subsecuta, cum sopori dedisset membra nimio mœrore confecta, talis sibi visio divinitus est ostensa. Apostolicis insignitus vestibus Romanus antistes videbatur astare circa se, cum odore thymiamatis thuribulum deferens. Hac denique visione certior redditus, per apostolorum interventum ab impiorum manibus se intellexit liberandum. Ad hoc itaque quod vidit per somnum, aliud accessit magis evidens indicium. Pro dilectione Matris misericordiæ, libellum quem de ejus Assumptione beatus (6) edidit Hieronymus, sæpius gestare sanctis solebat manibus. Hunc, dum cæteros sacros codices cum omnibus quæ hic habebat perdidit, Virginis (ut fatebatur) tuitione sibi salvari meruit. Quem vestis sub tegmine dum se sentiret habere, quot dies superessent ab hinc ad eamdem Assumptionem Matris misericordiæ, sollicita nisus est mente discutere: qui numero supputati viginti quatuor sunt inventi. Tunc eam sua interventione hoc apud suum Filium orat obtinere, ut ipse eripiatur ab hac captivitate: quatenus divina sibi pietas inter Christianos concedat cum suis concaptivis tantæ solemnitatis potiri celebritate. Hac finita oratione ut ad rupem caput convexit, e vestigio præ mœrore sopor irrepsit. Post paululum vero expergefactus, se ferreis reperit solutum compedibus. Mane autem facto, hoc barbari stupentes miraculo, quod eum

(6) Hunc libellum non Hieronymi, sed tamen pervetusti auctoris esse eruditi norunt. Qua de re controversia fuit sæculo IX inter Hincmarum archiepiscopum et nostros Corbeienses, qui istum libellum Hieronymo adjudicabant, teste Frodoardo in lib. III Historiæ cap. 23.

cernebant compede divino solutum numine, ulterius A ut vinciretur ausi sunt nullomodo præsumere, sed ferocitate paulisper mitigata, venerari deinceps cœperunt quem prius in derisum habuerunt.

IV. *Cluniacensibus pro sua liberatione scribit. Quosdam convertit. Pretium dat barbaris.* — Tunc vir Domini, annuentibus sibi barbaris, per monachum qui secum captus fuerat, epistolam manu propria conscriptam direxit fratribus. Textus autem epistolæ hæc continebat : « Dominis et fratribus Cluniensibus Maiolus miser captivus et catenatus. Torrentes Belial circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis. Redemptionis pretium, si placet, mittite pro me et his qui una mecum capti tenentur. » Hæc epistola Cluniensi perlecta in capitulo, omnem illam stirpem quæ ejus doctrina et B exemplo hactenus læta fructificaverat in Christo, mœstitia extemplo suo confecit auditorio. Exprimere valet nullus quantus tunc ibi omnium gemitus. Ubique inter eos luctus, una vox omnium plangentium, unus audiebatur clamor lugentium, atque dicentium : Versa est in luctum cithara nostra, et gaudium nostrum in mœrorem ; quia juxta illud Jeremiæ lamentum, Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus : *In lumine tuo vivemus* (*Thren.* IV, 20). Ecce enim profanæ gentis irretitus est laqueo, cujus in Deo gloriabamur documento. Cujus interea isti afficiebantur de vinculis, hunc Dei dignatio magnificabat miraculis. Eorum namque, quos ad Christi cultum viri Dei persuasit disputatio, postquam Christianæ professioni a ritu se contulerunt barbarico, sicut jure jurando protestabatur as- C sertio, dum quiescerent immites nocturno tempore milites, et vir Dei debitas Regi regum redderet laudes, multorum secum canentium sæpius audiebant voces, quas quidem quia nemo sibi hominum familiare tunc præstabat contubernium, ipsi procul dubio angelorum fore asserebant cum eo psallentium. Itaque ut cras statutum, infiniti ponderis pecunia, vel ex his quæ ad usum necessaria, vel monasterii hactenus ad decorem servabantur insignia, sive bonorum virorum largitate in unum congesta, cæteris qui præstantiores videbantur fratres, cum multorum thesaurorum copia, die accurrerunt statuta. Qui prædonibus omnia quæ solerti congesserant indagine præbuerunt, omnesque prius vinculis qui trudebantur, novissime posthac quem diligebant, ab impio- D rum manibus traxerunt : factumque est superna gratia disponente, ut unius captivitate multi donarentur libertate ; et sicut superni Regis a piissima Matre petiit, ita inter fidei domesticos, ipsius Virginis interventu Assumptionis festivitatem celebrare promeruit.

V. *Maioli patientia hinc probata. Barbari puniti.* —Enimvero quia nihil in terra sine causa fit, Scriptura teste, divinæ providentiæ non abs re credimus placuisse, quatenus vir sanctitate præcipuus ideo volveretur tot casibus, ut exinde et vir Dei pressura attritus proficeret, et mortalibus beneficium divino munere concessum proveniret. Vitæ namque hujus in conversatione, licet humanis contraheret ex affectibus, unde diceret : *Dimitte nobis debita nostra* (*si enim dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*) ; ab hoc tamen sæculo, prout potuit, immaculatum se custodire studuit. Sed totus quamlibet videretur mundus, juxta Dominicam tamen sententiam illud fateri cogimur, quod negare non audemus ; quia adhuc indigebat quo summus sibi Magister pedes lavaret, ut in eo illud impleretur quod dicitur : *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc* (*Apoc.* II, 11). Propterea hæc viro Dei tribulatio, patientiæ fuit probatio ; quoniam, ut ait Augustinus, nullus hominum tanta est justitia præditus, cui non sit necessaria tribulatio tentationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem. Sed justo Dei judicio, unde venerabilem patrem probatio, inde se tribulantes justa consecuta est damnatio. Angustos namque inter Alpes obsidentes aditus, insperato insidiabantur apostolorum limina petentibus : sed ab eisdem dum capitur qui ab Omnipotente quamplurimum diligebatur, ejus sanctitatis ex merito cominus super eos divina se contulit ultio.

VI. Pro ulciscenda siquidem injuria viri Dei clade inter eos surgente, paulatim cœperunt viribus deficere, adeo ut divino se puniri verbere ore proprio faterentur intelligere. Verum nobilissimis viri Dei ditati spoliis, magis ac magis quotidie dum laborarent incommodis, ad Fraxinetum per consueta devia expetere propria aggressi sunt cubilia. Tum vero a Christianis itinere eorum explorato, iter securi per Alpes dum more tenerent solito, super se cum impetu venientium auribus a longe exceperunt sonitum, a clamoribus venientium et clangore tubarum consonat omne nemus, strepitu collesque resultant. Extemplo barbaris gelidus per dura cucurrit ossa tremor. Qui divina perculsi formidine, nullum senserunt auxilium præter fugæ præsidium. Certamen tunc magnum erat Christianis cum barbaris fugientibus, et ideo resistendi mente divinitus absente secedentibus, post principia certabant nuda prætendere terga. Fugam tamen dum facerent, multi capti, perplures vero sunt neci mandati. Hic vero qui effugerunt ad tempus dilatam mortem, cujusdam promontorii supercilium tutaminis sibi elegerunt præsidium. Sed decentius occumberent, si hostium inter tela ruerent. Illud itaque promontorium ita vastis rupibus circumcirca videtur subductum, ut præter unam partem lateris devexi, undique facultatem deneget commeandi. Hanc denique partem Christianis obsidentibus, cum nullus adesset eis fugiendi aditus, nulloque nostrates numere a sui obsidione quivissent avertere, humilem locum explorant, quo ad ima se saltibus deponant. Consequens enim erat, ut ipsi peterent ima, super quos superna incubuerat ira.

VII. *Maiolus recipit sacros codices.* — Vertitur interea cœlum, et ruit Oceano nox involvens umbra

magna terramque polumque. Contremuere omnes, sed nulla miseris quies, ocius accelerare cupiunt negotium. Denique impediente se Satana locum sibi exploratum minime adierunt; sed ab eminentis rupis vertice in imum se profundum tota nocte præcipitaverunt. Nostrates autem, jam die luce reddita, cœlestis victoriæ stupentes magnitudine, et gratias libuit referre, cujus forti numine prostratum cernebant agmen hostile. Quosdam tamen eorum qui demersioni se subtraxerunt, in remotiori quodam montis latere offendentes comprehenderant. Qui salutari se ablui deposcentes lavacro (hos enim, sicut superius diximus (*cap.* 4), vir Dei de Christo verbis edocuit salutaribus) corpori matris uniti Ecclesiæ, quanta inter barbaros gratia servum suum omnipotens illustravit, soliti erant referre. Optima tunc spolia colliguntur, æquasque per partes inter Christicolas distribuuntur. Ast beatum Maiolum, corpore licet absente, meritis tamen in fugandis hostibus præsentem, ejus distributionis cuncti qui aderant, expertem fore dignum nullatenus judicant. Hujus namque pro ulciscenda injuria hostes pessumdatum iri cœlesti testabantur in victoria. Propterea sacros codices, quos barbari rapuerant beato viro, sua pro parte miserunt. Sic Omnipotens, sui famuli meritis præcipitatis impiis, eliberavit cunctis viam Romani itineris.

VIII. *Romanum pontificatum recusat.* — Non longo vero post tempore Romana sede proprio viduata pastore, idem Dei famulus Ottonis secundi juncta cum matris prece, Italiam repetere a partibus est coactus Galliæ. A matre tunc et filio honore susceptus dignissimo, ad culmen apostolicæ dignitatis precibus impelli cœpit continuatis. Sed cui magis abjectio, quam expeteretur exaltatio, nullatenus ad se promovere potuit sublimitatis ambitio. Pusillum gregem nolebat dimittere, quem Christo placuit sibi committere : et cum ipso volebat in paupertate vivere, qui in paupertatem descendit a cœlesti culmine. Sed ab utraque cum cogeretur potestate, excogitandi dilationem studuit postulare. Tunc ad orationis se contulit præsidium, quo sibi concederetur divinitus quid agendum, quidve tantæ potestati esset respondendum. Ab oratione ut surrexit, apostolicæ lectionis codex casu sub oculis huc adfuit. Quo aperto, illa se in prima marginis fronte obtulit lectio, cujus se divinitus instrui credidit documento. Insertum quoque quod reperit, sibi adhærentibus legere cœpit : *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum* (*Coloss.* II, 8). Agere se oportere fatetur suis omni studio quod divina suggerit lectio. Imperatoris et sanctæ matris iterum precibus alternis ad ipsum flagitatur successibus ; cum nobilibus qui aderant antistites insistebant. imperialis quo fieret petitio supplicabant. Ast ille, divina illustratus gratia, solerti se studuit excusare prudentia. « Ea, inquit, mihi abesse cognosco, quæ viro conveniunt apostolico : nec videor idoneus ferre quo possim tantæ magnitudinis pondus, nec decet quemquam hanc præsumere sarcinam, cujus non potest vitare ruinam. Postremo ego et Romani, sicut divertimur regionibus, ita minime convenimus moribus: et si ipsi morigerabor, monastica professione privabor ; ideoque alium vos acquirite, quia indubitanter potestis scire, me ad culmen apostolicum hac in vita non accessurum, gregemque mihi commissum nunquam dimissurum. » Hæc quidem ex re liquido possumus colligere, hunc Dei famulum multæ humilitatis fuisse, qui rogatus a summo terrenorum principe, ad culmen apostolicum distulit ascendere. Sed quod ille distulit rogatus, multi longe inferiores, quos nec litteratoria professio, nec honestæ vitæ provehebat conversatio, se, si possent, ultro ingererent, omni se despectui multiplicatis precibus subderent : postremo tantæ dignitatis quo sublimarentur culmine, magno promisso munere se damnari sua sponte Simoniaca non spernerent peste. Ast vir Dei quem interius virtutum magistra docebat humilitas, in cujus spiritu evangelica regnabat paupertas, quanquam polleret eximiæ conversationis præconio, ideo tam sublimari refugit temporali fastigio, quo sæculari remotus negotio, firmius insisteret Omnipotentis obsequio, et longinquus mundo, proximus semper fieret Deo.

Secreti cupidus sancto vir numine plenus,
Non magis externos doctus vitare favores
Quamque ministrorum solatia crebra suorum,
Voto detulerat latebramque fovere perennem,
Immunemque aulæ quam longa est ducere vitam
Inconvulsa manet magni sed sponsio Jesu,
Montibus impositam non abdi visibus urbem :
Quemque tegit meritis absistens gloria pulchris,
Indicat egregiis illustrans gratia signis :
Et quaqua tulerat facilem per compita gressum
Urbibus et vicis raptim promiscua sese
Obvia turba dabat præclaris excita factis,
Et quanquam longi facile secura laboris.

IX. *Imperatorem de jurgio in matrem arguit, eique matrem reconciliat.* — Sub eodem tempore prædictus imperator matrem zelabatur, quia apud se falso crimine deferebatur, in eamque tunc quasi reipublicæ dilapidatricem, et sui ab ea expulsatricem, per falsos delatores tali stimulabatur jurgio, ut eam versa vice propellere minaretur regno. Suorum principum nullus eum convenire, falsumque crimen a sanctissima matre tentabat avertere. Ipsi eam defendere negligebant a crimine falsitatis, quos illa extulerat ad summos gradus dignitatis. Hanc omnes excusationem prætendebant, quod imperiali majestati contradicere non audebant. Ecce ferebantur precibus mandata coactis cunctorum, quiqui fuerant ex parte piorum, iret quantocius, ac dilectissimæ sibi imperatrici succurreret : nullam jam illi restare salutem, nisi ut rebus amissis etiam regno discederet, periculo vitæ in dubio his :

.... vocibus iras

Excitat, impatiensque moræ mox arma reposcit
Arma celer, notisque artus inducitur armis.
Voverat ille suum fidei pro nomine pectus,
In quamcunque daret casus incumbere mortem.

Ast ubi venit, mox imperatori in faciem resistit, et eum publice coram omnibus increpavit. « Aspice, inquit, sublimatus transitoriæ dignitatis, cur præcepta aspernaris veritatis ? Potens est te redigere ad minima, qui ad mortalium te sublimavit fastigia.» Tunc imperator, hac audita comminatione, subito contremuit, et supplici sermone respondit, et in quo præcepta veritatis contemneret, humiliter requisivit. « Cui vir Dei : Parentes, inquit, honorare illius est jussio, qui cum Deus esset, virgineo editus ex utero, matri se subjicere dignatur in Evangelio. Sic enim ait Evangelista : *Descendit cum illis Nazareth, et erat subditus illis.* Si matri se subjecit qui per potentiam divinitatis omnia fecit, te ab illo vili formatum ex luto in matrem superbire cur elata persuasit præsumptio ? » Ad hanc imperator vocem irarum flammas temperans, immanissimum furorem deposuit, patrisque Maioli per omnia se obtemperaturum jussis perhibuit. Pro jussione tandem sanctissimi patris ante matrem ut venit, suis se vestigiis projecit, et ei obsequens ut matri filius in nullo eam offendisse deinceps est inventus. Hunc itaque qui inter mortales summus princeps eminebat, quem ad matris concordiam convenire nullus audebat, ab hoc scelere, quod facile potuit compescere, matrique satisfacere, et ei ut consequebatur obedire solo jussu coegit ; liquido claret, hunc magno mentis culmine potestati inhærere supernæ, qua præditus illud facere potuit jussione quod nullus aggredi ausus est supplicatione. Quod enim illi inhæserat, cui nihil est impossibile, ideo ab eo meruit accipere, ut hujus sui dominaretur jussio, cujus terrarum principes subjiciebantur dominio.

X. *Ottonis I mortem prædicit, dein secundi.*— Inter cætera siquidem miracula quæ Dominus operabatur ad ostendenda servi sui merita, spiritu prophetiæ dignatus est erudire, ut ventura sæpius prædiceret, et absentia præsentibus, quasi præsentia, denuntiaret. Quodam tempore dum Roma rediret, fratribus cum quibus iter carpebat, suspirans cum lacrymis dixit : Hac nocte per somnum leonem videbam immanissimum qui clausus in cavea catena constringebatur ferrea ; et ideo indubitanter sciatis quia Otto imperator hoc anno rebus excedet humanis : quod ita rei probavit eventus. In proximo enim Provinciam reversus, ibique in quadam sua cellula paucis diebus commorans, legatus ex Alemanniæ partibus advenit, qui præfatum imperatorem ab hac vita migrasse detulit. Sed sicut vir Dei absentem rem tamquam præsentem tunc fratribus retulit, quoniam imperatoris magni, licet longe positi, mortem innotuit : ita postea ipsius filio, cujus supra retulimus, sicut contigit, Veronæ de suo obitu prædixit. Nam manus imperatoris utrasque suis complectens manibus tenuit, ejusque vultum complectens ait : « Fratris Maioli consilio si aurem præberes, hinc unde venis retro redires. Pro certo enim scias, quia si Romam perrexeris quo ire disponis, nativitatis regnum nunquam amplius videbis, sed Romæ quo pergis, sepulcrum habebis. » Hoc quoque quod Dei prædixit famulus, rei postea probavit eventus.

XI. *Comitem sanat.* — In Alemanniæ partibus quodam tempore cum moraretur, ejus adventus rumore diffamato, ad eum cujusdam comitis concita pervenit legatio. Ex longo namque tempore prædictus comes nimia deprimebatur ægritudine, quæ quotidie per augmenta succrescens noxia, ita totum corpus infecerat, ut nec de lecto surgere, nec ex uno in aliud se latus potuisset vertere. Cibus et potus ita erant fastidio, quod corpus nimio simulacrum videretur jejunio. Ideo ad beatum virum directa legatione, ejus pietatem supplici postulavit devotione, quatenus ex his quæ ad victum proprium Dei parabantur famulo, suæ imbecillitatis subveniretur incommodo. Hac itaque legatione ab eo qui visceribus affluebat misericordiæ, panem quo vescebatur cum amigdalis et odoriferis suscepit pigmentis. Tunc Dei famulus ad suos conversus : « Familiaritate, inquit, nostra fisus hoc iste suis deposcit precibus, quatenus omnipotens Medicus ei nostris subveniat orationibus. Ideo flagitanda est Dei clementia, quo sublevari mereatur corporis molestia. Potens est enim ille qui reguli filium sermone sanavit imperiali, hunc nobis absentibus pristinæ restituere sospitati. » Mox itaque ut vir Dei cum fratribus se orationi dedit, extemplo qui aberat meliorari cœpit. Reversi vero qui fuerant directi, ea hora qua a viro Dei recesserunt, meliorari cœpisse suum dominum cognoverunt. Posthac munere viri Dei se cibavit, et adeo integra sospitate convaluit, ut, paucis interpositis diebus, ipse ad beatum pergens, ejus vestigiis advolutus immensas pro beneficio gratias retulerit.

XII. *Alia miracula.*—In Vivarensi (*de Viviers*) climate quædam nobilis matrona longa afficiebatur ægritudine. Hæc in sancti Saturnini cellula virum Dei morari ut comperit, mox eum sua legatione deposcere studuit, aquam sibi ad hauriendum ut benediceret, et ad ungendum olei liquorem, suæ dexteræ signo sanctificatum dirigeret. Hæc quæ petiit a viro Dei percipere ut meruit, illico recedere corporis molestia et ad pristinum officium ita reparari cœperunt membra languentia, ut depulsa ægritudine sic proximo tempore toto valeret corpore, ac si antea nullius ægritudinis inficeretur peste.

XIII. Sed et illud supprimi non decet silentio, quod ejus quem sospitate donavit, beati viri visitatio hactenus celebri diffamatur testimonio. Vocatur hic nomine proprio Hildebrannus, et ab officii agnomine Monetarius. Officium namque quod agebat, plus suis sodalibus ne deterioraretur custodiebat. Et quoniam bonis pollebat moribus, ideo beato viro cœpit esse cognitus. Hic languore correptus corporeo, laborare cœpit multo incommodo. Qui dum se cerneret a languore non sublevari, sed crescente corporis mo-

lestia magis ac [illegible] [illegible], [illegible] lent divites fieri, qui suo [illegible] munere arbitra[illegible] redimere, multa per med[illegible] et sacerd[illegible], multa per monasteria erogavit, et pauperes. Sed his licet [illegible] pondere, nimi[illegible] de- primebatur ægritudine. Jam morte sollicitari cœperat, [illegible] de [illegible] sent. [illegible] Papiam (*Pav*[illegible]) [illegible] adventu[illegible] prævenire studens sua legatione, cum poposcit sua se dignari visitatione. Ad hæc beatissimus misericordia repletus, petenti desideratum non denegavit adventum. Mox æger ita gaudio repletus est beati viri præsentia, ac si manifesta f[illegible]: statimque vir Domini ad ægrum accessit, et corpus ægritudine debilitatum [illegible] medicabili dextra, cujus [illegible] sentiens infirmitas aufugit, et sanitas ita mox festina cucurrit, ut qui diu æger lectulo decubuerat, die tertia quocunque vellet sospes effectus pergere potuisset.

XIV. Illud quoque nunc placet inseri, quod constat relatum fama vulgante celebri. Quidam domini proprii præsentiam fugiebat, quem graviter offenderat. Suum namque comparem ex industria neci addixerat, et ideo in senioris sui gratiam revocare eum nemo hominum poterat. Multifarie igitur quærebatur a domino, ut dignum et ipse persolveret emolumentum socio. Qui mortis periculum ut evaderet, nullo fisus in loco dum diversa percurreret, ad locum quo vir Dei forte degebat, accidit ut veniret. Quem Dei famulus cum petentem stipendium militiæ cerneret, idoneum, tunc ab eo cur errabundus pergeret percontatur, suus ipsius dominus cognoscitur, causa cur diversa percurreret detegitur. Cui vir Dei compassus, et hospitalitatis consolationem impendit, et sui domini gratiam adepturum promisit. Erat autem suus ipsius dominus vir in armis strenuus, temporalibus præpotens in rebus, et a sententia quam animo disponebat nequaquam se amovere propter difficultatem quemquam sinebat; ideoque difficile placabatur, quotiescunque irascebatur. Proximo post hoc in tempore eum vir Dei convenit, et suo famulo quo indulgeret eum blande rogare cœpit: qui ad vocem Dei famuli ita extremuit perterritus, et vox ita hæsit faucibus, ut quid responderet minime haberet. Mox autem prostrato corpore se in terram dedit, ejus vestigiis advolutus suis se commendavit orationibus. Hunc siquidem ante commilitones rogaverant, majores et inferiores ad eum preces copulaverant, atque omnes ad famulo parcendum flectere non potuerant: sed pro B. Maioli merito ita eum coram omnibus prostravit Dei dignatio, ut haud secus indulgeret famulo, quam servi Dei decreverat jussio. Hoc ergo Dominus quotidie in sui fidelibus operatur, A quod [illegible] pagina [illegible]tur, dum prudentiam prudentium reprobat et se glorificantes glorificat. Ad beati viri miser quia confugit auxilium, duplicatum ab eo promeruit beneficium, quod et Domini donatus est gratia, et reatum delevit pœnitentia.

XV. Quodam tempore iter per quamdam silvam dum carperet, et cæteris more solito præmissis solis incederet, sopor illi inter lacrymas et crebra inrepsit suspiria. Eadem proinde qua pergebat via cujusdam arboris ita impediebatur ruina, ut ejus sub robore equitans facilius læsionem incurreret, nisi humiliatio vertice se caute protegeret. Ad hanc itaque equus cui insederat ut venit, sic hæsit immobilis, ac si stipiti fuisset vinculis impeditus. Egregio B tunc vultu puerum contemplabatur per somnum, qui equum ne pergeret tenebat per frenum. Evigilans vero ut arborem sensit præ oculis, clementiam veneratus est Omnipotentis, cujus per angelum mortis se gaudebat evasisse periculum; sed separatus ab aliis quia hostiam se Deo exhibebat in lacrymis ab hoc ideo protegi ne læderetur meruit angelo, a quo ejus ante Deum lacrymosa deferebatur oratio.

XVI. Illud etiam quod contingit, dum Papiæ moraretur, prætereundum silentio pessimum videtur. Multitudinis intuitum quod declinaret, et per hoc mentis oculum a jactantia purgaret, in nocturno silentio horas canonicas præveniebat, atque piissimi confessoris beatissimi Syri (7) adiens ecclesiam, profusis lacrymis ante januam orationis sibi studio postulabat indulgentiam. Quadam itaque nocte ad C consuetum opus dum surgeret, et more solito ad ecclesiam proficisci disponeret, eum si possit fraudulenta conatus est infestatione terrere, qui bonorum actibus solet invidere. Inundatio quippe pluviæ, ut fieri solet in hieme, iter tunc reddebat difficile: nube insuper opposita, micantia tegebant sidera. Tunc tentator ante mentis ejus aciem, et tenebrarum densitatem, et itineris reducere cœpit difficultatem. At vir Dei maligni spiritus suggestiones protinus agnovit, et iter dispositum sine dilatione arripuit. Malorum tamen auctor viro Dei in ipso itinere multis modis insidiari studuit: sed quia hunc in nullo lædere potuit, lumen quod ante ipsum in laterna ferebatur exstinxit. Turbati cum viro Dei qui aderant, lumen quo peterent nesciebant: sed vir Dei bono- D rum invisorem hujus facti fuisse non dubitavit auctorem: qui suos a timore signo repressit, certus ac fidens quod ille cujus assistebat ante januam, reilluminare exstinctam sibi posset candelam. Verum quia plus de beatissimi Syri, quam de sua virtute confidit; quod fide credidit, effectu mox consequi meruit. Mox enim ubi ab oratione surrexit cum fratribus, igne divino candelam viderunt ardere, quam suam ad perniciem diabolus est ausus exstinguere. Hoc vero miraculum multum fratribus contigit ad

(7) S. Syrus primus Papiensium episcopus, idemque patronus ecclesiæ principalis, cui præclaram donationem facit. Otto comes, Arduini regis filius, anno 1009, quam legesis in bibliotheca Sebusiana, pag. 234.

profectum, quoniam justi deprecatio quod multum valeret dum intellexerunt, ad orationis studium majori cum devotione seipsos dederunt.

XVII. *S. Dionysii liber ab igne illæsus.* — Hierarchias quoque beati Dionysii (8) Areopagitæ quodam tempore cum legeret, et more solito quæ die legerat, sui pectoris bibliothecæ nocturna meditatione eadem deponeret, subrepente somno, contigit ut candela quæ lumen suggerebat legenti, supra paginam rueret quam legebat. Sed quid Christus non operetur in sanctis? Edax flamma candelam consumpsit, sed folium super quod ardebat, torrida damna non sensit : virtutem flamma habuit ad candelam comburendam, quam ad paginam perdidit lædendam. Protinus excusso somno vir Dei consternatus est animo, quod librum qui vix alicubi reperiri possit, B consumptum esse incendio putavit : sed excussa favilla cum in superficie nullius læsionis appareret macula, immensas ei gratias retulit, cujus potentia suæ naturæ vim ignis amisit, dum arida nutrimenta quæ super candelam consumpsit, in nullo lædere potuit.

XVIII. *Willelmum provinciæ ducem adit. Naufragantes liberat.* — Cum Willelmus Provincialium princeps prægravari se ultima sentiret sorte, Maioli se meritis salvari posse ab animæ credidit morte. Qui sibi ad Avennorum (*Avignon*) accersitus oppidum, ut multitudinis vitaret conventum, in insula quæ Rhodanum sub præfato castro scindit fluvium, sibi ponere jussit tentorium. Sed ejus adventus rumore circumcirca diffuso, undique ad eum con- C currere cœpit innumerabilis multitudo. Quisque tunc alios præcedere, et prior quisque in navigio ad virum Dei certabat transire. Adfuit tunc navis adeo vetusta, quæ rimis patentibus submergi facile irruenti posset sentina. Hanc utriusque sextus oneratam multitudine ut ad virum Dei navigandi gnari tentant dirigere, inundans decurrentis fluminis impetus eamdem submersit in mediis fluctibus. Res visu mirabilis, quod hi periclitabantur naufragio, qui Maioli se tutari petebant orationum præsidio, viros cum mulieribus, et mulieres cum parvulis, quos adhuc alebant uberibus, in profundum jam involvebat fluvius, cum ad viri Dei aures tale pervenit facinus. Sed Christus, qui clamantes ad se exaudit, sibi dilectum Maiolum magnificare non distulit. In D ipsius præscripti Rhodani ripa ab antiquis beati Martini constructa fuerat ecclesia. Ad eam namque vir Domini, aqua submersos tegente, cum neminem eorum conspiceret, oculos cum lacrymis pius levavit, et tristem ad terram vultum deinceps inclinavit. Sed licet astantibus tunc ignotum fuisset quod ille paulisper tacitus oravisset, efficaciter tamen adipisci meruit quod mente pia quæsivit. Crucis enim signum ut edidit, et cernuo vultu paulisper (ut diximus) oravit; diversi sexus et ætatis mox nantes apparue- A runt in gurgite, quos unda difficilis contorsit sub flumine : undarum pueri deferebantur summitate, mulieres in flumine diffusa rotabantur veste, et viri ripam natatu conabantur appetere. Ad quos periti nautæ currentes cum carabis, omnes traxerunt ex voragine fluminis. Sed et illud videtur mirabile, quod ad virum Dei sex panes a comite dum suus deferret famulus, eodem licet cum cæteris captus naufragio, sic tamen directi muneris eum defendit delatio, ut ipse non modo illæsus exiret, verum ex panibus tres intactos aqua abstraheret.

XIX. *Maiolus morte instante ferventior S. Dionysii monasterium, rege volente, reformare aggreditur. — Silviniaci obit.* — Igitur Maiolus senectutis tempore, quo solent cæteri remissius vivere, acri se labore in Domini studuit servitutem redigere; et quasi tunc novus accederet, ac juvenilis vigor in toto corpore ferveret, ita incredibili mentis fervore divino famulamini insistebat. Corpus namque defatigatum senio nullo modo quiescere sinebat ab opere consueto. Biennio itaque priusquam obiret, corpus plus solito viribus cœpit destitui, et ex hoc vocationis suæ tempus appropinquare deprehendit. Ideoque ad publicum jam procedere nolebat : sed aut in monasterio, aut in quadam suarum cellula pro fratrum utilitate immorari cupiebat : ut ibi et fratres solerti studio corrigeret et ad meliora paterna admonitione proveheret, aut sæpius remotis omnibus solus soli Deo inhæreret, atque attentius freqnenti alternatione, aut orationi, aut lectioni vacaret, quod ei quanquam omni vita sua speciale fuerit studium, præsertim tamen ad hoc desudavit præcipuum circa mortis confinium. Sæpius lugebat dum spiritales viros ad memoriam reducebat, quos in divina religione florere, ac pro defensione Ecclesiæ sanctæ viderat viriliter decertare. Eorum quidem recordatisne omni se in hoc mundo destitutum fore deflebat solatio : et ideo solamen sibi sola divina præbebat lectio. Ideoque modis omnibus dissolvi et esse optabat cum Christo. Ea siquidem tempestate reegis Francorum impellabatur nimia importunitate, ut secundum beati patris Benedicti magisterium beati Dionysii disponeret monasterium. Qui opus bonum ut ad vitæ finem usque perduceret, licet finem dierum suorum jamjamque adfore non ignoraret, proficisci tamen ob istiusmodi causam minime recusavit; bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si ordinis monastici professores in justitiam et sanctitatem sibi socians, charitatis unitos vinculo dimitteret. Arrepto itinere territorium Arvernense expetiit, ibique in quadam sua cella, Silviniaco scilicet, nunc loco celeberrimo, ultima exerceri ægritudine cœpit. Sensit illico prudentissimus virorum suæ resolutionis tempus supremum. Tum vero mœror et luctus omnium, vox una plangentium. Cumque a fratribus fuisset percontatus, gregem sibi

(8) S. Odilo id accidisse scribit, cum Maiolus *esset aliquando in monasterio sanctissimi Dionysii.*

Nalgodus addit, *distributa in monachos substantia verbi Dei, et sermone ad eos habito.*

commissum cui (9) committeret, taliter eos [illegible] A dicitur affatus: « Jesum summum pastorem hunc habebitis protectorem. » Peregrinationis ergo quia deserebat exsilium, et ad proprium lætus pergebat domicilium; ideo gaudens hos frequentabat versiculos: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ*, etc. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini*, etc. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Ita Deo protegente, omnibus sui corporis membris integris atque illibatis, præclaro scilicet visu puroque auditu, sana memoria, sicut fuerat integer a corruptione carnis, nesciens labem nivei pudoris, pervenit ad exitum, immortale adepturus compendium. A fratribus an aliquid doleret B interrogatus, respondit nihil se habere molestiæ, sed omnia quieta et tranquilla perspicere, et videre bona Domini in terra viventium. Tunc ante ipsum in terram prostrati, eum taliter cœperunt deprecari. Nos tibi commissos, pater beatissime, paterno more absolve, sanctissimis tuis orationibus tuere. Fides enim tua et opera te Christo sociant: et ideo quidquid ab eo postulabis, præsens facilius impetrabis. Quos ut absolvit, et sanctissimis orationibus confirmavit, a communi locutione cessavit. Jam humana despiciebat et sursum oculos ad cœlum erigebat, eosdemque versiculos usque ad exspirationem animæ repetebat, ut aure apposita vix audiri posset quod dicebat. Signum vero sanctæ crucis sæpius dextra sancta sibi depingebat.

Nec patitur Christus charum per secla clientem
Vel torquere diu, partove absistere regno:
Martyrium cui vita fuit, quin mole laborum
Defessum invitat superas moderator in arces.
Spiritus arctatis ardens emergere vinclis
Emicat, et liquidas liber transfertur in auras,
Hymnizante polo lætumque alalagma canente.
Sæpserunt comites miro splendore superni,
Victoremque ferunt trans ignea sidera lætum,
Et sistunt solio summi per sæcula Regis.

Dormivit vero cum patribus suis v Iduum Maiarum; sepultusque est in basilica B. Petri, ubi ejus sanctissimis meritis multa præstantur beneficia, regnante in perpetuum Domino nostro Jesu Christo, cui est cum Patre et Spiritu sancto honor, virtus et gloria per immortalia sæculorum sæcula. Amen.

(9) Et tamen jam ante triennium Odilo abbas designatus fuerat ex dictis in Elogio. De protectore itaque ac patrono intellihendus hic locus. Sic Archambaldus dicitur ab Odilone *Silviniacensis loci provisor*.

ELECTIO S. ODILONIS

Vivente sancto Maiolo abbate Cluniacensi

(Anno 988.)

Ordine divinæ dispensationis cum primum sacris C legibus a patriarchis et prophetis, tum etiam humanis consulibus et regibus motus populorum comprimeretur, post tempore incarnati Verbi ignea rhomphæa in ostio paradisi fonte lateris Christi exstincta, ut regnum Dei violentius raperetur, cœpit status Ecclesiarum ab apostolicis viris piis moribus informari, et demum a sacris viris et abbatibus in subditorum mentibus regularis ordo disponi, ut per eum currentibus facilis cœlestis patriæ videretur ascensus. Sicque fit, ut quanto quis per exempla pietatis paterno cultu se ad excelsa erigens processerit, et subditis ad cœlestia sequendi ducatum præbuerit, tanto a remuneratore Domino multiplex mercedis et filiationis fenus percipiet. Et quoniam ad prælatos respicit quidquid a subditis delinquitur, exemplum pravæ D vitæ et negligentiam subditorum, sententia divini examinis, ignis gehennæ inexhaustus vindicat. Quapropter ego Maiolus S. Petri Cluniacensis cœnobii abbas indignus præsentibus atque futuris generatim notum esse volo, quia hæc et hujuscemodi mente pertractans ætate defatigatus, officiis quoque corporis imminutus, dum minus me pastorali cura idoneum persentisco, beati Benedicti capitulatim de constituendo abbate sollicitudine præmonitus, cum omnibus fratribus meis, filiis, et conservis, beati quidem Petri pridem clericum fratrem et filium monachis Odilonem religiosum elegimus, et abbatem esse decernimus, ne insolentia nostræ infirmitatis ordo deterescat, et repulsam in aliquo patiatur Deo propitio semper ad meliora provehendus.

Et ne technam alicujus excusationis prætendat (nam sicut quis indigne ad regimen incautus aspirat, ita si quis dignus refugit, merito constringendus habetur consilium episcoporum et abbatum adhibuimus. Et sicut Cluniacense monasterium, Deo auctore, a Guillelmo duce fundatum, nomine principis apostolorum sacratum, privilegiis Romanæ sedis insignitum, regalibus præceptis confirmatum, a reverendis quoque abbatibus domno Bernone atque Odone, necnon Haymardo ordinatum constat; ita cum omnibus abbatiis, locis et cellis ubi ubi eorum vel nostro tempore acquisitis, prædicto fratri ordinandum tradimus, atque tam ad ordinem servandum secundum beatum Benedictum et instituta patrum nostrorum quam ad res disponendas sub omni inte-

gritate, propitia divinitate, vinculis obedientiæ astringimus, et abbatem unanimiter omnes proclamamus.

Hujus vero electionis et ordinationis ejus seriem per consultum, ut diximus, primatum comitis etiam, et advocati nostri Henrici ducis, necnon et Otonis litteris sanciri præcipimus, atque regulariter celebratam ordinationem in Christi nomine confirmavimus, et a patribus ac fratribus nostris, scriptis confirmare precati sumus. Acta Cluniacense cœnobio feliciter. Amen.

Ego Maiolus abbas huic electioni assensum præbui et signavi.

Rodulphus rex.
Bourchardus archiepiscopus.
Hugo episcopus Genevensis.
Aguricus episcopus Lausanensis.
Hugo episcopus.
Teuto abbas.
Richfredus abbas.

A Emerfrendus episcopus.
Burchardus comes.
Lambertus comes.
Adalbertus comes.

Hoc insuper subsignavere monachi centum septuaginta septem: huic etiam electioni subscripserunt.

Leotaldus archiepiscopus.
Walterius episcopus.
Hugo abbas.
Wago abbas.
Theobaldus abbas.
Warembertus abbas.
Willelmus abbas.
Maiolus præpositus.
Walterius præpositus.
B Gundulphus.
David.
Aguricus.
Sendelenus.

S. MAIOLI CHARTULARIUM

(Ex *Bibliotheca Cluniac.*)

I.

Charta Lotharii regis de S. Amando Cluniacensi monasterio concesso, tempore Maioli abbatis.

(Anno 960.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis LOTHARIUS gratia Dei rex.

Præcessorum nostrorum consuetudines regum obtinemus, si familiariter congruis in petitionibus fideles nostros exaudimus. Quapropter universæ sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque omnium fidelium tam præsentium quam et futurorum animis notum esse volumus, quoniam domina mea mater gloriosissima Gerbega regina per consensum suorum nostrorumque fidelium, accessit nostræ præsentiæ serenitatem maternis, cum jussionibus rogans, ut monasterium quod est situm in comitatu Trahesino in honore S. Amandi, dicatumque, eo quod absque rectoribus etiam veluti inhabitabilibus locis, monasterio Cluniacensi suisque rectoribus subderemus, cum suis omnibus ad se pertinentibus tam in villis quam in prædiis omnibus, cum mancipiis utriusque sexus, pratis, vineis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, et regressibus, et exitibus. Cui assensum præbentes, quod æquum fuerat, petitiones...... in harum jussione ut in aliis suscepimus, præfatumque monasterium S. Amandi cum omni integritate, ut jam dictum est, jam dicto Cluniacensi monasterio subdendo concessimus eo statu, ut inquantum Deus illis suppeditaverit auxilium, eum construant, locumque habitabilem, prout potuerint reddant, quatenus cunctipotens Deus ibi jugiter laudetur cum sanctis domi-

C naque mea gloriosissima nobiscum mater, quæ hoc statuit, æternæ felicitatis præmio, Christo largiente, donetur. Et quo firmius credatur, stabiliusque possideatur, manu propria subterfirmavimus, et annulo nostræ auctoritatis insigniri jussimus.

Signum domni et gloriosissimi Lotharii regis.

Gebo humilis quæstor ad vicem Artoldi archiepiscopi summique cancellarii cognavit.

Datum IX Kal. Decembr. regnante gloriosissimo Lothario rege anno V, ind. III. Actum Divioni in palatio ter. Amen.

II.

Charta Thebaldi Cabilonensis comitis, qua donationem monasterii S. Marcelli Cabilonensis Maiolo Cluniacensi abbati factam confirmavit.

D Ego in Dei nomine THEOBALDUS comes Cabilonensis omnibus filiis sanctæ Ecclesiæ in Domino salutem.

Audivi a prædecessoribus meis, et vicinis antiquis viris, quod nobilissimus comes Gaufredus, qui post mortem præstantissimi et Christianissimi comitis avi nostri Lamberti accepit ejus conjugem aviam meam Adheidem comitissam, accessit ad beatæ recordationis abbatem Mayolum, et commendavit illi monasterium in suburbio Cabillonensis civitatis a Guntranno nobilissimo et religioso rege magnifice constructum, ubi requiescit corpus beati Marcelli martyris, eo tenore ut religionem monastici ordinis, quæ pene abolita fuerat, reformaret; jura et possessiones ad ipsum locum pertinentes excoleret: et ut ipse, et successores ejus Cluniacenses abbates per-

petualiter haberent et possiderent. Hanc autem commendationem sive donationem fecit supradictus comes Gauffredus domno Mayolo, cum consilio conjugis suæ, et filii ejus Hugonis tunc clerici, postea episcopi annuente et laudante Alınerico duce. Postea vero regnante serenissimo rege Roberto, avunculus meus domnus Hugo comes et episcopus, præsente ipso rege, comitibus et episcopis istius patriæ, supradicti monasterii donum tradidit domno Odiloni abbati, successori abbatis Mayoli, ut ipse jure antecessori sui locum haberet, teneret et possideret. Ego vero gratia Dei comes Theobaldus, quod antecessores nostri et parentes Deo et sancto Petro, et loco Cluniacensi dederunt, laudo, volo et confirmo; et uxori meæ, et meis fidelibus laudare et firmare facio : et quandiu vixero, testis et adjutor ero. Post meum decessum qui contra hanc restitutionem venerit, iram Dei omnipotentis incurre sese non dubitabit.

Signum Theobaldi comitis, qui hoc testamentum laudavit atque firmavit suosque fideles et amicos firmare præcepit.

S. Ermentrudis ejus conjugis.

S. Hugonis de Mont-Paon.

S. Ansedei de Naviliaco.

S. Tetardi, de Raon.

CIRCA ANNUM DOMINI DCCCCXCVI.

LETALDUS

MICIACENSIS APUD AURELIANOS MONACHUS, ORDINIS S. BENEDICTI.

NOTITIA HISTORICA.

Letaldus Micianensis monachus, scripsit *librum De Miraculis S. Maximini abbatis Miciacensis*, quem edidit Joannes Mabillon Sæculo I Sanctorum ordinis divi Benedicti, pag. 598. Atque hunc Letaldum eumdem esse putamus qui expolivit *Vitam sancti Juliani Cenomanensis episcopi*, etsi Possevinus hunc monachum Cenomanensem existimat. In illis Miraculis seriem episcoporum Aurelianensium abbatumque Miciacensium inserit Letaldus, qui tempore Ermenthei et Arnulphi episcoporum, atque Ammonis abbatis sub finem sæculi x se vixisse testatur cap. 11 et seqq., distinguendus a Letaldo altero abbate Miciacensi, quo iste agit cap. 4.

(Fabric. *Biblioth., med. et inf. Lat.*)

VITA SANCTI JULIANI

CENOMANENSIS ANTISTITIS PRIMI.

Auctore Letaldo Miciacensi monacho.

(Apud Bolland., Januarii tomo II.)

EPISTOLA DEDICATORIA

AD AVESGAUDUM CENOMANENSEM EPISCOPUM.

1. Reverendissimo patri Avesgaudo frater Letaldus salutem in Domino.

Cum desiderio afflatus tam spiritualis quam corporalis remedii, ad memoriam præcellentissimi præsulis Juliani accessinem, et dulci affamine vestræ dilectionis frui licuisset; eadem vis charitatis, quæ vestræ sublimitatis animum meæ pusillanimitati conciliabat, imposuit mihi onus si idoneus forem, amabile atque jucundum; quia impar, non tam jucundum, quam reverendum, scilicet ut ea quæ ab antiquis de actibus gloriosi ejusdem patris inculto, ut vobis videbatur, sermone conscripta sunt, ipse planiori et luculentiori ordine texerem, et ad ædificationem audientium quadam dealbatura vestirem.

2. Quod opus reverendum potius quam jucundum dixerim, quia cum magnæ reverentiæ gravitate dicenda et scribenda sunt, quæ in conspectu veritatis recitari debent, ne unde Deus placari creditur, inde amplius ad iracundiam provocetur; nihil enim ei placet, nisi quod verum est. Sunt autem nonnulli, qui dum attollere sanctorum facta appetunt, in lucem veritatis offendunt; quasi sanctorum gloria mendacio erigi valeat, qui si mendacii sectatores fuissent, ad sanctitatis culmen nequaquam ascendere potuissent. Dicenda ergo cum veritate sunt, quæ veritas gessit : quia si aliquis Patrum aliquod dicitur fecisse miraculum, non illud homo, sed Deus operatur, qui potens est operari in quo et per quem vult hominem. Cum ergo tam mira et speciosa de actibus hujus præcellentissimi Patris recito, non

de meritis ejus diffido nec de potentia Christi ambigo : sed cum hæc eadem in aliis invenio, cui potius credendum sit, non perspicue video, nisi forte gravitas auctoritatis alicujus magnifici doctoris me ab errore deduxerit, et quasi anchoræ pondus vacillantem animum solidaverit. Multa enim in Actibus supradicti Patris conscripta sunt, quæ et in BB. Clementis, et Dyonisii martyrum, et S. Furcæi confessoris, eodem sensu et pene iisdem verbis inveniuntur.

3. De tempore quidem quo magnus ille floruerit, ex libro Gregorii Turonensis per conjecturam sumpsi, qui in historiarum suarum lib. I, sub Decio (1) et Grato Coss. a Xisto Romanæ sedis apostolico, plurimos episcopos ordinatos asseruit, et in Gallias ad prædicandum verbum Dei directos, quorum nomina, et loca quibus destinati sunt, partim posterius dicam. Porro cum B. Dionysius a S. Gregorio ex eorum numero fuisse dicatur, et in gestis gloriosi patris Juliani cum eodem S. Dionysio ad Gallias prædicaturus venisse narretur, non dubium existimo, quin sub Decio, Valeriano, Gratoque Coss. et Xisto Romanæ sedis antistite fuisse monstretur, qui videlicet Xistus et Laurentius archidiaconus ab eadem Decio (2) tentati et in Christi confessione permanentes, victrici potentia coronati sunt. Quod vero si Julianus dicitur a B. Clemente destinatus, neque ratio temporum, neque veterum consensit auctoritas. Beatus enim Clemens sub Trajano Cæsare in exsilium apud Chersonesum deportatus est, et inter Trajanum A atque Decium sub quo B. Julianum fuisse conjicimus, plurimi imperatores intersunt, quod in Chronicis Eusebii Cæsariensis, quæ Hieronymus transtulit, facile diligens lector agnoscet.

4. Nos igitur ea quæ de S. Juliano conscripsimus, inquantum potuimus, auctoritate præcedentium patrum confirmavimus, et quædam simpliciter secundum antiquam traditionem edidimus; quædam vero quæ nobis minus probabilia visa sunt, prætermisimus. Nusquam tamen de meritis tanti Patris quemquam diffidere suademus; qui dum apud suos sacros cineres Deo largiente tanta et talia operetur, multo majora et clariora, dum in hoc mundo adhuc viveret, eum operatum fuisse cunctis recte credentibus liquet. Quod si hæc nostra elinguis rusticitas vel B utilitati vel devotioni aliquod emolumentum contulerit, ea etiam quæ nostra ætate apud sacrum ejus tumulum patrata sunt, Domino Christo largiente, dum nostræ accesserint notitiæ, subnectere cogitamus. Sane responsoriorum et antiphonarum, ut petistis digessimus ordinem; in quibus pro vitando fastidio de unoquoque modo singula compegimus corpora : neque omnino alienari volumus a similitudine veteris cantus, ne barbaram aut inexpertam, uti perhibetur, melodiam fingeremus. Non enim mihi placet quorumdam musicorum novitas, qui tanta dissimilitudine utuntur, ut veteres sequi omnino dedignentur auctores : nam hi qui conjugiis vacant, malunt liberos hominibus similes gignere, quam C alicujus invisi monstri effigiem procreare.

PROLOGUS AUCTORIS.

5. Cum adhuc mundus errorum tenebris involutus claritatem veræ lucis penitus ignoraret, et antiqua hostis versutia in humano genere, quod sibi a primo parente subdiderat, grassaretur, honorque Creatoris creaturæ potius quam Creatori, famularetur; quia scilicet unusquisque vel ex mortuis hominibus, vel ex insensibili materia deos, quos adoraret, fingebat; Deus omnipotens humanos miseratus errores, ne sua in æternum factura periret, Verbum suum æquale sibi atque coæternum, per uterum intactæ virginis pro sæculi vita verum hominem ad humanos produxit aspectus. Qui divinitati natura non imminuta, humanitate tamen nostra absque peccati nævo veraciter assumpta, inter homines conversatus est, præbens beneficia Deitatis, et perferens incommoda humanæ fragilitatis. Denique eam carnem quam de Virgine sumpserat, pro redemptione nostra posuit, et hominem quem creaverat, non alio redemit pretio, nisi vivifico et pretioso sanguine suo. Factus igitur obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, destruxit mortis imperium, et ab ipsis Averni sedibus suos eripuit, et comitante illa ineffabili triumphati hostis victrice pompa, ad dexteram Dei Patris in perpetuum regnaturus ascendit. Ecclesiam ergo suam quam sibi salutari acquisierat sanguine Spiritus sui illustravit adventu, ut mundi adversis interim exercenda, invisibili Spiritus sancti confortaretur armatura. Fundata igitur supra petram fidei diffunditur per climata totius mundi, ut relicta vanitate idolorum, Deum verum homo cognosceret, et ab errore paterni delicti et ab squalore vetustæ D gentilitatis in novitatem vitæ transiret.

6. Sed veternus hostis dolens sibi perire, quod Deo constabat acquiri, omne malitiæ machinamentum ad subvertendum Ecclesiæ invincibilis convertit asilum. Et iniqua instantia pro defensione falsitatis nonnullos martyrum prostravit gladio, alios affixit patibulo, alios obduxit pelago, fame alios peremit, alios ignibus excruciavit, alios membratim discerpit, et

(1) Is erat annus Christi 250, quo post S. Fabiani cædem vel vacabat sedes, ut quidam volunt, vel certe jam S. Cornelius Ecclesiæ præerat. Potuere tamen a Sixto apostolici hi viri in Gallias mitti, vel Cornelii papæ auctoritate, vel ante illius electionem de consilio cleri Romani, in quo Sixtus eminebat, qui quartus ab eo, exiguo post tempore, Ecclesiæ gubernaculus admotus est.

(2) Imo sub Valeriano et Galieno occisi sunt SS. Xistus II et Laurentius.

indicibili morticinio genere debacchatus, Ecclesiam Christi expugnare nisus est. Sed quo ejus amplius efferbuit immanitas, eo sanctorum insuperabilis constantiæ, unde atrocius pulsata est invidia, inde amplioris virtutis emicuit gloria.

7. Neronem igitur primum contra pietatem habens impietatis ministrum; dehinc per succedentes sibimet principes malitiæ suæ augens incrementum per trecentos et eo amplius annos, Ecclesiam Christi concussit, sed nullatenus evertere valuit. Cum enim complacuit ei, qui fideles suos igne tentationis permisit excoqui, ut serenus dies post tot turbines familiæ suæ illucesceret, lux veritatis culmen imperii subiit, et mundi gloria sibi substrata, eos cœpit habere defensores atque tutores, quos per invidiam hostis antiqui eatenus perfidos habuerat impugnatores. Tunc ergo velut post asperitatem nimbosæ hiemis.

Cum placidas verni clementia temperat auras, redolentes arbusta prorumpunt in flores, et nudata dudum roseta redivivis adornantur rosis, mirantesque oculos erumpentium candor reverberat liliorum; sic pace Ecclesiæ reddita, diversi per mundum effulsere viri, qui virtutem luce mirabiles, fulgore fidei insignes, ad sequenda Christi vestigia mansuetis corde parentur imitabiles.

INCIPIT VITA

CAPUT PRIMUM.

Cenomani a S. Juliano conversi.

9. Ad collocandum igitur in Galliis novæ fidei fundamentum, ad erigendum rudis adhuc Ecclesiæ statum, pietas superna magnificos atque industrios viros destinavit, Lugdunensibus (3) Photinum, Arelatensibus Trophimum, Narbonæ Paulum, Tolosæ, Saturninum, Arvernis Austremonium, Lemovicinis Martialem, Turonicis Gatianum, Parisiacis Dionysium, Cenomanicis, Julianum.

9. Hic itaque Julianus Romana generositate clarissimus, lingua facundus, justitia insignis, merito fidei percelebris, primus apostolus Cenomanicæ urbi a Deo destinatur: qui etsi aliis apostolus non est, Cenomanensibus tamen est. Nam sicut, de se quoque beatus clamat Apostolus, signum apostolatus ejus ipsi sunt in Domino.

10. Is ergo vir Domini fide munitus, gladio Spiritus sancti accinctus, ad destruendos errores, ad conculcandas dæmonum vanitates, ad urbem supradictam accessit intrepidus. Sed dum novitas sanctæ prædicationis quibusdam incredulis in scandalum, nonnullis verteretur in derisum, miraculorum potentia reddebat attonitos, quos ad audiendam veritatis viam veternus et innatus error effecerat fastidiosos. Per manus enim reverendi pontificis tantas Christus operabatur virtutes, ut verbo dæmones fugaret, leprosos mundaret, cunctisque languentibus opem crucis medicamine largiretur. Denique cum ad eum plurimi concurrerent pro adipiscenda salute corporum, illuminati verbo fidei, cum salute redibant animarum.

11. Porro idem venerabilis vir extra urbem parvo tectus hospitio diu noctuque in sancto perstabat proposito, vix ullam sui curam habens corporis, totum se eorum impendens saluti, quos dæmonico nitebatur subducere errori.

12. Sane cum jam miraculorum dulcedine deliniti, et luce Dei radiati, ejus sancto conturbernio inhærerent, essetque de convehendæ aquæ penuria non modica quærimonia, vir Dei ad locum, quem aptum credidit, accedens, cuspidem baculi, quem manu gestabat, humi defigens, cunctis audientibus dixit: Domine Deus noster, qui sitienti populo tuo in eremo de dura silice potum tribuisti, adesto et nobis famulis tuis, et aperi thesaurum tuæ pietatis, et jube nobis de duritia hujus telluris ministrari fontem aquæ viventis, ut cognoscant præsentes, quia tu es verus Deus, qui in fine sæculorum misisti Filium tuum in mundum, ut credentes in te ad veram introduceret repromissionis terram. Cumque fideles respondissent, Amen, subito erupit fons vivacissimus, qui et potentiam divinitatis ostenderet, et meritum beati viri liquido cunctis astantibus demonstraret.

13. Tunc qui jam crediderant, in fide sunt corroborati, et qui adhuc gentilitatis errore detinebantur, ad pedes sancti procumbunt, orantes se sanctæ fidei sacramentis initiari. Hunc ergo fontem [al. locum] placuit Centonomium vocitari, quia exhibitionis ejus gaudio, multiplicato fidei fœnore numerus credentium cœpit multiplicari. Multi enim in eo per baptismatis sacramentum veterem hominem exuerunt, et novum, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis, vestiti sunt.

14. Itaque non quique populares, sed et nobilissimorum plurimi cingula deponentes militiæ, tumida olim colla sua jugo Christi supponentes, sancto viro adhæsere et sacris ejus gaudebant informari exemplis. Cumque fulgor tantæ claritatis, quasi Lucifer matutinus solem justitiæ nuntians, totam provinciam jam perlustrasset, princeps civitatis (3) Defensor nomine, vir gloriosus, et secundum caducos hujus mundi honores potentissimus, tot miraculorum novitate perculsus, Deo dignum pontificem per in-

(3) Coluntur hi sancti: Photinus 2 Junii, Trophimus 19 Decemb., Paulus 12 Mart., Saturnimus 19 Novemb., Austremonius 1 Novemb., Martialis 30 Jun., Gatianus 18 Decemb., Dionysius 9 Octob.

(4) An hic est S. Defensor primus episcopus Andegavensis?

ternuntios ovocans,ut ad se venire dignaretur,supplicitcr exorat.

15. Fidelissimus autem minister Christi cum ad principem accederet, ante principalis aulæ januam obviam habuit quemdam cæcum,qui coram eo procumbens flagitabat auxilium.At ille invocato Christi nomine et crucis impresso vexillo, sub momento eum pristinæ restituit sanitati. Quod princeps audiens, festinus accurrit, genibus sancti advolvitur supplex exorans, quo particeps vitæ æternæ fieri mereretur. Quem verbo Dei diligentissime instructum pontifex venerabilis catechizavit, et solemni jejunio peracto, cum tota familia multaque nobilium turba baptizavit. Qui in tanto pietatis ardore excrevit, ut domum suam sancto viro traderet, quo ibi ecclesiam divino cultui aptam exstrueret, et lucrandis Christo animabus absque ullo invigilaret incommodo. Jam tunc ergo impossibile dictu reor, quanto gaudio,quamtave alacritate quotidie Christo inibi fierent lucra, diabolo vero detrimenta. Omnis ætas,omnisque sexus ardentissimo amore ad audiendum verbum Domino confluebat,et certatim præire alter alterum in sancto proposito elaborabat.Factam igitur bonorum suorum collationem sancto viro tradunt, quo et ecclesiis divinis exornarentur honoribus, et pauperes Christi alimentis consolarentur corporalibus.

16. Porro dispensator fidelis et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam ut daret illi in tempore tritici mensuram, ut in erogando verbo Dei cum pietatis actibus invigilabat,ita etiam in dispensandi terrenis secundum institutionem apostolicam desudabat, et viventibus sub se communiter Ecclesiæ filiis, prout cuique opus erat, fideliter dividebat. Sane præsentium occasione curarum,nequaquam illius mentis oculus caligabat a contemplatione æternorum sed quo amplius fulciebatur rebus transitoriis,eo amplius inhiabat ad gaudia patriæ cœlestis.Bene enim noverat quid conveniret in via,quid deberetur in patria. In via quippe videbat necessarium laboris stipendium; in patria autem toto affectu desiderabat æternæ beatudinis emolumentum.Sunt enim nonnulli,qui in pastorali regimine laborant,et pro eodem labore sempiterna præmia non appetunt,sed honore prælationis tumidi,quamvis cœlestia verbis prædicent toto desiderio terrena quærunt.Hic vero dignus Deo pontifex cum virtutum fulgore elaresceret, miraculorum potentia cingeretur, obsequentium populorum cuneis fulciretur, et rernm temporalium affluentia ditaretur,nullo delectationis impedimento succumbebat,sed in datorem omnium bonorum mentis figens, bona præsentia quasi post tergum, et ante faciem proponebat fideliter, quæ sanctis promittuntur in cœlis.

CAPUT II.

Tres mortui suscitati.

17. Porro in ea civitate, in qua vir beatissimus pastorales agebat excubias, erat vir quidam potens ac nobilis, nomine Anastasius,nondum Christianæ fidei subjectus. Hujus filius gravi arreptus incommodo,ad extrema deductus,et ad ultimum exstinctus est.Pater vero orbitatis dolorem non sustinens, ad virum Dei cucurrit clamans et dicens : Serve Dei Juliane, qui confiteris Christum Deum verum esse, per illum te adjuro quem prædicas,redde mihi filium meum. Cui ait vir Dei : Anastasi, si credis eum, quem ego prædico,verum Deum esse,et filium tuum in præsenti recipies,et tu vitam obtinebis æternam. Anastasio declarante atque dicente : Si filium meum vivum recepero, Christum Deum verum confiteor, et idolis penitus abrenuntio; abiit cum eo beatissimus pontifex ad domum, in qua corpus pueri jacebat examine; et cunctis flentibus, et quid beatus vir acturus foret considerantibus; ille tenens manum defuncti, et suscipiens in cœlum lacrymis perfusus ait : Domine Jesu Christe, qui viduæ filium extra portam elatum multis astantibus suscitasti,et quatriduanum Lazarum jamque fœtentem verbo potentiæ tuæ a mortuis revocasti ; tu præcipe ut suscitetur puer iste,quatenus isto resuscitato in corpore, multi per tuam fidem resurgant in anima,præsentesque cognoscant, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui præcepto Patris mundum salvasti,cui per te condignas gratias referimus per infinita sæculorum sæcula. Cumque fideles respondissent, Amen, quasi a somno surrexit puer incolumis, et cunctis præ gaudio flentibus, parentibus ineffabile gaudium, et cæteris astantibus ad sequendam Christianitatis religionem magnum præbuit incitamentum. Mox ergo pater ejus Anastasius cum omni familia credidit, et baptismi gratiam consecutus numero fidelium applicatus est.

18. Sequenti deinceps tempore per eum simile huic miraculo ad laudem et gloriam nominis sui Christus operari dignatus est. Nam cum idem vir beatissimus ab urbe digrediens, ut lucrum Christo de pereuntibus faceret, diœcesis suæ partes visitaret,ecce defunctus efferebatur,magna populi comitante caterva, adolescens cujusdam magnifici viri filius,qui dicebatur Jovinianus. Superveniens sanctus episcopus, consuetaque in Dominum fiducia fretus, jussit deponi defunctum corpus, et manu silentio imperato,clara voce ad patrem adolescentis ait : Joviniane, Christus quem prædico, homo pro hominibus factus, mortuos suscitavit, dæmones verbo fugavit, et ad ostendendam Deitatis suæ potentiam,quidquid voluit inter homines operatus est. Hunc tu si relicta vanitate idolorum Deum ex toto corde credideris, et purificari te permiseris fonte baptismatis, et tua salute et filii tui resurrectione gaudebis.Tunc idem Jovinianus,et universum adstans populus, sancti advolvuntur pedibus,et cunctis misericordiam flagitantibus,cum lacrymis aiebat Jovinianus : Magne serve Dei Juliane,si unicum mihi pignus, et vitæ præsentis solatium reddideris, non solum ego Christum verum esse Deum confitebor, sed populus hic universus deorum suorum figmenta contemnet, et fidem quam prædicas devota mente

suscipiet. At vero vir Deo plenus, genibus in terram curvatis, oculis ac manibus in cœlum porrectis, cunctis audientibus dixit : Domine Jesu Christe, qui ubique præsens es, qui pro nostra redemptione homo fieri voluisti, et inter homines apparens per vexillum crucis tuæ ab humano genere mortem exclusisti, jube ut resurgat adolescens iste, ut tanti facti potentia, et fides credentium in te roboretur, et non credentium corda subdantur, per te unigenitum Dei vivi, quem cum Patre et Spiritu sancto regnantem et dominantem confitemur in sæcula sæculorum. Respondentibus fidelibus, qui aderant, Amen, quasi a somno adolescens surgit a feretro, et clara voce, cunctis miraculi novitate perculsis, cœpit clamare : Vere magnus Deus Christianorum quem prædicat servus ejus Julianus. Ad patrem quoque ait : Vere nunc usque a Deo vero erravimus, nam dii quos colimus, pro certo dæmones sunt. Vidi enim eos in inferno, et vidi quia non erat eis requies a tormentis. At vero cunctorum clamore in cœlum sublato, Christus ab omnibus magnificatur, Christus verus Deus prædicatur, et famulus ejus Julianus, renitens multumque reluctans, ab omnibus adoratur. Et hi igitur per prædicationem Deo digni pontificis copiosa multitudo rationabilium piscium fidei sagena collecta, et ad veræ credulitatis solidum littus a profundis errorum tenebris educta est.

19. Jam tunc ergo velut divini exercitus signifer, aliis præcedentibus, aliis sequentibus vitalia fidei serens semina, ad prædium, cui vocabulum est, Proiliacus (*Bellovac.* Perilianus), divertit. Ingruentibus autem noctis tenebris, hospitium sibi perquiri jubet. At vero in ipso adventus ejus articulo, puer parvulus possessoris supradicti fundi filius, ingravescente, qua vexabatur, molestia, defunctus est. Quod cum viro Dei nuntiatum fuisset, alibi divertere noluit, sed secundum quod Salomon ait : Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii, (*Eccli.* VII, 3) gaudium salutis laturus lugentibus, ad domum, in qua infantulus jacebat, accessit, et in quadam ejus secreta parte mansionem accepit. Jubet ergo ante se inferri defunctum corpus, et patre et matre cunctisque remotis arbitris, paucis duntaxat sanctitatis suæ comitibus ibidem remanentibus oraturus se in pavimentum prosternit, noctemque pervigilem ducens, tanta instantia precum cœli pulsavit secretum, ut pariter surgerent, et pontifex a pulvere, et infans a morte. Cum ergo jam aurora fugaces a cœlo pelleret tædas, intrat pater cum matre et multa vicinorum frequentia, inveniuntque sospitem, quem defunctum intulerant, et tanta operis novitate perculsi, cœlum clamore quatiunt, et versis votis (*al.*, vocibus) iterum per gaudia plangunt. Continuo ergo fidei Christianæ colla supponunt, et infantem, quem hæredem terrenorum bonorum optaverant, cœlestibus disciplinis imbuendum cum tota hæreditate supradictæ possessionis beatissimo magistro contradunt.

20. Excitati fama facti, accurrunt vicini, et alii quidem prosequuntur, alii cellulam, in qua vir Dei jacuerat irrumpunt, locumque ubi sancti steterant pedes, crebris amplectuntur osculis, et ut benedictionis ejus compotes fierent, certatim præcedentis vestigia legunt. Porro beatissimus ad preces sequentium conversus, elevata manu cunctos benedixit, et omnes, qui inter eos aliquo laborabant incommodo, absque alicujus moræ interventione, pristinæ restituit sanctitati (*al.*, sanitati).

CAPUT III

Alia miracula ; adversa tolerata.

21. Procedens inde beatissimus, cum jam propinquaret vico, qui vocatur Ruiliacus, qui positus est super fluvium Ledam (5) obvios habuit nuntios primarii ejusdem vici, ut quantocius venire dignaretur, quia unica filia illi erat, quam immundus invadens spiritus atrociter vexabat. Cum pervenisset ad vicum, exhibuerunt ei furentem puellam, et sacris ejus vestigiis provoluti, precabantur misericordiam. Spiritus autem nequam sancti viri non sustinens præsentiam, ad primum ejus imperium, vas quod injusto jure vindicaret, relinquens effugit, et puellam in medio stupentium, et Christi potentiam laudantium, reliquit sanam. Sicque factum est, ut per unius puellæ salutem corpoream cuncti vici illius habitatores ad veram animarum suarum pervenirent medelam. Nam omnes idolorum vanis abrenuntiantes figmentis, et renati fonte baptismatis, facti sunt participes Christianæ adoptionis. Eumdem ergo vicum cum cunctis (6) ad eum prædictus possessor sancto pontifici humiliter largitur, et ut ibi ecclesiam construere deberet, devotissime deprecatur. Quod præsul benignus gratantissime complevit, ibique multum populum per sanctæ prædicationis ministerinm Domino consignavit.

22. Nec tamen credendum est, tantum præconem absque laboris certamine et impugnatoris antiqui insidiis, tot et talia perficere potuisse, cum manifestissime clamet Apostolus : Omnes qui pie volunt vivere in Christo persecutionem patiuntur (II *Tim.* III, 12). Quamvis enim magnitudo virtutum, quas per eum Christus operabatur, si quid adversi e mundo emergebat, retunderet, is tamen qui ad ipsum Mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum, quasi aliquid suorum reperturus, venire præsumpserat, contra hunc quoque, qui illius summi capitis membrum erat, machinas diversarum tentationum quasi adversus validissimum murum callidus impugnator admovere non desinebat. Ut enim novus agricola opacam sylvam ingressus, nunc ferro, nunc igne utitur, quo jaciendis seminibus tellus eatenus sterilis præparetur ; sic Julianus Cenomanicum penetrans solum, veteres quercus annosasque fagos, id

(5) Alibi hic amnis *Ledus* dicitur, et a quibusdam *Lidus.*

(6) Deest *pertinentibus*, vel quid simile.

est, vetustæ gentilitatis sterilia venaque figmenta evertere nisus; et ferro correctionis usus est, quo peccata delinquentium feriret, et igne adustionis, quo jam emundatum solum ad promerenda divini amoris semina aptum exhiberet.

23. Sed reliquiæ paganorum, quæ quasi fragmina tabularum de naufragio errorum evaserant, indigne ferentes laudem nominis Christi dilatari, et simulacrorum suorum portenda pessumdari; unanimiter insurgunt contra sanctum, maleficium clamantes, qui sub nomine pietatis vanis præstigiis everteret corda populorum, ipsosque videntium oculos frustraretur, falsa pro veris assereret, hominem crucifixum Deum affirmaret, deorum immortalium, quos Romanus orbis a sæculo colit, culturam erroneus evacuaret; vivum exuri debere, ut ejus interitus exemplo aliquis impostor et temerarius terreretur, ne contra rempublicam timendorumque numinum reverentiam, quibus orbis constat, et alitur quoquomodo ulterius oblatrare niteretur.

24. His Julianus non modo non territus, verum ad pugnam contra diabolum alacrius accinctus, ad locum iter accelerat, quo caput erroris eorum malesuada religio destinebat. Nam in vico cui Artinas vocabulum est, templum erat, et in eo Jovis simulacrum falsorumque innumera portenta deorum, quæ vario errore delusa gentilitas priscis temporibus erexerat ad suam et sequentium (*al.*, frequentium) perniciem populorum. Ad quæ destruenda cum Julianus fidei lorica indutus, galea salutis protectus, gladius Spiritus sancti præcinctus præparatur, e diverso rusticana et ignobilis manus pro defensione deorum, qui sibi auxilii opem ferre nequibant, obstinatissime resistens armatur. Sed Julianus imperterritus inter frementes et garrientes insanientium voces templum ingressus, invocato veri Dei Jesu Christi nomine, simulacrum enorme ipsoque visu terribile in cinerem resolvit, sola sanctæ jussionis auctoritate.

25. Ut vero insani populi cognoscerent, cui eatenus culturam deitatis exhibuissent, ex everso simulacro immanissimus erupit draco, qui facto impetu contra cultores proprios, flatu sulphureo et atrocis verbere caudæ, devotorum sibi phalanges in mortem cœpit ardenter urgere. At illi ejus contra Deum suum petunt auxilium, quem paulo ante vociferantes maleficum, totis nisibus elaborabant, ut eum incenderent vivum. Porra Julianus Dei athleta, elevata cum signo crucis in sublime dextera, draconi imperat, ut nullum amplius lædens, concitus fugiat, et loca humana cultura prorsus carentia petat. Ad cujus imperium draco sævissimus effugit vivacissimus, et in eo ejus (*al.*, vim) amisit lædendi in quibus ulterius fraudem exercere permissus non est seducendi. Tunc universi cum gaudio jam fiunt socii in evertendo falsitatis fano, ac demum sancto renati lavacro per manus sancti pontificis dogmate beatificantur Christiano.

26. Cujus facti fama velox per omnes totius provinciæ percurrens populos, ita pristini erroris cunctas abrasit nebulas, ut vix aliquis inveniretur, qui Jesum Christum Deum et Dominum non confiteretur. Hujus igitur tam celebris facti nuntio, Defensor, vir gloriosus, cujus supra memoriam fecimus, ad se perlato, ingenti affectus gaudio benedixit Deum, et festinus accedens ad beatum virum suppliciter petebat, ut ad domum ejus accedere dignaretur, ut pro triumphati hostis victoria largitori omnium bonorum Christo communiter gratias referentes, casto simul et sancto participarentur convivio. Cujus petitionem beatus vir non renuens (quippe quem merito religionis vera sibi nexuerat charitas) ut ejus desiderio satisfaceret properabat. Sed cum iter carperent, in parte novalis puerum quemdam invenerunt ab ingente serpente pedes et brachia corpusque totum spiris vipereis colligatum. Perterritis autem omnibus qui aderant, vir Dei propius accedens, ait, Domine Jesu Christe, qui humanum genus a paradisi gloria, per serpentem dejectum, per crucis tuæ reparasti vexillum, tu libera hanc creaturam tuam ab hoc quo tenetur angue, ut et serpens intereat, et per te puer incolumis evadens cognoscere præsentes faciat, quia tu es liberator et protector omnium sperantium in te. Cumque talia perorasset vir Deo plenus, et qui aderant, dixissent Amen, serpens crepuit medius, et cunctis Deum laudantibus, puer evasit sanus.

27. Interea cum ad domum principis pervenisset, summo excipitur gaudio, fit concursus omnis ætatis omnisque sexus ad videndum tantum virum, cujus nomen famaque virtutum tanto jubare coruscaret, ut etiam quosque remotissimos cum videndi desiderio succendere posset. Subsequuntur e vestigio sanctum episcopum energumeni duo salutis remedium flagitantes ab eo. At ille invocato Christi nomine, et inimicum fugavit, et eos verbo prædicationis illuminatos proprio restituit Creatori. Diem erga illam felici exornantes lætitia, inter ipsa sacræ mensæ convivia totus sermo illis erat de Christi gloria, de interitu Satanæ, de his quoque quæ pertinent ad veram Deum timentium animarum curam. Post gloriosus ille vir omni supellectilis suæ copia sancto viro exhibita supplex exorat, ut cuncta benigne suscipiens, ad quoscunque usus placuerit profutura retentet. Sed vir beatissimus nihil horum suscipiens, benedictione super eum tradita, omnique domo ejus in fide Christi corroborata festinabat ad propria.

28. Cumque jam portam a Deo sibi commendatæ urbis subiret, hi qui incarcerati custodia nexibusque duris mancipati erant, ingenti clamore sanctum virum, ut sui misereretur, exorant. At ille benignissimus, qui totis semper in Domino visceribus pietatis affluebat, ad eos, quibus id officii commissum erat, supplex accessit, precaturque humiliter, ut eos quos iniquitas propria fecerat reos, adventus sui gratia redderet absolutos. Sed vecordes neque reverentia pontificis præsentis, neque prædicabile tanti viri meritum permovit, ut facerent quæ sanctus non modo

imperaverat, verum etiam voce supplici postularat. Porro ille spretus a pontifice, se beatum dixit, atque gratias Christo pro acquisitis sibi animabus reddidit; deinde proprie locum lectionis accepit. Cumque ei appositus esset panis, discumbere noluit, sed tacitus et gemens misericordiam Domini exorare cœpit. Tunc vero, secundum servi Dei votum angelico ministerio ostia carceris aperta sunt et cunctorum catenæ confractæ sunt, et hi qui in carceralibus privatisque tenebris residebant, absque humano auxilio ad communem diei lucem egressi sunt. Per medium ergo civitatis, nemine prohibente, absque vinculorum onere sancti viri conspectibus sese obtulere. At ille gaudens in Domino jam lætus cibum accepit, et quos merito solverat, sancti etiam convivii participatione donat. Nec fuit qui absolutos repeteret, cum manifestissime hoc divinæ virtutis potentia, non humanum auxilium sancto antisti contulisset.

CAPUT IV.

S. Juliani mors, sepultura.

29. Plantata igitur in pago Cenomanico divini cultus vinea, abrasisque de ea idolorum errorumque omnium tribulis, tempus imminebat quo beatus ille agricola fructum pii laboris a Domino suo percepturus, ab istis præsentis vitæ laqueis, ad æterna felix deberet conscendere regna. Itaque propinquante vocationis suæ die, secedit ad vicum, in quo nunc B. Martialis ecclesia sita est. In quo cum pluribus degeret diebus, et instanter cœlestis vitæ ducedinem suis propinaret auditoribus, levi tactus incommodo, lætus et alacer præstolabatur horam qua laborum certaminumque suorum repositam a justo jucice reciperet coronam. Et quia navis sanctæ Ecclesiæ absque gubernatore per pelagus hujus mundi non poterat enavigare, sedem sibi a Deo commendatam, cum communi cleri plebisque consilio, sancto delegavit Turibio, quem adjutorem et socium in sanctæ prædicationis eatenus habuerat officio. Idem enim Turibius presbyterii officio gloriosus cum S. Pavatio diacono ad revelandam Cenomanensibus Christi gratiam, ut ab antiquis suscepimus, comes et adjutor S. Juliano a Romanæ urbis antistite destinatus est.

30. Gloriosissimus igitur pastor communi omnium allectus (*al.*, evectus) consensu, fratres filiosque suos evocat, et consignato successore, oculis ac manibus in cœlum elevatis, diutissime gratias agens, et collaudans Dominum, ovesque, quas Christo acquisierat, eidem summo pastori commendans, lætus et alacer beatis meritis ditatum cœlo reddidit spiritum. Quo cœlestia regna petente, ille ejus merito fidei et bonorum actuum dilectissimus Defensor, vir gloriosus, præsens non erat, sed ejus sanctissimi obitus tali ordini cognovit diem. Sedente eo ad mensam, aperti sunt intellectuales oculi ejus, et ecce vidit beatissimum Julianum sacerdotali infula comptum cum tribus diaconibus suis et tribus cereis venientem ad se, qui cereos, quos portabant, posuerunt super mensam ante eum, et abierunt. Dixit ergo prædictus Defensor ad considentes: videtis gloriam quam ego video? Qui nihil se vidisse testati sunt. At ille dixit: Numquid non hic vidistis patrem nostrum Julianum, qui tot bona nobis ostendit, tot miraculis lætificavit? Ecce enim nunc cum tribus diaconibus suis et tribus cereis huc ante me venit, et lætissimo vultu subridens benedixit nos, relictisque cereis abscessit. Unde pro certo scio, quia migravit a sæculo. Et nobis, quos corporali præsentia dereliquit, beneficia pietatis suæ vivens in Christo impendere nunquam cessabit. Surgamus ergo, et ad sepeliendum piissimum magistrum nostrum quantocius properemus, ut eum mereamur adjutorem habere in cœlis quem salutis doctorem habuimus in terris. Hæc eo dicente, omnes admirati sunt; pariterque surgentes ad exsequias sancti festinanter accurrunt. Jam vero, ut de Martino illo pontificum speculo legitur, impossibile dictu est quanta hominum multitudo convenerit, cuncti ex agris et vicis, nonnulli etiam ex vicinis adfuere castellis. Hinc psalmicines clericorum phalanges, illinc sacrarum virginum præ parcimonia turmæ pallentes, hinc plebs urbana nobilibus conserta viris, illinc manus agrestis sanctis beati viri famulantur exsequiis.

31. Sed ne quis forte moveatur, quod Julianus Martino æquiparaverim, qui hoc dicis, si recte percenseas pene similia ab utroque potes videre completa. Martinus adhuc cathechumenus algentem pauperem divisa chlamide vestivit; Julianus fide robustus tot millia veterem hominem exuta, fidei veste contexit. Martinus primo solitariam delegit vitam, ut Christi dulcedine singulariter frueretur. Julianus apertam expetiit pugnam, ut multorum animas lucraretur. Martinus ad episcopatum a Turonensibus raptus est; Julianus Cenomanensibus a Deo pontifex, quinimo et apostolus, destinatus est. Martinus virtute Trinitatis Deificæ trium mortuorum est magnificus suscitator: Julianus totidem ad vitam revocans mortuos, toties mortis exstitit victor. Martini corpus ii qui ductu (*al.*, inductu) ejus mundum vicerant prosequuntur: Juliani exsequiis hi, qui eo duce cœlestia jam tenebant, famulantur. Quid plura? Uni Regi militarunt, uni Domino servierunt, uno Spiritu sanctificati sunt, supra petram unius fidei fundati sunt. Restat ergo ut par sit eis honor et gloria quos virtutis actio pares in Christi constituit disciplina.

32. Hoc igitur beati viri corpus cum ad urbem propriam deportaretur, ventum est ad transitum fluvii, cui Sartæ (7) vocabulum est. Ad declarandum ergo quanti meriti esset cujus reliquiæ ferebantur equi, qui lecticam sanctarum gestabant exuviarum cæteris vix enatantibus, inter undas validas et pro-

(7) *Sarta* purissimus amnis Alanconium, ipsamque Cenomanorum episcopalem urbem alluit; ac dein, uti et *Ledus*, Meditanæ miscetur, qui in Ligerim infra Andegavorum urbem influit.

fundæ cæcitatis gurgites, nec genibus aqua tactis littus alterum, cunctis mirantibus subierunt.

33. Cum vero tota urbs festinaret in occursum sui pastoris, quædam mulier parvulum filium caldariæ imposuerat, suppositoque igne membra infantuli aqua tepente lavabat : quæ voce psallentium attonita officium cœptum deserit, oblitaque infantuli, cum cæteris obviam sancto accurrit. Igitur dum ea venerantissimis moratur exsequiis, ignis infanti suppositis calescens, vas ferreum, in quo parvulus positus erat, obambit, immensosque calores efficit et efferventes in seipsum refundit vapores. Quis putaret in tali discrimine vivere potuisset? Porro beata mater cum jam sanctæ reliquiæ domi suæ propinquassent, domesticosque lares recognovisset tandem recordata pignoris sui pavida accurrit, æstimans inter vapores igniferos liquefactum, et tenera pueri distabuisse membra. Sed ardore fidei, quæ illam sancto corpori exire obviam compulit, restincta est ardentis flammas camini. Subito terrore perculsa filium non admovet, donec grandi clamore multos compelleret. adunari.

34. Beati porro viri corpus humanæ conditionis lege sepultum, vere in Christo se vivere demonstrat frequentissima consolatione viventium. Nam ibi recipit cæcitas visum, debilitas gressum, effugantur dæmonia, donantur cum fide petentibus congrua vota, præstante Domino nostro Jesu Christo cui est cum Patre et Spiritu sancto honor et gloria, et nunc et per æterna sæcula. Amen.

LIBER MIRACULORUM S. MAXIMINI

ABBATIS MICIACENSIS

Auctore Letaldo monacho Miciacensi

(Apud Mabill., *Acta* I, 598.)

PROLOGUS AUCTORIS

1. In flammam sciens et prudens mitto manum, qui præsumpserim inter tot eloquentissimorum flumina homuncio arentis ingenii rem hactenus intactam attentare,cum non præsumpserint qui idonee et competenter ad id efficiendum sufficientissimi forent, et nunc affatim floreant,quorum arguti examinis lance et præjudicio condemnari verear. Hoc autem est quod a temporibus piissimæ memoriæ patris Maximini usque ad hæc quibus nos consilio Omnipotentis qui vocat ea quæ non sunt tamquam quæ sint esse placuit, cum diverso modo locus ille quem ipse vir Domini construxerat Miciacensis scilicet nunc floruerit, nunc ultimæ abjectioni patuerit, modo quoque resurgere tentarit : inter quas omnes varietates clementia misericordis Dei nunquam abfuit, et miraculorum copia meritis ejusdem Patris exhibita vacillantes et trepidos sæpius consolata est; inveniri nemo potuit qui hoc scripto ederet, quatenus ad notitiam posteritatis ordine pervenire valeret. Quod magni arbitror detrimenti, cum et Dei beneficia ignavæ oblivioni sint tradita et locus abjectior habitus,quantus vel qualis olim fuerit monimentis silentibus pene cunctis incognitum sit. Nam quod ad alicujus notitiam pervenire potuit,quod sub oculis ejus cui innotescit patratum non est; id procul dubio aut litteris aut traditione vivæ vocis perlatum est. Quod autem neutro horum, id procul dubio an fuerit, vel non fuerit, mecum pariter omnes tacebunt. Tolle monimenta de rebus, necesse est ut pereant, et status vivendi ordine confuso titubet et vacillet

2. Qua de re temerarii quidem ausus præsumptione, attamen utilis profectus contemplatione ad hoc annimum appuli, ut quæ vel ipse viderim, vel probatorum veridica relatiene cognoverim, de his videlicet quæ intentioni sunt scribenda putarem. In quo operis contextu nil mirum videri debet, si quædam interseram quæ ad id negotium pertinere minime videantur, cum id et raro faciam, etsi intuitus recte speculandi adsit non sine causa. Nam et a Chlodoveo incipiens et de ejus solerti ingenio pauca admodum prælibans ea de re id volui, ut eo auctore cujus munificentia locus de quo loqui gestimus cœpit exordium, nostræ quoque narrationis fundaretur principium. Item cum filios ejus induco, id causa beati Aviti facio et antiquitatem et studium pietatis ejus commendare volens. Rursus cum regum tempora per annorum supputationem usque ad Childebertum Sigeberti filium distinguo, id duabus ex causis efficio, ut comprobem B. Launomarum patri Maximino synchronum fuisse, duntaxat sic ut patre Maximino ætatis perfectæ hic adolesceret. Nec ante eumdem patrem Maximinum in hac nostra regione quemquam patrum ejus auctoritatis scriptum inveniri, qui tot sanctos et illustres viros exemplo suæ institutionis informarit, atque ideo non immerito conjiciendum ipsum sanctum et venerabilem virum Launomarum de hac ipsa ejus processisse disciplina : cum et tempora concordent, et familiaritas inter Miciacenses et Corbionenses (*Corbion*) usque ad hæc pene tempora inconvulsa perseverarit. Denique He-

riricus, ut post dicturi sumus, dum ad hoc molestatus recessisset loco, ad Corbionense monasterium se contulit, et quod Vitæ supererat, ibi complevit.

3. Porro autem nec omnia quæ cognoverim in hoc posui libello, quæ in hoc vel de hoc habita sunt, revocatus utique temporum confusione : quæ quia discernere nequivi, conticere exinde melius putavi. Quoniam nobiles et industrios Patres in hoc eodem floruisse loco cognovi, Haymonem videlicet, Stenogaudium et Druetesindum, Bertoldum quoque virum eruditissimum qui Vitam veterem patris Maximini dicitur edidisse, Petrum etiam cujus eruditio et stu- A dium hodieque claret. Nam inter cæteros honorum suorum, diversarum historiarum libros huic loco contulit, et proprio labore correctos et distinctos die Cœnæ Domini, et ut ipsi libri testantur, super altare S. Stephani protomartyris posuit. De his ergo quia discretio temporum non elucet satis dictum. Nunc ad seriem narrationis reversuri oramus Christi bonitatis immensitatem, ut potenti dextera suffultos ad optati littoris perducat nos metationem : simul etiam flagitantes ut oculo intentionis nostræ festuca inhæserit, cum dilectione evulsa non livorem perferat, sed charitatem.

INCIPIUNT MIRACULA

CAPUT PRIMUM.

Clodovei elagium. S. Euspicii vitæ compendium; item S. Maximini. Maximini insignes discipuli. Sententia auctoris de adventu S. Mauri in Gallias.

1. Diu me portractante quid potius assumendo narrationis ordirer principium locuturus de virtutibus magni et præcellentissimi Patris Maximini, rege Chlodoveo nihil clarius inventum, qui totius nostræ superponendæ historiæ quasi fundamentum, primumque fundamentum non immerito collocetur. Hic etenim rex cum primo errore gentilitatis esset irretitus, prædicatione B. Remigii Rhemorum episcopi, et exhortatu nihilominus Chrothildis reginæ suæ ad fidem Christi conversus, tam devote Christo vixit subjectus quam in armis esse studuit semper invictus. Cum enim catholica pietas vigeret, Gothos qui Arianis impietatibus squallebant ab Aquitania expulit, et occiso eorum rege Alarico filium ejus Amalricum in Hispanias fugere coegit, peneque totam Galliam sibi armis vindicans, fines imperii Rhenum, Alpes, Meridianum mare, montes Pyrenæos et Oceanum habuit Septentrionalem. In tantum denique nominis ejus terror cunctas sibi continguas pervaserat nationes, ut etiam Anastasius, qui imperio Romani nominis præerat, amicitias ejus ambiret, et consulem eum ac patricium Romanæ reipublicæ datis codicillis muneribusque magnis conscriberet. Fuit enim vir per omnia strenuus, qui gloriæ aliquando nihil minuerit, et secunda fortuna, maximeque imbellis semper usus sit, infensus tamen parentibus quos pene omnes diversis peremit causis.

2. Igitur Virdunensium rebelliones vicinorum Germanorum spe provocati a rege deficiunt, quorum civitatem illico obsedit, subvertissetque, nisi oratione præclarissimi viri Euspicii qui in eadem urbe presbyterii honore florebat, impetum revocavisset, et impunitatem quamvis nocentissimis condonandam putavisset. Hunc itaque virum quia locus vacabat, dum creare episcopum optavisset, nec id ab eo obtinere quivisset, rogavit sibi comitem fieri Aurelianorum finibus accedenti, quo beatus ille cum nepote B dilectissimo indolis Maximino adveniens honoratus in tantum a rege est, ut etiam sedem suam Miciacum quo propter delicias piscium vel venatuum immorari consueverat, ei jure hæreditario condonaret : simul etiam Cambiacum et Litimiacum possessiones illo tempore inclytas cum omnibus quæ his pertinerent, præceptumque regiæ auctoritatis ex his fieri juberet.

3. In hoc itaque ipso fundo, Miciacensi scilicet, exstructa basilica aliisque necessariis ædificiis, B. Euspicius cum felici nepote Maximino quandiu rebus humanis interfuit, laudabiliter vixit. At vero eo decedente et juxta latus beati præsulis Aniani sepulto vir Domini Maximinus eumdem locum sibi attributum honestissime regens, in tantum laudabilis fuit disciplinæ, ut etiam sanctissimi viri Avitus C et Carilefus cum eremum communi consilio peterent et oras Ligeris fluminis attingentes ejus famæ odorem hausissent, relicto priori proposito, ardentissimo ad eum festinarent occursu : quos ille benignissime suscipiens, cohabitandique data licentia eos sibi spirituali devinxit amore, et sancti Carilefi, pene assidua fruebatur collocutione. Sancto autem Avito curam delegavit fraternæ substantiæ, sub cujus officio illa omnipotentis Domini gratia, liberalitas, largitas Patri Maximino indulta pagum Aurelianensem pene totum a famis periculo liberavit.

4. Mirabilis Pater per omnia, cui collatum divino sit munere tales habere discipulos, talesque ministros. Nam ejus sanctæ clientelæ non solum hi duo, sed et alii multi sancti adhærebant viri mundo olim D exspectabiles, sed nunc merito virtutis cunctis imitabiles. Ex ejus namque disciplina hi virtutum culmine erecti; plurimi eorum anachoreticam expetierunt vitam, et in ea constanter philosophati sunt; ut non solum communes humanæ habitationis sedes, sed deserta et invia et inaquosa rivis suæ beatitudinis, Christi fulti adjutorio, et colerent et irrigarent. Testatur hoc Perticus (*le Perche*), beatis viris Avito et Carilefo magnis duobus radiata luminibus. Testatur Secalonia (*la Sologne*), bonum Viatorem servans

in Viatoria, et Dulchardus vicinus Bituricensibus; silva etiam quæ Longinqua dicitur, quam B. Leonardus spiritualibus suis exercitiis et corporis hospitio et celebrem reddidit et propinquam. Nam B. Launomarum et S. Lifardum ex hac ipsius floruisse disciplina nulli ambigendum est.

5. Siquidem ante Patrem Maximinum ejusque avunculum Euspicium nemo patrum ejus auctoritatis in hac provincia legitur habitasse, qui tot insignes sanctitate viros exemplis suæ institutionis informarit. Quod enim beatissimus Pater Benedictus dilectissimum suum discipulum Maurum rogatu Berthecranni Cenomanensis episcopi has in partes direxit, subsequenti tempore factum est. Quo autem tempore gloriosissimus Pater Maximinus floruerit, satis, ut reor, intimatum est. Porro beatus Maurus, Brunnechilde cum nepotibus Theodeberto et Theodorico, filiis Hildeberti, Burgundionibus imperitante, Gallias ingressus est. Hic autem Hildebertus filius fuit Sigiberti, qui de Hispaniis evocatam Brunechildem duxit uxorem, et suscepit ex ea filium Hildebertum sedemque Metis habuit, quæ Mediomatricum civitas est. Porro Sigibertus filius fuit Chlotharii, qui Chlotharius regi Chlodoveo de Chrothilde filius natus est. Igitur tanto tempore præcedit magnus Pater Maximinus adventum beati Mauri in Galliis, quanto regnum Chlodovei senioris præcedit regnum pronepotum suorum Theodorici et Theodeberti. Nam ab ultimo anno Chlodovei, qui primus est Chlotarii, usque ad primum annum Hildeberti Patris istorum colliguntur anni septuaginta quinque (8): qui Hildebertus in superiori Francia regnans, in regno Gunthranni patrui sui, qui Burgundionibus imperarat, matrem Brunechildem cum nepotibus suis videlicet filiis supranominatis, Theodeberto scilicet et Theoderico, regnaturam direxit. His itaque imperitantibus B. Maurus cum quatuor fratribus et Arderado et Flodecario legatis Gallias ingreditur. Sed de his hactenus.

CAPUT II.

De B. Avito et transitu sancti Maximini.

6. Igitur B. Avitus vivente adhuc patre ejus spirituali, sancto videlicet Maximino primo, in monasterio interdum semotus mansit, ac deinde quatuor fere a monasterio millibus in loco qui Maceriæ (*Maizières*) dicitur, cellulam sibi constituit, ubi usque hodie oratorium in ejus nomine permanet consecratum. In quo loco dum spiritui reluctans subigeret corpus, beatus Pater Maximinus post innumeras quas patrarat contra diabolum Deo donante victorias, plenus virtutibus et sanctitate sibi debitos migravit ad cœlos. Sepultus est vero a venerabili Eusebio episcopo et fratribus in monte transligerino, in quo ipse per Domini virtutem sævum exstinxerat draconem: super cujus venerabile corpus quidam præpotens homo nomine Agilis, ob sanitatem sibi redditam ædificavit basilicam, et postmodum idem Agilis ad habitum sanctitatis conversus hodie etiam miraculis claret.

(8) Fallitur.

A Itaque post gloriosum piissimi Patris Maximini transitum B. Avitus ab eremi quiete divellitur, et in ejus loco a fratribus subrogatur; qui et ipse religione mirabilis, pii Patris vestigia indeclinabiliter prosecutus est.

7. Eo autem tempore Chlotharius et Chlodomirus, filii Chlodovei, Burgundiam petunt, Gotmarum et Sigismundum reges filios Gundebaudi cæsis eorum exercitibus in fugam vertunt. Sigismundus rex ad sanctos martyres Agaunenses confugiens, ibi a Chlodomiro cum uxore et filiis captus, atque ad civitatem Aurelianensem perductus est. Quod B. Avitus audiens, de monasterio ad urbem venit rogaturus pro Sigismundo rege, cujus preces frustratæ sunt, quia Chlothildis regina Chlodomiri mater Sigismundum oderat, quod Pater ejus et mater a Gunde-
B baudo Sigismundi patre interempti forent. Hac de causa Sigismundus rex et martyr necatus est, et cum uxore et filiis in puteum obrutus est. Verum Chlodomirus non usque adeo lætatus est. Nam iterum cum fratribus et copioso exercitu Burgundiam ingressus, die pugnæ inter confertissimos hostes vivacissimo devectus equo inultus occubuit. Cujus filii dum spe paterni regni ab avia nutriuntur, eos fratres defuncti ab avia fraude adducunt et sine mora exstinguunt.

8. Beatus porro Avitus cum pauco tempore monasteriale regimen tenuisset, ad dulcedinem anachoreticæ vitæ, quam jam degustaverat, remeare disponit. Beatus nihilominus Carilefus eodem flagrans ardore Cenomanica deserta petiit, atque in-
C fra breve tempus, multis ad eum confluentibus nobile cœnobium in loco qui Aninsula (*Anille fl.*) nominatur ædificavit. Porro B. Avitus in locis Dunensium (*le Dunois*) et ipse multitudinem aggregans monachorum multis clarius virtutibus et miraculis longe lateque refulsit.

9. In loco etiam Miciasensi quidam frater erat, quem S. Avitus speciali diligebat amore: qui ad extremum veniens sese visitantes fratres obnixe flagitat ne corpus ejus prius sepulturæ daretur quam S. Avitus adveniens sua oratione eum Domino commendaret. Missum itaque repente est et beato viro nuntiatum, qui festinus accelerans iter intempesta noctis hora monasterium ingressus est, jamque frater ille obierat, et corpus ejus in medio
D positum tristi mœrentium officio servabatur. Vir autem Domini ecclesiam ingressus omnes pene dormientes reperit, et se pavimento oraturus projecit, quod multo imbre lacrymarum perfundens diutius orationi incubuit. Dehinc surgens feretroque conjunctus fratrem illum non grandi sermone voce vocavit, qui quasi leviter dormiens illico respondit, et surrigens se in feretro resedit. Ex confabulantium murmure fratres excitati vident vivum quem servabant mortuum, et multo attoniti pavore ad pedes sancti viri corruunt, fratremque vinculis funebribus expeditum cum ingenti gaudio educunt,

qui postmodum tantæ rei te[illegible] [illegible] annis. Beatus porro Avitus, humanas fugiens laudes, cursus ad sedes optatæ recessit quietis.

CAPUT III.

De sancto Theodemiro.

10. Sane quia fratres Miciacenses [illegible] pastorem non poterant, virum Domini Theodemirum omnis congregatio sibi elegit pastoremque præposuit. Hic autem Theodemirus bonæ gravitatis et [illegible] magnæ reverentiæ erat, etiam antequam sanctæ conversationis schemate uteretur. Fuit enim primo sanctæ Crucis canonicus, et, ut plerique autumant etiam decanus. Ut autem monachus fieret ea causa plurimum præstitit, quia dum haberet sororem, quæ caligantibus oculis luce privabatur, hæc sancto et venerabili Patri Maximino oblata et per Domini gratiam sine mora illuminata est. Quantus autem hic vir Domini Theodemirus in sancta religione fuerit, finis edocet, in quo omnis laus secure canitur. Nam dum in extremis ageret, beatus Lifardus, qui in vico Magdunensi solitariam gerebat vitam, in somnis est admonitus ut quantocius veniret, et exitum abbatis Theodemiri Domino commendaret. Qui illico surgens iter arripuit, sed antequam ad monasterium perveniret, elevatis in cœlum oculis vidit in sublimi choros angelorum animam hujus sancti viri in cœlos portantium atque dicentium : *Beatus quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.* Habebat autem idem Theodemirus ex sorore, de qua jam diximus, nepotem nomine Maximinum. Ut autem sic vocaretur, causam existimanus, vel quia vir Dei Maximinus eum de sacro fonte susceperit, vel etiam mater ejus amore patris illius a quo illuminata foret, filium sic nominare maluerit. Hunc itaque beato avunculo ejus sepulto vir Domini Lifardus et Fratres abbatem eligunt, et in loco decedentis substituunt : qui dum advixit, curæ gregis sibi commissi, utpote disciplinam Patrum secutus, strenue invigilavit.

11. Porro locus quo beatissimi Patris Maximini corpus habebatur humatum, cum multis polleret virtutum signis, primævo suo tempore magno celebrabatur honore. Cumque multi beneficia petituri convenirent, et pro voto res pluribus cederent, ut assolet, novitas nimium grata beneficiorum cœpit vilescere negligentia posterorum. Sed in episcopatu Ecclesiæ Aurelianensis subrogatus Sigobertus (9), et genere et moribus nobilissimus videns hunc locum olim florentissimum a prisca nobilitate defecisse, ægerrime tulit. Consilio itaque cleri vel populi ab eodem loco ossa sancti transferuntur Maximini in ecclesiam quam idem episcopus in agro juris sui construxerat, quæ quidem extra urbem sed muro est vicina, contiguaque ecclesiæ B. Aniani quam Miciaco dedit. Venerabilis autem episcopus eamdem ecclesiam [illegible] facultatibus dotavit, quatenus et clerum qui Deo serviret haberet, et lucernæ et alii congruentes ornatus ei non deessent.

12. Cumque hæc multo tempore mansissent [illegible] abbatibus, cœpit devotio Miciacensis cœnobii et studium monasticæ vitæ annullari et sæculi dilectoribus partim cupiditate, quæ mater est omnium malorum, partim incursione hostica, quæ ex Aquitanica impugnatione crebro obtingere solebat. Per idem enim tempus inter Pippini duces et Waifarium Aquinatorum regem gravis et diuturna conflictatio rempublicam Francorum non modico profligavit damno, tandemque apud Toarcense (*Thouars*, apud Pictones), castrum capto Waifario summa rerum ad Pippinum concessit. His fere temporibus, ut orsi eramus, locus supradictus pro bellorum [illegible] adeo est annullatus, ut nemo ibi posset manere monachorum, sed habitacula eorum aut essent diversoria sæcularium, et feminarum, aut stabula equorum et pastiones canum.

13. Temporibus igitur divæ memoriæ Caroli Augusti cognomento Magni, disponente rerum omnium Domino eumdem locum pristinæ reddere nobilitati; Theodulfus nobilissimus et moribus et genere, acerrimique ingenii Aurelianensis Ecclesiæ episcopus subrogatur. Hic itaque multa industria certans quatenus idem locus in antiquum revocaretur honorem, dum in contiguis regionibus minus idoneos invenisset ad id efficiendum monachos, ex Septimaniæ partibus (10) ascivit, quibus et locum dedit, et res illi loco olim attributas de suo insuper addens contradidit. In qua re non pœnituit eum facti sui : quippe cujus temporibus in tantum ejus loci gloria enituit; ut veteris ignominiæ dedecus honestas superveniens obumbraret et præteritorum dispendia lucra sequentia compensarent. Theodulfus igitur episcopus inter cætera suorum operum basilicas miri operis, instar videlicet ejus quæ Aquis est constituta, ædificavit in villa quæ dicitur Germiniacus (*Germigny*, prope monasterium Floriacense), quo etiam his versibus sui memoriam eleganter expressit.

> Hæc in honore Dei Theodulfus templa sacravi
> Quæ dum quisquis adis, oro memento mei

Hic itaque venerabilis sacerdos insimulatus conjurationis apud regem de episcopatu dejectus, et multis diebus custodiæ mancipatus est, postmodum mirabili rerum conversione et crimen promptissime abluit, et regis gratiam consecutus cathedram pristinæ dignitatis non diu victurus recepit. Fertur enim vi veneni ab his exstinctus qui dum exsularet, libertate potiti, bona ejus invadendi jam hauserant cupiditatem.

15. Ei Jonas succedens habitatores loci ejus mire coluit, locum adornavit, ecclesiamque amplificans fornicem orientalem laterculis plumbeis elegantis-

(9) Sigobertus sedit circa ann. 670. Ecclsiæ in honorem S. Maximini a se constructæ pauca restant vestigia ad plagam occidentalem ecclesiæ S. Aniani.

(10) Nempe ex monasterio S. Salvatoris Anianæ, cui B. Benedictus, ordinis monastici instaurator, tum præerat.

in Viatoria, et Dulchardus vicinus Bituricensibus; silva etiam quæ Longinqua dicitur, quam B. Leonardus spiritualibus suis exercitiis et corporis hospitio et celebrem reddidit et propinquam. Nam B. Launomarum et S. Lifardum ex hac ipsius floruisse disciplina nulli ambigendum est.

5. Siquidem ante Patrem Maximinum ejusque avunculum Euspicium nemo patrum ejus sanctitatis in hac provincia legitur habitasse, qui tot insignes sanctitate viros exemplis suæ institutionis informarit. Quod enim beatissimus Pater Benedictus dilectissimum suum discipulum Maurum rogatu Berthecranni Cenomanensis episcopi has in partes direxit, subsequenti tempore factum est. Quo autem tempore gloriosissimus Pater Maximinus floruerit, satis, ut reor, intimatum est. Porro beatus Maurus, Brunnechilde cum nepotibus Theodeberto et Theodorico, filiis Hildeberti, Burgundionibus imperitante, Gallias ingressus est. Hic autem Hildebertus filius fuit Sigiberti, qui de Hispaniis evocatam Brunechildem duxit uxorem, et suscepit ex ea filium Hildebertum sedemque Metis habuit, quæ Mediomatricum civitas est. Porro Sigibertus filius fuit Chlotharii, qui Chlotharius regi Chlodoveo de Chrothilde filius natus est. Igitur tanto tempore præcedit magnus Pater Maximinus adventum beati Mauri in Galliis, quanto regnum Chlodovei senioris præcedit regnum pronepotum suorum Theodorici et Theodeberti. Nam ab ultimo anno Chlodovei, qui primus est Chlotarii, usque ad primum annum. Hildeberti Patris istorum colliguntur anni septuaginta quinque (8) : qui Hildebertus in superiori Francia regnans, in regno Gunthranni patrui sui, qui Burgundionibus imperarat, matrem Brunechildem cum nepotibus suis videlicet filiis supranominatis, Theodeberto scilicet et Theoderico, regnaturam direxit. His itaque imperitantibus B. Maurus cum quatuor fratribus et Arderado et Flodecario legatis Gallias ingreditur. Sed de his hactenus.

CAPUT II.

De B. Avito et transitu sancti Maximini.

6. Igitur B. Avitus vivente adhuc patre ejus spirituali, sancto videlicet Maximino primo, in monasterio interdum semotus mansit, ac deinde quatuor fere a monasterio millibus in loco qui Maceriæ (*Maizières*) dicitur, cellulam sibi constituit, ubi usque hodie oratorium in ejus nomine permanet consecratum. In quo loco dum spiritui reluctans subigeret corpus, beatus Pater Maximinus post innumeras quas patrarat contra diabolum Deo donante victorias, plenus virtutibus et sanctitate sibi debitos migravit ad cœlos. Sepultus est vero a venerabili Eusebio episcopo et fratribus in monte transligerino, in quo ipse per Domini virtutem sævum exstinxerat draconem : super cujus venerabile corpus quidam præpotens homo nomine Agilis, ob sanitatem sibi redditam ædificavit basilicam, et postmodum idem Agilis ad habitum sanctitatis conversus hodie etiam miraculis claret.

(8) Fallitur.

Itaque post gloriosum piissimi Patris Maximini transitum B. Avitus ab eremi quiete divellitur, et in ejus loco a fratribus subrogatur; qui et ipse religione mirabilis, pii Patris vestigia indeclinabiliter prosecutus est.

7. Eo autem tempore Chlotharius et Chlodomirus, filii Chlodovei, Burgundiam petunt, Gotmarum et Sigismundum reges filios Gundebaudi cæsis eorum exercitibus in fugam vertunt. Sigismundus rex ad sanctos martyres Agaunenses confugiens, ibi a Chlodomiro cum uxore et filiis captus, atque ad civitatem Aurelianensem perductus est. Quod B. Avitus audiens, de monasterio ad urbem venit rogaturus pro Sigismundo rege, cujus preces frustratæ sunt, quia Chlothildis regina Chlodomiri mater Sigismundum oderat, quod Pater ejus et mater a Gundebaudo Sigismundi patre interempti forent. Hac de causa Sigismundus rex et martyr necatus est, et cum uxore et filiis in puteum obrutus est. Verum Chlodomirus non usque adeo lætatus est. Nam iterum cum fratribus et copioso exercitu Burgundiam ingressus, die pugnæ inter confertissimos hostes vivacissimo devectus equo inultus occubuit. Cujus filii dum spe paterni regni ab avia nutriuntur, eos fratres defuncti ab avia fraude adducunt et sine mora exstinguunt.

8. Beatus porro Avitus cum pauco tempore monasteriale regimen tenuisset, ad dulcedinem anachoreticæ vitæ, quam jam degustaverat, remeare disponit. Beatus nihilominus Carilefus eodem flagrans ardore Cenomanica deserta petiit, atque infra breve tempus, multis ad eum confluentibus nobile cœnobium in loco qui Aninsula (*Anille fl.*) nominatur ædificavit. Porro B. Avitus in locis Dunensium (*le Dunois*) et ipse multitudinem aggregans monachorum multis clarius virtutibus et miraculis longe lateque refulsit.

9. In loco etiam Miciasensi quidam frater erat, quem S. Avitus speciali diligebat amore : qui ad extremum veniens sese visitantes fratres obnixe flagitat ne corpus ejus prius sepulturæ daretur quam S. Avitus adveniens sua oratione eum Domino commendaret. Missum itaque repente est et beato viro nuntiatum, qui festinus accelerans iter intempesta noctis hora monasterium ingressus est, jamque frater ille obierat, et corpus ejus in medio positum tristi mærentium officio servabatur. Vir autem Domini ecclesiam ingressus omnes pene dormientes reperit, et se pavimento oraturus projecit quod multo imbre lacrymarum perfundens diutius orationi incubuit. Dehinc surgens feretroque conjunctus fratrem illum non grandi sermone voce vocavit, qui quasi leviter dormiens illico respondit, et surrigens se in feretro resedit. Ex confabulantium murmure fratres excitati vident vivum quem servabant mortuum, et multo attoniti pavore ad pedes sancti viri corruunt, fratremque vinculis funebribus expeditum cum ingenti gaudio educunt,

qui postmodum tante rexit [illegible] annis. Beatus porro Avitus, humanos fugiens laudes, rursus ad sedes optatæ secessit quietis.

CAPUT III.

De sancto Theodemiro.

10. Sane quia fratres Miciacenses sine pastore esse non poterant, virum Domini Theodemirum omnis congregatio sibi elegit pastoremque proposuit. Hic autem Theodemirus bonæ gratiæ fuit et inter suos magnæ reverentiæ erat, etiam antequam sanctæ conversationis schemate uteretur. Fuit enim primo sanctæ Crucis canonicus, et, ut plerique asserunt, etiam decanus. Ut autem monachus fieret causa plurimum præstitit, quia dum haberet sororem pene caligantibus oculis luce privatam, hæc sancto venerabili Patri Maximino oblata et per Domini gratiam sine mora illuminata est. Quantus autem hic vir Domini Theodemirus in sancta religione fuerit, finis edocet, in quo omnis laus secure canitur. Nam dum in extremis ageret, beatus Lifardus, qui in vico Magdunensi solitariam gerebat vitam, in somnis est admonitus ut quantocius veniret, et exitum abbatis Theodemiri Domino commendaret. Qui illico surgens iter arripuit, sed antequam ad monasterium perveniret, elevatis in cœlum oculis vidit in sublimi choros angelorum animam hujus sancti viri in cœlos portantium atque dicentium : *Beatus quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.* Habebat autem idem Theodemirus ex sorore, de qua jam diximus, nepotem nomine Maximinum. Ut autem sic vocaretur, causam existimanus, vel quia vir Dei Maximinus eum de sacro fonte susceperit, vel etiam mater ejus amore patris illius a quo illuminata foret, filium sic nominare maluerit. Hunc itaque beato avunculo ejus sepulto vir Domini Lifardus et Fratres abbatem eligunt, et in loco decedentis substituunt : qui dum advixit, curæ gregis sibi commissi, utpote disciplinam Patrum secutus, strenue invigilavit.

11. Porro locus quo beatissimi Patris Maximini corpus habebatur humatum, cum multis polleret virtutum signis, primævo suo tempore magno celebrabatur honore. Cumque multi beneficia petituri convenirent, et pro voto res pluribus cederent, ut assolet, novitas nimium grata beneficiorum cœpit vilescere negligentia posterorum. Sed in episcopatu Ecclesiæ Aurelianensis subrogatus Sigobertus (9), et genere et moribus nobilissimus videns hunc locum olim florentissimum a prisca nobilitate defecisse, ægerrime tulit. Consilio itaque cleri vel populi ab eodem loco ossa sancti transferuntur Maximini in ecclesiam quam idem episcopus in agro juris sui construxerat, quæ quidem extra urbem sed muro est vicina, contiguaque ecclesiæ B. Aniani quam Miciaco dedit. Venerabilis autem episcopus eamdem ecclesiam propriis facultatibus dotavit, quatenus et clericos qui Deo servirent haberet, et lucernæ et alii congruentes ornatus ei non deessent.

12. Cumque hæc multis mansissent temporibus, cœpit devotio Miciacensis cœnobii et studium monasticæ vitæ amolliri et sæculi dilectoribus partim cupiditate, quæ mater est omnium malorum, partim incursione hostica, quæ ex Aquitanica impugnatione crebro obtingere solebat. Per idem enim tempus inter Pippini duces et Waifarium Aquinatorum regem gravis et diuturna conflictatio rempublicam Francorum non modico profligavit damno, tandemque apud Toarcense (*Thouars*, apud Pictones), castrum capto Waifario, summa rerum ad Pippinum concessit. His fere temporibus, ut orsi eramus, locus supradictus prædicto modo nobilis adeo est annullatus, ut nemo ibi posset manere monachorum, sed habitacula eorum aut essent diversoria sæcularium, et feminarum, aut stabula equorum et pastiones canum.

13. Temporibus igitur divæ memoriæ Caroli Augusti (cognomento Magni) disponente rerum omnium Domino eumdem locum pristinæ reddere nobilitati; Theodulfus nobilissimus et moribus et genere, acerrimique ingenii Aurelianensis Ecclesiæ episcopus subrogatur. Hic itaque multa industria certans quatenus idem locus in antiquum revocaretur honorem, dum in contiguis regionibus minus idoneos invenisset ad id efficiendum monachos, ex Septimaniæ partibus (10) ascivit, quibus et locum dedit, et res illi loco olim attributas de suo insuper addens contradidit. In qua re non pœnituit eum facti sui : quippe cujus temporibus in tantum ejus loci gloria enituit; ut veteris ignominiæ dedecus honestas superveniens obumbraret et præteritorum dispendia lucra sequentia compensarent. Theodulfus igitur episcopus inter cætera suorum operum basilicas miri operis, instar videlicet ejus quæ Aquis est constituta, ædificavit in villa quæ dicitur Germiniacus (*Germigny*, prope monasterium Floriacense), quo etiam his versibus sui memoriam eleganter expressit.

Hæc in honore Dei Theodulfus templa sacravi
Quæ dum quisquis adis, oro memento mei

Hic itaque venerabilis sacerdos insimulatus conjurationis apud regem de episcopatu dejectus, et multis diebus custodiæ mancipatus est, postmodum mirabili rerum conversione et crimen promptissime abluit, et regis gratiam consecutus cathedram pristinæ dignitatis non diu victurus recepit. Fertur enim vi veneni ab his exstinctus qui dum exsularet, libertate potiti, bona ejus invadendi jam hauserant cupiditatem.

15. Ei Jonas succedens habitatores loci ejus mire coluit, locum adornavit, ecclesiamque amplificans fornicem orientalem laterculis plumbeis elegantis-

(9) Sigobertus sedit circa ann. 670. Ecclsiæ in honorem S. Maximini a se constructæ pauca restant vestigia ad plagam occidentalem ecclesiæ S. Aniani.

(10) Nempe ex monasterio S. Salvatoris Anianæ, cui B. Benedictus, ordinis monastici instaurator, tum præerat.

sime contexit. Floruit autem Jonas non solum in humanis sed et in divinis rebus, cujus fidei plenitudo studium et eruditio liquido potest colligi ex libro quem contra Claudium Taurinensem episcopum et novum hæresiarcham conscripsit, qui Claudius dogmatizabat stigma beatæ et vivificæ crucis minime oportere adorari. Si, inquiens, crux adoratur, adorentur et puellæ virgines, quia virgo peperit Christum; adorentur et præsepia, quia mox natus in præsepi reclinatur; adorentur et asini, quia asinum sedens Hierosolymam venit; et plura nefanda commentando simplicitati Christianæ fidei derogabat. Contra cujus vesanos errores Jonas venerabilis, qui sanctæ Crucis erat episcopus, Ludovico imperatore flagitante mirabilem edidit librum quem de diversis sententiis Patrum velut floscidum depinxit sertum; et tam validæ stultitiæ Claudii obviavit, ut deinceps nemo inventus sit qui eamdem vesaniam resuscitarit. Libellus autem ipse penes nos habetur, qui in quadam domo igne pervasa incaute derelictus, et post ignem integer inventus est.

15. Jona igitur in episcopatu posito multi nobiles et sæculo exspectabiles viri cingula deponentes militiæ veteremque cum suis actibus hominem exuti, in eodem ipso loco Domino se mancipari gaudebant. Quorum pater vitæ venerabilis Heriricus nomine dudum regum amicissimus, eo autem tempore monastici ordinis erat cultor ferventissimus; qui cum omni gaudio spirituali cum supplementis vitæ hujus necessariis potirentur, unum erat quod mœstitudinem eorum cordibus non modicam inferebat, videlicet quod corpore patroni sui Maximini fraudarentur. Ludovico itaque imperante Heriricus abbas cum fratribus palatium petit corpus beati Patris Maximini expostulaturus, itidemque alias utilitates loci sibi commissi non neglecturus. Imperator vero favens his petitionibus, evocato Jona episcopo, jussit reddi corpus, quod cum magno gaudio a loco sepulcrali, in quo id Sigobertus episcopus (ut jam diximus) deposuerat elevatum, atque ad Micianense monasterium cum ossibus duorum ejus discipulorum Theodemiri scilicet atque Maximini, quorum superius mensionem posuimus, perlatum est.

16. De Heiririco autem abbate venerabili, qui his temporibus (ut præfati sumus) loco Miciacensi præerat, illud fertur mirabile, quia cum ægrotaret apud Corbionense (*Corbion*), monasterium infirmitate qua et obiit, fratrem sibi familiarius inhærentem evocaverit persicas sibi perquiri jubens. Quod cum frater miraretur cum tempus id inveniendi non esset, quia dies Epiphaniorum erant: Vade, ait, post cryptam monasterii, et quod inveneris defer. Frater autem ille non spe inveniendi sed importunitate jubentis devictus, ad designati loci arborem accessit, in qua tres miræ speciei persicas invenit, quarum similes suo tempore arbor illa nunquam ediderat: quas celeriter exhibitas ægrotus suscipiens omnipotenti Deo, sanctæ videlicet Trinitati gratias reddidit, et de fructu memorato prægustans cum fratres filiosque Domino commendasset, lætus de corpore exivit. Quod ego veridica seniorum relatione cognoscens nequaquam silentio passus sum abscondi; procul dubio credens, quia etsi sunt rari nunc miracula facientes, multi tamen in sancta sunt Ecclesia, qui vitæ merito operatoribus miraculorum dispares non sunt.

17. Ludovico piissimo Augusto (ut credimus) regna cœlestia petente imperium Francorum armis diu quæsitum atque a Carolo ejus patre multipliciter propagatum, a nobili illius corporis compage multis nationibus coacta trifariam dividitur, triarchesque filii constituti id regendum sortiuntur. Major horum Lotharius Franciam cum Italia, Ludovicus Saxoniam omnemque Germaniam, Carolus Junior Burgundiam cum Bquitania possedit. Quo Carolo non minimam regni partem assecuto, dum fortuna cum infortunio alternat, regni ejus status primo quidem intestinis bellorum cladibus, postmodum vero externis tumultibus gravatus profligatusque est. Duces etenim qui fines imperii tueri debuerant, dum rebus communibus privata jurgia præponunt, atque ob id mortibus et rapinis sese insectantur, locum dedere barbaris, quo imperium regibus inclytis partum et tot sæculis formidolosum rapinis et incendiis ipsi dehonestarent. Inter Lambertum enim et Rainoldum qui Neustriæ fines versus Oceanum regebant, longa concertatio, utraque perditio patriæ latus detexit, per quod clades regnum Francorum profligatura primo infecta est. Ac primum vis Britonum limitem transgressa, antiquam Namneticam (*Nantes*) Andegavensemque (*Angers*) regiones, Meduanam (*Mayenne*) fluvium usque suæ barbaræ subdidit ditioni.

18 E vestigio gens Normannica vagina suæ habitationis egressa non more piratico, sed libere terras pervavendo, dum nemo resistit, omnem oram maritimam incendiis, rapinis, omnique crudelitatis genere miserabiliter confecit. Denique die nativitatis S. Joannis Baptistæ urbem Namneticam adorsa concremat, et Gunhardum (*S. Gohard*) præsulem sacris missarum solemniis intentum super aram Ferreoli martyris quæ est ad lævam ædis B. Petri apostoli matris ecclesiæ ejusdem civitatis obtruncat, bacchantesque per populum nulli ætati parcendum putant. Ipsa urbe incensa (*anno* 843) cum omni supellectili civitatis et grandi captivorum multitudine in insulam quamdam cœnobio S. Florentii contiguum revertuntur, ibique contubernium statuunt, quidquid alicubi deprædarentur eo conferentes. Primum quidem imperitia equitandi longiores vetabat excursus; ad postremum vero eo usu exercitatiores non solum quæque finitima, sed procul posita pervagantur, cædibus opplentes omnia (*anno* 853). Iterum ergo navibus conscensis Turonis pervadunt, perque alveum Ligeris ad monasterium Patris Maximini perveniunt: quod vacuum hominibus reperientes, quæque occurrentia diripiunt, et ad ultimum admoto igne a parte australi Ecclesiam comburere conantur. Sed servante eo qui non

dormit neque dormitat, qui custodit Israel, nequaquam diu laborantes, et omni effectu malitiæ carentes confusione adoperti discedunt. Hactenus porro intueri : datur, quanta vigilantia Pater Maximinus hunc servaverit locum, quem a die suæ conditionis etiam tempore barbarico ignibus nunquam permiserit violari. Nam ea tempestate vix aliquod cœnobium totius Neustriæ, et magna ex parte Aquitaniæ manus impiorum evasit, cum et S. Martini et beati Patris Benedicti monasteria ab eis conflagrata sint. Sed nemo autumet me in cujusque sancti suggillationem ista prosequi; verum ad demonstrandum pii hujus Patris affectum, qui prospiciens futuros casus et tempora quæ sua sunt quærentium non sustinuit ædiculam suam amburi, providens aut vix aut nullatenus eam in statum pristinum reformatum iri.

19. Igitur Agio episcopo, sub quo civitas Aurelianensis semel distracta secundo incensa est, diem obeunte, Walterius (11) successit vir strenuus, et ad quæque perferenda forti animo præparatus, qui et muros urbis exstruxit, et cives tot cladibus miseros ad resistendum barbaris animavit. Cui Trohannus (*Trannin*) succedens nihil efficax ostendit, verum crudeli exitu posteris sui memoriam dereliquit. Nam levitate animi multa utens, plurima temulentus dare vel promittere solitus erat, quæ vino digesto penitus ignoraret. Hanc auspicatus occasionem Fredricus quidam nobilis clericus quosdam episcopi necessarios sibi ascivit cooperatores, accedensque post cœnam ad episcopum quibusdam laudibus et urbanitate eloquii ejus animum sibi conciliare cœpit, perlatoque vino inter bibendum de loco S. Maximini motus est sermo. Quidam enim Wimarus monachus, sed et ipse secundum sæculi dignitatem clarus eumdem locum ambierat, et ad ipsum Fredricum se conferens effectum desiderii præstolabatur. Sed consilio Ermentei fratris sui, Fredricus id studium causa videlicet Wimari derelinquens, ut sibi consuleret aggressus est, habensque familiares episcopi fautores eum hora qua jam dictum est, adiit, et dationem prædicti loci quasi imaginariam sibi fieri extorsit. Ne forte etiam episcopus pœnitentia ductus id negare præsumeret, baculum ejus furto asportant, et donationis indicem in crastinum reservant. Altero autem die consurgenti episcopo officiosissimus adest Fredricus pro collatis grates rependens, denique testem baculum repræsentans. Confusus episcopus, et quid fecerit ignarus, sed factiosorum unanimitate convictus, volens nolens tamen consentit. Et quia rei familiaris cum inopia perurgeret, dapsili convivio donatus firma jam auctoritate Fredrico optata consensit. Quo ad Monasterium veniente Wimarus cum reliquis fratribus aditus monasterii claudunt, et venientem intrare non sinunt. Itaque cum indignatione ad episcopum reversus, eum ad monasterium usque conducit, et in expulsionem ovium lupum sævire cogit. Itaque cum Wimaro quique potiores expelluntur, quinque tantum personatus vilioris fratribus derelictis. Sicque Fredricus voto potitus nomen abbatis obtinuit, officium omnino declinans. Eos etenim quos inibi reliquerat ultimæ habens dejectioni ut stipendiarios sigilo alebat, cæteris bonis penitus abrasis. Qui tantam erga se duritiam non ferentes episcopum adeunt, et querelam suæ calamitatis coram eo deponunt; quos ille omnino sprevit, et cum ingenti injuria a conspectu suo ejici jussit. Qui contempti monasterium repetunt, et B. Maximino importunis questibus miseriæ suæ ingeminant casum, et sacris cineribus inhærentes diei noctem continuant.

20. Nocte itaque quadam quiescenti episcopo duo terribiles assistunt viri, habitu præclari, canitie reverendi : unus episcopali schemate, alter abbas videbatur, qui quasi rationem cum eo ponere videbantur, cur is neglecta animarum salute sanctis locis indignas præponeret personas, qui luxuriæ et voluptati operam darent, et oves Dominicas morsibus luporum laniandas effugando contraderent. Cum ad hæc episcopus reticens nihil respondere valeret, aggrediuntur eum flagris, et obscenissime derelicto abscedunt. Cujus clamoribus famuli excitati clamoris causas inquirunt, vixque ab eo aliquatenus cognoscere potuerunt : sed tantum inter singultus et anxii tremoris nutantia verba Evurtium et Maximinum inclamabat, et monachos diutius ingeminabat. Illi intelligentes ascensis equis monasterium eadem hora concito cursu expetunt; sed antequam monachi peraccederent, episcopus carne solutus est. Sed et ipse Fredricus non in longum lætatus est : nam et ipse validissimo arreptus incommodo, de eo in quo incumbebat, exsilibat stratu S. Maximinum non sustinens insistentem. In his ergo clamoribus immatura præventus morte cum multorum dolore spiritum exhalavit.

CAPUT IV.

De Letaldo abbate et ejus successoribus.

21. His itaque taliter multatis, defuit qui eo tempore contra jus monasterium locum supradictum ambiret; sed reversi quique a dispersione, qua dispersi fuerant, locum recipiunt, profanos et temerarios invasores procul expellunt, atque e suis unum eligunt nomine Letaldum virum nobilem, et secundum id tempus in multis solertem, abbatemque constituunt. Eo autem tempore vix aliqui monachorum inveniri poterant qui secundum regularem viverent sanctionem. Floruit autem eo tempore Odo omnino venerabilis abbas per quem ordo monasticus rediviva vice resurgere cœptus est. Fuit enim vir moribus egregius et omni sapientia adornatus, qui et plurimos edidit libros, in quibus studiosis et boni cupidis viventem sui dereliquit imaginem; quia vir sanctus nequaquam aliter potuit docere quam vixit.

(11) Agium sedere cœpisse anno 843 censet Carolus Saussejus in lib. VI Annal. Aurel., qui Anselmum I, collocat inter Agium et Walterum.

22. Sane post Trohannum Berno successit, qui moriens Anselmo (12) pontificatum reliquit, quo decedente Theodericus vir industrius successit, qui et corpore venustissimus juventa alacer, vivax ingenio, et moribus fuit suavis. Contigit autem obeunte Letaldo abbate locum Patris Maximini in episcopi Theoderici dominium devenire. Quem locum speciali dilexit amore, et nisi heu! proh dolor! immatura morte præventus foret, omnimodis eum in statum pristinæ dignitatis revocavisset. Vix etenim quatuor annis pontificatu potitus, sedem episcopatus Ermenthæo dereliquit. Procurationem vero Miciacensis loci quidam Rothardus administrabat, inter quem et Benedictum episcopi Ermenthæi præpositum de loco eodem altercatio grandis exorta, isto invadere cupiente, altero resistente, eumdem locum ad ultimam usque dejectionem prostravit. Cum etenim homines loci sæculariter viverent, insimulandi locum Benedicto dederunt. Verum Ermenthæus episcopus immodicus animi et nimium eo tempore sæculi fautor, insimulationes contra fratres habitas libenter audiens, eorum contentiones dissimulavit, et certaminis eorum callidus contemplator accessit securus, quia hujus controversiæ sibi concresceret lucrum. Qua de re actum est ut Rothardus non sustinens Benedicti calumnias cederet, et quibuscunque pretiosis rebus coactis ad abbatem quemdam pagi Bituricensis nomine Raimundum se conferret, damnum maximum loco isti rebus ablatis conferens, tum maxime quod præcepta regum antiquorum quæ de rebus ejusdem loci munifica et pretiosissima habebantur, secum asportavit.

23. Porro Benedictus eo recedente quasi in desolatum locum sese infudit, et habenas suæ cupiditatis longe lateque porrexit, et cum omni familia eidem se loco ingerens suapte vivere cœpit. Nam in domibus fratrum stabula constituit equorum, hinc sedes accipitrum, hinc pastiones canum, hinc cum scuto et virgula ludebant juvenes, hinc arguto pectine personabant textrices, hinc conventus sæcularium, hinc domina populo disprocedens stipata cuneis pedissequarum. Quis monachorum inter hæc viveret? quis hoc ignominiosum dedecus sustinere valeret? Benedictus interea super Ligeriti (*le Loiret*) fluminis oram domum constituit, quam casam Mirandem vocavit, ut nec ipsi reditus piscium libere fratribus deservirent. Et quia episcopus cuncta ejus consilio peragebat, dat ei invisus Deo consilium, quo prædia resque beato Patri Maximino a regibus vel etiam quibuscunque fidelibus pro remedio animarum suarum collata militibus suis partiretur pro libito. Quod et factum est, primusque ipse quæque potiora præsumens, Litiniacum, quem rex Chlodoveus Patri Maximino indulserat, cum cunctis ad eum respicientibus sibi vindicat; dehinc per reliquos satellitum prædiorum facta divisione de ipsis reliquiis, nihil reliqui monachis relictum est. Unicuique autem fratrum qui inibi remanserant, per ministrum Benedicti panis dabatur exiguus et pugillus leguminis, raro vinum, et quando id dabatur non luxuriosa dabatur mensura. Nihil enim officiorum monachis promittebatur, sed quæque agenda forent ministeriales Benedicti omnia procurabant.

24. Eo autem tempore florebat inibi vir venerabilis Gaudebertus nomine sacerdotali quidem præfulgens schemate, clarus genere, sed clarior spiritualibus erat rebus; habebatque fratrem junioris adhuc ætatis Bernerium nomine, qui et ipse postmodum vir egregius factus est, qui communi utilitati nihil præponendum aliquando putavisset. Hi ergo cum quibusdam aliis hanc miseram servitutem gementes inibi residebant. Porro ea tempestate quidam venerabilis episcopus nomine Benedictus a Britannis adveniens, locum hunc de quo nobis sermo est, datis triginta denariorum libris ab episcopo emit. Fuit autem idem sanctus episcopus omni gratia adornatus genere nobilissimus, statura procerus, corpore sicco, omnibus spiritus bonis intentus, tum maxime orationi assiduus, synaxim Davidicam quot diebus persolvens, tum deinde stando Evangelium secundum Joannem ordine memoriter recitans. Hic habuit avunculum nomine Gradilonem, de quo dignam historiam ad nos usque perlatam non abs re credimus parumper suspenso sermonis propositi ordine huic operi inserendam.

25. Cum enim hic potentissimus Britonum foret, relictis sæculi pompis ad monasterum cui Heri (13) insula nomen est, gratia conversationis venit. Cumque devote susceptus esset, et ipse devotissime conversaretur, ob corporis imbecillitatem semote jussus est habitare. Porro amici ejus qui olim in sæculo eum dilexerant, multa munera ei mittebant, quæ ipse fratribus in monasterio positis pulchre dispensanda curabat. Fratres autem putantes eum multas habere pecunias, ut citius cuncta sibi relicturo grandi parebant obsequio, nihil necessitatis non supplebatur, sed cuncta ad votum præsto erant. At vero eo diutius præter spem vivente, et missione pecuniarum deficiente, una quoque deficere cœpit fratrum sedulitas, et frigescere cœpit illa pecuniosa charitas. Quod ille ubi animadvertit, hujusmodi commento adversus crudeles usus est. Evocato sibi familiarius inhærente fratre; jussit arenam secreto sibi deferri et glareas: quibus allatis duo scrinia quæ lectulo ejus præstabant complevit, et quasi qui pretiosa condiderit, firmis clavibus diligenter munivit. Post hæc evocato abbate cur tot diebus sui visitationem neglexerit, modeste perquirit. Cum abbate fratres intraverant, qui eadem scrinia ut sederent audituri quæ dicerentur aptare molientes, vix aliquatenus movere potuerunt. Unde solliciti apud se redeuntes culpare seipsos cœperunt, cur tantum virum neglexerint qui tot bona apud se condita illis reservaret. Renovata itaque sollicitudine omni

(12) Anselmus ad annum 930 pervenisse apud Saussayum legitur.

(13) Herio Insula, vulgo *l'Isle de Nermontier*, seu S. Philiberti in finibus Pictonum.

cum studio et cura alendum procurant, qui infra breve tempus collectus ad Dominum felici fine quievit.

26. Post cujus obitum quique ejus creduli pelluntur, cellula clauditur, absque clave scrinia reserantur, reconditi thesauri reperiuntur, immensa scilicet moles arenæ bene illorum congruens avaritiæ, qui rati ab ejus ministro sublatos thesauros, apprehensum eum diversis excruciant modis. Cui dejeranti cum nulla adhiberetur fides : Ducite me, ait, ad domini mei sepulcrum, et ipsius requiratur testimonium. Qui cum assentirent, venerunt utrique ad monumentum, elevataque minister ejus voce cum fletu : Eia, inquit, domne, quos thesauros reliqueris edicito, et si justæ sunt pœnæ quas patior intimato. Cui de tumulo mortuus respondit : Innocentem te quidem et sine causa affligunt, sed tales eleemosynarii talibus thesauris omnino digni sunt. Quod illi audientes valde consternati sunt, nec ab eo ulterius quidquam petere præsumpserunt. Sed Benedictus episcopus pauco admodum tempore in loco Miciacensi conversatus, rursus patriam visitans in Britanniis reversus est.

27. Consequenti tempore Jacob quidam abbas transmaritanus in patria, cum in pago Biturico (*le Berry*) conversaretur, fama permotus ad eumdem locum Miciacensem scilicet venit, et videns eum amœnum ut est, facta cum episcopo Ermenthæo sexaginta librarum conventione, hisque porrectis locum eumdem parietes vacuos scilicet sortitus est. Mortuo autem Cunano, S. Pauli (Leonensis) episcopo, Alanus comes sciens Jacob multas habere pecunias, eum in decedentis loco constituit qui consecrationem indeptus sedem cui consecratus fuerat nunquam (*supple* adiit), sed in loco Miciacensi usque ad vitæ terminum perseveravit. Verum eo inibi degente orta est controversia inter suos, quos illo in loco conduxerat, et inter eos qui ante eum inibi habitavisse videbantur. Non enim sibi conveniebant, et quasi testa et æs misceri omnino nequibant. Unde accidit ut Tartulphus episcopi Jacob monachus quibusdam occasionibus interceptus auctoribus Lamberto et Adelardo gravissimis verberibus foret affectus ; ipse quoque episcopus injuriatus, et plus pavoris quam periculi passus, clavem coactus de sinu proferret, sub qua ejus quæque pretiosissima servabantur. Cumque Isaac et Egroalis id Ermenthæo episcopo nuntiavissent, vehementer ille commotus, misit Valinum decanum virum egregium cum multis aliis nobilibus qui auctores malitiæ perquirerent, inventosque procul expellerent, episcopo autem cum omni honore sua restituerent. Sed non multo post tempore Jacob episcopus cognoscens tempus suæ depositionis imminere, et nimis illatæ memor malitiæ, thesauros suos et ornamenta insignia per suos partitur, cætera in Britanniis remittens. Post cujus obitum atrum Benedictus adest perscrutator acerrimus, sed tardius quam debuit. Episcopus enim id futurum prospiciens dum adhuc viveret, ut dictum est, nos exinde cum rebus emisit solo Isaac post ejus obitum remanente.

28. Itaque post obitum Jacob episcopi, oblatis denuo viginti libris Albertus et Azenerius Annonem venerabilem Gemmetici (*Jumiéges*) cœnobii abbatem suum videlicet fratrem evocant, et jubente episcopo Ermenthæo idem vir venerandus locum supradictum ad regendum sortitus est. Cujus temporibus quasi quidam redivivus æger a longa ægritudine convalescens, idem locus a dejectionis suæ vilitate resurgere aggressus est. Per hunc enim venerabilem Patrem regularis ordo nostris diebus huic loco primo invectus sub eo ferventissime viguit, et si in rebus adesset paupertas, virtus tamen charitatis et hospitalitatis eam contegens celabat, et liberalis obumbrabat honestas. Toties enim vidimus hospitibus largiter vina propinari, nobis omnibus aqua contentis, et tamen ea fieri cautela ut præsentes ipsi hospites hoc omnino nescirent, sed omnes ut se vino delibutos æstimarent. Diversis autem modis aderat Dei gratia, quæ necessitati concurreret, et inopiam tam verecundæ charitatis solamine sui suffragii sublevaret, sed et per miraculorum frequentissimam copiam respectus sui demonstraret præsentiam. De quibus pauca nunc perstringere cupientes nulla nos narraturos fatemur quæ aut ipsi non viderimus, aut ab his qui viderint vel sincere didicerint acceperimus. Hinc igitur soluto rudente carbasa nostræ narrationis sancto committimus Spiritui, ut de Maximino suo locuturis sui gratiam infundat roris, atque ad stationem optati perducat littoris.

CAPUT V.

De duobus fratribus mirabiliter a morte salvatis.

29. Cum acrior solito ingrueret hiems, intantum ut Liger fluvius glacie obduratus rigenti dorso transitum non solum hominum, sed diversorum quoque pateretur vehiculorum ; duo viri germani fratres a villula sancti Marcelli quæ ultra Ligerim est egressi sunt, urbem petere volentes, ferens caules alter, alter onustus stramine aptandis carnibus quæsito. Is itaque super duratam fluminis faciem transeuntibus, cum jam pene in medio fluminis constitissent, repente glacie dissoluta quædam quasi tabula cum illis evulsa est, quæ subsidens et vi fluminis impulsa resurgens, leviterque uno sui capite adacto super reliqua glaciei soliditate consurgens, in modum sagittæ velocissimæ decurrit, nec prius restitit donec totam evaderet glaciem et obviis gurgitibus exciperetur. In medio fluvio quo tota vis fluminis incumbebat, rivus non multum grandis videbatur, quo tabula illa perveniens trementes et pene exanimes sic ferre cœpit, utraque ripa plena vociferantium, sed consilium nusquam aderat. Nam ire non poterat, et dum quisque metuit, intrare nemo præsumebat. Itaque ipsi qui ferebantur jam de vita desperantes, super inimicum vehiculum consederunt, Dei solius præstolantes auxilium. Cum contra monasterium advolassent, unus ecclesiam respiciens,

Patris Maximini suffragium supplici voce impetrat. Illico et sine mora, divisa per medium tabula eum qui clamaverat sanum atque incolumem ad littus defert; qui ad monasterium accurrens ante altare prosternitur, et immenso fletu de se gratias rependens pro fratre sollicite precabatur : De hac, inquiens, sancte, tua basilica non exeam, donec fratrem meum mihi incolumen repræsentes. Qui etiam ipse dum contra ecclesiam beati Andreæ apostoli, quæ est in villa Ostellensi, pervenisset, sancti apostoli implorans auxilium, statim ad littus et ipse devectus est, fratremque repetens eum sese lugentem reperit; qui videns fratrem, flere amplius cœpit præ gaudio, et in amplexum ruens liberationis modum perquirere cœpit. Denique postmodum plurimis advixerunt temporibus, et quotannis liberatoribus suis debitæ servitutis obsequium devotissime prosecuti sunt.

CAPUT VI.

De prædone pervaso a dæmone et post liberato.

30. Fulconis quondam satellites hujus Patris villam quæ Bezillis dicitur intraverant et in colonorum inquietudinem multa insania grassabantur. Missum repente est et fratribus nuntiatum : qui cum sanctorum pignoribus quosdam e suis transmiserunt rogaturos, ut ab hac molestia se temperare deberent. Cui ministerio præfuit venerabilis Simeon nomine a laico quidem ton-uratus, sed modestiæ et gravitatis moribus non improbabilibus adornatus. Is ergo cum venerandis sanctorum memoriis appensis collo, dum curticulam, qua coacti prædones sese defensare parabant, intrare veliet, unus eorum lapide arrepto irreverenter reverendum nisus est percutere virum. Sed cum lapidem dimittit, ipse quoque, retroactis vi divina brachiis et cruribus, cum ingenti rugitu ad terram corruit et voces diversissimas edere cœpit. Quod cæteri prævidentes ingenii terrore perculsi sunt, omnes pariter terræ prosternuntur veniam pro commisso flagitantes, simul etiam omnia direpta restituunt, et se maturius exituros profitentur, supplicantque pro compare ut liberari mereretur ab hac dæmonica infestatione. Porro fratres bona pro malis rependentes mox eum exorcizata contigerunt aqua, caputque totum perfundentes, corpus illico pedes et manus suo reparantur officio. Et ipse surgens incolumis grandi voce Deum benedicere et famulum ejus Maximinum magnificare cœpit, ociusque inde digressi nil temeritatis in eadem villula alterius addere præsumpserunt.

CAPUT VII.

De auriga inter fluctus servato prospere.

31. Liger fluvius huic monasterio contiguus emolumenti persæpe est, etiam nonnunquam detrimenti. Nam sæpe dum metas alvei sui hanc pene contegit insulam, Ligeritoque conjunctus unum efficitur pelagus, negatoque commeatu insulariis non contemnendis, modicas importat necessitates. Hoc itaque ingruente incommodo, in domo fratrum contigit in-

A opiam fieri. Id officii ad quemdam famulum Alvaldum nomine pertinere videbatur, quem celllarius conveniens dure increpat, cur relicto suo officio huic necessitati non occurrat. At ille importunitate devictus, duobus secum sumptis asinis, naviculam conscendit solus pene cunctam insulæ superficiem contegentibus aquis, vento autem flante e contrario. Cum ille in ventum conari non posset, in medium pelagi cum asinis suis devolutus est, quo et profunditas rapidi fluminis et venti adversitas nihil ei commendandæ salutis ultra relinqueret, fluctusque cumulos minaces erigens navim operiret, ut non tam navis inter undas, quam undæ inter navem viderentur. Cum ergo neque conto neque remo aliquid conari valeret, puppim insedit, et vocibus altis auxilium

B magni Patris Maximini implorare cæpit. Illico vento quiescente, navi tamen fluctibus oppleta invisibili manu perductus, portum Mrrogili (*Mareau*) appulit, secum ipse vehementer admirans qualiter evadere potuerit. Dehinc ad monasterium cum asinis suis regressus, ereptione sui gaudium magnum cunctis fecit fratribus.

CAPUT VIII.

De merso diu jacente in flumine, nec mortuo.

32. Vivianus beati Martini canonicus huic loco quondam familiarissimus fuit : qui secum quodam tempore eo divertens, conduxit quemdam suæ fraternitatis canonicum nomine Constantinum, qui alacriter a fratribus suscepti, biduo cnm omni officiositate detenti sunt. Eo autem die quo reversuri videbantur, quidam collegii eorum juvenculus me-

C ridie quiescentibus fratribus (14) cum arcu et spiculis claustrum ingressus est, et cum quibusdam sodalium multo strepitu multaque levitate agi cœpit, nunc spicula dirigendo, nunc cursu et clamore fratres inquietando. Cumque ut a tanta stultitia quiescere deberet admoneretur, non acquievit; pro reverentia autem eorum qui eum adduxerunt, æquanimiter hoc interim fratres pertulerunt. Sed cum eo die a monasterio exissent, temerarius illé navem conscendit contra ecclesiam B. Hilarii, quo profundi currentes Ligeriti fluminis aliquando vadum negant. Cumque in medio fluvio pervenisset, contum quem tenebat in aquam mittens incaute, cadendo secutus est, ibique ab hora nona usque ad ipsam pene noctem jacens, multis eum investigantibus, inveniri nequivit:

D donec de eo desperantibus, umbris jam incumbentibus, quidam piscator Barbas nomine, unco eum attraxit, navique impositum ad littus devexit. Nihil in eo spiritus sentiri poterat, mortuus ab omnibus dicebatur. Dolor ingens, maximeque clericorum qui eum adduxerant, fletus intolerabilis coegerat ibi plurimos diversæ ætatis simul et conditionis. Ad ecclesiam itaque contigit deportatus, perque pedes appensus est, multoque vel vino vel aqua digesta media nocte ubi vivus apparuit depositus est, et in sese paulatim revertens quid secum ageretur vehementer admirari cœpit. Cumque requireretur ubi

(14) Juxta Regul. S. Bened. cap. 43.

fuerit, vel qualiter per tot horarum momenta inter A undas vivere potuerit : Pro temeritate, inquit, quam sancto loco intuli, morti quidem destinatus eram, sed per interventum magni Patris Maximini ab ipsis Averni faucibus revocatus et vitæ restitutus sum, clementique modo cui injuriam intuli, ipse auctor veniæ et salutis fuit. Facto mane, nudipes et cum multa humilitate monasterium expetit, seque magno Patri nostro contradens, indulgentiam suæ temeritatis deposcere et maximas pro vita gratiarum actiones dependere cœpit, qui tantæ rei testis in hac vita plurimos postmodum exigit annos.

CAPUT IX.

De clerico lapso ab ecclesiæ tecto, permanente illæso.

33. Venerabilis Anno abbas cui in memoriis piorum maxima portio est, signum usibus ecclesiæ præparari jusserat, quod secundum quorumdam morem baptizatum et super tectum ecclesiæ elevatum est. Cumque hi qui extulerant, per tectum ecclesiæ B deambularent, quidam clericus incautius gradiens (cui nomen Flodonicius adhuc est) non attendit laquear clavis affixum leviterque suspensum, sed firmam nanciscens (*id est*, putans) materiam, mox ut pedem quasi liberum posuit, illico cum grandi ruina devolutus est : et primo quidem capiti crucifixi cui inferius stabat Maximinus, illiditur, cujus illico coronam brachiumqne confregit, post super cancelli parietes, inde super gradus ligneos, ad ultimum super pavimentum postratus est. Sed hic tali devolutus ruina per interventum Patris Maximini sibi donatus hodie vivit, cum fere triginta et amplius anni sunt quo hoc peractum est.

CAPUT X.

De eo cujus manus hæserunt fossorio.

34. Ejusdem pii abbatis Annonis temporibus cum adhuc infantulus essem (neque enim audita, sed quæ vidi narraturus sum), contigit quod dico miraculum. Benedictus quidam dicebatur non contemnendæ opis colonus, qui in villa nobis contigua, cui Godgiacus nomen est, habitabat. Hic ad fodiendam sibi partem agri quemdam adventicium mercede conduxit. Imminebat autem hujus Patris dies festivus qui XVIII Kalend. Januarii ejus transitu insignis habetur. Porro ille qui colendum susceperat agrum tanti festi ignarus, utpote novitius, desiderio accelerandi operis accensus die festivo illucescente fossorium, quod bessam (Gallice *bêche*) dicunt sumit, et operaturus D campum petit. Operante eo, vox subito ad eum facta est, quæ diceret : Teduine (sic enim is vocabatur), quare hoc agis? Cumque ille huc et illuc versis oculis neminem vidisset, operi cœpto institit, sed nihilominus eadem vox eisdem verbis, cur hoc præsumeret, perquisivit. At ille respiciens et nullum omnino videns, fossati aggerem quo campus ambiebatur conscendit, et diligenter contemplatus cum neminem videret, ad opus suum reversus est. Sed tertio verbis eisdem eadem vox eum compescnit, et mox rigentibus digitis tam valide manus ejus fossorio hæserunt, ut nulla ratione eas dimovere valeret, cursimque ad domum sui domini reversus, cum ingenti ejulatu quid pateretur ostendit. Ille putans frigore manus ejus riguisse (nam vehemens tunc hiems ingruerat) aquam calefieri imperat, rigentesque ea contrectari manus. Ille amplius ejulando se torqueri inclamat. Porro dominus ejus memor festi factus intellexit causam detinentis eum anxietatis, et mox eum ad monasterium duxit indicem sui reatus præ manibus gestantem.

35. Missa canebatur Dominica, eoque ventum erat quo Agnus Dei qui pro nobis est immolatus et invocatur et sumitur, cum ille multo clamore ecclesiam ingressus ante altare projectus est. Primoque putatum est eum a dæmone agitari ; deinde vero quadam simulatione hoc eum finxisse suspicabantur. Unde et accedentes tentabant manus ejus evellere, sed nulla id ratione efficere potuerunt. Decretum igitur a senioribus processit pro eo litanias fieri, ut qui eum potentia vinxerat, clementia solvere dignaretur. Ubi vero ad convivium ventum est, constituti sunt qui ei cibos in ecclesia deferrent, et ori ejus imponerent. Post mensæ autem refectionem accessit ad eum quidam frater Wido nomine olim sæculo exspectabilis, et perquirit ab eo cujus esset conditionis. Quo respondente se liberum esse : Surge ergo, ait, et accedens ad altare sponte teipsum Patri nostro contrade, et illico liberaberis. Quo consentiente dat ei manum ut surgeret. Conductus itaque ad altare, quia manibus nequibat, voce supplici seipsum contradens ait : S. Maxime, mei miserere, et me his vinculis absolutum ubicunque fuero ser-C vum tuum esse cognosce. Quod dicens velut fortissime ictus fuisset, retrorsum cecidit, et fossorium longe in alteram partem desiliens ingenti sonitu multos admirari fecit ; fratres quoque accurrentes cum ingenti jubilo correptis signis Dominum magnificare cœperunt sunt omnibus virtutibus suis quibus sanctos suos glorificare non desistit, quos apud se vere vivere demonstrat, dum apud eorum exanimatos cineres superbiam viventium tam pulchre et eleganter triumphat. Fossorium vero illud ad laquear ecclesiæ diu pependit, et homo ille quotannis capitis sui censum die annuo super altare sui liberatoris persolvit.

CAPUT XI.

De fratribus territis et mirabiliter salvatis.

36. Sed quia pius Pater aliquando filium donis mulcet, nonnunquam per severitatis animadversionem coercet, et interdum prospera dum securiorem reddunt animum, deterius sternunt, adversa vero circumspectius agere quemque commonent; remissiores nos forsan divinus attendens oculus tanto factos miraculo, consequenti tempore placuit quodam terrere infortunio, quo mirabiliter quidem territi, sed per inventum ejusdem piissimi Patris nostri mirabilius sumus salvati.

37. Consequenti enim æstate intempesta noctis hora subitus turbo cœlum contristat, caliginis profunditas omnem adimit visum, corusci frequentes

timorem incutiunt, venti sibi dura certamina mandant. Exsilimus stratis, cogimur in ecclesiam, multo pavore attoniti psalmos nescimus (*f.*, cecinimus et) litanias. Sacer cereus exstinguitur, et quassus sui medio quasi nolens succurrere ad terram delabitur. Qua visione crescit pavor, formido augetur, correpta signa interrumpente terrore laxantur, nec aliquid inter trepidos invenitur solatii. Quidam Waldefredus æditiuus, non quidem monachus, sed a laico tonsuratus, cæteris constantior, dum extra ecclesiam stat, veniens eminus ab Aquilone jaculum igneum ut vidit, id attonitis et multa terrore compressis nuntiavit. Necdum verba compleverat cum ecce per mediam turrisculi columnam fulmen demissum ecclesiamque ingressum super nos rotari cœpit, lapidesque et cæmenta parietum bullientibus spargere flammis. Stabat Ewrardus priorum unus quem levis scintillula mox ut attigit, quasi mortuum terræ prostravit. Ab oratorio sanctæ Mariæ Maynardus qui Fossatensi (*Saint-Maur des Fossés*, diœc. Paris.) monasterio postea præfuit, redibat, quem eadem scintillula percutiens calceamentis longe discussis velut exsanguem pavimento dejecit. Tota facies ecclesiæ velut clibanus ardens, nihil præter ignem oculi aspiciebant; de jacentibus nemo sollicitus, suam quisque opperiebatur mortem. Diu igitur, multumque super nos ille globus oberrans, tandem subter analogium lapsus est. Putavimus cœlum in præceps ruisse, et dehiscentem chaos terram petiisse, nihilque sapientioribus aliud inerat, nisi dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Intolerabilis subsecutus fetor animos trementium crudeliter sauciabat. Ejecimus jacentes quos mortuos putabamus multo atrocius fetentes porcis noviter ustulatis, sensuque reparato eos jam lugere cœpimus, sed in illis non erat vox neque sensus, datisque custodibus hymnos orsi sumus matutinos. Mane autem facto cum jam illi vegetatiori sensu vigerent, denudatos rimabamur, et in Ewrardo quidem est linea extra quidem nigra, sed interius ignea a vertice capitis usque ad plantam pedis rectissime porrecta. Maynardus porro cruce insignitus est in dextra scapula, quæ ad mensuram palmi virilis manus undique diffusa, sed nihilominus et ipsa exterius quidem picea, interius ardens erat. Maynardus in brevi quidem convaluit, Ewrardus diuscule decubans melior se postmodum diu advixit.

CAPUT XII.

De obitu abbatis Annonis.

38. Igitur piæ recordationis Anno abbas cum fere triginta annos idem monasterium pie gubernavisset, Epiphaniorum prima die cum dolore pene intolerabili omnium superstitum carnis onere spoliatus est: qui nos sua pia charitate destitutos altero nihilominus damno mœstissimos dereliquit. Nam nono ante eum die Bernerius decaniæ administrans officium, vir inter præcipuos egregius, vitam laudabilem laudabili fine compleverat. His ergo velut duobus luminibus viduati in magna cura et sollicitudine reliqui fratres sunt derelicti. Porro Ermenthæus episcopus hoc comperto mœstissimus redditur, asumptoque clero et quibuscunque nobilibus, nec non reverendo Ricardo S. Benedicti abbate, ad monasterium venit fratres consolaturus, et sancti viri funeris officia curaturus. Sepelivimus ergo eum in atrio exteriori quod respicit ad Aquilonem juxta latus Suthardi viri clarissimi, qui locum hunc pure dilexit et habitatores ejus miro coluit affectu.

39. Post annos vero duodecim depositionis venerandi Annonis, illud atrium ubi conditus est, veteribus deturbatis fundamentis, amplificari et decentius efferri cœptum est. Cum autem pro jaciendis fundamentis tumulus beati abbatis, qui lignus est, a parte capitis egesta humo nudatus apparuisset, accessimus et aperientes contemplati sumus illum reverendum corporie et vestibus ita integrum ac si eo die ibi positus fuisset.

40. Sed ut ad ea redeamus quæ facta sunt, sepulto venerabili abbate, cum locus sine pastore esse non posset, Isaac, cujus superius mentionem fecimus, decanus est iterum institutus. Per idem tempus Ermenthæus episcopus gravi arreptus incommodo desperari cœpit: cumque minime convalesceret, prima jejuniorum hebdomada ad monasterium deportatus, et monachio schemate vestitus est, moxque convalescens in monasterio degebat; eratque conversatio ejus omnino grata, nulli unquam onerosa. Fratres vero dum eum habere pastorem præoptarent, primo quidem annuit, sed post voluntate mutata quemdam Hermenaldum, S. Benedicti monachum, ut fratribus præficeret satagere cœpit. Jam autem subrogatus erat in episcopatu Ernulfus (15) nepos ejus vir gloriosus et inter strenuissimos primus: qui cum jucundissimus et amabilis esset, ad eum fratres se contulerunt rogantes ne Hermenaldus eis præponeretur. Qui cum impetravissent, et ex hac re episcopus Ermenthæus victus esset, ex hoc tamen vinci nequivit ut aliquis nostrum abbas crearetur. Erat eo tempore in loco S. Benedicti decanus nomine Amalricus, vir simplex et boni testimonii et secundum sæculi dignitatem clarus, quem evocatum cum locus anno et diebus octo pastore vacasset, abbatem constituerunt. Porro Ermenthæus cum biennio et mense uno hoc in loco vixisset, die Kalend. Aprilium ad vitam, ut credimus, sempiternam (*supple* migravit).

41. Gloriosus sane ejus successor ut se solum vidit, illico amorem quem erga locum habebat, manifestavit. Inter cætera enim bonorum suorum emolumenta, omnium ecclesiarum nostrarum redditus qui ad eum pertinere videbantur relaxavit, et ne

(15) Ex hoc loco corrigendus est episcoporum Aurelianensium catalogus, qui Manassen Ermenthæo subrogatum habet. Quia ex observatione facile solvitur Sausseyi scrupulus, cui mirum videtur Arnulfum episcopatus sui sedem iniisse anno 963, et tamen Manassen, quem Arnulfi decessorem putat, synodo Senonensi anno 981 subscripsisse.

deinceps ab ullo episcopo acciperentur scripto et auctoritate synodali sancivit. Post vero Romam pergens decretum apostolica auctoritate editum atque formatum nostra littera in charta, et Romana in papyro, transcribi fecit, revertensque in scrinio nostro collocavit. In quo decreto addidit, ut nunquam de aliquo monasterio in eodem sine fratrum consensu crearetur; quod qui facere præsumpsisset anathemate plecteretur. Qua de re animos fratrum eo sibi conciliavit, ut inter cætera munia precum omni hebdomada sacrificium laudis bis offerendum pro eo atque prædecessoribus successoribusque suis decernetur. Sed de his hactenus. Verum quia de magni Patris Maximini virtutibus pauca perstrinximus, ad ea quæ his diebus sub hoc scilicet abbate contigerunt accedamus.

CAPUT XIII.

De his qui sub terra obruti sunt nec mortui.

42. Domus hospitum corruerat et eam exstruere cœperamus; trans Ligerim autem argilla quædam invenitur, de qua cæmenti vice levi sumptu parietes eriguntur. Ad hanc ergo fodiendam deputati sunt operarii; cumque in proclivi montis parte foderent, et introgressi terram egererent, mons imminens super eos cecidit, et duos omnino contegens, tertium tantum capite quoque foris apparente ingenti mole compressit. Exsanguis factus monachus qui eos conduxerat, nomen Patris Maximini crebro ingeminans advolat. Sed quis eos vivere putaret? Attamen illi omni nisu insurgentes certatim terram eruunt, sed tanta mole involutos mortuos dicunt. Verum multo labore impenso quos exstinctos putabant, vivos educunt. Cumque hi qui educti fuerant in gestatoriis apportarentur, multo pavore attoniti dum nubes volantes viderunt, montem iterum ruere putantes dicebant: Væ, væ! iterum moriemur, ecce montem cadentem videmus. Ii igitur per interventum Patris Maximini ne opus eorum morte fœderatur, et ab interitu salvati sunt, et incolumes adhuc in hac vita subsistunt.

CAPUT XIV.

De cæco in aquam merso.

43. Pro lapidibus ad domum supradictam convehendis Almaricus abbas cum quibusdam fratrum amne commisso super littus stabat, et operarios sui præsentia acrius animabat. Cum ecce quidam pauper lumine oculorum carens, ductore prævio usus, stipis petendæ gratia molendinum petebat. Erat autem a littore in molendinum tabula longa et angusta. per quam commeantes ibant et revertebantur, in cujus medio orbus ille deveniens, pede lapso, utpote non videns, in aquam cecidit, et usque ad profundum delapsus, iterumque resurgens, rapidis fluentis ferri velocissime cœpit. Quod ejus ductor videns, quantocius clamare cœpit. Cumque sæpius resurgeret, multi concurrebant, sed adversum fluminis impetum conatus inefficaces erant. Porro abbas et fratres qui cum eo erant, et hoc intuebantur, ut ei viderunt humanum deesse auxilium, illico S. Patris

A Maximini voce supplici illi implorant auxilium, et mox is qui trahebatur, unda famulante, ad littus devectus, et a quodam qui cum navicula festinabat, incolumis ejectus est.

CAPUT XV.

De paupere sub rupe habitante.

44. Erat autem ibi rupes valde eminens, quæ facie conversa ad Austrum amplissimo interius gaudio patebat, dorsumque præbens Aquiloni, neque facile admittens Subsolanum infra se maximam apricitatem volentibus experiri exhibebat. Quo quidam pauper cum uxore et sex parvulis adveniens cum non inveniret hospitium, sub eadem rupe se cum suis recepit, et totam hiemem tempusque Quadragesinæ ibi perigit. Die autem sancto Paschæ cum omnibus
B suis ad basilicam venit, quæ ibi sacrata est in honore S. Maximini, unde et draconem exstinguendo expulit, et in qua (sicut supra dictum est) quievit. Cumque pauper ille cum familia quam conduxerat, vivificorum mysteriorum perceptionem sustineret, rupis illa quæ tot diebus eum foverat, cecidit, et cum ingenti ruina devoluta est. At vero pauper rediens ubi collapsa quondam amica culmina vidit, omnipotenti gratias Domino referens, ejus famulum Maximinum ingenti voce magnificare cœpit, cujus pia intercessio se suosque ab imminenti liberabat exitio.

CAPUT XVI.

De illata consuetudine a Salomone præposito et per Domini gratiam evacuata.

45. Scribentibus nobis secundum possibilitatem
C ingenioli nostri de virtutibus præcellentissimi Patris nostri Maximini quosdam contigit venerandos adfuisse, quibus petentibus cum ea quæ dicta erant revolveremus, multa omisisse, non quibus ipsi interfuerant confessi sunt, revocabantque nostræ memoriæ inter multa hoc quod dicturi sumus miraculum.

46. Temporibus piæ memoriæ Annonis abbatis erat quidam Hugonis (nempe Magni vel Capeti) ducis præfectus Salomon nomine, vir insolens et cœnobiis sanctorum vehementer infestus, præcipue locum hunc speciali insectabatur odio, intantum ut cursum Ligeris flvminis per terram sui juris deducere tentaret, in quo multas frustra expendens divitias, ad effectum tamen sui desiderii non pervenit. Cum ergo id genus malitiæ frustra tentavisset, se
D multis aliis modis huic loco officere parat. Cumque fratres humiliter persisterent et preces eorum apud improbum nullum haberent effectum, ad Domini misericordiam se contulerunt. Venientibus itaque ejus satellitibus (sicut vulgo dicitur) juvare secundum consuetudinem nuper ab iis male illatam, cum sanctis pignoribus fratres occurrunt, et eur tantum facinus præsumatur inquirunt. Sed illi superbo spiritu contra inermes arma arripuerunt, et plaustrum quod jam vino onustum erat, bubulcis imperant educendum. Quodam ergo die suis officialibus assumptis ad monasterium venire dedignatus, in villulis circumpositis consuetudines fiscales adhibere

conatur, et vinum e dolis et torcularibus raptum (nam tempus vindemiæ erat) publico cellario conferebat. Mox unus, qui Fulcherius dicebatur, a dæmone corripitur, cæteri nimio acti terrore in fugam convertuntur, boves hinc inde cruentati moveri loco non possunt, donec fratribus accedentibus plaustrum ad domum famuli qui Daniel dicebatur reductum est, sicque illi quod pessime abstulerant restitutum est. Die autem altero idem Salomon cum omni humilitate ad monasterium venit, veniamque adeptus nihil ultra simile attentare præsumpsit. Verum et ipse Fulcherius non longo post tempore ibidem adductus per Domini gratiam sospitali redditus est : quorum autem cor superbia induravit, horum vitam mors crudelissima horrendo exitu terminavit.

CAPUT XVII.

De eo qui ad putandum vineam rogatus arte se excusavit.

47. Tempus vineæ putandæ advenerat, et abbatis imperio complures operarios frater nomine Haldeisus ad hoc opus perquirebat. Cumque plurimos collegisset, nec sufficienter habere crederet, ad domum cujusdam Durandi accedebat, ut eum ad opus venire rogaret ; quem uxor supradicti Durandi venientem videns : En, inquit, domnus Haldeisus accedit ut vos cum reliquis ad vineæ putationem ire debeatis. Cui ille respondit : Ego, inquit, non vadam ; sed ne forte domnus iste contristetur, incommoditatem brachii simulabo, et per hoc inculpabilis manebo. Simulque dicens brachium collo appendit, et venienti monacho rogantique ut ad opus accederet, non se posse venire respondit. Cumque monachus persisteret, ille pallio rejecto pendens brachium ostendit : En, domne, dicens, libenter abirem, sed, ut vides, hac de causa venire non possum. Cumque monachus id simpliciter credens recessisset, repente brachium illius qui fefellerat, acri dolore corripitur, et intantum atteritur ut ad aliquid efficiendum omnino moveri non valeret. At ille intelligens causam : En, inquit, mulier, quod ludendo dicebamus, res ipsa vere dicere jam compellit ; ita enim brachium meum torquetur ut omnino conteri mihi videatur. Noctem itaque insecutam pervigilem ducens, facto mane votum vovit dicens : Sancte Maximine, ab his doloribus juste mihi illatis libera me, et quotannis diem unam tuo servitio, ubicumque jussus fuero, impendendam promitto. Quo dicto, sine mora convaluit, et voti exsecutor usque hodie sanus et incolumis vivit.

CAPUT XVIII.

De Adelardo equorum custode.

48. Roberti ducis equorum custodes pratum quod monasterio subjacet intraverant, et multitudine equorum immissa id depasci moliebantur. Præpositus fratrum accedens ne id facerent rogare cœpit. Hi qui saniori sensu vigebant pro reverentia Patris Maximini pratum deserunt, et Ligeri amne transmisso pratis Marogili (*Mareuil*) sese infuderunt. Unus porro spiritu armatus superbiæ qui Adelardus dicebatur, quique cæteris præesse videbatur, inju-
A riis monachos aggressus est, et procacibus verbis nomen tanti Patris blasphemare præsumens cum plurimis sodalium in eodem prato equos servare instituit. Sed ejus superbiam judicia divina subsecuta sunt. Nam eidem in eodem prato in eadem nocte quiescenti terribiliter B. Maximinus apparuit, et stultitiæ eum arguens baculo incurvo quem gestare videbatur percussit : qui surgens clamare sese moriturum cœpit, et accurentibus sociis a B. Maximino se lethaliter ictum ejulando indicavit. Moxque equos ejici et se exportari jubet : sed ingravescente molestia inter manus efferentium spiritum exhalavit. Qua de re tantus terror socios ejus invasit, ut usque in hodiernum diem nemo inventus sit qui simile attentare præsumpserit. Ista sunt quæ nos
B omisisse supradicti seniores fatebantur, et alia quamplura, quæ fastidium declinantes reticenda putavimus. Nunc vero ad ea quæ nostris diebus facta sunt accedamus.

CAPUT XIX.

De ardentibus.

49. Peccatis populorum ingruentibus et justitiam Dei provocantibus medio fere mense Augusto ingens lues populum Aurelianensem devastare cœpit. Divino etenim igne membra ardebant humana, cujus ardori nulla poterat concurrere ars humana. Omnem igitur sexum, omnemque ætatem, et præcipue infantiles artus vis ista populabatur. Quid facerent quos tanta necessitas perurgeret? Sanctorum suffragia expetunt, et implorant divinum quibus humanum deerat auxilium. Cumque per omnia pene sancto-
C rum loca catervatim hi tales cogerentur, præcipue apud hunc pium Patrem vis immensa congerebatur ; intantum ut officia divina fratres reverenier, ut decet, psallere Omnipotenti nequirent. Quis enim ferre valeret tot gemitus horrendos, fetores intolerabiles humanorum incendii membrorum? cujus mens tam ferrea non ex hoc molliretur infortunio! Insuper cum tanta horum confluxerit multitudo miserorum, quæ si tota coadunarrtur ecclesia, chorum psallentium compleret et cryptas. Hoc tam molestum quoquomodo fratres tempore diei sufferebant ; imminente vero hora noctis ab ecclesia expulsi in porticu Aquilonali hærenti eidem, nec non in corte factis sibi umbraculis manebant. Diluculo vero instante repetebant monasterium flagi-
D tantes pii Patris Maximini interventu auxilium Dei his vocibus : O præstantissime Dei amice, qui tua larga beneficia ejusdem Creatoris omnium munere nequaquam poscentibus assuesti inhibere, opem nobis fer celerem, ne cruciatu insistente aura nobis subtrahatur hujus luminis. Appareat nobis per te virtus divina, qui ad tua confugimus merita, sperantes tuo obtentu misericordissimi Dei indulgentiam. Hæc dicentes cum multis lacrymis et planctu interno cordis non cessabant deosculari pavimentum sacræ ædis.

50. Clementia itaque misericordis Dei clamorem mistum gemitu horum miserandorum, exorante pio

intercessore Maximino, sic ei pene omnium membra dignatur restinguere. Deinde plurimorum ossa ferro recidebantur acuto, quorum carnes exederat ignis. Quorumdam vero intantum acriter demolita erant, ut dissoluta ipsa sua sponte caderent. Quot vero exstiterint numero, enumerare singillatim minime sufficit lingua, præsertim cum, ut supra fati sumus, innumerosus affluxerit populus: quin etiam pars maxima hujus ab hac luce abstracta sit, mox ut consecuta sanitatem fuit. Tandem dignum duxi nominatim de his scribere qui longo post advixerunt tempore, quo legentibus fides facilius adhibeatur.

51. Quidam rusticus nomine Ingelbertus una cum filio Gilberto ac filia, cujus nomen excessit, divino igne pervasi intantum depasti sunt, ut pater dextrum pedem amitteret, filius vero coxam sinistram et dextram usque ad genu tibiam, soror autem sinistram usque ad genu tibiam : et ipsi ita detruncati divino judicio meritis gloriosissimi Patris Maximini demum liberati pluribus inde advixerunt annis.

52. Ea tempestate quidam parvulus nomine Constantinus habens cratem sinistri pedis ab hac infesta valetudine pervasam, devehitur ulnis amitæ suæ Hermentrudis nomine. Qui dum ibidem moratur octo diebus, neque die ac nocte molestia morbi somnum caperet, accepit præfata illius amita a quodam Dei servo responsum ut æditos exposceret, quatenus sinerent puerum suum una noctium cubare intra ecclesiam, quod et factum est. Et ecce noctis sub silentio videt mulier niveam columbam ingredi ecclesiam et ad ingressum ejus totam reddi coruscam. Quæ accedens ad altare, ibi aliquantisper subsedit, puer autem mox correptus somno ulterius nullam molestiam morbi sensit, neque inde vestigium incendii apparuit.

53. Alter exstitit æquivoco nomine puerulus simili morbo periclitans, sed non eodem modo salvatus. Judicium enim superni judicis nequit quisquam mortalium comprehendere. Mater ejus Erfrida dicebatur, pater autem ejus jam hominem exuerat. Hic itaque puer a quodam cane pervasus fortuitu ejus pedem momordit dextrum : qua occasione incendio perustus adducitur ad limina hujus Patris nostri Maximini piissimi advocati. Cumque ibi aliquantisper demoratur, sanitatem consequitur plenissimam, qui usque hodie servitio detinetur fratrum utens officio pastoris.

54. Sane vir quidam Laurentius quamvis rusticus, tamen liberali prosapia ortus, binorum exstiterat pater filiorum. Horum quidem nomina fraterculorum primogeniti Tedmari, junioris vero Gilardi vocitabantur. Siquidem incommoda valetudo prædicta dextras istorum invadit puerorum suras, paulatimque tibias simul cum pedibus improbiter occupat. Denique [illegible] sanitatis principio quidem a [illegible] affectu, quod nullo his valebat subveniri præsidio, ducuntur ad basilicam ecclesiæ matris sanctæ Crucis ; decursoque ibi aliquanto temporis [illegible] nullam assequuntur sanitatis medelam. Urgente autem necessitudine ardoris, dum piissimas Domini aures interni clamore doloris continuo pulsant, a quodam fidelium pater prædictorum accepit consilium, hos deferre quantocius ad limina Christi confessoris Maximini, quia virtus divina præstabilis adest quibuscunque mortalibus incommoditate corporea laborantibus ; qui mox accelerat cum pueris iter. Adveniens autem ad basilicam piissimi confessoris, implorat meritum hujus prædicti patroni, quatenus subveniendo exstinguat membra puerorum ardentia : quod non diu retardare divinitati placuit, quæ omnibus loco et tempore magnalia proprio imperio distribuit. Enimvero transactis diebus aliquantis, exstinctis puerilibus membris ab igne depastis sospitati interventu Patris inclyti redduntur Maximini.

55. Eadem tempestate quoque instante sacra Dominici Natalis vigilia, quidam homo nomine Bernerius qui quidem adhuc superest, excubiis tantæ solemnitatis cum cæteris intererat fidelibus. Excubans itaque solemni de more, intempestivæ phrenesis subito morbo arripitur, quod immoderato thermarum caumate (*id est*, ardore) forte illi accederat, quibus tanti luminis gratia eadem sub nocte ablutus fuerat (16). Nam dissidente inter se inæquali elementorum temperie (erat enim tunc nimium brumalis temporis frigus) sensum amisit funditus, atque in dies crescente corporis molestia ita manceps efficitur, ut nullis jam teneri posset ligaminibus. Agebat ipse teterrimus oris pallor, sanguinea oculorum suffusio, misera membrorum distorsio, frequens totius corporis in præceps elisio, lacrymabilis per totius sacræ ædis habitum rotatio, ipsius pavimenti et supersparsorum scirporum effrena voratio, qui hospes in Christiano hospitaret diversorio. Unde suis custodibus taliter fatigatis fere quindecim solibus infra oratoriolum S. Joannis Baptistæ obseratis januis truditur. Verum illud nostrum singulare decus, sanctissimus videlicet Pater Maximinus, hujusmodi languorum assiduus per Christi gratiam curator et medicus, celeri suorum antidoto meritorum pestem latentis expulit inimici. Nec diu differre passus fuit, quem a se sanandum sibi exposuerat devotio fidelium. Itaque paucis diebus evolutis hostis concreto oris sanguine expellitur, languens ac si mortuus coram sacratissimo altari reperitur, cujus in pectore vix vitalis calor palpitantis spiritus sentitur. Mox itaque ulnis

(16) Hujusce ritus vestigium exstat in Decretis Lanfranci. *Vigilia Thomæ apostoli*, inquit, *si dies Dominicus non fuerit radantur fratres ; et balneentur qui volunt balneari, ut duobus diebus ante Dominicam Nativitatis sint omnes balneati. Si necesse sit, ipso apostolicæ festivitatis die balneari possunt.* Qualem disciplinam hoc in opere servare solebant monachi, idem auctor ibi præscribit. At multo antiquior ejus rei mentio habetur in regula cujusdam Patris cap. 12, his verbis : *Similiter ad caput fratrum lavandum per singula Sabbata, vel balnearum usus per festas solemnitates præparent.* Vide notas Menardi nostri in conc. Regul. cap. 55.

fidelium a templo subductus in imam domunculam A ipsius ecclesiæ contiguam tollitur: sicque intra paucos dies perfectissimæ sanitati donatur, vigilanti fratrum cura in omnibus adjutus. Per omnia benedictus Deus.

Quæ sequuntur, alterius videntur auctoris.

56. Alter nihilominus (cujus nomen excidit) advenit lumine oculorum privatus ab ipso exceptionis partu. Pernoctans itaque ante suffragatricem tanti patroni tumbam, inexpertam semperque optatam meruit extorquere illuminationem. Ergo dum stabili mentis fide in misericordis intercessione confessoris sibi largiri confidit, quod natura non contulit, infestusque continuæ inquietudinis clamores nullo modo intercipit, confestim quodam piissimi Rabboni tactu ab ipsis oculorum orbibus sanguinis B rivus erupit, ac deinceps postmodum sub tanti manu opificis inexpertum inscia lucis splendorem pupilla extimuit, rerumque imagines deinceps emblemate simili pectore condit. O cœlestis regis potentia, ingens, incorporea in sua natura, quæ palpamine spirituali a mortali voluit humanitus sentiri, innatum glaucoma dextruxit, obtunsum verticis speculum gemino fulgore complevit.

57. Quidam duodenis puer nomine Erfredus nervis arescentibus poplitum ex asse incedendi amiserat officium. Hic itaque per multorum annorum curricula fratrum Miciacensium solertia frequenti educatus alimonia fuerat. Verum ille inexhaustæ fons pietatis qui puerilis sinceritate innocentiæ absque ullius conspersione fermenti corde devoto præcipit exerceri, illum una noctium admoneri voluit ut Patris Maximini expeteret opem, si totius corporis optaret consequi valetudinem. Qui supernæ admonitioni credulus, mane facto penita ecclesiæ subintrat, atque ante sacrosanctum prostratus mausoleum, innocentis affectu animi pia piissimi interpellat merita confessoris. Nec mora, divina dignatio illi adfuit. Exemplo siquidem se subrigens, ac plenissimam totius corporis captans sanitatem, anno Dominicæ incarnationis millesimo quadragesimo primo tertia ipsius resurrectionis Salvatoris Dominica, hora diei secunda, eadem paschalis solemnitatis gaudia restauratione sui haud modica auxit in lætitia. Et quidem apte, dum huic vox insonaret prophetica: *Misericordia Domini plena est terra*; inde ipsius tantæ miserationis viscera clangore signorum excita plebs concurrens stuperet universa.

DELATIO CORPORIS S. JUNIANI

IN SYNODUM KARROFENSEM

Circiter annum 988

A Letaldo monacho Miciacensi descripta.

(Apud Mabill., *Acta*, Sæculi IV, pag. 434.)

1. Domino Patri CONSTANTINO et cæteris fratribus C Nobiliaci cœnobii frater LETALDUS in Domino salutem.

Ad sublevandos Tobiæ labores angelus Raphael missus a Domino, postquam eum non solum ab ærumnis eruit verum etiam beneficiis divinæ pietatis adjuvit, reversurus ad eum a quo missus fuerat, a quo exiens non discesserat, eos quos beneficii superni munere erexerat, alloquitur dicens: *Consilium regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est* (*Tob.* XII). Quapropter nos opera Christi quæ per gloriosissimum confessorem suum Junianum nostris temporibus operari dignatus est, revelare et confiteri convenit, ad laudem et gloriam nominis ejus, ad ædificationem audientium, ut cognoscant omnes quia opera quæ operatus est in diebus patrum nostrorum, operatur et nobiscum, non D nostris quidem meritis, sed quæ beneficio pietatis et eorum interventu patrum, quos nobis largitus est intercessores, et ad corrigendam vitæ nostræ gravitatem proponit imitabiles.

2. Aggrediamur igitur promissi operis munus, nostris quidem de viribus diffisi, sed divinæ largitatis auxilio fulti, illius videlicet qui ait: *Aperi os tuum, et ego implebo illud* (*Psal.* LXXXI, 11). Vos autem, reverendi Patres et fratres, juvate precibus, quod charitativo injunxistis imperio: nec admodum vobis nostra displiceat rusticitas, dummodo sola et integra, ut a vobis tradita est, rerum gestarum complaceat veritas. Cum exorti essent peccatores sicut fœnum, et veluti vepres et spinæ terrenam suffocantes messem, ita maligni quique Dominicam devastarent vineam, placuit episcopis et abbatibus et quibusque religiosis viris concilium debere fieri, in quo et prædæ (17) prohiberentur, et res sanctorum injuste sub-

(17) In synodo facta circiter annum 988, cui interfuit Hugo Ecolimensis episcopus, mortuus anno

latæ restituerentur; et cætera mala quæ speciosam sanctæ Dei Ecclesiæ faciem fœdabant, sub anathematis mucrone ferirentur. Hoc igitur concilium in cœnobio Karrofensi cogi fuit destinatum, factusque est ibi grandis ex pago Pictavo et Lemovicino, et adjacentibus regionibus multorum concursus populorum. Nam et multa corpora sanctorum (18) ibi allata sunt, quorum præsentia et religiositas roboraretur, et malignorum procacitas retunderetur. Sane illud concilium divina, ut creditur, voluntate coactum per sanctorum præsentiam frequentia illustravere miracula. At vero inter cætera Deo digna sanctorum pignora, etiam gloriosi Patris Juniani exuviæ cum decenti honore delatæ sunt.

3. Sed inter hæc agenda cum a cœnobio sancti Patris elatæ essent reliquiæ, non multum longe a monasterio hi qui sancti vehebant sarcinam, consederunt, et sacrum onus deposuerunt. In eo igitur loco post sanctissimarum reliquiarum evectionem devotio fidelium crucis erexit vexillum ob memoriam et recordationem, quod ibi sancti Patris reliquiæ quievissent: et ab eo tempore usque nunc, quicunque febricitans accesserit, invocato Christi nomine per interventionem ejusdem Patris pristinam consequitur sanitatem. Inde ergo cum ad villulam cui Ruffiacus nomen est, accessissent, mansionem inibi acceperunt, noctemque illam in Dei laudibus et hymnis pervigilem ducentes, facto mane iter arripuerunt; sed nihilominus in eodem loco quo quieverant reliquiæ, fideles Christiani ex lento vimine quasi quoddam fecere peribolum, ut locus ipse quo sacra membra locata fuerant ab accessu hominum et animalium tutus remaneret. Post multos dies taurus ferox accessit et cornibus atque costis eamdem sepem ludibundus concussit; sed mox ut a sæpe recessit; corruit et exspiravit. In eodem quoque loco ex ingenti imbre lacuna succreverat, quæ susceptam aliquandiu retinens aquam, pro reverentia sanctorum pignorum ad abluendam plurimos invitabat, inter quos accessit quædam mulier elephantino laborans morbo, quæ cum ex eadem se lavisset aqua, pristinæ sanitati restituta incolumis remeavit ad propria.

(18) De more illius temporis. Sic feretrum sancti Bercharii abbatis Dervensis in synodum Aireiensem delatum est, regnante Rotberto rege; et sancta Fides inter multa sanctorum corpora, *quæ secundum morem provinciæ feruntur ad concilia*, principatum tenuisse dicitur.

990, secundum capitulum decernitur adversus prædones, ut dubium non sit ad eam referri oportere hanc delationem.

ANNO DOMINI DCCCCXVI

JOANNES XV PAPA

NOTITIA HISTORICA

(Apud Mansi *Conciliorum amplissima Collectio*, tom. XIX, pag. 82.)

Joannes, patria Romanus, ex patre Leone postea presbytero natus, post exstinctum tyrannum communi suffragio legitime electus est anno Christi 985 sub regno Ottonis III. Hic timore eorum quæ prædecessor passus erat, secessit in Tusciam, cum a novo tyranno Crescentio Numentano, qui titulo consulatus munitionem sancti Angeli possidere aggressus est, infestaretur. Cumque legationes ad Ottonem mittere frequentaret, Romani memores eorum quæ propter injurias pontificibus illatas ab Ottonibus anterioribus passi erant, e vestigio honorifica legatione eumdem Joannem revocarunt, dataque illi omni securitate in Urbem redire rogarunt. Quod dum faceret, omnes adventanti occurrerunt, piis officiis et obsequiis eumdem honorarunt seque illi subjecerunt. Libentio Hamburgensi episcopo pallium concessit. Leonem Trevirensem vicepiscopum ad regem Angliæ et ducem Northmannorum ablegavit, ut eos inter se dissidentes conciliaret. Acta pseudosynodi Remensis, qua amoto Arnulpho Gerbertus subrogatus fuerat, improbavit, et amotum sedi suæ restitui feliciter procuravit (1). Ad Crescentii tyrannidem, quæ in dies magis magisque invalescebat, propulsandam, Ottonem regem Germaniæ Romam venire rogavit. Antequam vero accederet, defunctus est pontifex optimus septimo Maii, cum sedisset annos decem, menses..... dies duodecim. Sepultus est in basilica S. Petri in oratorio S. Mariæ.

(1) Non est effectum id nisi sub Gregorio V.

JOANNIS XV PAPÆ

EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA

I.

PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO COELI AUREI TICINENSI.

Fragmentum. — Anno 9?6

Omnes ejus loci possessiones confirmat, petente Petro abbate, eique concedit usum dalmaticæ, sandaliorum, pedulum et chirothecarum, ac facultatem in itinere deferendi tintinnabulum in capella, et quidem ad honorem sancti Petri, necnon « sanctissimi Augustini, cujus sacritissimum corpus in illa ecclesia reconditum est. Datum VIII *Kal. Februarii per manus Joannis episcopi Nepesini, Joannis papæ XV anno p.imo, indictionne* XIV. »

[Apud Mabill. *Annal. Bened.* tom. IV, pag. 35.]

II.

PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. MAXIMINI.

(Anno 987.)

[Apud Hontheim, *Hist. Trévir. diplom.* pag. 326.]

B JOANNES episcopus, servus servorum Dei, venerabili abbati amabili nobis in Christo filio OGONI benedictionem apostolicam.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione subvenire, et religioso voto assensum impartiri; a summo enim opifice nos ex hoc præmium accepturos speramus, si ecclesias ad ejus cultum præparatas nostra industria in melius statuere laboramus. Igitur tuæ religioni assensum præbentes, auctoritate apostolici præcepti decernimus, ut congregatio Deo sanctoque Maximino deserviens, sicuti a charissimo filio nostro rege Ottone, cæterisque regibus, vel imperatoribus Francorum, tuo cœnobio concessum est, liberam deinceps habeant potestatem creandi inter se, quem secundum Deum sibi elegerint, abbatem, nec C aliqua quælibet dignitatis persona (2) infra monasterium, nisi a te vel a successore tuo invitatur, quidquam pro suo libitu ordinare vel exercere præsumat. Interdicimus etiam apostolico præcepto, ne cui unquam ecclesiæ vel sedi (3), concambio vel aliquo ingenio subdatur, sed tali libertate, et immunitate, sicut Prumiense monasterium cæteraque regalia loca, innoffense et perpetualiter fruatur; ipse vero locus monasterii perenniter sub mundiburdio regum et imperatorum, filiorum sanctæ Romanæ ecclesiæ, apostolico præcepto jubemus ut maneat; nulli unquam personæ beneficiarius, aut invadendus pateat, sed ad usus et tranquillitatem monachorum A ibidem absque ullius contradictione liber permaneat. Ad cumulum quoque vel augmentum monasticæ tranquillitatis adjicimus, ne quis cujuslibet dignitatis persona, vel aliquis successorum tuorum spiritu maligno seductus, quiddam vel minimum alienare præsumat, tam ex his quæ modo monasterio tuo collata sunt, quam ex his quæ cæteri fideles in dies collaturi sunt. Si quis autem, quod absit, nefario ausu præsumpserit ea quæ ad utilitatem jam dicti venerabilis monasterii statuta sunt, infringere aut in quoquam violare, sciat se auctoritate omnipotentis Dei, per interventionem beati Petri apostolorum principis, cujus vice fungimur, et nostræ auctoris apostolicæ constitutionem, et suffraganeorum episcoporum (4), anathematis vinculo inextricabiliter innodatum.

Scriptum per manus Thesphili Latini notarii, et regionarii, atque scriniarii S. R. E. in mense Januario, indictione XV. Bene valete. Datum VI Idus Januarii, per manum Joannis episcopi et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno, Deo propitio, pontificatus domini Joannis summi pontificis et universalis episcopi XV, in sacrario ecclesiæ sancti Hetri apostolorum principis, anno Domini nostri Jesu Christi 987.

III.

PRIVILEGIUM JOANNIS PAPÆ XV PRO ECCLESIA NOVIOMENSI.

(Anno 788.)

[Colliette, *Mémoires du Vermandois*, tom. I, pag. 577.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, omni Ecclesiæ Gallicanæ.

Noverit omnium fidelium industria quod venit ante nostram præsentiam reverentissimus confrater noster Lyndulphus, venerabilis videlicet episcopus Noviomorum, Tornacensium, et Flandrensium, cui intimanti nobis sedentibus in sede sanctæ Jerusalem necessaria sui episcopi, visum fuit nobis apostolico moderamine, ac benevola compassione succurrere, alacrique devotione impertiri assensum. Tunc enim lucrum et potissimum præmium apud conditorem omnium reponitur Dominum, quando loca venerabilia opportune et ordinate ad meliorem fuerint

(2) *Nec aliqua quælibet dignitatis persona*, etc. Hæc omnia, tanquam relativa ad gratiam ab imperatoribus concessam, ad immunitatem *civilem*, non ad *ecclesiasticam* pertinent.

(3) *Ne cui unquam Ecclesiæ vel sedi concambio vel aliquo ingenio subdatur*. Unione scilicet D suppressiva vel alia minus principali et perpetua. Conf. notata supra ad Bullam Agapiti II pont. de anno 950.

(4) *Et suffraganeorum episcoporum*. Hinc apparet hanc bullam primario advarsus archiepiscopum fuisse impetratam.

sine dubio statum perducta. Igitur dilectio supradicti episcopi Lyndulphi humiliter et rationabiliter postulavit a nobis, quatenus res et leges sui episcopii per privilegii cautionem sanciremus et confirmaremus, veluti eidem statuta sunt antiquitus a regibus et principibus, nostrisque antecessoribus. Cujus dignæ petitioni assensum præbentes, auctoritate beati apostolorum principis, et nostri privilegii assertione sancimus et confirmamus ut nullus comes, aut extranea persona habeat potestatem comprehendendi, vel distringendi latronem infra procinctum Noviomi, vel in villis illius loci episcopo subjectis in procinctu antiquitus deputatis. Decrevimusque ut in Tornaco civitate, nullus comes, vel extraneus judex, se intermittat de districto, aut moneta, vel derivatico unius partis, nec de teloneo: sed sicut statutum est a piæ memoriæ principibus sic fixum et inconvulsum permaneat. Similiter jubemus et nullus homo faciat eidem episcopo, vel successoribus ejus, molestiam de Hilcimo cum matre Ecclesia, et cum capella quæ est in *Mulius*. Et in Flandris, de ecclesia sancti Salvatoris da Gechbecca, Aldenburgi, Latiinga, Gestella, *Fleskengem*. Abbatiam vero sancti Eligii, antiquo jure, viris religiosis regulæ beati Benedicti insudantibus præordinatam, sed postea instinctu diabolico in canonicorum ordinem redactam, iterumque a Rodulpho venerabili episcopo in anteriorem regulam reductam; at eo mortuo, a canonicis male invasam, nunc a Lyndulpho, confratre nostro, monastico ordini, ut fuerat redditam, in hoc ordine præcipimus permanere. Ita duntaxat ut ea bona quæ Lyndulphus præsul in eadem abbatia invenit, et quæ postea ipse adjunxit: nam invenit ibi Ragemberticurtem cum Ecclesia, Carisiolam, Magnulficurtem, Verlegium cum Ecclesia, Mahericurtem, Rathbodium, terras in Appiliaco, terras in Bagdinicurte, terras in *Andan*, terras in Diva, vineam in monte, terras in circuitu ecclesiæ quæ ad ipsam pertinent, et in plurimis locis minutas terras; abbatiam sancti Stephani, et molendinos, et Sichericurtem: adauxit vero ipse Bucedrium, Colneium cum ecclesia, Gafrimum, Wasemium sine molendinis, salinas, Novemvillam, sed tamen solum cessura in vita Widonis, et sicut supra diximus: ita duntaxat ut omnia bona, et quæ Dominus in futurum dederit usibus monachorum omni tempore deserviant. Confirmamus etiam per petitionem Lyndulphi illud donum quod dedit Hadulphus, episcopus antecessor ipsius canonicis ipsius ecclesiæ sanctæ Mariæ, et sancti Medardi infra murum; ecclesiam videlicet nomine Arecium, ut teneat absque contradictione illam in perpetuam. Decrevimus etiam per apostolatus nostri decretum manere fixum, et stabile illud donum Lyndulphi quod concessit pro remedio animæ suæ ipsis similiter canonicis extra murum: videlicet Betoniscurtem cum atramentaria, et abbatiam sanctæ Godebertæ virginis, quæ est in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli; eo scilicet tenore, ut quatuor canonici ex ipsis sexaginta, serviant quotidie corpori ejusdem beatæ virginis, in quocunque loco illius civitatis jacuerit, et teloneum ipsius urbis passim cum omni integritate, et quidquid deinceps ipsis canonicis contulerit. Statuimus ergo in sede sanctæ Jerusalem, sub divini judicii obtestatione, et anathematis validissimis interdictionibus, ut nullus unquam regum, nullus dux, aut marchio, aut comes, neque archiepiscopus, vel ullus episcopus, nullusque hominum in quolibet ordine et ministerio constitutus, audeat molestiam ingerere rebus ejus episcopii, sive de prædictis monasteriis vel de omnibus quæ supra posita sunt, quoquo modo auferre aut alienare præsumat; sed semper, ut dictum est, firma stabilitate, hæc omnia permanendo, decrevimus atque promulgamus. Si quis vero præsumptor aut temerarius homo inventus fuerit, sive clericus, aut laicus, qui hæc omnia evellere tentaverit, aut disrumpere voluerit, sciat se Dei omnipotentis odio, et domni nostri apostolorum principis Petri, et omnium sanctorum anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo, et cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, æterni incendii supplicio concremandum; nec unquam præfato anathemate absolvendum, nisi resipuerit, et ad satisfactionem venerit. Fiat: fiat: fiat. Si quis vero custos et observator fuerit hujus nostri apostolici privilegii constitutionis, benedictionis gratiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum.

Scriptum per manus Stephani, scriniarii sancti palatii, in mense Maio, et indictione prima.

IV.

PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. GREGORII.

(Anno 989.)

A Gebehardo II Constantiensi episcopo locum hunc conditum sub apostolica tuitione excipit variisque donat.

(Mansi, *Concil.* tom. XIX, col. 85.)

Joannes episcopus, servus servorum Dei. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris videlicet, et Filii, et Spiritus sancti.

Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus qualiter Gebehardus II amabilis episcopus sanctæ Constantiensis Ecclesiæ, dilectissimus confrater noster, orationis causa Romam veniens, ad limina apostolorum principum Petri et Pauli, et ante nostram præsentiam, retulitque nobis quatenus ipse, Dei nutu compulsus, ecclesiam cœnobitarum construxisset super ripam fluminis quod dicitur Rhenus, ad honorem beati Gregorii confessoris Christi, in quo loco regulam S. Benedicti abbatis et monachorum fratrum luculentissimo ordinaret; ubi devotissime de suis propriis prædiis, quæ a suis parentibus illi evenerunt, et partem de rebus sanctæ suæ ecclesiæ obtulit ad sustentationem et stipendium illorum videlicet monachorum, qui in ipso sancto monasterio sæculo (renuntiantes) Christi laudes persolvere diu noctuque non cessant: de quibus

nostræ humilitatis supplicans clementiam, ut prædictus locus ipse sub tuitione et defensione S. Petri nostraque nostrorumque successorum pontificum in perpetuum maneat. Ita tamen ut nullus rex, aut dux, neque marchio, nec etiam episcopus, qui per tempora in ipso episcopio fuerit, aut ulla persona audeat de omnibus quæ ibidem ab ipso jam dicto Gebegardo episcopo concessa sunt alienare, aut quoquo modo de ipso sancto monasterio extrahere, sed tuta et stabilita atque firma usque in futura tempora concedimus permanenda. Sed et hoc apostolica præceptione, rogante supradicto confratre nostro, interdicimus in nomine Domini nostri Jesu Christi, ne aliquis eidem monasterio præficiatur, nisi quem communi consensu fratres, ibidem Christo sedulo servientes elegerint, electumque episcopus benedictionis titulo confirmare procuret. Et hoc ipsum de advocati electione decerni placuit. Si vero, quod absit, aliquando contigerit ut episcopus ejusdem sanctæ Ecclesiæ hæreticus vel schismaticus existat, fratres supradicti monasterii ex auctoritate sedis apostolicæ habeant potestatem ecclesiasticos ordines requirendi, ubicunque catholicum noverint esse episcopum, ne ille iniquus de hoc aliquam eis injuriam inferre præsumat. Nam si quis aliquis homo, cujuscunque sit ordinis vel potestatis, quod non credimus, in aliquo disrumpere tentaverit ea quæ ab ipso jam dicto confratre nostro in prædicto monasterio concessa sunt, et a jure et ditione ipsius monasterii auferre voluerit, nisi resipiscat, excommunicatus a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi consistat, et anathematizatus a SS. Patribus omnibus et a nobis, nec in exitu vitæ communicet, sed etiam mortuo nomen ejus inter missarum solemnia nullo modo recitetur. Qui vero pio intuitu custos et procurator hujus nostri præcepti exstiterit, benedictionis gratiam vitamque ab ipso Domino Deo et Salvatore Jesu Christo mereatur in sæcula sæculorum Ameu.

Scriptum per manum Joannis notarii, et regionarii, et scriniarii sacri Lateranensis palatii, in mense Aprili et indictione secunda. Datum vero septimo Kalendas Maias per manus Gregorii episcopi sacræ Portuensis Ecclesiæ, et bibliothecarii sedis apostolicæ, anno pontificatus domini nostri Joennis sanctissimi papæ quarto.

V.

EPISTOLA JOANNIS PAPÆ XV AD OMNES FIDELES.

(Anno 989.)

Corbeiensibus monachis jura quædam nova tribuuntur, asseruntur vetera.

Convenit episcopali auctoritate, maximeque summi præsulis, pie solliciteque semper cogitare quatenus ita ecclesiarum sollicitudines habeant, ut sacris locis, in quibus jugi famulantium sedulitate Deus placatur, opportuna conferre suffragia non detrectent. Unde ego servus servorum Dei Joannes sacrosanctæ apostolicæ sedis præsul omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus suggero quod venerabilis abbas Thetmarus, monasterii quod vocatur Nova Corbeia,

A per interventum Hildibrandi Mutinensis episcopi nostram efflagitavit clementiam ut omnia præcepta gloriosissimorum imperatorum, seu regum, sive quorumlibet principum chirographa, nec non etiam quæ a nostris prædecessoribus, Adriano atque Stephano collata vel conscripta sunt, nostra quoque auctoritate confirmaremus et roboraremus, et his quæ ab apostolica sede decreta sunt, nostræ subscriptionis chartulam adjungeremus. Nos itaque, considerantes religiosam ejus petitionem, pastoralisque esse officii servorum Dei jugiter utilitati commodisque prospicere, decrevimus ut duo monasteria, Corbeiense videlicet monachorum, atque Herifordense sanctimonialium, de omnibus rebus, quæ vel in communi principum charta, vel præceptis confirmata
B esse agnoscuntur, nihilominus talem ex apostolica sanctione obtineant firmitatem, ut nihil habeant unde se tueri possint, quicunque sibi promittunt hæc aliquando se posse immutare, vel infringere. Habeant ergo præfata monasteria rerum suarum liberam in omnibus disponendi regulariter potestatem; et ut plenius prosequamur, quod sanctos apostolicos jam dictos intendisse sentimus, atque ante eos B. Gregorium, ac reverendæ memoriæ Nicolaum sanxisse de statibus monasteriorum invenimus, nos humiliter tantis auctoritatibus, subscribendo confirmamus, ut nullus episcopus Patherbrunnensis aliquam ex eis vel accipiat vel exposcat portionem, neque vel in his qui regiminis locum tenent, vel in ipsis congregationibus, ant ipsis cœnobiis potestatem obtineat; neque ipsorum dominatione potiatnr ulla,
C neque in clericis, neque in famulis, aut in omnibus quæcunque ad monasteria ipsa videntur habere possessionis respectum, sicut ab omnibus eis hactenus servatum et concessum est episcopis, in quorum parochiis res eorumdem monasteriorum conjacere videntur. Nam ipsius præfati monasterii abbati suisque successoribus licentiam damus, juxta altare sedendi, populoque infra suum monasterium vel cellas, secundum Deum prædicandi ac docendi, ita ut nullus episcopus per se ad ipsa monasteria, vel cellas eorumdem, vel œconomus ejus, vel archipresbyter, aut archidiaconus illius, seu quælibet ex ejus agentibus persona potestatem habeat accedendi, nisi forte necessitatis causa, vel dilectionis gratia vocatus advenerit; ne importunitate sui, ministrorumque suorum inquie-
D tudine sacris locis fiat molestia. Neque in ecclesiis præfatis monasteriis subjectis, vel in presbyteris eisdem ecclesiis ordinatis aliquam tentet facere perturbationem, novam constituendo, antiquam constitutionem violando; sed sicut regulariter ac canonice disposuerint, ex longo jam tempore manentis ita futuris temporibus maneant inconcusse. Ordinationes, quæ necessariæ fuerint ipsis monasteriis, agere non differat; altaris quoque, et basilicarum benedictiones, sive consecrationes, prout necessitas postulaverit, vel in ipsis monasteriis, vel in agris eorum libenter concedat; chrisma quoque oleumque consecratum per singulos annos præbere non differat, et

pro his omnibus nullum munus exigat, ne Spiritus sancti gratiam vendere conatus, inde, quod absit, damnationem incurrat. Hoc constitutum non solum Patherbrunnensem, verum etiam omnium locorum episcopos, ubicumque præfata monasteria, vel ecclesias, vel agros, vel familias habere noscentur, observare sine cunctatione, seu contradictione oportet, ut nullus potestatis jure rebus eorumdem monasteriorum abutatur, sed maneant omnia in potestate prælatorum eis, et regulari dispositione, quæcunque, ut diximus, vel in agris, vel in familiis, vel in decimis eis constant esse collata. Sicut et apostolica et imperialia præcepta, partim simul, partim singulatim eis confirmavimus. Abbatem vero, et abbatissam in his locis semper eligendi habeant potestatem, ut eam eligant personam quæ propositum conversationis in utrolibet monasterio, et moribus et habitu profiteatur, non canonicum aut laicum, neque alterius monasterii monachum, in quo specialiter nos audire dignetur regia dominatio, ut nullam eisdem monasterio proponat personam, quæ non ab ipsis congregationibus fuerit regulariter electa. Qua de re noverit clementia, vel nunc existentium, vel successionis jure omnium futurorum principum a sede apostolica sancitum, nostraque subscriptione roboratum, nec non antecedentium regum præceptis cautum, ut prædictis monasteriis nullum præficiant personam de quocumque ordine, nisi quæ per electionem probabilem sumatur. Quoniam vero multæ quæruntur ab importunis hominibus malignitatis occasiones, ac necesse semper adversa tela clypeo protectionis repellere, quod apostolica decrevit auctoritas, nos quoque approbamus, ut qui ordinati fuerint ad regimen sæpedictorum monasterioaum, nulla potestate prævalente dejiciantur, nisi criminis causa fuerint deprehensi, cujus merito rectores non debeant administrare officium. Infamiæ vero maculis sive criminis alicujus denotatione si fuerint appetiti, non præter canonicam aut regularem deponantur examinationem. Si quis ergo apostolicæ sedis decretum contempserit, procul dubio damnationis censuram suscipiet, quam credimus divino Spiritu per apostolicam linguam probatam. Nos igitur nostram subscriptionem annuli nostri impresione signantes, obsecramus cœpiscopos nostros omnes, in quorum manus ista devenerint, ut sua etiam anctoritate et subscriptione hæc confirmare velint, ut quique hæc temerare, præsumpserit generalitatis nostræ sententiis ita anathematis vinculo obligetur, ut neminem habeat, cujus favore blandiatur, aut se tueri patet a sententia damnationis. Ab imperatoribus etiam aut regibus sive ducibus, aut a quacuuque potestate, quæ pro tempore tunc ordinata fuerit componere cogantur mille libras auri optimi, medietatem prædictis monasteriis, ac medietatem cameræ eorum principum. Cunctis autem ista servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ quietis inveniant.

Scriptum per manus Stephani primi scrinei Sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Junio et indictione secunda. Datum Kalend. Julii per manus Joannis episcopi sanctæ Ephesiens (5). Ecclesiæ et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ. Anno pontificatus domini Joannis sanctissimi, quinti decimi papæ IV, indictione secunda.

JOANNIS PAPÆ XV PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. NAZARII LAURESHAMENSI.

(Anno 989).

[Mansi, *Conc.* tom. XIX, pag. 419.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo in Domino filio N. religioso abbati venerabilis monasterii ubi S. Nazarii pretiosi martyris corpus requiescit, in hoc qui dicitur N. qui dedicatus est in honore apostolorum Petri et Pauli, et S. Nazarii martyris similiter consecratus, successoribus tuis in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola charitate succurrere, et promptum cum alacri devotione impertire assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium eo conditore omnium reponitur Deo, quando venerabilia loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint sine dubio statum nostra apostolica auctoritate perducta. Et quia excellentiæ vestræ laudabilis mansuetudo postulavit a vobis, quatenus pro amore dilecti filii nostri domini Ottonis III imperatoris, et dilectæ matris suæ Theophaniæ, et dominæ nostræ aviæ suæ, spiritualium filiarum nostrarum, prædictum monasterium confirmaremus, concedimus et confirmamus vobis vestrisque posteris præfatum monasterium cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus illuc pertinentibus, quæ dici vel nominari possunt, a præsenti III indictione ad ipsum sacratissimum monasterium permanendum statuimus, et statuendo confirmamus ita ut cuncta loca urbana vel rustica, id est in fundis et casibus, casis et villis, vinetis et terminis, seu castellis, campis, pratis, piscuis, silvis, saltibus, arboribus, pomiferis, fructiferis et infructiferis diversi generis, puteis, fontibus et rivis, aquis, molendinis, piscationibus, prædia culta et inculta, una cum colonis et familiis suis, cum decimis, et solitis dationibue et universis rebus, quæ aliquo modo ad ipsum locum pertinent vel pertinere debent amodo et usque in finem sæculi, sicuti ab antecessore nostro domino N. sanctissimo papa, per præcepti paginam vobis concessum est, ita et nos onmia in integrum per hoc nostrum privilegium, et auctoritate beati Petri apostoii cum omni securitate et tranquillitate vobis et posteris vestris concedimus et confirmamus donandum perpetualiter. Post obitum vero abbatis nemo ibidem abbatem constituat, nisi quem consensus et communis voluntas fratrum ex ipsa congregatione elegerit. Statuimus etiam

(5) An tunc debantur jam episcopi titulares.

apostolica censura sub divini judicii obtestatione et anathematis interdictu,ut nullus dux,nullus comes, nullus archiepiscopus vel episcopus,vel etiam quælibet hominum magna parvave persona præsumat eidem venerabili monasterio damnum sive molestiam inferre, sive de rebus ipsius auferre vel alienare, sed sicut supra nobis confirmatum est, ita perennibus atque perpetuis temporibus sine aliqua diminutione liceat finetenus permanere. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu exstiterit, qui contra hoc nostrum apostolicum confirmationis privilegium venire, aut in quoquam dirumpere præsumpserit, et sicut superius a nobis, confirmatum est,ita permanere non dimiserit, sciat se, nisi resipiscat, auctoritate Dei omnipotentis et beati Petri apostolorum principis,atque nostra qui ejus fungimur vice,anathematis vinculo esse innodandum et a regno Dei alienum, atque cum Juda traditore D. N. J.C.et cum omnibus impiis in æterno incendio concremandum. Qui vero pio intuitu custos et observator exstiterit hujus nostri apostolici confirmationis privilegii, benedictionis gratiam a justo judice Domino nostro Deo consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manum Stephani scriniarii sacri palatii in mense Octobri, et indictione III. Data XIII Kalendas Novemb.per manum Joannis episcopi Nepæsinæ Ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ sedis apost. Anno pontificatus domini nostri Joannis papæ V, in mense Octobri, et indict. supra scripta, imperante D. N. Ottone III imperatore.

VII.

JOANNIS PAPÆ XV PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO ANIANENSI.

(Anno 989.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil*, IX, 252.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo filio RAYNALDO abbati venerabilis monasterii Anianensis, quod est fundatum atque sacratum in honore sancti Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, ac perpetuæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, sanctique archangeli Michaelis, necnon et gloriosi Petri apostolorum principis, seu aliorum sanctorum,ejusque successoribus salutem et apostolicam benedictionem.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola charitate succurrere, et poscentium votis pium impertire assensum,quia apud conditorem omnium nobis potissimum reponitur præmium,si venerabilia loca religiosorum virorum devotione constructa apostolica fuerint auctoritaie corroborata, atque ad meliorem statum perducta. Igitur quia tua dilectio nostram suppliciter expostulat clementiam,quatenus apostolico privilegio concedamus et corroboremus tibi tuisque successoribus monasterium Anianense secundum tenorem atque astipulationem regalis privilegii, quod eidem loco clementer dignoscitur fuisse indultum a piæ memoriæ Carolo Francorum rege Romanorumque patricio, A a Ludovico etiam illius filio; tuæ fraternitati ex animo faventes, quidquid regalis munificentia in possessionibus, terrarumque redditibus, silvis pascuis, terris cultis et incultis,aquis aquarumve decursibus marinis, stagnis,fluviorumque piscationibus,ecclesiarum cum suis adjacentiis delegationibus, ingenuorum,servorum,seu colonorum propagatione atque incolatu,Anianensi cœnobio contulit; et quod pia fidelium devotio obtulit vel collatura est,omne illud quod in præsenti vel in posterum ad præfatum Anianense monasterium pertinere vel possideri a te tibique commissis dignoscitur,ut absque inquietudine cujuscumque potestatis vel conditionis intacta retinere distribuere, ordinare, aut commutare pro loci utilitate valeas concedimus,et nostra auctoritate B corroboramus.Et quia ineffrenata cupiditas,hæresisque Simoniaca,apud vestrates omnino temperantiæ discretionisque modum ignorat,ut liberius quæ speculativæ sunt congrua exercere valeatis, subrogationem abbatis sana congregationis decisione secundum beati Benedicti normam concedimus,et ut idem subrogandus ab episcopo,quem religiosioris vitæ meritum commendaverit, benedicatur, fratresque sibi commissi ad sacros ordines promoveantur; et sic ipse abbas,si religionis tramitem digne et laudabiliter tenere visus fuerit,licentiam donandi pœnitentiam,undecumque ad se humiliter concurrentibus excommunicandique perversos potestatem habeat,et solvendi satisfacientes auctoritate apostolica indulgemus. Quod si forte,populi iniquitate et malitia exigente, necesse fuerit provinciam excommunicationis vel C anathematis gladio feriri, paterna indulgemus pietate, et apostolica confirmamus auctoritate ut idem locus Anianensis immunis valeat ab omni vinculo excommunicationis, ut fratres inibi degentes pro nostra totiusque sanctæ Romanæ Ecclesiæ salute et prosperitate libenter omnipotenti Deo preces persolvere valeant,pœnitentesque,qui devoto ad diem factam consecrationis prædicti loci confluxerint, ipsa tantummodo de absolutione nostra releventur, ut uberius devotonis suæ vota propitiatoria et.... omnium exsolvant. Quicumque vero laudabili fama vel exemplo prædicti loci Anianensis provocatus, tumulari se in prædicto loco petierit, possessionis seu substantiæ suæ qualemcumque quantitatem jam dicto cœnobio erogandam delegaverit, nullo D pacto vel occasione prohibeatur ab episcopo, cujus diœcesis ipsa persona fuerit,excepto si pro paucis meritis excommunicationi proprii episcopi publice subjacuerit.Et ne parvam quamlibet occasionem prædicti loci congregatio adinveniat minus exsequendique sancta sunt et justa,et sanctæ regulæ congrua, sub divini nominis attestatione prohibemus ne aliqua mundialis potestas,comes videlicet aut comitissa, archiepiscopus aut episcopus, seu quælibet sæcularis persona præsumat eidem præfato monasterio re vel ingenio, aut maligna occasione vim inferre, vel molestus esse, seu quidpiam de rebus vel possessionibus ipsius monasterii auferre,

aut alienare, aut aliquem cujuscunque servitii censum contra fas, vel monastico ordini in aliquo contrarium exigere : sed quicunque eidem prædicto loco et congregationi devoti existerint, et aliquod suffragium verbo, aut opere, aut substantiæ suæ erogatione contulerint, a pio remuneratore omnium Domino supernæ benedictionis et nostræ humanitatis gratiam percipiant. Si quis autem hujus nostri privilegii sanctionem et corroborationem in aliquo refragare vel infregere tentaverit, ab omnipotente Deo, Patre et Filio et Spiritu sancto, perpetua maledictione damnatus, et a sanctæ Ecclesiæ gremio expulsus, cum impiis et homicidis tradatur diabolo perennibus gehennæ incendiis concremandus. Bene valete.

Rescriptum per manum Stephani sacri scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Julio, in mense quinto [*leg. videtur* in mense I, indictione V].

VIII.

JOANNIS PAPÆ XV PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA HAMBURGENSI.

(Anno 989).

[Apud Lappenberg, *Hamb. Urk.* I, 53.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri nostro LIAUIZONI, venerabili archiepiscopo Hamburgensis Ecclesiæ, suis [*leg.* suisque] successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere et poscentium animis alacri devotione impertire assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium Dominum procul dubio promeremur, dum venerabilia loca ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur quia postulastis a nobis, quatenus archiepiscopatum Hammaburgensis Ecclesiæ totum integrum vobis confirmaremus, sicuti a prædecessoribus nostris, videlicet Nicolao et Agapito, hujus apostolicæ sedis episcopis, decretum est, inclinati precibus vestris apostolica auctoritate concedimus et confirmamus, cum omnibus generaliter atque specialiter ad eumdem præfatum vestrum archiepiscopatum pertinentibus, scilicet omnia quæ vestri antecessores suis laboribus adquisierunt, vel etiam amore æternæ patriæ ibi a Christicolarum fidelibus nunc collata vel deinceps sunt conferenda. Cum illis etiam, qui nunc temporis ad Christi conversi sunt fidem, videlicet episcopis in omnibus gentibus Sueonum sive Danorum, necnon etiam in illis partibus Sclavorum, quæ sunt a flumine Pene usque ad fluvium Egidre, ita ut sub vestro vestrorumque successorum, Hammaburgensis Ecclesiæ archiepiscoporum, maneant potestate, vel quidquid vestri laboris certamine, divina favente gratia, ab errore perfidiæ, sive hominum sive locorum, ad religionem Christianam adquirere potestis, vobis vestrisque successoribus perpetualiter tenendum, inviolabiliter tenere censemus. Et insuper decrevimus et sancimus, nullum archiepiscoporum, vel Coloniensem vel alium quemlibet, in vestra diœcesi ullam sibi vindicare decernimus potestatem; quinimo et ipsis et omnibus omnino suadeamus cultoribus veræ religionis, ut adjutorium et solatia vobis in omnibus administrent, quatenus pro gratia hujus beneficii plenam recipere mercedem a Domino mereantur, quoniam omnia quæ proficua Ecclesiæ probantur existere et divinis non impugnent præceptionibus, efficientur et præbenda omnipotentis Dei auctoritate et beatorum apostolorum Petri et Pauli esse non dubitamus. Et hoc nostro decreto decernimus secundum prænominati bonæ memoriæ Nicolai et Agapiti papæ sanctionem ipsas dioceses. Hammaburgensem. . . . Apostolica itaque auctoritate, Halverstadensis Ecclesiæ et Hildoneshemensis et Pathrobrunnensis et Mindensis Ecclesiarum episcopis insuper jubemus atque monemus, ut vos in omnibus adjuvent, quatenus sacerdotale ministerium explere et animarum lucra Domino Jesu Christo facilius adquirere valeatis, vobis adminiculum præbeant in omnibus. Sic tamen, ut eos, quos adquiratis et quos habeatis per gratiam Christi adquisitos, vestro vestrorumque successorum archiepiscopatui subjectos permanere decernimus, a Christo tantum recepturi præmium remunerationis, quemadmodum Christiana ac vera docet religio : *Ite, docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII, 19.) Itaque quamvis ad prædicandum gentibus in supradictis locis episcopi sint consecrati atque plures in illis partibus consecrandi, tamen formidandum est in tam novella Christianitatis plantatione, per barbarorum sævitiam ut intantum numerus ex eis decrescat, quod illorum auxilio nequaquam episcoporum possit fieri consecratio. Ideoque prædicta statuta, si necesse sit, auctoritate apostolica decernimus esse servanda. Decernimus autem, charissime frater Liavizo, ut potestatem habeatis ordinandi episcopos infra vestram parochiam et diœcesim in omnibus supradictis gentibus. Et si quis contra hujus nostræ auctoritatis privilegium ire tentaverit, aut in quoquo modo in parte vel in toto frangere nisus fuerit, sit excommunicatus a corpore et vivifico sanguine Domini nostri Jesu Christi, et a sanctæ Dei Ecclesiæ aditu separatus. Observator autem hujus nostræ admonitionis et jussionis habeat benedictionem omnipotentis Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et nostram, qui eorum fungimur vicariatione. Dato igitur vobis, frater charissime Liavizo, nostræ auctoritatis privilegio, simul concedimus vobis et pallio uti ubique locorum in utraque Albiæ fluminis ripa, statutis diebus, sicut antecessoribus vestris moris erat. Insuper addimus pro voto vestræ dignissimæ petitionis, in nataliis beatorum martyrum Laurentii, Mauritii sociorumque eorumdem, et in singulis festivitatibus vobis commissæ ecclesiæ pallio vos indui. Sancta Trinitas fraternitatem vestram diu conservare dignetur incolumem, atque post hujus sæculi amaritudinem ad perpetuam perducat beatitudinem.

Scriptum per manum Stephani notarii, regionarii

atque scriniarii sacri palatii, in mense Novembrio et indictione III.

Data VI idus Novembris, per manus Gregorii, episcopi sanctæ Portuensis Ecclesiæ, anno pontificatus domini Joannis, sanctissimi papæ V; anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi 988, in mense Novembrio et indictione III.

Pallium vobis mittimus, et insuper concedimus isto vel alio cujuscunque generis nitidi candoris vobis placuerit vos indui. Amen.

IX.

JOANNIS XV PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. PETRI RODENSI.

(Anno 990?)

[Apud Cocquelines, *bullar. privileg. Rom. pont. ampl. Collect.* I, 286.]

JOANNES episcopus servus servorum Dei HILDESINDO religioso episcopo atque abbati venerabilis monasterii sancti Petri apostoli, fundato in comiiatu Petrolatensi, in monte qui dicitur Rodas, subtus castrum Virdaria, et per te in eodem venerabili monasterio, tuisque successoribus abbatibus in perpetuum.

Quoniam concedenda sunt quæ rationabilibus desideriis pertingere noscuntur, nostri apostolatus auctoritas ad roborandam piam fidelium devotionem in præstandis privilegiis debet minime abnegari. Igitur excellentiæ tuæ laudabilis mansuetudo postulavit a nobis quatenus apostolica auctoritate per hoc privilegium concederemus et confirmaremus tibi, tuisque successoribus, in perpetuum supradictum monasterium cum omnibus suis adjacentiis, et pertinentiis, cum finibus terminisque suis. Et ideo tuis piis desideriis faventes, nostra apostolica auctoritate decernimus ipsum præfatum cœnobium sancti Petri apostoli cum omnibus suis, a modo et usque in finem sæculi, sub patrocinio et defensione sanctæ Romanæ et apostolicæ matris Ecclesiæ perpetim permanendum, ut sub tuitione sanctæ nostræ cui Deo auctore deservimus Ecclesiæ constitutum, nullius alterius juri et ditioni submittatur, nisi sub tua tuorumque successorum in perpetuum.

Confirmamus namque tibi, et successoribus tuis prædictum monasterium cum his terminis, et adjacentiis, et cum omnibus quæ inferius continentur, id est, ab ipsa petra quæ dicitur Meda, quæ est infra portum Fraxani, et ipso raso usque locum quem dicunt Tres Fratres, a parte videlicet Orientis usque in medium mare, atque inde vadit ad ipsum locum quem vocant molinum de Balasco, indeque pervenit ad ipsam Tamariz, et inde pergit usque ad ipsam Petram fictam, et pervenit ad ipsam matellam de Gomesindo, atque inde ascendit per ipsam terram usque in ipso *fitorio* de monte Pinnello, et vadit ascendendo usque in summitatem ipsius montis Pinelli, atque descendendo pergit per ipsam viam usque in locum quem vocant Sorborello, et descendendo pervenit in ipsa clusa, et ad ipsum casale de Friulani. Inde vero ascendit per jam dictam viam ad ipsum casalem de Salvatore et ad ipsum collum, et redit de Vinea vitula et pervenit usque in summitatem montis, qui ibidem est, qui vocatur Casralio. Inde vero vadit per ipsam servam usque in collum de Ermenardo, et pervenit ad fontem sive ad collum de Filmera, et inde ad collum sancti Genesii. Sicque ascendendo, et descendendo vadit per summitatem de ipsa Serra quem vocant Calmi, et pervenit subtus ipsum castrum, quem vocant Pinna nigra, usque in ipsas vineas, quæ sunt de Palatio, et vadit subtus ipsam silvam quæ est ad meridiem subtus castrum Viridaria, et usque subtus ipsam rocham quam dicunt Fitorio, et ascendit ad vallem de Fulcimannia, atque pervenit subtus fontes de Devolas in valle de Frujone. Inde vero vadit per ipsas rochas usque in montem de Inserto, et descendit a parte Occidentis per ipsam viam publicam usque in Racham Ventosam, et in ipsum usque locum qui vocatur collum de valle Budica; inde ascendit in summitatem de ipsa cruce; sicque descendit usque in viam de jamdicta cruce per ipsam vallem usque in rivum de Budica. Inde ascendit usque ad collum de Terrario, et pervenit in summitatem montis, quem dicunt Rocha Morena. Deinde a parte circi descendendo, et ascendendo pervenit in summitatem de ipsa Uvardia Maurescha, et pergit per summam Serram usque in Parada de Durando, et pervenit per ipsam Serram usque in Reiderictz de sancto Genesio, et ascendit per summam Serram in ipso pojo, qui est supra ipsum Rovescalium, et descendit per ipsam Serram in jamdictam medam quæ est intus in mare. Item infra hos terminos confirmamus tibi tuisque successoribus ecclesiam sanctæ Crucis cum decimis et primitiis, et sancti Joannis cum decimis et primitiis, et oblationibus atque alodibus, et omnibus rebus ad ipsas ecclesias pertinentibus, et ecclesiam sancti Baudilii in valle Tabellaria, et ecclesiam sancti Stephani, quæ est in valle Subiradellos, et ecclesiam sancti Fructuosi, et ecclesiam sancti Vincentii, quæ est in villa Lanciano cum decimis et primitiis, et cum omnibus rebus ad eamdem ecclesiam pertinentibus, et ecclesiam sancti Genesii, et ecclesiam sancti Petri cum ipso castro Miralias, et ipsum castrum Virdaria cum ipso castellare, et cum ipso Pitorio, et cum Pinna nigra, cum omnibus rochis et terris, et silvis, quæ infra hos terminos sunt, excepta ipsa silva de sancto Romano, sicut resonat in charta, quam fecerunt Gauzfredus comes, et filius suus Suniarius quondam episcopus ad jamdictum cœnobium. Item confirmamus in perpetuum ad ipsum cœnobium stagnum de Castilione cum ipso gradu de mari, et cum ipsis insulis, sicut resonat in præcepto Ludovici regis, sive in charta, quam fecerunt Gauzfredus comes memoratus, et Suniarius quondam episcopus ad monasterium prædictum, et quantum habet ipsum monasterium in villa Castilione, vel infra ejus terminos, et in villa Palacioli quem vocant Fortianum, et in villam Fortianum superiorem, et

et Furtianellum minorem, vel infra eorum terminos, quantum ibidem habet, et Domino propitiante acquisiturus est, et ipsum farum totum ab integro cum finibus et terminis suis; qui affrontat de parte Orientis in termino de villa, quæ dicitur de Saccaro, sive in termino de villa quæ dicitur Furtiano; et de meridie in termino de jam dicta villa Furtiano situm in ipsa valle; et de occiduo in termino de villa quæ dicitur villare Hildesindi, sive in rivo quem dicunt Manivolo situm in alode sancti Pauli, qui est subtus sancti Martini Sambucæ; de parte vero circi in medio rivolo Manivolo, sive in termino de villa, quem dicunt Timim, et in villarem Hildesindi, vel infra ejus terminos, quantum ibidem habet vel habere debet, et Domino annuente acquisiturus est cum ipsis stagnis et piscatoriis, et in villa Saccari, et villæ novæ vel infra earum terminos. Similiter, et villarem Stagnejolum cum ipsis stagnis, et suis villaruneulis, et quantum habet in villa Petralta, et in villa Oleastri, et in villa sancti Clementis, et in villa Dudulim, et in villa Noves, et in villa Spedolia, et in villare quem vocant Solartila, et in villa Judaica, et in villa Pavo, et in villa Palatio, et in valle de Rodas, vel infra eorum terminos. Similiter et in comitatu Impuritano in villa Militiano, quem vocant sanctum Petrum; et in villa Armentaria cum ipsa sortione de ecclesia sancti Martini; et in villa Chaniano, cum ipsa ecclesia sancti Martini, et cum ipso stagno; et in villa Suvrana, et in villa Dalmalia, vel infra eorum terminos, quantum modo ibidem habet, et Domino auxiliante acquisiturus est. Et in comitatu Bisuldinensi quantum habet in villa Lertio, vel in villa Molendinos, vel in Tapiolas quas vocant Figarias, infra eorum terminos, et ipsum alodem, quem vocant hortos, cum ipsa ecclesia sancti Christophori, cum decimis et primitiis suis atque alodibus, et omnibus rebus ad ipsam ecclesiam pertinentibus. Et in comitatu Gerundensi ipsum mansum qui est infra muros ejusdem civitatis, et ipsum alodem Cumpinum de Burello, qui est infra terminos de villa....., alodem de Securunio, et alodem de Burdulis. Et in comitatu Barchinonensi, et in Valensi, et in monte Signio, et in valle Tordaria, et in villa Laurona, et in Agello, et in termino de Olerdula, et in Penedes alodem, quæ fuit de Guidisclo. Et in comitatu Ausona quantum habet in villa Berga, cum ipsa ecclesia sanctæ Ceciliæ, et villam Nidummalum, et juxta castrum Bolciarenno, et ecclesiam sanctæ Ceciliæ cum suo alode. Et in comitatu Paliarensi juxta civitatem Liminiana ecclesiam sancti Andreæ, et omnia quæ habet in eodem comitatu. Et in comitatu Gerdaniæ quantum habet in villa Exi, et in cæteris villis. Et in valle confluenti villam Villellam cum terminis suis. Et in comitatu Funiliotensi ecclesiam sancti Andreæ in valle Pidiliano cum alode qui ibidem est. Et juxta muros civitatis Narbonæ mansos duos. Et in comitatu Rossilionensi ecclesiam sancti Salvatoris cum alode qui ibidem est, vel in villare Emiliani, et in villa Apiani, vel infra eorum terminos, et ecclesiam sanctæ Columbæ cum decimis et primitiis, et villam conjunctam cum suis molendinis, et villam Pollestres cum ecclesia sancti Martini, et decimis, et primitiis et oblationibus, atque alodibus. Et in villa Torrilias ecclesiam sancti Petri cum alode qui ibidem est. Et in villa Bigaranas, ecclesiam sancti Andreæ cum decimis et primitiis, et alodem qui ibidem est. Et in comitatu valle Asperi alodem de Campellis, et de valle Orosa; et villam quæ dicitur Rivo de Hugarios, cum finibus et terminis suis, et cum ipsa ecclesia sancti Michaelis cum decimis et primitiis suis. Decimas, et primitias, et oblationes de jam dictis ecclesiis ad monasterium suprascriptum, et loca et alodia cum omnibus finibus, terminis, limitibus et adjacentiis eorumque pertinentiis, quantum hodie ipsum monasterium infra hos comitatus superius scriptos habet, et auxiliante Deo acquisiturus est, juris sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ, a præsenti tertia indictione ipsum monasterium, villas et alodes, et ecclesias cum omnibus eorum pertinentiis, ut supra legitur, in perpetuum per hujus privilegii seriem stabilimus tibi tuisque successoribus detinendum, et de eo cum timore regendum et dispensandum, ita ut nullus unquam regum, nullus episcoporum, nullusque hominum in quolibet ordine et ministerio constitutus audeat moleste causas ejusdem monasterii incumbere, sed hæc omnia, ut supra jussimus, ita in perpetuum persistant. Statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, et anathematis interdictione, ut nullus unquam nostrorum successorum pontificum præsumat aliquam vim aut invasionem in rebus ipsius monasterii facere. Post vero obitum abbatis, nemo ibidem abbatem constituat nisi quem consensus et communis voluntas fratrum ex ipsa congregatione elegerit secundum Deum et sancti Benedicti regulam: nullumque præmium, sive donum pro consecratione illius aliquis accipere contendat, et si eum episcopus ordinare noluerit, ad cujus diœcesim ipse pertinet locus, vel a nostra Romana matre Ecclesia, vel a quocunque voluerit episcopo per nostram auctoritatem libere ordinetur. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc, quæ a nobis pro stabilitate jam dicti monasterii statuta sunt transgredi, sciat se anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et omnibus impiis æterni incendii atrocissimo supplicio deputatum. At vero qui pio intuitu custos et observator horum exstiterit, omnimodam benedictionis gratiam omniumque suorum peccatorum absolutionem, et cœlestis vitæ beatitudinem cum sanctis et electis, a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manum Stephani notarii et regionarii, et scriniarii nostræ apostolicæ sedis in mense Februario, et indictione 3. Bene valete.

X.

EPISTOLA JOANNIS PAPÆ XV AD OMNES FIDELES.

(Anno 991.)

De pace concilianda inter Ethelredum regem Angliæ et Richardum ducem Nortmanniæ, quem marchionem vocat.

JOANNES quintusdecimus sanctæ Romanæ Ecclesiæ papa omnibus fidelibus salutem.

Noverint omnes sanctæ matris Ecclesiæ fideles, et nostri utriusque ordinis per climata sæculi dilatati, qualiter nobis relatum est a compluribus de inimicitia Ethelredi Saxonum occidentalium regis, nec non et Richardi marchionis. Unde nimium tristis effectus, utpote de filiis nostris spiritualibus, tandem initio salubri consilio, accervisi quemdam apocrisiarium nostrum Leonem, viceepiscopum S. Treverensis Ecclesiæ, et misi eum illic cum litteris nostris exhortatoriis ut resipiscerent ab hac superstitione. Qui transiens vestras intercapedines terrarum, tandem marinos transmeavit fines, et in die nativitatis Domini pervenit ante conspectum regis præfati, moxque ex parte nostra salutato obtulit litteras, quas illi miseramus. Qui, accersitis cunctis sui regni fidelibus utriusque ordinis sapientioribus, ob amorem et timorem Dei omnipotentis, nec non et S. Petri apostolorum principis, et per nostram admonitionem paternam, firmissimam concessit pacem cum omnibus filiis et filiabus suis, præsentibus et futuris, et cum omnibus fidelibus suis sine dolo. Qua de re misit Edelsinum sanctæ Schireburnensis Ecclesiæ præsulem, nec non Leofstanum filium Alfwoldi, et Wulstani filium Ederelnothum, qui transierunt marinos fines, et pervenerunt usque ad Richardum præfatum marchionem. Qui et monita nostra pacifice suscipiens, simulque audiens decretum suprafati regis, libenti animo pacem firmavit eamdem cum filiis suis et filiabus præsentibus et futuris, et cum omnibus fidelibus suis; eo rationis tenore, ut si aliquis eorum, vel ipsi, injuste aliquid contra alium perpetraverint, digna emendatione purgetur. Paxque maneat perpetualiter et inconvulsa, sacramentorum utriusque partis stigmate stipulata. Ex parte scilicet regis Ethelredi, Edelsinus, præsul sanctæ Schireburnensis Ecclesiæ, et Leofstanus Alfwoldi filius, et Ederelnothus Wlstani filius. Ex parte Richardi Rogerius episcopus, Rodulphus Hugonis filius, Truteno filius Thurgis. Actum Rothomagi Kalendis Martii, anno ab incarnatione Domini nongentesimo nonagesimo primo, indictione quarta. Et de hominibus regis, vel de inimicis suis nullum Richardus recipiat, nec rex de suis, sine sigillo eorum.

XI.

PRIVILEGIUM GREGORIO EPISCOPO PORTUENSI CONCESSUM.

(Anno 992.)

(Apud Ughelli, *Italia sacra*, tom. I, pag. 114.)

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo GREGORIO fratri, et coepiscopo S. Portuensis Ecclesiæ, et per te in eodem venerabili episcopio, tuisque successoribus in perpetuum possidendæ.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotioni, in nobis pectoris humiliter acquisitæ, in privilegiis concedendis minime denegetur nostra clementia, et ideo petitionem nos vobis per hanc præsentem nostri privigelii paginam concedimus, atque offerimus, simulque et confirmamus in suprascripto venerabili episcopio pro omnipotentis Dei amore, nostræque animæ redemptione, ac nostrorum omnium venia delictorum, videlicet terram nostri sacri Lateranensis palatii ad fossatum faciendum, sicut incipit per longitudinem a flumine juxta murum Portuensis civitatis ante ejusdem portam, quæ dicitur Major, et exinde pergente usque in lacum Trajanum, et ab ipso Trajano remeante per aliud fossatum usque in supradictum flumen. Itemque licentiam a nostra apostolica majestate vobis concedimus tollendi aquam ex ipso fluvio, et per littus ejus mittendi in eodem fossato quantum vobis vestrisque successoribus placuerit, et opus fuerit omni tempore ad utilitatem jam dicti lacus, qui dicitur Trajani, ad pisces congregandum, et exinde decurrente aqua ipsa per fossatum usque in prædicto flumine; et quidquid in ipso fossato, sive aqua, facere volueritis, licentiam et potestatem vobis concedimus faciendi, posito territorio Portuensi juris S. Romanæ, cui Deo auctore deservimus Ecclesiæ; vestrisque successoribus ad tenendum emissa præceptione concedere et confirmare deberemus inclinati precibus tuis, per hujus præcepti seriem supradictam terram ad fossatum faciendum, et aquam in prædicto fluvio omni tempore per ipsum fossatum decidentem in Trajanum, et exinde ducentem per fossatum, seu aquam pertinentibus, ut superius legitur a præsenti quinta indictione vobis, vestrisque successoribus ad jus et potestatem ipsius S. Matris Portuensis ecclesiæ concedimus, et in perpetuum confirmamus detinendum, ita sane, ut a vobis vestrisque successoribus singulis quibus annis pensione nomine nostræ ecclesiæ denarios numero sex recipiamus, statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione et anathematis interdicto, ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum, aut quibuslibet intervenientibus potestatibus, vel judicibus, aut comitibus, sive castaldis, qui in ipsa civitate Portuense pro tempore dominatum tenuerit, de quocunque fuerint ordine, vel aliæ quælibet magnæ, parvæque personæ prædictum fossatum, sive aquam fluminis exinde currentem, a jure, et ditione supradicti episcopii auferre, vel alienare liceat, sed potius in usu et utilitate jam dicti episcopii supradicta permaneant. Si quis autem, quod non credimus, tam impius et iniqnus temerario ausu in quoquam, vel in parte contra hoc nostrum apostolicum privilegium venire tentaverit, et in omnibus non observaverit, et custodierit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, atque cum Juda traditore Domini nostri

Jesu Christi, et cum omnibus impiis æterno incendio deputatum, et insuper ad pœnam vitæ præsentis legalem compositurum auri purissimi lib. 10 ad episcopum, qui in eodem venerabili episcopio per tempora fuerit. Porro qui custos et observator in omnibus fuerit hujusmodi nostri apostolici privilegii benedictionis gratiam, vitamque æternam, a misericordiosissimo Domino nostro consequi mereatur.

Scriptum per manus Stephani scriniarii sacri palatii in mense Junio, et indict. suprascripta. Bene valete. Dat. VII Kal. Julii per manus Joannis episcopi Nepesinæ Ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno pontificatns domini nostri Joan. sanct. XV papæ VII, et ind. suprascripta v. Decernimus ergo, etc. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc. Amen.

XII.

CONCILIUM ROMANUM PRO CANONIZATIONE S. UDALRICI AUGUSTANI EPISCOPI

Celebratum anno Domini 993.

(Apud Mansi, *Conc.* tom. XIX, pag. 169.)

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis, et abbatibus, in Gallia et Germania commorantibus, salutem in Domino ac apostolicam benedictionem.

Cum conventus esset factus in palatio Lateranensi pridie Kalendas Februarii, residente Joanne sanctissimo papa cum episcopis et presbyteris, astantibus diaconibus et cuncto clero, surgens reverendissimus Luitolphus Augustæ episcopus inquit : Domine sanctissime præsul, si vobis placet et omnibus episcopis et presbyteris hic residentibus, libellus quem præ manibus habeo, coram vobis legatur, de Vita et miraculis venerabilis Udalrici, sanctæ Augustanæ Ecclesiæ dudnm episcopi, et quid libitum vobis fuerit, decernatur. Quia Spiritus sancti testatur præsentia et congregatio sacerdotum, certum esse quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cujus in Evangelio ista est sententia : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi et ego sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Quod cum ita sit, nec huic tam brevi numero Spiritus sanctus deest, quanto magis eum nunc interesse credamus, quando in unum convenit turba sanctorum, sanctum namque est pro debita veneratione collegium.

Cumque perfecta esset Vita prædicti sanctissimi episcopi, ventum est ad miracula quæ sive in corpore, sive extra corpus gesta sunt : videlicet cæcos illuminasse, dæmones ab obsessis corporis effugasse, paralyticos curasse, et quamplurima alia signa gessisse, quæ nequaquam calamo et atramento illustrata sunt.

Quæ omnia lepida satis urbanitate expolita recepimus, et communi consilio decrevimus, memoriam illius, id est sancti Udalrici episcopi, affectu piissimo, devotione fidelissima venerandam : quoniam sic adoramus et colimus reliquias martyrum et confessorum, ut eum cujus martyres et confessores sunt adoremus, honoramus servos, ut honor redundet in Dominum, qui dixit : *Qui vos recipit, me recipit* (*Matth.* X) ; ac proinde nos qui fiduciam nostræ justitiæ non habemus, illorum precibus et meritis apud clementissimum Deum jugiter adjuvemur, quia divina saluberrima præcepta, et sanctorum canonum ac venerabilium Patrum instabant efficacitsr documenta omnium ecclesiarum pro considerationis intuitu, imo apostolici moderaminis annisu, utilitatum commoditatem, atque firmitatis perficere integritatem, quatenus memoria Udalrici jam præfati venerabilis episcopi divino cultui dicata existat, et in laudibus Dei devotissime persolvendis semper valeat proficere. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea quæ hac nostra auctoritate pie ac firmiter per hoc privilegium constituta sunt, contraire tentaverit, vel hæc quæ a nobis in laudem Dei, et pro reverentia jam dicti episcopi statuta sunt refragari, aut in quoquam transgredi, sciat se auctoritate B. Petri principis apostolorum, cujus vel immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum. At vero qui pio intuitu observator exstiterit, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, et æternæ vitæ particeps efficiatur. Scriptum est per manum Stephani notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Februario, indictione VI, anno nongentesimo nonagesimo tertio.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Joannes sanctæ Romanæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ episcopus huic decreto a nobis promulgato consensi et subscripsi.

Joannes episcopus S. Anagninæ Eccl. consensi.

Benedictus episc. S. Pipernensis Eccl. consensi.

Dominicus episc. S. Ferentinæ Ecclesiæ consensi.

Crescentius episcopus sanctæ Silvæ-Candidæ Ecclesiæ consensi.

Anniso episcopus S. Cerensis Ecclesiæ consensi.

Bonizo archipresbyter et cardinalis S. Luciæ consensi.

Benedictus presbyter et cardinalis S. Stephani consensi.

Leo presbyter et cardinalis S. Nerei consensi.

Joannes presbyt. et cardin. S. Damasi consensi.

Leo presbyter et cardinalis S. Sixti consensi.

Joannes presbyter et cardinalis SS. Apostolorum consensi.

Joannes presbyter et cardinalis SS Quatuor Coronatorum consensi.

Joannes presb. et card. S. Clementis consensi.

Crescentius presb. et card. S. Calisti consensi.

Benedictus archidiaconus.

Joannes diaconus et oblationarius.

Benedictus diaconus.

Joannes diaconus.

Hi omnes consenserunt et subscripserunt.

Data tertio Kalendas (nonas) Februarii per manum Joannis episcopi sanctæ Nepesinæ Ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno pon-

tificatus Domini nostri Joannis sanctissimi papæ XV octavo, et indictione sexta.

XIII.

JOANNIS PAPÆ XV PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO BREWNOWIENSI.

(Anno 993.)

(Apud Bocsek, *Codex diplomaticus Moraviæ*, tom. I, pag. 104.)

Joannes episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Anastasio abbati et conventui venerabilis monasterii sanctorum Christi, Benedicti, Bonifacii et Alexii in Brewnow, sito, charitatem et fidem pacemque perpetuam.

Solet sedes apostolica piis desideriis clementer annuere et honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Cum igitur monasterium vestrum in ducatu Bohemiæ primum et novella sit plantatio, sicut venerabili fratre nostro Adalberto, Pragensi episcopo, fundatore ejusdem referente, intelleximus, et dignum existat, ut idem monasterium, quod in temporalibus et in spiritualibus per Dei misericordem providentiam jam ex parte florere dicitur, per sedem apostolicam honoretur; ipsius dilecti fratris nostri Adalberti Pragensis episcopi precibus inclinati vobis, ut tu, filii abbas et alii, qui pro tempore eidem monasterio præfuerint, mitra, chirothecis, sandaliis) mapilla, baltheoque uti possitis auctoritate præsentium indulgemus. Et ut Ecclesia vestra dignior seu major aliis monasteriis habeatur, decernimus ipsam caput esse et magistram in correctione ac reformatione regularis disciplinæ super omnia claustra ordinis sancti Benedicti posthac in Bohemia construenda, primumque locum post Pragensem episcopum tibi Anastasio abbati, tuisque successoribus canonice succedentibus super omnes et in omnibus concedimus habere. Ad hæc monasterium vestrum sub beati Petri et nostra protectione ponentes omnes ecclesias vestras, villas, agros, silvas, casas, servos et ancillas, decimas quoque provinciarum Lutomiricensis, Belinensis, Bechinensis, et omnium hominum ejusdem monasterii a memorato fratre nostro Adalberto, episcopo Pragensi, cujus amore hæc scribimus, monasterio vestro rationabiliter collatas, tam in veteribus cultis, quam in novalibus in posterum excolendis, vobis et his, qui vobis successerint, auctoritate apostolica confirmamus. Præterea volumus et pro divino amore firmiter præcipimus, ut dux, quisquis fuerit, ipsum sanctum monasterium patremque monasterii cum omnibus ad illud pertinentibus et libertates a nobili duce Boleslao, viro catholico, eidem liberaliter indultas, ita custodiat, diligat, manu teneat, ut præsentis vitæ prosperitatem desideret, et in futuro velit a benignissimo Conditore nostro æternæ beatitudinis bravium accipere. Post obitum vero abbatis nemo ibidem abbatem instituat, nisi quem ipsa congregatio communiter et concordi assensu elegerit. Et tunc Pragensi episcopo, si catholicus fuerit, liceat auctoritate nostra ipsum electum charitatis officio consecrare, simoniæ scrupulo quolibet hinc inde penitus excluso. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, seu confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum, atque cum Juda qui suspensus medius crepuit (6), et cum omnibus reprobis æternæ damnationi perpetuo subjacere.

Qui vero custodierint et observare voluerint, quæ præmissa et conscripta in præsenti sunt privilegio, vitam consequi mereantur æternam. Bene valete.

Scriptum per manum Stephani scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Datum Reati per manum Dominici episcopi Sabinensis, II Kal. Junii, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 993, pontificatus nostri, Deo propitio, anno 8, mense 8.

XIV.

EPISTOLA AD GRIMOALDUM ARCHIEPISCOPUM SALERNITANUM.

(Anno 994,)

Illum pallio donat et Pæstani Acherontini, Nolani, Bisinianensis, Maluttanensis, Consentini episcopatuum metropolitam sancit.

(Apud Ughelli, *Italia sacra*, tom. VII, col. 378.)

Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo nobis fratri, meritoque honorabili Grimoaldo, Salernitanæ sedis archiepiscopo.

Quia vestri accepti beneficii memores esse debemus, et reverentiam fraternitatis vestræ erga nos, et S. Romanam et apostolicam Ecclesiam, præcipue exuberasse cognovimus, ideoque merito ac juste recompensationem charitatis vestræ respondere vobis statuimus, quatenus liqueat omnibus Christi fidelibus immenso honore honorandum fore, qui vicarium B. Petri apostolorum principis diligenter honoraverit Consensu ac voluntate nostrorum fratrum concedimus, et confirmamus te Grimoaldum confratrem nostrum in ordine archiepiscopatus, sicuti quondam Amato, cui primitus vestræ sedis archiepiscopatus Salernitanus a nostra sede nostrorum pontificum donatus fuit; ita vos nostra auctoritate quiete valeatis possidere ac vigilantius custodire. Tali namque ordine, ut fati sumus, id fieri decrevimus, et tu, et successores tui in perpetuum habeatis licentiam, et potestatem ordinandi episcopos, et consecrandi in his subjectis vobis locis, hoc est Pestanensi episc. cum parochiis et adjacentiis suis, necnon episc. Acheruntinum, simul etiam et episc. Nolanum, et episc. Bisinianensem, et episcopatum Maluttanensem, atque episcopatum Cusentiæ cum omnibus parochiis et adjacentiis eorum, sicuti in vestro anteriori usu pallii continetur, et ut in ecclesia S. Dei genitricis Mariæ, et B. Matthæi apo-

(6) E transumpto originali Otokari I, regis Bohemiæ, de anno 1224, bullæ in Charta Juncea seu scirpea scriptæ, et nimia vetustate jam consumptæ.

stoli et evangelistæ, cujus sacratissimum corpus possidetis, atque vobis vestrisque successoribus concessum est. Post discessum siquidem tuum successores tui perveniant ad apostolicam sedem, et usura pallii consecrationemque decretaliter suscipiant, et si successores nostri consecrare noluerint, licentia sit vestræ sanctæ ecclesiæ ab episcopis nostris suffraganeis consecrari, et non habeant potestatem successores nostri in cunctis vestris episcopatibus, quos vobis subjecerunt, deinceps in perpetuum aliquem episcopum consecrare, quod jam vobis concessum est. Quicunque autem hanc nostræ concessionem præceptionis violare præsumpserit, perpetuo anathematis vinculo religetur, et hæc nostra concessio stabilis et firma in perpetuum maneat. Scripta per manus Benedicti notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, mense Martii, ind. VII. Bene valete.

Datum octavo Kal. April. per manum Gregorii episcopi S. Portuensis Ecclesiæ, et biblioihecarii S. sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus D. Joannis XV papæ 8, mense Martio, ind. VII.

XV.

JOANNIS PAPÆ XV PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO FULDENSI.

(Anno 995.)

[Dronke, *Cod. diplom. Fuld.*, pag. 339.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, charissimo nobis in Christo filio ATTONI, cœnobii sacri Fuldensis religiosissimo et a nobis consecrato abbati et per vos cunctis abbatibus successoribusque vestris in laude et Dei servitio ibidem permanentibus in perpetuum.

Desiderium quod ad propositum sanctæ religionis sanctorumque locorum stabilitatem pertinere monstratur, sine aliqua contradictione est Deo auctore perficiendum. ut ex hoc vigor religionis sanctæ roboretur, et eisdem sanctis locis salus et indemnitas solidetur, nobis quoque lucrum potissimum a conditore omnium Deo in regnis cœlestibus ascribatur. Igitur quia per interventum domni Ottonis excellentissimi regis nostrique spiritualis filii et futuri Dei gratia imperatoris et sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensoris pissimi votumque piissimæ aviæ suæ Adalheidæ imperatricis Augustæ solvendum Hatto abbas a nobis postulavit, quatenus, jam dictum venerabile monasterium quod olim a sanctæ memoriæ Bonifacio archiepiscopo ad honorem Dei et domni nostri ac Salvatoris in loco qui vocatur Boconia erga ripam fluminis quod dicitur Fulda constructum est, privilegii summæ sedis apostolicæ infulis decoretur; et sicut per sanctissimi papæ Zachariæ constitutionem aliorumque venerabilium prædecessorum nostrorum pontificum præcepta ditioni sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ suppositum est, ita perpetuis temporibus perseveret et nullius unquam alterius Ecclesiæ jurisdictionibus summitatur. Quapropter piis desideriis faventes hac nostra auctoritate id quod exposcitur digno effectui mancipamus, ideoque omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere vel auctoritatem præter sedem apostolicam prohibemus ita ut nisi ab abbate monasterii jam nominati fuerit invitatus neque missarum solemnia aliquis celebrare præsumat omnimodo, ut profecto juxta id quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit inconcusse omni tempore dotatum permaneat, locis et rebus universaliter tam eis quæ a primordiis sibi vindicare debet vel quæ moderno tempore tenet et possidet quam et eis quæ futuris temporibus in jus ipsius sacri monasterii divina providentia augere ex donis et oblationis decimisque quorumlibet Christi fidelium voluerit, absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur: et isdem Fuldensis abbas ante alios abbates Galliæ seu Germaniæ primatum sedendi in omni loco conventuque nostra apostolica auctoritate obtineat: adjicientes pro amore prædicti regis Ottonis spiritualis filii nostri jam dicto Hattoni abbati, ut in missarum solemniis dalmatica et sandaliis cum nostra apostolicæ auctoritatis licentia utatur. Constituimus per hujus nostri decreti paginam ut quicunque cujuslibet Ecclesiæ præsul vel quacunque dignitate prædita persona hunc nostri privilegii tenorem quem auctoritate beatissimorum apostolorum principis cujus vice fruimur confirmamus et corroboramus, violare et transgredi tentaverit, anathema sit et iram omnipotentis Dei incurrens a consortio omnium sanctorum alienus existat et nihilominus præfati monasterii dignitas inviolata permaneat apostolica auctoritate subnixa.

Scriptum per manum Georgii scriniarii et notarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Octobrio, VIII Idus. Bene valete.

Datum II Kal. Novembres per manum Jaannis episcopi sanctæ Albanensis Ecclesiæ et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ mense Octobrio die 31, indictione VIII.

XVI.

JOANNIS XV PAPÆ EPISTOLA AD ARNULFUM COMITEM ET ALIOS.

(Anno 991-96.)

Ut monasterio sancti Richarii quæ abstulerunt restituant.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, ARNULFO comiti, BALDUINO comiti cum matre sua, GOSBERTO vicecomiti, atque ILIARDÆ, dilectissimis filiis nostris spiritualibus, omnimodam salutem, et apostolicam benedictionem.

Monemus vos a pravis operibus recedere, et bonis operibus adhærere, quatenus Dei omnipotentis misericordiam consequi mereamini, et vitam perpetuam acquirere valeatis. Quapropter, charissimi, mandamus vobis ut omnem hæreditatem, quam abstulistis ex monasterio S. Richarii confessoris, pro Dei omnipotentis amore reddere procuretis. Nam si reddideritis, habebitis benedictionem sancti Petri et nostram; si autem monitionibus nostris non obaudieritis, ex auctoritate Dei omnipotentis et nostra,

sciatis vos esse excommunicatos et maledictos, et ab Ecclesia Dei et a communione omnium Christianorum separatos, nisi ad satisfactionem perveneritis.

XVII.

JOANNIS PAPÆ XV EPISTOLA AD EPISCOPOS ALIQUOT.

(Anno 991-96.)

Ut restitui curent quæ sancti Richarii monasterio sunt ablata.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, GUIDONI (Suessionensi) venerabili episcopo, FULCONI Ambianensis civitatis venerabili episcopo, BALDUINO Terganensis civitatis episcopo, dilectissimis filiis nostris spiritualibus, charissimam salutem, et apostolicam benedictionem.

Si sospitatis copiam alacritatisque abundantiam erga vos fore noverimus, haud aliter quam de nobis ipsis lætamur. Cæterum mandamus vobis quatenus pro Dei omnipotentis amore, sanctique Petri veneratione et nostra interveniente, huic nomine Ingilardo succurratis, ut monasterium sancti Richarii confessoris per nostrum et per vestrum auxilium relevetur. Illis quoque militibus qui hæreditatem monasterii abstulerunt, vestras excommunicatorias litteras unicuique mittere non prætermittatis, ut omnia quæ de prædicto monasterio abstulerunt, reddere procurent. In hoc apparebit quod sanctam Romanam Ecclesiam diligitis, cum nostra deprecatio apud vos venerit, si eam adimpleveritis.

ANNO DOMINI DCCCCXCVI

GUIDO II
PODIENSIS EPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA.

(*Gall. Christ.* II, 695.)

Inter Begonem et Widonem catalogi editi collocant Hectorem et Petrum episcopos. At Hectorem præmittere debuimus Gotescalco; Petri vero nullam habemus notitiam. Itaque nunc de Widone dicendum ac primum de illustrissimo ipsius genere. Filius erat Fulconis junioris comitis Andium ex Gerberga, fraterque Goffridi seu Godefredi, Grisagonellæ a vestimento dicti, Andium quoque comitis, ut nos docent Gesta comitum seu consulum Andegavensium: Fulco tres habuit filios, primogenitum Gosfridum, alter Guido episcopus Podii, tertio Drogo.

Guido litteris imbutus jussu parentum, sæcularibus pompis valedixit, monachumque induit (habitum in Cormaricensi diœcesis Turonensis monasterio, ubi, pulso Arnaldo intruso, communi fratrum consensu, annuente rege, in abbatem est electus. Tunc abbas Cormaricensis Villalupensem quoque abbatiam regebat. At cum Guido dissensiones esse inter utriusque monasterii monachos animadvertisset, hortatu et consilio Arduini Turonensis archiepiscopi, Villalupensibus potestatem fecit sibi eligendi abbatem in posterum; elegeruntque Huncbertum. Simul fuit abbas Ferrariensis, et sancti Albini Andegavensis; retinuitque Cormaricensem præfecturam usque ad an. 976, quo creatus est episcopus Aniciensis, inquit Mabillonius.

Aliquot annis ante episcopatum, ob multa prædia distracta ex monasteriis, et data in beneficium, eum pœnituit, litterasque dedit, quibus adjurabat eos qui hoc pacto possidebant suorum monasteriorum terras, eas quantocius restituerent; ipse vero sic a se occupata restituit. Nunc de ejus episcopatu dicamus.

Wido, Lothario rege volente, non sponte promotus ad episcopatum Aniciensem, cum ad eum capessendum accessisset, obviam ei venerunt soror ejus Adelais uxor Willelmi provinciæ comitis, eorumque filiis Pontius et Bertrandus, qui Aquitaniæ nobilissimi consules appellantur. Eorum ope opportune usus est sapiens episcopus tum ad procurandam pacem et tranquillitatem, sanciendo *treugam Dei*, tum ad coercendos bonorum Ecclesiæ raptores, quos oblata restituere coegit. Legere juvat in instrumentis pie et fortiter ab eo gesta descripta in charta veteri quam nostris Sammarthanis communicavit dom. du Bouchet. Fundatio ecclesiæ sancti Petri de monasterio ibi facta legitur an. 993. Pervenisse dicitur usque ad annum 996. Sed eum tardius occubuisse probat charta seu decretum de treuga et pace ab eo promulgatum, quod inter instrumenta ecclesiæ Aniciensis edidimus. Cum enim inter eos episcopos qui cum Widone decretum condiderunt nominetur Fredolo Elenensis, nullaque ejus mentio reperiatur ante annum octavum regni Roberti regis, et anno millesimo certum sit Berengarium (Fredelonis antecessorem) fuisse episcopum Elenensem, liquet eum episcoporum conventum agi non potuisse ante annum millesimum.

Alia ex parte constat Widonem episcopum annum millesimum in episcopatu non attigisse, cum Stephanus ejus successor post Drogonem depositus sit anno 998. Unde conjicimus Widonem, cum animadvertisset Drogonem vel episcopatum renuisse, vel morte præventum obtinere non potuisse, Stephanum vero a Gregorio quinto depositum fuisse, ad episcopalem ecclesiam rediisse, et auctoritate qua pollebat in ea aliquandiu perseverasse.

GUIDONIS STATUTA

Ad pacem inter Christianos conciliandam promulgata.

(*Gall. Christ.* tom. II, Append.)

In nomine Dei summæ et individuæ Trinitatis. Wido, Dei gratia Aniciensis præsul, supernæ pietatis misericordiam exspectantibus, salutem et pacem.

Notum esse volumus omnibus Dei fidelibus, quoniam videntes maleficia quæ in populo quotidie accrescunt, congregamus quosque episcopos, domnum Pe. Vivariensem, Wigonem Valentinensem, Begonem Arvernensem, Raimundum Tolosensem, Deusde Rutenensem, Fredelonem Elnensem, et domnum Fulcrannum Ludevensem, et Widonem Glandensem, et alios quam plures episcopos, et quosque principes et nobiles, quorum numerus non est inventus. Et quia scimus quia sine pace nemo videbit Deum, admonemus propter nomen Domini, et ut sint filii pacis, ut in istis episcopatibus quos isti episcopi regunt, neque in istis comitatibus, de ista hora et in antea ecclesiam homo non infringat, extra ecclesiam quæ in firmamento Castellaniæ, se sciente, nisi episcopi (1) propter eorum censum. Prædam in istis comitatibus, neque in istis episcopatibus homo non faciat; de equis parvis, de hovibus, de vaccis, de asinis vel de asinabus, vel de fascibus quos ipsi portant neque de ovibus, vel de capris, neque de porcis, neque ea occidat nisi per conductum suum vel suorum, in itinere potitus accipiat victum sicut ad suam domum, nihil portet, vel ad castellum bastire, aut obsidere, nisi unusquisque de sua terra, aut de suo alode, vel de suo beneficio, vel de sua commanda; clerici non portent sæcularia arma; monachis injuriam nullus (ullus) homo aliquam non faciat; neque his qui cum eo perrexerint, qui arma non portaverint, nisi episcopi aut archidiaconi propter eorum censum; villanum aut villanam propter redemptionem, nonnisi A per suum sorsfactum (forsfactum); et in eumdem villanum qui alterius terram araverit vel laboraverit, quod est in contentione, nisi unusquisque de terra sua, aut de suo beneficio; terras ecclesiasticas, episcopales, canonicales, monachales, nullus præsumere audeat, neque aliqua mala consuetudine dishonorare nisi de manu episcopi aut fratrum voluntate per precariam acquisierit de ista hora et in antea; negotiatores etiam nullus apprehendere vel de rebus suis spoliare præsumat se sciente. Interdicimus etiam ut nullus laicorum se intromittat de sepulturis ecclesiæ, vel offerendis, et nullus presbyterorum pretium de baptisterio accipiat, quia donum Spiritus sancti est. Si vero aliquis raptor fuerit aut maledicus qui hanc institutionem infregerit et tenere B noluerit, sit ipse excommunicatus, et anathematizatus, et a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ segregatus, (nisi) usque ad satisfactionem veniat. Quod si non fecerit, presbyter ei missam non cantet, divinum ei officium non faciat; et si mortuus fuerit, presbyter eum non sepeliat, neque ad ecclesiam sit sepultus; communionem non det ei se sciente, et si aliquis presbyter hoc infregerit se sciente, ab ordine deponatur. Precamur etiam vel admonemus ut in isto tempore, scilicet mediante Octobrio mense, ad istum Dei placitum cum bono animo et bona voluntate veniatis, in Dei nomine, ut remissionem peccatorum vestrorum consequi valeatis, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat. Confirmat hoc archiepiscopus Dagobertus Bituricensis sedis, et domnus Theobaldus C Viennensis archipræsul.

(1) Videtur deesse aliquid.

GUIDONIS CHARTA

Scripta cum abbas ageret in monasterio S. Pauli Cormaricensis. — Monasteriis ablata restituit.

(Apud Mabill. *Annal.* lib. XLVII, pag. 624.)

Ego in Dei nomine Wido abbas ex monasterio sancti Pauli Cormaricense, seu ex monasterio sancti Salvatoris Villalupæ, sub ejus patrocinio degente; necnon ex monasterio sancti Petri Ferrariensis, atque ex monasterio sancti Albini Andecavensis, notum B fieri cupio omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam præsentibus, quam futuris, qualiter locis in meo regimine consistentibus omni affectione atque conamine consulere velim. Ego siquidem quondam bonis omnibus affluens, prosperitatibus sæculi fulgens,

cuncta postponens, tirocinio Christi me mancipans, monasticum ideo sumens onus : sed sæcularibus præpeditus negotiis, insuper inimici tentationibus instigatus, multimodis susceptum monasticum ordinem non, ut decebat, hactenus custodivi, sed plurimis interlabentibus culpis prævaricavi. Denique loca in meo rgimine consistentia, qui debueram bona pro posse augendo ad meliora provehi, plurima inde subtrahens, quæsivi ad ima relabi. Nunc vero pœnitudine ductus, quod minus peregi, supplere cupio. Hortante quoque Widone episcopo, avunculo meo, nec non domni abbatis Hycmari impulsu, quin potius divino instinctu, terram quam de his locis, proh nefas! sustuli, benigno animo illis reddo : fecique hanc scri- A ptionem, ut si quispiam aliquid illicite tenet, quod ego ei maligno depravatus consilio contuli, jam non audeat retinere. Hoc quoque scriptum fratri meo Gaufrido Andecavorum comiti direxi, qui gratante animo cum manu propria firmavit, fidelium quoque manibus roborandum esse decrevit. Signum domni Widonis abbatis, qui hanc editionem fieri jussit; S. Widonis episcopi, S. domni Hynmari abbatis, S. Nefingi episcopi, Fr. Wido manu propria firmavit, S. Gaufredi comitis, S. Marcoardi, S. Rainaldi, S. Warini, S. Widonis, S. Guatoni, S. Odonis, S. Odolgarii, S. Griferii, S. Burchardi, S. Ernegisi, et aliorum xv.

DE CHARTA GUIDONIS

Qua Treugam Dei confirmavit

(Gall. Christ.)

Fuit vir quidam ex nobili Francorum progenie ortus, Guido nomiue, qui, providentia Dei disponente, traditus a parentibus litterarum studiis, relictis sæcularibus pompis, monachus factus in cœnobio quod vocatur Cormarium, viriliter militavit ibi sub regula sancti Benedicti. Patre vero illius monasterii migrante ex hac luce, fratrum concordante consensu, abbas ibidem eligitur, atque juxta morem canonicum benedicitur. Sublimatus autem ita bonis fulsit moribus, ut etiam fama bonitatis ejus perveniret ad aures regis Franciæ, cujus rex idem innixus consilio, disponebat quod bene placitum erat Deo, ut utile populo. Quo in tempore Aniciensi ecclesia viduata suo antistite, a clero et populo... unanimiter legati mittuntur ad regem, ut daret illis utilissimum pastorem, præfatum scilicet abbatem, cui erat frater germanus nobilissimus comes Gaufridus, cognomento Grisagonella. Unde rex nimium gavisus, convocans, electum virum, multa prece monuit eum, ut, pergens Podium, fieret ibi animarum pastor sibi, et populo fidelissimus procurator. Hæc ille audiens, nec citius consentiens, rege cogente velit nolit, fratribus valedicens, sumptis inde sociis, cum missis Aniciensibus iter aggreditur. Hoc factum audientes Pontius ac Bertrandus ejus nepotes, Aquitaniæ clarissimi consules, cum matre eorum Adelaide sorore ipsius, venerunt ei obviam, se et sua ei dantes; cum quibus Podium ingressus, fit ei magna processio clericorum, fit grandis exsultatio laicorum, quod Deus eis talem patronum dedisset. Pontificali igitur cathedra sublimatus, cogitans assidue de tenenda pace, de rebus Ecclesiæ quas vi abstulerunt raptores hujus terræ jussit ut omnes milites ac rustici de episcopatu suo convenirent in unum, auditurus ab B eis quale sibi de regenda pace darent consilium. Ipse vero apud Brivatensem vicum nepotibus suis mandans congregare exercitum, omnibus de pontificatu suo coadunatis in unum, in prata sancti Germani quæ sunt prope Podium, quæsivit ab eis ut pacem firmarent, res pauperum et ecclesiarum non opprimerent, ablata redderent, ut sic, sicut decet fideles Christianos, ita se haberent; quod illi dedignantes, jussit exercitum suum a Brivate tota nocte venire mane, volens eos constringere ut pacem jurarent, et pro ipsa tenenda obsides darent, rura et castella beatæ Mariæ, et res ecclesiasticas quas rapuerant, dimitterent; quod factum fuit Deo auxiliante. Postquam vero Deus omnipotens cuncta sibi subjiciens, dedit ei tranquillam et serenam C pacem, convocavit majores Ecclesiæ, dicens voluntatem suam esse ut clerici ibidem Deo servientes haberent communiter victum et vestitum sufficienter; hac de re causa bipartita oblatione altaris beatæ Mariæ, dedit unam partem canonicis Deo et ejus genitrici servientibus; alteram vero reservavit suis usibus. Præterea cum Truano decano, optimo viro, magno ingenio, fecit incidi rupem quam vocant Arculeam (*de l'Aiguille*) in cujus cacumine ædificavit ecclesiam in honorem beati Michaelis dedicatam, quam similiter cum magnis appendentiis dedit prædictis canonicis (clericis). His ita compositis divina inspirante clementia, dum domnus Guido sanctæ Vallavensis ecclesiæ superno nutu episcopus, sollicita investigatione mentis arcano secum discuteret qualiter pastorali officio a Deo sibi commisso ad utili- D tem suarum ecclesiarum, seu cœnobiorum, atque animæ suæ profectum, et cæteris quæ præsulati curæ congruere videntur, die noctuque invigilare deberet, semetipsum erga id officii in multis offen-

disse referens, in terra [tamen] judicii Christi examinatione perculsus, Domini benignum cœpit implorare auxilium ne universæ carnis ita viam perficeret, priusquam quidquid deliquerit, pro posse satisfaceret. Unde, Dei gratia succurrente cum studioso secum tacita cogitatione revolvens qualiter facinorum fasciculos, Deo propitio, deponere potuisset, sibi memoria accidit quod ut ecclesiarum decus augeretur, per multas civitates monasteria constructa haberentur; ipsa vero Aniciensis cui præesset, tali religione vidua manebat. Quocirca decus Vallavensis Ecclesiæ augmentare contendens, ut peccaminum molem sibi interius judex remitteret, in Aniciensi urbe [suburbano] cœnobium constituere, Deo largiente, disposuit. Suam igitur dispositionem suæ sorori Adelaidæ comitissæ, suisque filiis, videlicet Pontio et Bertrando, ejus nepotibus, cunctorumque canonicorum collegio manifestans, cunctis hoc laudantibus, in prædicta Aniciensi urbe (prædicto suburbano) pro animæ suæ, omniumque episcoporum qui ante se in eadem urbe pastoralem curam rexerint, et suorum successorum, necnon Stephani cognati, Adelaidæ sororis, eorumque filiorum Pontii et Bertrandi, et omnium Aniciensis Ecclesiæ canonicorum, animarumque redemptione suorumque peccatorum remissione, quamdam ecclesiam sub nomine (sancti Petri) monasterii ædificavit. Postea vero quadam die ipso domno Guidone episcopo jam prædicto in capitulo Aniciensi personaliter existente, domnis canoniciis ad hoc specialiter vocatis, ex quorum numero erant venerabiles viri, domini Guido præpositus Aniciensis, et Valentinæ Ecclesiæ episcopus, Truanus decanus, Petrus sancti Petri abbatis, Vincæciensisque Ecclesiæ præsul, Guitardus etiam Vincæciensis Ecclesiæ archidiaconus, et abbas Robertus qui tunc sanctæ Aniciensis Ecclesiæ erant canonici, cum cæterorum canonicorum collegio in capitulo residentium, per ferulam sui episcopatus indagatricem tradidit prædictæ ecclesiæ seu cœnobio prædicto de sanctæ Mariæ terra, cunctis canonicis consentientibus, in territorio Vincensi (Vivariensi) quamdam villam quæ dicitur Isla (Fascia) cum omnibus juribus et appendiciis suis, quæ ad episcopi partem pertinere videntur, excepta duntaxat capella quæ in ipsa villa est ædificata, atque in honore beati Cypriani episcopi et martyris consecrata, vivente Truano decano. Post cujus obitum similiter dedit ipsam capellam cum dominio (decimo) suo, sive cum universa hæreditate quæ ad ipsum pertinere videtur, quæ est in ipsa villa. Fustellina (Fascia una), de vinea, et in illa de Tbauliaco mansus unus; rursus de proprio (prædio) in Vivariensi territorio in villa nomine Gimellis mansps duos, quos acquisivit de Guidone. Desiderii nepote. In alio autem loco in (villa de Nido Aquilino vineam unam quam 10 solidis emerat de Ebrardo) territorio Vellaico in villa quæ vulgo nominatur Caciacus, totum quod modo ipse domnus Guido episcopus in dominium tenere videtur, videlicet prata, vineas, campos, silvas et appendarias duas. Et in eodem Vellaico, quæ Lanciacus dicitur, mansum unum, quem Roffredus (Boffredus) canonicus in beneficio teneat; in villa quoque sancti Germani unam appendariam ad gallinas nutriendas, et in eodem Vellaico in pago quem vocant Fiver Fines, unam ecclesiam in honore sancti Juliani dedicatam, suo episcopio Aniciensi subjectam, a suis nepotibus Pontio et Bertrando (in emendationem) accepit, et quod jam præfatum Guigonem præpositum, captum violenter, a beatæ Mariæ Aniciensis ecclesia Miniate duxerunt. In ipsa autem civitate cui præesse videtur, unum molendinum, quem 90 sol. Petrus sibi vendidit, et unnm furnum quem ab Hugone Arcadi (Richardi) abbatis nepote ob canonicam pro pretio 60 sol. accepit, et in ipsa civitate de terra illa quam vulgus proprie terram sanctæ Mariæ nominat, quam episcopus ipsius loci in propriis usibus tenere semper solitus est; totam sepulturam, (et in Brolio Dominico ad jumentorum pascua tantum de prato, quantum homo unus in die falce voluerit secare), et in Arvernico quoque territorio clausum unum, quem de Imbepto presbytero 100 sol. comparavit. Insuper pro cunctorum utilitate laborare contendens, et ut sui successores indeficientem (indeficiente) a totius bonitatis largitore mercedem pro temporali stipendio accipiant, ex omnibus quæ in ecclesia cæterarum Vollavensium matre, quæ cunctis sibi subjicientibus pontificali cathedra excellentius eminet, Christo Dei et hominum mediatori pro requie defunctorum, salute vivorum oblatum fuerit, decinam partem jam prædicto cœnobio tribuit; ut ita cœnobitæ sub beati Patris Benedicti regula in eodem monasterio Christo famulantes, decimam partem sub futuris episcopis ex eorum semper medietate accipiant. Super hæc omnia unam integram canonicam ex quadraginta dedit, sic in ipsa societate perenne (sicut ipse in hac societate), Deo concedente, bonum valeant adipisci. Hæc autem omnia quæ supra scripta sunt sic leguntur eo tenore, sicut ipse (sicut legitur pro remedio animarum cunctorum prædictorum, eo tenore ipse) dominus Guido episcopus prædicto cœnobio tradidit, ut, (secundum abbatis qui eidem loco præfuerit jussionem) cœnobitæ ibi degentes Christo Domino pro salute vivorum et requie defunctorum servientes, proprietario jure ita habeant, teneant, firmiterque possideant, ad suorum ipsiusque cœnobii utilitatem dispensent, quatenus meliorando in ipsa semper ecclesia maneant, et nunquam nisi ad ecclesiæ et eorum utilitatem ab ipsa recedant. Canonicorum vero congregatio, ut partem sempiternæ remunerationis a Deo accipiant, pro ejus rogatu promiserunt se talem severitatem (societatem) pro stabilitate hujus prædicti monasterii post mortem ipsius Guidonis episcopi a futuris episcopis ipsius loci petere, et hoc pro consuetudine ac lege teneri laudaverunt, qualem pro sua parte altaris et communia. Sicut enim futuri episcopi ipsius loci omnia quæ canonici ex eadem

Aniciensi ecclesia in sua parte habere videntur, jurejurando conservare promiserunt, ita res hujus monasterii supra dictas, vel quæ Deo propitio ibi donatæ fuerunt, nullo modo a semetipsis episcopis minorari jurejurando promittant. Denique pro certiori securitate et stabilitate, ut certius credatur et firmius teneatur, a se et a suis successoribus hanc chartulam in præsentia canonicorum præfatus domnus Guido episcopus scribere rogavit. Quam manu propria inferius litterarum apicibus roborans, cunctos sanctæ Ecclesiæ diversorum ordinum canonicos, quorum nomina inferius descripta habentur, propriis manibus firmare præcepit; nimis enim inhonestum et indecens, atque omnibus bonis operibus contrarium videtur, ut quod ordinatum est ad ecclesiasticam utilitatem, alter quærat perperam fundere; et quod suo debet studio crescere, perniciose tentet prævertere. Quapropter, etc. Actum est autem hoc in Aniciensi civitate Idus Aprilis, luna XVII, anno Incarnationis 996, indict. VI, epacta XXV, concurrente VI, feliciter.

Hanc chartulam firmaverunt Guido præpositus Valentinensis Ecclesiæ episcopus, Truanus decanus, Petrus abbas [Vivariensis] episcopus canonicus Ademarus abbas canon., Guitardus abbas canon., Robertus abbas canonicus, Theotardus canon., Bofredus canon., Arnaldus, Robertus custos ecclesiæ canon., Adenan. [Eddenus], Wibernus canon., etc.

ANNO DOMINI DCCCCXVII.

S. ADALBERTUS

EPISCOPUS PRAGENSIS ET MARTYR.

VITA SANCTI ADALBERTI

Auctore forte Joanne Canapario cœnobii SS. Bonifacii et Alexii in Urbe, incunte sæculo XI, abbate.

(Apud Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, IV Script., 574.)

MONITUM.

Romæ in latere montis Aventini ad Tiberim fluvium converso cœnobium exstat sanctis Bonifacio et Alexio consecratum, quorum veneratione Græci juxta ac Latini attracti, antiquitus sub utraque sancti Basilii et sancti Benedicti regula vitam monasticam egerunt. Hic Adalbertus, episcopus Pragensis, e patria profugus, sub Leone abbate monachum induit, et complures annos sanctorum virorum familiaritate usus, ex eorum denique numero Vitæ suæ scriptorem sortitus est. Cum enim complures episcopi et martyris Vitæ exstent, ea quæ omnium antiquissima et reliquarum fons præcipuus agnoscitur, intra biennium aut triennium post obitum Adalberti conscripta, auctorem habuit monachum SS. Bonifacii et Alexii, qui nomen quidem suum latere voluit, sed quem Joannem Canaparium, cœnobii mox abbatem futurum, fuisse existimo. Certe monachum SS. Bonifacii et Alexii eo se prodit, quod tum S. Basilium, tum S. Benedictum « Patrem nostrum » vocat; Leonis abbatis (1) et fratrum de Adalberti vita et moribus judicium affert; ipse una cum reliquis fratribus Adalbertum « sæcularis philosophiæ scientissimum esse » noverat (2), et ea quæ nonnisi paucissimis monasterii fratribus innotuerant nobiscum communicat (3). Vir igitur in omnibus, quæ Romæ vel ante ultimum Adalberti iter contigerant, haud levis auctoritatis, scilicet qui ea aut ipse vidit, aut ab Adalberto et fratre ejus Gaudentio (4), qui sancto viro inde ab infantia fidissimus comes adhæserat (5), a S. Nilo (6), et Leone audivit, ultimam Adalberti expeditionem et martyrii historiam a Gaudentio itineris socio, quem præcipua observantia colit, didicisse videtur.

Quæ cum ita sint, nonnulli Gaudentium ipsum, quem Otto III an. 1000 Gnesensi sedi archiepiscopum imposuit, librum conscripsisse existimarunt (7), quibus quominus assentiar, animo auctoris permoveor. Nam majore charitate de Gaudentio loquitur, quam ut ipsum eumdemque fuisse credant, animo minus commoto Adalberti cædem narrat, quam ut fratrem ea scribere opiner; ideoque in eam potius sententiam inclino, ut Joannem Canaparium auctorem libri habeant, cujus visio de obitu Adalberti infra ita narratur: « Ecce in monasterio ubi ille talis (*Adalbertus*) nutritus fuerat, cuidam converso Joanni Canapario, talia Dominus per visum ostendit.

(1) Idem qui anno 995 ad causam Arnulfi et Gerberti dirimendam in Galliam missus est.
(2) Cap. 5. Cf. cap. 12.
(3) Cap. 29.
(4) Cap. 12.
(5) Cap. 16.
(6) Cap. 15.
(7) Præcipue Cl. Voigt in Historia Prussiæ I, p. 653 sqq., quem Cll. Palacky in *Wurdigung der altesten bohmischen Geschichtschreiber*, p. 296, et Gontzen *Geschichtschreiber der Sachsischen Kaiserzeit*, p. 133 secuti sunt.

E summo cœlo..... Unius nomen, extra ipsum qui hæc vidit, admodum paucissimi sciunt; alter vero erat, ut adhuc hodie ipse meminit, domnus Adalbertus, cui angelicus minister jam cœlestis mensæ convivia præparevit. » Hic auctorem exemplo Joannis evangelistæ (8) suæ ipsius referre intelligimus; et modestia ea, quæ monachum decet, vir e nobilitate carnis præpollens et divitiis affluens, qui monachicum habitum ac renuntians quæ sæculi sunt suscepit, Joannes Canaparius (9), « se « quemdam conversum » tantum dicit.

Joannes noster, ut auctore Miraculorum S. Alexii referente discimus, dum in sæculo erat, multos amicos propinquos et fideles sincera charitate devinxerat eumdem locum secum petere eumdemque habitum suscipere, sed nonnisi pauci eorum promissis suis steterunt. Eum non solum Scripturæ sacræ et Patrum, sed etiam classicorum Romanorum, gnarum, plurimæ sententiæ inde decerptæ, quas operi inserendas duxit, arguunt. Leone defuncto abbas electus est (10), et an. 1002, d. 8 Martii, vetustam Eufemiani, patris S. Alexii, donationem auctoritate publica transcribi jussit (11). Obiit d. 12 Octobris a. 1004 (12).

Scripsit Vitam Adalberti superstitibus Nilo (13) († 1005), Ottone III (14) († 1002, d. 24 Januarii) et Leone, ante iter imperatoris in Poloniam ad visendam Adalberti tumbam susceptum (a. 1000), cujus certe mentionem non facit, Gregorio V papa recens defuncto (a. 999, d. Febr. 5), quod eo in vivis degente vix præcipitem ejus animum vituperasset (15); ideoque anno 999 librum absolvisse censendus est. Cujus suscipiendi Ottonem III auctorem tradit scriptor libelli de translatione SS. Abundii et Abundantii (16), et amicitia qua imperator Adalberto junctus erat (17), et animus auctoris in Ottonem III et II benevolus (18), rem ita se habuisse, fidem facere possunt.

Auctor utitur stylo gravi et brevi, adhibitis tamen sentenliis, quæ nonnunquam ad recentioris idiomatis usum (19) accedunt.

A Liber statim ut prodiit, per Italiam et Germaniam inclaruit, paucos post annos a Brunone episcepo in libro ab ipso de Vita Adalberti edito excerptus est, sæculo XI in Monte Casino et in Germania tertiam vicissitudinem subiit, tum Leoni Ostiensi, auctori [illegible], Cosmæ decano Pragensi (20), et aliis per eos auctoribus (21) innotuit.

Editio nostra his nititur subsidiis :

1) C. ducali Guelferbytano, olim Lamspringensi, inter Helmstadienses n. 553, mbr., in 4°, sæculi XI. Textum præbet in universum sincerum, sed locis compluribus manu secunda, ejusdem tamen sæculi arrasum et depravatum, quare primaria lectione ope reliquorum codicum restituta, correctoris raro tantum rationem habui. Congruit cum eo.

2) C. regius Stuttgardiensis, olim Zwifaltanus, n. 167, vol. III, mbr., in folio maximo, sæculi XII medii, cui fol. 187-191 liber noster manu sæculi XIII B illatus est; quo V. Cl. Moseri, supremi rei scholasticæ in regno Wirtembergensi consiliarii et bibliothecarii, beneficio uti mihi licuit. Eodem pertinere videtur.

2b) C. Sanctæ Crucis in Austria mbr. sæc. XII, in folio.

2c) C. Cæsareus Vindobonensis inter codd. Hist. eccl., n. 5 signatus, mbr., in fol. sæculi XIII exeuntis.

2d) C. Zwettlensis in Austria, n. 24, mbr., sæc. XIII, in folio.

3a) C. cœnobii Windbergensis, a Canisio in Lect. Antiq. v, p. II, p. 332 sqq. expressus, haud amplius exstat, quare ejus loco textum Canisianum adhibui, in universum bonum, qui fere nonnisi ubi editor sententiæ haud bene intellectæ additis vocibus aliquibus mederi nisus erat ab anterioribus codicibus recedit. Canisii textum.

3a*) Freherus in SS. Bohemicis pag. 73-84 repe- C tivit et Basnagius in altera Lectionum editione tom. III, p. 45 seqq., adnotationibus nonnullis auxit. — Ad Canisii lectionem.

(8) Evang. XIX, 26, 35.

(9) Miracula S. Alexii.

(10) Abbatem vocat Bruno in Vita Adalberti infra.

(11) Marini, Papiri, p. 126, 127.

(12) Epitaphium ejus Baronius, et Felix Nerini in libro De Templo et cœnobio SS. Bonifacii et Alexii, Romæ 1752, in 4°, pag. 144, ita refert :

Christe Deus, rerum pulcherrime factor et auctor,
Suscipe me indignum, salus et omne bonum,
Obsecro, flagito, servus postulo, quæso, Joannes;
Confiteor culpam, da clemens veniam.
Omne malum merui, cumulumque reatibus auxi,
Tardus ad omne bonum, promptus ad omne malum.
A capite usque pedes maculant membra omnia sordes,
Sed tu, sancte Deus, rex, miserere, pius.
Da in regione domum, sunt ubi castra virorum.
Auricomus ubi regnat aurea sæcula Christus.

Precor vos omnes qui hic post me venturi estis, pro me preces fundatis et propter karitatem, quam violare non licet, nemo suum nec alienum cadaver super me mittat; quod si aliquis hoc præsumpserit, sit maledictus atque in perpetuum anathemate constrictus.

Credo quod Redemptor meus vivit et in carne mea videbo Deum salvatorem meum.

Ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi anni sunt mille 4. Obiit mense Octobris die 12, indictione 3.

(13) Cf. cap. 19.

(14) Cf. cap. 14.

(15) Cap. 21.

(16) Mabill. Acta SS. O. S. B. sæc. V, p. 873, cujus ultima exscribimus : « Per palmam martyrii migravit ad Dominum. Quo audito rex, ardorem tanti martyris non ferens, cum senatu Romano et episcopis et clericis extra montes in Sclavoniam pergit ad educendas Romam reliquias beati maryris Adelberti. Qui manus ejus auferens, auro et gemmis mire exornavit, et ecclesiam nomini ejus inter duos pontes fabricavit, et magnæ dignitati tradidit; necnon ortum ejus, actus et passionem mira arte composuit et in libello scribi fecit. Tum cœpit inquirere corpora sanctorum martyrum, et præcepit, ut, ubicumque inventa fuissent, ad ecclesiam beati Adelberti deportarentur. Et nuntiatum est illi, quod in ecclesia beatorum Abundii et Abundantii martyrum, quæ est juxta montem Soractis, erant plura sanctorum martyrum corpora. Qui misit suos nuntios episcopos et clericos et monachos, ut cum omni honore et diligentia et hymnis Dei ad ecclesiam beati Adel- D berti ea deferrent. Qui protinus abierunt, et cœperunt inquirere, ubi essent tumuli eorum. Et invenerunt in uno tumulo corpora beatorum Abundii et Abundantii posita, et in alio corpus beatæ Theodoræ, quæ in prædio suo eos sepelierat. Invenerunt etiam inter eos sanctos martyres, qui habebant inauratas vestes et mire exornatas, et super altare eorum mensam sculptam et nimis decoratam. Et deportata sunt omnia secundum jussum imperatoris ad ecclesiam beati Adelberti martyris. »

(17) Capp. 22, 23, 25.

(18) Capp. 8, 14, 21, 22, 23.

(19) Ita c. 8 : *foret* loco esset; *postulans erat, exposcens erat* pro postulabat, exposcebat; *vivere suum* pro vitam suam usurpat.

(20) Per cosmam annalistæ Saxoni.

(21) Quorum non pauci vitæ compendium ediderunt.

Aniciensi ecclesia in sua parte habere videntur, jurejurando conservare promiserunt, ita res hujus monasterii supra dictas, vel quæ Deo propitio ibi donatæ fuerunt, nullo modo a semetipsis episcopis minorari jurejurando promittant. Denique pro certiori securitate et stabilitate, ut certius credatur et firmius teneatur, a se et a suis successoribus hanc chartulam in præsentia canonicorum præfatus domnus Guido episcopus scribere rogavit. Quam manu propria inferius litterarum apicibus roborans, cunctos sanctæ Ecclesiæ diversorum ordinum canonicos, quorum nomina inferius descripta habentur, propriis manibus firmare præcepit; nimis enim inhonestum et indecens, atque omnibus bonis operibus contrarium A videtur, ut quod ordinatum est ad ecclesiasticam utilitatem, alter quærat perperam fundere; et quod suo debet studio crescere, perniciose tentet prævertere. Quapropter, etc. Actum est autem hoc in Aniciensi civitate Idus Aprilis, luna XVII, anno Incarnationis 996, indict. VI, epacta XXV, concurrente VI, feliciter.

Hanc chartulam firmaverunt Guido præpositus Valentinensis Ecclesiæ episcopus, Truanus decanus, Petrus abbas [Vivariensis] episcopus canonicus Ademarus abbas canon., Guitardus abbas canon., Robertus abbas canonicus, Theotardus canon., Bofredus canon., Arnaldus, Robertus custos ecclesiæ canon., Adenan. [Eddenus], Wibernus canon., etc.

ANNO DOMINI DCCCCXVII.

S. ADALBERTUS

EPISCOPUS PRAGENSIS ET MARTYR.

VITA SANCTI ADALBERTI

Auctore forte Joanne Canapario cœnobii SS. Bonifacii et Alexii in Urbe, incunte sæculo XI, abbate.

(Apud Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, IV Script., 574.)

MONITUM.

Romæ in latere montis Aventini ad Tiberim fluvium converso cœnobium exstat sanctis Bonifacio et Alexio consecratum, quorum veneratione Græci juxta ac Latini attracti, antiquitus sub utraque sancti Basilii et sancti Benedicti regula vitam monasticam egerunt. Hic Adalbertus, episcopus Pragensis, e patria profugus, sub Leone abbate monachum induit, et complures annos sanctorum virorum familiaritate usus, ex eorum denique numero Vitæ suæ scriptorem sortitus est. Cum enim complures episcopi et martyris Vitæ exstent, ea quæ omnium antiquissima et reliquarum fons præcipuus agnoscitur, intra biennium aut triennium post obitum Adalberti conscripta, auctorem habuit monachum SS. Bonifacii et Alexii, qui nomen quidem suum latere voluit, sed quem Joannem Canaparium, cœnobii mox abbatem futurum, fuisse existimo. Certe monachum SS. Bonifacii et Alexii eo se prodit, quod tum S. Basilium, tum S. Benedictum « Patrem nostrum » vocat; Leonis abbatis (1) et fratrum de Adalberti vita et moribus judicium affert; ipse una cum reliquis fratribus Adalbertum « sæcularis philosophiæ scientissimum esse » noverat (2), et ea quæ nonnisi B paucissimis monasterii fratribus innotuerant nobiscum communicat (3). Vir igitur in omnibus, quæ Romæ vel ante ultimum Adalberti iter contigerant, haud levis auctoritatis, scilicet qui ea aut ipse vidit, aut ab Adalberto et fratre ejus Gaudentio (4), qui sancto viro inde ab infantia fidissimus comes adhæserat (5), a S. Nilo (6), et Leone audivit, ultimam Adalberti expeditionem et martyrii historiam a Gaudentio itineris socio, quem præcipua observantia colit, didicisse videtur.

Quæ cum ita sint, nonnulli Gaudentium ipsum, quem Otto III an. 1000 Gnesensi sedi archiepiscopum imposuit, librum conscripsisse existimarunt (7), quibus quominus assentiar, animo auctoris permoveor. Nam majore charitate de Gaudentio loquitur, quam ut ipsum eumdemque fuisse credant, animo minus commoto Adalberti cædem narrat, quam ut fratrem ea scribere opiner; ideoque in eam potius sententiam inclino, ut Joannem Canaparium auctorem C libri habeant, cujus visio de obitu Adalberti infra ita narratur: « Ecce in monasterio ubi ille talis (*Adalbertus*) nutritus fuerat, cuidam converso Joanni Canapario, talia Dominus per visum ostendit.

(1) Idem qui anno 995 ad causam Arnulfi et Gerberti dirimendam in Galliam missus est.
(2) Cap. 5. Cf. cap. 12.
(3) Cap. 29.
(4) Cap. 12.
(5) Cap. 16.
(6) Cap. 15.
(7) Præcipue Cl. Voigt in Historia Prussiæ I, p. 653 sqq., quem CH. Palacky in *Wurdigung der altesten bohmischen Geschichtschreiber*, p. 296, et Gontzen *Geschichtschreiber der Sachsischen Kaiserzeit*, p. 133 secuti sunt.

E summo cœlo..... Unius nomen, extra ipsum qui hæc vidit, admodum paucissimi sciunt; alter vero erat, ut adhuc hodie ipse meminit, dominus Adalbertus, cui angelicus minister jam cœlestis mensæ convivia præparavit.» Hic auctorem exemplo Joannis evangelistæ (8) se ipsum referre intelligimus; et modestia ea, quæ monachum decet, vir e nobilitate carnis præpollens et divitiis affluens, qui monachicum habitum ac renuntians quæ sæculi sunt suscepit, Joannes Canaparius (9), «se» «quemdam conversum» tantum dicit.

Joannes noster, ut auctore Miraculorum S. Alexii referente discimus, dum in sæculo erat, multos amicos propinquos et fideles sincera charitate devinxerat eumdem locum secum petere eumdemque habitum suscipere, sed nonnisi pauci eorum promissis suis steterunt. Eum non solum Scripturæ sacræ et Patrum, sed etiam classicorum Romanorum, gnarum, plurimæ sententiæ inde decerptæ, quas operi inserendas duxit, arguunt. Leone defuncto abbas electus est (10), et an. 1002, d. 8 Martii, vetustam Eufemiani, patris S. Alexii, donationem auctoritate publica transcribi jussit (11). Obiit d. 12 Octobris a. 1004 (12).

Scripsit Vitam Adalberti superstitibus Nilo (13) († 1005), Ottone III (14) († 1002, d. 24 Januarii) et Leone, ante iter imperatoris in Poloniam ad visendam Adalberti tumbam susceptum (a. 1000), cujus certe mentionem non facit, Gregorio V papa recens defuncto (a. 999, d. Febr. 5), quod eo in vivis degente vix præcipitem ejus animum vituperasset (15); ideoque anno 999 librum absolvisse censendus est. Cujus suscipiendi Ottonem III auctorem tradit scriptor libelli de translatione SS. Abundii et Abundantii (16), et amicitia qua imperator Adalberto junctus erat (17), et animus auctoris in Ottonem III et II benevolus (18), rem ita se habuisse, fidem facere possunt.

Auctor utitur stylo gravi et brevi, adhibitis tamen sententiis, quæ nonnunquam ad recentioris idiomatis usum (19) accedunt.

Liber statim ut prodiit, per Italiam et Germaniam inclaruit, paucos post annos a Brunone episcopo in libello ab ipso de Vita Adalberti edito excerptus est, sæculo XI in Monte Casino et in Germania tertiam vicissitudinem subiit, tum Leoni Ostiensi, auctori translationis S. Clementis et Menedecensi, Cosmæ decano Pragensi (20), et aliis per eos auctoribus (21) innotuit.

Editio nostra his nititur subsidiis :

1) C. ducali Guelferbytano, olim Lamspringensi, inter Helmstadienses n. 553, mbr., in 4°, sæculi XI. Textum præbet in universum sincerum, sed locis compluribus manu secunda, ejusdem tamen sæculi arrasum et depravatum, quare primaria lectione ope reliquorum codicum restituta, correctoris raro tantum rationem habui. Congruit cum eo.

2) C. regius Stuttgardiensis, olim Zwifaltanus, n. 167, vol. III, mbr., in folio maximo, sæculi XII medii, cui fol. 187-191 liber noster manu sæculi XIII illatus est; quo V. Cl. Moseri, supremi rei scholasticæ in regno Wirtembergensi consiliarii et bibliothecarii, beneficio uti mihi licuit. Eodem pertinere videtur.

2b) C. Sanctæ Crucis in Austria mbr. sæc. XII, in folio.

2c) C. Cæsareus Vindobonensis inter codd. Hist. eccl., n. 5 signatus, mbr., in fol. sæculi XIII exeuntis.

2d) C. Zwettlensis in Austria, n. 24, mbr., sæc. XIII, in folio.

3a) C. cœnobii Windbergensis, a Canisio in Lect. Antiq. v, p. II, p. 332 sqq. expressus, haud amplius exstat, quare ejus loco textum Canisianum adhibui, in universum bonum, qui fere nonnisi ubi editor sententiæ haud bene intellectæ additis vocibus aliquibus mederi nisus erat ab anterioribus codicibus recedit. Canisii textum.

3a*) Freherus in SS. Bohemicis pag. 73-84 repetivit et Basnagius in altera Lectionum editione tom. III, p. 45 seqq., adnotationibus nonnullis auxit. — Ad Canisii lectionem.

(8) Evang. XIX, 26, 35.

(9) Miracula S. Alexii.

(10) Abbatem vocat Bruno in Vita Adalberti infra.

(11) Marini, Papiri, p. 126, 127.

(12) Epitaphium ejus Baronius, et Felix Nerini in libro De Templo et cœnobio SS. Bonifacii et Alexii, Romæ 1752, in 4°, pag. 144, ita refert :

Christe Deus, rerum pulcherrime factor et auctor,
  Suscipe me indignum, salus et omne bonum,
Obsecro, flagito, servus postulo, quæso, Joannes;
  Confiteor culpam, da clemens veniam.
Omne malum merui, cumulumque reatibus auxi,
  Tardus ad omne bonum, promptus ad omne malum.
A capite usque pedes maculant membra omnia sordes,
  Sed tu, sancte Deus, rex, miserere, pius.
Da in regione domum, sunt ubi castra virorum.
  Auricomus ubi regnat aurea sæcula Christus.

Precor vos omnes qui hic post me venturi estis, pro me preces fundatis et propter karitatem, quam violare non licet, nemo suum nec alienum cadaver super me mittat; quod si aliquis hoc præsumpserit, sit maledictus atque in perpetuum anathemate constrictus.

Credo quod Redemptor meus vivit et in carne mea videbo Deum salvatorem meum.

Ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi anni sunt mille 4. *Obiit mense Octobris die* 12, *indictione* 3.

(13) Cf. cap. 19.

(14) Cf. cap. 14.

(15) Cap. 21.

(16) Mabill. Acta SS. O. S. B. sæc. V, p. 873, cujus ultima exscribimus : « Per palmam martyrii migravit ad Dominum. Quo audito rex, ardorem tanti martyris non ferens, cum senatu Romano et episcopis et clericis extra montes in Sclavoniam pergit ad educendas Romam reliquias beati maryris Adelberti. Qui manus ejus auferens, auro et gemmis mire exornavit, et ecclesiam nomini ejus inter duos pontes fabricavit, et magnæ dignitati tradidit; necnon ortum ejus, actus et passionem mira arte composuit et in libello scribi fecit. Tum cœpit inquirere corpora sanctorum martyrum, et præcepit, ut, ubicumque inventa fuissent, ad ecclesiam beati Adelberti deportarentur. Et nuntiatum est illi, quod in ecclesia beatorum Abundii et Abundantii martyrum, quæ est juxta montem Soractis, erant plura sanctorum martyrum corpora. Qui misit suos nuntios episcopos et clericos et monachos, ut cum omni honore et diligentia et hymnis Dei ad ecclesiam beati Adelberti ea deferrent. Qui protinus abierunt, et cœperunt inquirere, ubi essent tumuli eorum. Et invenerunt in uno tumulo corpora beatorum Abundii et Abundantii posita, et in alio corpus beatæ Theodoræ, quæ in prædio suo eos sepelierat. Invenerunt etiam inter eos sanctos martyres, qui habebant inauratas vestes et mire exornatas, et super altare eorum mensam sculptam et nimis decoratam. Et deportata sunt omnia secundum jussum imperatoris ad ecclesiam beati Adelberti martyris. »

(17) Capp. 22, 23, 25.

(18) Capp. 8, 14, 21, 22, 23.

(19) Ita c. 8 : *foret* loco esset; *postulans erat, exposcens erat* pro postulabat, exposcebat; *vivere suum* pro vitam suam usurpat.

(20) Per cosmam annalistæ Saxoni.

(21) Quorum non pauci vitæ compendium ediderunt.

sime [48] credidit. Inde erigens se [49] de invisa virgine, dedit se bene simplex puer in amarissimas lamentationes, atque continuo imbre oculos humectans: *Heu me! nupseram* [50], inquid, et criminis machinatorem digito monstrans : *Hic me nubere fecit!* Hæc et his similia Deo plenus infantulus jam tunc agendo, multorum oculos in se defixit [51], mirantium ejus acta ac dicentium : *Benedicens benedixit hunc puerum Deus, qui infra limina puericiæ adhuc positus, ad optima quæque sic arduus surgit. O ter quaterque beatus, si hæc humanitatis studia tota devotione adimpleverit, et arrepti operis cursum congruo exitu terminaverit!* Quibus vero cognitus erat pater et ejus mirifica mater : *Non est mirum*, aiunt, *si tantus est de tantis parentibus ortus. Patris justitia floret in eo, et maternæ pietatis imago in purpureo pectore vernat.* Quot annis studuit, incertum est ; sed quia sæcularis philosophiæ [52] sat scientissimus erat, novimus omnes. Quem Dominus, credo, ad hoc humanæ philosophiæ [53] studere voluit, ut post divinæ sapientiæ montes faciliore gressu scandere posset; aut pocius sæculi amara parvulus potare debuit, ut post vir factus Dei dulcia avidiore animo hauriret.

6. Post hæc magister scolarum [54] imperatoris servitio ascriptus, accessit in regiam curtem (*an.* 981). At archimandrita [54] Adalbertus [55] debitum naturæ persolvens, ex hoc pelago ad littora sempiternæ beatitudinis transvolarat. Alumnus autem ille patriam carosque propinquos revisens, sub sacræ civitatis Pragæ episcopo [56] arma christianæ miliciæ militaturus assumpsit. Nec multo post cepit languor pessimus eundem episcopum, et detestabili fine clausura vitam venit ei ultima dies (*an.* 982). Nam in extremo anhelitu, cum tamen adhuc magna pars animæ superstes foret, astantibus, quorum ille adolescens [57] unus erat, hanc fabellam [58] ægra [59] voce retulit : *Ei* [60] *mihi! qualis eram et quantum diversus* [61] *ab illo* (VIRGIL., *Æn.* II, 274), *qualem me nunc esse vellem! Ei me miserum! perdidi dies meos; jam pænitentiæ fructus nusquam* [62]*! Periit* [63]*! Ubi nunc honor meus et inanes diviciæ? O caro putribilis et esca vermium, ubi nunc gloria et pulchritudo vanitatis tuæ? Decepisti me, decepisti, fallax sæculum, promittens mihi annosam ætatem, et ecce! insperatæ mortis gladio ut male interemisti animam meam! Sed meum scelus utcumque veniabile tamen* [64] *erga pium Dominum foret, nisi quod* [65] *commendatæ plebis scelera ad cumulum miseriarum accedunt* [66]. *Voluptates enim et desideria eis pro lege erant; nec prohibui furentem, nec prohibere potui sponte* [67] *pereuntem populum, qui adhuc hodie nil sciunt vel faciunt, extra quod digitus* [63] *satanæ in eorum cordibus scripsit. Ve mihi, quia silui! Hoc est, quod dolet, et dolebit in ævum. Nam ecce! diræ mortis victima in infernum recta via proficiscar, ubi vermes mei non morientur, et ignis meus ardebit in æternum et ultra!* Sic ait et citius dicto [69] (VIRGIL. *Æn.* I, 142) obdormivit; factusque est planctus magnus super eum. Timuerunt autem [70] timore magno, sed præ omnibus adolescens [71]. Adalbertus, qui his diebus deliciosus miles erat. Nocte eadem [72] sacco indutus cilicino et caput cano cinere respergens, singulas circuit ecclesias; pauperibus quoque quæ habuit large dispergens, se et causam suam precibus Domino commendavit. Ipsi autem episcopatus honorem jam tunc aliquis tacitis repromissionibus, nonnulli publico sermone promiserunt.

7. Post mortem vero episcopi non longe ab urbe Praga factus est conventus desolatæ plebis una cum principe illius terræ; et fit diligens inquisitio, quem pro illo ponerent. Responderunt autem omnes uno ore : *Et quis alius, nisi indigena noster Adalbertus, cujus actus, nobilitas, diviciæ ac vita cum honore concordant? Hic quo ipse gradiatur optime novit; hic etiam ducatum animarum prudenter amministrat.* Eodem die dominico, quando hæc electio facta est, quidam validissimo demone raptus fertur in ecclesia [73] ubi sedes episcopalis est; et cœpit palam confiteri mala [74] sua, quorum sibi conscius erat. Tunc convenerunt ministri dominicalis mensæ, orantes pro eo et sacris verbis inimicum persequentes. Exclamavit autem per os illius impurissimus dæmon dicens : *Quid mihi ac vobis? Venistis detrudere me de hoc habitaculo meo! Quid prodest jactare vos inania verba? Ego illum, qui sessurus est in ista sede, valde timeo; ubicumque eum video vel audio, non ausus sum stare.* Et continuo spumans demon murmura et horrisona verba ingeminat; et diris dentibus diu infrendens, ad ultimum exivit homine sano. Die postero ante ortum solis venit nuncius dicens, quia heri domnus Adalbertus consensu [75] publico electus est in episcopum. Concurrunt populus cum clero glorificantes et gratias agentes Domino, quia volens nolensque nequam spiritus confessus est electionem illius.

8. (*An.* 983.) Rediens interea de Sarracino [76] bello, adiit Veronam [77] imperatorius apex, scilicet Otto secundus, cui fuit manus in prælio fortis, in parvo corpore maxima virtus; augustus melior bono patre, et ut fama meminit, per omnia cesar christianissimus. Idem tunc victor et victus pro recolligendo [78]

VARIÆ LECTIONES

[48] *deest* 2. [49] *deest* 1. [50] miserum 3c. [51] d. m. e. a. d. B. b. h. *desunt* 4a. [52] philosophiæ — humanæ *desunt* 2. [53] s. Astericus imperatoris Othonis secundi servitio 4b. [54] archimandrita proprie princeps cocorum, h c autem significat archiepiscopum 1. *in margine.* [55] Magdeburgensis Adelbertus 4b. [56] c. primo nomine Tetharato a. 3c. [57] a. donnus Adalbertus u. 4b. [58] locutionem 4a hunc sermonem 4b. [59] mesta 2. [60] Ei—vellem *desunt* 4a. [61] *ita* 2. 3c. 4b *deest* 1. mutatus 3a dissimilis 5. [63] nullus est 2. [63] Peribit 1. [64] *deest* 2. 5. [64] *deest* 1. [66] accedent 2. accederunt 3c. accedissent 5. [67] *deest* 1. [68] dictatus 4a [69] *deest* 1. 8a. [70] a. omnes 3c. 4a, b. [71] a. donnus A. 4b. [72] e. prædictus donnus Adalbertus 4b *ita sæpius.* [73] ecclesiam 3a, c. 4b 5. [74] peccata 2. [75] concessu *corr.* consensu 1. [76] sarraceno, 2c. 3a c. saracenico 4a, b. [77] *glossa* : id est bunna 1. [78] recoligendo 1.

milite huc venerat, volens ultimum videre imperatorem, sed nesciens, quia mors eum proxima pulsat. Ad hunc ergo Sclavonica [79] manus perrexit, ferens legationem de parte [80] ducis, et obtulit electum episcopum, rogans ejus manu popularem confirmari electionem. Non invitus imperator eorum dignæ peticioni adquiescens, dat ei pastoralem virgam; et, cujus suffraganeus erat, Mogontino archipræsuli in episcopum direxit consecrandum. Consecratus ille (*Jun*. 29) festo amicorum domini nostri Jesu Christi, Petri et Pauli, multo comitatu equitat in dulcem patriam. Equus autem cujus tergo insederat, non more frementium equorum nec properis [81] cursibus gradiebatur, neque auro et argento portat fulgentia frena; sed in rusticum morem torta canape [82] ora strictus, incessit ad arbitrium sedentis. Ventum est ad sanctam civitatem Pragam, ubi, dux præcluus [83] Wenceslaus [84] quondam regnum tenuit, ac in Dei servitio vivere suum egregie perduxit; postea vero sub impii fratris ferro nobile martyrium consummans [85], manifestis inditiis ac ingentibus usque hodie miraculis sua merita probat. Ibi tum [86] novus ille pontifex vincla pedum solvens, nudo pede intrat urbem; hinc humili et contrito corde orationis jura persolvens, magno gaudio civium episcopalem cathedram obsedit.

9. Erat autem cunctis eiebus pontificatus episcopii sui piæ ac fideliter serviens Domino, sed [87] multo tempore [88] ac [89] inproficuo [90] labore christianitatis normam exercens in populo. Res ecclesiasticas sub æqua divisione distribuit in quatuor partes; primam partem pro necessariis vel ornatibus ecclesiæ; secundam canonicorum [91], commoditatibus [92] asscripsit; terciam vero in agmina pauperum proflua miseratione expendens, ultimæ partis summulam pro suis usibus servat. Preterea [93] omni die festo plurimos [94] pauperes elimosinarios [95] ad misericordiæ opera vocat, quæ eis necesssaria erant affluente copia ministrans. Item cotidianis diebus ter quaternos (33) habere solitus erat, quos in apostolici nominis honorem dape et potu saciat [96] Raro autem extra festum aliquod [97] vidit eum meridianus sol manducantem, et numquam media nox somno indulgentem. Stat lectus paleis [98] plumis et ostro rigidus [99], die oculos hominum pascens; nocte vero aut habuit fratrem Gaudentium aut ceterum natum [100], extra quos suo cubili amicissima familiaritate junctos, et se tercium, nemo quidem conscius fuit. Ipsi vero nuda humus, vel lene [101] cilitium, et lapis pro capitis sustentaculo, somnum dabant. Numquam saturo ventre ivit [102] dormitum, et nondum expleto sopore, surgit ad solitæ orationis convivia. Corpus vero et corporis incentiva acerrimis attriverat jejuniis, nec [103] ulli [104] umquam voluptati animum dare volebat. Parva quies oculis et nulla venia est defectis pedibus.

10. Lustraverat enim carcerem [105] et [106] carcere positos, quorum longa series et infinitum agmen erat. Nulli plus nota propria domus, quam sibi erat, quis, quo nomine et in qua parte cuberet infirmus, aut quot capita rediviva salus vitæ, quot fatalis hora mitteret læto. Quorum omnium post pia obsequia [107], si seminis tempus erat, ad campum decurrit, et sacione peracta unde viveret [108], propriis manibus se laborasse gaudebat. Hinc viator intrepidus aderat sacris ædibus; sæpius Domino precator importunus cælestes fores pulsat: nunc longis genuflexibus [109], orationem protrahit, nunc ægra [110] suspiria cordis multo flumine rigat [111]. De [112] completorio usque ad primam non exiit sermo [113] de ore ejus, et ad [114] instar monachicæ professionis nocturna silentia servat. Post primam pastoralibus causis studia sua impendit [115], audiens diligenter, quid cum prædato paupere peregrinus et vidua ejularent [116]. Quando autem exteriore cura vacabat, usque ad missæ celebrationem Davidicis utitur colloquiis. Homini non locutus est verbum, quamdiu dominicæ [117] mensæ [118] infulatus astitit et supra sancta sanctorum immolat angelicum panem. Post aut opera manuum laborat, aut cum caris capellanis sacræ lectionis cibaria degustat [119]. His ociis longum diem, talibus negotiis totam [120] ducere noctem. Hi sibi mores, hoc studium, hæc erat meta vivendi.

11. Post [121] completorium cum solitis orationibus incubaret, quidam pauper, cui nil præter vitam et membra impius latro reliquit, miseris ululatibus templi ostia pulsat. Quo audito cum de erogatis

VARIÆ LECTIONES.

[79] bohemica 3c sclavonica bohemorum cleri et populi manus 4b. [80] p. Boleslai ducis 4b. [81] prosperis. 4a perproperis 4b [82] canabe 3a 4b. cannabe 3c canapa *Cod. S. Cæciliæ* (sic?). [83] præcluis 2. præclivis. 3a præclarus 4b. prædilectus 3c. *deest* 5. [84] uuecezlaus 1. wenezlaus 3a. uuentiselauo 4a. wenzeslaus 4b. [85] consumens *corr*. consumans 1. 3a. consumans 2. 4a, b. [86] *deest* 1. dum 2. tum 3c. 4a. tunc 4b. [87] ac 4b. [88] *deest* 2. 3a, c. 4a, b. [89] et 4b. *erasum in* 1. [90] proficuo 4b. [91] clericorum 4a, b. [92] usibus 4a. b. [93] Propterea 1. *corr*. [94] quinquagenos 4a, b. [95] *deest* 2. 3a, c. [96] saciabat 4a, b. 5. [97] aliquid 2. aliquem 4a. [98] altis 2. 3a, c. 4a. b. *deest* 5. [99] rigulus 2. [100] n. vel alterum, extra 3c. [101] leve 3c. 4b. [102] it vel vadit 3c [103] n. u. u. v. a. d. v. *desunt* 4a [104] *erasum* 1. [105] carceres 2. 4a. [106] in c. 2. 4a, b. [107] o. sacri seminis, servus erat, ad caminum decurrit 3a. [108] *ita distinguunt* 1. 2. 3c. 4a. *reliqui post* peracta. [109] genuum flexionibus 2. 3a, c. genuflexionibus 4a, b. [110] *deest* 3c. [111] r. His studiis longum diem, talibus negotiis totam ducere noctem; hii sibi mores, hoc studium, hoc erat meta vivendi. De 4a. (His ostiis. . . . ducebat . . .) 4b.: *v. infra*. [112] A 4b. 5. [113] verbum 2.3c. [114] *deest* 1. [115] s. s. i. *desunt* 4a. agendis immorabatur 4b [116] hei. *secunda manu* 1. [117] dominicis *corr*. dominico 1. [118] *deest* 1. *et additum* ministerio *manu sæc. XVI*. 1. [119] degustans 1. [120] solebat *inserunt* 2. 3c. [121] quadam die post 4b.

NOTÆ.

33) Id est duodecim.

opibus nulla [122] superfuissent, cœpit curiosius excogitare, quid illi dare posset; et cum nihil aliud occurreret, ingressus cubile, quod solum habuit tulit inde sericum pulvinar, cui abstrahens sericum, plumas [123] circumquaque per domum respersit; deinde ad jacentis mendici clamorem recurrens, inanem purpuram in rugas complicavit [124], et per coeuntium [125] januarum foramina emittens, hoc fertili dono manum pauperis accumulavit. Cujus furti [126] auctor cum lateret, cumque Myzl [127] domus suæ camerarius [128] hoc inter pueros asperius requirere [129] vellet, prohibuit eum dicens: *Nequaquam inimicus homo hoc* [130] *fecit, sed qui indigens erat, forsitan pro explenda necessitate assumpsit.*

12. Inter hæc sancta opera non desierat pluere prædicationis verba; nec sibi solum bonus, nec nisi cum pluribus [131] cœlestium gaudiorum particeps esse voluit; singulis [132] compassione proximus, et præ cunctis in contemplatione suspensus; sic alta petens, ut proximorum infirma non despiceret; sic infirmis [133] proximorum congruens, ut alta petere non desisteret; sic discretionis artem servare novit, ut esset in eo et juste consulens misericordia et pie sæviens [134] disciplina. Ipsi autem contraria voluntate ad carnalem sensum lapsi [435], bonum pastorem sequi noluerunt. Novo quippe modo cum essent cœlestibus bonis pasti, peccatorum fecibus explebantur. Ille [136] spiritalibus adjutoriis caulas [137] suas præmunire instat; illi destruere, quod fecit, diabolicis impugnationibus festinant. Ille a captivitate dæmonum et viciorum populum liberare parat; illi eo arcius se in omni peccato obligare non cessant. Vidit ergo episcopus, quia divinis legibus adversum ire omnibus modis festinarunt [138]; vidit, quod obdurato corde in Deum grandia quæque et nova scelera adimplere meditantur; vidit optimæ gubernationis frustrari lacertos, plus etiam obesse sibi quam populo prodesse. Deflet [139] ergo peccatum, et amarissimo luctu prosequitur dampna perditæ gentis. Ad ultimum cogitat, melius esse relinquere quam in cæco et sponte pereunte populo operam perdere. Quod maxime de tribus causis actum esse dicunt, qui hujus rei ordinem ipso narrante comperierunt. Prima et velut principalis [140] causa propter plures uxores unius viri; secunda propter detestanda conjugia clericorum; tertia propter [141] captivos et mancipia christianorum, quos mercator Judæus [142] infelici auro emerat emptosque tot episcopus redimere non potuit. In somnis quoque apparuit ei Dominus, suscitans eum et de lento sopore surgere jubens. Inquid ille: *Quis es tu tam imperiosæ auctoritatis, vel cujus rei gratiam quietem frangere jubes?* Respondit: *Ego sum Jesus Christus, qui venditus sum; et ecce iterum vendor Judæis, et tu adhuc stertis* [143]? Ille expergefactus, secum tacito corde pertractat, quidnam hæc visio vellet. Admovet solvendæ quæstiunculæ socium [144] elegantem virum Williconem. Hic honore præposituræ præerat cæteris, hunc vir sanctissimus omnium consiliorum suorum participem fecit. Cui cum suam visionem exponeret, respondit in [145] propria verba et cogitatione ille mitissimus heros: *Quando venduntur christiani Judæis, hanc venditionem patitur* [146] *ipse Christus, cujus nos* [147] *corpus et membra, a quo movemur et sumus.*

13. Hæc sanctus episcopus æqua lance perpendens, et ab imo cordis longa suspiria trahens, amplius stare [118] timuit; sicque consilio doloris accepto, venit Romam (*an.* 989), et apostolicæ sedis pontificem (34), qui in tanto suo populique discrimine foret acturus, gemebundis [149] questibus [150] inquirit: *Commendatus*, inquid, *mihi grex audire me non vult, nec capit sermo meus in illis, in quorum* [151] *pectoribus dæmoniacæ servitutis imperia regnant; et ea regio est, ubi pro justo virtus corporis, pro lege voluptas* [152] *dominatur* (*Joan.* VIII, 37). Ad hæc apostolicus: *Fili*, inquid, *quia te sequi nolunt, fuge quod nocet. Operæ precium est enim, si cum aliis fructum agere non potes, vel te ipsum non perdas. Quare meo consilio arripe tibi ocia contemplationis, et sede inter eos, qui vitam quietam in studiis dulcibus et salubris agunt.* Hac itaque velut divina responsione animatus cum ad futura sanctorum gaudia ardenti desiderio anhelaret, statuit secum natale solum notioresque [153] populos derelinquere. Vult pro Domino peregre proficisci, atque velut sub alio sole inopem ducere senectam. Omnia dura et aspera pro dilecto Jesu dulcia sibi visa sunt; pro divite Christo angustam pauperiem pati, non tam labor quam ingens amor erat. Post hanc suæ mentis deliberationem [154] argentum pauperibus large distribuens, episcopalem cameram evacuat [155].

VARIÆ LECTIONES.

[122] nullæ 3a. 4b. [123] plumans *eraso* n. 1. plumam 2. 5. [124] *ita* 2. 3c. complevit *corr.* compressit 1. complicuit 3a. colligit 4a. [125] aperta 2. [126] facti 5. [127] *deest* 3c. uuillico 2. 3a. 4a. uillico 4b. [128] camararius 1. præpositus 2. 3a, c. 4a. [129] inq. 3a, c. 4b. [130] *deest* 1. [131] nec sine p. *ex corr.* 1. sed cum 3a. [132] s. c. p. et p. c. i. c. s. *post* desisteret *scribuntur in* 2. 3c. Unde disputans de regno Dei et suadens de justitia ejus, in multas scorum (eorum 4b.) iniquitates fervente zelo excurrit. Ipsi autem 4a, b. [133] infirmitatibus 3c. 5. [134] seruiens 2. [135] relapsi 3a, c 4a, b. [136] Ille — non cessant *desunt* 4a, b. [137] caules *corr.* caulas 1. claues 3a. [138] festinant 3c, festinarent 4a 5. [139] Deflet — gentis *desunt.* 4a. [140] primicialis 2, 3c. [141] p. mancipia et animas ch. 4a. [142] videns 3a. [143] steteris 1. [144] *deest* 1. [145] *deest* 2. [146] pariter 2. [147] n. sumus c. 3a. [148] ista 1. [149] gemibundis 1, gemebundus 2, 5. [150] quæstionibus 3a, *deest* 2, 5. [151] illis, iniquorum 3a. [152] uoluntas 2. [153] nocioresque 1, 2. [154] *in marg.* pertractationem 1. [155] euacuauit 2, 3a c, 4a b.

NOTÆ.

(34) Joannem XVI, qui an. 985-996 sedit. Cf. infra, cap. 21.

14. Erat autem ipsis diebus Romæ imperatrix augusta Theuphanu [156], mater ejus qui modo regnat [157] tercius et Deo juvante maximus Otto (*an.* 989-999), cui pia cura circa pauperes cum summatibus viris, et bene querentibus Christum sincerissima dilectio fuit. Hæc comperto, quod gratia orationis exulans ille usque Hierosolimam pergere vellet, clam [158] venire illum fecit, et [159] argenti tantum, quantum juvenis Gaudentius vix levare posset, pro viatico accipere fecit. Quod [160] eadem consequenti nocte pauperibus fideliter divisit, atque ab uno denario totum expendens, nil sibi retinuit. Deinde pueris remissis in patriam, mutat habitum; et asinum [161] pro portandis oneribus mercatus, cum tribus numero fratribus socium iter assumpsit. Habens (35) itaque animum Hierosolimis sepulcrum Domini visere, venit ad montem Casinum [162], in cujus cacumine monasterium sedet [163], quod in hoc loco primus construere cœpit beatissimus pater, monachorum flos et gloria [164], Benedictus; ibi quoque [165], ut Gregorii mellifluum os (36) sonat, ultimam partem vitæ deguit, et veræ religionis exemplar omnibus, qui in Christo pie vivere volunt, digito conscripsit. Hic tum licet agnitus non fuisset, tamen Domino quod futurum erat providente, honorifice hospitio susceptus est. Post paucos autem dies cum iter cœptum agere vellet, accessit ad eum illius loci abbas (37), et cum ipso admodum inlustres viri, hæc consilia velut ab divina arce [166] ferentes : *Viam*, inquiunt, *quam acquirendæ beatitudinis causa cœpisti, longe est a recta via et ab illa quæ ducit ad vitam. Perplexitatibus quippe fugacis sæculi carere magni animi est; sed cotidie loca nova mutare minus laudabile est. Sicut enim hiberni maris inconstancia malum nautis, ita vagacio de loco in locum periculum suis sequacibus minatur. Stare autem loco et supernis usibus eo liberius perfrui, non nos, sed præcepta majorum virorumque fortium exempla tibi dicunt.* Quod consilium providus heros non secus quam divinitus datum accipiens, ibi finem laboris et errabundæ vagacionis ponere cogitavit (38).

15. Hæc se cogitante, frustratur [167] eum Deus, volens, dilecti hominis desideri aliquantulum dilatare, ut quanto nunc amara primum et labore parta [168] tanto post dulciora fuissent. Nam cum ibi monastica lege vivere vellet, cumque [169] a minimo usque ad maximum omnes hoc libentissime vellent, repente attonitas terribile verbum transverberat aures : *Et bonum est* [170] inquiunt, *ut stes nobiscum. Hic monachicum induas habitum; hic Deo placiturum vivere ducas* [171]; *nostras quoque ecclesias novo opere constructas, cum sis epicopus, sacrare* [172] *potes.* Quo audito [173], ille heros jam dudum intra se turbatus, hæc ira dictante reddidit : *Utrum me hominem vel asinum putatis, ut cum amota filiorum cura episcopus esse desisterem, nunc sub nomine episcopi vestrus domus consecrarem?* Nec mora, ivit [174] deorsum per montis convexa, et quasi duorum [175] dierum itinere acto, ad magnum virum Nilum (39) perrexit, cujus nobile meritum in monastico ordine velut novus lucifer in ætherio [176] axe refulget; sub quo etiam duce ac divinæ artis magistro discipulorum plurima manus Deo militarunt [177]. Hi vero omnes propriis manibus victum quærentes, secundum regulam sancti [178] patris nostri [179] Basilii cœlestibus vestigiis innituntur. Hac fama ductus, aggreditur sanctum senem, et provolutis genibus diu profudit lacrimas, quærens ab illo [180] responsa et amica solacia. Quem intuitus domnus abbas Nilus, cujus meriti in conspectu Domini viveret, jam in primo sermone cognovit; qui et usque hodie (40) ita amore Christi ferventem non meminit se vidisse aliquem juvenem. *Et recepissem te*, inquit, *dulcis* [181] *nate, nisi hæc susceptio mihi meisque nocitura, tibi tamen minime esset profutura. Etenim ut iste habitus et* [182] *barbæ pili testantur, non* [183] *indigena sed homo Græcus* [184] *sum. Terra autem quantulacumque est, quam ego et mei mecum incolunt illorum* [185] (41), *quos tu bene fugis, propria est. Si, quod Deo volente nimis vellem, una nobiscum cohabitaveris, tollunt illi* [186] *quæ sua sunt; ego cum caris filiis expellor* [187] *totus, tu de* [188] *incerta re plus incertus eris. Quim immo accipe patris consi-*

VARIÆ LECTIONES.

[156] sthephania 2, theophania 3a, 4b, teophania 3c, teuphanu 4a, theophanu 5. [157] *deest* 2, qui tunc regnabat 3c. [158] *in loco raso* 1. [159] et argenti tantum — fecit *desunt sed manu alia in margine suppleta sunt, ita:* magnamque census copiam in usus pauperum distribuendam ipsi de suo fieri jussit gazophilatio 1. et tantum ei auri pondus pro amore Christi contulit, quantum Deo dilectus Gaudentius, viri sancti germanus, vix in sinu suo levare potuit 5. [160] que *in loco raso* 1. [161] onagrum 4b. [162] casinum 3c. [163] sedit 1. [164] gratia 2. [165] quoque — licet *desunt* 4a. [166] arte 1. 2. [167] *glossa :* id est non adquievit deus 1. [168] parata 2. 2a. c. [169] cumque 1. [170] est, ait quidam minas cunctis senex, ut 4a. Quadam die ei quidam venerabundus senior hæc charitatis verba deposuit : Bonum est inquiens 4b. [171] placituram vitam d. *ex corr.* 1. [172] dedicare et nostros clericos ad gradus ecclesiasticos promovere decentissime poteris *Leo Ostiensis.* [173] a. velud qui biulco fulmine ictus certa loqui nescit, hæc 4a, *aliter* 4b. [174] iter 2. [175] unius 4b. [176] ethereo 2. 3a, c. [177] militans *corr. manu posteriori* militat 1. millitabat 4b, 5. [178] *deest* 4a. [179] *deest* 4b. [180] ipso 2. eo 3c. [181] dulcis 1. *alia manu addito* 1. [182] et patenter b. p. 4a et intonsæ b. p. 4b. [183] manu 2. *additum* 1. [184] gressus 1. *corr. manu secunda* de longe egressus es. [185] i. sanctorum seniorum et fratrum quos tu non bene 4b. [186] alii 5. [187] expellar 5. [188] *deest* 1.

NOTÆ.

(35) Cf. Leonis Ostiensis Chron. Casinense, lib. II, c. 17.

(36) Vita S. Benedicti cap. 8 seqq.

(37) Manso.

(38) Casini exstat homilia venerabilis Adalberti episcopi et martyris in natali S. Alexii confessoris et miracula ejusdem sancti. Vide hujusce tomi col. 895-876.

(39) In monasterio S. Michaelis prope Barream in agro Capuano, ubi S. Nilus annis 978-994 vixit. Cf. Vitam S. Nili in Actis SS. Sept. tom. VII, p. 327, et Gattulæ Hist. Casin. 1, p. 120-126.

(40) S. Nilus obiit an. 1005.

(41) Casinatium, quibus monasterium S. Michaelis subjacebat.

lium, et unde digressus es, repete urbem Romam. Quo A *cum angelo bono te ducente perveneris, domnum abbatem* [187] *Leonem nobis amicissimum ex nostra omniumque persona salutes, atque epistolam nostram feras in hæc verba : aut te apud se, quod plus volo, retineat, aut si ei difficile apparet, ad abbatem sancti Sabæ mea vice commendet.*

16. Hac spe confirmatus, regreditur ad sacratam arcem, urbium dominam et caput mundi Romam. Inde,cui monasterio abbas Leo præfuisset,diligenter inquirens,ad sanctorum limina Bonifacii et Alexii(42) monstrante populo perductus est. Postquam [190] ingressus est et cum abbate datur copia fandi(VIRGIL. *Æn.* 1, 520), obtulit salutationem et litteras quas miserat abba Nilus. Quibus perlectis, ut ex longo usu spiritum probare doctus erat,priusquam rece- B pisset illum, arguta arte cuncta explorat. Primum cœpit indignationem simulare; quis,qua mente præditus esset, averso vultu indagare, aspera et dura illi prædicens,cunctaque archana mentis ejus sagaci ingenio perquirens.Justum vero ac tenacem propositi virum (HORAT. *Od.* III, 3) nec dira hominis responsio frangere valuit, nec venientia temptamina [191] a semel arrepta voluntate revocare potuerunt. Abbas vero Leo ubi non solum (43) avertere a suo proposito,sed etiam dira prædicando plus accendere poterat,accepturum se fore illum pollicetur.Statuit autem,domnum apostolicum cum humiliato antistite prius convenire, ut quicquid agendum foret, tanti patris sententia suorumque cardinalium consilia deliberarent.Post hæc rite peractis omnibus, qua die Dominus [192] discipulorum suorum pedes lavit [193] ac C linteo extersit,monachilem habitum sanctus ille [194] episcopus accepit. Sabbato sancto, quando baptizati catecumini [195] criminalibus [196] vinclis solvuntur,soluta est et ipsi capite [167] pendens cuculla.Hinc secundum regulæ morem fratrum numero addictus, quærendum angusto calle [198] cœpit ardentius cupere Christum.Duo autem ex fratribus qui cum eo erant, jam dudum videntes quia se monachum facere vellet [199], non bene relicto [200] clipeo [201] (ORAT., *Od.* III, 7,10)fugam dederunt. Solus vero Gaudentius exemplo constantis viri remanens [252], cum beato viro monachatum atque probabilem conversationem consecutus est; qui etiam sibi carne et spiritu duplex germanus, et ab infantia semper fidissimus comes [203] adhesit.

17.Ipse vero omni obœdientia ac humilitate ambulans inter fratres, contra bella temptatione viciorum intrepidus tyro accingitur.In cogitationibus suis ad humilem confessionem semper confugiens, quassatæ mentis archana spiritalibus viris pandere non cessavit.Cessante vero temptationum imbre,in novam messem virtutum floruit, ac post viciorum victoriam solito clarior eluxit. Processit ergo ut lux splendens,et crevit usque ad perfectum diem(*Prov.* IV, 18).Obedientia, qua donavit eum suus [204] abbas, hujuscemodi erat, ut coquinæ fratrum aquæ [205] ministratorios [206] usus humero apportaret, manibus quoque eorum lavandis simile obsequium ageret.Sic se cunctis fratribus servire lætatur. Nec moratur interea æmulus hostis, nnnc aperto bello, nunc latentibus insidiis hominem Dei impugnaturus.Et cum testacia [207] vasa nunc aqua, aliquando vino plena portaret,prædictus hostis callido astu lapsus parat, ac ut confracta in partes spargerentur efficiens, sacri viri faciem iugenti rubore perfudit [208].Hæc dum multociens fierent,et ipse tot vicibus veniam prostrato corpore peteret, tandem ultor ejus confusionis respexit ad hæc negocia Deus [209].Nam una dierum cum fratrum mensæ apportaturus foret merum,offenso pede corruit ipse super vas,et vas« ingenti cecidit super marmora lapsu. » Audit a longe pater monasterii, cunctique fratres per ordinem,quomodo labitur ille heros,nescientes,quia hunc casum prosperrima adversitas comitaretur. Ita enim vas sanum et vini porcio non minuta reperitur, ac si ulla facta foret ruina. Item nobilis quædam [210] femina (44) monasterium hoc causa orationis ingreditur; et cum caritatem ibi facere [211] jussa [212] foret, jam septem annis panem se non gustasse profitetur. Ille vero hunc abstinentiæ morem pro infirmitate adhæsisse ei recognoscens,allato pane salutiferæ crucis signaculum impressit,ac deinde prandenti matronæ eum apponens : *In nomine Domini mei Jesu Christi, filia,* inquid, *manduca* [213] *panem. Non licet tibi sanctam caritatem violare; pro ejus enim amore hoc parum prandii accipere jussa es.* Ad hanc vocem credula mulier panis munera degustans,cum gratiarum aetione regreditur in domum suam.Exhinc ergo communi cibo usa, rem novam sibi contigisse civibus narrat; ac glorificat vox omnium dominum Deum, Nec [214] prætereundum est, qualiter cujusdam Jo- D hannis filiam, qui nunc Urbis præfectus esse dino-

VARIÆ LECTIONES.

[189] abbatem—apparet ad *desunt* 1.*sed manu* 2. *margini adscripta.* [190] P. monasterium i. 2. [191] venientium temptationum mine 2. 3a. c. 4a, b. venientium temptaminum ymbres 5. [192] D. panem discipulis fregit ac benedixit 4a. [193] I. eisdemque eucharistiæ panem fregit ac benedixit 4b. [194] *in loco raso* 1. [195] infantes 4a. [196] crinalibus 3a. *in marg.* [197] collo 2. [198] calce 3c [199] fecisset 5. [200] recto 1. projecto 2.3c [201] clippeti 1.*supra scripto manu* 2 : cursu occulti *et in margine* clippeti quasi clam gradientes. [202] *ita* 1. *distinguit.* [203] *deest* 1. [204] s. pater a. 2. [205] *deest* 1. [206] ministrarios 1. [207] *in margine :* thainc *alia manu* 1. [208] robore fudit *corr.* rubore perfudit 1. [209] n. D. *desunt.* 2. [210] *deest* 1. [211] faceret. multa prece fratrum foret rogata, jam pleno triennio panem 4a [212] rogata esset jam pleno triennio panem 4 b. [213] m. hunc p. 2. 4b [214] Nec — abscessit *desunt* 4a.

NOTÆ.

(42) Hodie S. *Alessio*, in monte Aventino prope Tiberim.

(43) Id est non solum non avertere.

(44) Constantia vocatur in poemate de S. Adalberto.

scitur (45), atrocissimus febrium dolor vexare cœpit. Quam cum homo Dei sacratissima sua manu tangeret, omnis languor corporis ejus imperio abscessit.

18. (*An.* 994.) Archiepiscopus vero Mogontinus beati præsulis gregem sine pastore ire conspiciens, misit legatus cum litteris, per quos domnum apostolicum de sancti viri reditu interpellat. Factaque est Romæ sinodus (46) pro hac causa; et oritur utrimque litigium grande, ex una parte eorum qui monachum perdere timuerunt, ex alia eorum qui pastorem suum cum auctoritate quæsierunt. Cumque invicem pugnantibus sententiis utraque pars diu decertaret [215], tandem dubiam nunciorum primas vix promeruit victoriam. Hic ipse primas frater erat ducis, cujus terræ qui exigebatur episcopus præfuit (47). Tum apostolicus non tam voluntate quam jure Dei permotus, talia respondit: *Reddimus quod juste quærunt, quamvis de bono patre jam degenerassent filii, et dabimus cum hac lege: Si audierint eum, teneant cum Dei benedictione, faciantque sub eo fructum centuplum. Si autem a consueta iniquitate sua recedere nolunt, hic noster absque periculo sui capitis malorum consorcia declinet.* Hæc ubi dicta dedit, finita est sinodus; et soluto cœtu, redierunt quisque in domum suam. Abscedunt legati, monachis tristibus, et læto animo ac magna exultatione. Cumque emenso itinere Pragam venirent, eunt ei obviam omnis ætas et sexus, et quasi cum ingenti [216] gaudio acceperunt eum. Dant manus ac promittunt omnia [217], velut qui de sua reversione opido gauderent [218], secundum ejus præcepta priorem vitam plenissime emendare vellent [219].

19. Sed paulo post cepit eos [220] ignava [221] mollicies, et neglectis prædicationibus itur in omne nefas. Veterum quippe viciorum recordationibus præventi, in carnalem partem relabuntur, et pereunt labor pastoralis et diligens cura boni patris. Inter hæc luctuosum et miserabile crimen exoritur (VIRG. *Æn.* IV, 226). Mulier cujusdam nobilis cum clerico [222] adulterasse publice arguitur. Quam cum more barbarico parentes dedecorati conjugis decapitare quærerent, fugit illa per celeres auras, donec voce et cursu usque ad optatum pervenerat episcopum. Volens autem de illorum manibus mulierem liberare, clausit eam in monasterio sanctimonialium, quod sub vocabulo et veneratione sancti Georgii consecratum, firmissimis mœnibus vallatur [223]. Clavim vero A ecclesiæ custodi fideliter commendat, credens, ut femina inter feminas solacia doloris et sub altaris defensione vitæ securitatem haberet. Crimen quoque in se referre voluit, ut se sceleris auctore magnum aliquid fieret: scilicet [224] ut per [225] pœnitentiæ fructus aut illam vitæ servaret, aut ambo simul jussi morerentur [226]. Qua voluntate quia martyrii coronam exposcens erat, adimpleret utique quod voluit, nisi eum prudenter domnus Willico [227] prohiberet. Impia manus interea absconsæ mulieri ferrum necemque parans, armato milite episcopale [228] forum irruperunt. Quærunt minis [229] et contumacibus [230] dictis episcopum, qui contra divinum [231] fas et legalia jura adulteram defendere vellet. Quod ille divinæ contemplationis ocio vacans ubi aure percepit, B cum velut divisæ noctis hora esset, dicto versu fregit silentia, et in quo clausus erat exivit de templo. Deinde qui secum erant fratribus pacis oscula libans: *Bene valete*, inquid, *et pro misero ferte pia vota Christo!* Inde totus ardore martyrii flagrans, non tardiore desiderio et cursu, quam qui fugit hostem, sponte venit in hostem [232], ac medium agmen intrepido gressu incedens: *Si me quæritis*, inquid, *præsto sum.* Unus autem ex illis, cui cum bonis [233] semper læva voluntas [234] erat, omnium ore talia respondit: *Cassa spes martyrii te tenet et nobilis gloria leti. Errat pro certo hæc sanctitas, quæ nostrum vult fieri peccatum. Non implebitur tua voluntas, sed agitur aliquid, quod plus dolet; quia nisi hæc meretrix nobis citius reddatur, habemus fratres tuos, in quorum uxoribus prole et prædiis hoc malum ulciscamur.* Hæc C dum furens Sclavus contra episcopum dilatravit, ecce corruptus auro proditor adest; qui excerpens eos clam ex agmine vocat, seque itineris ducem præbens, domum, in qua clausa erat, domusque custodem manifestat. Custos vero tentus ab illis, nunc minis, nunc amicis affatibus, ut illam in manus eorum redderet, diu probatur; ad ultimum mortis timore perterritus, non [235] sic sibi creditam cruentis hostibus prodidit feminam. Rapitur infelix illa frustra pressis altaribus, et sub manu conjugis capitalem jussa est subire sentenciam. Quod cum ille, velut vir justus, facere nollet, sub gladio vilis vernulæ truncata, pœnas male usu corporis capite exsolvit.

20 [236]. His atque horum majoribus [237] popularis D nequitiæ studiis cum sermo docentis episcopi contraire nequiret, fiet bonus pastor, quia in morbido

VARIÆ LECTIONES.

[215] decertaret 3a, c, 4a. [216] *deest* 1. [217] emendare 3c. [218] g. et s. 3a, c, 4a, b. 5. [219] *deest* 2. 3c. [220] eo 1, [221] ignavia 2. 3a. 4a. 5. ignavia et 4b. [222] clero 1. 5? [223] velatur 1. [224] f. (credito) ut scilicet 3c. [225] pro p. fructibus 2. [226] re *manu secunda* 1. [227] Wiollitona 3c. [228] episcopalem. 1. [229] nimiis 5 *deest.* 3a. [230] tumacibus . [231] *deest* 3a. [232] s. v. in h. *desunt* 5. [233] bona 2. cui minus semper læva vol. 3c. [234] voluptas 4a. [235] *deest* 2. [236] *Hic* 3a. *non distinguit.* [237] majorum 2.

NOTÆ.

(45) Joannes Glosa præfectura fungebatur etiam post obitum Leonis abbatis an. 1002, d. 8 Martii; v. Marini Papiri p. 127.

(46) Cf. Vitam S. Adalberti auctore Brunone.

(47) Christianus, Boleslai I filius, Boleslai II frater; socius ejus Radla, qui et Anastasius et Astericus, Adalberti præceptor, de quo cf. Hartwici Vitam S. Stephani regis.

grege signa salutis nulla inesse prospexit [238]. Hinc pro spectandis sequentibus malis oculos claudere volens, dulcis [239] Romæ mœnia revisit (*an.* 995), et nave [240] monasterii mutat pastoralia frena. Congaudent illo redeunte monasticæ plebis sacra collegia, ac sanctitatis [241] suæ amore pariter et utilitate [242] perfruuntur. Dilexerunt eum omnes, sed præ omnibus abbas suus, qui et post se totis cohortibus fratrum præfecerat illum (48). (S. Bened. *Regula*, c. 7.) Ille autem omni vilitate et extremitate contentus [243] quanto magnus [244] erat, tanto se cunctis inferiorem præbuit; quanto spiritalibus divitiis dives, tanto in oculis hominum parvus, pauper et despectus esse cupiverat [245]. Dicunt autem abba et fratres ejus de eo, quia in omni virtute ad unguem perfectus est, et extra martyrium [246] vere sanctus [247] erat. Sic de die in diem semper novus et se ipso robustior succrescens, ad divinæ contemplationis fastigia velut castissima [248] turtur evolaverat. Volens autem Dominus ostendere servo suo, cujus meriti viveret in conspectu suo, monstrat ei per visum duos ordines in cœlo, unum purpureo [249], alterum niveo amictu, quibus sub diversa specie singulare meritum et propria merces; ambobus tamen esca et potus erat laus perpetua Creatoris. Et facta est vox ad eum dicens : *Inter utrosque est tibi locus, convivacio mensæ et aptissimus honor.* Cujus rei visionem abbati suo cum exponeret, non hoc de se, sed velut sanctissimus Paulus revelationis suæ mysteria de alio homine narrat (*I Cor.* XII) : *Scio* [250]. inquid, *hujusmodi hominem, cui Dominus per visum* [251] *talia ostendit et hæc ipsa donaturum se promittit* (49).

21. (*An.* 996.) Hoc ipso tempore iter agit Romam rex Francorum Otto tercius, pulchri cæsaris pulcherrima proles. Decursis quippe puerilibus annis, cum jam velut prima [252] lanugine barbæ floreret [253], tempus et virtus major annis imperatoriam sibi exposcerant [254] dignitatem. Roma autem cum caput mundi et urbium domina sit et vocetur, sola reges imperare facit; cumque principis sanctorum corpus suo sinu refoveat, merito principem terrarum ipsa constituere debet. Suus [255] ipsis diebus pontifex acerrima febre correptus, corpus terræ, animam cœlo. utraque in sua dimisit [256] exordia. Rex autem Otto Alpium nives multo milite transmeans, juxta sacram urbem Ravennam regalia castra metatus est. Ibi in ejus occursum veniunt epistolæ cum nunciis, quas mittunt Romani proceres et senatorius ordo (996, *Mai.*). Primo illius adventum, velut toto tempore paternæ mortis non visum, totis visceribus desiderare ac debita fidelitate [257] pollicitantur exspectare; deinde in morte domni apostolici tam sibi quam illis non minimam invectam esse [258] partem incommodorum annunciant, et quem pro eo ponerent, regalem exquirunt sentenciam. Erat item in capella regis quidam clericus nomine [259] Bruno, secularibus litteris egregie [260] eruditus et ipse regio sanguine genus ferens (50); magnæ scilicet [261] indolis, sed, quod minus bonum, multum fervidæ juventutis (51). Hunc, quia regi placuit, a majoribus electum Magontinus archipræsul Willigisus [262] et suus collega Hildebaldus [263] episcopus (52) adduxerunt Romam; proinde a Romanis honorifice acceptum [264], ad hoc ordinati episcopi apostolico honore promulgarunt. Superveniens etiam rex Romano more egregie accipitur; deinde et magno gaudio omnium imperatorum attigit apicem (*Mai.* 21). Lætantur cum primatibus minores civitatis [265]; cum afflictio paupere exultant agmina viduarum, quia [266] novus imperator dat jura populis, dat jura novus papa [267].

22. His temporibus christianissimus ille cæsar, cui [268] circa servos Dei maximum studium semper et diligens cura fuit, crebro alloquitur sanctum Adalbertum, et habebat eum sibi familiarem, audiens libenter quæcumque sibi diceret. Archiepiscopus vero Willigisus [269] veterem querimoniam canens [270] domnum [271] apostolicum de sancti hominis reditu interpellat; congeminat [272] vota cum votis, et ut reportaret illum, modis omnibus instat. In apostolica quoque sinodo canonum [273] testimonia revolvens, coram omnibus se justa petere clamat; peccatum esse, singulis ecclesiis maritatis, solam Pragam suo pastore viduari; juste [274] poscentibus [275] benivolam aurem [276], viduæ ecelesiæ maritum suum

VARIÆ LECTIONES.

[238] conspexit 3a. [239] ducis 1. [240] navi 2. 3c otio 4b. amore 5. [241] s, illius contubernio et societate 4b. [242] ultra 1. [243] contectus *superscr.* vel contentus 1. [244] major 3c. [245] concup. 2. [246] monasterium 3. [247] fcs 2. [248] castissimus 2. 3c [249]. purpureum *corr.* purpureo, 1 [250] scio *usque* promittit *desunt* 2. [251] visum ostendit cœlestes acies, quarum una roseo vernabat aspectu, altera vero filiorum candebat amictu; et facta est vox ad eum dicens : inter hos ordines locum habes 4b. [252] *deest* 3a. [253] f. inventus t. 2 5. [254] expoposcerant 3. [255] summus 3a, c. cujus 4b. [256] divisit 1. [257] felicitate 1. 2. [258] *deest* 1. [259] *deest* 3a. [260] *deest* 2. [261] *deest* 3a. [262] wilgisus 1. [263] hildehaldus 2. ildebaldo 4a, uldebaldus 3a udebaldus 4b. adebaldus 3c. [264] totiusque cleri populique consensu, favente etiam rege, urbis episcopus ordinatur 4b. [265] c. a. p. e. a. v. *desunt* 4a. [266] cum novo imperatore dat populis jura novus papa 4a b. [267] d. i. n. p. *desunt* 1. [268] *deest* 2. [269] vulgissus. 1. [270] quærens 2. carens 4a. [271] d. a. de s. b. r. *desunt* 1. 3a, 4a, b. [272] cognominat 2. [273] canonum *usque* agerent *desunt* 4a. [274] juxta inquiebat p. b. a. indue 3c. juxta 4b. [275] juxta petentibus 2. [276] accommodare *in margine supplet* 5.

NOTÆ.

(48) Fortasse an. 995, cum Leo legatus in Galliam proficisceretur.

(49) Vide quæ in præfat. de auctore hujus libri disserui.

(50) Filius Ottonis ducis, filii Conradi ducis et Liudgardæ filiæ Ottonis I. — Locum hunc male intellexit Petrus Dam, c. 27, atque de Brunone archiepiscopo et martyre interpretatus est.

(61) Hæc defuncto Gregorio V (a. 999, d. Febr. 5) scripta esse videntur.

(52) Wormatiensis.

præbere [277], libera mente postulans erat. Rursum ex itinere quo versus est ad patriam, continuis litteris hoc idem reiterare non cessat; nec dimisit prius, donec pollicitus est domnus apostolicus, facturum se esse quæ vellet. Tristatus est autem homo Dei, quia relinquere cogitur monasterium. Præscierat enim, quia populum, cui [278] pastoralem curam debuit, a via sua mala nemo flectere quisset. Sed tristem ejus animum hoc valde solatur, quia si in commissis sibi animabus dignos fructus agere nequisset, extraneis [279] et non baptizatis prædicator missus fuerat. Ergo multis lacrimis fratrum [280] dulce monasterium linquens, cum summæ discrecionis viro Notherio episcopo (53) ultra Alpes proficiscitur.

23. Cumque velut duorum prope mensium iter agerent, venerunt Maguntiam (*Sept.*), ubi [281] regressus ab Italicis horis imperator commoratus est. Cum quo vir Dei mansit bonum tempus, quia valde [282] familiarissimus sibi [283] erat et nocte pariter ac die velut dulcissimus [284] cubicularius [285] imperiali [286] cameræ [287] adhæsit [288]. Hoc autem non sic, velut sæculi aliquo amore [289] captus, sed quia dilexit ipsum, et dulcibus dictis ad amorem cœlestis patriæ accendere voluit. Nam die sive nocte, cum turba locum dedit, sanctis alloquiis aggreditur illum, docens ne [290] magnum putaret [291], se imperatorem esse; cogitaret, se hominem moriturum, cinerem ex pulcherrimo, putredinem et vermium escam esse futurum; viduis se exhibere [292] maritum, pauperibus et pupillis monstrare se patrem; timere Deum ut justum ac districtum judicem, amare ut pium veniæ largitorem ac misericordiæ fontem; sollicite pensare, quam angusta via quæ ducit ad vitam, et quam perpauci, qui intrant per eam; bene agentibus esset per humilitatem socius, contra delinquentium vicia per zelum justitiæ erectus [293]. Ad hunc modum plura [294] subnectens, monet carum filium, præsentis vitæ bona despicere, æternitatis electionem desiderare, mansura quærere, in rebus temporalibus et transitoriis fiduciam non habere. Cunctis, qui in regia domo erant, servitutem [295] serviens, velut servus omnium, sic eorum vilissima quæque manibus tractat, et omni humilitate eorum servicia facit. Noctibus quoque cum carpserant somnum, calciamenta eorum componere curæ [296] fuit; ab janitore usque ad principem regiæ domus omnium caligas aqua abluit, et purgatos sordibus [297] eos suo loco restituit. Ad hunc modum plurima servicia egit in camera; quanto quæque vilissima erant, tanto libentius ea pro humilitate [298] ministrat. Sed serviminis auctor diu incognitus latuit, donec quidam Wolpharius [299], imperialis ministerei [300] [illegible] dilectus, [illegible] sanctum prodidit furem.

24. Vidit quoque ibi somnium nocte una, quod hujusmodi erat. Putabat se fratris sui curtem [301] adire, et media curte stare domum, cujus structura aspectu erat delectabilis, parietes et tecta nivei candoris; intus duo lecti, unus sibi, alter fratri suo deputatus erat: uterque scilicet, ut decuit, multum honoris gerens; sed lectulus suus omnem gloriam alterius longe præcellens, totus purpureo splendore et sericis ornamentis amictus, ad caput vero aurei staminis lintheo pulcherrime redimitus [302]. Sursum vero in capite erat aureis litteris scriptum [303]:

Munus hoc auctentum [304] filia sponsa tibi [305].

Cujus visionis ordinem cum aliquibus narrando exponeret: *Vide*, inquiunt illi, *quia Christo domino secundante* [306] *martyr eis futurus. Regis filia, quæ dat tibi regia dona, hoc* [307] *est domina cœli, sacratissima virgo Maria.* Hoc audiens ille, factus est lætissimo animo; et ingressus cubiculum cordis, egit gratias sancto sanctorum angelorum domino et omnipotenti [308] Christo. Hinc matrem gratiarum, quæ regis solio proxima sedet [309], prona cervice et gavisæ mentis jubilo adorat: *Gloria tibi*, inquiens, *virgo* [310], *maris stella, quæ me ut pia domina humillimum servum tuum respicere dignata es.*

25. Hac ipsa tempestate adiit Turoniam [311], quærens auxilio sanctum senem Martinum. Nec [312] præteriit Floriacum, qui [313] beatissimum corpus confessoris nostri [314] et patris Benedicti suo gremio [315] collocare meruit; ubi etiam, quis ille sit Domino [316] (54), cæcorum visus, claudorum gressus, surdorum auditus [317] et cœlestium miraculorum multa millia protestantur. Horum duorum karissimorum patrum sacris confabulationibus [318] pastus, læto animo regreditur ad imperiale domicilium. Inde

VARIÆ LECTIONES.

[277] præbe 3c. [278] qui 2. [279] et c. et 1. [280] *deest* 3a. [281] ubi propter pestiferum estum sibi suisque contrariam deserens Italiam imperator commoratus est alpium. Mansit 4a (... contrarium... est. Mansit) 4b. [282] *deest* 1. 3a. 4b. multum 4a. [283] s. e. e. n. p. ac d. v. d. *desunt* 1. [284] sanctissimus 3a 4a. amicissimus 3c. v. d. *desunt* 4b. [285] cubiculo 1. [286] imperali *corr.* imperialis 1. [287] camare *corr.* camere 1. curti vel cameræ. 3c. [288] *quæ sequuntur usque* non habere *desunt* 4a. [289] more 1. [290] *deest* 1. [291] p. *addito alia manu* si 1. [292] exhiberet. . . monstraret. . . timeret, etc. 3c. [293] electus 1. [294] plurima 2. [295] servitute 2. 3c 4a. *deest* 4b s. s. *desunt* 3a. [296] carum 1. [297] *deest* 1. [298] h. servat et m. 2. [299] volpharius 1. woltharius regius i. 3a cujusdam volfarii bone indolis nobilis alumni dictio 4a. c. u. b. i. relatio 4b. [300] et s. d. c. *desunt* 2. [301] currem 2. [302] et capitale aureo panno tectum 4a, b. [303] *reliqua capitis usque* dignata es *desunt* 4a. [304] *ita* 1. *glossa manu eadem*: auctoriale, optimum. [305] sponsatur 3a. donat 3c M. h. a. donat tibi sponsa filia regis 2. M. h. donat tibi filia regis 4b. [306] fec. 2. [307] hæc 3a. 4b. 5. *deest* 3c. [308] omnipotente 1. [309] sed et 1. [310] v. Maria m. 5. [311] tyronum 2. [312] hec 2. [313] quæ 2. 3a, c. 4b. [314] n. *et desunt* 3c. [315] grege 3a. 4b. [316] dominus *in loco raso* 1. *deest* 3a. 4b. d. (concedente) 3c. [317] s. a. *desunt* 3a. [318] s. et fab. 2.

NOTÆ.

(53) Leodiensi.
(54) Id est apud Dominum, cujus auctoritatis Benedictus sit apud Dominum.

quid sibi menti foret, quæ volente Deo agere vellet, sub lucem proferens, cœpit [319] cum dilecto cæsare familiarem [320] extremum sermonem habere. Finita locutione, pacis oscula invicem [321] libant, et amplius numquam sociandos [322] non absque dolore separant amplexus. Vir ergo sanctus ejus caram vitam carissimo Jesu multum commendans, secundum placitum [323] archipræsulis sui ad apostatricem [324] gentem [325] pergere cœpit. Sapuit ipse, quod consilio suo non obaudirent, sed ne inobediens esset, jussum iter adimplere maluit. Hoc etiam ejus animo magnam spem tribuit, quia si non in filiis, in [326] alienis et barbaris animarum lucra congregare potuit. Erant enim multæ nationes per circuitum, per quas aut sibi martyrium aut eis baptismi gratiam conferre potuit [327]. Gens autem hæc sceleratissima, ad quam redire compulsus est, in odium sui nominis grande nefas peregerunt. Nam parentes suos, nobiles et præclaros viros, misero vulnere prosternunt; fratres fratrumque filios, masculum una cum insonte femina, omnes morte sævissima dampnarunt; civitates (55) quoque eorum igne ac ferro devastantes, omnia [328] eorum bona in captivitatem redegerunt. Unus autem ex suis fratribus (56) dum hæc mala domi geruntur, cum Bolizlavo [329] Palaniorum [330] duce foras [331] in expeditione imperatoris erat. Dux vero ille pro amore sancti fratris magnis promissis et amicis [332] opibus eum solatur.

26. Ergo pro his sceleribus aditum sibi clausum esse [333] putans ille sanctissimus [334] heros, noluit frustrari adventum suum; sed declinavit ad præfatum ducem (*an.* 997), quia sibi amicissimus erat, et si [335] se [336] recipere vellent [337], per ejus missos explorare potuit. Quo facto, econtra illi magna indignatione remittunt ei iræ [338] et furoris plena verba, dicentes: *Sumus peccatores, populus iniquitatis, gens duræ* [339] *cervicis; tu sanctus, amicus Dei, verus Israhelita, et tibi omnia cum Domino. Tantum ac talem non portant cohabitationes et consorcia iniquorum. Et tamen unde novum* [340] *hoc genus, ut tociens repulsos, tociens abjectos non unius sed diversarum mentium* [341] *requirat episcopus? Agnoscimus* [342], ingeminant, *quid sub colore piætatis mendosum tinniat* A *hæc sanctitas. Nolumus eum; quia si veniet, non venit* [343] *pro nostra salute, sed pro puniendis malis et injuriis, quæ* [344] *fratribus suis fecimus et fecisse juvat* [345]. *Non est qui recipiat eum, non est usque ad unum.* Hæc et his similia audiens beatus [346] episcopus, tanto leticiæ risu exuberat, ut pene [347] a solito rigore magnum aliquid excederet. *Disrupisti*, inquid [348], *vincula mea. Tibi immolo* [349] *gloriam et sacrificium laudis, quia pastoralis curæ funes et* [350] *vincula de meo collo ipsorum refutacio liberavit. Fateor me hodie, o bone Jesu, totum esse tuum; tibi, dominator virtutis æternæ, laus honor et gloria. Noluisti eos, qui te nolunt et qui a via veritatis in desiderio* [351] *declinant.*

27. Inde adversus diram barbariem prophanosque B idololatras [352] gladium prædicationis acuens et aptans, cum quibus [353] primum, cum quibus postmodum dimicare oporteret, animo deliberare cœpit; utrum Luticenses, quos christianorum præda miserorumque hominum dampna pascunt, an Pruzzorum [354] fines adiret, quorum deus venter est (*Phil.* III, 19), et avaricia juncta cum morte [355]. Tandem alternanti pocior sentencia successit animo, ut quia hæc regio proxima et nota fuerat duci prædicto, Pruzziæ [356] deos et idola iret debellaturus. Dux vero [357], cognita voluntate ejus, dat ei navem et ipsam pro pace itineris terdeno milite armat. Ipse vero adiit primo urbem Gyddanyzc [358] (57), quam ducis latissima regna dirimentem [359] maris confinia tangunt. C Ibi, divina misericordia adventum ejus prosperante, baptizabantur hominum multæ catervæ. Ibi, missarum sollempnia celebrans, Patri immolat Christum, cui non post multos illos [360] dies se ipsum pro [361] hostia fuerat oblaturus. Quicquid vero superfuit de eo [362], quod ipse et novi [363] baptizati communicarunt, colligere jubet, et mundissimo panno involutum sibi servabat [364] pro viatico deportandum.

28. Postera autem die salutis omnibus inponitur carinæ et pelago, et tollitur ab eorum oculis numquam postea videndus. Hinc nauticum iter velocissimo cursu peragens, post paucos marinum litus egreditur, et reversa est navis cum armato custode. D Ipse autem pro præstitis beneficiis gratiam vectori

VARIÆ LECTIONES.

[319] *deest* 2. [320] f. et e. 3a. [321] *deest* 3c. [322] sac. 2. [323] *glossa* decretum 1. [324] *glossa* prevaricatricem 1. [325] *deest* 1. proficiscitur... in Sclavoniam 4a, b. *quæ sequuntur valde correpta habentur in* 4a. [326] *deest* 1. [327] gratia conferri 3a. 5. baptisma conferri 4b. [328] nomina 3a. [329] bolezawo 2. bolezlao 3a. boleslavo 3c. bolisclavum 4a. boleslao 4b. [330] *ita* 1. 4a. palaniorum *corr.* pulaniorum 5. poloniorum 2. bolaniorum 3a. polaniorum 3c. polonorum 4b. [331] *deest* 3a. [332] p. de amissis 3c. [333] iter 3a. [334] *deest* 5. [335] si bohemi se 4b. [336] *deest* 3a. [337] v. pragenses 5. [338] r. exire 2. [339] dire 1. 4a. [340] *deest* 3a. nova sanctitas exsurgit 4a, b [341] mencium *corr.* gentium 1. gentium 3c. [342] *vox bis scripta* 3a, c. 4a. cogn. agn. 4b. [343] veniet 4b. 5. [344] q. de f. 2. 3a. [345] *glossa* id est delectat 1. [346] illusus 3a, c. [347] bene 2. [348] D. i. Domine u. 4b, [349] sacrificabo 4a. 5. [350] *deest* 2. [351] desideria 3a. in propria d. 3e. 4b. [352] idololatras 3a, 4b. idololatrias 3c. [353] q. et postmodum 2. c. q. *desunt* 3c. [354] prusorum 3c. prussorum 4a, b. *constanter.* [355] m. est 3a. [356] pruziæ 1. 3a. [357] u. Prussiæ B. 4b. *vocem* Polonus *Bzovius inseruisse censendus est, qui hoc etsupra* duci Pruzziæ *jungit.* [358] *glossa* danyzc 1. gidanie 3a. gidanic 3c. gnesdon 4a. gedanum 4b. gyddanyze 5. [359] deprimentem 3c. [360] *deest* 2. 4b. [361] per *corr.* pro 1. p. h. *desunt* 2. [362] Deo 3a. [363] noti 1. [364] servavit 2. 3a, c. servat 4b. servari 5.

NOTÆ.

(55) *Lubic.* Vide Annales Pragenses Cosmas in poemate ap. Dobn. II, p. 40, Kurim (hodie *Kaurzim*) vocat.

(56) Sobiebor nomine.

(57) *Dantzig.*

bus et vectorum domina agens, remansit ibi cum geminis frtribus: quorum alter presbyter Benedictus, alter dilectus et a puero sibi comes frater Gaudentius erat. Tunc magna fiducia Christum prædicantes, intrant [365] parvam insulam, quæ curvo amne (58) circumvecta, formam circuli adeuntibus [366] monstrat. Venientes vero loci possessores, cum pugnis expulerunt eos [367]. Et quidam, arrepto [368] naviculæ remo, astitit episcopo propius, et ut forte psalmos in libro decantaverat, ingentem ictum inter scapulas dedit. Excussus manibus volat in diversa codex, et ipse extenso capite et membris jacet humo prostratus; sed exterius afflicto corpore quid pia [369] mens [370] intus ageret, risus cordis per vocis organum mox [371] patefecit. *Gratias tibi*, inquid, *Domine, quia etsi amplius non erit, saltim vel unum ictum pro Crucifixo meo accipere merui.* Transiens vero in aliam partem fluminis (59) stetit ibi sabbato (*April.* 17). Vespere autem facto, dominus villæ divinum [372] heroa [373] Adalbertum transduxit in villam. Congregat se undique inhers vulgus, et quid [374] de illo foret acturus [375], furibunda [376] voce [377] et canino rictu exspectant. Tunc sanctus Adalbertus, quis et unde esset, vel ob quam causam illuc veniret, interrogatus, talia econtra miti [378] voce respondit : *Sum nativitate Sclavus* [379] *nomine Adalbertus professione monachus, ordine quondam episcopus, officio nunc vester apostolus* [380]. *Causa nostri itineris est vestra salus, ut relinquentes simulacra surda et muta, agnoscatis Creatorem vestrum, qui solus, et extra quem alter deus non est; et ut credentes in nomine ejus vitam habeatis et in atriis inmarcescibilibus* [381] *cœlestium gaudiorum præmia percipere mereamini.* Hæc sanctus Adalbertus. Illi autem jam dudum indignantes et cum clamore blasphemiæ [382] verba adversus eum proclamantes, mortem sibi minantur. Et [383] extimplo terram baculis percutientes, fustes capiti ejus apponunt, et infrendunt dire dentibus in eum : *Magnum sit tibi*, inquiunt, *quod hucusque impune venisti, et sicut celer reditus spem vitæ, ita tibi parvæ moræ necis dampna creabunt. Nobis et toto* [384] *huic regno, cujus nos fauces sumus, communis lex imperat et unus ordo vivendi; vos vero, qui estis alterius et ignotæ legis, nisi hac nocte discedatis, in crastinum decapitabimini* [385]. Insa vero nocte in [386] naviculam imponebantur, et retro ducti manserunt quinque dies in quodam vico (60)

29. Hæc dum in illa parte geruntur, ecce in monasterio, ubi ille talis nutritus fuerat, cuidam converso Joanni Canapario [387] talia Dominus per visum ostendit. E summo cœli velut vestimenta deorsum veniunt usque ad terram duo [388] linteamina, alba sicut nix et munda absque omni sorde et macula. Ambo sua honera [389], singulos quidem viros, de terra levant; ambo felicissimo [390] cursu nubes et aurea sydera transnatant [391]. Unius nomen extra ipsum [392] qui hæc vidit admodum paucissimi sciunt; alter [393] vero erat, ut adhuc hodie ipse [394] meminit, domus Adalbertus, cui angelcus [395] minister jam cœlestis mensæ convivia præparavit. At pater Nilus ignotum est quid de eo videret; sed dulcibus scriptis eundem virum [396] ita alloquitur : *Scias, dulcissime fili, quip amicus noster Adalbertus ambulat cum Spiritu sancto, et beatissimo fine præsentem vitam erit terminaturus.* Item fratri Gaudentio, quæ opere [397] futura erant, nocturna quies [398] textis ambagibus dixit. Expergefactus ergo, si vellet audire somnium [399] suum, interrogat dilectum patrem [400] Respondit autem ipse : *Dic, si quid habes.* — *Vidi*, inquid, *in medio altaris calicem aureum, et hunc vino semiplenum; custos vero ejus nemo erat. Me itaque volente bibere merum, opposuit se mihi* [401] *minister altaris, et audacibus meis cœptis velut quadam imperiosa auctoritate contradixit, quia* [402] *nec mihi nec alicui hominum hanc licentiam dare vellet, pro eo quod tibi in crastinum pro mistica refectione foret servatum.* Hæc eo loquente, fugit somnus ab oculis, et occupat tremencia membra torpor ingens. *Deus*, inquit, *fili, prosperet hunc visum! Fallaci somnio neminem credere oportet.*

30. Jam exsurgente [403] purpureo die, cœptum iter agunt (*April.* 23), et Davitico carmine viam sibi adbreviant [404] et dulcis vitæ gaudium continuo appellant Christum. Inde memora [405] et feria lustra loquentes, sole ascendente ad meridiem, campestria (61) loca adierunt. Ibi fratre Gaudentio missam celebrante, sanctus ille monachus communicavit, et post sacram communionem pro alleviando [406] labore itineris pauxillum obsonii accepit. Et dicto versu et sequenti psalmo, surgit de gramineo cespite, et

VARIÆ LECTIONES.

[365] intravit 1. [366] adeuntes 2. [367] *deest* 2. [368] arepto 1. [369] pia *ex corr.* 1 diva 5. [370] m. ejus i. 2. [371] *deest* 2. [372] domnum 2, [373] *deest* 2. [374] q. primas de 4a,b. [375] acturum 2. [376] furibunda *corr.* furibundo 1. [377] *deest* 1. 2. 5. [378] mitti *corr.* miti 1. [379] bohemus 2c. [380] aplus 1 *manu alia inscripto* c. (apostolicus). [381] inmarcessib. 1. [382] blasphema 2. 3a, c. 4a, b. 5. [383] *deest* 2. 3a, c. [384] toti 3a. [385] *glossa sec. XI.* gihafdade werthath 1. [386] *deest* 1. navicule 2. 3a. [387] *glossa* sadulerie 1. campanario 3c. 5. [388] *deest* 1. 4b. [389] *ita* 4a. h *erasum* 1. *reliqui* onera. [390] *ita* 1. 3a, c. 4a, b. 5. velocissimo 2. [391] transeunt 2. transnant 3a, c. 4b. [392] i. onicrotem admodum 4a *Vox valde modesta, si Johannem ea scripsisse statuas!* [393] alter *usque* præparavit *desunt* 1. 5. [394] *deest* 3a 4b. [395] angelus 3a. [396] v. johannem 4b. [397] opera 2. 5. [398] quies 1. [399] sommum 2. 3a. [400] fratrem 5. [401] *deest* 2. [402] qui 3a. [403] exurg. 1. 4b. [404] abr. 1. [405] ::: ne mora 1. [406] aleu *corr.* alleu 1.

NOTÆ.

(58) *Pregel*, ut videtur. Cf. Cl. Voigt, *Geschichte Preussens* I, p. 266 sqq.

(59) In Sambiam, hodie *Samland*.

(60) E regione urbis *Pillau*.

(61) Nemus Pruzzorum sacrum ; vide Voigt p. 660.

quantum jactus est lapidis [407] vel missus sagittæ progressus, loco resedit (62). Hic [408] cepit eum somnus; et quia diutini [409] itineris fessus erat, pleno cornu profudit [410] eum sopori fera quies. Ad ultimum pausantibus cunctis affuit paganicus furor, et irruerunt super eos impetu magno, et injecerunt omnes in vincula. Sanctus vero Adalbertus stans contra Gaudentium et alium fratrem ligatum : *Fratres*, inquit, *notite contristari* [411]! *Scitis, quia hæc patimur pro nomine Domini, cujus virtus ultra omnes virtutes, pulchritudo supra omnes decores, potencia inenarrabilis, pietas singularis. Quid enim fortius, quid eo pulchrius, quam dulcem* [412] *pro dulcissimo Jesu fundere vitam*? Prosilit e furibundo [413] agmine igneus [414] Sicco [415], et totis viribus ingens jaculum movens, transfixit ejus penetralia cordis [416]. Ipse enim, sacerdos idolorum et dux conjuratæ cohortis, velut ex debito prima vulnera facit. Deinde concurrerunt omnes, et vulnera miscentes, iram exsaturant [417]. Profluit purpureus sanguis per foramina utriusque lateris; ille oculis ac manibus stat orans in cœlum [418]. Exiit rubeus amnis divite vena, et extractæ hastæ septem ingencia vulnera pandunt. Ille vinclis solutis extendit manus in modum crucis, et suppliciter fusis precibus pro sua et persecutorum salute ad Dominum clamat. Sic illa sancta anima carcere suo evolat; sic nobile corpus protenta cruce terram occupat; sic quoque multo sanguine vitam fundens, beatis sedibus et semper carissimo tandem perfruitur Christo. O sanctum et beatissimum virum, cujus in [419] vultu angelicus splendor, in corde semper Christus erat! O pium et omni honore dignissimum, qui crucem, quam voluntate semper et animo portavit, tunc etiam manibus et toto corpore complexus est! Accurrunt undique [420] armis [421] dira barbaries, et nondum expleto furore, auferunt corpori nobile caput, et separant exsauguia membra. Corpus vero loco dimittentes, caput palo fixerunt; et læto clamore sua scelera laudantes, reversi sunt unusquisque ad proprias sedes (63). Passus est autem sanctus et gloriosissimus martyr Christi Adalbertus IX Kalendas Mai [422] (64), imperante rerum [423] domino Ottonum tercio pio et [424] clarissimo cæsare, feria 6; scilicet ut qua die, dominus Jesus Christus pro homine, eadem die homo ille pro Deo suo pateretur [425]. Cui [426] est misericordia in seculum, honor, laus [427] et imperium in secula seculorum. Amen [428].

VARIÆ LECTIONES.

[407] lapis 2. [408] H. tum 3a, c. 4a, b. [409] d. labore i. 3c, 5. [410] perfudit 3a, c. 4a, b. [411] c. Quis ille ignobilis color subito mutavit genas vestras? Scitis 4a. [412] dulce est 3a. [413] foribundo 1. [414] *glossa* iratus 1. ignens 2. senex quidam 4b. [415] *glossa* proprium nomen 1. siggo 3a, c. [416] cordis sancti martyris Adalberti. Sanctus vero Adalbertus in se senem irruentem conspiciens miti voce dixit : « Quid vis pater? aut cur manus innocenti sanguine polluis atque cruentatas sponte diabolo tradis? » Ipse 4b. [417] extaurant 1. 3c, 4b. [418] cœlum erectis ait : « Domine adjuva me; » et vinclis solutis, extendit manus in modum crucis, et suppliciter preces effundens pro sua et pro persequutorum salute, ait : « Domine Deus omnipotens exaudi propitius orationem meam, et ne attendas istorum facinora, quæ in me indigno propter sanctum nomen tuum commiserunt; quia nesciunt quid faciunt; sed aperi januam cordis eorum, ut te factorem omnium agnoscant et intelligant, et ad te revertantur; ut passio mea non sit infructuosa, nec istis, nec aliis qui mei memoriam fecerunt; sed concede omnibus in præsenti sæculo quietem et pacem, et in futuro vitam æternam condonare digneris; Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu sancto cuncta gubernas in sæcula sæculorum, Amen. » Et dum complesset orationem, amputatum est caput ejus; sicque nobile corpus felici lapsu occupat terram. Sic sancta anima migravit ad Christum. Discipuli autem rapientes magistri cilicium sanguine aspersum, amaro planxerunt animo, dicentes : « Heu consolatio nostra et spes gaudi nostri! cur nos flentes non consolaris? » Sed ubi cadaver sanctissimi martyris et pontificis Adalberti corruit, concurrit undique armis munita dira barbaries, et nondum expleto furore, caput sanctissimi martyris palo fixerunt, corpus vero dilacerandum bestiis loco ipso dimiserunt; ei sic læto clamore laudantes sua scelera, unusquisque ad sedes proprias reversi sunt. Sed ut ostenderet omnipotens Deus, cujus meriti esset tantus martyr, per triginta dies jussa a Domino, ab aquila corpus ejus custoditur, ubi nulla fera, nulla avis accedere potuit. Eam divino judicio aquilam custodem discipuli aspexerunt. Post vero infidelis turba necdum humano sanguine satiata, tollentes corpus ejus miserrime dilaceratum, in mare dimiserunt. Inde vero indicio fulgidæ columnæ, super corpus ejus in cœlum usque porrectæ, manifestatum est corpus ejus discipulis; et venientes cum multis Christianis, abstulerunt corpus ejus, et conjungentes caput corpori, honorifice sepelierunt, et dignam ecclesiam nomine ejus construxerunt; ubi merita et virtutes ejus exuberant usque ad hodiernum diem. Passus est autem beatissimus Christi martyr et pontifex Abalbertus octavo Kalend. Maii, scilicet ut qua die Dominus Jesus Christis pro homine, eadem die ipse pro ejus nomine pateretur, ipso adjuvante, cui sit honor cum æterno Patre et Spiritu sancto, et nunc et per infinita sæculorum sæcula. Amen *desinit* 4b. — *In ms. Ultrajectino etiam* corpus tribus diebus ab aquila custoditum *teste Henschenio, Acta SS. p.* 187, *legebatur.* [419] *deest* 1. [420] u. cum a. 3c. [421] *deest* 2. 4a. [422] April. 1. [423] regum 5. [424] *deest* 1. [425] *reliqua desunt* 4a. [426] cujus 2. 3a. 5. [427] *deest* 1. [428] amen. Explicit passio et Vita S. Adalberti Pragensis civitatis episcopi 5.

NOTÆ.

(62) Inter *Pillau* et *Fischhausen*, v. Voigt. pag. 270, qui sanctum propter ingressum silvæ sacræ occisum fuisse conjicit; p. 660 sqq.

(63) De capella an. 1422-1424, in loco martyrii constructa et an. 1669 diruta v. Voigt p. 663 seqq.

(64) An. 997 dies 23 Aprilis in feriam sextam incidit.

MIRACULA SANCTI ADALBERTI MARTIRIS

1. Post mortem vero non defuerunt divina prodigia in miraculis eciam inter gentes. Nam digitus (65) ejus in aquam decidens et a pisce ipsum rapiente devoratus, de ventre ejus ad instar ardentis candele inter fluctus cunctis videntibus rutilabat. Quo miraculo attoniti [428*] piscatores, omni studio eum capere cupientes, quocumque se diverteret sequebantur. Nec mora, piscem capiunt et exuecerant et ex ventriculo ipsius sacrum digitum sancti pontificis, flammantem in ardentis candele similitudine, extraxerunt.

2. Circa idem tempus Prutenus quidam nobilis ex Pomeranis quorumdam causa negociorum venit in Sambiam terram, scilicet in Pruscie partibus specialem [429], in qua ab incolis beatus martyr Adalbertus martyrium consumavit; ubi cum a dicentibus cognovisset, quod ignotus quidam, cujus loquela ab eis non intelligebatur, apud ipsos fuerat interfectus, ex proposito cognoscendi defunctum, nec dubium quin spiritu Dei agente, pervenit ad locum. Reperiens igitur caput sanctum, audivit id loqui se oc dicere sibi : *Tolle me deferque me in Poloniam, in civitatem que Gnesen vocatur, et si illuc* [430] *usque munde te conservans me detuleris, reverenter gloria et diviciis tu et posteri tui in perpetuum sublimabimini super omnes qui habitant in hiis terris. Si vero pollueris viam tuam, generacio tua ultima non proficiet in melius nec decrescet in deterius, sed mediocri modo compares vestri similibus persistetis.* Hiis stupefactus homo gentilis tulit illud, reponensque in vase, profectus est versus Poloniam tendens. Cum autem in terram suam prope a domo propria pervenisset, cepit cogitatio pulsare animum ejus de videndis pueris suis et uxoribus, quas duas habebat. Victus hujusmodi igitur affectione, caput venerandum cum vase in quadam concava quercu recondens, domum ad suos perrexit cum voluntate quam cicius revertendi. Mandati denique transgressor effectus, cum rediens caput sacrum requireret, in loco ubi illud reposuerat non invenit; cognacio vero hominis supradicti, ut eciam ipsi qui ex ea sunt profitentur, rerum temporalium successu usque hodie in eodem statu permanet, sicut per illud divinum oraculum dudum fuerat declaratum. In loco autem, in quo caput martyris gentilis reposuerat, extitit olim ecclesia in honore ipsius martyris consecrata, et ipsa nomen et locus in reverencia habebatur, ibique facta pulchra miracula referuntur.

3. Legitur eciam, quod in Ungaria Christum predicaret beatus Adalbertus; primum quidem per nuncios suos, deinde per se ipsum, et innumerabilem populum verbo predicacionis atque multis miraculis ad fidem converteret. Accidit eum pervenire ad locum, ubi sedes et principalis totius regionis. Erat autem ibi ydolum quoddam celebre pre ceteris, ex quo demones frequenter dare manifeste responsa solebant. Hac igitur causa turbe vicinarum urbium ad hujus rei spectaculum statutis temporibus illud adorature conveniebant. Maxima itaque multitudine populi ydolum circumstante, sanctus pontifex, fide fortis, paratus pro Christo tradere in mortem animam suam, audacter accessit, et videntibus cunctis face accensa in conspectu sacerdotum ydoli, omnibus virtute Dei consternatis atque stupentibus, tante auctoritatis constanciam nullo contradicente, illud penitus concremavit.

4. Postmodum vero cum pagani proximi Polonie predicacionem ejus recipere nollent, adire voluit metropolim Polonorum, que Gnesen appellatur, devenitque in quandam villam, ubi de via ad civitatem prædictam requirebat. Sed homines loci audientes linguam ejus a sua plurimum dessonare, aspicientesque habitum ipsius, scilicet monachalem, sibi omnino invisum, risum commoverunt, et loquenti ad eos ac interroganti de itinere non dignabantur respondere. Tunc sanctus Dei spiritu plenus, qui per ipsum signa et prodigia faciebat, ait ad illos *Quia pro honore Dei loqui non vultis, ad gloriam ejus in nomine ipsius jubeo ut taceatis.* Hoc dicto, inde abiit, et recte viam Christo ducente invenit. Impii illi mox muti effecti, pertriti ac conturbati in eo quod acciderat ipsis, in dolore atque gemitibus sic manebant. Ultra ad aliam villam venit, et pro via inquirens, similiter et contemptui habitus est, ipsosque sicuti primos eodem multavit supplicio, ut quos consimilis culpe reatus obligabat pro pena digne constringeret, in utrisque non injurie sue vindictam mira expectans, sed in spiritu levitatis occasionem salutis eorum et gloriam christo Christi querens. Deinde ad terciam villam Deo duce deveniens, de itinere sciscitatus est, ac villani benigne respondentes, viam sibi humiliter ostenderunt. Qui.

VARIÆ LECTIONES.

[428*] ottoniti *c.* [429] spialem *c.* [430] illud *c.*

NOTÆ.

(65) Cf. libros de Vita S. Adalberti apud Dobner Mon. Boh., II, p. 56, 59, et Chron. Bohemiæ sæc. xiv, apud Mencken SS. Sax. III, p. 1647.

A bus gracias agens, exacto itinere longo brevi tempore angelo bono comitante, pervenit usque Gnesen urbem, plenam populo, potentissimam ac famosam. Continuo ad forum pergens, multitudini que aderat Christum confidenter predicat, premia vite eterne annunciat [431], Deoque cooperante et sermone confirmante, sequentibus signis plurimis et diversis, Christo domino innumeri crediderunt. Unde factum est, ut fama ejus modo per universam regionem percurrens ad illos [432] pertingeret, quos sanctus presul in nomine Christi dudum voce privaverat, non auditu, sicque persisterant nullo prorsus valentes subsidio relevari. Igitur ad virum Dei spe gracie ipsius inveniende unanimiter proficiscuntur, reperiuntque ipsum multo populo prædicantem. Recognoscentes autem eum, coram ipsa multitudine
B pedibus suis provoluti, suspiriis ac fletibus variisque gemitibus delicti sui veniam postulabant. Hoc [433] videns beatus Adalbertus, obmisso interim opere prædicacionis, cui toto conanime insistebat, conversus ad illos, ut animo mitissimus erat, placide alloquitur eos, dicens : *Scio, fratres, scio, qui estis. Video, quod manus Domini tetigit vos vobisque tribuit intellectum, ut peccatum vestrum cognoscentes ad Deum approximetis, qui sanat contritos corde, ac per hoc ipsum misericordem Deum, cujus ego servus sum, denuntio* [434] *errori vestro indulgentiam prestitisse. Propter quod servus ejus in nomine ipsius Dei et Domini nostri Jesu Christi creatoris omni linguæ* [435] *officium reddo.* Hiis dictis et signo crucis super eos facto, confestim solutum vinculum linguæ
C ipsorum, et cunctis stupentibus ceperunt loqui, Christumque verum esse deum magnis vocibus conclamare. Baptismi igitur graciam accipere cupientes, prius verbo fidei precatu ipsorum instruens eos, fecit ex aqua et spiritu regenerari [436]. In fide denique confirmati, sanctissimo pontifici alacriter omnes in commune supplicant, dicentes : *Sanctitatem tuam, famule omnipotentis Dei, unanimiter imploramus, ut pro iniquitate, quam quidem* [437] *ceca ac furiosa mente in te commisimus, aliquit mugnum nobis in satisfactionem imponas ad memoriam posterorum.* Ad quos beatus præsul : *Laudo vos,* inquit, *filii, quod sub manu Dei pia devocione humiliamini. Verumtamen certissime hoc scitote, quia illuc et cetera peccata vestra omnia vobis in baptimate sunt dimissa, tantummodo mentis vigilanciam observetis, ne ad*
D *pristina mala seu alia revertentes perceptam graciam amittatis.* Cumque magis ac magis instarent [438], statuit eis, ut ante quadragesimam a septuagesima, prius quam alii Christiani jejunium inchoarent, ipsi ab esu carnium usque ad diem cinerum abstinerent. Quod preceptum devote suscipientes, in vita sua fideliter custodierunt ac posteritati sue observandum quasi jure hereditario tradiderunt. Spiritu gracie Dei per beatum Adalbertum prædicante multa miracula faciente, fidem christianam tota Polonia suscepit, et fundata est veluti per unum de apostolis super apostolice fidei firmam petram, prefatumque tempus ac modum abstinencie ante pascha pro reverentia sancti Adalberti gratenter et communiter custodiendum acceptans, plurimos annos circiter 230 irrefragabiliter observavit, donec legatus quidam sedis apostolice magne auctoritatis, nolens [439] gentem Polonorum diucius aliis fidelibus in observacione annualis jejunii fore dissimilem, super præfato statuto circa annum [440] Domini 1247, auctoritate apostolica dispensavit.

5. Eciam legitur, quod volens beatus Adalbertus transire ad terras alias paganorum, socium laboris et itineris sui virum sanctum nomine Gaudencium in Gnesen pro se archiepiscopum constituit, perductusque in Pomeraniam a duce terre honorifice exceptus. Eundem quippe principem jam pridem sanctus Adalbertus in Polonia baptizaverat, cum illuc [441] advenisset pro filia ducis Polonie, ipsam sibi postulans in uxorem; quam illi tradere noluit antequam ibi ab compontifice Adalberto baptismi lavachrum percepisset. Proinde convocat dux Pomeranie populum suum, ut a sancto episcopo audiant verbum Dei. Audientes igitur Pomeranii quod predicaret, quia dii eorum quos colebant, dii non essent sed demones, nec aliquid prestare boni possent, vehementer indignati sunt contra eum blasphemantes, conveniuntque in unum qui inter eos prudenciores reputabantur, eum super verbis suis redarguere attemptantes [442]. Sed sancto Adalberto verba vite plenius prosequente, se in deceptione devictos confitentur, nec tamen a cultu consueto ac primis tradicionibus se velle recedere pollicentur. Ammirautes igitur valde super prudencia et responsis ejus et venerabili persone ipsius reverencia illecti [443], ipsumque super communem statum hominum esse aliquit arbitrantes, petebant, ut cum aliis diis eorum ab ipsis se permitteret adorari. Quo audito, vir Dei nimium contristatus ac tanto errori eorum condolens, graviter ingemuit, lacrimas quoque ubertim profundens [444], sic eis respondet : *Heu miseri! quam ceci estis et quam perditi, quantumque plorandi, qui non solum demonibus pessimis, sed eciam homini mortali deitatem vultis ascribere; que nisi soli Deo inesse potest, qui cuncta creavit.*

6. Inde Prusciam mare transiens, adjunxit se cuidam Pruteno, qui Polonicam linguam novit, quem ad fidem cito convertit. Qui hospicio beatum pontificem excipiens, ipsi revertenter sequebatur, et de mandato ejus, Christianum se esse ad tempus ab aliis occultabat.

7. Legitur et [445], quod imminente passione sua cum missam celebraret beatus Adalbertus, indigni

VARIÆ LECTIONES.

[431] annunciat *c.* [423] i. quos p. q. *c.* [433] hic *c.?* [434] denuntcio *c.* [435] lingua *c.* [436] regenerati *c.* [437] qd *c.* [438] instaret *c.* [439] volens *c.* [440] annos *c.* [441] illud *c.* [442] atemptantes *c.* [443] illegitti *c.* [444] profundentes *c.* [445] et quod et *c.*

pagani hoc videntes, inter se clamores excitaverunt dicentes : *Ecce hic ad nos veniens incantaciones et maleficia sua ad maledicendos nos et morbidandos exercet. Eamus igitur et pro conservancia nostra et patrie salute occidamus eum.* Cum autem velud insani adversus sanctum sacrosancta misteria peragentem [446] concurrerent, unus ex ipsis respiciens post tergum vidit immensam flammam ignis, que totam villam comburere videbatur, et vociferans fortiter sociis indicat ; propter quod omnes quam celeriter revertuntur. Nichil itaque dampni sibi accidisse cognoscentes, sed videntes quia illusi sunt, amplius quam antea furentes ad invicem loquebantur : *Fantasticum fuit quod aspeximus, et ex vi incantacionis ejus tale quod apparuit nobis.* Secundo igitur contra sanctum Dei atrociter accurrerunt, similique visione ut prius expavefacti, in villam cursu propero redeuntes, domos suas illesas omnino cum omnibus que habebant reperierunt, quas incendio penitus putaverant perisse. O mira potencia Dei ! O inscrutabilis altitudo sapiencie et sciencie ejus, que suaviter disponens omnia, illud divinum ac celeste sacramentum ludibrium estimantes, sic levi ludibrio delusit, ut delusores maligni per hoc corripi et sacrificia sancta cum sanctissimo pontifice assistente conservari illibata valerent.

8. Legitur eciam, quod caput ipsius abscisum super cacumen arboris, sub qua missam celebraverat, suspenderunt, et ut circumquaque ab omnibus a longe videri iniquorum exultacione posset, totam trunci partem proximam vertici desectis ramis totaliter nudaverunt. Cumque corpus sacrum membratim discerptum huc illucque disperdissent, hospes ipsius per angelum Dei divinitus ammonitus [447] est, ut membra sic diligenter colligeret, quatenus nil de ipsis deperiret et mente recondita reverentissime conservaret At ille celesti visione obediens, in timore sancto studiose peragebat quod sibi fuerat imperatum. Verumptamen cum [448] singula frustra solerter coherentibus artubus adaptaret, unius manus deesse sibi digitum deprehendit, quem quidam ex perfidis abscisum propter annulum, abstracto eum, in flumine projecerat [449] Hunc itaque sollicitus pluribus diebus hinc inde perquirens, et loca queque perscrutans, minime reperiebat ; die autem quedam uxor ejus mirata super hoc interrogavit eum, quidnam foret, quod tam anxius tantum queritans circuiret. Qui primo ullo modo revelare noluit [450], sed tandem victus tedio ex improbitate [451] conjugis, secretum sibi propalavit ; que mox utpote infidelis vicinis prodidit, qualiter apud virum suum sacre exuvie [452] collecte atque recondite haberentur. Cujus prodicionis quia vir auctor fuerat, illico os ejus ita inversum est monstruose, ut vix sumere cibum et potum, nullatenus loqui posset. Pagani autem, ex judicio in virum impetu facto, multis eum verberibus afficiunt, ac in vincula conjectum variis affligunt suppliciis, ut sanctas reliquias eis monstret. Denique relinquens mandatum Dei, derelictus est ab eo ; et traditus injuste potestati impiorum, satisfecit ipsorum voluntati. Traduntur tamen sancta membra prophanis manibus asportanda ; que cum disposicione superna reverenter ipsi barbari custodierunt, vel quia si hoc non facerent flagello divino percuti formidabant, aut quia Christianis ea vendere cogitabant. Illi vero qui digitum sancti pontificis in piscis ventre repererunt, properanter [453], ut legitur, illos, apud quos veneranda membra esse noverant, adierunt, omnesque sancti corporis digitum lumine celesti conspiciunt radiare, ad quod spectandum miraculum tota villa confluens et stupens, corpus beatum tanto clarificatum prodigio [454] deinceps ampliori reverencia confirmabant. Porro scientes Pruteni reliquias martyris gloriosi principi christianissimo duci Polonie magno Boleslao preciosas existere, mittunt ad eum nunccios dicentes : *Noveris, illum deum tuum, quem interfecimus, apud nos esse. Si vis magnam nobis dare pecuniam, prompti sumus transmittere illum tibi.* Audiens hoc nobilissimus princeps, gavisus est gaudio magno, et mittens precium postulatum, suscepit cum veneracione debita corpus sacrum. Fertur factum mirabile in virtute Dei, quia corpus illud, quod templum atque organum Spiritus sancti extiterat, ex pacto paganorum de pecunia reponderari deberet : positum in statera, levissimum factum est, quod quasi [455] nichil omnino indice equa lance appendere videatur. Cum deferretur [456] ad cenobium quod Gnesna nuncupatur pervenit, ibique de assensu predicti ducis cum congrua veneracione est primitus collocatum. Crebrescentibus igitur et longe lateque circumsonantibus [457] gloriosi pontificis signorum preconiis, vir ille qui hospes in Pruscia fuerat, cui reatus suus os intorserat, ad prefatum monasterium cum devocione venit, et fusis precibus cum lacrimis in animo contrito ad sanctum Adalbertum continuo usu sermonis sibi reddendo plenissime est curatus, et confirmatus in bono, usque in finem vite sue Deo et hospiti suo sancto martyri in sancta conversatione serviens permansit ibidem. Post aliquantulum vero temporis orto bello inter paganos finitimos et Polonos, metuens princeps memoratus, ne forte aliquo sinistro bellorum eventu tantum thesaurum perdere posset, sacras reliquias cum ingenti gloria VIII Ydus Novembris in Gnesen transtulit, ubi per ipsius martyris gloriosi merita mirabilia multa fiunt [458].

9. Denique Otto imperator, qui beatum Adalbertum in vita sua preceptorem, in justificationibus Dei familiarem atque amantissimum habuerat, in gravem egritudinem Rome existens decidit, et spe salu-

VARIÆ LECTIONES.

[446] concurrentem *c.* [447] amonitus *c.* [448] *deest. c* [449] projicerat *c.* [450] voluit *c.* [451] importunitate ? [452] eximie c. [453] properantur *c.* ? [454] prodigiti *c.* [455] quia *c.* [456] deferetur *c.* [457] circumdon *c.* [458] fuerit *c.*

tis medicorum [459] jam omnino fuerat destitutus. In extremis igitur positus, apostolos aliosque sanctos patronos Urbis pro vita conservanda suppliciter invocabat. Sed cum nullo [460] modo sibi adesse sentiret auxilium, ad sui pii [461] patris beati Adalberti se convertit patrocinium flagitandum [462], cujus plurima preclara miracula cognoverat, votum vovens, quod si eum liberaret, ipsius vellet limina in persona propria visitare. Mira res, quia mirabilis Deus in sanctis suis. Vix verba finierat, et ecce subito penitus sanus factus est cunctis stupentibus, surgensque in momento papam adiit, miraculum quoque ac votum ipsi ex ordine patefecit. Qui gavisus est, et Dominum, qui sanctos suos ita glorificat, in beato Adalberto glorioso suo martyre benedixit. Cum (66) igitur dictus imperator Otto tercius pro expleto voto in Poloniam advenisset, exceptus est in magnificencia et gloria magna a prefato duce Polonie Boleslao. Stravitque ei viam publicam de baldekinis et sammitis diversisque preciosis sericis ornamentis ad duo magna miliaria usque in Gnesen in templum ad tumbam sancti Adalberti. Videns autem christianissimus augustus circa eumdem ducem tantam diviciarum opulenciam frequenciamque et excellenciam regii apparatus in ministeriis, cibis et potibus, vasis aureis ac argenteis aliisque munificenciis, se quoque ab eo tam regali supra modum decencia susceptum et pertractum, dixit ad principes qui secum erant : *Magis decet talem principem esse consortem imperii quam subjectum.* Sumptoque (67) dyademate de capite suo, imposuit super caput ipsius, de consensu principum presencium ipsum regem Polonie coronavit. Sic itaque occasione veneracionis beati Adalberti gloriam regni primum Polonia adepta est, ceperuntque principes ejus extunc non esse subjecti regibus Romanorum. Iste (68) rex Polonorum, dictus victoriosus et pius Boleslaus, dilatavit terminos regni et famam celeberrimam gentis sue, a Danubio siquidem, magno flumine regni Ungarie, usque ad Salam, fluvium Saxonie, apud Hallis, et a Kiwe, que est Rusie metropolis, usque ad montes Karinthie, principatus ejus dominium tendebatur. Huic (69) successit filius ejus ejus Mesco in regnum. Post quem [463] filius ejus Kazmirius ex sorore (70) Ottonis imperatoris predicti cognominatus Karolus tercius regnavit, et post hunc quartus regnum tenuit filius ejus Boleslaus dictus Bellicosus, sed sceleratissimus, qui sanctum Stanislaum venerabilem virum, episcopum Cracoviensem [464], pro eo quod ipsum pro iniquitatibus suis argueret, interfecit; in quo defecit regnum et usque ad presens tempus deinceps rex in Polonia non surrexit. Dedit ergo in prefata coronacione Otto imperator regi Boleslao pro insignis regalibus lanceam beati Mauricii et unum ex clavis Domini, filioque ejus Mezconi sororem suam despondit in uxorem. Boleslaus (71) autem rex inter plurima excellentia [465] munera brachium sancti Adalberti cesari clarisssimo obtulit quod ille super omnia dena gratissime acceptavit, et gaudens ad propria est reversus, gratias agens Domino, cujus regnum eternum est et imperium super omnes in secula seculorum. Amen.

VARLÆ LECTIONES.

[459] *bis scriptum c.* [460] ullo *c.* [461] piis *c* [462] flagittandum *c.* [463] quam *c* [464] draconiensem *c.* [465] excelencia.

NOTÆ

(66) De sequentibus cf. Martini Galli Chronicon, Gedani 1749 fol., p. 60. 61, ubi hæc in libro de passione Adalberti legi dicuntur.

(67) Cf. Vitam S. Stanislai et Voigt Hist. Pruss. I, 277.

(68) Cf. Boguphali Chron. in Sommersberg SS. Siles. II, p. 25.

(69) De sequentibus cf. Martini Galli Chron. p. 68, et Boguphalum p. 25.

(70) Ex Richeza, filia Mathildis sororis Ottonis III.

(71) Cf. Martini Galli Chr. p. 61, et Boguphal. p. 25.

SANCTI ADALBERTI

EPISCOPI PRAGENSIS

HOMILIA IN NATALE S. ALEXII CONFESSORIS

(Apud Bolland. Julii tom. IV, p. 257.)

MONITUM.

Habemus ecgraphum ex tomo, ut signatur, 109 ms. bibliothecæ Casinensis, in litteris, ut ascribitur, Longobardicis, cum hoc titulo : *In natale sancti Alexii confessoris. Lectio S. Evangelii secundum Matthæum. In illo tempore dixit Simon Petrus ad Jesum : Domine, ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis,* etc. *Homilia venerabilis Adelberti episcopi.* Homilia hæc nunc excudetur magis propter

antiquitatem quam propter meritum, cum nihil novi de sancto nos doceat, rescissimus, quæ in principio scribit auctor de præmio illorum qui Christum sequuntur in voluntaria paupertate, quæque ad asceticos potius quam historicos spectant. Meminit de ea Baronius ad annum 1001, num. 10, additque ipsam in ecclesia SS. Bonifacii et Alexii Romæ dictam, quod repetit anno 1004, num. 8. Et vero dictam fuisse isto loco, colligitur ex verbis quibus affatur auctor in fine auditores suos.

HOMILIA S. ADALBERTI EPISCOPI PRAGENSIS AC MARTYRIS.

.... Hujus rei et in nobis, fratres charissimi, sæpe exemplum sumpsimus, cum alicubi pro rerum necessitate digredientes, cuncta nobis monasteriorum habitacula quasi propria patere cognovimus. Cunctos in nostrum obsequium sincerissima devotione pronos aspeximus, et maxime in beatæ memoriæ patre nostro Alexio, cujus hodie venerandam assumptionis diem debita solemnitate recolimus, totum lectionis hujus tenorem videmus perfectissime esse completum. Derelictis enim omnibus secutus est Christum, quando spretis omnibus, patre videlicet et matre, nec non sponsa cum carnali amore atque servis et ancillis universaque substantia, marinis fluctibus nimio cum labore superatis, Edessam Syriæ tandem pervenit ad urbem; ubi perfectam vivendi normam longo usu didicit, et despecto mundo, injuriis opprobriisque, fame et siti, frigore atque nuditate, mortificato corpore Christum totis desideriis sequebatur.

Sciebat enim ipsum in Evangelio dixisse : Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, et secutus me fuerit, non potest meus esse discipulus. Cumque hæc Dominicæ præcepta diuturno tempore ibidem exsequeretur, divina voce manifestatur hominibus : ac, ne vanæ gloriæ incurreret culpam, inde abscedere disposuit; ac sic dum Tharsum causa occultandi proficisceretur Deo volente, vi ad patriam reversus est. Cumque a patre pro paupere susceptus esset, ut audistis, in domo propria ut peregrinus manebat. O quanta constantia quantaque ejus fuit patientia! Quis enim narrare poterit quantas tentationes, quantosve fluctus in sui sacratissimi pectoris arcano pertulerit dum patrem pro se tanto mœrore affici conspiceret, sciret etiam matrem nocte dieque in fletu et gemitu perdurare? Videbat insuper servos proprios deliciis abundare vestibusque pretiosis indutos incedere, et se ab omnibus contemptui haberi : tolerabat ad hæc opprobria irrisionesque eorum, et quasi jam mortuus sæculo, solo tantum spiritu Christo vivebat.

Nam quomodo ipse adhuc fragili circumdatus corpore hæc tot incommoda sufferre valeret, nisi divino amore ejus cor intus accensum arderet? Sed ista omnia divina agebantur prudentia ut ei accresceret gloria, et nos exemplo patientiæ illius ad eadem sectanda instrueret. Nosse etenim convenit fraternitatem vestram, quantam gloriam per patientiam apud Deum promeruisset ut divina voce homo Dei sit appellatus et ejus oratio pro scelere totius Romani populi accepta esse diceretur. Magni etenim meriti est, fratres mei, hominem Dei divina voce appellari, quoniam cum prophetæ filii hominis et non homines Dei ab eodem Domino sunt appellati; iste quasi quodam privilegio homo Dei est nominatus. Sicut ipse singulari præ cæteris dimicavit certamine, ita speciali vocabulo a Domino meruit nuncupari.

Cum enim carnales nuptias amore divino inflammatus contempsit, Dominico meruit thalamo copulari atque inter illa innocentum agmina Agnum sequentia connumerari, qui cantant canticum novum ante sedem Dei et Agni. Hi sunt enim qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocunque ierit. Merito homo dei, id est templum Dei, hospes Christi, habitaculum Spiritus sancti effectus est. Jure dictus est pro Roma orando exaudiri, qui in Roma singularem studuit ducere vitam; et bene ei congruit sermo Dominicus, qui dicit ? Qui dimiserit uxorem aut filios propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit.

Quod enim pro Christo dimisit, hoc centuplum accepit; quia nimirum centuplo majus ei fuit meritum castitatis inter continentes propter fructum spiritus, quam inter lascivientes quondam propter desiderium carnis : filios inter quos carnaliter tunc habere despexit, nunc centuplum accipere meruit spiritales. Centenarius quippe numerus, ut sæpe dictum est, perfectionem figurate denuntiat. Nos namque licet nec servi appellari digni, filii tamen ejus sumus; quia nos in hanc suam domum (72) sub monastica professione pius apud Deum intecessor congregavit. Nos sumus ejus filii quos diversis carnaliter editos parentibus in unam sanctæ professionis famitiam spiritaliter non cessat coadunare. Nos sumus filii ejus, si iter virtutum ejus imitando tenemus; si non a patientia quam in se ostendit, torpendo deflectimus.

Unde necesse est, fratres charissimi, ut tanquam boni filii et tanto parente digni, exempla illius sanctissimæ vitæ sequi curemus. Non nos a vestigiis tanti patris sequendis ulla animæ vel carnis illecebra revocet, quatenus et ipsi qui carnales affectus substantiamque reliquimus terrenam; qui uxores ducere ac filios carnaliter procreare angelicæ conversationis amore fastidivimus, a rege cœlesti virtutum spiritualium merito et in præsenti centuplum accipere de societate sanctorum, et in sæculo ven-

(72) Hinc colligi videtur homiliam istam dictam a S. Adalberto Romæ in monasterio aut templo SS. Bonifacii et Alexii.

turo vitam possidere mereamur æternam. Quod ut obtinere possimus, toto mentis affectu ejus patrocinia imploremus cujus natalitia celebramus (75). Dat nobis fiduciam hæc implorandi qui cum pro Roma orantem se exaudire promisit. Ipse enim qui nos admonuit orationem ejus quærere, per ejus merita nos exaudire dignetur. Qui trinus in personis, et unus in substantia vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(95) Ex his verbis ac superioribus num. 1, *cujus hodie venerandam assumptionis diem debita solemnitate recolimus*, liquet dictam esse hanc homiliam festo S. Alexii, eodem, ut suspicor, die quo hodiedum colitur apud Latinos 17 Julii.

PROFESSIO REGULÆ S. BENEDICTI

ABEATO ADALBERTO

Romæ in monasterio SS Bonifacii et Alexii confessorum, die 2 *Aprilis anni* 991 *facta.*

(Aapud Bocsek, *Codex diplomaticus Moraviæ*, p. 104.)

† Ego Adalbertus promitto stabilitatem meam et conversionem morum meorum et obedientiam secundum regulam sancti Benedicti, coram Deo et omnibus sanctis ejus et abbate Augustino præsente.

ANNUM DOMINI DCCCCXCIX.

GREGORIUS V PAPA.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Eggs, *Pontificium doctum*, pag. 287.)

Gregorius V, natione Germanus, Bruno antea dictus ex ordine S. Benedicti, Othonis Saxoniæ et Sueviæ ducis ex Juditha paris prosapiæ femina illustris filius Joanne XVI mortuo, ob vitæ morumque integritatem, magnamque rei litterariæ cognitionem, Othonis imperatoris suasu, qui Romæ tum aderat, a clero populoque Romano, sexto Kal. Septembris anni 996, Romanus electus est pontifex. Hic ob largissimas eleemosynas, dietim in pauperes, viduas, atque pupillos erogatas, aliaque innumera dona oratoriis, ecclesiis, et monasteriis facta, *Gregorius Minor* ad distinctionem *Magni* appellatus est.

Anno sui pontificatus primo, bona omnia superioribus annis Ecclesiæ Ravennati a pontificibus concessa, Joannis archiepiscopo confirmavit, sanciens, ne ab ullo clerico Ravennate per omnem Æmiliam et Pentapolim portiorum aliquod exigeretur. Roberto Galliarum regi, Hugonis Capeti filio incestas cum Bertha nuptias interdixit; quare Robertus relicta Bertha Constantiam Willhelmi Tolosani comitis filiam, annuente Gregorio, in matrimonium duxit. Gaudentium fratrem sancti Adalberti Pragensis episcopi, Miecislao principe id per litteras, et nuntios petente, ad Guesnensem cathedram in Polonia evexit. Heriberto archiepiscopo Coloniensi jus pallii concessit eumdemque postea in numerum septem electorum, quibus creandi imperatoris Romani jus concessum est, assumpsit, Othonem III cum Maria conjure imperiali, corona, et Augusti titulo in basilica Vaticana insignivit.

Anno vero Christi 997, abeunte in Germaniam Othone Augusto, Crescentius vetere dominandi libidine stimulatus, Gregorium pontificem diris seditionibus exagitare cœpit. Cujus vim cum Gregorius omni præsidio militari destitutus ferre diutius nequiret, Joannis prædecessoris exemplo, Urbe egressus in Etruriam se recepit. Gerebat eo tempore Placentiæ episcopatum Joannes quidam *Philagatus* appellatus, natione Calaber, patria Rossanus, professione monachus Cassinas, qui litterarum scientia, qua excellebat et pecuniæ magnitudine, qua cæteros superabat, inflatus, eo usque arrogantiæ fuerat prolapsus, ut semetipsum ultro archiepiscopum appellaret. Hunc igitur, quod pecuniosus esset, turbisque concitandis aptus, Romani nacti, auctore Crescentio, pseudopontificem adversus Gregorium absentem proclamarunt. Qua re cognita Gregorius in Germaniam, questurus simul injuriam, ac opem Cæsaris imploraiurus, concessit. Crescentius rerum edoctus, nihil de contumacta remisit, quin potius, quasi certum Othonis bellum haberet, Urbis mœnia firmare, aggeres struere, fossas agere, et ante omnia molem Adriani (a suo nomine postea *Crescentii* dictam) variis propugnaculis, commeatu, et milite munire cœpit.

Otho Gregorii precibus exoratus, eodem anno cum firmissimo omnis generis copiarum robore re-

diit in Italiam, agnati pontificis injuriam ulturus. Exercitu Roman adducto, urbique admoto, civibus parere recusantibus, Urbem fortiter oppugnat. Aliquamdiu acriter restitere Romani, a Crescentio et antipapa spe magna præmiorum animati. At invalescentibus omni ex parte Germanis, cum obsessi rerum penuria laborantes, tantum impetum amplius sustinere non possent, Cæsari portas ultro aperiunt, Urbisque deditionem faciunt Crescentio, et antipapa intra molem Ariani dilapsis. Otho cum suis Urbem ingressus, Gregorium decimo, postquam exactus est, mense sedi suæ restituit, rebusque in Urbe depositis, Crescentium cum Joanne antipapa in arce obsedit. Cum vero in longum obsidio traheretur, Cæsar propositis præmiis, Germanos, ut acrius incumberent, incendit. Qui impetu quaquaversum facto, arcem denique, ut Ditmarus scribit, expugnant; sævitum in omnes; Crescentius vulneratus captusque, muro præcipitatus est : cujus cadaver post terga boum religatum, ac per paludes, tractum probeque illusum, denique in conspectu Romanorum excelsa trabe suspensum est. Simile supplicium de iis pariter sumptum, qui ex complicibus supererant.

Joannes vero antipapa, jussu Cæsaris, oculis orbatus, ac naribus auribusque præcisis, jumento impositus, toti Urbi, per quam circumducebatur, vectoris sui caudam in manibus tenens, acerbum spectaculum fuit. Tum in Germaniam exsulatum missus, paulo post dolore vulnerum animique mœrore confectus decessit, cum sedisset in Romana cathedra quam invaserat, circiter menses decem. Hic dum adversus Gregorium sederet, legatum misit in Galliam Petrum cardinalem, ut ecclesiam, quam Fulco comes Andegavensis in diœcesi Turonensi erexerat, suo nomine consecraret. Verum ipsa die ad consecrationem præstituta, templum derepente corruit, veluti respueret Deus ipse templum per schismaticum, aut sanctæ sedis invasorem in sui honorem dedicatum.

Interim Gregorius, sublatis æmulis, debitæ sedi ac libertati restitutus, inito cum Othone consilio, animum tum ad reformandum stabiliendumque Romanæ Ecclesiæ statum, tum ad electionem imperatorum pacifice et absque tumultu in posterum faciendam adjecit, conciliumque episcoporum Romæ eapropter coegit : cujus acta licet perierint, ex fragmentis tamen, quæ deinde reperta sunt, revocantur in lucem quæ perierant. Mentio imprimis hujus concilii Romæ sub Gregorio V habiti exstat in rebus gestis S. Adalberti, scriptis ab auctore illius temporis, quibus significatur in hac synodo agitatam fuisse causam S. Adalberti Pragensis episcopi, judicio postulati ab archiepiscopo Moguntino de facienda in sua ecclesia, quam reliquerat, residentia. Quod autem majoris momenti est, ad hoc ipsum concilium referendum videtur, quod de imperatoris electoribus (archiepiscopis scilicet Moguntino, Trevirensi, Coloniensi, tum marchione Brandeburgensi, comite Palatino, duce Saxoniæ, et rege Bohemiæ) ab eodem pontifice Gregorio constitutum multorum assertione traditur; siquidem res magni momenti nonnisi consultis Patribus, collectis episcopis in synodo fieri consueverunt. Legendus hic venit Platina in Gregorio V, et Baronius tomo X ad annum 996, Bellarminus, et alii; præsertim Jo. Palatius Venetus tomo II Monarchiæ occidentalis, lib. II, cap. 3, ubi late ac solide hanc ipsam quæstionem tractat.

Sedente Gregorio ad clavum Ecclesiæ, Hungari Christianam fidem amplexi sunt; virique per id tempus sanctissimi vixere, Romualdus scilicet abbas, Bonifacius Russorum apostolus, Othonis cognatus, et Romualdi discipulus; Adalbertus in Prussia martyr: Stephanus Hungariæ rex; Maiolus abbas Cluniacensis, et Roswitha sanctimonialis Saxonica, Græce et Latino supra virum docta.

Obiit vero Gregorius, administrato optime pontificatu (cui biennium supra menses quinque, ac dies 24, præfuit) duodecimo Kalendas, Martii anno nostræ salutis 999, sepultus ad S. Petrum in Vaticano, juxta cineres B. Gregorii Magni cujus in Vita æmulator exstiterat, cum hoc sequenter adhuc exstante epitaphio.

Hic, quem tegit humus, oculis vultuque decorum
  Papa fuit Quintus nomine Gregorius.
Ante tamen Bruno, Francorum regia proles,
  Filius Othonis de genitrice Judith.
Lingua Teutonicus, Vuangia doctus in urbe.
  Sed juvenis cathedram sedit apostolicam.
Ad binos annos, et menses circiter octo (quinque),
  Ter senos Februo connumerante dies.
Pauperibus dives, per singula Sabbata vestes
  Divisit, numero cantus apostolico.
Usus Francigena, Germana, et voce Latina,
  Instituit populos eloquio triplici.
Tertius Otho sibi Petri commisit ovile,
  Cognatis manibus terrenæ vincula carnis,
Exuit et postquam terrenæ vincula carnis,
  Æquivoci (*i. e.*, Gregorii M.) dextro substituit lateri.

DECESSIT. XII KAL. MARTII CMXCIX.

GREGORII PAPÆ V
EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA

I

GREGORII PAPÆ V EPISTOLA AD WINIZONEM ABBATEM.

(Anno 996.)

(Apud Ughelli, *Italia sacra*, tom. III, col. 618.)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei dilectissimo in Christo Domino, filio Winizoni, venerabili abbati sancti Salvatoris, sito in comitatu Clusino territorio monte Amiato; tibi videlicet tuisque successoribus, in perpetuum in Domino salutem.

Quoniam semper sunt concedenda, quæ rationabiliter et congrue a fidelibus petuntur ob devotionem pii conditoris nostri oportet nos in privilegiis præstandis nostram nullo modo denegare munificentiam. Igitur quia vestra dilectio nostræ sublimitatis apostolatum humiliter rogavit, quatenus prædictum monasterium sancti Salvatoris institutum in supra nominato comitatu, et territorio privilegiis apostolicæ sedis decoretur, ut sub dictione juris sanctæ nostræ, cui Domino auctore præsidemus, Ecclesiæ institutum nullius alterius ecclesiæ juri vel dictioni submittatur. Pro qua re vestris piis desideriis, per hanc nostram auctoritatem, quod postulastis libenter

concedimus. Et ideo cujuslibet ecclesiæ sacerdotem A in præfato monasterio quamlibet jurisdictionem, vel potestatem, sive auctoritatem præter sedis apostolicæ pontificem habere prohibemus, ita ut nisi ab abbate monasterii ejusdem fuerit invitatus, nec missarum solemnia ibidem omnimodo celebrare præsumat. Hanc denique nostram apostolica auctoritate constituimus, et nulla alia magna seu parva persona eisdem vero monasterio, sive inferius in servis videlicet, vel in famulis, aut etiam in servis, vel ancillis, necnon etiam in liberis, vel in cunctis rebus ad id pertinentibus, videlicet, in casis et possessionibus quomodo aliquam molestiam inferre præsumat. Pariterque concedimus et confirmamus eidem sancto monasterio primitias, vel decimas de suis hominibus sive de præceptalibus, atque sacrum B baptismum liceat celebrari in ecclesia S. Benedicti, et in ecclesia S. Mariæ in Lamule, sicut concessum est a partibus regum per præcepti paginam, quidquid ibidem contineri videtur, vel si quid ab antecessoribus nostris pontificibus sanctis, scilicet Stephano, Adriano, Joanne, Formoso. vel ab aliis antecessoribus nostris pontificibus eidem monasterio concessum est, totum hoc in integrum apostolica auctoritate vobis vestrisque successoribus concedimus et confirmamus. Chrisma quoque et oleum sanctum, a quacumque ecclesia voluerit, vel potuerit licenter accipiant, statuentes apostolica censura præcipimus ut nullus dux, marchio, comes, vicecomes, castaldus vel aliquavis magna seu parva persona, ullum districtum in aliquibus castris ipsius manum habere, vel judicare, seu aliquid placitum tenere C audeat, nisi ab ipsius monasterii abbate invitatus fuerit. Hoc quoque apostolica auctoritate præcipiendo sancimus, ut neque episcopum, vel alium quemquam de ordine clericorum, ecclesias, parochias, cellas, vel prædia, vel quæcumque loca, seu res præfati monasterii auferre aut abalienare quovis modo præsumat, aut quamlibet controversiam, sive injuriam, seu aliquam damni jacturam in rebus, possessionibusve, vel in nullis utensilibus, sive ornamentis, prædicto monasterio inferre audeat. Hæc omnia, quæ superius memorata sunt, videlicet decimas, primitias, oblationes ad sæpe dictum monasterium pertinentes, necnon et baptismum, et chrisma, et oleum tibi, dilecto filio, Winizoni abbati, tuisque successoribus in perpetuum a præsenti D nona indictione per hanc nostri privilegii paginam apostolica auctoritate confirmamus, atque concedimus secundum prædictum modum, ob hoc præcipue, ut in eodem monasterio pro stabilitate regni gloriosissimi imperatoris nostri Othonis tertii, et pro nostra anima, nostrorumque antecessorum, seu successorum pontificum devota sine intermissione fiat oratio. Denique statuimus ut dum abbas de hoc sæculo migravit, neque rex, neque dux, neque marchio, neque episcopus, neque comes, neque ulla alia persona ibidem abbatem ordinare præsumat; sed congregatis in unum cunctis ejusdem monasterii fratribus, ex communi consensu, Dei providentia, qui dignus hoc honore visus fuerit, ex propria congregatione abbatem ibidem ordinare. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra ea, quæ ab hac nostra auctoritate pio et firmiter per hoc nostrum privilegium deposita sunt, contraire tentaverit, vel hæc, quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi præsumpserit, sciat se auctoritate Dei, et beati Petri apostoli, et trecentorum decem et octo Patrum sanctorum anathematis vinculo innodatum, cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterni incendii supplicio concremandum, nisi quod male peccavit, digne correxerit. At vero, qui pio intuitu custos, et observator exstiterit hujus nostri apostolici privilegii hanc confirmationis benedictionis gratiam a misericordissimo judice Domino nostro, vitamque æternam cum omnibus electis Dei consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manus Petri regionarii notarii, et scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Maio, indictione suprascripta nona. Bene valete.

Data VI Kal. Junii per manus Joannis episcopi sanctæ Albanensis Ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, et indiction. IX, anno pontif. D. Gregorii summi pontificis, et universalis E. PP., anno primo, imper. D. Othone a Deo coronato, magnoque anno primo mense Maio, et indict. suprascripta subscripsit.

Theobaldus episcopus S. Bellitrensis Ecclesiæ.

Petrus, episcopus S. Prænestin. Eccles.

Azzo, episc. S. Ostiensis Ecclesiæ.

Abbo, archidiaconus sanctæ Rom. Ecclesiæ.

Crescentius, ablationarius, sanctæ Rom. Ecclesiæ.

Amico vir vener. presbyter, et card. sanctæ Rom. Ecclesiæ.

II

GREGORII PAPÆ V PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA CAMERACENSI (1).

(Anno 996.)

[Apud Mansi *Concil.* XIX, 28.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dile-

(1) Anno Christi 996 Herluinus Cameracensis episcopus Romæ a Gregorio V pontif. max. ordinatus, cum in Romana synodo de iis qui Ecclesiæ suæ bona invaserant, conquestus esset, Gregorius privilegiis Ecclesiam illam communit, invasoresque excommunicavit. Cujus rei mentionem, et Gregorii litteras habet Baldrici episcopi Noviomensis Chronicon lib. I, cap. 3 : « Exin, inquit, habita inibi synodo cum imperatore, papa residente cum episcopis, abbatibus, presbyteris, cum de necessariis Ecclesiæ negotiis satis tractaretur, Herluinus episcopus surgens, populatores suæ parochiæ cum gravitate querimoniæ indicavit. Sed et quod nuper opes sui antecessoris, ut præmisimus, a Walthero et ab aliis devastatas repererit, in medio proclamationem extulit. Unde papa confirmante, imo episcopis, abbatibus, cunctis quoque qui ibi residebant, assentientibus, » etc.

cto filio HERLUINO, sanctæ Cameracensis Ecclesiæ A antistiti, suisque successoribus in perpetuum.

Curæ pastoralis officium, summæ sedis dignitas qua nos, licet indigni, utimur, compellit nos non solum nobiscum manentia, verum etiam longe posita sanctæ Dei Ecclesiæ mysteria, Christo annuente, vigilanti sollicitudine custodire et gubernare. Quoniam vero, sicut omnibus pene notum est, interveniente hac re quæ inter Arnulfum Remensis Ecclesiæ archipræsulem, et Gerbertum invasorem ejus, excrevit, idem prædictus Herluinus præsul, illorum odiis, Remis canonico more consecrari nequivit, ejus consecratio ad apostolicam sedem usque ad nos haud injuste pervenit. Quem consecrantes, lacrymabilem ab ea querimoniam audivimus, scilicet quod tempore antecessorum suorum idem episcopium multipliciter a malignis hominibus deprædatum sit. Unde et nos humilime imploravit ut nostra apostolica auctoritate aliquod ei subsidium contra inimicos sanctæ Ecclesiæ daremus. Cujus precibus annuentes, per istud nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium sancimus ut nullus dux marchio, comes, vicecomes, seu aliqua magna vel parva persona, dehinc prænominatæ Ecclesiæ loca invadere seu deprædare præsumat, Quod si præsumpserit, sciat se a nobis, Christo auctore ac B. Petro apostolo, anathemate illigatum, quousque prædictæ sedis antistiti satisfecerit, vel, Romam veniendo, se ibidem purificaverit. Hoc quoque nobis similiter intimatum est, quod obeunte episcopo vel cæteris sacerdotibus prædictæ sanctæ Cameracensis Ecclesiæ, aliqui diabolico repleti spiritu soleant res C ecclesiasticas, quas vel episcopus, sive etiam sacerdotes reliquerint, diripere ac devastare. Quibus itidem apostolica censura ne hoc amplius agere præsumant interdicimus. Quod si fecerint, cujuscunque sunt ordinis vel dignitatis, sciant se anathematis vinculo perclusos, quousque hoc digna satisfactione correxerint. Illud quoque magnopere præoptamus ut fratres in cœnobio ejusdem ecclesiæ commanentes, cunctæque congregationes ad eam pertinentes, quidquid juste ac legaliter possidere debent, sine aliqua diminutione firmiter teneant atque possideant, ut temporalibus præsidiis sufficienter adjuti sine murmuratione, sempiterna fiducialius appetere valeant. Insuper eidem Herluino episcopo suisque successoribus in perpetuum per hanc nostri præ- D cepti paginam concedimus et confirmamus ut nullus dux, marchio vel comes, seu alia quævis magna vel parva persona, aliquem districtum, sive judicium vel aliquod placitum in aliquo loco sæpe nominati episcopii tenere audeat, nisi ab ejusdem sedis episcopo licentiam acceperit vel invitatus fuerit : sed liceat sibi de suis quemcunque voluerit, ad id officium peragendum ordinare. Si quis autem, quod non optamus, hujus nostri apostolici privilegii violator exstiterit, sciat se cum Juda traditore et apostaticis angelis æterno igne concremandum. Qui vero creator et observator fuerit, benedictionem et gratiam, et indulgentiam peccatorum suorum ac vitam æternam a Christo salvatore nostro consequi mereatur. Amen.

Scriptum per manus Petrisgonis notarii et scriptoris sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio et indict. nona. In Christo bene valete. Anno I pontificatus domni Gregorii summi pontificis et universalis Ecclesiæ papæ [illegible] domni Ottonis Tertii imperatoris anno undecimo.

III.

(2) DIPLOMA GREGORII PAPÆ V WERINFRIDO ABBATI CONCESSUM.

(Anno 996.)

B *Confirmat omnes monasterii possessiones, atque eligendi abbatis, primum ex Stabulensi, deinde ex Malmundariensi cœnobio.*

(Apud Marten., *Ampliss. Collect.* II, 52.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. GREGORIUS episcopus servus servorum Dei WERENFRIDO religioso abbati salutem et apostolicam benedictionem.

Tum summæ apostolicæ dignitatis apex in hoc divini roboratus nitore dignoscitur præfulgere, si in acquirendis Dei laudibus suis impensius studebit laboris exhibere certamen. Ob hoc debita nos ejusdem apostolicæ pastoralis compellit sollicitudinis cura, quæque ad stabilienda piorum pertinere dignoscuntur locorum ubertim promulgare, et apostolicæ institutionis censura confirmare. Igitur quia postulasti, C frater, a nobis, quatenus monasteria a venerabili Patre Remaclo in honore sancti Petri constructa, id est, Stabulaus et Malmundarium, sita saltu Arduennensi, privilegio nostræ auctoritatis muniremus, et quia justa visa est nobis petitio tua, assensum tibi præbemus per hujus nostri privilegii constitutum, et roboramus apostolica auctoritate, atque decernimus secundum antiquorum edictum regum, id est, Sigiberti, Chludovei et Dagoberti, qui et eorum constructores fuere monasteriorum, nec non et imperatorum Karoli, Ludovici et Ottonis Augustorum, ut loca determinata, vel villæ, aut possessiones, quæ ab ipsis imperatoribus ipsi sancto sunt traditæ, et per eum utrisque ecclesiis divisæ, usibus deserviant monachorum, nullique liceat advocato, vel in placitis, aut D castellis ea inferre, quod percutimus æterno anathemate. Præterea sancimus, sicut ab ipsis imperatoribus est definitum, ut utrinque in unum e duobus monasteriis confluentibus monachis habeant sine simulatione, sine exceptione personæ, sine respectu pecuniæ, secundum sancti Benedicti regulam, abbatem eligendi liberrimam optionem, ea tamen præponderante ratione, Malmundariensium pace, ut quia beatus Remaclus utriusque monasterii constructor, et Tungrensium antea episcopus et pastor, maluit in altero eorum, id est Stabulensium, locum sepulturæ sibi eligere, ipsi primam electionis obtineant vidam, si apud eos melior meritis et probabilior inve-

(2) Suspectum. JAFFE.

niatur. Sin autem non ille, sed Malmundarii reperiatur utrique loca præficiendus, ab eo potius quam ab externis assumptus intromittatur. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit his quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dictorum monasteriorum statuta sunt refragare, aut hæc in quoquam transgredi, sciat se anathemate innodatum, atque cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christi tartari incendiis concremandum. At vero si pio intuitu observator et custos ductor fuerit, hujus nostri apostolici constituti, ad cultum Dei respicientis, misericordiam a misericorde Deo nostro multipliciter consequatur, et beatæ vitæ possessor effici mereatur.

Scriptum per manum Joannis notarii regionarii atramentarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, anno Dominicæ incarnationis 996, indictione IX, mense Junio, die II. Bene valete.

IV.

GREGORII PAPÆ V BULLA PRO MONASTERIO S. MARTINI TURONENSI.

(Anno 996.)

(Apud Mabill., *De re diplom.*, p. 669.)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus fratribus in monasterio sancti Martini viventibus, Ottoni scilicet decano eximii gregis beati Martini patroni nostri.

Innotuit satis profecto digne auribus nostris qualiter idem grex nunc usque degerit, atque privilegia tam regalia quam præcessorum nostrorum domni Adeodati atque Nicolai habuerit, ut, seposita potestate episcopali Turonicæ urbis, quidquid in supra fato grege disponendum erat, sive regendum aut corrigendum, abbas ejusdem monasterii cum suo præposito, necnon decano cæterisque probatissimis viris, sub tua tenuerit ditione. Ob hoc pergrandis nos constringit sollicitudinis cura quæque ad stabilitatem pertinere dignoscuntur locorum ordinare nobilium. Ideo secundum antequam consuetudinem eidem venerabili loco apostolicæ institutionis censura confirmari a nobis deposcit, quatenus privilegia quæ a prædecessoribus nostris sanctæ recordationis, domno scilicet Adeodato atque Nicolao firmata esse constant, in isto tempore nostra apostolica eidem loco auctoritate demum confirmarentur. Idcirco vestris annuentes votis, prælatorum Patrum institutionum decreta prorsus apostolicis infulis sancimus, simulque eadem roboramus apostolicam sequendo normam. Quapropter auctoritate beati Petri apostolorum principis fulti, decernimus condicto monasterio vestro statuentes prorsus omnia quæ usque nunc sunt, et ut liceat ibidem habere episcopum sicut a priscis temporibus fuit, per cujus prædicationem populus, qui a diversis regionibus devota mente quotidie ad sancta ejusdem confessoris Christi monasterii limina concurrit, remedia percipiat a Creatore animarum. Et quando episcopus sancti præfati loci de hoc sæculo migraverit, et alius ab abbate necnon eadem congregatione religiosus electus fuerit, sine qualibet controversia, ne prolongitudo itineris obsit, a vicinis episcopis, sicut mos exstitit, ordinetur. Et si, quod absit, aliquo livore infecti atque invidia ordinandi distulerint, hac licentia sive privilegii jure revocati, per institutionem hanc apostolicam cum testimonio abbatis sui et clericis propriis eorum manibus decretum hoc subscriptum ferentibus sine dilatione ordinetur pro consuetudine, ut lumen quod ibidem hactenus tanto tempore per episcopi prædicationem claruit, illis temporibus non minoretur omnino aut, quod nefas est, exstinguatur. Neque episcoporum metropolitanus de præfato venerabili monasterio in cellulis ejusdem ecclesiæ, sive titulis, seu oratoriis ditioni ipsius constitutis, aut ordinationes facere, sive pro chrisma conficiendo venire atque exquisitare, agere, aut distringere, vel ad se presbyteros convocare, nec ullus episcopus altaria eorum ecclesiarum sine eorum consilio vendere præsumat, sed per hanc auctoritatem privilegii nostri episcopus ex ipso venerabili monasterio canonice curam pastoralem et sollicitudinem ministerii sui in prælatis adjacentibus, vel subjicientibus nominatis venerabilibus locis habeat. Et quæcunque emendanda et corrigenda sunt cum consensu abbatis sui canonica institutione et secundum ordinem cuncta peragat. Si vero quælibet discordia inter vicinos episcopos, seu episcopum præfatum, quod non optamus, orta fuerit, nullus audeat abbate minime annuente sæpius nominati monasterii episcopum distringere vel in qualibet judicare parte. Quod si abbas ejus monasterii nullo modo valuerit inter eos sententiam delimare, nostris apostolicis eveniant obtutibus concordia reformandi. Igitur regalis munificentiæ edicto, simulque votis et precibus tot fidelium annuendo statuimus, et hujus sanctæ apostolicæ sedis decreto firmamus ut, sicut hujus præcepti series continet, ita decamus, sacerdotes aut clerus ejusdem monasterii res omnes sibi munere regio concessas cum universitate suorum appendiciorum perpetuo possideant integerrime, ita ut nullius potestatis vir quidquam exinde de eorum dominio vel possessione præsumat auferre, in quo misericordiæ suæ beneficium regia dignitas fratribus, in eodem cœnobio beati Martini morantibus, largiri disposuit. Statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, et anathematis interpositionibus, ut nullus unquam nostrorum successorum pontificum, aut qualibet dignitate præditus potestate, vel alia quæcunque magna parvaque persona præsumat contra hoc nostrum apostolicum privilegii præceptum agere. Potius autem firmissimum atque stabile eum ejus temporibus decernimus permanendum. Si quis autem quolibet tempore, quod nullomodo credimus, hujus decretum privilegii apostolica auctoritate firmatum in toto, vel in parte temerare tentaverit, suæ præsumptionis digna emendatione minus correxit, sciat se auctoritate domini mei beati Apostolorum principis Petri anathematis vinculo esse innodatum et a regno Dei alienum, atque cum

diabolo et ejus atrocissimis pompis æterno incendii supplicio deputatum, et perpetuæ condemnationis summissum. At vero qui observator et custos hujus nostri apostolici privilegii exstiterit, benedictionis gratiam vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manus Petri notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Septembri et indictione decima.

Datum III Kal. Octobris per manus Joannis episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno donni Gregorii V, papæ primo, imperante domno tertio Ottone, a Deo coronato, magno imperatore, anno primo.

V.

ECCLESIÆ S. PROSPERI CONSECRATIO.

A Gregorio V anno 997 *facta, cujus munificentiæ monumento appositi sunt parieti ecclesiæ sequentes versus.*

(Apud Ughelli, *Italia sacra*, tom. II, pag. 270.)

Teuzo præsentem fundavit episcopus ædem,
Ad decus et sancti instituit Prosperi.
Cujus ad hanc semper veneranda transtulit ossa,
Cum papa quinto nomine Gregorio,
Forte Ticinensem qui tunc pergebat ad urbem,
Consilii sacri causam habiturus ibi.
Pontificem..... multaque turba secuta,
Suscepit Teuzo quos pater hospitio ;
Venerat antistes junior et ipse Joannes
Sede Ravennali dexter abiturus ibi.
Cum quibus a dicto primo Teuzone rogatus,
Hoc per se templum reddidit ipse sacrum.
Tot simul ac tantis domus sacrata patronis,
Corpus est positum hic, Prosper alme, tuum.
Cum quo Venerii simul ossa levata beati,
Hujus in ecclesiæ condita sunt latere.
Sunt hæc, dante Deo, dum tertius imperat Otho,
Atque Kalendarum facta nova (*leg.* nono) Februi.

VI.

GREGORII PAPÆ V PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA RAVENNATE.

(Anno 997.)

(Coquelines, *Bullar. privileg. ampl. Collect.* I, 292.)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo confratri nostro Joanni archiepiscopo sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, et per eamdem sanctam Ravennatem Ecclesiam ejus successoribus archiepiscopis in perpetuum.

Quoniam omnium sanctorum Dei ecclesiasticorum status a beatorum apostolorum principis Petri doctrinis provehitur, et ad ejus fulcimen lapsæ, quæ sunt, resolidantur, oportet merito sanctam Ravennatem ecclesiam minorationem suæ diœceseos facientem, suarum dignitatum copia carentem, ita cito restitui, ut nomen etiam metropoleos non amittat. Cognoscentes igitur ipsam in omnibus cassatam, convenit ad ejus relevationis statum auxiliatricem nostram porrigere dexteram, quatenus beati Petri apostoli fonte potata, Christo juvante, suis reintegretur honoribus. Et ideo omnium sanctarum Dei ecclesiarum cultores comperiant, atque fideles, eo quod Joannes archiepiscopus ejusdem sanctæ Ravennatis ecclesiæ suggessit apostolicæ almitati nostræ, quatenus confirmaremu ei præcepta, quæ sunt edita in prædita sancta Ravennati ecclesia, et ei ab antecessoribus nostris pontificibus suis prædecessoribus largitata sunt, atque concessa. Cujus precibus, divino amore, beatique Apollinaris pontificis et martyris Christi succensi, amabilius inclinati confirmamus ei, ac statuimus in perpetuum, absque aliqua diminutione, secundum priscam consuetudinem prædictæ sanctæ Ravennatis ecclesiæ. Quapropter confirmamus jam tibi Joanni archiepiscopo Ravennati, et per te in prædictam ecclesiam Ravennatem tuis successoribus in perpetuum ; itaque confirmamus atque corroboramus monasterium in honorem beati Hilarii constructum in territorio quod vocatur Galicata cum certis affinibus suis situm, cum rebus videlicet omnibus, et omnibus suis juribus, et cum omni judiciali potestate quæ est exhibenda in præscripti territorii incolis, videlicet, ab uno latere prædicti territorii Gollicati, Massa Balneo, quæ est juris sancti Petri, et comitatus Bobiensis, ab alio latere juga Alpium finis Tusciæ, a tertio latere comitatus Populiensis, atque a quarto latere Fagentella percurrente et fluvio Rap..... quatenus tu ipse Joannes archiepiscopus tuique successores in perpetuum habeatis potestatem..... idem monasterium sancti Hilarii..... cum supradicti territorii potestate, et publica functione, prout vobis melius secundum quod..... Ordinandi et disponendi, nostra nostrorumque omnium successorum remota contradictione. Insuper etiam concedimus atque confirmamus, et corroboramus tibi, et per te in prædictam Ravennatensem ecclesiam, tuisque successoribus in perpetuum, Massam, quæ vocatur Fiscalia, cum omni judiciali potestate et publica functione, et cum certis affinibus suis, ab uno scilicet latere Ariell.....transverso, quæ vocatur..... ; ab alio latere Deonorum percurrentem in Padum ; a tertio latere Padum percurrentem usque ad dimidium fundi, qui vocatur Latus, atque a quarto latere..... percurrentem usque ad fundum qui vocatur Ustuladum ; confirmamus quoque omnem judiciariam potestatem in loco et plebe, quæ vocatur cornu cervinum cum certis affinibus suis, tibi, et per te in eamdem sanctam Ravennatem ecclesiam tuis successoribus in perpetuum. Insuper confirmamus et corroboramus tibi Joanni archiepiscopo monasteria duo posita intra civitatem Ariminensem, unum fundatum in honorem sancti Thomæ apostoli, alterum in honorem sanctæ Euphemiæ martyris, cum omni integritate eorum tam intra eamdem civitatem, quam extra..... quæ eadem monasteria per donationis paginam vestra ecclesia tenere videtur..... ejusdem ecclesiæ diacono Martini ducis, et Hengleradæ comitissæ..... et præcipue imperatorum tam eadem monasteria quam et alia loca de jure prædicti diaconi, eidem sanctæ vestræ ecclesiæ confirmata in perpe-

tuum, necnon omnes residentes et colonos præfatæ Ravennatis ecclesiæ, tam in comitatu Hadriensi quam in Ferrariense et Comaclense commorantes, ut immunes a bulla publica, et angaria maneant functione; sed jugiter tibi, tuisque successoribus archipræsulibus in perpetuum omnem functionem et angariam exigant, et quod eis ab actoribus sanctæ Ravennatis ecclesiæ fuerit injunctum, verum etiam concedimus et confirmamus vobis... gentes et commorantes in castro..... ut nullam publicam functionem faciat excepto vobis, vestrisque successoribus, ea videlicet ratione præfixa, ut nullus dux, comes, vicecomes, castaldo..... magna parvaque persona præfatis colonis, et residentibus aliquam publicam functionem aut angariam... aut exigant. Sed securi et quieti in omnibus sub vestra tuitione et potestate, ut prædictum est, existant. Simul etiam sancimus ut sancta Ravennas ecclesia cum suis subjectis ecclesiis, sicut beatissima Romana, cui Deo auctore deservimus, Ecclesia, nisi per centum curricula annorum res ipsius excludantur nullatenus. Præterea a flumine Punctari cum Palude Argentæ et omnibus pertinentibus, piscariis, terris, aucupationibus, venationibus, utrasque ripas cum cunctis ædificiis in prædicto flumine sitis, usque ad portum maris nec non portum Volanæ, usque ad locum qui dicitur Cervia, cum omnibus littoribus suis, silvis, qualibusque instrumentis ibi conditis, vobis, vestrisque successoribus in perpetuum confirmamus. Res etiam omnes lapides, et petras tam supra terram, quam sub terram, extra opus in publicis ædificiis positas, vestræ Ravennati ecclesiæ largimur, prout vos vestrique successores ad ejusdem ecclesiæ utilitatem prævideriut exercendas, et operandas. Denique concedimus, et confirmamus ut ab aliquo sacerdote Ravennæ degente, aut ex familia ejusdem sanctæ Ravennatis ecclesiæ, per totam Æmiliam atque Pentapolim nullum teloneum, atque portaticum, sive silliquaticum exigatur, aut exposcere præsumatur. Statuentes, atque promulgantes coram Deo, et terribili ejus futuro examine...per hujus nostri apostolici privilegii paginam sancimus, et beati Petri apostolorum principis auctoritate decernimus; tam apostolicæ sedis obtestamur futuros pontifices, quamque qui ecclesiasticas functiones ministraverint, vel etiam magnas parvasque personas, et quispiam cujuscunque sit dignitatis prædita de omnibus supra dictis capitulis, quæ a nobis concessa sunt, vel confirmata, quoquo modo licentiam habeant sæpe nominata loca, in uno adunata, atque specialiter apostolicæ exarationis pagina conjuncta, disjungere, vel uno ab altero alienare. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu, contra ea quæ ab hac nostra auctoritate pie et firmiter per hoc nostrum privilegium disposita sunt contraire tentaverit, aut in quoquam transgredi, sciat se auctoritate beati Petri apostoli anathematis vinculo innodatum, et cum Juda traditore æterni

A incendii supplicio sit deputatus. Insuper sciat se compositurum auri obrizi lib. XXX sanctæ Ravennatæ ecclesiæ. At vero, qui pio intuitu observator in omnibus exstiterit, custodiens hujus nostri privilegii constituta, ad cultum Dei respiciens, benedictionis gratiam misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter et vitæ æternæ particeps fieri mereatur, et cum sanctis omnibus sociatus permaneat.

Scriptum per manum Petri regionarii notarii, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Januario et in indictione X (3). Bene valete.

Datum V Kalend. Februarii per manus Joannis episcopi sancti Albanensis ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno pontificatus domni Gregorii papæ primo, imperii autem domni tertii B Ottonis imperatoris augusti, anno primo in mense Januario.

VII.

GREGORII PAPÆ V PRIVILEGIUM HATTONI ABBATI FULDENSI CONCESSUM.

(Anno 997.)

(Dronke, *Cod. diplom. Fuld.* p. 340.)

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei.

Omnium fidelium præsentium videlicet ac futurorum notitiæ pateat qualiter per meritum dignitatis HATTONI Fuldensis Ecclesiæ abbati venerando id quod nostri antecessoris pietas concessit nostra devotio non denegavit. Ideoque quia postulavit a nobis dignum duximus ut ejusdem loci supradictæ ecclesiæ venerabili antecessoris nostri renovando confirmaremus concessum. Venerabilis enim antecessor C noster illum supradictum abbatem Romæ consecravit eique debitæ subjectionis jugum subeunti concessit cum dalmatica et sandaliis missam celebrare Ad quod animum vertentes, quia specialius aliis suis consimilibus nostræ Romanæ Ecclesiæ famulatur, specialius digniore munere condonari decrevimus. Quare sine omni contradictione nostra auctoritate apostolica concedimus, ut cum dalmatica et sandaliis missam celebret talique pignore nostræ Romanæ Ecclesiæ subjectione præsignetur.

Scriptum per manus Petri regionarii notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ anno Dominicæ incarnationis nongentesimo (nonagesimo) septimo, mense Februario, indictione decima. Bene valete.

Datum VII Idus Febr. per manus Joannis episcopi D sanctæ Albanensis Ecclesiæ et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis.

VIII.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ V AD OTTONEM IMPERATOREM

(Anno 997.)

(Apud Miræum, *Opp. diplom.* III, 563.)

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo filio OTTONI Romanorum imperatori Augusto.....

Æquum igitur et dignum judicavimus imperialis honorem regiminis et potestatem apostolica aucto-

(3) Ex statuto a nobis Gregorii pontificis electionis die constat legendum esse indict. X prout jacet, non vero XI. Bene enim conveniunt omnia.

ritate paterne firmari, et de omni bona voluntate et beneficiis cunctis ab imperatoria potestate sacro huic loco concessis dignas Deo gratias dare. Atque ideo quia postulas a nobis qualiter locum et Ecclesiam Aquisgrani palatio bonis ex vestra devotione inchoatum principiis, nostra munificentia confirmaremus et auctoritate.

Et ut etiam bene inchoata principia eo meliore fine uterentur, supradictæ Ecclesiæ concedimus clericorum congregationem catholicorum sublimimiter... et ut regulariter vivant commendamus. Insuper etiam statuimus ac per nostri præcepti paginam, et in convulsum decrevimus in sæpedicta Ecclesia septem cardinales diaconos, et presbyteros cardinales septem, huic Ecclesiæ in eorum ministerio deservire, ea videlicet ratione, ut nullius dignitatis persona super sacrum altare Dei genitricis Mariæ ibidem constitutum missam celebret, præter prædictos septem cardinales presbyteros et archiepiscopum hujus loci et episcopum Leodiensi qui diæcesi præsidet. Et hoc anathemate firmiter corroboramus, etc.

Datum an. 997, mense Februarii, indictione decima, sexto Idus Februarii, per manum Joannis episcopi Ecclesiæ sanctæ Albanensis et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno pontificatus Gregorii V papæ primo, regni tertio Ottonis imperatoris (4).

IX.

GREGORII PAPÆ V EPISTOLA AD WILLEGISUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

(Anno 997.)

(Apud Pertz. *Monum. Germ.* III. 694.)

Gregorius, servus servorum Dei, dilecto confratri Willegiso archiepiscopo et vicario nostro salutem et apostolicam benedictionem.

Decreta enim synodi Papiensis, quibus ego licet indignus subscripsi et una mecum archiepiscopus Ravennas nec non archiepiscopus Mediolanensis cum aliis confratribus, quæso, ducite ad memoriam, et ut hæc ad profectum veniant auxilii operam impendite.

1. Placuit sanctæ synodo ut omnes episcopi occidentales, qui in depositione Arnolfi archiepiscopi fuerunt et certis induciis vocati Papiensem synodum spreverunt et inconvenientes causas ad confundendam synodum per laicalem personam miserunt, ab episcopi officio suspendantur. Adelbero Lodunensis episcopus, qui etiam metropolitanum suum apprehendit et tradidit. ab episcopi officio suspendatur. Auctoritate Julii papæ sancitum est, qui etiam orientales episcopos ad synodum venire spernentes, depositionis reos judicavit; illos vero absque apostolica auctoritate depositos innocentes remanere.

2. Decretum est etiam ut rex Robertus, qui consanguineam suam contra interdictionem apostolicam in conjugium duxit, ad satisfactionem convocetur cum episcopis his nuptiis incestis consentientibus. Si autem renuerint, communione priventur.

3. Item sancta synodus sancivit ut Neapolitanus invasor, qui illius loci archiepiscopum apprehendere fecit et se in eumdem locum per Simoniacam hæresim constitui fecit, nisi satisfaciat, anathematizetur.

4. Constituit etiam ut si quis episcopus, presbyter, aut diaconus, aut clericus, papa incolume et eo inconsulto, aut subscriptionem pro Romano pontificatu commodare, aut pictationem promittere, aut sacramentum præbere tentaverit, aut aliquod certe suffragium pollicitus fuerit, loci sui dignitate et omnium fidelium communione privetur et anathematizetur. Synodus Symmachi papæ: *Decrevit sancta synodus ut nemo sancti Spiritus donum vendere præsumat, aut pro alicujus episcopi, presbyteri, diaconi, vel alicujus ordinis consecratione pecuniam accipere, et qui dat, et qui accipit, et qui mediator est, anathema sit.*

5. Placuit etiam omnibus ut Gisilharius (5) episcopus, qui contra canones sedem suam dimisit et aliam invasit, in Natale Domini Romam vocatus, ad satisfaciendum veniat; quod si renuerit, a sacerdotali officio suspendatur.

6. Notum vobis etiam facimus, qualiter per communem consensum fratrum, Crescentium sanctæ Romanæ Ecclesiæ invasorem et deprædatorem a gremio sanctæ Ecclesiæ et omnium fidelium communione segregavimus, et ut unusquisque vestrum in suo episcopatu huic facto assensum præbeat charitative rogamus.

Ego Gregorius sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ præsul subscripsi.

Ego Joannes sanctæ Ravennatis Ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

Landulfus sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

Wido Papiensis Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Joannes Albanensis Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Blinwarmund sanctæ Hipponensis Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Sigifredus sanctæ Parmensis Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Joannes Mutinensis Ecclesiæ episcopus. Adam Taurinensis Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Andreas Laudensis Ecclesiæ episcopus. Joannes Januensis Ecclesiæ episcopus.

Constantinus sanctæ Albensis Ecclesiæ episcopus.

Albertus sanctæ Brixensis Ecclesiæ episcopus.

Liutifredus Terdonensis Ecclesiæ episcopus subscripsi.

(4) Simile privilegium in ecclesia metropolitana Coloniensi, in qua « nemo præter septem cardinales presbyteros possit divinis mysteriis operari. » Ita constituit Leo IX pontif. max. anno 1052.

(5) Merseburgensis et Magdeburgensis.

X.

GREGORII PAPÆ V BULLA PRO MONASTERIO SUBLACENSI.
(Anno 997.)

(Apud Muratori, *Antiquit. Ital.* tom. I, pag 943.)

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo ac prudentissimo PETRO presbytero et monacho atque peritissimo abbati venerabilis monasterii sancti confessoris ac patris Benedicti, et sanctæ virginis sororis ejus Scholasticæ, quod ponitur in Sublaco, tibi tuisque successoribus inibi deservientibus vel introeuntibus in perpetuum.

Si semper sunt concedenda quæ piis desideriis congruunt, quanto potissimum ea, quæ pro divini cultus prærogativa esse noscuntur, non sunt omnino neganda, quia sunt a largitoribus non solum poscenda, sed charitatis titulo procul dubio exigenda. Petisti nos igitur quatenus concederemus sive confirmaremus tuæ religiositati supradictum tuum monasterium sancti Benedicti et sanctæ Scholasticæ, quod ponitur in Sublaco, cum cellis et cœnobiis, una cum turre et cuncta supellectilia eorum, una cum specu, ubi beatissimus Benedictus eremiticam vitam duxit, cum omnia infra se et circa se cum criptis, et omnia ædificia humana quæ ibidem nunc sunt; verum etiam et lacum cum piscariis et aquimolis suis, inde exeunte aqua palaneto cum piscariis et aquimolis suis, deducente ipsa aqua in loco qui vocatur Mandra. Item aquimolis et piscariis suis, et pervenit usque in loco, qui cognominatur de Ferrata, omnia in integrum cohærentes. Nostra namque auctoritate in vestro monasterio sint confirmata, ut nulla unquam hominum magna parvaque persona audeat in ipsa aqua, quæ vocatur Timida, seu in aqua, quæ appellatur Augusta, vel in aqua, quæ dicitur Bullica, neque in Flumicello, neque in aqua de Roccanellum, neque in aqua, quæ cognominatur Cona, neque in ulla aqua de toto Sublaciano territorio, vel in quolibet de ipsis locis, sine consensu abbatis ejusdem monasterii per nullius argumentum idem aquimolum dedicare. Et qui hoc fecerit, aquimolum ipsum in supradictum monasterium occurrat, et in nostro palatio compositurus existat auri cocti libras duas. Item confirmamus vobis detinendum castellum in integrum, qui vocatur Sublacum, cum omnibus suis pertinentiis vel adjacentiis, cum omni placito et donatione sua, una cum glandatico, et herbatico suo, atque cuncta publica functione, sicuti in nostro palatio annatim persolvi solet. Seu confirmamus vobis montem in integro ad castellum faciendum, qui vocatur Augusta; et montem qui vocatur Cervaria, cum omnibus earum pertinentiis in integrum. Porro et castellum, quod vocatur Arsule, simulque et castellum quod vocatur Anticulum: unumquodque castellum cum ecclesiis, cellis, domibus infra se et deforis, vineis, terris, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, arboribus, pomiferis, fructiferis, vel infructiferis diversi generis, puteis, fontibus, rivis, atque fluminibus, cum aquimolis, tum castanieta et paludibus, cum montibus et collibus, plagis et appendicibus, cultum et incultum, vacuum et plenum, cum omnibus supradicto monasterio seu castellis generaliter et in integrum pertinentibus in territorio Tiburtino et Sublaciano, sicuti per termina designantur atque demonstrantur. Incipiente a porta Imperatoris, unde ipsum flumem redundat, dein deveniente in monte, qui vocatur Romani et recte in Campolongum, recto tramite pergente in Perето, ubi est ecclesia sancti Petri: inde veniente in Staffile, quæ astat in Camposacro: inde iter agendo et pervenit in arco sancti Georgii, et sic pervenit in monte de Flaontino, de ipso descendente monte, et pervenit in aqua, quæ et Ferrata vocatur; sequente ipsa aqua usque dum eveniat in arco de Aquaferrata, et per ipsam aquam donec suum cursum explicit in fluvium Tiberis: transmeante ipso fluvio, ascendente in monte, qui vocatur Crofeo, qui proprius de tuo est monasterio. Inde per cacumen montium, per conchas vallium, per cavernas petrarum devenit in montibus, qui cognominantur Gemini; et sic descendentem in Fenestrelle, et inde perveniente in rivo qui nominatur Trave, et per eumdem rivum descendentem in alio rivo de Cona ubi dicitur Crucis; ipsaque Cona ascendente in locum qui vocatur Oraru; inde iteratim ascendente in monte, qui et Aquaviva dicitur, recte in ponte Terraneo, et per ipsum flumen descendente usque in petra Imperatoris, et inde in monte Romano. Civitas etiam, quæ vocatur Carsoli, cum ecclesiis et domibus infra se in integrum et deforis in diversis vocabulis, villis, vineis, fundis, et casalibus, rivis cum aquimolis, cum omnibus suis pertinentiis et adjacentiis, sicuti vestra antiqua privilegia continent, ita vobis in omnibus sint confirmata, posita infra castro Reatino et Ciculano, et Marsicano territorio. Denique et confirmamus vobis castellum in integro, quod et Trillano nuncupatur, una cum colle de Ferrari et Monasterellum et Sassa, sive quæ ab aliis vocabulis nuncupantur, cum villis, fundis et casalibus, vineis, et terris, campis, pratis et pascuis et cum omnibus suis pertinentiis, sicuti extenditur usque in Pisciscano.

Et casale in integro, qui vocatur Ursano et Sambuci cum ecclesia sancti Thomæ in desertis posita, et montem in integrum, qui appellatur Gurdiano, cum fundis et casalibus suis, atque medietatem de loco, qui dicitur Ylice; et locum qui vocatur Castaniola, cum vineis et terreis vel omni pertinentia; et in ipso confinio adest monte, qui vocatur Buberano, in integrum cum cæteris vocabulis sive pertinentibus. Iterumque etiam confirmamus vobis castellum, quod dicitur Ampolloni, in integrum cum ecclesiis et domibus infra se per omnia et extra se cum vineis, terris, fundis, et casalibus, vel omnibus eidem pertinentibus castello. Insuper locum, qui vocatur Pentoma, cum suis omnibus in integrum pertinentibus; verum etiam et medietatem de castello divulgato de sancto Pamfimo, cum medietate de suis omnibus pertinentiis. Verumtamen et castellum de

Collemalo in integrum. Item et locum, qui et Romani vocatur in integrum et medietatem de villa, quæ appellatur Papi, una cum fundis et casalibus, vineis et terris, campis, pratis, pascuis, et silvis, salectis, fontibus, ac rivis, cum aquimolis, et cum omnibus pro singulis locis [illegible] et in integrum pertinentibus. Omnibus jam dictis locis territorio Tiburtino sitæ sunt. At vero et confirmamus vobis vestrisque [illegible] Barbaræ, quæ est intro civitate Tiburtina, in integrum cum domibus et cellis intra se cum aquimolis suis intro eadem civitate et deforis, cum fundis et casalibus, vineis et terris, campis, pratis, pascuis et silvis, cum omni sua pertinentia vel adjacentia. Sive etiam et infra hujus almæ Romæ confirmamus vobis cellam sancti Erasmi, quæ ponitur in Celio monte, cum domibus, cella vinaria, et fenile, cum hortis et vineis circa se, cum arboribus olivarum, et diversa genera arborum pomiferorum, et cum cæteris vineis et casalibus; scilicet pratum, quod ponitur foris ponte Salario, et casale, quod ponitur Aquario, et alio casale, quod vocatur Quinto; et in Albanense territorio vineæ, quæ sitæ sunt a cripta quæ vocatur...... a Silice Albanense, et in loco, qui appellatur Zinzinni, vel in diversis locis sive vocabulis, ubicumque inveniri vel reperiri possint per quamlibet seriem scripturarum ad ipsum pium ac venerabilem locum pertinentes, sub jurisdictione vestra semper persistant, a præsenti decima indictione, et usque in perpetuum vobis vestrisque successoribus abbatibus cum timore regendum ac regulariter disponendum. Convenit reverentiæ vestræ nos implorasse, at sæpedictum monasterium sancti Benedicti et sanctæ Scholasticæ apostolicæ auctoritatis serie muniamus, et omnia et pertinentia perenni jure inviolabiliter permanenda confirmemus. Propterea flexi precibus tuis per hujus præceptionis paginam statuentes decernimus, ut cuncta loca urbana vel rusticana, id est massas, casales, vel castella, diversa prædia culta vel inculta, quæ ponuntur per loca et vocabula, quæ superius præmissa vel nominata sunt, sicuti a pontificibus, regibus, vel a Deum timentibus in eodem venerabili loco concessa sunt, vel etiam per alias rationes juste inibi advenerunt, sicut omnia præfatum tuum monasterium detinuit temporibus sanctæ recordationis Gregorii et Zachariæ et Nicolai papæ prædecessorum nostrorum, ita et nunc cum magna securitate quiete valeat possidere, et tu etiam pro venerabili tuo monasterio vel successores tui abbates, possideant ac detineant, atque jurisdictione in perpetuum fruentes defendant, et iu utilitatem ejusdem pii loci perenniter proficiant. Pro quo etiam sub divini judicii obtestatione promulgantes decernimus, ut nulla unquam cujusque publicæ altitudinis virorum sive mulierum, vel etiam alia cujuscumque sit dignitatis magna parvaque persona, quomodolibet jurisdictionem exercere in jam dicto monasterio vel in castellis, massis, fundis, et casalibus, prædiis cultis et incultis, vel in aquis, molendinis, et piscariis, vel in aliqua possessione, seu etiam in diversis rebus, ubicumque detinere videmini, nec quidpiam horum ex eodem loco auferre, aut diripere præsumat, neque ullam læsionem, aut contrarietatem malitiæ in ipso beati Benedicti monasterio atque omnibus ut supra annexis eis pertinentibus, quoque ingenio, aut argumento inferre audeat. Potius autem jure perpetuo in eodem venerabili monasterio, ut superius affictum est, proficiat, et potestati atque ditioni tuæ, vel omnibus successoribus tuis abbatibus perennis permaneat disponendi atque possidendi facultas. Si quis autem (quod non optamus) temerario ausu contra hujus nostræ apostolicæ præceptionis seriem pie a nobis promulgatam venire, vel litigare tentaverit, sciat se Domini nostri et apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pœnis, atque cum Juda traditore Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi in æterno igne concremandum, simulque et in voragine tartareoque chaos demersum cum impiis plectendum. Qui vero pio intuitu custodes et obedientes atque observatores hujus nostræ salutiferæ præceptionis exstiterit, benedictionis gratiam et cœlestis retributionis æterna gaudia a justo Judice Domino nostro consequi et vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Scriptum per manum Benedicti Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Septembri, Indictione x.

Bene valete.

Datum IV Kalendas Julii per manus Joannis episcopi sanctæ Albanensis Ecclesiæ et bibliothecarl, summæ et apostolicæ sedis anno, Deo propitio, pontificatus domni Gregorii V summi pontificis et universalis papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli, anno primo, indictione x (6).

---

(6) Ughellius hanc ipsam bullam præ oculis habens, Joannem intrusit in catalogum episcoporum Albanensium ad annum 828, tomo I Ital. Sacræ. Sed is fallitur. Non ad Gregorium quartum, sed quidem ad quintum, litteræ istæ (si tamen omni suspicione falsi eas carere putas) pertinent. Neque enim convenit indictioni x annus primus Gregorii IV papæ. Facile tamen error in apographum irrepsisse potuit, ita ut librarius legerit X pro V, quæ litteræ inter se facile commutari possunt, et ad eamdem formam fere accedunt. Sed cum e Mabillonii Annalibus atque e Chronico Sublacensi constet anno 997 floruisse Petrum Sublacensem abbatem; et rursus cum a Ciampinio in Catalog. bibliothecar. S. R. E. atque ab ipso Ughellio in episcopis Albanensibus certiores facti fuerimus eodem anno floruisse Joannem episcopum Albanensem, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarium, res monet referendam esse hanc bullam ad Gregorium V, qui iisdem temporibus cathedram Petri conscendit; et pro *Gregorii IV* scribendum *Gregorii V*. Hic autem renuntiatus est pontifex mense Maio anni 996. indictione IX. Ergo in hac bulla alter error occcurrerit, atque est scribendum aut *anno secundo*, aut *indictione* IX. Interea animadverteris ea verba : *In nostro palatio compositurus existat auri cocti libras duas.*

XI.

GREGORII EPISTOLA AD JOANNEM RAVENNATENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 997.)

Placentinam ecclesiam restituit, Monteferetranam, subjicit.

[Apud Mansi, *Concil.* tom. XIX, col. 208.]

Dilecto filio Joanni S. Ravennatis Ecclesiæ archiepiscopo venerando, tuisque successoribus archiepiscopis in perpetuum.

Divinæ remunerationis præmia, et bonæ actionis nostræ labores ab æterna manu optate fructificari sperantes, dignum duximus omni divinæ servitutis obsequio hilari mente impendere famulatum, maxime in restaurandis ecclesiis, quas ab antecessoribus nostris ad divini usum servitii dicatos conspeximus. Quapropter considerantes etiam universas hæreses in sancta catholica Ecclesia miserabiliter ortas, dignas resecari S. Ravennati Ecclesiæ, tibi Joanni ejusdem ecclesiæ venerando archipræsuli, tuisque successoribus in perpetuum, paterno amore subvenimus. Placentinam ecclesiam injuste tibi a meo antecessore ablatam, et contra canones sub nomine archiepiscopatus locatam, tibi tuisque successoribus refutantes in perpetuum. Insuper etiam a nostro apostolatu postulastis quatenus pro omnipotentis Dei amore, mercedeque animæ nostræ, nec non est pro statu regni domini invictissimi tertii Ottonis imperatoris Augusti, episcopatum Monteferetranum cum omni integritate sua, ex nostro dono sub jure S. Ravennatis Ecclesiæ donando, et episcopum consecrandi amodo in antea cui volueritis, tibi tuisque successoribus, nostræ apostolicæ auctoritatis privilegio muniremus in perpetuum. Propterea tuis flexi precibus, ad honorem S. Ravennatis Ecclesiæ, et stabilitatem ejusdem venerandi loci, ipsam jam fatum venerabilem episcopatum Monteferetranum cum omni integritate sua, scilicet ecclesiis, capellis, casis, casalibus, curtibus, mansis, coloniis, abbatiis, cellis, fundis, seu terris, vineis, pratis, pascuis, etiam famulis utriusque sexus, et cum omnibus ad jus notati episcopii legaliter pertinentibus, salvum et in cunctis quietum consistere sub jure sanctæ Ravennatis sedis tuitione, sine cujuslibet quacumque contradictione. Ita scilicet confirmantes, decernimus ut episcopus qui in eodem episcopio pro tempore fuerit a te, vel a tuis successoribus ordinatus, sine omni contradictione, subjectionem impendat; et ut alii suffraganei, in omnibus secundum ecclesiæ tuæ profectum obediant, insuper nunquam sub divini judicii obtestatione interminantes jubemus atque præcipimus ut nullus imperator vel rex, dux aut marchio, de præfata consecratione in aliquo te tuosque successores lædere præsumat, sed a præsenti decima indictione in antea usque in perpetuum, quemcunque eligere voluerint, per nostram concessionem, ecclesiastico more, in præfato episcopatu, episcopum consecrare debeatis, remota omnium hominum contradictione. Statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, et anathematis interdictu, ut si quicunque homo, cujuslibet potestatis existens, præsumpserit ausu temerario contra hoc apostolicæ confirmationis privilegium agere, aut a jure S. Ravennatis Ecclesiæ præfatum episcopatum, donum, et consecrationem subripere tentaverit, nisi resipuerit, et his monitis nostris acquieverit, auctoritate Dei et nostra non solum anathematis vinculis innodetur, sed a regno Dei alienus existat; qui autem verus custos et observator exstiterit, benedictionis gratiam a Domino consequi mereatur.

Scriptum manu Petri scriniarii, notarii et regionarii S. R. E. in mense Julio, indictione supradicta x. Dat. Non. Jul. per manus Joannis episcopi S. Albanensis Ecclesiæ et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis.

XII.

GREGORII PAPÆ V EPISTOLA AD ABBONEM ABBATEM FLORIACENSEM.

(Anno 997.)

[Apud Mabill., *Annal. Bened.*, IV, 107.]

Domino specialiter venerabili Abboni abbati, G., servus servorum Dei, salutem in Christo.

Quia litterarum vestrarum portitor festinabat quantocius redire, vix vespertinalis synaxeos spatio ut remoraretur valui impetrare. Unde breviloquio usus, vestræ semper erga me novæ benevolentiæ gratias refero, petens, sicut mandastis, ut nobis fratrem R. impræsentiarum dirigatis, qui nobis de vestra prosperitate, de regis promissione (7), de Cantuariorum archiepiscopi incolumitate renuntiet; unum deprecans, ut ex vestris missalibus libris optimum transmittatis, quatenus, quotiescunque inter missarum solemnia videro, specialis amici memor sim, nunquam ingratus vestro beneficio. Valete.

XIII.

GREGORII PAPÆ V PRIVILEGIUM PRO ABBATIA S. AMBROSII.

(Anno 997.)

[Apud Mansi, *Conc.* tom. XIX, 203.]

Postquam beato Petro, apostolorum principi, Dominus ac Redemptor noster Jesus Christus ex utero Virginis pro nostra redemptione, ut erat Deus verus ante sæcula, verus homo in fine sæculorum apparere dignatus est, ligandi atque solvendi in cœlo et in terra potestatem tribuit, etiam januas regni cœlestis reserandas concessit, supra soliditatem fidei sanctam stabilire dignatus est Ecclesiam, secundum illius veridicam vocem, dicentis : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam : et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcunque ligaveris

(7) Hæc Rotberti regis promissio forte spectabat divortium a Berta regina ipsi affini, quam contra ecclesiasticas regulas desponsaverat. Cantuariensis archiepiscopus, de cujus incolumitate sollicitus erat pontifex, Elfricus est, qui forte tunc temporis ægrotaverat.

super terram, ligatum erit et in cœlo; et quodcunque solveris super terram, solutum erit et in cœlo (*Matth.* XVI). Postquam et hujus vicarii sincerissime Deo famulantes, carentes nebularum densitatibus, tantam dignius perceperunt potestatem, et universi curam sunt sortiti regiminis; inter quos et nostram parvitatem Dei omnipotentis misericordia connumerare dignata est. Ob hoc universitati credentium innotescere voluimus quoniam abbatiam in honore celeberrimi Christi confessoris Ambrosii, necnon venerabilium martyrum Protasii et Gervasii constitutam, ubi eorum sacra corpora reconduntur, per hujus nostræ auctoritatis privilegium integerrime corroboramus cum omnibus ecclesiis, oraculis, curtibus, massaritiis, districtis, ad ipsam respicientibus : scilicet Basiliano, monte Feliciano, Leveniano, Ceresola, Lemonta, Capiate, Oleoducto, Campilioni, Anticiaco, Colonia, Verederio, Cavenaco, Villa Alba, Cugniano, atque cum universis ad præfatam abbatiam spectantibus : eo scilicet ordine ut monachi ipsius cœnobii simul cum abbate qui nunc sunt, vel qui pro tempore fuerint, prætaxatas ecclesias, oracula, curtes, massaritios, servos, ancillas, Aldiones, et Aldianas, sine alicujus majoris minorisve personæ contradictione, habeant, teneant et possideant, atque in eorum usum ac sumptum, pro melius providerint, distribuant, nostra apostolica auctoritate concedentes. Si quis vero, quod non credimus, diabolico suasu contra hujus nostræ apostolicæ concessionis firmitatem in posterum agere tentaverit et prælibati monasterii cœnobitas in aliquo, quod eis concessimus, inquietaverit, sit anathema horrendum a trecentis decem et octo Patribus, et ex consensu fraudis Judæ Ananiæque adæquetur flammis, et a Patre, Filio, sanctoque Spiritu, necnon a beato apostolo Petro maledictus in præsens, et futurum, rei crimine astrictus semper maneat; atque a catholica Ecclesia sit eliminatus, donec prænominatæ abbatiæ monachos, eorumque Patrem digna satisfactione placere studuerit.

Datum IV Kal. Maias, per manus Joannis episcopi S. Albanensis Ecclesiæ et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis; anno, Deo propitio, pontificatus domni Gregorii summi pontificis et universali quinti papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli secundo : imperante domno Ottone tertio, a Deo coronato, magno et pacifico imperatore, anno II, in mense et indict. supra scripta XI. Scriptum per manus Petri notarii et scriniarii S. R. E. in mense Aprili, et indictione undecima. P. Bene valete.

XIV.

GREGORII PAPÆ V EPISTOLA AD GERBERTUM RAVENNATEM EPISCOPUM.

(Anno 997.)

Mittit pallium, Ravennatensem Ecclesiam multis ornat privilegiis, multis donationibas auget.

(Apud Mansi, *Concil.* tom. XIX, 201.)

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, GERBERTO S. Ravennatis Ecclesiæ archiepiscopo, ac nostro spirituali filio, et per te in eamdem ecclesiam, cunctisque successoribus tuis archiepiscopis in perpetuum.

Quoniam apostolicæ sedis benevolentia, et antiquæ consuetudinis zelo provocati, fraternitatem tuam Ravennati Ecclesiæ præfecimus, insignia præsulum ejusdem ecclesiæ dignum duximus tibi conferenda, cum usu pallii, quo uti debeas certis temporibus, certisque modis, sicut antecessores tuos usos fuisse cognoscis. Hoc te nihilominus admonentes, ut sicut a nobis hujus decoris usum ac sacerdotalis officii honorem accepisse te gaudes, ita etiam morum atque actuum probitate susceptum in Christo sacerdotium adornare contendas. Sic enim alterno eris honore conspicuus, si cum habitu corporis mentis quoque bona concordant, ut foris compositus, intus autem directus, Deo cum Propheta vere dicere possis : *Provideo Deo* (verius *Deum.*, HARD.) *in conspectu meo semper, ut sit a dextris mihi, ne unquam commovear* (*Psal.* XV). Ut autem charitatis in nobis fundatæ dulcedinem recognoscas, ex gratuita largitate nostra post mortem Adeleidæ imperatricis Augustæ, donamus tibi tuæque Ecclesiæ districtum Ravennatis urbis, ripam integram, monetam, teloneum, mercatum, muros et omnes portas civitatis. Si vero alia privilegia aliquibus facta apparuerint, sanctæ Ecclesiæ obnoxia, et huic nostro privilegio contraria, auctoritate Dei et S. Petri ad nihilum redigenda illa dijudicavimus : et hoc quod facimus, stabilimus, et intactum permanendum jubemus. Donamus etiam tibi, tuæque Ecclesiæ sanctæ, Comaclensem comitatum post mortem Adeleidæ imperatricis Augustæ : ut tu, tuaque sancta Ecclesia, tuique successores, illum cum omnibus inibi pertinentibus libere teneant, et ordinent in perpetuum. Et quod bene factum est ut bene reservemus, et in melius corroboremus : privilegium, quod tu prædecessori Joanni, cum Monteferetrana et Cerviensi ecclesiis, et cum omnibus quæ sibi largiti sumus, ex nostra benevolentia, tibi, tuæque S. Ravennati Ecclesiæ, tuisque successoribus, confirmamus, et incorrupta semper esse decernimus, id est monasterium sancti Thomæ apostoli, et Euphemiæ martyris, cum omni integritate eorum, et cum omnibus rebus, et possessionibus eorum cultis, et incultis, tam in civitate Ariminensi positis, quam extra, scilicet in comitatu Pisaurensi, Ariminensi, et Monteferetrano collocatis. Quæ omnia per centum jam curricula annorum, vestra Ecclesia et vestri antecessores tenuerunt, et vos, Deo gratia, tenetis quiete : id est, castellum quod vocatur Ligabizzi, cum omni pertinentia sua, et curte de sancto Hermete, cum prædicta ecclesia, et cum casalibus et appendicibus suis : scilicet castellum quod vocatur Galliola, cum omni pertinentia sua; nec non et castrum quod vocatur Granariolo, cum omnibus rebus et possessionibus suis. Et castellum quod vocatur Montecorlino cum omni integritate sua; necnon et integrum castellum quod vo-

catur Crucis, cum omnibus rebus et possessionibus suis. Et ut paternitas bonitatis nostræ filiationem tuæ devotionis summo affectu et affluenter in Christo enutriat, auctoritate Dei omnipotentis et S. Petri principis apostolorum, hoc nostro privilegio, præceptum de Regiensi episcopatu, cum omnibus sibi adjacentiis, a venerabili Ottone Augusto, tibi tuæque Ecclesiæ tuisque successoribus attributum, confirmamus, stabilimus et inconvulsum permanendum præcipimus, ut teneas, defendas, regas, et ad Dei honorem, tam tu quam tui successores, libere ordinetis. Confirmamus etiam tibi tuæque Ecclesiæ in perpetuum donamus Cæsenam, cum omnibus inibi pertinentibus : et potestate apostolica jubemus ut de subtus strata, usque ad mare, nullus audeat districtum aut venationem ullam exercere, nisi cui tu aut tui successores jusserint ; sed absque omnium hominum inquietudine, ad honorem, et utilitatem tuam, potestative omnia ibi facias et præcipias. Omnia etiam privilegia jampridem a prædecessoribus nostris tuæ Ecclesiæ collata, omniaque præcepta aut a regibus aut imperatoribus pro Dei respectu attributa, hoc nostro privilegio in voluntate Dei, et auctoritate sancti Petri, confirmamus, corroboramus et in æternum valere volumus et præcipimus. Si quis igitur contra hæc quæ per hoc nostrum privilegium pie et firmiter disposita sunt, temerario ausu ire tentaverit, sciat se auctoritate B. Petri principis apostolorum, cujus immerito vices agimus, anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et Juda traditore æterni supplicii incendio concremandum ; sicque irremediabiliter involvendum, ne unquam a nexibus anathematis sit absolutus. At vero qui observator in omnibus exstiterit, custodiens hujus nostri apostoliei constituti auctoritatem, ad cultum Dei nostri respicientis, benedictionis gratiam a misericordissimo Deo nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps efficiatur.

Scriptum per manus Petri notarii et scriniarii S. Romanæ Ecclesiæ, in mense April., Indict. XI. Bene valete.

Dat. IV Kal. Maii, per manum Joannis episcopi S. Albanensis Ecclesiæ et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno pontificatus domni Gregorii summi pontificis et universalis papæ, in sacratissima sede B. Petri apostoli, anno II, imperante domno Othone III a Deo coronato, magno et pacifico imperatore, anno II, in mense et indict. suprascripta.

XV.

GREGORII PAPÆ V EPISTOLA AD ALPHANUM BENEVENTANUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 998.)

(Apud Ughelli, *Italia Sacra*, II, 353)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Alphano dilectissimo et reverendissimo sanctæ Beneventanæ Ecclesiæ archiepiscopo in Domino salutem.

Cum summæ et apostolicæ dignitatis apex in hoc divini profectus nitore dignoscatur præfulA gere, et in exercendis Dei laudibus sui studeat laboris exhibere certamen, ob hoc debita nos ejusdem apostolicæ pastoralis compulit sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum locorum promulgare, et apostolicæ institutionis censura confirmare. Igitur quia postulasti a nobis, venerande archiepiscope, quatenus integrum archiepiscopatum sanctæ Beneventanæ Ecclesiæ, cui Deo favente præes, concederemus tibi, tuisque successoribus in perpetuum, ac cuncta quæ a prædecessore nostro domino Joanne sanctissimo papa, precatu domini Ottonis invictissimi imperatoris per privilegium concessa sunt tuo prædecessori Landolpho archiepiscopo ejusdem sedis, confirmaremus : piis tuis desideriis faB ventes, hac nostra auctoritate id quod a nobis exposcitur per interventum domini Ottonis imperatoris effectui mancipamus, concedentes tibi tuisque successoribus usum pallii, sicut scriptum est, retinere. Tribuentes insuper tuæ fraternitati, tuisque successoribus in prædicta diœcesi in locis in quibus olim fuerunt in perpetuum episcopos consecrare, qui vestræ subjaceant ditioni, id est Termulanæ, Bibinæ, Quintodecimi, Ariaui, Triventi, Larini, Luceriæ, S. Agathæ, Abellini, Asculi, Vulturariæ, Thelesiæ, Alifæ, Sessulæ. Confirmantesque tibi tuisque successoribus ecclesiam S. Michaelis in Monte Gargano, cum ipsa Sipontina ecclesia, et cum omnibus earum pertinentiis, et omnibus prædiis, cum ecclesiis, familiis utriusque sexus, et massis, et C cuncta quæ videntur esse pertinentia ipsarum ecclesiarum. Concedimus autem Alphano clerico vestro nepoti integrum ipsum archiepiscopatum post decessum tuum habendum cum omnibus suis pertinentiis, sicut sunt civitates, sive quæcunque castra possessa dudum ab anteeessoribus tuis episcopis. Siquidem censentes insuper apostolica censura sub divini judicii obtestatione... (*Reliqua usque ad calcem haud legi possunt. Quo autem jure Vipera totum integrum retulerit diploma, ipse viderit. In fine diplomatis legitur :*) manum Antonii notarii scriniarii sanctæ Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ in mense Aprilis, et indictione undecima. . . . . .

XVI

D GREGORII PAPÆ V PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO SANCTI GENESII IN DIOECESI BISULDUNENSI.

(Anno 998.)

(Apud Coquelines, *diplom. pont. ampl. Collect*. I, 296.)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei.

Creditæ nobis speculationis impellimur cura, et ardore Christianæ religionis, et studio divini cultus permovemur pro venerabilium locorum percogitare stabilitatem atque Deo servientium securitatem, ut hoc proveniente pio labore, et animæ Christo dicatæ, quæ se illi diebus vitæ eorum decreveruut, perseverent imperturbatæ, nec non, et illa maneant

fluctenus firma, quæ a Christianis in Dei laude constituta sunt. Igitur omnibus episcopis, ducibus, marchionibus, comitibus, sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus præsentibus scilicet atque futuris notum esse volumus, quia dilectus et spiritalis filius noster Bernardus Bisuldunensis gloriosus comes suggessit nostro apostolatui quod venerabile monasterium in honore ac nomine sancti Genesii et sancti Michaelis archangeli nostræ apostolicæ confirmationis et auctoritatis more canonico privilegio muniremus. Cujus salubribus moti precibus, omniumque Ecclesiarum Dei status haberi volentes, et uniuscujusque sacri loci jus aliquo modo violari nolentes, decernimus hujus apostolicæ auctoritatis privilegio, a præsenti undecima indictione sancimus ob honorem ipsius beati Genesii et sancti Michaelis archangeli, et stabilitatem ejusdem venerandi loci, ipsum jam fatum venerabile monasterium, quod ipse prædictus Bernardus noster in Christo spiritalis filius, pro omnipotentis Dei amore mercedeque animæ suæ, de suo proprio, suoque comitatu, moderno tempore in antea construxit more canonico, et sub jure sancti Petri constituit, nullius alterius ecclesiæ juri vel ditionibus submisit, donante vel in perpetuum in præfato monasterio concedente de suis propriis suoque comitatu Bisuldinensi rebus, imprimis videlicet ecclesiam sancti Vincentii cum decimis, et primitiis vel cimeteriis suis, quæ est prope castrum Bisulduni, et ecclesiam sanctæ Mariæ, et sancti Joannis cum omnibus alodiis, et proprietatibus suis quæ est prope mœnia Bisulduni, et una cum ipsa proprietate quam ipsum fatum monasterium sancti Genesii et sancti Michaelis habere videntur in Burgo Bisulduno, et in Casellas, et in Berrechar, et in Geffano, et in Porciolas, et in Furvellos, vel in omnibus locis; et Ecclesiam sancti Martini de Jucuniano cum decimis et primitiis vel oblationibus suis, et ecclesiam Sanctæ Mariæ quæ est in faxis cum decimis et primitiis vel oblationibus suis, et ecclesiam sancti Fructuosi quæ est in Ursiniano cum decimis et primitiis, vel oblationibus suis; item et ecclesiam sancti Sylvestri quæ est in Mauro cum decimis et primitiis vel oblationibus suis; similiter, et ipsum alodem de sancto Raphaele sicuti per fines et terminos designantur; pariter et ipsum alodem de sancto Raphaele, qui est in Adano, et qui est in Evoro, sicuti per fines, et terminos designantur; alodem de prædicto sancto Raphaele quæ est in Carravia, sicuti per fines et terminos designatur; necnon et ipsum alodem de villa Marialdo cum finibus et terminis suis, sicuti ad jura pertinet sancti Raphaelis, et ipsam ecclesiam sancti Quintini cum silvis, et cum omni sua pertinentia vel adjacentia; et ecclesiam sancti Cornelii quæ est in Sarno, cum omni sua pertinentia vel adjacentia, et ipsum alodem prædicti Bernardi comitis, quem habere videtur in Ribellas cum casis, vineis, terris et silvis, pratis, pascuis, vel piscariis suis, sive cæteris alodibus ad ipsum monasterium vel ad ipas ecclesias pertinentibus. Has vero supradictas omnes ecclesias cum alodibus et proprietatibus eorum omnia infra comitatum Bisuldunensem constitutas, sicut ipse fatus Bernardus comes donavit jam fato monasterio, et cætera quæ enarrare longum esset, quæ ubique donavit vel in antea donare potest, sive casis, casalibus, curtibus, mansis, ecclesiis, cellis, fundis seu terris, vineis, seu pratis, et pascuis vel pascuariis suis, et cum omnibus ad jus notati monasterii pertinentibus, salvum, et in cunctis quietum consistere more canonico sub nostræ apostolicæ sedis tuitione, ita scilicet confirmantes decernimus, ut nullum imperatorum, vel regum, neque ulla alia magna vel parva persona in præfato monasterio neque pro placito, neque pro districto, neque pro homicidio ibi aliquam ditionem habere præsumat; sed rem per judicium causatorum, canonice dijudicent, et decernant, semper in illorum consistat voluntate, et potestate; liceat eos sub quiete et pace vivere, et secundum canonicam regulam soli Domino Deo servire. Omni tempore sunt immunes et alieni ab omni publica functione vel turpi servitio, ita ut nullus audeat eos molestare aut inquietare, nisi solummodo binos solidos omni anno ad altare sancti Petri pro pensione persolvant. Promulgantes nempe, et hoc auctoritate beati Petri apostolorum principis, coram Deo et terribili ejus in futuro examine, per hoc nostri apostolatus privilegium atque constitutum sancimus atque decernimus, ut nullus unquam præsumat quispiam alius, cujuscunque sit dignitatis præditus potestate, vel etiam quæcunque magna parvaque persona in eodem monasterio, vel ejus causis incumbere, aut de rebus, et possessionibus, vel quidquid de iis quæ eis pertinere videntur, quoquomodo auferre aut alienare, sed loca quæ a prædicto Bernardo Bisuldunense comite in eodem monasterio concessa sunt, vel concessa erunt, necnon alias locorum possessiones, quæ a cæteris Christianis in eodem sancto loco in postmodum illi concessæ fuerint, firma stabilitate in jure monasterii ipsius existenda, atque in perpetuo permanenda statuimus. Nec licentia sit, ut dictum est, quod ex eis vel omnibus eidem monasterio pertinentibus cuiquam magnæ parvæque personæ auferre, ut profecto juxta id, quod subjectus idem venerabilis locus apostolici constituti atque privilegii consistit, inconcusse dotandus permaneat. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii statuta sunt refragare, aut in quodam transgredi, sciat se anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque Juda traditore Salvatoris Domini nostri Jesu Christi æterni incendii supplicio concremandum deputatus: vermis qui non moritur et ignis qui non exstinguitur unquam, nec velit nec valeat ei parcere. At vero qui pio intuitu observator, et in omnibus exstiterit custodiens hujus nostri apostolici constituti, ad cultum Dei respicientis, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequa-

tur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur in A sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manus Petri notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprilis, indictione undecima. — Bene valete.

XVII.

GREGORII PAPÆ V PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA MONTISMAJORIS.

(Anno 998.)

(Apud Baluz., *Miscell.* edit. Luc,, tom. III, pag. 6.)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere et poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Deo promeremur, cum venerabilia loca or- B dinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur ob hoc universitati pateat credentium quoniam abbatiam in honore sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ et sancti Petri in Monte Majoris constitutam per hujus nostræ auctoritatis privilegium integerrime corroboramus et confirmamus in perpetuo, cum omnibus videlicet ecclesiis, oraculis, curtibus, massariciis ad ipsam respicientibus quæ ab aliquibus fidelissimis Christianis eidem sancto monasterio concessa sunt, vel quæ etiam per aliqua munimina ad eundem pium locum pertinere videntur, eo scilicet ordine ut monachi ipsius cœnobii simul cum abbate qui pro tempore fuerint, prætaxatas ecclesias, oracula, cortes, massaricios, servos, ancillas, aldiones et aldianas, sine alicujus majoris vel minoris personæ contradi- C ctione habeant, teneant et possideant, atque in eorum usum ac sumptum prout melius præviderint distribuant, nostra apostolica auctoritate concedente. In super etiam ex nostro dono nostra apostolica auctoritate in usu et salario præfati venerabilis monasterii in perpetuum concedimus et confirmamus, castrum videlicet in integrum quod vocatur Biduino cum territorio ibidem pertinente et cum omnibus adjacentiis, vel pertinentiis suis quæ Ismido per donationis cartulam Domino Deo et sancto Petro sub jure nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ donavit, ea videlicet ratione ut post diem obitus sui et de tres filiis sui nominative, Bermundus scilicet, Faraldus, et Lotgerius, totum ipsum castrum nostrum in potestate de monachis ex supradicti monasterii devenirent, et D quandiu vixerint ipsi supradicti tres filiis suis mediatem de supradicto castro teneant et possideant. Mortuo vero uno portionem illius ad monasterium revertat, ita et prosequentibus quando aliis obierint, similiter portionis illorum in sancto monasterio revertatur. Censu vero pro jure sancti Petri, sicut ipse Ismido constituit, infra quinque annos tres libras olibani monachi ad altare sancti Petri persolvant. Hæc omnia supradicta loca cum omnibus eorum pertinentiis per hujus nostri privilegii auctoritatem monachis ipsius monasterii tenenda et possidenda concedimus in perpetuo, ita ut nullus dux, neque nullus episcopus, neque princeps, neque marchio, neque quælibet magna parvaque persona de præfatis omnibus rebus quæ inibi pertinere videntur audeant molestare vel inquietare, nec non sub divini judicii promulgatione, et confirmatione, et anathematis interdictione corroborantes decernimus ut nullus episcopus seu quilibet sacerdotum in eodem venerabili cœnobio pro aliqua ordinatione sive consecratione presbyterorum vel diaconorum, missarumque celebratione, nisi ab abbate ejusdem loci invitatus fuerit, venire ad agendum præsumat; sed liceat monachis ipsius loci cujuscumque voluerint ordinationis gradum suscipere ubicumque voluerint. Abbates namque qui consecrandi erunt de ipsa congregatione cum consilio fratrum communiter eligantur, et ad eum consecrandum quemcumque voluerint episcopum advocent. Si quis autem temerario ausu, quod fieri non credimus, contra hujus nostræ apostolicæ confirmationis seriem venire aut agere tentaverit, sciat se Domini nostri apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodandum; et cum diabolo et ejus atrocis (sociis), pompis atque cum Juda traditore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi in æternum ignem concremandum; simulque in voraginem tartareosque chaos demersum cum impiis deficiendum. Qui vero custos et observator hujus nostri privilegii exstiterit, benedictionis gratiam et vitam æternam a Domino consequatur.

Scriptum per manum Petri notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprilis, et indictione undecima.

XVIII.

BULLA GREGORII PAPÆ V PRO ARNULPHO IN EPISCOPUM AUSONENSEM ELIGENDO.

(Anno 998.)

(Apud Mansi, *Conc.* tom. XIX, col. 227.)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei.

Divina nobis saluberrima præcepta et sanctorum canonum instituta veneranda nos admonent considerationis intuitu, imo et apostolici moderaminis annisu, utilitatum commoditatem atque firmitatis proficere integritatem, quatenus procurandarum utilitatum subsidia, ut divino cultui dedicata existunt, inconcusse permaneant, atque in laudibus Dei diutissime persolvendis valeant proficere. Hoc procul dubio commissa sollicitudo nos provocat pia consideratione sanare, ut ex hoc divina placata clementia, in sydereis arcibus nobis ascribatur remuneratio. Ideoque omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus tam præsentibus quam et futuris notum esse volumus qualiter peracta fuit synodus septimo Idus Maias in basilica beati Petri apostolorum principis, ante aram sive altare ejus, cum omni Romanæ Ecclesiæ episcopis et ultramontanis necnon diaconibus utriusque gradus sanctæ nostræ apostolicæ sedis, cunctæque sedis Romanæ urbis, inter quos etiam adfuit domnus gloriosissimus et serenissimus Otto tertius imperator Augustus

cum ultramontanis Longobardorumque ducibus, comitibus, seu militiæ copia nimis. Et residentes illic ad pedes præfati Augusti Ermengaudo comite filium Borrelli Aquitaniorum sive Gothorum nobilissimo marchione cum optimatibus sive clericis suis, Arnulpho episcopo, et Guadaldo advocato episcopo, in eodem conventu vel synodo inter se altercantibus de episcopo Ausonensi; Guadaldo se reclamante, ante apostolicam et imperialem præsentiam, quod prædictus Arnulphus per vim et injuste tolleret ei prædictum Ausonensem episcopatum, una cum Raymundo ipsius provinciæ marchione, Arnulpho episcopo respondente quod ei non abstulisset per vim nec injuste prædictum episcopatum, sed juste et legaliter se obtinere, et a proprio metropolitano Narbonensi, cujus diœcesis fore debet, esse consecratum, et Guadaldum vivente Fruiano pontifice Ausonensi ab alio metropolitano Oddone Galliæ provinciæ archiepiscopo fraudulenter et absque lege ordinatum, et a Joanne papa antecessore nostro et a cœtu episcoporum Romanæ Ecclesiæ sive aliis compluribus condemnatum et anathematizatum; reclamante se prædicto episcopo Fruiano, quem Guadaldus interfici fecerat cum fratre et consanguineo suo et aliis pluribus. Hæc talia illis dicentibus, diligenti animo, cum summo studio, letaniis, psalmis et orationibus intercedentibus, et fidem catholicam relegentes, tractare cœpimus qualiter fida relatione ad regularem tramitem perduceremus et secundum canonicam et apostolicam auctoritatem eos discuteremus. Tunc nos demum secundum canonicam et apostolicam auctoritatem ferula excommunicationis et bandi nostri constrinximus prælibatum Ermengaudum comitem cum clericis et optimatibus suis ut quidquid exinde veraciter sentirent, nobis pro amore Dei et apostolorum principis Petri renuntiare satagerent. At illi professi sunt uno animo unaque voce ea quæ ab Arnulpho episcopo audieramus vera et recta omnia esse, et Guadaldum vivente Fruiano episcopo episcopatum sibimet usurpasse et ab alio metropolitano injuste subintroductum, et postea prædictum Fruianum a præfato Guadaldo innocenter occisum. Deinceps nosmet cœtusque episcoporum diligenter præfatum Guadaldum inquirendo discussimus, si vera essent quæ ipsi contra eum objecerant. At ille, quia negare non potuit, se proprio ore professus est præfatum episcopatum vivente Fruiano pontifice sibimet subripuisse, et ab alio metropolitano, non a diœcesano Narbonensi, ordinatum, et seditionem se incitasse, quæ ipse prælibatus pontifex Fruianus a suis fuit interemptus. Tunc nos deinceps hæc audientes, et ejus verbis magis quam aliorum testimoniis credentes, cœpimus perquirere sanctos canones, et recitando invenimus capitula a sancto Nicæno concilio constituta, non debere usurpare alicui episcopatum episcopo vivente, nec ab alio metropolitano nisi diœcesano ordinari, etiamsi talem clerus et plebs eligerent, sed hujus rei factorem secundum suam professionem, et canonicam et apostolicam auctoritatem debere deponi. Nos denique obedientes præceptis canonum, judicantibus episcopis Romanis, Longobardis, et ultramontanis, consentiente et judicante domno Ottone imperatore Augusto, jussimus a Benedicto archidiacono nostro et Rotberto oblationario ipsum Guadaldum deponi. Qui statim nostris jussibus obedientes, ut mos est Romanorum, de dextera illius annullum evellentes, et virgam pastoralem super caput ipsius frangentes, et casulam atque dalmaticam scindentes, et ab ordine pontificatus eum degradantes, in terram sedere fecerunt. Post hæc omnia peracta, domno imperatore jubente, et episcopis Romanis, Longobardis, atque ultramontanis judicantibus, consentiente et acclamante Ermengaudo comite cum clericis et optimatibus qui de regione illa ibi aderant, una cum senatu et militia Romana Longobardorum et ultramontanorum, privilegio nostræ auctoritatis confirmando et corroborando Arnulphum prænominatum episcopum in ordine pontificali Ecclesiæ Ausonensis statuimus atque sublimavimus, annulumque et virgam pastoralem ei dedimus, ligandi solvendique potestatem vice apostolorum et nostra ei concessimus, et episcopatum præfatum una cum præcepto domni Augusti cum omnibus suis pertinentiis quæ ad sedem ipsam pertinent, vel pertinentiis quæ ad sedem ipsam pertinere debent, illi stabilivimus, ita ut nullus homo vel judicialis potestas in præfato episcopatu vel sede aliquid contra hunc Arnulphum episcopum sive successores suos temerario ausu contra ecclesiam (seu res) sancti Petri seu sanctæ Mariæ in vico Ausonensi sitas disrumpere, invadere, subripere, vel dehonestare aut dilaniare, aut aliquid per vim auferre, contendere, vel extorquere præsumat: id est, nec parochias, neque fiscos, nec prædia, aut castella, neque monetam, neque telonea, neque pascuaria, neque omnia, quidquid dici vel nominari potest, seu etiam abbatis quæ ad jus Ecclesiæ pertinent. Si quis autem contra hoc nostri privilegii robur vel contra jus supradictarum ecclesiarum, sive præcepta episcopii, vel contra canonicos ibidem Deo famulantes, ad irrumpendum venerit, aut in aliquo molestiam fecerit, aut legerit nisi resipuerit, anathematis vinculo ex auctoritate beati Petri, et aliorum apostolorum, atque ex parte nostra sciat se esse excommunicatum, et cum Juda traditore catenis igneis nodatum.

Scriptum per manus Petri notarii et scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Maio, indictione XI.

Benedictus sanctæ Romanæ Ecclesiæ archidiaconus, qui deposuit Guadaldum.

Joannes diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui Homo vocor.

Ego Notkerus sanctæ Leodicensis Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Benedictus diaconus, Joannes diaconus sanctæ Ecclesiæ Romanæ.

Petrus abbas, qui in synodo, quod hoc privilegium narrat, resedi et subscripsi.

Ego Otto Dei gratia Romanorum imperator Augustus subscripsi.

Anno pontificatus domni Gregorii summi pontificis et universalis quinti papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli tertio, imperante domno tertio Ottone a Deo coronato magno et pacifico imperatore anno secundo, in mense Madio, et indictione XI.

Joannes præfectus, et comes palatii, atque dativus judex.

XIX.

GREGORII PAPÆ V EPISTOLA AD CONSTANTIAM (8) REGINAM GALLIARUM.

(Anno 998.)

Ut qui villas Juliani episcopi prædati fuerant, et incenderant, ecclesiastica regiaque auctoritate coerceantur.

Cum devotissimam dominam sciam de cœlesti vita atque remedio animæ suæ sedulo cogitare, culpam me committere vehementer existimo, si ea quæ pro timore omnipotentis Dei sunt suggerenda, siluero; et te sanctissimam de ecclesiastica pace sedule non commonuero. Nimis me Juliani fratris et coepiscopi nostri proclamatio nuper contristavit: maxime cum villæ suæ, videlicet ecclesiæ, a nequissimis prædonibus sint deprædatæ, atque nocturnis incendiis more furum combustæ; et dum iidem maligni juxta nostri prædecessoribus Bonifacii decreta, pro immunitate illud emendare noluerint; dum et sæculi leges hæc eadem ita habere voluerint, lege vulgari teste in qua sic scribitur: « Si quis manu armata usque ad quatuor homines in vicum alterius ad malefaciendum venerit, ille qui prior est pro illicita præsumptione componat solidos DCCC. Sequaces vero ejus, unusquisque solidos LXXX. Si vero ibi incendium fecerint, sibi nonam componant, prædam vero in quadruplum restituant. » Si sæculi leges talem justitiam habere voluerint, lex divina cur inferior esse debebit? Cum in ipsius veritatis præsentia a Zacchæo collaudatum sit, si aliquem defraudaret, ut in quadruplum restitueret. Et quia summum in regibus bonum est justitiam colere, ac sua cuique jura servare, et in subjectos non sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum est custo- A diri; quod vos et diligere et omnino confidimus studere. Quapropter excellentiæ vestræ mense Novembri præsentis anni XI (*cor.* XII) indict. (9) Petrum fratrem et coepiscopum a gremio sanctæ Romanæ Ecclesiæ transmittimus, ut, fratribus ejusdem provinciæ in unum congregatis, immunitas et præsumptio et sacrilegium canonica auctoritate et vestra regia dignitate talem terminum accipiant, ne post hæc membra diaboli, filii nequam, in sancta Ecclesia te etiam ibi regnante talia præsumant.

XX.

PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO GREGORII PAPÆ V CLUNIACENSI.

(Anno 990.)

(*Bullar. Cluniac.*, 10.)

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei dilecto B filio ODILONI abbati monasterii quod dicitur Cluniacum, in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli consecratum in comitatu Matisconensi situm, et per te in cunctis successoribus tuis abbatibus in perpetuum.

Desiderium quod religiosorum præpositorum et sanctorum locorum stabilitate permanere monstratur sine aliqua dilatione est Deo auctore perficiendum, et quoties in suæ utilitatis commodis nostrum assensum et solitæ apostolicæ auctoritatis exposcunt præsidium, ultro benignitatis intuitu nos convenit subvenire, et rite pro integra securitate ea ratione solidare, ut ex hoc nobis quoque potissimum præmium a conditore omnium Deo in sidereis arcibus conscribatur. Et ideo quia postulastis a nobis C ut præfatum monasterium apostolicæ auctoritatis serie muniremus, et omnia ejus pertinentia perenni jure ibidem inviolabiliter permanenda confirmaremus, et absque omni jugo seu ditione cujuscunque personæ constabilire nostri privilegii pagina corroboraremus: propterea tuis flexi precibus ob interventum Domini invictissimi et pii Ottonis imperatoris augusti, ejusque remedium animæ per hujus nostræ auctoritatis privilegium statuentes decernimus, ut cuncta loca et monasteria ad supradictum Cluniacense cœnobium pertinentia, quæ ab aliquibus Christianis, regibus, episcopis, ducibus seu principibus eidem loco sunt concessa, et ab antecessoribus tuis abbatibus acquisita, Bernone videlicet, Odone, Aymardo, et beatæ recordationis sancto Maiolo prædecessore tuo, vel quæcunque ad D eumdem locum pertinere videntur, absque ullius contradictione cum magna securitate quietus debeas possidere, et per te universi successores tui in perpetuum, hoc est, ipsum Cluniacense cœnobium a po-

(8) Roberti regis Francorum conjugem.

(9) Indictionis certissima, quam apposui, emendatio est. Scripta est enim epistola mense Novemb. ann. 998, quo anno Constantiam Robertus rex conjugem duxit. Neque enim scribi potuit vel anno præcedenti, quo nondum regina erat Constantia, vel consequenti, quo Gregorius pontifex jam inde a Februario mense obierat. Porro Novembri ann. 998 currebat indictio XII, inchoata a Kal. Septembr., quod erat in temporibus pontificiæ indictionis initium, imo et aliquandiu postea fuit, ut ex Gregorii VII epistolis apparet, ac nominatim lib. I, epist. 19. Non designat Gregorius cujus urbis episcopus esset ille Julianus. Andegavi forte, siquidem epistolæ hujus exemplum ex Andegavensi codice descriptum est. Quod si ita est, addendus Julianus Andegavensium episcoporum catalogo. Neque locus ipsi deerit. Nam circa hæc tempora magnus hiatus est in Gallia Christiana.

GABR. COSSART.

tentissimo olim duce Guillelmo in pago Matisconensi fundatum, cum omnibus rebus in circuitu ejusdem loci, et in aliis regionibus positis ad ipsum locum, pertinentibus, in comitatu videlicet Matisconensi cellam in honore sancti Martini sacratam; ecclesiam quoque juxta positam in honore sancti Joannis dedicatam; villas etiam Cavinias cum ecclesia, Solustriacum villam cum ecclesia, Escutiolas cum ecclesia, Galliniacum cum ecclesia, Rufiacum cum ecclesia, Masilias cum ecclesia, Clairmannum, Petroniacum, Bargeserenam villam, Arpayacum, Darboniacum, Besorniacum, ecclesiam sanctæ Columbæ, Vitreriam, Burguliensem villam, castrum Lurdonum, Blanuscum villam nomine Cottam, monasterium etiam quod vocatur Carus locus cum omnibus ad se pertinentibus, cellam Regniacum cum omnibus ad eam pertinentibus, ecclesiam sancti Victoris cum omnibus quæ ibi aspicere videntur; cellam quoque in honore sancti Victoris cum omnibus suis appendiciis, ecclesias etiam et terras quæ juxta illam sunt, pro quibus dedimus ecclesiam sancti Jangulfi, Eguirandam quoque curtem cum ecclesia sancti Andreæ apostoli, et cum aliis ecclesiis et omnibus suis appendiciis, omnes quoque ecclesias et terras, seu omnia quæcunque supradictus locus videtur habere in jam dicto comitatu. In comitatu vero Cabilonensi cellam de Bellomonte in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ constructam, cum omnibus quæ ad ipsam aspicere videntur: ecclesiam quoque de Campiloco, cum omnibus quæ ad eam pertinere videntur. Curtem etiam vocabulo Juliacum cum ecclsiis et terris eidem loco quondam ab episcopo Manasse collatis, et omnes ecclesias et terras, quæcunque supradictus locus videtur habere in jam dicto comitatu. In episcopatu vero Augustodunensi cellam Oradellis constructam in honorem sanctæ Dei Genitricis cum omnibus suis appendiciis. Illas etiam ecclesias et terras quas Theotardus clericus nuper contulit jam dicto Cluniacensi cœnobio. Confirmamus etiam et corroboramus nostra apostolica auctoritate illam, quam fecit domnus Walterius Augustodunensis episcopus, de monasterio quod dicitur Magabrense ad suam Ecclesiam pertinente cum omnibus ad ipsum pertinentibus. Omnes quoque ecclesias et terras, et quæcunque supradictus locus Cluniacus videtur habere in jam dicto episcopatu. In comitatu quoque Arvernensi Silviniacum monasterium, ubi prædecessor tuus sanctus Maiolus requiescit, cum omnibus ad eumdem locum pertinentibus. Et cellam quæ vocatur Firmitas cum omnibus ad se pertinentibus; cellam quoque quæ vocatur Scuriolas; ecclesiam etiam in honore sancti Sulpitii dicatam in villa quæ dicitur Langiacus. Et cellam quæ vocatur ad Boscum in honore sancti Petri constructam. Monasterium quoque quod dicitur Rivis consecratum in honore sanctæ Dei Genitricis cum curte Lipsaco et omnibus suis appendiciis. Ecclesiam quæ vocatur Manrengum cum aliis terris eidem monasterio ab Eustorgio nobilissimo viro nuper traditis. Cellulam quoque juxta positam in ipso comitatu sitam, in honore sanctæ Dei Genitricis sacratam, quæ vocatur ad montes. Monasterium etiam Celsinianense cum cellis, ecclesiis, villis, et terris suis, Carniacum videlicet, Burnunculum, Abaluiacum, Giniacum, Cardonetum, et cum omnibus ecclesiis et terris ad ipsum Celsinianense monasterium pertinentibus. Cellam quoque in ipso comitatu sitam ubi requiescit sanctus Florus, quam tradidit supradicto loco Eustorgius clericus cum omnibus ad eam pertinentibus. Cellam quoque in Brivatensi vico pertinentes ad supradictum locum. Cellam etiam Riliacum cum curte et omnibus ad eam pertinentibus. Capellam quoque juxta positam in honore sancti Salvatoris constructam in villa Saraciaco; omnes quoque ecclesias et terras, seu quæcunque videtur supradictus Cluniacus possidere in jam dicto comitatu. Mansiones quoque cum capella in Aviciensi civitate sitas, quos tradidit supradicto loco domnus Grimaldus clericus. In episcopatu etiam Vivariensi cellam Mizoscum cum omnibus quæ ibi aspiciunt, cellam de Rumpono monte, cellam ad fontes, cellam Riorus cum omnibus quæ habere videtur supradictus locus Cluniacus in jam dicto episcopatu. In episcopatu Uticensi monasterium in honore sancti Petri et sancti Saturnini dedicatum, super ripam Rhodani situm, cum castro Coloncellas et curte Tulleta, et cum omnibus ad se pertinentibus ex utraque parte fluminis. In Trecassino episcopatu cellam in honore sancti Amandi constructam. In episcopatu Arausico cellam in Podio Odoleno, monasteriolum in honore sancti Pantaleonis constructum cum omnibus ad illud pertinentibus In Gapincensi episcopatu cellam in honore sancti Andreæ constructam, jam dicto Cluniacensi cœnobio concessam a Ricaudo clerico cum omnibus appendiciis suis. Ganagobiense quoque monasteriolum et curtem Valentiolam, et omnia quæ videtur supradictus locus Cluniacus tenere et quod habet habere, videlicet de quibus rebus habet donationem et descriptionem, atque de villa et castro Sarrianis, et de omnibus quæ habet in patria quæ vocatur Provincia, in Valentinensi episcopatu hoc quod videtur habere Cluniensis locus in villa quæ dicitur Ales, et in monte Syon, et omnia quæ videtur habere ipse locus in ipso episcopatu. In episcopatu Viennensi monasterium quod vocatur Taderniacum cum cella quæ dicitur causslla, et villa quæ vocatur Bracost, et villa quæ dicitur Insula, cum omnibus ecclesiis, villis et terris quæ videtur habere jam dictus locus in nominato episcopatu. In episcopatu quoque Lugdunensi, cellam beatæ Mariæ quæ dicitur Taluzatis; cellam Poliacum, cellulam Artedunum, cellam quoque Ambertensem, cum ecclesiis, villis et terris ad ipsam pertinentibus; cellam quoque Saviniacum, et curtem Ambariacum, et ecclesiam sancti Andeoli, ecclesiam quæ vocatur Adoratorium, curtem de Romanis, cellam Cavariacum, cellulam Luiniacum, villam Tusciacum; omnes quoque ecclesias, villas

et terras, quas Wichardus moriens eidem loco Cluniensi contulit, cum omnibus quæ videtur habere supradictus locus in supra jam dicto episcopatu. Monasterium quoque Paterniacum ab Adelaide imperatrice Augusta constructum, et a Conrado rege et filio suo Rodulpho rege, Cluniensi cœnobio per præcepta regalia traditum, cum omnibus quæ videtur habere in Burgundia, et cum omnibus quæ ipsi monasterio in Alsacia dederunt imperatores Augusti Ottones. Monasterium quoque quod dicitur Romanum cum omnibus ad se pertinentibus jam dicto Cluniensi cœnobio, et tibi tuisque successoribus habere concedimus in perpetuum. Hæc omnia supra scripta loca, et monasteria cum cellis, ecclesiis, curtibus, villis, servis et ancillis, silvis, vineis, campis, pratis, aquis, aquarumque decursibus, et omnibus terris cultis et incultis ad supradictas possessiones vel potestates pertinentibus ipsi Cluniensi loco, tibique et tuis successoribus per hujus nostri privilegii auctoritatem tenenda et possidenda concedimus in perpetuum, ita ut nullus dux, neque episcopus, neque aliquis princeps, neque quælibet magna parvaque persona de præfatis omnibus rebus et decimis, quæ inibi pertinere videntur, audeat molestare vel inquietare. Nec non sub divini judicii promulgatione et confirmatione, anathematis interdictione corroborantes decernimus, ut nullus episcopus, seu quilibet sacerdotum in eodem venerabili cœnobio pro aliqua ordinatione seu consecratione ecclesiæ, presbyterorum vel diaconorum missarumque celebratione, nisi ab abbate ejusdem loci invitatus fuerit, venire ad agendum præsumat; sed liceat monachis ipsius loci cujuscunque voluerint ordinis gradum suscipere, ubicunque tibi tuisque successoribus placuerit. Abbates namque qui consecrandi erunt, de ipsa congregatione cum consilio fratrum communiter eligantur, et ad eos consecrandum quemcunque voluerint episcopum advocent. Quascunque vero terras nunc tenes, et quas tu tuique successores acquirere potueritis, in perpetuum possidendas concedimus vobis. Si quis autem temerario ausu (quod fieri non credimus) contra hujus nostræ apostolicæ confirmationis seriem venire aut agere tentaverit, sciat se Domini nostri apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodandum, et cum diabolo ejusque atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi in æternum ignem concremandum, simulque in voraginem tartarumque chaos, demersum cum impiis deficiendum. Qui vero custos et observator hujus nostri privilegii exstiterit, benedictionis gratiam et vitam a Domino æternam consequatur. Amen.

XXI.

GREGORII PAPÆ V BULLA PRO CONFIRMANDIS JURIBUS MONASTERII DE PETTERSHAUSEM AD RIPAM RHENI IN DIOECESI CONSTANTIENSI.

(Anno 999.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, GREGORIUS, qui et BRUNO, sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ Dei gratia episcopus et servus servorum Dei.

Desiderium quod ad religiosum propositum et sanctorum locorum stabilitatem pertinere monstratur, sine aliqua est Deo auctore dilatione perficiendum, et quoties in quibusdam sanctæ Ecclesiæ utilitatibus vel commodis noster asssensus, et solitum apostolicæ auctoritatis exposcitur præsidium, ultro benignitatis intuitu nos convenit subvenire, et ratum propositum pro integra securitate ex ratione solidare, ut ex hoc sanctorum veneratio locorum, salus et indemnitas profligetur, et nobis quoque lucri potissimum præmium a Conditore omnium præscribatur. Volente igitur atque rogante tertio Ottone imperatore Augusto et Lamperto sanctæ Constantiensis Ecclesiæ episcopo, quoddam monasterium in ripa Rheni, juxta Constantiam in villa quæ vocatur Petrishusa, de Gebehardo beatæ memoriæ episcopo, in honorem S. Gregorii constructum, apostolica defensione munimus, et præceptis Romanæ Ecclesiæ eo tenore decoramus, quatenus ad ipsum monasterium, cui nunc abbas Pericherus præest, cum omnibus ad se pertinentibus, diversis prædiis, cultis et incultis, colonis et familiis, vel quæcunque idem Gebehardus episcopus hæreditario jure vel aliqua acquisitione ad idem monasterium contradidit, aut quæcunque de episcopio commutavit, aut sine commutatione permisit, necnon quidquid prædictus Lampertus episcopus ad ipsum monasterium in quocunque negotio concessit, cum Siggeri prædiis, Tuscenanch et Wengiu vocatis, in pago Turgeu, sub comitatu Peretholdi comitis sitis, quorum unum de rebus episcopii per episcopum Gebehardum, aliud de ejusdem monasterii rebus per prædictum abbatem Pericherum acquisitum est, vel quodcunque per aliquem Dominum timentium ad eumdem pium locum concedendum est, aut concessum jam venit, apostolica beati Petri defensione ac tuitione stabilitum et inconcussum sub Christi testimonio permaneat et persistat. Hoc etiam jam apostolica jussione, cum consensu tertii Ottouis imperatoris Augusti et Lamperti supradicti episcopi, qui hæc fieri rogaverunt, omnino interdicimus, ne forte aliquis eidem monasterio præfigatur, nisi quem communis fratrum ibidem Deo servientium concordia eligat; ad episcopum vero eum qui ita electus est, stabilire tantum pertineat. Id ipsum etiam de advocati electione decernimus. Electo autem abbati vel monasterio advocato curæ sit res monasterii curare, easque dissipantibus resistere. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea quæ ab hac nostra auctoritate pie ac firmiter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, contraire, vel his quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii statuta sunt, refragari aut in quoquam transgredi tentaverit, sciat se ex auctoritate B. Petri principis apostolorum, cujus vel immeriti vicem agimus, anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo atque Juda traditore Christi æternis incendiis concreman-

dum. At vero qui pio intuitu observator nostræ salutiferæ præceptionis exstiterit, benedictionis gratiam a justo retributore Domino multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

XXII.

GREGORII PAPÆ V EPISTOLA AD MARTINUM ABBATEM.
(Anno 999.)

(*Histoire du Languedoc*, tom. I, *preuves*, pag. 155.)

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, charissimo filio MARTINO reverentissimo abbati venerabilis monasterii sancti Andreæ apostoli, et sancti Michaelis archangeli, et beati Martini confessoris, quod est fundatum in cacumine montis qui nuncupatur Andaoni, super fluvium Rhodani, ejusque successoribus abbatibus in perpetuum.

Cum summus apostolicæ dignitatis apex in hoc divini certaminis nitore dignoscitur præfulgere, ut in exercendis Dei laudibus sibi impensius studeat laboris exhibere certamen; ob hoc debita nos ejusdem apostolicæ pastoralis compulsi sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum pertinere dignoscuntur locorum ubertim promulgare et apostolicæ institutionis censura confirmare. Igitur quia petistis a nobis, quatenus concederemus sive confirmaremus tuæ religiositati prædictum monasterium sancti Andreæ apostoli, sancti Michaelis, et sancti Martini, ut his tribus ecclesiis unum semper persistat monasterium. Cum ipso monte in integro in quo adsunt ipsæ ecclesiæ cum omnibus infra se et circa se haben..... cum domibus, villis ibi et ubique cum omnibus rebus et substantiis mobilibus et immobilibus ac seseque moventia, quantumcunque a die fundationis usque nunc ibi concessa vel largita sunt. Verum et jam et usque in futurum per quemvis modum ibi advenerit, nos apostolica auctoritate firmiter et stabiliter hoc monasterium sub protectione abbatis perpetuis temporibus præcipimus permanere absque cujuslibet contestatione vel impedimento. Denique etiam confirmamus ut undecunque mortuorum corpora masculini sexus vel feminini ibi se sepeliri devotaverit, nullus episcopus, aut canonicus aut canonicorum, clericus, vel vice..... dominio nulla contrarietate malitiæ contra vobis vel contra servos monasterii exerceat. Loca enim quæ de aliorum locorum piorum numero non sunt constituta, annuatim pensionem solvendo liceat vos possidere, et ea omnia sub juris et ditione sanctissimæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore deservimus, vobis ad tenendum concedimus. Scitote, fratres dilectissimi, ante oculos mentis et corporis traditiones regularum paternarum, ut unusquisque prælatus noverit, qualiter debeat imperasse subjectis, nedum aspera et non unicuique fratri aptissima videamur imponi, ne usque ad contemptum prorumpat de imperantis indiscretione subjecti. Sit namque moderata vivacitas in sollicitudinibus, supereminens in fratribus strenuitas, ut dum regulariter omnis quietudo integerrime confertur, per obedientiæ lineam bene servientes exhibent temporalia, ad gaudia cœlestis patriæ perveniant sempiterna. A præsenti duodecima indictione, et usque in perpetuum concedimus et confirmamus vobis supradictum monasterium et montem, sicuti per commutationis chartam vobis evenit de Aldeberto et ejus fratre Adalelmo, simul cum conjugibus suis scilicet Leucinde nomine et Beliilde, seu Poncione, et fratre ejus Comberto, simul cum conjugibus. Adalinde scilicet et Unia, nec non Berengario presbytero simul cum fratribus duobus Perone videlicet et Nectale, Dabbato etiam cum tribus filiis suis his nominibus. Gariberto, Silvestro, et Poncione, ita præsentis confirmationis privilegio cuncta quæ..... inconcussa valeat possidere. Idcirco constituimus nos auctoritate Dei et sancti Petri apostoli et nostræ, ut dum abbas inde obierit, nullus ibi liceat ingredi abbas, nisi talis qui Deo et cunctis fratribus placeat, et eum quem congregationi placuerit absque peccato consecrari liceat. Si quis autem, quod non credimus, qualiscunque episcopus, marchio, comes, aut vicecomes, vel austaldus, vel quilibet magnæ personæ hæc quæ pro Dei omnipotentis amore constituimus refragari aut in quoquo transgredi..... sciat se sub divini judicii obtestatione et anathematis vincula innodatum, et a regno Dei alienandum, et cum diabolo sine fine cruciandum. Qui vero pius adjutor et observator hujus nostræ præceptionis exstiterit, benedictionis gratiam a Christo Domino consequatur et vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Scriptum per manum Benedicti scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Januarii et indictione præfata duodecima.

CIRCA ANNUM DOMINI DCCCCXCIX

HROTSUITHA

VIRGO ET MONIALIS GANDERSHEIMENSIS IN GERMANIA, ORDINIS S. BENEDICTI

NOTITIA HISTORICA IN HROTSUITHAM

(Ex Meibomio Seniori.)

Laurentius Humfredus, Anglus, qui aliquandiu, religionis causa, in Germania exsulavit, *Roswitham*, poetriam, patriæ suæ vindicare satagit. Vult enim fuisse filiam Hederici, regis Northumbrorum, ex Bregsinda uxore, alio nomine vocatam Hildam, quæ in cœnobiis Britanniæ et Galliæ annos tres et triginta peregerit, femina clarissima et doctissima. Verum temporibus decipitur, testesque alias sunt Georgius Fabricius, Originum Saxon lib. II, et Henricus Bodo, Chron. Gandersh. ms., Roswitham Saxonici generis puellam fuisse. Sunt qui eam confundunt cum Roswitha, Gandersheimensi abbatissa quarta (Bruschius Rodes *Windam* vocat), quæ Christinæ tertiæ, fundatoris Ludolfi filiæ, in regimine monasterii successit, sed et hi temporibus falluntur. De Roswitha abbatissa Chronicon cœnobii S. Michaelis apud Hildessam in hunc modum loquitur: *Walbertus, septimus episcopus Hildesheimensis, post Christinam, Gandersheimensem abbatissam defunctam, Roswitham ibidem in rehimen intromisit, quæ cæteris excellentior in logica et rhetorica exstitit, ut ejus libri et scriptura testantur; composuit namque librum logicæ valde insignem.* De eadem Nicolaus Selneccerus, theologus, Pædagogiæ parte I, titulo *De usuris*, hæc scribit: *De Roswitha abbatissa, filia regis Græciæ, ut fertur, dicitur quod diabolo schedulam, qua puer quidam sanguine suo scripta se ei obligaverat, extorserit.* Nostra poetria, Roswitha, in Gandersheimensi cœnobio instituta est ab adolescentia, quod præfatione in historiam beatæ virginis Mariæ ipsa testatur verbis sequentibus: *Unde, clam cunctis, et quasi furtim, nunc in componendis sola desudando, nunc male composita destruendo, satagebam, juxta meum posse, licet minime necessarium, aliquem tamen conficere textum ex santentiis Scripturarum, quas intra aream Gandersheimensis collegeram cœnobii, primo sapientissimæ atque benignissimæ Rikardis magistræ, aliarumpue suæ vicis instruente magisterio; deinde prona favente clementiæ regiæ indolis Gerbergæ, cujus nunc subdor dominio abbatiæ, quæ ætate minor, sed, ut imperialem decebat neptem, scientia provectior, aliquot auctores, quos ipsa prior a sapien-* A *tissimis didicit, me admodum erudivit.* Hæc ibi. Ex quibus verbis colligere licet, Richardam primo, deinde Gerbirgam, Roswithæ magistras fuisse, quibus ipsa mox in eodem munere successerit. Fuisse ibidem etiam prælectiones et exercitia theologica, ex scriptis Roswithæ patet. Etenim multa ex Scripturis eleganter profert, et in præfatione quam diximus, protestatur se immatura hac ætate quædam ex apocryphis desumpsisse ex ignorantia, quæ, licet dubia sint, tamen boni consulenda censet.

Nobilissimus Martinus Fridericus Seidelius, consiliarius Brandenburgicus, cum icones et elogia virorum aliquot præstantium, qui multum studiis consiliisque suis Marchiam juverunt et illustrarunt, B publicasset, illis Hroswidæ nostræ sanctimonialis in Gandersheim effigiem inseruit, vocatque Helenam a Rossow, cujus nobilis familiæ hodieque plures supersunt. (H. MEIBOM. JUNIOR.)

Opera Roswithæ Trithemius, lib. De viris illustribus Germaniæ, hoc ordine recenset. *Rosvida, monasterii Gandersheimensis in Saxonia sanctimonialis virgo, nobilis, ordinis divi Patris Benedicti, in divinis Scripturis studiosa et erudita, sæculariumque litterarum disciplinis probe imbuta, ingenio præstans et clara eloquio nec minus conversatione quam eruditione insignis, scripsit tam metro qnam prosa multa præclara opuscula, quibus sexum ingenio superans, nomen suum cum ingenti gloria transmisit ad posteros. Ex his ego legi subjecta:*

Ad Gerbergam abbatissam heroico carmine De vita et C *conversatione intemeratæ Dei genitricis et virginis Mariæ librum unum.*

De Ascensione Domini eodem carmine L. I.

De S. Gangolfo L. I.

De passione S. Pelagii martyris, his temporibus in Corduba passi, L. I.

De lapsu Theophili, Vice Domini, et ejus pœnitentia, L. I.

De lapsu cujusdam juvenis, per S. Basilium conversi L. I.

De passione S. Dionysii, episcopi et martyris, L. I.

De passione S. Agnetæ virginis L. I.

Omnia prædicta eleganti carmine heroico compo-

suit. Scripsit præterea sex comœdias, imitata Terentium, quarum prima inscribitur :

Conversio Gallicani principis, passionem includens Joannis et Pauli martyrum.

Secunda est de passione Agapis, Chioniæ et Hirenæ virginum.

Tertia, de resuscitatione Callimachi et Drusianæ per S. Joannem.

Quarta, de lapsu et conversione Mariæ, neptis Abrahæ eremitæ.

Quinta inscribitur conversio Thaidis, meretricis.

Sexta passionem recitat sanctarum virginum Fidei, Spei et Charitatis.

Scripsit etiam metrice :

Gesta Ottonis imperatoris, L. I.

Epigrammatum diversorum L. I., et quædam non inelegantes epistolas.

Cæterea quæ composuit ad notitiam nostræ lectionis non venerunt. Claruit temporibus Ottonis primi et secundi, clarissimorum impp.

Hactenus Tritheimius, cujus verba repetit Bibliotheca Gesneri, addens, Roswitham Græcæ linguæ notitiam habuisse. Henricus Bodo, monachus Clusensis, in Chron. Gandersheim. ms., meminit *poematis* Roswithæ *de fundatione monasterii Gandershemensis*, cui præmiserit *Vitas* pontificum, Anastasii et Innocentii, patronorum. Verum hoc lucem nondum vidit. Quæ a Trithemio commemorata divimus, primus evulgavit Conradus Celtes, Protucius Francus, an. 1501. Retinuit autem scriptionem mediæ ætatis scriptoribus usitatam, quibus nomina Rudolffus, Rutbertus Ramwardus et similia, in initio aspirare familiare fuit, cujus etiam meminit Aventinus Annalium lib. I, in nomenclatura operi præfixa. Panegyricum de laudibus Ottonis Magni confecit hortatu Gerbirgæ abbatissæ, ut testatur in præfatione, in secundo carmine præliminari innuit, Ottonem secundum imp. poema ipsum videre desiderasse. Dictio est tolerabilis, sæculum quo vixit redolens : in prosodiam plurimum peccavit, quod sexui condonandum est.

AD HROTSUITÆ OPERA PROLEGOMENA.

(Ex editione Henrici Leonardi Schurzfleschii anno 1707 Vitembergæ Saxonum data.)

EPISTOLA DEDICATORIA.

Reverendissimæ serenissimæque principi ac dominæ, dominæ HENRICÆ CHRISTINÆ, *Brunsvicensium et Lunæburgensium duci, S. R. I. cœnobii Gandesheimensis abbatissæ principali dignitate auctæ, etc., etc.*

Offero demisse et obedienter trado, quæ serenitati tuæ omni jure debentur, opera Hrotsuithæ virginis illustri loco natæ, et in antiquissimo S. R. I. propter Gaudam fl. cœnobio, cui summa cum abbatissæ auctoritate serenitas tua præest, religiosissimæ quondam sacerdotis. Quæ cum multa oratione, prosa versibusque conscripta reliquit, tum cœnobium a Ludolpho M. Saxonum duce conditum, et religionibus majorum tuorum consecratum, summa pietatis et doctrinæ laude, illo præsertim Augustorum Ottonum sæculo maximopere illustravit, famaque ingenii, quod in ea eluxit, optimi omnes prope Europæ regiones, et inter eas Germaniam præcipue et Saxoniam, in qua alta et educata est, mirifice implevit. Virgo sanctissima, viris utique Græce Latineque, ut tempora illa ferebant, doctissimis anteponenda, et eo majori laude digna, quo rarior per ea tempora eruditio fuit, quibus scribendi ornatum et verbis et sententiis comprobavit; et, quamvis non optimum semper dicendi genus expresserit, tamen, ut diserta erat, primum inter omnes locum tenuit, qui sæculo minus eleganti litterarum elegantiæ studerunt. Quare veteres emendatosque scriptores, tam soluta quam astricta oratione insignes legit religiosa sacerdos Hrotsuitha, et imitandos sibi proposuit, magnamque verborum copiam ad Latini sermonis apparatum attulit, et disciplinas veterum perscrutata est, ut varietate scribendi solertiam animi commendaret. Itaque ad divinam humanamque sapientiam, quæ omnium bonarum artium mater est, laborem operamque contulit, et certo confirmatoque animo hanc viam et rationem iniit, nec modo artes ingenuas non probro sibi duxit, sed etiam multa illarum ornamenta comparavit, haud quippe ignara, neminem sine sapientiæ studiis proficere ad doctrinæ laudem posse. Adeo verum est, quod Cicero scripsit, neminem sine philosophia, quæ argumenta ad inveniendum et confirmandum præbet, suas digne partes tueri. Percurrit ergo omnes disciplinas et artes, tum inter geometras versata, lineas duxit, ac sonorum varietates atque intervalla accurate cognovit. Præterea poetarum fabulas ad vitæ usum accomodavit, eaque de causa scitissimas Terentii comœdias evolvit, et, delectu habito, ad pietatis regulas redegit. Nihilosecius studium in antiquitate posuit, et mores veterum atque historiam sacram pariter ac profanam perquisivit sedulo et perspexit. Quare una illa sæculo post Christum natum decimo, imprimis digna visa est, quæ maximi et Augustissimi imperatoris Ottonis I Vitam et res ab eo gestas litteris mandaret, ut vel hoc argumento viris, quos illæ partes decent doctrinæ adjumentis præstaret, nomenque ab injuriis temporum et oblivione posteritatis vindicaret. Hæc vero tanta et tam inusitata Hrotsuithæ ornamenta in cœnobio quod serenitas tua sapientissime nostra memoria moderatur cura et vigiliis Hrotsuithæ elaborata, jure quodam ad serenitatem tuam pertinent, quæ divinas humanasque artes etiam nunc fovet; et, quemadmodum magni nominis antistita, Gerburgis II, in media sæculi barbarie, litterarum studia bonasque artes ab interitu et exilio asseruit, sic reverendissima serenitas tua pariter cum reverendissimis serenissimisque curarum principalium sociabus ducibus, decanissa; *Maria Elisabetha, Megapolitana duce et canonissa; Eleonora, Brunsvicensium ac Lunæburgensium duce, benigne liberaliterque ad hunc diem usque tuetur, beneficiis ornat ac munifice conservat, gloriamque transmittit ad posteros, qui divinas atque excelsissimas virtutes serenitatis tuæ, dum erunt homines, ultro et constanter prædicabunt. Ego quidem in religione votorum, quæ pro tua R. serenitate Deum facienda sunt, conquiesco, et laudes tuas, supra quam a me aut dici aut cogitari possunt, maximas assidue veneror, Deumque, celsissimarum familiarum statorem precor ut reverendissi-*

mam serenitatem tuam in summa animi tranquillitate sospitet, et perpetua omnium rerum felicitate augeat, et omnem adeo perniciem ab ea longissime avertat, ac stirpem serenissimam gentemque universam Guelphicam, tot tantorumque heroum sanguine fundatam firmatamque hactenus, et regiis quoque ac imperatoriis necessitudinibus atque affinitatibus conjunctam, evehat in dies, et in solatium communis patriæ, ac præsidium imperii Romani,tutam semper florentemque omni rerum statu præstet,ut,serenissimo patre salvo,et serenissimis fratribus ac sororibus salvis agnatis denique omnibus serenissimæ domus salvis,rationes imperii consilio fortitudine Guelphorum felicissime constituantur et gloria felicitasque cum ipsa rerum æternitate adæquentur.

Witembergæ Saxonum, XII, *Kal. Jun., anno reparatæ salutis* 1707.

Reverendissimæ serenitatis tuæ, devotissimus.

Henr. Leonardus SCHURZFLEISCHIUS, *I. V. D. Historiarum P. P,*

SCHURZFLEISCHII PRÆFATIO AD LECTOREM.

Cum in veteribus Christianorum poetis,superiori anno edendis, operam studiumque ponerem, et in conspectum tuum Commodianum et Orientium denuo proferrem,opportunis quorumdam consiliis admonitus sum ut oculos ad poetas gentis Saxonicæ converterem, et in primis eos qui in nostratibus regionibus vix conspiciuntur amplius,et rari admodum ac haud facile obvii sunt,tum rudiorem sæculi faciem præferunt, ut non sine fastidio legantur,recudendos curarem atque ab inficeto scribentium more repurgarem.Quare ut æquissimæ eorum petitioni satisfaciam,principio me referre volui ad poetrias, quas Saxonia, ex quo Christe fidem dedit, postea in sinu suo fsvit,ut patriam,sæculis cultioris doctrinæ expertibus, scriptis illustrarent, et res ad posteritatis memoriam insignes traderent.Quo numero fuit Hroswitha,quæ recentioribus scriptoribus *Roswitha* sine aspiratione appellatur, virgo quondam sacerdos Gandesheimensis,natione Germania, Saxonica gente orta, virginum Saxonicarum decus, et sine dubio natalium dignitate illustris,propterea quod vetustissimum apud Gandam monasterium, haud facile virgines, quam cultu principali et summo loco natas, recipiebat. Cujus virginis religiosæ nomen a pluribus scriptoribus media correpta pronuntiatur, quod tamen non approbo, cum, potius pronuntiandum cum mora esse, statuam, idque ut faciam,adducit me ipsius Roswithæ auctoritas,media producta pronuntiantis, cum in præfatione ad historiam intemeratæ Dei genitricis ait :

Hroswithæ votis carminulisque novis.

Cum quo loco alia Roswithæ loca conferri possunt, ut col.1082,et 1083 et alibi,ubi media nominis syllaba pariter producta reperitur.Nec Martino Friderico Seidelio assentior, imaginem Roswithæ cum hac subscriptione : *Helena a Rossow, vulgo Roswitha, sanctimonialis in Gandersheim*, exhibenti in libro, qui *Icones et Elogia virorum aliquot præstantium*,etc., inscribitur,propterea quod in nullo testimonio scriptoris cujusdam,neque documento diplomatis, probat : solo autem iconis et ejus subscriptionis indicio, forte nostra patrumque memoria delineatæ, stare, et tantam ei tribuere fidem, nihil aliud est quam fabulas narrare et mire tricari : potius id pro lusu pictorum, aut ejusdem artis amantium, habendum esse puto, quam pro vera Roswithæ imagine judicandum. Eadem effigies reperitur etiam in opere Meibomiano, sed nullum de hac icone, et quod caput rei est, de ejus subscriptione, quod miror, judicium tulit.

Hæc nunc ab imperita multitudine se disjunxit,et Richardam atque Gerbergam vitæ perinde ac doctrinæ,magistras habuit,nec Latinas solum litteras, verum etiam Græcas perdidicit, et, pro conditione temporum et captu illius, quo vixit decimi sæculi, utroque orationis genere, tam soluto quam ligato, excoluit animum ac perpolivit; nec philosophorum scita a suis studiis aliena duxit,quin artes optimas quæ ad disserendum valent, et ornamenta sermoni afferunt,memoria atque animo comprehendit; tum omnis vetustatis exempla,quæ sapientes instruunt, præclare tenuit, magnamque sapientiæ partem ex annalium monimentis deprompsit; neque scientias mathematicas neglexit, in quibus illa egregiam et doctam se,prout ex comœdiis liquet,ostendit, atque sua virtute viros, qui in obscuro hæc studia neglexerant, et virgines ad virtutem excitavit; et gratæ posteritati pietate pariter et sanctimonia virtutis exemplum reliquit, et quasi gradítas in cœlos ascendit.

Quod minime ignorabat Otto, hujus nominis II imperator,et virginis studiis delectabatur, atque,ut patris Augusti, Ottonis Magni,qui Mimlebiæ, Benedictini ordinis quondam in Thuringia ad Unstruthum flumen cœnobii, anno Christi 973 decesserat, et Magdeburgi in templo cathedrali a se constructo regio more sepultus, historiam contexeret, gravissime hortabatur, neque id negabat Ottoni filio,sed postulatis Augusti imperatoris, jubente pariter et impellente eam antistita sacrarum virginum Gerberga,hujus nominis secunda, locum dabat,et rude inquinatumve ævum carminis facultate ornabat,cum historiam Ottonis Magni conderet, et res ab eo gestas non inepto sed minus compto, vero nihilominus et ad fidem historiæ expresso carmine,speciatim heroo, persequeretur.

Certe carmen hoc prudentiam Roswithæ confirmat, in quo bella Ottonis Magni percensuit, et causas aucti per eum imperii aperuit,mores et instituta ac leges reipublicæ percalluit, et patriæ antiquitatis haud ignaram se probavit. Vere existimavit religiosa virgo quod Otto Magnus Joannem XII pa

pam, qui ante pontificatum Octavianus est vocatus, recto zelo rejecerit, dissentientibus quamlibet Baronio et Bellarmino, altero ad annum Christi 964 et 966, altero 2 de jure Rom. pontif. 29, respons. ad argumentum 4, aientibus, Ottonis Magni zelum in exauctoratione Joannis XII, etsi bonum, non tamen rectum fuisse nec secundum scientiam. Quorum et sententiam maxime defendendam susceperunt Alphonsus Ciâconus et Augustinus Oldoinus, in Vitis et rebus gestis pontificum Romanorum et cardinalium, ad annum 956, p. 715. Verba Roswithæ quæ in Vita Ottonis Magni exstant hæc sunt :

Qualiter et recti compunctis acumine zeli
Summum pontificem quædam perversa patrantem,
Ejus nec monitis dignantem cedere crebris,
Sedis apostolicæ fraudari fecit honore,
Constituens alium rectoris nomine dignum.

De exauctoratione Joannis XII legi merentur Theodoricus de Niem, et ex eo Meibomius in notis ad Roswitham; tum Joannes Henricus Bœclerus in commentario De rebus sæculi a Christo nato IX et X, et speciatim in Ottone; Joannes Conradus Dietericus in Historia Ottonis Magni; Hermannus Coringius De finibus imperii. Quæ Joannes Launoius e nomine contra Baronium affert, legi possunt in ejus epistolis, part. IV, epistola 1, ad Ludovicum Maræsium, theologum Parisiensem, scripta. Tradit etiam religiosa sacerdos plura de Ludolpho, Ottonis Magni filio, scitu digna, hocque magis observanda, quo plus a reliquorum scriptorum fide recedunt. Nam, quæ de dissidio civili, auctore Ludolpho excitato, commemorantur in supplemento Reginonis, plene cum narratione Roswithæ non conveniunt. Putat tamen hic Bœclerus, hanc Roswithæ narrationem in Vita Ottonis Magni parum esse sinceram, et cum simulatione quadam permistam.

Ut nunc etiam auctorum testimoniis comprobem, virginem Roswitham sacerdotem, et natalibus illustrem, natione Germanicam et gente Saxonica prognatam, e re mea esse putavi. Primo enim id indicat vetustissimus Roswithæ operum codex, manu mulieris conscriptus, cum hujus titulus Roswitham nostratem virginem monialem Germanicam, gente Saxonicam, nominet. Præterea, præsto mihi sunt, Henricus Bodo, quondam in Clusæ cœnobio, quod fano Gandersheimensi proximum est, doctus atque diligens monachus, qui in chronico suo Gandersheimensi, quod *Syntagma de constructione cœnobii Gandesiensi, perfectione quoque et defectione ejusdem* inscribitur, et in tomo II Rerum Germanicarum Meibomii exstat, Roswitham hanc illustrem virginem et Saxonicam nominat. Verba ejus, quæ apud Meibomium tom. II, p. 490, leguntur, hæc sunt : *Sub illustrissima domina Garburgi ista secunda vitam egit ac floruit illustris virgo sanctimonialis Hrosvita, in Saxonia nata, miro ingenio ac doctrina clarens, in utroque scribendi genere admirabilis*. Joannes Tritheimius tomo I Annalium Hirsaugiensium eam virginem nobilem nominat, cum ibidem ait : *Claruit his etiam temporibus Roswitha monasterii Gandersheimensis in Saxonia ordinis nostri monialis, virgo nobilis, in divinis Scripturis simul et in sæcularibus litteris studiosissima, metro simul erudita scribere et prosa, nec minus eruditione quam vitæ merito veneranda*, etc. Idem is et hoc testatur in Catologo illustrium virorum, p. 129 editionis Francofurtanæ a Marquardo Frehero evulgatæ. Joannes Cuspinianus in Ottone Magno tradit sequentia : *Res gestas Ottonis Roswitha monialis complexa est versibus, qui licet sint ut tempora ferebant, neque elegantes, neque satis culti, mirandum tamen est, ingenium muliebre in Saxonia, et in ipsa barbarie educatum et genitum, ea præstare potuisse*. Lilius Gregorius Gyraldus, vir sane doctissimus, sed meliore, ut de eo prodit Barthius in Animadv. et Statii L. V. Silv. II, T. I, fortuna dignus, de poetis historicis dialogo V ait : *Apud Saxonas, id quod mihi miraculo proximum videtur, floruit Roswitha monialis*. Georgius Fabricius, Orig. Saxonicar. lib. II, hæc de Roswitha fatur : *De Roswitha poetria rectius gloriantur Saxones*. Idem is hujus mentionem facit in libro De poetis Germaniæ, Caspar Bruschius, in Historia monasteriorum, Roswitham nostratem puellam Saxonicam vocat. Quod luculento etiam confirmat testimonio Antonius Possevinus, in Apparatu bibliothecæ sacræ ita scribens : *Rosvidis, quam alibi Rosvitim, alii Roswidam, Saxonica, genere et familia valde nobilis*. Reliqui omnes, ut Gabriel Bucelini in Germania topochrono-stemmato-graphica sacra et profana part. I; Gerardus Joannes Vossius, De historicis Latinis lib. II, c. 41; Joannes Henricus Bœclerus in commentar. De rebus sæculi a Christo nato IX et X; Casimirus Oudin in Supplement. de scriptoribus ecclesiasticis a Bellarmino omissis, p. 311; Caveus in Historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum, p. 412, et novissime Elias du Pin, tom. VIII Novæ Bibliothecæ auctorum ecclesiasticorum, una mente atque sententia comprobant, nostratem Roswitham virginem fuisse illustrem. Neque ab his Henr. Meibomius in Vita Roswithæ discedit, hanc virginem illustrem natione Germanicam, gente Saxonica prognatam evincens. Spectant et huc epigrammata Sodalitatis litterariæ, quæ in Opera Roswithæ, cum Conr. Celtes ea primum in lucem emitteret, sunt confecta, et rursus huic editioni post Celtis præfationem subjuncta, nominatim Joannis Dalburgii, Joannis Tritheimii, Henrici de Bunau, Ololiki de Stein, Wilibaldi Byrkhameri, Joannis Tholophi, Henrici Groningeri, Joannis Verneri, Martini Mellerstadii, Conradi Celtis, Joannis Laterani, Joannis Stabii, Urbani Præpusini, Sebastiani Sprenzii, qui Roswitham nostratem et generis dignitate illustrem, et gente Saxonica fuisse ortam, ad unum omnes confirmant.

Non fuit itaque natione Angla, ut Laurentius Humfredus, Anglus, errore ductus, putavit, quippe qui eam genti Anglicanæ vindicare studuit, atque Roswitham hanc non aliam quam virginem Hildam, quæ Northumbriæ provinciam, in qua nata erat, et

omnem Britanniam insigniter illustravit, audacter magis quam vere tradidit. Sed magnopere fallitur Humfredes, quandoquidem eum et locorum et temporum rationes refellunt. Constat enim ex Beda, quod Hilda, uirgo sanctissima, et virginum Anglicanarum quondam decus et ornamentum, post annum ætatis tertium et tricesimum, abdicatis sæculi juribus, ordini sacro se addixerit, et ex Northumbria patria sua, in Angliam orientalem, cujus regis propinqua erat, profecta fuerit, eo quidem consilio, ut inde trajecto mari veniret in Galliam, et ibidem in cœnobio quodam Deo se vitamque dicaret. Sed ipsa nihilominus in peregrinandi proposito per integrum annum persistebat in Anglia orientali, quoad præter exspectationem ab episcopo Aidano in patriam revocaretur. Id ubi factum est, locum unius familiæ ad septentrionem plagam, ut loquitur Beda, Viuri fluminis accepit, et æque ibi unum annum vitam religiosam cum perpaucis sociis transegit, vel, ut loquitur Matthæus Westmonasteriensis, abbatissa facta fuerit de Hertesey. Cui muneri postea in cœnobio a se constructo Streanshalch, in comitatu Eboracensi sito, summa cura studioque præfuit, in eoque vitæ genere usque ad mortem perseveravit. Testis est luculentus, qui apud Bedam exstat, locus lib. III, c. 33, Histor. ecclesiast. Verba concepta hæc sunt : *Anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo octogesimo religiosissima Christi famula Hilda, abbatissa monasterii Streaneshalch, post multa quæ fecit in terris opera cœlestia ad percipienda præmia vitæ cælestis, de terris ablata transivit die quinta decima Kalendarum Decembrium, cum esset annorum sexaginta sex : quibus æqua portione divisis, triginta tres primos in sæculari habitu nobilissime conservata complevit, et totidem sequentes nobilius in monachica vita Domino consecravit*, etc. *Quæ cum relicto habitu sæculari illi soli servire decrevisset, secessit ad provinciam orientalium Anglorum (erat namque propinqua regis illius) desiderans exinde, si quo modo posset, derelicta patria, et omnibus quæcumque habuerat, in Galliam pervenire, atque in monasterio Calæ peregrinam pro Domino vitam ducere*, etc. *Nam et in eodem monasterio soror ipsius Hæresvid, mater Adulfi, regis orientalium Anglorum, regularibus subdita disciplinis, ipso tempore coronam exspectabat æternam; cujus æmulata exemplum, et ipsa proposito peregrinandi, annum totum in præfata provincia retenta ; deinde ab Aidano episcopo in patriam revocata, accepit locum unius familiæ ad septentrionalem plagam Viuri fluminis, ubi æque anno uno monachicam cum perpaucis sociis vitam agebat*, etc. *Contigit eam suscipere construendum sive ordinandum monasterium in loco qui vocatur Streanshalch, quod opus sibi injunctum non segniter implevit.* Faciunt etiam ad hoc institutum ea quæ in Chronico Saxonico reperiuntur, quod opera studioque V. CL. Edmundi Gibsonii, reverendissimo archiepiscopo Cantuariensi a sacris et bibliotheca, anno 1692 Oxonii prodiit. Verba ex interpretatione Latina hæc sunt : *Et eodem anno decessit Hilda, abbatissa in Streoneshealc.* Tum Wilhelmus Malmesburiensis, De gestis regum Anglorum lib. I, vocat hoc monasterium *Streanshale*, simulque monet nunc *Witeby* appellari. Verba hæc sunt : *Quorum præcipuum monasterium tunc feminarum, nunc monachorum, ab Eboraco 30 millibus in boreali parte situm, antiquo vocabulo* Streaneshall, *modo* Witeby *nuncupatur, quod ab insignis religionis femina Hilda cæptum, Edelfleda, ejusdem regis filia, in regimine succedens magnis fiscalium opum molibus auxit.* Guilielmus Cambdenus, luculenti operis auctor, quod Britannia Magna inscribitur, monasterium hoc recentiori vocabulo *Whitby* nominavit, cum ait : *Hujusmodi fuerat abbatia de Whitby ab Hilda domina, rehis Etvini ex filio nepte, fundata.* Quare in mentem venit mirari quod Gerardus Joannes Vossius lib. II, cap. 41, De historicis Latinis monasterium hoc, in quo Hilda fuit abbatissa, *Herethow* appellaverit; plane enim hoc nomen non quadrat, sed a descriptione Anglorum scriptorum longius recedit. In hoc monasterio Streoneshalch, quod Beda interpretatur *Sinus Fari*, cum quo conspirat etiam Philippus Brietius in Parallelis veteris et novæ geographiæ, synodus sæculo septimo, anno Christi 664, habita est, quæ hodie appellatur Pharentis, vel, ut alii scribunt, Farensis. Tractabatur autem in ea de lite, quæ de dio Paschatos inter Anglos et Scotos coorta erat. Wilhelmus Malmesburiensis quæstionem l. III De gestis pontific. Angl,, ita format : *Conquirebant quid esset rectissimum, utrum more Britonum et Scotorum omnisque aquilonalis partis a* XIV *luna, Dominica die veniente usque ad* XXII *Pascha agendum : an melius sit ratione sedis apostolicæ a* XV *luna usque ad* XXI *Pascha esset Dominica celebranda.* Sed Scoti, a quorum causa stabat Hilda, litem perdiderunt. Haud immerito magna sacerdos Hilda, sanctissimi moris et exquisitissimæ virtutis, reconditæque eruditionis virgo, a scriptoribus Anglicis non vulgaribus, pro eo, ac par est, ornatur elogiis, sicque vocatur a Godvino, in episcopis Eboracensibus, *mulier sanctissima;* a Foxo in Actis suis, *femina erudita et devota;* a Spedo l. VII, c. 30, *pia et erudita;* a Lelando apud Baleum cent. 10, c. 16, *femina incomparabilis;* et ab Illyrico, fide Lelandi et Balei in Catalogo, *mater misericordiæ, dono miraculorum illustris;* a Baleo ipso cent. 1, c. 80, *mulir pia, prudens, litterata*, et ab eodem c. 94, *mulier sanctissima;* a Wilhelmino Malmesburiensi De gestis regum Anglicorum l. I, *insignis religionis femina.* Meminit etiam hujus Hildæ Simeon, monachus Dunelmensis, apud Seldenum p. 75 editionis Londinensis, cui, ut testatur præfatio, hoc opus plurimum debet.

Horum auctoritate nunc satis abundeque evincitur, Hildam natione fuisse Anglam, et in cœnobio Streanesheale a se constructo sacris virginibus præfectam, ibique eo præsulæ munere usque ad mortem defunctam, eodemque in monasterio sepultam, ossa tamen deinde propter Danorum excursiones Glasconiam translata. Quibus rebus evenit ut ex solis lo-

corum rationibus id probare queamus, Hildam omnino diversam esse a Roswitha nostrate. Illa enim fuit Angla et sacerdos magna in Streoneshalch, vel, ut alii nominant, Streonesheale, monasterio in comitatu Eboracensi sito, hæc vero fuit natione Germanica, gente Saxonica, virgo sacerdos, vulgo monialis, :in cœnobio Gandersheimensi, ubi ab adolescentia bonas artes didicit ductu Richardis et antistitis virginis Gerburgæ, quarum discipula fuit Roswitha, ut ipsamet in præfatione in Historiam beatæ virginis Mariæ testatur. Præterea nunquam legitur quod Roswitha eadem fuerit quæ Hilda. Quare recte asserit Georgius Fabricius Originum Saxonicarum lib. II : ***De Roswitha poetria rectius gloriantur Saxones quam Angli ; nam Laurentium Humfredum, suæ eam patriæ vindicantem, non audimus, neque ferimus.*** Cum quo conspirat Gerardus Joannes Vossius lib. II, c. 51, De historicis Latinis qui ita pronuntiat : ***Nam Huncfredus et locis et temporibus refellitur, cum Hilda Angla fuerit in monasterio Herethow; atque anno Christi decesserit*** 680, ***regnante in Northumbria Egfrido, quemadmodum constat ex Beda lib.*** IV ***Historiarum, cap.*** 23. Præterea neque quopiam in loco legitur quod Hilda pervenerit in Germaniam, ibique bonas artes didicerit, quippe quæ tum temporis apud nos ferme exoleverant, et magis in Anglia quam apud nos in obscuro isto sæculo excolebantur. Accedit quod illis temporibus, quibus vixit Hilda, nondum Gandersheimense monasterium fuerit conditum, quippe quod a Ludolpho, Saxonum duce, persuasione ejus conjugis Odæ, A. C. 842, in honorem sanctorum præcursoris Joannis Baptistæ ac protomartyris Stephani, fundatum, anno vero Christi 852 a S. Altfrido, quarto Hildesheimensium episcopo, consecratum et dotatum, testimonio Casparis Bruschii et Gabrielis Bucelini legimus. Verum, si verba diplomatis fundatoris Ludolphi inspicio, hæc aliud significare mihi videntur. Hujus enim auctoritate constat primam hujus monasterii sedem loco Brunteshusen, hodie ***Brunshusen***, fuisse affixam, deinde propter locum nimis angustum ab eodem Ludolpho, consentiente ejus conjuge Oda, mutatam esse, et celebriori ædificio ad Gandam amnem, non procul Brunshusio distantem, in honorem Anastasii et Innocentii pontificum constructo, translatam, ubi hodiernum conspicitur vetustissimum istud propter Gandam monasterium. Quod vero spectat annum fundationis, fateor quidem illum in diplomate non esse expressum, haud tamen difficulter, si conjecturis non inanibus standum, definiri posse. Si enim anno 853 Romam profectus est Ludolphus, idque iter post inchoatum a se monasterium suscepit, in eam sententiam adducar ut credam annum fundationis ad annum Christi 852 referri oportere. Diploma hoc exstat apud Bodonem, cujus libellus tom. II Rerum Germanicarum Meibomii continetur. Idem hoc diploma proxime Leuckfeldius, in antiquitatibus Walckenredensibus, ex tabulario Gandersheimensi denuo recensuit emendatiusque edidit. Verba ejus hæc sunt : *Quia scriptum est :* Pretium animæ viri divitiæ ejus, *idcirco ego Lutholphus, dux Saxoniæ, notum esse cupio omnibus Christi fidelibus, tam præsentibus quam futuris, quod ego post inchoationem monasterii puellarum, quod divina inspiratione commonitus, simulque dilectæ conjugis meæ Odæ suadela inductus, in honorem præcursoris Stephanique protomartyris in Brunnistashusen ædificare cœpi, litteris domini nostri Luodovcici Romanorum regis invictissimi ad sanctissimum Sergium papam acceptis, cum prædicta conjuge mea, anno Dominica Incarnationis octingentesimo quinquagesimo tertio, indictione prima, Roma ibi, et in præsentia ipsius summi pontificis prænominatum monasterium, et omnem proprietatis meæ hæreditatem, quam habui, videlicet Gandersemiamarcu, et Aluunge marcu et Ruderinge marcu et Dengdiamarcu et Lachtiandorpmarcu et alia loca plurima cum familiis utriusque sexus apostolorum principi pro remedio animæ meæ, et coram simul, quibus debitor exstiti, injus et proprietatem integraliter tradidi,* etc. *Cum autem divina cooperante gratia prospere domum rediissemus, gratanter a sancto collegio recepti, eumdem locum sacro puellarum cœtui videntes nimis angustum in quadam silva hæreditatis nostræ, juxta fluvium Gandæ, qui alio nomine Echlterna nuncupatur, anno ab incarnatione Domini* 856, *indictione quarta, ecclesiam in honore prædictorum confessorum non longe a loco priore, celebriori ædificio construximus.* Hanc meam conjecturam præclare confirmat Catalogus episcoporum Hildenesheimensium, sumtus de Chronicis Eggehardi, Vragiensis abbatis, ad Egbertum Corbeiensem, cum commemorat monasterium in Brunethusen anno 852 conditum, Gandersheimense vero quarto post hæc anno, hoc est anno Christi 856, inchoatum. Ita enim fatur : *Altfridus anno Domini* 852 *cum Ludolpho printo duce in Brunetshusen, et quarto post hæc anno in Gandesheim virginum cœnobium inchoavit.* Exstat hic catalogus apud Leibnizium, in libro De scriptoribus antiquitatum Brunswicensium. Idem docet Engelhusius, sed annos omittit, asseritque primo sanctimonialium in Brunteshusen cœnobium fuisse ædificari cœptum, anno autem quarto post id in Gandersen exstructum. Testimonia Engelhusii legi possunt in libro ejus, cui titulus est : *Vitæ ex celsissima serenissimorum ducum Brunswicensium domo oriundorum,* qui insertus est Maderi Antiquitatibus Brunswicensibus, p. 24; tum in Chronico ipsius, quod pariter ex mss. codicibus primum edidit Maderus, p. 170. Quare mea sententia est emendandus Joannes Justus Winckelmannus in Notitia veteris Saxo-Westphaliæ ita statuens : *Bruno dux Saxoniæ cœnobium in Brunshusen exstruxit.* In eo etiam fallitur Engelhusius, quod cœnobium in Brunteshusen in honorem Anastasii et Innocentii præsulum putaverit ædificatum, cum tamen Joanni Stephanoque id dicatum fuerit. In hoc monasterium Gandersheimense etiam postero tempore, consensu imperatorum et pontificum nonnulli canonici introducti sunt, qui hoc jure etiamnum, etsi tanto numero

non gaudent. Nam testimonio doctoris Jacobi Andreæ, in oratione de principium officio in collegiis monasticis tuendis et studiis litterarum fovendis, anno Christi 1571 Tubingæ habita, legimus, quod memoratum cœnobium Gandersheimense 24 virgines, canonicos 12, cum vicariis 8, complexum fuerit, omnes tamen jurisdictioni et obedientiæ abbatissæ et decanissæ obnoxios. Cæterum et de Gandersheimio id observari par est, quod serenissimus Julius, Brunswicensium dux, hoc locum propter litterarum studia, quæ ibidem semper culta atque in ipsa barbarie conservata sunt, maximi fecerit, ejusque amore adeo captus fuerit, ut eo tempore quo sacra emendarentur, hunc pædagogio exornaret. At enimvero cum postea observaretur pædagogium hoc illustre non satis commodo loco situm, sed silvæ B Hercyniæ proximum multis aquarum eluvionibus et inde evenientibus periculis obnoxium esse, sic eidem serenissimo duci Julio visum fuit, illud transferre Helmstadium, ubi postea privilegiis auctum academiæ dignitate eohonestatum est. De quo Johannes Caselius in scripto quodam, quod in nuptias herois Henrici Julii Guelfii et heroinæ Elisabethæ Cimbricæ confecit' ita pronuntiat :

Igitur ad rivulum cui Gannæ nomen, primas academiæ lineas duxit, etc. *Teneros enim surculos e Gandesinis hortis in valles Helmianas transtulit, ut idoneo solo in justam arborum proceritatem surgerent, fructusque ipsæ ferrent reipublicæ speratos multiplices, Eo loco porticus disputautium condidit, plures litterarum magistros accivit, doctoritus bonus mercedes decrevit, præmia addidit*, etc. *ut verbo dicam,* C *universitatem litterariam novam omnibus rebus fundavit.* Nec aliter sentit Meibomius in Chronico Riddagshusano, p. 391 : *Aperuit*, inquit, *idem princeps illustre pædagogium in antiquissima, adeoque prima, si qua annalibus nostris fides, urbe Gandesia, ad Gandam fluvium, non procul ab Herciniis montibus sita*, etc. *Migrante paulo post* Gandesia, *ad Elmum Gymniasio isto Windruvius, cum commilitonibus suis eo se deportavit. Translationis hujus me adolescente hæc ferebatur causa : Gandesium situm, ut dixi, ad radices saltus Hercinii initium veris liquescente nive et aqua copiosa ex editis montibus delabente, eluvionibus subinde infestabatur : ita, ut libri et supellex litteraria tam docentium quam discentium periclitarentur*, etc. *Præterea remotius erat Gandesium a me-* D *ditullio Saxoniæ, et quasi in angulo sive secessu positum, unde minus frequentari putabatur. Helmæstadium veeo, præterquam quod inter Magdeburgum et Brunswigam, urbes amplas et populosas, loco fere intermedio eoque aperto et salubri situm est, vicinas habet concurrentes regiones, ducatum Brunswicensem et Lunæburgensem, archiepiscopatum Magdeburgensem et diœcesin Halberstadiensem.*

Porro Humfredi instituto et temporum rationes repugnant, ac documento est locus Bedæ ante memoratus, qui satis indicat Hildam decessisse anno Christi 680, atque adeo sæculo septimo in vivis esse A desiisse. Idem docet Chronicon Saxonicum antea memoratum, cujus verba Interpres Latinus ita reddidit : *Hoc anno* 680 *indixit Theodorus archiepiscopalem synodum in Harthfelde, ut (errores circa) Christi fidem corrigeret. Et eodem anno decessit Hilda, abbatissa in Streoneshale.* Contra vero poetria Saxonum Roswitha, Gandersheimensis monialis, trecentis post annis florere cœpit. Claruit enim illa sub Ottone II, ut constat ex ejus præfatione ad Ottonem II, hoc est, ut ait Dupinius in Tabula chronologica auctorum ecclesiasticorum ad sæculum x, anno Christi 973, quamvis id tempus, quo maxime floruit, Onuphrius, Gerardus Joannes Vossius et Gottfr. Olearius, Oudinus, ad annum Christi 930, contra Antonius Possevinus ad annum Christi 990, rejiciant. Quo spectant B et legendi sunt Coccius De signis ecclesiæ S. X : Casintus in Chron. Eccles.; Jacobus Gaulterius in Tabula Chronograph. status Ecclesiæ catholicæ. In qua præfatione, quod obiter notandum. Ottonem I cum Davide, filium Ottonem II cum Salomone contulit, haud fallente futuræ felicitatis indicio, ut acceptam a patre gloriam in immensum deinceps augeret, nisi præmatura morte ereptus fuisset. Decessit enim Otto II in flore ætatis, ipsoque ætatis tricesimo anno, bello quod infeliciter in Italia gesserat, instaurando intentus, Romæ anno Christi 983 in porticu divi Petri sepultus. Corpus deinde translatum est in basilicam novam. Attinet huc legi Chronicon Cassinense lib. II, c. 9; Aringhus Rom. Subteran. lib. II, c. 9, p. 173. Utrum ægritudine animi an veneno sublatus sit multi dubitant, certe Italia patri Augus- C tum decus, filio et nepoti exitium attulit, nec melius sinceriusque cum successoribus actum fuit.

Verum ab his rationibus discessionem facit Joannes Trithemius in libro De scriptoribus ecclesiasticis inscripto, et 1601 a Marquardo Frehero cum aliis edito, quippe qui Roswitham monialem Gandersheimensem, ad tempora Leonis IV pontificis, sive paulo post ad annum Christi 860, refert, p. 178. Ait enim ibidem : *Coætanea Joannis Anglici fuit*, vel, ut alii scribunt : *Coætanea Joannæ Britannæ* fuit, quorsum legi debet Lilius Gregorius Gyraldus tomo II Operum, dialogo 5, De poetarum historia, editionis novissimæ, quam exhibet Joannes Jensius. Tum Paulus Colomesius in animadversionibus ibidem recte docet hac in supputatione falli Tritheimium, pariterque D mon et se plura et haud vulgaria de hac Joanna Britanna scripsisse in suis opusculis et miscellaneis historicis. Contra vero, si seriem, quem ibidem ordinat Trithemius, spectamus, Roswitham inter illos scriptores retulit, qui post annum Christi 1000 floruerunt, eoque nomine plures scriptores ejus sententiam secutos in errorem induxit. Hunc neque Carolus Dufresne in Indice seu Nomenclatore scriptorum mediæ et infimæ latinitatis, quem suo Glossario præmisit, evitare potuit, cum ibidem p. 146 ait : *Roswitha sanctimonialis in Saxonia vixit circa annum* 1120. Addit porro, Dufresnius, *ejus opera seorsim edita*, forte dicere voluit, conjunctim edita. Panegy-

ricus enim Roswithæ, qui solus seorsim editus est, ut sub finem hujus præfationis indicatur, opera ejus non comprehendit. Iterum ab his rationibus discedit Trithemius, plane sui fortasse oblitus, et aliis prioribus contrarias supputationes instituit in Chronico Hirsaugiæ tom. I Annalium, quandoquidem ibi Roswitham ad annum Christi 971 ponit, et recte sæculo decimo eam ascribit. Quamvis vetus Trithemii editio imperfecta hujus Chronici, a Marquardo Frehero Francofurti 1601 evulgata, unius anni differentiam constituat, ac ponat annum Christi 970, pariterque eumdem annum 970 in Catalogo illustrium virorum numeret, repetatque p. 129. Quare mirari subit plane sibi non constitisse Trithemium, rationesque temporum omnino conturbasse, et errorem errore cumulasse, ac Roswitham mox ad sæculum IX, mox ad sæculum X, mox ad principium sæculi XII, retulisse. Attamen non desunt qui Trithemium ab hoc errore vindicare student, inter quos imprimis nominandus est Antonius Possevinus in Apparatu bibliothecæ sacræ, vir equidem doctus, at gravi censuræ obnoxius, qua eum notavit David Biondellus in Pseudo-Isidoro, Baronii exscriptorem nominans, licet cum eo mitius egerint Valerius Andreas Desselius, in præfatione ad Bibliothecam Belgicam, et Daniel Georg. Morhosius in Polyhist., cap. 16. Hic enim Possevimus existimat non hæc talia ignorasse Trithemium, quod Roswitha nostra sæculo decimo floruerit, et vix credendum sit tales et tam absurdas temporum rationes ab eo esse initas, contra potius statuendum videatur, ab alieno homine imperito vel impostore eas, verbis aliquando nonnullis additis, his locis insertas fuisse. Fatur Possevinus in Apparatu sacro ita : *Alterius potius quam Trithemii esse opinor. Impostores enim nostri temporis hujus modi multa in scriptis catholicorum doctorum inseruerunt*, etc. *Quod in Tritheimii secunda editione ejusdem libri De scriptoribus ecclesiasticis fecerunt, eaque inseruerunt quæ Trithemius nunquam cogitaverat.* Gerardus Joannes Vossius De historicis Latinis lib. II, c 41, eumdem Tritheimii errorem observavit, sed pariter ipsum ab erroris suspicione liberavit, et, ab homine temporum parum intelligente adjecta esse arbitratur. Verba Vossii hæc sunt : *Neque hoc nescivit Tritheimius*, etc. Illud tamen hic angit Vossium, quare Roswitham Tritheimius inter scriptores qui post millesimum et centesimum annum floruerunt, referat, sed ad hæc respondere expeditum est, quod Tritheimius, in Catalogo illustrium virorum non exacte observet ordinem temporum, atque ætates scriptorum secundum annos non semper supputet.

Igitur speciosius magis quam verius fecisset Humfredus si Hereswitham, natione Anglam, Annæ regis orientalium Anglorum conjugem, cum Roswitha nostrate confudisset. Forte, ob aliquam nominis cognationem plures applausores invenisset, quibus id persuadere et credulos in errore inducere potuisset. Nam vivente marito, et eo quidem consentiente, in Galliam discessit conjux Hereswitha Angla, ibique in aliquod monasterium, cujus nomen scriptores tacent, intravit. Quæ vero apud Mabillonium in Sæculo II Benedictino, in elogio S. Theoledchedis, ad hoc institutum pertinentia leguntur, lubrico nituntur fundamento, nec tanti sunt ut me in ejus sententiam adducere possint. Rectius utique contra Mabillonium est statuendum quod Hereswitha Angla non facta fuerit monialis monasterii Calensis in Gallia siti, et, fide Sammarthonorum fratrum in Gallia Christiana, a diva Bathilde, Clodovei II regis conjuge, fundati; neque Jotrensis monasterii, pariter in Gallia siti, atque a S. Adone, B. Audonei fratre, conditi; neque Jotri sepulta, ut præclare demonstrat Antonius Pagi in Critica Baroniana adversus Mabillonium, tom. II, ad annum Christi 680, qui ea occasione errorem Bedæ emendat, aliud in Gallia monasterium pro Calensi monasterio sumentis. A Beda deceptus est etiam Matthæus Westmonasteriensis, cum ad annum Christi 680 scribit Hereswitham prædictam monialem fuisse Calensis monasterii, quod tamen temporum rationibus plane non congruit. Docent enim eæ quod Hereswitha Angla ante annum 647 virgo sacerdos facta fuerit, quod tempore Calense monasterium nondum constructum erat. Ut vero a Hildam redeam, id admonendum erit hanc quidem in Galliam iter meditatam fuisse, sed eo nunquam pervenisse vel potius semper in Anglia mansisse, quanquam huic sententiæ repugnat Henricus Meibomius senior in Vita Roswithæ, existimans Hildam In cœnobiis Britanniæ ac Galliæ annos tres et triginta confecisse. At enimvero si verba Bedæ proprius inspicio, contrarium docent, et contra Meibomium comprobant Hildam nunquam in Galliam intrasse. Tota rei difficultas sita est in his verbis, *in præfata provincia retenta est,* quæ ita explicanda arbitror, ut de Anglia orientali intelligantur, atque adeo Bedæ sensum, obscurum hoc in loco, hunc esse affirmo, quod Hilda ex patria Northumbria migraverit in Angliam orientalem, cum ibi de itinere, in Galliam ad sororem Hereswitham suscipiendo, cogitaret, per annum mansisse, quod ab Aidano, Lindisfarnensi episcopo, in patriam Northumbriam revocaretur. Sed enim sanctæ virginis consilium proficiscendi extra Britanniam successu caruit, quandoquidem verba Bedæ aliam interpretationem recipiunt, utpote non asseverantis, sed tantum commemorantis, illam retentam esse in prædicta, id est in eadem provincia, quæ sane fuit Anglorum orientalium provincia, de qua Anglo-Saxonicus presbyter locutus fuerat, neutiquam vero in Gallia, quam idem ille antea provinciam non dixerat. Pro mea sententia stat Matthæus Weestmonasteriensis ad annum 680, qui his utitur verbis : *Anno gratiæ 680 Hilda abbatissa, cum in habitu sanctæ religionis apud Streneshalh* XXXIII *annis vitam duxisset, de mundo migravit ad Dominum. Hæc autem virgo beatissima, cum esset de stirpe regis Eadwini generosa, et ad prædicationem beati Paulini ad fidem conversa, postea, re-*

licto habitu sæculari, proposuit transferre se ad monasterium Calæ, ubi soror ipsius Hereswita, mater Ældulphi, regis orientalium Anglorum, Deo feliciter militabat. Sed retenta est a præsule Aidano, et facta abbatissa, ad Hertesey, et post in monasterio Streneſhalh appellato, quod ipsa fundaverat, etc. Tum suffragatur huic sententiæ nostræ Antonius Pagi, in Critica Baroniana, tom. III, ad annum Christi 680, Matthæi Westmonasteriensis sententiam gravibus confirmans argumentis. Inter alia Pagi sic ait : *Quisquis enim attente totum Bedæ locum supra recitatum legerit, intelliget Bedam nihil aliud indicare quam Hildam ex Northumbria patria sua in Angliam perrexisse ; et in ea, cum de profectione in Galliam suscipienda cogitaret, per annum mansisse, donec revocata est ab Aidano in patriam seu in Northumbriam. Propositum igitur peregrinandi extra Britanniam exsecutioni non mandavit Hilda, cum illud Beda non affirmet; imo scribat, illam retentam esse in eadem provincia, ideoque in provincia orientalium Anglorum, de qua locutus fuerat, non vero in Gallia, quam Beda antea provinciam non appellarat.*

Quod nunc attinet ad Roswithæ nostratis morum doctrinæque magistras, habuit illa plures, sed duas imprimis nominat, quibus omnia refert accepta, easque summis ornat elogiis, et, ut perpetua harum memoria feminarum ad omnem posteritatem perveniat, in præfatione, in opera sua versibus conscripta, graviter expressit. Verba hæc sunt : *Primo sapientissimæ, atque benignissimæ Rikkardis magistræ, aliarumque suæ vicis instruente magisterio, deinde, prona favente clementia regiæ indolis Gerbergæ, cujus nunc subdor dominio abbatiæ, quæ ætate minor, sed, ut imperialem decebat neptem, scientia provectior, aliquot auctores quos ipsa prior a sapientissimis didicit, me admodum pie erudivit.* Atque ita constat posteriorem magistram Garburgim, aliis Gerbirgam, fuisse antistitam, vulgo abbatissimam, in hoc cœnobio, quod sane de priori non dici neque ex verbis memoratæ præfationis colligi potest. Nihilo tamen secius nonnulli reperiuntur qui priorem Roswithæ magistram Richardim abbatissam pariter hujus cœnobii fuisse ferant, haudi alio nixi fundamento quam quod in hac præfatione antea nominata ponunt. Sed his non applaudo, verum potius in partes negantium eo, reorque Richardim, vel, ut alii appellant, *Rikkardim* hujus monasterii fuisse monialem, nunquam vero ad abbatissæ dignitatem evectam. Ex verbis memoratæ præfationis hoc tantum concludere licet, quod Richardis sapiens doctaque virgo fuerit vixeritque in monasterio, atque docuerit Roswitham, non tamen ideo *Richardis* abbatissa statim vocari potest, cum id virgini quoque sacerdoti conveniat, tum etiam in quod caput rei est, nusquam commemoretur. Series abbatissarum Gandesheimensium, quam ex syntagmate Bodonis collegi, hæc est :

I. Hathumoda, aliis Habundis.
II. Garburgis I, aliis Gerbirga.
III. Christina.
IV. Hroswita.
V. Luthgardis I.
VI. Windelgardis.
VII. Garburgis II. (*Sub hac Garburgi Roswitha nostra monialis vitam egit ac claruit, eidemque poema suum dedicavit.*)
VIII. Sophia.
IX. Adelheidis I.
X. Beatrix.
XI. Adelheidis II.
XII. Frederuntha,
XIII. Agnes I.
XIV. Adelheidis III.
XV. Berta I.
XVI. Luthgardis II.
XVII. Adelheidis IV.
XVIII. Adheidis V.
XIX. Mathildis.
XX. Berta II.

Verum hic nulla abbatissa comparet quæ Richardis nomine sit insignita, et illorum temporum, quibus Roswitha monialis Gandesheimensis vixit ac claruit, æqualis. Nec vero hoc tale Richardis nomen reperitur in serie harum abbatissarum, quæ exstat apud Gabrielem Bucelinum, et multis locis a priori diversa est in parte II Germaniæ topo-chronostemmato graphicæ sacræ. Series abbatissarum secundum Bucelinum hæc est :

I. Habundis.
II. Gerbiga I.
III. Christina.
IV. Rodeswinda.
V. Wendelgarda.
VI. Gerberga II. (*Sub qua*, ut ait Bucelinus, *claruit monialis ejusdem cœnobii doctissima, cujus insignia exstant præclari ingenii monimenta historica et poetica.*)
VII. Sophia.
VIII. Athelheides I.
IX. Bertha.
X. Loicardis.
XI. Atelheides II, etc.

Certum igitur apud me est Richardin, sive Richardam, non in abbatissarum Gandesheimensium, sed monialium, numero esse reponendam. Id tamen fateri me oportet, harum talium seriem primarum illius monasterii abbatissarum, quæ apud Bucelinum legitur, mutilam, et ex Bodonis Chronico supplendam pariter ac emendandam esse. Eumdem Bucelini ordinem habet et Gaspar Bruschius in centuria I monasteriorum Germaniæ præcipuorum, p. 66. Sed ultro fatetur eum esse imperfectum. Idem est ille Bruschius, quem plagii accusavit Lazius, et a Francisco Guillimanno, in Chronologia episcoporum Argentoratensium, sæpe iterumque notatus est, et quidem ex tabulis veris ac primis quibusque monumentis. De ejus morte refert Christianus Matthiæ, Theatr. histor. p. 1030, misere periisse sclopo trajectum in Francia orientali.

Laudat merito hunc monachum, Bodonem, Henricus Meibomius in notis ad eumdem, et Chronicon ab eo ad annum usque 1550 continuatum fuisse, recte affirmat, etsi quædam illius operis portio, ut antea admonui, temporum injuria interciderit; et vero id quod etiamnum exstat, non ultra productum legitur, quam ad tempora abbatissæ Bertæ II, quippe quæ anno Christi 1223 ad hanc dignitatem pervenit. Nec tamen omnia probat Meibomius, præsertim ea quæ de principibus Saxoniæ tradit, neque in eo consensit cum Bodone in Chron. sæpius allato, quod hic fidem faciat Windelgardim abbatissam Gandesbeimensem, ecclesiam extra oppidum in memoriam B. Virginis a se dedicatam, exstruendam curasse, atque adeo fundatricis titulum promeruisse, quam postea Gerburgim in cœnobium Benedictinum convertisse, 30 hominibus locum peraptum reddidisse. Sic enim fatur Bodo apud Meibomium tom. II, p. 491 : *Windelgardis ecclesiam extra oppidum in honorem Deiparæ Virginis ædificarit, quam et benedixit Deoque dicarit*. Idem apud Meibomium, p. 494 : *Ecclesiam illam extra oppidum, quam domina Windelgardis ædificari fecit, in cœnobium virginum ordinis divi Benedictini illustrissima domina Garburgis, hujus nominis secunda, convertit.* At enimvero contradicit huic Meibomius in notis ad panegyricum Roswithæ, et potius statuit hujus ecclesiæ fundatricem fuisse Gerbugim II, abbatissam Gandersheimensem, Henrici Rixosi, ducis Bavariæ, filiam, et Henrici Hezelonis, itidem Bavariæ ducis, sororem, et recte id probat ex diplomate confirmationis Ottonis II imperatoris, aperte in eo id asseverantis. Verba diplomatis hæc sunt : *Noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, industria, qualiter neptis nostra Gerbirga nominata, Gandersheimensis cœnobii abbatissa, quoddam ibi monasterium, in superiore plaga civitatis situm, penitus a fundamento construere in honore sanctæ Mariæ, ob cœlestis gaudii spem, proponens voluntate sanctimonialium suarum, ibidem prius manentium, constituit, illucque triginta sanctimoniales in divini servitii collegium aggregavit.* At chronicon Hileshei-mense Jacobi Reutelii, apud Christianum Franciscum Paulini, ab hac Meibomii sententia iterum recedit, et eam, quam Bodo fovet, sententiam, tuetur. Verba § 9 hæc sunt : *Sighardus, aliis Gebhardus, consecravit Windelgardim, abbatissam Gandesheimensem, quæ ecclesiam extra oppidum* in memoriam *B. Virginis exstruxit, a se dedicatam.* Haud eo secius Joannes Georgius Leuckfeldius hunc monachum Bodonem laudibus prosequitur, ejusque singularem industriam commendat, inprimis, quod tabularium Gandersheimense inspexerit ac pervolutaverit, litteras item fundationis, donationis et diplomata immunitatis ac privilegia cognitu necessaria in Chronicon referre voluerit. Neque sic tamen ejus reprehensionem effugere potuit, propterea quod multum in describendi industria desiderat, cum prima et authentica concessionum instrumenta perfunctorie consignaverit, et plurimis in locis ab auctoritate tabularum veterum recesserit.

Ceterum nec id hic omittendum est, quod Roswitha nostra monialis minime confundenda sit cum abbatissa Hroswita, quæ in præmissa abatissarum serie quarta est in ordine. Nostra enim, de qua hic agimus permansit monialis, et nunquam ad abbatissæ dignitatem evecta est. Quare vir clarissimus, Joannes Henricus Bœclerus, in Commentario De rebus sæculi a Christo nato IX et X, in Ottone II, p. 362, corrigendus est, cum ibidem ait : *Est hujus temporis etiam Roswid, sive Hroswitha, virgo illustris monialis primo, post abbatissa Gandersheimensis*, abbatissam cum moniali confundens, sicut in eumdem errorem inductus est doctor Christianus Kortholtus, c. 3 sæc. X, p. 392, in libro qui inscribitur Historia ecclesiastica Novi Testamenti, Rosvitham abbatissam, et Roswitham monialem, unam eamdemque fuisse, ratus. Scribit enim ita : *Hisce jungatur Roswitha sive Hrosvita, virgo nobilis, primo monialis, postea abbatissa Gandersheimensis.*

His traditis, haud alienum fore puto si ad Roswithæ ingenii monimenta, quæ gratæ posteritati reliquit, enumeranda deinceps accedam. Reliquit enim virgo religiosa varii argumenti scripta, et mox Vitas martyrum et sanctorum, mox *comœdias*, in *æmulationem Terentii*, illibatam virginitatem suadentes, mox Historiam Ottonis Magni conscripsit. Plura scripsit, sed vel temporum injuria deperdita, vel subrepta. Testis hujus rei, omni exceptione major, est Henricus Bodo, monachus Clusensis, in Syntagmate suo, p. 452, apud Meibomium, cum ibidem mentionem faciat poematis hujusdam de constructione monasterii Gandesiani, a Roswitha nostrate conscripti. Verum hoc, ut recte tradit Meibomius, non exiit in lucem, neque id hodie reperitur in cœnobio Gandersheimensi, ut refert vir reverendus, Joannes Georgius Leuckfeldius in Antiquitatibus Walckenredensibus, quæ sermone Germanico proxime prodierunt, pag. 243. Ante quem Chronicon Walckenredense, sive Catalogum abbatum, Latine edidit Henricus Eckstormius, qui prodiit Helmstadii 1617. Porro memoratus Leuckfeldius tradit, a monachis vicini monasterii Clusæ, ordini Benedictino sacro, quantum conjectura assequi licet, illud esse subreptum et alio translatum, eo præsertim tempore quo Julius, Brunswicensium dux, anno Christi 1568 doctorem Jacobum Andreæ, religionis emendandæ causa, ea in loca misit, repugnante licet abbatissa cœnobii Gandersheimensis, Magdalena de Columna, Monachi enim Clusenses, de instituto Julii ducis commoniti, metuque novæ mutationis perterriti, optimas quasque res suas atque monasterii tabulas collegerunt, atque aliorsum transportandas curarunt. Quo factum est ut prædictum Roswithæ poema, quod paulo ante a Bodone, monacho Clusensi, impetratum et extra monasterium Gandersheimense utendi gratia ei fuit concessum, idem fatum subiret. At quo delatum fuerit vix cuiquam constat, et docti

jacturam illius merito queruntur (1). Quam in sententiam legi attinet pacta anno Christi 1571 inter serenissimum ducem Julium et abbatissam Gandersheimensem in capite religionis conventa. In his enim fidem obligavit antistita se, pro eo quod habeat, jure, velle injungere abbati Clusensi et ejus monasterii sodalibus, omni ut studio curaque in id incumbant ut antiqua monasterii instrumenta et concessionum tabulas bona fide restituant, et monasterio denuo inferant; sed voto non respondit eventus. Eam quoque in rem legere juvabit excellentissimum Wilhelmum Ernestum Tenzelium, virum in hoc studiorum genere versatissimum, in Actis menstruis.

Nec id hic reticeri debet, quod proxime vir quidam clarissimus ex Francia orientali per amicum me certiorem fecerit, asservari in monasterio Riddagshusano aliquem Roswithæ libellum, hactenus ineditum, quem ut usibus meis mutuarer, atque operi quod sub manu est adderem, ultro me commonefecit. Ego, qui nihil aliud quæro nisi ut de republica litteraria aliqua saltem ex parte bene videar mereri, omni studio curaque in id incubui ut ejus inspiciendi describendique facultas mihi daretur, sed spe mea frustratus sum. Nam ad litteras meas, ejus rei causa scriptas, hoc responsi loco accepi, nihil ejusmodi in Riddagshusano monasterio reperiri, inspectis licet et pervolutatis tabularii schedis.

Porro Casimirus Oudin, in Supplementis de scriptoribus a Bellarmino omissis, p. 331, et L. Elias Dupinius, in nova Bibliotheca auctorum ecclesiasticorum, idiomate Gallico conscripta, tom. VIII, Roswithæ nostrati attribuunt Itinerarium S. Willibaldi primi, Eistettensis episcopi, prout Surius illud, ex Canisii tom. IV Antiquar. Lect. transcribens, exhibet in Vitis sanctorum, ad mensem Julium, sigillatim ad annum 750, et apud Joannem Mabillonium legitur Sæculo III Sanctorum ordinis divi Benedicti, tomo II. Inscriptio hujus Itinerarii ita se habet: *Itinerarium S. Willibaldi, episcopi Eistettensis, a consanguine ipsius sancti, sanctimoniali Heidenheimensi, scriptum.* Altera autem Vita hujus Willibaldi, quæ apud Mabillonium exstat, sæc. III, p. II, non hanc sanctimonialem Heidenheimensem, sed alium anonymum, agnoscit auctorem. Præterea virgini religiosæ Roswithæ, prædicti scriptores, Oudinus et Dupinius, Vitam S. Wunibaldi, primi abbatis Heidenheimensis, ut hujus auctori, assignant, prout ea legitur apud Henricum Canisium in tomo IV Antiquarum Lectionum, ubi testatur se Vitam S. Wunibaldi, quamvis incultam et obscuram, et vitiis scatentem, ita, sicuti in monasterio Rebdorffendi, prope Aichstadium, ea legitur, descripsisse. Ex Canisii tomis hanc transcripsit Laurentius Surius, et libro suo, qui nomen, De vitis sanctorum probatis, præfert, ad mensem Decembrem, et ad annum 740, inseruit, neque tamen id diffiteri potuit, se aliquibus in locis, ut ipse loquitur, vitiis stylum mutasse, quemadmodum ibidem in margine videre est. Inscriptio hujus vitæ hæc legitur: *Vita S. Wunibaldi abbatis, a sanctimoniali Hildenheimensi scripta*, etc.

Verum Oudinus et Dupinius vehementer falluntur. Nam in locis modo allatis nunquam Roswithæ fit mentio, nedum memoratur ibi ejus nomen, neque id Canisius et Surius, aliud edocti, affirmant, sed potius ex Itinerario S. Willibaldi, et ex Vita S. Wunibaldi, probari potest ab una eademque virgine sanctimoniali Heidenheimensi, illorum temporum æquali, quæ a nonnullis *Hildenheimensis* scribitur, has commentationes esse confectas, id quod vel hoc argumento constat, cum in Vita S. Wunibaldi hæc verba legantur: ***Post hæc itaque, cum sagax ille votiva voluntatem adimplere optabat desideria, statimque, Domino dispensante, ad optatum et desideratum inchoaverit iter, et, sicut in alia fratris ejus textura, subtilius intimando enarravimus, et nunc iterando rememoramus***, etc. Quidam hujus studii periti per hanc sanctimonialem intelligunt ipsam S. Walpurgam, atque, adducti inprimis Adelberti, abbatis Heidenheimensis, auctoritate, statuunt, S. Walpurgam de rebus gestis fratrum suorum Willibaldi et Wunibaldi commentaria scripsisse. Verba Adelberti in præfatione ad Eberhardum, episcopum Bambergensem, apud Jacobum Gretserum, p. 320, hæc sunt: *Quicunque ergo genus et vitam S. Willibaldi et Wunibaldi voluerit agnoscere, ex scriptis S. Walburgæ virginis, quæ germana soror eorum erat, pleniter poterit ediscere.* Huic sententiæ etiam suffragatur Medibardus, in Rhythmis de S. Walpurga ita commemorans: *Superstes utrique fratri, utriusque breviter, sed veraciter, conscripsit Vitam insignissimam.* Ubi tamen Philippus, tricesimus nonus episcopus Eistettensis, De divis tutelaribus ecclesiæ Eistettensis, quem commentarium Jacobus Gretserus in lucem primus emisit, Medibardum notat, et hunc errore lapsum esse commemorat propterea quod S. Warpurgam utrique fratri superstitem fuisse enarrat. Deinde dubitat Gretserus in observationibus in Philippi episcopi Commentarium: ***Utrum**, sicut ejus verba habent, **Adelbertus Hodoeporicon et historiam Willibaldinam, quæ tomo IV Canisiano exstant, significet, eaque a S. Walpurga conscripta crediderit, an alia commentaria ab eadem virgine elaborata viderit, affirmare non habeo. Certe pleraque, si non omnia, quæ Adelbertus affert, in Historia Willilbaldina, et in Hodoeporico, inveniuntur; quod Hodoeporicon stylo paululum limatiore anonymus quidam reddidit, recisis nonnullis, ut tom. IV A. L. videre licet.***

Ab Adelberto tamen et Medibardo discessionem facit Canisius tom. IV Antiquarum lectionum, returque non Willibaldi sororem S. Walpurgim primam monasterii Heidenheimensis abbatissam, sed aliam virginem sanctimonialem Heidenheimensem, illorem temporem æqualem, Willibaldi tamen consanguineam, et natione Anglam sive Anglo-Saxo-

(1) Vide præfationem D. Pertzii in carmen laudatum quod infra damus. EDIT. PATROL.

nem, harum lucubrationum auctorem esse, quæ sententia præ reliquis mihi etiam placet. Non autem primus Eistettensis episcopus Willibaldus fuit natione Suevus, neque natione Scotus, etsi posterius D. Oleario in abaco placuit, sed Anglis sive Anglo-Saxonibus annumerari debet, ut recte post Gretserum in observationibus ad Philippi Commentarium cap. 3, judicarunt Oudinus in Supplemento ad Bellarminum, p. 199, et Dupinius tom. IV Novæ Bibliothecæ auctorum ecclesiasticorum. Quibus et applaudit Caveus in Historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum. Neque cum hoc Willibaldo episcopo Eistettensi confundendus est ille Willibaldus qui Vitam S. Bonifacii conscripsit, quæ postea ab Othlono, undecimi sæculi monacho, epistolis, actis conciliorum aliisque nonnullis aucta est. Hi enim diversi sunt et a se invicem distingui debent, licet Serrarius, l. III Rerum Moguntiacarum, not. 1; Mabillonius in observationibus præviis ad Vitam illam, et Cointius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi 712, n. 12, errore ducti, diversos hos pro iisdem habuerint. Illud tamen hic non queo inficiari, nullum Richardum Angliæ regem, qui pater S. Willibaldi episcopi Eistettensis, item Wunebaldi abbatis, et S. Walpurgis, abbatissæ Heidenheimensis, fuerit, in serie regum Angliæ reperiri, neque ejus nominis regem uspiam in monumentis Anglicis, nedum in Beda, qui accurate regum genealogias recensuit, inveniri. Omitto recentiores Wilhelmum Malmesburiensem, Matthæum Vestmonasteriensem, Henricum Huntindoniensem, Florentium Wigorniensem, Ethelwerdum et alios, apud quos nulla est mentio Richardi regis, qui ad hæc tempora refertur. Verum tamen ego de hujus historiæ fide nec quidquam detractum esse volo, etsi dissentiant Munsterus in Cosmographia, Pantaleon De viris illustribus, Martinus Crusius in Suevicis vel potius Volusianis suis Annalibus, Nauclerus, Irenicus, Chronicon Anonymum, anno Christi 1494 Norimbergæ editum, item Philippus in Commentario De divis tutelaribus Ecclesiæ Eistettensis, tum denique Breviarium Eistettense, ad unum omnes sentientes, Richardum Sueviæ ducem fuisse, sed nihilominus assentior Baleo et Gretsero commemorantibus, virum exstitisse Richardum generis dignitate illustrem, et regibus propinqua cognatione conjunctum. Nil tamen obstare putat Petrus Stevartius in notatione tertia prædicti libri, quod scriptores eum prætermittant, cum, si non administratione tamen genere, si non officio tamen titulo, rex fuerit. Præterea hanc sententiam confirmat Carolus Cointius in Annalibus ecclesiasticis, ad annum Christi 738, n. 5, sed paulo aliter: Vult enim Cointius fuisse subregulum, et probat ex Bedæ lib. IV, cap. 12, subregulos fuisse illos qui post Conwalchi regis obitum tantisper occidentali Saxoniæ præfuerunt, dum Cedwalla regnum recuperaret. Locus Bedæ hic est : *Cum mortuus esset Conwalch, acceperunt subreguli regnum gentis, et divisum inter se tenuerunt annis circiter decem.* Et paulo post : *Devictis atque amotis subregulis, Ceadwalla suscepit imperium.* Atque inde judicat Cointius, Richardum nostrum ex illorum subregulorum numero fuisse. Bollandus pariter Richardum regem appellat, apud quem etiam ejus Vita, ex Actis sanctorum Willibaldi et Wunibaldi imprimis confecta, ad diem septimum Idus Februarii legitur, qui dies in fastis ecclesiasticis S. Richardi memoriæ dicatus est. Verum ab utriusque sententia recedit Pagius tom. III Crit. Baron. ad annum Christi 750, et S. Richardum non Angliæ regem sed nobilem et prædivitem Anglum fuisse tradit, eoque nomine notat Bollandum et Cointium quod se a Baronio in errorem induci passi fuerint, cum tamen Baronius nihil habeat unde id probet, quam ex supposito S. Richardi epitaphio, longe post ejus mortem conscripto, quod fabulæ potius quam historiæ ascribendum sit. Quem errorem ipsemet Baronius, ut videtur, postea agnovit in appendice ad hunc annum, cum ibidem S. Richardum, non Angliæ regem, sed virum *genere* et *rebus clarum* nominavit. Quod vero ad Vitam attinet S. Walpurgæ, aliis S. Walpurgis, conscripsit eam Wolfihardus, cœnobii Hasenrietani ante annos septingentos monachus, quam Canisius postea in lucem, etsi non integram, emisit, inseruitque ejus tom. IV Antiquarum Lectionum, ubi duo tantum libri ex quatuor illis exhibentur. Omnes enim eosque integros, adjunctis tamen Canisianis. Petro Stevartio debemus, cujus cura anno Christi 1616 Ingolstadii prodierunt. Amplo etiam commentario S. Walpurgis Vitam complexus est Philippus tricesimus nonus episcopus Eistettensis, qui apud Canisium exstat tom. IV A. L. Quem Philippi commentarium postea ab anonymo quodam in compendium redactum, primum edidit sæpe nominatus Petrus Stevartius, et Vitæ atque miraculis S. Walpurgæ a Wolffhardo confectis junxit. Rhythmis etiam Vitam S. Walpurgis inclusit Medibardus seu Medingaudus. Præterea commemorant Centuriatores Magdeburgici, cent. VIII et Josias Simlerus Gesneri epitomator, tum Baleus cent. II Scriptorum Britanniæ, S. Willibaldum Vitam et res gestas S. Walpurgis sororis suæ memoriæ prodidisse, sed hæc commentatio si unquam exstitit, vel temporum injuria deperdita est, vel in loco quodam obscuro reposita et squalore obducta delitescit. Quare mirari subit Oudinum et Dupinium eo delapsos esse ut putaverint has Vitas S. Wunebaldi et S. Willibaldi Roswitham nostratem auctorem agnoscere, cum tamen ipsis temporum et locorum rationes omnino repugnent, adeo ut vel solus Tritheimius illos hoc docere potuisset, qui ne verbo quidem in recensendis Roswithæ operibus harum Vitarum mentionem fecit : de quo tamen constat, cum sex fere millia codicum librorum mss. veterum maxima cura et summo studio collegisse, ex iisque collectis deinde opus suum De viris illustribus ordinis Benedictini inscriptum, composuisse, prout id apud Bilibaldum Pirckheimerum in dedica-

tione Fulgentii anno Christi 1519 ad reverendam matrem Pirckheimeriam, editionis Haganoensis, legimus, idemque Memoriæ Trevoltianæ ad mensem Aprilem anni 1705, p. 312, suo comprobant testimonio. Ecquis enim rerum Germanicarum peritus se persuaderi patiatur, ut credat ex Heidenheimio Gandesheimium exsculpi posse? Omnino enim diversa sunt monasteria, et multum inter se distant. Alterum enim in Francia orientali situm; alterum veteris Saxoniæ finibus continetur. Ad prius referri oportet illam sacri ordinis virginem, quæ S. Wunebaldi et Willibaldi res gestas conscripsit, neutiquam ad posterius aggregari debet. Igitur monasterium Heidenheimense, quod a Cointio sub finem tomi V in indice posteriori episcopatuum et monasteriorum, etiam Hildenheimium appellatur, non in Saxonia est quærendum, neque in Thuringia investigandum, ut errore ductus putavit Antonius Pagi, tom. III Crit. Baron. ad annum Christi 735, sed ejus sedes in Franconia constituenda est. Fuit autem Heidenheimium et monachorum et sanctimonialium cœnobium, ita tamen ut sanctimonialium monasterium in loco esset qui sejunctus a monasterio virorum erat. Idem monet Marcus Velserus in operibus suis l. v, p. 147. Ait enim ibidem: *Frater Villibaldi, Vunibaldus, Heidenheimii virorum monasterium, Valburgis soror feminarum excitavit.* Nunc ad jus sæculi redactum.

Sequitur, benevole lector, ut exponam instituti mei causam, quamobrem denuo edendorum Roswithæ Operum laborem susceperim, cujus præcipue hæc summa fuit quod eo nomine publice a viro quodam, cujus apud me auctoritas valet, nobilissimo invitatus fuerim, existimante dignum fore laborem, si Roswithæ, virginis Saxonicæ, opuscula, quæ ante ducentos et plures annos, sigillatim anno Christi 1501 (non 1505, ut vir inclytus putavit in introductione ad librum proxime editum, cui titulus est Collectio Scriptorum Rerum Brunswicensium), a Conrado Celte Norimbergæ edita sunt, et nostratibus in regionibus jam vix cognita, denuo recudenda curarem, et ab inficeto scribendi more repurgarem. Quod ut consilium inirem, operis jucunditas me induxit maxime, cum intelligerem institutum hoc mihi, in antiqua Saxonia nato, non tantum honorificum sed etiam antiquæ Saxonum genti gloriosum fore, si cœptum consilium persequerer, eruditoque orbi declararem qualem Saxonia virginem genuerit atque in sinu suo aluerit, sæculis istis præsertim obscuris, quibus bonæ artes et litteræ a viris aberant et in Germania fere exsoleverant. Certe mirificum, quo pollebat, ingenium adeo probavit omnibus, ut non tantum sæculi, verum etiam mulieris captum excederet, magno sane Saxoniæ, et ad omnem posteritatem propagando, mulieris sapientissimæ exemplo. Tum vero lectu utilia hæc opuscula omnino censui, cum propter pium castumque virginis animum, religiososque mores cognoscendos, qui in *comœdiis* sex, *ad æmulationem Terentii* scriptis, elucent; quippe quibus virgines sacras ad castitatem colendam novo scribendi argumento exhortata est; tum propter lectionem *Vitarum D. Mariæ virginis,* martyrum et sanctorum, quas scriptas reliquit, aliquoties a Baronio in Martyrologio laudatas, tum propter historiam Ottonis Magni, quæ non parvum ad intelligendas res in Germania eo tempore gestas lectori lumen affert.

Quibus argumentis permotus sum ut novæ editioni curandæ incumberem, et Roswithæ opuscula integra et apud nos admodum rara, denuo proferrem in lucem; idque simul admonerem ante me fuisse plerosque qui hanc operam navare voluerunt, sed nunquam id re ipsa præstiterunt, vel, aliis gravissimis occupationibus impediti, vel contenti si Roswithæ Panegyricum in laudem et gesta Ottonis Magni conscriptum, rursus in lucem emisissent. Ita prædictus Roswithæ Panegyricus seorsim editus et innexus est Collectioni scriptorum Germaniæ, per Justum Reuberum, Hanoviæ 1619, tum rursus Francofurti ad Mœnum prelo Aubriorum expressus anno 1621, atque Witichindi Historiæ junctus, cura Henrici Meibomii Senioris, qui notas quasdam adjecit; deinde haud pridem a Juniore Henr. Meibomio, amico fratris mei singulari, sed magno Germaniæ damno superioribus annis defuncto, tomo ejus primo Rerum Germanicarum insertus.

Ad extremum de Conrado Celte et id observari par est, quod dissimulaverit monasterium, ex quo cum eo codex ms. Roswithæ fuit communicatus, quandoquidem id hæc verba testantur quæ in Celtis præfatione ad Roswitham leguntur: *Cum itaque,* ait, *nuper ejus gratia peregre profectus fuissem, forteque in cœnobium ordinis S. Benedicti concessissem, repei i vetutissimum, littera ferme Gothica et mulieris manu conscriptum, codicem, sub titulo et inscriptione virginis et monialis Germaniæ, gente Saxonica. Quo continebantur ea quæ in fronte et indice hujus voluminis continentur.* Quare Joannes Aventinus in præfatione in Vitam Henrici IV, Cæsaris Augusti, vix se continere potuit quin reprehenderet Conradum Celtem, quem præceptorem suum vocat in Annalibus Boicis, p. 1, quod reticuerit nomen monasterii S. Emmerammi, quod Ratisponæ Theodo primus, non secundus, etsi rerum Boicarum scriptores utrumque Theodonem pro uno habeant, condidit; et etiamnum magna et urbis et ordinis celebritate splendet, ex cujus bibliotheca tamen omnia sua desumpserat; et secundum vetus, quod ibi asservatur, Roswithæ exemplar editionem suam prelo exprimendam curaverat. Verba Aventini hæc sunt: *Exstat et ibi* (in bibliotheca divi Hemerami Reginoburgii) *exemplar venerandæ vetustatis Roswithæ, feminæ sacratæ, quod Chunradus Celtis commodato acceptum opera sua excudendum curavit.* Quamobrem autem id obticuerit, satis mirari non possum. De eodem Celte et id admoneri debet, quod fuerit primus in Germania imperatoriis manibus poeta laureatus, utpote qui Friderici III, Saxoniæ electoris, consilio

et hortatu coronam poeticam a Cæsare Friderico III, Maximiliani I patre, in arce Norimbergensi anno 1491 obtinuit, primusque ejus dignitatis titulum et insignia apud Germanos gessit : quam coronam lauream adhuc hodie Vindobonæ asservari tradunt scriptores. Nactus autem est hanc dignitatem Conradus Celtes anno ætatis suæ tricescimo secundo. Quare error Eschenbachii, in temporum rationibus commissus, emendari debet, cum ait Conradum Celtem coronatum ab imperatore anno Christi 1487, cum tamen eum scribere oportuisset 1491. Quod vel hoc argumento constat, si natus Conradus Celtes anno Christi 1459, et ætatis anno tricesimo secundo lauream poeticam obtinuit, ut ipse Eschenbachius fatetur, consequens est ut affirmem ipsum ab imperatore coronatum fuisse, non anno 1487, sed 1491. Quem errrorem, jam ante Eschenbachium commiserunt Joannes Petrus Lotichius in Bibliothecæ poeticæ parte III, p. 9, et Paulus Freherus in Theatro virorum eruditione clarorum p. 213. Legi huc possunt ejusdem Conradi Celtis præfatio, quatuor ipsius libris Amorum præfixa, tum libri Odarum, qui Argentorati anno 1513 prodierunt, quibus et præmissa ejus Vita a Sodalitate litteraria Rhenana tum temporis conscripta. Sub finem hujus libri conspicitur etiam ejus epitaphium, quippe quod docet Celtem morte decessisse anno Christi 1508, pridie Non. Febr.; vixisse annis 49, diebus 3, traditum sepulturæ Vindobonæ juxta ædem divi Stephani. Lapidis itaque sepulcralis et carminum in busta ejus compositorum auctoritate Conradus Gesnerus in Bibliotheca, et ejus epitomator Josias Simlerus, commode refutari possunt, cum dicunt : *Claruit Conradus Celtes anno Domini* 1370. Profecto nondum iis temporibes natus fuit. Vidit enim is lucem 1459, et floruit imprimis circa exitum sæculi decimi quinti, et initium sæculi decimi sexti. Patria ejus ad Mœnum, haud longe ab urbe Francorum Herbipoli distans, memoratur in ejus Vita, quæ a Melchiore Adami transcripta legitur in ejus libro De vitis philosophorum Germanorum, titulum ferente. Sed locus ibidem non est designatus, et quanquam Gerardus Joannes Vossius lib. III, cap. 10, De historicis Latinis, et ex eo Andreas Christianus Eschenbachius, in Dissertatione de poetis Christianis sacris, n. 53, tum Matthæus Merian in Topographia Franconiæ patriam definiant, et Suevofurtum in Francis orientali ad Mœnum, quod vulgas *Suinfurtum* nominat, fuisse tradant, tamen ipso Celtis testimonio refelluntur. Confirmat enim illud Conradus Celtes in libello suo De origine, situ, moribus et institutis Norimbergæ, verbis sequentibus. *Quo tractu silva, cum amne progrediens, mox nomen a collibus, qua se in lævam fastigiat, accipit, Francisceque* Steigervald, *id est* ardua silva, *dicitur. Deinde, ubi proprior Rheno Mœnus factus est, vetustissima urbe* 'Ερέβιπολ, *Francorum metropoli, irrigata, unde et nobis origo est.* Commode autem cum his conspirant ea quæ idem Celtes habet lib. I Amorum, elegia 12. Verba hæc sunt ;

Est mihi persuasum, dignam esse in corpore formam,
Et quod non segnis servit amoris eram.
Adde genus longo proavorum stemmate clarum,
Mœnus ubi gelidis cornua flectit aquis.
Hic, ubi Francorum urbs illustri valle levatur,
Deque [illegible] Græco nomine dicta polis.

Horum igitur locorum auctoritate Conradus Celtes de semetipso testatur se fuisse haud procul urbe Herbipoli natum. Idem hoc ejus Vita, a Sodalitate litteria Rhenana confecta, indicat cujus verba hæc sunt : *Conradus Celtes, Protucius familia Celtica honesta et apud longe ab Herebipoli, Francorum in Germania metropoli.* Protucii nomen est fictum, et, ob dissimulatum forte patriæ nomen, ab eo assumptum. Quare mirari subit cur Paulus Freherus, Gerardus Joannes Vossius, et post hos Eschenbachius, Celtis natalem locum Suevofurto ascripserint; qui tamen alibi quærendus, et haud procul Herbipoli collocandus erat. Certe, si Suevofurti lucem aspexisset, utique non scripturus fuisset se haud procul Herbipoli natum esse. Nam oppidum Suevofurtum est procul Herbipoli situm et quinque milliaribus ab ea distat. Verum ab his rursus discessionem facit Trithemius, et, si verba ejus inspicio, quæ exstant tom. II Annalium Hirsaugiensium, p. 636, aliam plane patriam Celti vindicant, atque, ex pago Wupfed, qui Suevofurto proplor est, oriundium confirmant; quam in rem ita loquitur : *Conradus Celtes, natione Germanus, patria Francus orientalis, ex Wulfeld, prope Schweinfurt oriundus :* sed hæc neque Celtis, neque Vitæ ejus verbis ullo modo respondent. Nam si in loco Wupfelt esset natus accurate loquendo potius scripsisset Celtes se prope Suevofurtum esse natum, cum pagus Wupfeld prope Suevofurtum sit situs. Cæterum de poetis laureatis legi possunt Scaliger in Ausonianis Lectionibus, idem lib. I Poet. Christ. 41, ubi tradit ex Martiali, heroicos poetas Romæ querna corona donari solitos; tum Thomas Reinesius in Variis Lectionibus lib. I, cap. 19, ubis is Scaligeri seutentiam ab operarum mendis quæ sensum nimium turbarent, purgavit, et sic Scaligerum contra Casparem Hoffmannum, medicum professorem Noricum, defendit : Carolus item Paschalius in eruditissimo De coronis opere et Joannes Frider. Heckelius De coronis poetarum. Fuit sane antiquissimus et omni laude dignus hic poetas honestandi mos, sed quem ab aliquot sæculis intermissum, anno Christi 1341 revocavit primum urbis Romæ senatus, atque poetæ laureati dignitatem in Franciscum Petrarcham contulit, ut ejus Vita testatur. Itaque mirari subit quare tam antiquam et laudabilem consuetudinem, et sæpius ab imperatoribus expetitam, Suetonio teste, rideat auctor Satyræ Menippeæ.

Hæc sunt, benevole lector, quorum causa te præmonendum duxi. Vale, et conatibus meis fave. Vitembergæ Saxonum, XII, Kalendas Junias, anno reparatæ salutis 1707.

CONRADI CELTIS

PRÆFATIO

AD FRIDERICUM III SAXONIÆ ELECTOREM.

(Edit. Opp. Hrotsuithæ anni 1501.)

[A] Difficili et longa peregrinatione, non sine peculii mei et prospere valetudinis jactura, princeps illustrissime, Germaniæ nostræ fines et ejus interiora, quæ tu germanusque tuus, Magdeburgensis archiepiscopus et Germaniæ primas, longe lateque possidetis, perlustravi, eumque laborem ei itinerum pericula libens semper et hilari animo subii, ut antiquos et nondum impressos inquirerem codices, et, si quos in Hercinia silva, Alpibus Obnobiisque montibus, et vastis Germaniæ solitudinibus, paludibus etiam, in monasteriis et cœnobiis Druidarum, locupletissime a nostris imperatoribus et ducibus fundatis, invenissem, nostrorum sæculorum felicitate, per impressoriam artem, a nostris hominibus inventam, in lucem proferrem. Ad quam rem multæ sane et honestæ causæ me impulerunt. Nec vaniloquentia aliquorum maledicorum et detractorum me ab incepto deterrere potuerat. Qui dum in [B] alio viderint quod impar suis viribus, vel quod illi sua ignavia, et ob insitam ingenii et inertiæ hebetudinem et tarditatem, attingere nequeunt, mox alienæ virtuti, cui nihil invium et inaccessum est, obloquuntur et obstrepunt, sacrilegiique eos insimulant, qui vetustos codices, et quidquid litterarum sub Constantinis, Carolis et Arnulphis, Fridericis et Conradis, et Oddonibus, clarissimis et religiosissimis imperatoribus, in Germaniam illatum, aut apud nos natum conspexerint, Græcaque et Romana illa, prisco charactere conscripta, legere non potuerint. Quibus ego benigne admodum respondeo, pulcherrimum esse homini Germano et laudi toti Germanicæ nationi, si quis, amore litterarum et patriæ, peregrinationes susceperit, et, quæcumque exemplaria vetera Græca aut Latina, dono, commutatione, vel mutuo, aut numerata [C] pecunia, conquirere possit, illaque impressioni mandare, et, dum illa impressa aut transcripta fuerint, cum usura, et, ut ita dicam, post liminio acceptis induciis, in loca sua et cœnobia revertantur. Quocirca, dum vidissem multa præclara et illustria exemplaria, tamquam egregia et opima quædam de nobis spolia, ab Italis e Germania in Italiam delata ibique impressa, cogitabam ego, ad me, hominem in media Germania et Hercinia natum, et qui primus inter Germanos litterarum ornamenta et insignia, ac imperialem laurum a Cæsare, tuo, Princeps illustrissime, Friderice, ductu et monitu accepissem, successionis et hæreditatis jure spectare debere, ut latentes in obscuro codices velut venator egregius elicerem, Germanisque meis, tanquam opipera quædam, offerem, quibus illi vete- [D] rum nostrorum patrum et progenitorum, circa litteras et religionem Christianam nostram, diligentiam et juges labores viderent et intelligerent, commiseratione quadam ductus, et priscorum Germanorum laboribus mirum in modum compatiens, ut, quæ illi magnis impensis et vigiliis, dum ante annos septingentos Romanas litteras (prius enim Græcis usi fuimus) cum religione Christiana suscepimus, scripsissent, illa jam sæculorum nostrorum ignavia, incuria, et dum speciosa vitia sequimur, a cœli injuria, pulvere, pro litterarum studiis, situ et carie, et, ut cum gemitu dicam, a blaptis etiam, non satis tuta essent. Accessit mira mihi quædam historiarum Germanicarum vicinarumque nobis nationum cupido, ut, si quos invenissem de regibus et imperatoribus nostris codices, aut illorum clare gesta aut dicta ab externis vel nostratiis litteris mandata, illos in lucem ederem, aut ad illustratam nostram Germaniam, quæ in manibus est, insererem, aut argumenta scribendi acceperem. Cum itaque nuper ejus gratia peregre profectus fuissem, forteque in cœnobium ordinis sancti Benedicti concessissem, reperi vetustissimum, littera ferme Gothica et mulieris manu conscriptum codicem, sub titulo et inscriptione virginis et monialis Germanæ, gente Saxonica, quo continebantur ea quæ in fronte et indice hujus voluminis continentur. Incredibile dictu, quanto stupore et gaudio correptus fuerim, dum mulierem Germanam post sexcentos annos (tot enim ab Oddone primo in nostram usque ætatem fluxere) Latina oratione et versu loquentem legissem. Mirabar in ea vehementer tria, quæ admodum paucis concessa sunt, ut Joannes Dalburgius, Vormatiensis antistes omnium decus nostrum, et litterarum et præsulum singulare ornamentum, in disticho suo meminit, quod talia puellari ætate scripserit et feminea, in media barbarie et patria horrida genita. Mirabar insuper antiquas verborum et nominum inflexiones et structuras, ut sois pro sibi, tis pro tibi, mis pro mihi, figuras etiam et dictionum passiones, ut debrius pro ebrius, et id genus plura. Taceo liberales artes mathematicasque disciplinas, in quibus se illa doctam et admirabilem ostendit, ut de tonis et musica in Paphnutio, et de vi, et virtute, et naturis numerorum in fide. Quod si aliquibus orationis compositio in carmine et oratione ejus nasum contraxerit, dent, quæso, veniam non sibi, sed illis suis temporibus, quibus nulla alia eloquentia, propter barbarorum diluvium, parens litterarum Italia usa est. Testes Decretales et Clementinæ omnes ejus temporis et sæculi

A *epistolæ et rescripta, testis est codex, et qui Magni Gregorii Moralium libri, et aliorum illius sæculi scriptorum, in quibus longe alia quam in Digestis, divo Hieronymo et Augustino, elocutionis compositura est, ubi omnia ad arhythmum et concinnam medii et finis sonoritatem referuntur, quem Cicero colorem simpliciter cadentem et desinentem nominat. Proinde non me tantum hujus virginis nostræ litteræ delectabant, quantum vel illæ nostræ Cimbricæ mulieris vel Velada illa aut Aurinia a Romanis scriptoribus, qui singularem in bello virtutem et divinationem illis divinitus inspiratam commemorant. Longum esset, Princeps illustrissime, si Germanarum mulierum virtutes, ab humanis sublatarum, et adhuc viventium, recensere vellem. Nec ego tanti Sappho, Cleliam, vel Hieronymi Eustochium et Paulinum, aut apud* B *Hebræos, Ruth, Judith et Esther, quantum ego in musicis instrumentis omnibus doctissimam Annam Germanam, aut Agnulam Frisiam in carminibus Sapphicis, jure civili et divino, et philosophia admirabilem, aut illam nostram charitatem Vilibaldi Pyrkhamers, hospitis nostri sororem, in Romana lingua et scribendis epistolis facilem et extemporaneam. Nullus sexus et ætas, in omni terrarum loco, ad virtutem et eruditionem imbecillis et indocilis est, si quando ingenium industria, educatio et præceptio illi adest. Cum itaque, Princeps illustrissime, longa mecum cogitatione volvissem, cuinam opus tantæ mulieris dedicare deberem, occurristi tu mox in illis decretoriis et comitialibus Norinbergæ diebus, cumque codicem istius nostræ poetæ tibi obtulissem, tu mox, ut imprimeretur, jussisti et curasti, data etiam a Cæ-* C *sareo senatu privilegio, ne quis hæc et alia exemplaria impressa in decem annis, post me et sodales meos, in liberis et imperialibus urbibus imprimere auderet, sub certa et debita mulcta. Accipe igitur, Princeps illustrissime, litteraria illius mulieris. gente tua ortæ, munera, quæ tu, ut æterniora sunt, majora æstimas, quam si tibi quid fluxum et caducum obtulissemus. Tantus enim amor tuus in æternas et immortales, ut ita dixerim, litteras et religionem Christianam est, ut facile omnes alios Germaniæ principes, mnltos etiam præsules, ad quos litterarum cura et patrocinium jure spectare deberet, excellas et superes. Sequeris tu recte et inhæres vestigiis Oddonis illius primi, cujus omne patrimonium et amplissimum imperium tu et germanus tuus, Ernestus, Magdeburgensis archiepiscopus, hæreditario quodam jure, titulo,* D *prope sanguinis propagatione et affinitate, possidetis. Accepisti eam a progenitoribus tuis et principe illustrissimo, Ernesto, institutionem, qui religione, pietate, justitia, et singulari clementia et liberalitate, super omnes sui sæculi principes pollebat et eminebat, felicissimus ille fecunditate illustrissimæ conjugis, Bavarorum familia antiquissima et nobilissima ortæ, cum qua, ante susceptam etiam religionem, Saxonibus conjugia et affinitates fuere. Multam ille et inclytam, ex ea sua nobilissima et religiosissima femina, genitor tuus suscepit prolem, de qua duo clarissimi adolescentes, sacris initiati, a ditissimis potentissimisque in tota Germania Ecclesiis, Mogundina et Madburga, in pontifices postulati sunt, te quoque germano, Joanne, ad patrias terram et rempublicam potentissimi ducatus relicto. in quo tu singulari prudentia, consilio, sapientia et modestia, et amore pacis et concordiæ, qui in Germaniæ principibus rarus affectus est, eluces et emicas, latrocinii, perjurii, sævissimus hostis et inimicus. Non facile dixerim quantas tu expensas pro principum nostrorum concordia, firmandaqae Italiæ. Galliæ Germaniæque vestræ pace et unione, feceris, quotque annos ejus rei gratia procul a patria apud Fridericum Cæsarem, apud quem nunc imperium Romanum spirat, Maximilianum, invictissimum regem, absumpseris. Nulla tibi de patria terra et amplissimo ducatu tuo cura. nulla de conjuge ducenda animi sollicitudo. Quidquid opum, virium animi et consilii, in te est, hoc totum reipublicæ Christianæ et imperio Romano, et pro ejus majestate conservanda impendis, donas, præbes et offers. Animi tui nobilissimi, et corporis tui egregii, illa divina quænam ex natalibus et sigillatis, ut genethliaci dicunt, stellis dona sunt. Ex decore enim vultus tui, et oculorum tuorum modestia, et quadam singulari gratia, hominum in te favorem trahis et rapis. Admirabilis, inter has virtutes, laborum et vigiliarum patientia et tolerantia. Si quando a republica vacas, aut venationi, relaxandi animi gratia, intendis, mirum tuum in litteras studium est. Nunc poetas, nunc oratores et historiographos, jam medicos et theologos, nunc jurisperitos, audis, legis, et te illis oblectaris, nunc in mathematicæ disciplinis, numeris et mensuris, astrorumque observationibus et naturis et motibus, delectaris, musicam et picturam, et eas, quas Græci et Latini in admiratione et maximo cultu habuere, earumque artium egregios magistros, tuis donis et muneribus donas et accumulas. Facis te, ut Sigismundus quondam imperator fecerat, qui supra nobiles illos in sua curia honorabat et locabat, qui ingenii præstantia et singularibus artibus cæteros mortales anteirent. Interrogantes cur id faceret, nobilitatemque et illustri natos genere despiceret? respondisse fertur :* Jure ego illos colo et cæteris mortalibus præfero, quos natura parens et Deus singulari donavit ingenio, *subjiciens,* illos solos naturam et Deum posse creare, in sua autem potestate situm ut in singulas horas nobiles titulo et prædiis faceret, *Quapropter, Princeps illustrissime, ob eas egregias animi et corporis tui dotes, omnes qui ingenio aut aliqua singulari arte pollent, te colunt et observant, tibique et illustrissimæ tuæ familiæ observantia et obsequio assurgunt. E quorum numero et ego me tibi tuisque illustrissimis germanis, archipræsuli, et Joanni, totum offero, dedo et commendo. Vale, Princeps illustrissime, nostramque nomini tuo dedicatam poetam Germanicam, si quando a republica vacaveris, lege et revolve. Vale iterum. Ex Norinberga Augusta prætoria, diversorio nostro litterario, æde Vilibaldi Pirckhamer, utriusque linguæ et philosophiæ studiosissimi.*

SODALITATIS LITTERARIÆ

EPIGRAMMATA

In Norinbergæ conventu principum et decretoriis Imperii diebus constituta, in Opera Hrosvithæ, clarissimæ virginis et monialis Germanicæ.

A *Joannes Dalburgius, Vormatiensis episcopus Sodalitatis litterariæ per universam Germaniam princeps.*

Quæ paucis ætas concessit patria sexu
Hroswitha, virgineo præstitit ingenio.

Aliud ejusdem.

Affro laus scenæ, lyra Flacco, bella Maroni :
Multiplicem laurum Hroswitha docta gerit.

Joannes Trithemius, abbas in Spanheim.

Cur non laudemus Germanæ scripta puellæ ?
Quæ si Græca esset, jam dea certa foret,
Adde quod hos cecinit quam prisco tempore versus,
Hinc sexcenteno Phœbus ab orbe redit.

Heinricus de Bunau.

Quantum Germanis faveant pia numina cœli,
Hac nunc in docta virgine nosse potes.
B Hæc veteres sanctos vates veneranda recenset,
Et plus quam Sappho carmina casta canit.

Odolikos de Stein (alsz Gitelwolff).

Hac de Germana quid, Graie, quid Itale, sentis ?
Non minus ac vestræ verba Latina canit.

Vilibaldus Btrkhammer, Norinberg.

Ἐι Σαπφὼ δεκάτη, μουσάων ἐστὶν ἀοιδῶν,
Ῥοσβὶθ ἑνδεκάτη, μοῦσα καταγράφεται·

Ejusdem traductio.

Si Sappho decima est Musarum dulce canentnm,
Hrosvitha scribenda est undecima Aonidum.

Joannes Tholophus, præpositus.

Ut lyra Threicio concessit carmina vati,
Quæ micat arctoo fulgida stella polo,
Hæc eodem influxit Hrosvitæ verba chelimque,
Nata ex Saxonicis casta poeta plagis.

C *Henricus Groninger.*

Invide, divinos non cessas carpere vates
Tanquam mendaces vaniloquosque viros.
Nonne vides quantum hæc monialis carmine possit,
Historia sacras virgo diserta canens ?

Joannes Vernerus.

Hrosvitha Germanis nunc maxima gloria terris,
Carminibus Latios nectere docta modos.
Nec minus et voces describit culta solutas,
Libera Terentii comica facta sequens.

Martinus Mallerstat, medicus.

Gloria quanta fuit magnis Oddonibus armis,
Gloria tanta tibi Hrosvitha in historia.

Conradus Celtes.

Si proba, magniloquum cogens centone Maronem,
Aque, aluit doctum quos tulerat Latium,
Hanc nostram legerent Saxono sanguine cretam,
Nostræ laudassent carmine vatis opus.

Joannes Lateranus.

Olim in arctoa generata terra,
Saxonæ gentis generosa virgo,
Cujus antiquum memoratur esse.
Hrosvitha nomen
Illa divinos cecinit calores,
Martyrum sancta modulata Vitas,
Arte quam magna Druidumque gesta
Docta recenset.
Quam sacro denam numero sororum
Phœbus ascripsit, miseraus laborum,
Et sibi dignos cumulans honores
Laude perenni.

Joannes Stabius, Math. Ingelstad.

Barbara nostra licet dicatur patria tellus,
Expers et Graii dogmatis et Latii.
Attamen hoc calamo potuit Germana virago,
Hrosvitha, quod Latii vix potuere viri.

Urbanus Prebusinus.

Quanta fuit Graiis Sappho doctissima Musis,
Tanta fuit Latiis Hrosvitha carminibus.

Sebastianus Sprentz.

Claruit ut quondam septenis Græcia sophis,
Extulit ut vates inclyta Roma suos,
Sic decus et patriæ splendor celebratur in oris.
Hrosvitha, Germanis digna puella legi.

HROTSUITHÆ OPERA

(Ex edit. Schurzfleischii et D. Pertizii.)

HROTSUITHÆ IN SEX COMOEDIAS SUAS PRÆFATIO

1 Plures inveniuntur catholici, cujus non penitus expurgare nequimus facti, qui pro cultioris facundia sermonis, gentilium vanitatem librorum utilitati præferunt sacrarum Scripturarum. Sunt etiam alii sacris inhærentes paginis, qui licet alia gentilium
D spernant, Terentii tamen figmenta frequentius lectitant, et, dum dulcedine sermonis delectantur, nefandarum notitia rerum maculantur. Unde ego, *Clamor validus Gandeshemensis*, non recusavi illum imitari dictando, quem alii colunt legendo ; quo,

eodem dictationis genere, quo turpia lascivarum incesta feminarum recitabantur, laudabilis sacrarum castimonia virginum, juxta mei facultatem ingenioli, celebraretur. Hoc tamen facit non raro verecundari gravique rubore perfundi, quod, hujusmodi specie dictationis cogente, detestabilem illicite amantium dementiam et male dulcia colloquia eorum, quæ nec nostro auditui permittuntur, **2** accommodari dictando mente tractavi et styli officio designavi. Sed, si hæc erubescendo negligerem, nec proposito satisfacerem, nec innocentium laudem adeo plene juxta meum posse exponerem, quia quanto blanditiæ amantium ad illiciendum promptiores, tanto et superni adjutoris gloria sublimior et triumphantium victoria probatur gloriosior, præsertim cum feminea fragilitas vinceret, et virile robur confusioni subjaceret. Non enim dubito mihi ab aliquibus objici quod hujus vilitas dictationis multo inferior, multo contractior, penitusque dissimilis ejus, quem proponebam imitari; at, sententiis concedo. Ipsis tamen denuntio me in hoc jure reprehendi non posse, quasi his vellem abusive assimilari, qui mei inertiam longe præcesserunt in scientia sublimiori. Nec enim tantæ sum jactantiæ, ut vel extremis me præsumam conferre auctorum alumnis, sed hoc solum nitor, ut, licet nullatenus valeam apte, supplici tamen mente devotione, acceptum in datorem retorqueam ingenium. Ideoque non sum adeo amatrix mei, ut pro vitanda reprehensione, Christi, qui in sanctis operatur, virtutem (quocunque ipse dabit posse) cessem prædicare. Si enim alicui placet mea devotio, gaudebo; si autem, vel pro mei abjectione, vel pro vitiosi sermonis rusticitate nulli placet, memetipsam tamen juvat quod feci; quia, dum proprii vilitatem laboris in aliis meæ inscientiæ opusculis heroico ligatam strophio, in hac dragmatica junctura serie colo, perniciosas gentilium delicias abstinendo devito.

EPISTOLA EJUSDEM

Ad quosdam sapientes hujus libri fautores et emendatores priusquam libros suos ederet.

3 Plene sciis et bene moratis, nec alieno profectui invidentibus, sed, ut decet vere sapientes, congratulantibus, Hrotsuitha nesciola, nullaque probitate idonea, præsens valere et perpes gaudere. Vestræ igitur laudandæ humilitatis magnitudinem satis admirari nequeo, magnificæque, circa mei utilitatem, benigitatis atque dilectionis plenitudinem, condignarum recompensatione gratiarum remetiri non sufficio, quia, cum philosophicis apprime studiis enutriti et scientia longe excellentibus sitis perfecti, mei opusculum vilis muliereulæ, vestra admiratione dignum duxistis, et largitorem in me operantis gratiæ fraterno affectu gratulantes laudastis, arbitrantes mihi inesse aliquantulam scientiam artium, quarum subtilitas longe præterit meum muliebre ingenium. Denique rusticitatem meæ dictatiunculæ hactenus vix audebam paucis ac solummodo familiaribus meis ostendere; unde pene opera cessavit dictandi ultra aliquid hujusmodi, quia, sicut pauci fuere qui me prodente perspicerent, ita non multi, qui, vel quid corrigendum inesset enuclearent, vel ad audendum aliquid huic simile provocarent. At nunc, quia trium testimonium constat esse verum, vestris corroborata sententiis, fiducialius præsumo et componendis operam dare, si quando Deus annuerit posse, et quorumcumque sapientium examen subire. Inter hæc diversis affectibus, gaudio videlicet et metu, in diversum trahor. Deus namque, cujus solummodo gratia sum id quod sum, in me laudari cordetenus gaudeo; sed major quam sim videri timeo, quia utrumque nefas esse non ambigo, et gratuitum Dei donum negare, et non acceptum accepisse simulare. Unde non denego præstante gratia Creatoris per dynamin me artes scire, quia sum animal capax disciplinæ, sed per energiam fateor omnino nescire. Perspicax quoque ingenium divinitus mihi collatum esse agnosco, sed magistrorum cessante diligentia, incultum et propriæ pigritia inertiæ **4** torpet neglectum. Quapropter, ne in me donum Dei annularetur ob negligentiam mei, si qua forte fila vel etiam floccos de panniculis a veste philosophiæ abruptis evellere quivi, præfato opusculo inserere curavi, quo vilitas meæ inscientiæ intermixtione nobilioris materiæ illustraretur, et largitor ingenii tanto amplius in me jure laudaretur, quanto mulieribus sensus tardior esse creditur. Hæc mea in dictando intentio, hæc sola mei sudoris est causa, neque simulando me nescita scire jacto, sed quantum ad me tantum scio quod nescio. Quia enim attactu vestri favoris atque petitionis arundineo more inclinata libellum, quem tali intentione disposui, sed usque huc pro sui vilitate occultare quam in palam proferre malui, vobis perscrutandum tradidi, dicet ut non minoris diligentia sollicitudinis eum emendando investigetis, quam proprii seriem laboris; et sic tandem ad normam rectitudinis reformatum mihi remittite, quo, vestri magisterio præmonstrante in quibus maxime peccassem possim agnoscere.

COMŒDIÆ SEX HROTSUITHÆ

I
GALLICANUS

ARGUMENTUM IN GALLICANUM

Conversio Gallicani principis militiæ, qui iturus ad bellum contra Scythas, sacratissimam virginem Constantiam Constantini imperatoris filiam desponsavit, sed in conflictu prælii nimium coactatus, per Joannem et Paulum primicerios Constantiæ conversus, ad baptisma convolavit, cælibemque vitam elegit. Postea autem, jubente Juliano Apostata, in exsilium missus martyrio est coronatus. Sed et Joannes et Paulus eodem jubente clam occisi et in domo occulte sunt sepulti. Nec mora : percussoris filius a dæmonio arreptus, patris commissum et martyrum confitendo meritum juxta eorum sepulcra salvatus, una cum patre est baptizatus.

ACTUS PRIMUS

INTERLOCUTORES :

CONSTANTINUS, GALLICANUS CONSTANTIA, ARTEMIA, ATTICA, JOANNES, PAULUS, PRINCIPES.

SCENA I.

A

CONSTANTINUS.

Tædet me, Gallicane, morarum, quia gentem, quam scis Scytharum Romanæ solam resistere paci nostrisque temere præceptis reluctari, bello protrahis lacessere, cum pro tui strenuitate id tibimet exercitii ad defensionem non ignores patriæ servari.

GALLICANUS.

Tuis enim, o Auguste Constantine, obnixe manibus pedibusque semper insistens obsequiis, tuæ Augustalis excellentiæ votis effectu conabar respondere operis, nec unquam me subtraxi faciendis.

CONSTANTINUS.

Si opus est monitu? nam memoriæ fixum teneo. Unde monui hortando potius quam arguendo, morem ut geras.

GALLICANUS.

Idipsum etiam studebo nunc.

CONSTANTINUS.

Gaudeo.

GALLICANUS.

Nec amore vitæ abduci potero quin peragam quæ jubes.

CONSTANTINUS.

Placet, tuique in me benevolentiam laudo.

GALLICANUS.

Sed summa implendæ intentio servitutis summam expetit recompensationem mercedis.

CONSTANTINUS.

Nec injuria.

GALLICANUS.

Difficultas enim cujuscunque laboris tolerabilius fertur, si haud incerta accipiendæ spe mercedis relevatur.

CONSTANTINUS.

Patet.

GALLICANUS.

Unde ineundi præmium periculi mei, quæso, proponas in præsenti, quo impigre dimicans sudore non frangar certaminis, animatus spe retributionis.

B

CONSTANTINUS.

Quod dignissimum omnique videbatur senatui gravissimum (*leg.* gratissimum), nunquam tibi negabam aut negabo præmium, scilicet nostræ adeptionem familiaritatis, præcipuæque inter palatinos dignitatis.

GALLICANUS.

Fateor, sed id nunc haud molior.

CONSTANTINUS.

Si aliud expertas, oportet proferas.

GALLICANUS.

Imo aliud.

CONSTANTINUS.

Quid?

GALLICANUS.

Si præsumo dicere. . . .

CONSTANTINUS.

Et bene.

GALLICANUS.

Irasceris.

CONSTANTINUS.

Nullo modo.

GALLICANUS.

Certe.

CONSTANTINUS.

Non.

GALLICANUS.

Moveberis indignatione.

CONSTANTINUS.

Ne id vereare.

GALLICANUS.

Dicam, jussisti; Constantiam tui natam amo.

CONSTANTINUS.

Et merito. Decet ut herilem filiam honorabiliter **6** ames et amabiliter honores.

GALLICANUS.

Interrumpis dicenda.

CONSTANTINUS.

Non interrompo.

GALLICANUS.

Ipsamque, si tua annuerit pietas, desponsare gestio.

CONSTANTINUS.

Non leve appetit præmium, sed summum vobisque, o principes, ante insolitum.

GALLICANUS.

Heu! heu! dedignatur; præscivi. Instate, quæso, mecum precibus.

PRINCIPES.

Decet tuam, imperator egregie, dignitatem, ut pro sui reverentia hoc illi non abnuas.

CONSTANTINUS.

Non abnuo quantum ad me; sed subtili primum inquisitione reor investigandum, an filia præbeat assensum.

PRINCIPES.

Consequens est.

CONSTANTINUS.

Ibo, ipsamque, si velis, Gallicane, pro hac re appellabo.

GALLICANUS.

Ac libens.

SCENA II.

CONSTANTIA.

Dominus imperator adit nos solito tristior. Quid velit vehementer admiror.

CONSTANTINUS.

Huc ades, o filia Constantia, paucis te volo.

A CONSTANTIA.

Adsum, domine mi; jube, quid velis.

CONSTANTINUS.

Anxietate cordis fatigor, gravique tristitia afficior.

CONSTANTIA.

Ut te venientem aspexi, tristitiam deprehendi, et licet causam ignorarem, conturbata pertimui.

CONSTANTINUS.

Tui causa contristor.

CONSTANTIA.

Mei?

CONSTANTINUS.

Tui.

CONSTANTIA.

Expaveo; quid est, domine mi?

B CONSTANTINUS.

Piget dicere, ne contristeris.

CONSTANTIA.

Multo magis contristor, si non dixeris.

CONSTANTINUS.

Gallicanus dux, cui frequens successus triumphorum primum inter principes dignitatis acquisivit gradum, cujusque ope sæpissime indigemus ad defensionem patriæ...

CONSTANTIA.

Quid ille?

CONSTANTINUS.

Desiderat te sponsam habitum ire.

CONSTANTIA.

Me?

C CONSTANTINUS.

Te.

CONSTANTIA.

Mallem mori.

CONSTANTINUS.

Præscivi.

CONSTANTIA.

Nec mirum, quia tuo consensu, tuo permissu, servandam Deo virginitatem devovi.

CONSTANTINUS.

Memini.

CONSTANTIA.

Nullis enim suppliciis unquam potero compelli, quin inviolatum custodiam sacramentum propositi.

CONSTANTINUS.

D Convenit. Sed hinc coarctor nimium, quia si, quod debet fieri paterno more, te in proposito permansum ire consensero, haud leve damnum patiar in publica re. Si autem, quod absit, renitor, æternis cruciandus pœnis subjacebo.

CONSTANTIA.

Si enim divinum desperarem adesse auxilium, mihi quam maxime, mihi potissimum esset dolendum.

CONSTANTINUS.

Verum.

CONSTANTIA.

Nunc autem nullus relinquitur locus mœstitiæ, præsumenti **7** de Domini pietate.

A CONSTANTINUS.

Quam bene dicis, mea Constantia!

CONSTANTIA.

Si meum digneris captare consilium, præmonstrabo qualiter utrumque evadere possis damnum.

CONSTANTINUS.

O utinam!

CONSTANTIA.

Simula, prudenter peracta expeditione, ipsius votis te satisfacturum esse; et ut meum concordari credat velle, suade, quo suas interim filias Atticam ac Artemiam, velut pro solidandi pignore amoris, mecum mansum ire, meosque primicerios Joannem et Paulum secum faciat iter arreptum ire.

B CONSTANTINUS.

Et quid, si victor reverteretur, mihi erit agendum?

CONSTANTIA.

Reor Omnipatrem prius esse invocandum, quo ab hujusmodi intentione Gallicani revocet animum.

CONSTANTINUS.

O filia, filia, quantum dulcedine tuæ allocutionis amaritudinem dulcorasti mœsti patris, adeo ut pro hac re nulla post hæc movear sollicitudine.

CONSTANTIA.

Non est necesse.

CONSTANTINUS.

Eam et Gallicanum læta promissione circumveniam.

CONSTANTIA.

C Vade in pace, mi domine.

SCENA III.

GALLICANUS.

Curiositate frangar, o principes, antequam, quid meus senior Augustus tandiu cum herili filia agat, experiar.

PRINCIPES.

Suadet illi velle quæ desideras.

GALLICANUS.

O utinam prævaleret suasio!

PAULUS [*leg.* PRINCIPES].

Forsitan prævalebit.

GALLICANUS.

Silete, quiescite, Augustus revertitur, non ut abiit obscuro, sed vultu admodum sereno.

D PRINCIPES.

Bona fortuna.

GALLICANUS.

Si enim, ut dicitur, speculum mentis est facies, serenitas faciei mansuetudinem forte designat ejus animi.

PRINCIPES.

Ita.

SCENA IV.

CONSTANTINUS.

Gallicane!

GALLICANUS.

Quid dixit?

PRINCIPES.

Procede, procede, vocat te.

GALLICANUS.

Dii propitii, favete!

CONSTANTINUS.

Perge securus, Gallicane, ad bellum. Reversurus enim accipies, quod desideras, præmium.

GALLICANUS.

Illudisne me?

CONSTANTINUS.

Si illudo?

GALLICANUS.

Me felicem, si unum scirem.

CONSTANTINUS.

Quid unum?

GALLICANUS.

Ejus responsum.

CONSTANTINUS.

Filiæ?

GALLICANUS.

Ipsius.

CONSTANTINUS.

Injusta satis ratio in hac re verecundæ virginis responsum quærere. Consequentia autem rerum monstrabit ejus assensum.

GALLICANUS.

Si hunc scirem, responsum flocci facerem.

CONSTANTINUS.

Licet, experiare.

GALLICANUS.

Exopto.

CONSTANTINUS.

Sui primicerios Joannem et Paulum tecum commoratum iri decrevit, usque in diem nuptiarum.

GALLICANUS.

Quam ob causam?

CONSTANTINUS.

Quo illorum ex confabulatione ipsius vitam, mores, consuetudinem, possis prænoscere.

GALLICANUS.

Bonum consilium, mihique quam maxime placitum.

CONSTANTINUS.

Scilicet tui filias secum versa vice desiderat interim mansum ire, quatenus illarum per sodalitatem tibi fiat morigera.

GALLICANUS.

Euax, Euax; Omnia meis respondent votis.

CONSTANTINUS.

Fac ut adducantur citius.

GALLICANUS.

Statis, milites? Currite, abite, adducite filias ad obsequium suæ dominæ.

SCENA V.

MILITES.

Adsunt illustres Gallicani natæ, tuæ familiaritati, hera Constantia, pro sui pulchritudinis, sapientiæ et probitatis perspicuitate satis aptæ.

CONSTANTIA.

Placet. (Introducuntur honorifice. Amator Virginitatis et inspirator castitatis, Christe, qui me precibus martyris tuæ Agnetis a lepra pariter corporis et ab errore eripiens gentilitatis, invitasti ad virgineum tui genitricis thalamum, in quo tu manifestus es verus Deus, ante exordium natus a Deo Patre, idemque verus homo ex matre natus in tempore, te veram et coæternam Patri sapientiam, per quam facta sunt omnia et cujus dispositione consistunt et moderantur universa, suppliciter exoro ut Gallicanum, qui tui in me amorem subripiendo conatur exstinguere, post te trahendo ab injusta intentione revocare, suique filias digneris tibi assignare sponsas, et instilla cogitationibus earum tui amoris dulcedinem, quatenus exsecrantes carnale consortium pervenire mereantur ad sacrarum societatem virginum.

ARTEMIA.

Ave, Constantia, imperialis hera.

CONSTANTIA.

Salvete, sorores, Attica et Artemia; state, state, ne procidatis, sed libate mihi osculum amoris.

ARTEMIA.

Tuum ad obsequium, domina, alacri mente venimus, tuæ ditioni summa devotione nos subjecimus, tantum, ut tua nobis abundet gratia.

CONSTANTIA.

Unum Dominum habemus in cœlis, cui debetur devotio nostræ servitutis, in cujus fide et dilectione condecet, nos servata corporis integritate unanimiter perseverare, ut mereamur aulam cœlestis patriæ cum palma virginitatis introire.

ARTEMIA.

In nullo reluctamur, sed testes in omnibus præceptis parere nitimur, 9 præcipue in agnitione veritatis et servandæ proposito virginitatis.

CONSTANTIA.

Congrua satis responsio, vestraque ingenuitate condigna, nec dubito quin divinæ inspiratione gratiæ ad credendum estis perventæ [*al.*, perventuræ].

ARTEMIA.

Qui posset fieri ut servientes idolis sanum saperemus, sine illustratione supernæ pietatis?

CONSTANTIA.

Stabilitas vestræ fidei spem mihi excitat de credulitate Gallicani.

ARTEMIA.

Admoneatur tantum; haud dubium quin credat.

CONSTANTIA.

Advocentur Joannes et Paulus.

SCENA VI.

JOANNES.

Præsto sumus, hera, quos vocasti.

CONSTANTIA.

Ite citi ad Gallicanum, et inhærentes ejus lateri suadete illi paulatim mysterium nostræ fidei, si forsan illum Deus dignetur per nos lucrari.

PAULUS.

Deus det proventum! Nos adhibemus frequentationes hortamentorum.

SCENA VII.

GALLICANUS.

Opportune venistis, Joannes et Paule; suspensis diu animis vestrum præstolabar adventum.

JOANNES.

Ut vocem jubentis domnæ hausimus, tibi ad obsequendum convolavimus.

GALLICANUS.

Multo magis vestro quam aliorum delector obsequio.

PAULUS.

Non immerito, nam vulgo dicitur: *Qui dilectis obsequitur, et ipse sit dilectus.*

GALLICANUS.

Verum.

JOANNES.

Dilectio mittentis heræ reconciliatur nos familiaritati tuæ.

GALLICANUS.

Non nego. Convenite, congregamini, tribuni et centuriones, omnesque mei juris milites. Adsunt Joannes et Paulus, quorum detinebar absentia ne pergerem.

TRIBUNI.

Præcede. (*Collectim comitantur.*)

GALLICANUS.

Capitolium et templa primum nobis intranda, numinaque deorum placanda sunt ritu sacrificiorum, quo prosperentur exitus pugnæ.

TRIBUNI.

Necesse.

JOANNES.

Subtrahamus nos interim.

PAULUS.

Decet.

SCENA VIII.

JOANNES.

En, dux egreditur; ascendamus equos, offeramus nos obviam.

PAULUS.

Ac cito.

GALLICANUS.

Unde venitis? Ubi fuistis?

JOANNES.

Stravimus sarcinulas, præmisimus, quo expediti tuum iter possimus comitari.

GALLICANUS.

Placet.

SCENA IX.

GALLICANUS.

O tribuni, proh Jupiter! aspicio innumerabilis exercitus legiones, variis armorum instrumentis horribiles.

TRIBUNI.

Hercle hostes!

GALLICANUS.

Resistamus fortiter et congrediamur viriliter.

TRIBUNI.

Si est utilis nostri congressio cum tantis ?

GALLICANUS.

Et quid mavultis ?

TRIBUNI.

Submittere **10** colla.

GALLICANUS.

Nolit hoc Apollo !

TRIBUNI.

Ædepol faciendum. En, undiquesecus circumdamur, vulneramur, periminur.

GALLICANUS.

Eh heu ! quid erit, cum tribuni me spernunt, se tradunt ?

JOANNES.

Fac votum Deo cœli te Christianum fieri, et vinces.

GALLICANUS.

Voveo, et opere implebo.

HOSTES.

Heus ! rex Bradan, sperandæ fortuna victoriæ illudit nos, En, destræ languescunt, vires fatiscunt; sed et inconstantia pectoris cogit nos discedere ab armis.

BRADAN.

Quid dicam ignoro; ipsa quam toleratis me urget passio. Restat ut nos duci tradamus.

HOSTES.

Alias non evademus.

BRADAN.

Dux Galicane, noli in nostri perniciem sævire, sed parce et utere ut libet nostra servitute.

GALLICANUS.

Ne trepidetis. ne formidetis! sed datis obsidibus facite vos tributarios imperatoris et vivite beate sub Romana pace.

BRADAN.

Tuo arbitrio pendet quot qualesque accipere quantumque pondus solvendi census nobis velis imponere.

GALLICANUS.

Solvite procinctum, mei milites; nemo lædatur, nemo perimatur; amplectamur fœderatos, quos publicos insectabamur inimicos.

JOANNES.

Quanto magis valet intenta precatio, quam humana præsumptio !

GALLICANUS.

Verum.

PAULUS.

Quam efficax his aderit superna miseratio, quos Deo commendat humilis devotio !

GALLICANUS.

Perspicuum.

JOANNES.

Sed quod vovetur in perturbatione, solvendum est in tranquillitate.

A GALLICANUS.

Assentio; unde quantocius baptizari gestio, ac reliquum vitæ in Dei obsequio vacare.

PAULUS.

Justum.

SCENA X.

GALLICANUS.

Ecce, in introitu nostro proruunt Romani urbicolæ, insignia laudum ferentes ex more.

JOANNES.

Consequens est.

GALLICANUS.

Sed nec nostræ, nec deorum fortitudini titulus debetur triumphi.

PAULUS.

B Nullo modo, sed vero Deo.

GALLICANUS.

Unde templa arbitror transeunda.

JOANNES.

Recte arbitraris.

GALLICANUS.

Et limina apostolorum supplici confessione esse intranda.

PAULUS.

O te tali opinione felicem ! Nunc testaris te verum Christicolam.

SCENA XI.

CONSTANTINUS.

Admiror, o milites, cur Gallicanus tandiu se subtrahat nostris cospectibus.

MILITES.

C Ut urbem intravit gressum ad domum sancti Petri concite tetendit, terratenusque prostratus pro recepta victoria grater impendit Altithrono. **11**

CONSTANTINUS.

Gallicanus ?

MILITES.

Ipse.

CONSTANTINUS.

Incredibile.

MILITES.

En, accedit; ipsum potes sciscitari.

SCENA XII.

CONSTANTINUS.

Diu te, Gallicane, sustinui, ut modum exitumque D experirer prælii.

GALLICANUS.

Dicam digestim.

CONSTANTINUS.

Hoc interim parvi pendo, quo edisseras quod magis exopto.

GALLICANUS.

Quid est ?

CONSTANTINUS.

Cur iturus deorum templa et revertens intrares apostolorum tecta.

GALLICANUS.

Rogas ?

CONSTANTINUS.

Curiose.

GALLICANUS.

Expono.

CONSTANTINUS.

Exopto.

GALLICANUS.

Fateor, sacratissime imperator, iturus, ut objecisti, sacella intravi, meque dæmoniis et diis supplex commisi.

CONSTANTINUS.

Hoc Romanis antiquitus fuit in more.

GALLICANUS.

Mala consuetudo.

CONSTANTINUS.

Pessima.

GALLICANUS.

Quo pacto tribuni cum suis legionibus advenere, meque euntem undiquesecus sepsere.

CONSTANTINUS.

Pomposo admodum apparatu egrediebaris.

GALLICANUS.

Promovimus, hostes impegimus, commisimus, victi sumus.

CONSTANTINUS.

Romani victi!

GALLICANUS.

Penitus.

CONSTANTINUS.

O res dira omnibusque sæclis inaudita!

GALLICANUS.

Ego quidem nefanda sacrificia iteravi, nec aderant qui adjuvarent dii; sed invalescente congressione plurimi ex nostris interiere.

CONSTANTINUS.

Confundor audiendo.

GALLICANUS.

Tandem tribuni me spreverunt, se tradiderunt.

CONSTANTINUS.

Hostibus?

GALLICANUS.

Ipsis.

CONSTANTINUS.

Ah! quid fecisti?

GALLICANUS.

Quid possem facere, nisi fugam captare?

CONSTANTINUS.

Non.

GALLICANUS.

Etiam.

CONSTANTINUS.

Quantis tunc angustiis urgebatur constantia tui pectoris!

GALLICANUS.

Maximis.

CONSTANTINUS.

Et quomodo evasisti?

GALLICANUS.

Mei familiares socii Joannes et Paulus suaserunt mihi votum fecisse Creatori.

A CONSTANTINUS.

Salubre.

GALLICANUS.

Experiebar. Ut os ad vovendum aperui, cœleste juvamen sensi.

CONSTANTINUS.

Quo pacto?

GALLICANUS.

Apparuit mihi juvenis proceræ magnitudinis crucem ferens in humeris, et præcepit ut stricto mucrone illum sequerer.

CONSTANTINUS.

Quisquis ille erat, cœlitus missus fuerat.

GALLICANUS.

Comprobavi; nec mora, astiterunt mihi a dextra
B lævaque milites armati, quorum vultum minime agnovi, promittentes auxilium sui.

CONSTANTINUS.

Cœlestis militia.

GALLICANUS.

Non ambigo. At ubi sequens præcedentem secutus [*leg.* securus] inter medias hostium ingrederer acies, perveni ad regem eorum, nomine Bradan, qui mox incredibili **12** metu correptus, pedibusque meis provolutus, se cum suis subdidit, professus censum principi Romani orbis finetenus solvendum.

CONSTANTINUS.

Grates prosperitatis auctori, qui in se sperantes non patitur confundi.

GALLICANUS.

C Experimento didici.

CONSTANTINUS.

Vellem experiri quid deinde profugi actitarent tribuni.

GALLICANUS.

Maturabant reconciliari.

CONSTANTINUS.

Recepistin' gratis?

GALLICANUS.

Ego illos gratis, qui me periclis, qui se inimicis? haud ita.

CONSTANTINUS.

Et qui?

GALLICANUS.

Proposui promerendæ gratiæ pretium.

D CONSTANTINUS.

Quale?

GALLICANUS.

Videlicet sectam Christicolarum, quam qui elegerit, gratiam susciperet priorem honoremque ampliorem; qui vero spreverit, gratia simul privaretur et militia.

CONSTANTINUS.

Recta propositio, tuaque auctoritate condigna.

GALLICANUS.

Ego quidem, baptismate imbutus, totum me Deo subjugavi, in tantum, ut tuæ quam præ omnibus

dilexi abrenunciarem filiæ, quo abstinens conjugii A placerem Virginis proli.

CONSTANTINUS.

Accede proprius, ut irruam in tuos amplexus. Nunc quidem, nunc cogor tibi detegere quod ad tempus studebam velare.

GALLICANUS.

Quid ?

CONSTANTINUS.

Id videlicet, quod mea tuæque natæ eidem quam elegisti student religioni.

GALLICANUS.

Gaudeo.

CONSTANTINUS.

Tantoque servandæ virginitatis flagrant amore, ut nec minis nec blandimentis revocari possint ab B intentione.

GALLICANUS.

Perseverent, exopto.

CONSTANTINUS.

Introeamus in palatium, ubi ipsæ commorantur.

GALLICANUS.

Præcede, sequar.

CONSTANTINUS.

Ecce, occurrunt cum Augusta Helena mei genitrice gloriosa, omnibusque lacrymæ fluunt præ gaudio.

SCENA XIII.

GALLICANUS.

Vivite feliciter, o sanctæ virgines, perseverantes C in Dei timore, decusque virginitatis inviolatum servate, quo dignæ inveniamini amplexibus Regis æterni.

CONSTANTIA.

Eo liberius servabimus, quo te non contra luctari sentimus.

GALLICANUS.

Non contra luctor, non renitor, non prohibeo; sed vestris in hoc votis libens concedo in tantum, ut nec te, o mea Consatantia, quam haud segniter emi vitæ pretio, aliud quam cœpisti velle cogam.

CONSTANTIA.

Hæc mutatio dextræ Excelsi.

GALLICANUS.

Si in melius mutatus non essem, tuæ promissioni

13 assensum non præberem. D

CONSTANTIA.

Amicus pudicitiæ virginalis et fautor totius bonæ voluntatis, qui te ab injusta intentione revocavit, meamque virginitatem sibi signavit, dignetur nos pro corporali discidio quandoque associatum ire in æterno gaudio.

GALLICANUS.

Fiat, fiat!

CONSTANTINUS.

Cum vinculum Christi amoris in unius nos societate conjungat religionis, decet ut, quasi gener Augustorum, honorifice nobiscum habites intra palatium.

GALLICANUS.

Nulla magis est vitanda tentatio, quam oculorum concupiscentia.

CONSTANTINUS.

Refragari nequeo.

GALLICANUS.

Unde non expedit me frequentius virginem intueri, quam præ parentibus, præ vita, præ anima, a me scis amari.

CONSTANTINUS.

Ut libet.

GALLICANUS.

Ecce, habes quadruplicatum exercitum Christo favente et me laborante, patere ut nunc militem imperatori, cujus juvamine vici, et cui debeo quidquid feliciter vixi.

CONSTANTINUS.

Ipsum decet laus et jubilatio, ipsi debet famulari omnis creatura.

GALLICANUS.

Sed illi potissimum, quis in necessitate largius præstat auxilium.

CONSTANTINUS.

Ut asseris.

GALLICANUS.

Partem possessionis, quæ ad filias pertinet, excipio, partemque ad susceptionem peregrinorum mihi reservo. De reliquo proprios servos libertate donatos ditari, pauperumque necessitates volo sustentari.

CONSTANTINUS.

Prudenter possessa disponis, nec expers fies æternæ retributionis.

GALLICANUS.

Me ipsum etiam sancto viro Hilariano in urbe ostendi (2) individuum sodalem ardeo associatum iri quo ibidem reliquum vitæ in Dei laude pauperumque vacem susceptione.

CONSTANTINUS.

Simplex Esse, cui semper est posse, sinat tui esse prosperis successionibus juxta sui velle vigere, et perducat te ad gaudia æternitatis, qui regnat et gloriatur in unitate Trinitatis.

GALLICANUS.

Amen.

(2) Novissimus Comœdiarum Hrotsuithæ editor Q. Magnin, hic legendum monet *Ostiensi* loco *ostendi*. Edit. Patrol.

ACTUS SECUNDUS

INTERLOCUTORES :

JULIANUS IMPERATOR, CONSULES, MILITES, TERENTIANUS, JOANNES, CHRISTICOLÆ.

SCENA I.

JULIANUS.

14 Incommodum satis nostro probatur esse imperio, quod christiani libero utuntur arbitrio, et jactant se leges debere sequi, quas accipiebant temporibus Constantini.

CONSULES.

Turpe, si pateris.

JULIANUS.

Non patiar.

CONSULES.

Decet.

JULIANUS.

O milites, accingimini, et nudate christicolas possessionibus propriis, objiciendo sententiam Christi dicentis : Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, N. P. T. M. V. E. S. P. T.

MILITES.

In nobis non erit mora.

SCENA II.

CONSULES.

En, milites revertuntur.

JULIANUS.

Secundusne est vester reditus ?

MILITES.

Secundus.

JULIANUS.

Et cur tam citus ?

MILITES.

Dicemus : Castella, quæ Gallicanus sibi retinuit, decrevimus intrasse, tuæque servituti usurpasse ; sed, si quis ex nostris pedem admovit, leprosus seu energumenus est factus.

JULIANUS.

Revertimini, ipsumque compellite vel patriam deserere, vel idolis sacrificare.

SCENA III.

GALLICANUS.

Ne fatigemini, o milites, inutilia suadendo, quia in æstimatione æternæ vitæ flocci facio quidquid habetur sub sole. Unde patriam desero et exsul pro Christo Alexandriam peto, optans ibidem coronari martyrio.

SCENA IV.

MILITES.

Gallicanus, ut jussisti, patria expulsus Alexandriam petiit, ibique a Rauciano comite tentus gladio est peremptus.

JULIANUS.

O bene factum !

A

MILITES.

Sed Joannes et Paulus te fastidiunt.

JULIANUS.

Quid agunt ?

MILITES.

Libere vagantur, thesauros Constantiæ erogant.

JULIANUS.

Advocentur.

MILITES.

Adsunt.

SCENA V.

JULIANUS.

Non nescio vos, Joannes et Paule, a cunabulis Augustorum mancipatos fuisse obsequio.

JOANNES.

B Fuimus.

JULIANUS.

Unde decet ut meo inhærentes lateri serviatis in palatio, in quo nutriti estis a puero.

PAULUS.

Haud serviemus.

JULIANUS.

Mihin, non servietis ?

JOANNES.

Diximus.

JULIANUS.

Num non videmur Augustus ?

PAULUS.

Sed dissimilis prioribus.

JULIANUS.

C In quo ?

JOANNES.

Religione et merito.

JULIANUS.

Vellem plenius audire.

PAULUS.

Volumus dicere : Gloriosissimi et famosissimi imperatores Constantinus, Constans et Constantius, quorum famulabamus imperio, fuere viri Christianissimi, et gloriabantur se servos esse Christi.

JULIANUS.

Memini, sed non opto eos in hoc sequi.

PAULUS.

Deteriora imitaris. Qui ecclesias frequentabant, et excusso diademate **15** prostrati Jesum Christum adorabant.

D

JULIANUS.

Ad hæc me non cogitis.

JOANNES.

Ideo illis es dissimilis.

A

PAULUS.

Nam quia adolebantur Creatori, Augustalis apicem dignitatis ornabant et beatificabant insignibus suæ probitatis et sanctitatis, prosperisque ad vota successionibus pollebant.

JULIANUS.

Certe ego.

JOANNES.

Non simili modo, quia eos divina comitabatur gratia.

JULIANUS.

Frivola. Ego quondam stultus talia exercui, et clericatum in Ecclesia obtinui.

JOANNES.

Placetne tibi, o Paule, clericus?

B

PAULUS.

Diaboli capellanus.

JULIANUS.

At ubi nihil utilitatis inesse deprehendi, ad culturam deorum me inflexi, quorum pietas me provexit ad fastigium regni.

JOANNES.

Abrupisti nostri orationem, ne audires justorum laudem.

JULIANUS.

Quid ad me?

PAULUS.

Nihil; sed subjungendum est quod ad te. Postquam enim mundus eis non erat dignus habendis, suscepti sunt inter angelos, tibique infelix respublica relinquebatur regenda.

C

JULIANUS.

Cur infelix juxta id temporis?

JOANNES.

Ex qualitate rectoris.

PAULUS.

Reliquisti omnem religionem, et imitatus es idololatriæ superstitionem. Pro hac iniquitate, et a tuis conspectibus et a tuorum societate nos subtraximus.

JULIANUS.

Licet satis multis a vobis dehonestatus sim, adhuc tamen parcens audaciæ cupio vos inter primos in palatio extollere.

JOANNES.

D

Ne fatiga te, quia nec minis, nec blandimentis cogimur cedere.

JULIANUS.

Decem dierum dabo inducias, quo tandem resipiscentes ultro maturetis reconciliari gratiæ nostræ dignitatis. Sin autem, quod faciendum est faciam, non ultra vobis ludibrio fiam.

PAULUS.

Quod facturus eris hodie perfice, quia nec ad tui salutationem, nec ad palatium, nec ad culturam deorum nos poteris revocare.

JULIANUS.

Abite, discedite, quæ monui perpetrate.

JOANNES.

Acceptas non flocci faciamus inducias, sed facultates cœlo permittamus, nosque jejuniis et obsecrationibus Deo interim commendemus.

PAULUS.

Consequens est.

SCENA VI.

JULIANUS.

Vade, Terentiane, sumptis tecum militibus compelle Joannem et Paulum deo Jovi sacrificare. Si autem obstinato resisterint pectore, perimantur, non palam, sed nimium **16** occulte, quia palatini fuere.

SCENA VII.

TERENTIANUS.

Imperator Julianus cui servio misit vobis, Joannes et Paule, pro sui clementia aureum simulacrum Jovis, cui thura gratis imponere debetis. Quod si nolueritis, capitalem sententiam subibitis.

JOANNES.

Si Julianus sit tuus dominus, habeto pacem cum illo, et utere ejus gratia. Nobis non est alius nisi Dominus noster Jesus Christus, pro cujus amore desideramus mori, quo mereamur æternis gaudiis perfrui.

TERENTIANUS.

Quid tardatis, milites? stringite ferrum, et interficite imperatoris deorumque rebelles; interfectos clam in domo sepelite, nullumque sanguinis vestigium relinquite.

MILITES.

Et quid dicemus rogati?

TERENTIANUS.

Simulate quasi exsilio sint destinati.

JOANNES, PAULUS.

Te, Christe, cum Patre et sancto Spiritu regnantem, unum Deum, sub hoc periculo invocamus, te moriendo laudamus; tu suscipe animas, pro te de lutea habitatione eliminatas.

SCENA VIII.

TERENTIANUS.

Et heu, o Christicolæ, quid patitur unicus filius meus?

CHRISTICOLÆ.

Stridet dentibus, sputa jacit, torquet insana lumina; nam plenus est dæmoniis.

TERENTIANUS.

Væ patri! ubi agitatur.

CHRISTICOLÆ.

Ante sepulcra martyrum Joannis et Pauli humi provolvitur, seque ipsorum precibus torqueri fatetur.

TERENTIANUS.

Mea culpa, meum facinus. Nam meo hortatu, meo jussu ipse infelix impias manus in sanctos martyres misit.

CHRISTICOLÆ.

Si te hortante deliquit, te compatiente pœnas luit.

TERENTIANUS.

A Ego quidem parui jussis impiissimi imperatoris Juliani.

CHRISTICOLÆ.

Ideo namque ipse divina perculsus est ultione.

TERENTIANUS.

Scio, eoque magis expaveo, quo nullum hostem Dei servorum impunitum evasisse meminero.

CHRISTICOLÆ.

Recte.

TERENTIANUS.

Quid si curram et pœnitens sceleris sacris provolvar tumulis?

CHRISTICOLÆ.

B Veniam mereberis, si tamen baptismate mundaberis.

SCENA IX.

TERENTIANUS.

Gloriosi testes Christi, Joannes et Paule imitamini exemplum magistri eadem jubentis, et orate pro persecutorum delictis. Este compatientes orbati patris angustiis et misereamini furientis nati miseriis, quo ambo tincti fonte baptismatis perseveremus in fide sanctæ Trinitatis.

CHRISTICOLÆ.

Parce, Terentiane, **17** lacrymis, et parce anxietati cordis. En, filius tuus resipiscit et per martyrum suffragia sanum recepit.

TERENTIANUS.

Gratias Regis æternitatis, qui suis militibus tantum præstitit honoris, ut non solum animæ gaudent in cœlo, sed etiam mortua in tumulis ossa variis fulgent miraculorum titulis, in testimonium sui sanctitatis, præstante Domino nostro Jesu Christo qui vivit et regnat.

II
DULCITIUS

ARGUMENTUM IN DULCITIUM

Passio sanctarum virginum Agapes, Chioniæ et Irenæ, quas sub nocturno silentio Dulcitius præses clam adiit, cupiens earum amplexibus saturari. Sed mox ut intravit, mente captus ollas et sartagines pro virginibus amplectendo osculabatur, donec facies et vestes horribili nigredine inficiebantur. Deinde Sisinnio comiti jussu perpuniendas (*leg.* j. imperatoris pun.) virgines cessit, qui etiam miris modis illusus tandem Agapen et Chioniam concremari et Irenam jussit perfodi.

INTERLOCUTORES :

DIOCLETIANUS, AGAPE, CHIONIA, IRENA, DULCITIUS, MILITES.

SCENA I.

DIOCLETIANUS.

C Parentelæ claritas, ingenuitas, vestrumque serenitas pulchritudinis exigit vos nuptiali lege primis in palatio copulari, quod nostri jussio annuerit fieri, si Christum negare nostrisque diis sacrificia velitis ferre.

AGAPE.

Esto securus curarum, nec te gravet nostrarum præparatio nuptiarum, quia nec ad negationem confitendi nominis, nec ad corruptionem integritatis ullis rebus compelli poterimus.

DIOCLETIANUS.

Quid sibi vult ista quæ vos agitat fatuitas?

AGAPE.

D Quod signum fatuitatis nobis inesse deprehendis?

18 DIOCLETIANUS.

Evidens magnumque.

AGAPE.

In quo?

DIOCLETIANUS.

In hoc præcipue quod, relicta vetustæ observantia religionis, inutilem Christianæ novitatem sequimini superstitionis.

AGAPE.

Temere calumniaris statum Dei omnipotentis. Periculum.

DIOCLETIANUS.

Cujus?

AGAPE.

Tui reique publicæ quam gubernas.

DIOCLETIANUS.

Ista insanit. Amoveatur.

CHIONIA.

A Mea germana non insanit, sed tui stultitiam juste reprehendit.

DIOCLETIANUS.

Ista inclementius bacchatur, unde nostris conspectibus æque subtrahatur, et tertia discutiatur.

IRENA.

Tertiam rebellem tibique penitus probatis renitentem.

DIOCLETIANUS.

Irena, cum sis minor ætate, fito major dignitate.

IRENA.

Ostende, quæso, quo pacto.

DIOCLETIANUS.

Flecte cervicem diis, et esto sororibus exemplum correctionis et causa liberationis.

IRENA.

Conquiniscant idolis, qui velint incurrere iram Celsitonantis, ego quidem caput regali unguento delibutum non dehonestabo, pedibus simulacrorum submittendo.

DIOCLETIANUS.

Cultura deorum non adducit dehonestatem, sed præcipuum honorem.

IRENA.

Et quæ inhonestas turpior, quæ turpitudo major, quam servos venerari ut dominos?

DIOCLETIANUS.

Non suadeo tibi venerari servos, sed dominorum principumque deos.

IRENA.

Nonne is est cujusvis servus, qui ab artifice pretio comparatur, ut emptitius?

DIOCLETIANUS.

Hujus præsumptio verbositatis tollenda est suppliciis.

IRENA.

Hoc optamus, hoc amplectimur, ut pro Christi amore suppliciis laceremur.

DIOCLETIANUS.

Istæ contumaces nostrisque decretis contraluctantes catenis irretiantur, et ad examen Dulcitii præsulis (*leg.* præsidis) sub carcerali squalore serventur.

SCENA II.

DULCITIUS.

Producite, milites, producite quas tenetis in carcere.

MILITES.

Ecce quas vocasti.

DULCITIUS.

Papæ! quam pulchræ, quam venustæ, quam egregiæ puellulæ!

MILITES.

Profecto decoræ.

DULCITIUS.

Captus sum illarum specie.

MILITES.

Credibile.

DULCITIUS

Exæstuo illas ad mei amorem trahere.

MILITES.

Diffidimus te prævalere.

DULCITIUS.

Quare?

MILITES.

Quia stabiles fide.

DULCITIUS.

Quid si suadeam blandimentis?

MILITES.

Contemnunt.

DULCITIUS.

Quid si terream suppliciis?

MILITES.

B Parvi pendunt.

DULCITIUS.

Et quid fiet?

MILITES.

Præcogita.

DULCITIUS.

Ponite illas **19** in custodiam in interiorem officinæ ædem, in cujus proaulio ministrorum servantur vasa.

MILITES.

Ut quid eo loci?

DULCITIUS.

Quo a me sæpiuscule possint videri.

MILITES.

Ut jubes.

SCENA III

C DULCITIUS.

Quid agunt captivæ sub hoc noctis tempore?

MILITES.

Vacant hymnis.

DULCITIUS,

Accedamus propius.

MILITES.

Tinnulæ sonitum vocis a longe audiemus.

DULCITIUS.

Observate pro foribus cum lucernis; ego autem intrabo et vel optatis amplexibus me saturabo.

MILITES.

Intra, præstolabimur.

SCENA IV.

AGAPE.

D Quid strepit præ foribus?

IRENA.

Infelix Dulcitius ingreditur.

CHIONIA.

Deus nos tueatur!

AGAPE.

Amen.

CHIONIA.

Quid sibi vult collisio ollarum, caeaborum et sartaginum?

IRENA.

Lustrabo. Accedite, quæso, per rimulas perspicite.

AGAPE.

Quid est?

IRENA.

Ecce, iste stultus mente alienatus æstimat se nostris uti amplexibus.

AGAPE.

Quid facit?

IRENA.

Nunc ollas molli fovet gremio, nunc sartagines et cacabos amplectitur mitia libans oscula.

CHIONIA.

Ridiculum!

IRENA.

Nam facies, manus ac vestimenta, adeo sordida, adeo coinquinata, ut nigredo quæ inhæsit similitudinem Æthiopis exprimat.

AGAPE.

Decet, ut talis appareat corpore, qualis a diabolo possidetur in mente.

IRENA.

En, parat egredi. Intendamus quid illo egrediente agant milites pro foribus exspectantes.

SCENA V.

MILITES.

Quis hic egreditur dæmoniacus, vel magis ipse diabolus? Fugiamus.

DULCITIUS.

Milites, quo fugitis? State, exspectate, ducite me cum lucernis ad cubile.

MILITES.

Vox senioris nostri, sed imago diaboli. Non subsistamus, sed fugam maturemus; phantasma vult nos pessumdare.

DULCITIUS.

Ad palatium ibo, et quam abjectionem patior principibus vulgabo.

SCENA VI.

DULCITIUS.

Ostiarii, introducite me in palatium, quia ad imperatorem habeo secretum.

OSTIARII.

Quid hoc vile ac detestabile monstrum, scissis et nigellis panniculis obsitum? Pugnis tundamus, de gradu præcipitemus, nec ultra huc detur liber accessus.

DULCITIUS.

Væ, væ! Quid contigit? Nonne splendidissimis vestibus indutus, totoque corpore videor nitidus, et quicunque me aspicit velut horribile monstrum fastidit. Ad conjugem revertar, quo ab illa quid erga me actum sit experiar. **20** En, solutis crinibus egreditur, omnisque domus lacrymis prosequitur.

SCENA VII.

CONJUX.

Heu, heu! mi senior, Dulciti! Quid pateris? Non es sanæ mentis? Factus es in derisum Christicolis.

DULCITIUS.

Nunc tandem sentio me illusum illarum maleficiis.

A CONJUX.

Hoc me vehementer confudit, hoc præcipue contristavit, quod quid patiebaris ignorasti.

DULCITIUS.

Mando ut lascivæ præsententur puellæ, et abstractis vestibus publice denudentur, quo versa vice quid nostra possint ludibria experiantur.

SCENA VIII.

MILITES.

Frustra sudamus, in vanum laboramus. Ecce, vestimenta virgineis corporibus inhærent velut coria. Sed et ipse qui nos ad expoliandum urgebat præses stetit sedendo, nec ullatenus excitari potest a somno. Ad imperatorem adeamus, ipsique rerum quæ geruntur propalemus.

B

SCENA IX.

DIOCLETIANUS.

Dolet nimium quod præsidem Dulcitium audio adeo illusum, adeo exprobratum, adeo calumniatum. Sed, ne viles mulierculæ jactent se impune nostris diis deorumque cultoribus illudere, Sisinnium comitem dirigam ad ultionem exercendam.

SCENA X.

SISINNIUS.

O milites, ubi sunt lascivæ, quæ torqueri debent, puellæ?

MILITES.

Affliguntur in carcere.

SISINNIUS.

Irenam reservate et reliquas producite.

C MILITES.

Cur unam excipis?

SISINNIUS.

Parcens infantiæ. Forte facilius convertetur, si sororum præsentia non terrebitur.

MILITES.

Ita.

SCENA XI.

MILITES.

Præsto sunt quas jussisti.

SISINNIUS.

Præbete assensum, Agape et Chionia, meis consiliis.

AGAPE.

Si præbebimus?

D SISSINIUS.

Forte libamina diis.

CHIONIA.

Vero et æterno Patri ejusque coæterno Filio, sanctoque amborum Paraclito, sacrificium laudis sine intermissione libamus.

SISSINNIUS.

Hoc vobis non suadeo, sed pœnis prohibeo.

AGAPE.

Non prohibebis, nec unquam sacrificabimus dæmoniis

SISINNIUS.

Deponite duritiam cordis, et sacrificate. Sin autem,

faciam vos interfectum iri, juxta præceptum imperatoris Diocletiani. A

CHIONIA.

Decet ut in nostri necem optemperes jussis tui imperatoris, cujus nos decreta contemnere noscis. Si autem parcendo moram feceris, æquum est tu interficiaris.

SISINNIUS.

Non tardetis, milites, non tardetis capere blasphemas has, **21** et in ignem projicite vivas.

MILITES.

Instemus construendis rogis et tradamus illas bacchantibus flammis, quo finem demus conviciis.

AGAPE.

Non tibi, Domine, non tibi hæc potentia insolita, ut ignis vim virtutis suæ obliviscatur, tibi obtemperando. Sed tædet nos morarum. Ideo rogamus solvi retinacula animarum, quo exstinctis corporibus tecum plaudent in æthere nostri spiritus. B

MILITES.

O novum, o stupendum miraculum! Ecce, animæ egressæ sunt corpore, et nulla læsionis reperiuntur vestigia; sed nec capilli, nec vestimenta ab igne sunt ambusta, quo minus corpora.

SISINNIUS.

Proferte Irenam.

MILITES.

Etiam.

SCENA XII.

SISINNIUS.

Pertimesce, Irena, necem sororum, et cave perire exemplo illarum. C

IRENA.

Opto exemplum earum moriendo sequi, quo merear cum his æternaliter lætari.

SISINNIUS.

Cede, cede meæ suasioni.

IRENA.

Haud cedam facinus suadenti.

SISINNIUS.

Si non cesseris, non citum tibi præstabo exitum, sed differam et nova in dies supplicia multiplicabo.

IRENA.

Quanto acrius torqueor, tanto gloriosus exaltabor.

SISINNIUS.

Supplicia non metuis; admovebo quod horresces. D

IRENA.

Quidquid irrogabis adversi, evadam juvamine Christi.

SISINNIUS.

Faciam te ad lupanar duci, corpusque tuum turpiter coinquinari.

IRENA.

Melius est ut corpus quibuscunque injuriis maculetur, quam anima idolis polluatur.

SISINNIUS.

Si socia eris meretricum, non poteris polluta ultra intra contubernium computari virginum.

IRENA.

Voluptas parit pœnam, necessitas autem coronam; nec dicitur reatus nisi quod consentit animus.

SISINNIUS.

Frustra parcebam, frustra miserebar hujus infantiæ.

MILITES.

Præscivimus; nullatenus ad deorum culturam potest flecti, nec terrore unquam potest frangi.

SISINNIUS.

Non ultra parcam.

MILITES.

Rectum.

SISINNIUS.

Capite illam sine miseratione, et trahentes cum crudelitate ducite ad lupanar sine honore.

IRENA.

Non perducent.

SISINNIUS.

Quis prohibere potest?

IRENA.

Qui mundum sui providentia regit.

SISINNIUS.

Probabo.

IRENA.

Ac citius libito.

SISSINIUS.

Ne terreamini, milites, fallacibus hujus blasphemæ præsagiis.

MILITES.

Non terremur, sed tuis præceptis parere nitimur.

SCENA XIII.

SISINNIUS.

Qui sunt hi **22** qui nos invadunt? Quam similes sunt militibus quibus Irenam tradidimus. Ipsi sunt. Cur tam cito revertimini? Quo tenditis tam anheli?

MILITES.

Te ipsum quærimus.

SISINNIUS.

Ubi est quam traxistis?

MILITES.

In supercilio montis.

SISINNIUS.

Cujus?

MILITES.

Proximi.

SISSINIUS.

O insensati et hebetes, totiusque rationis incapaces!

MILITES.

Cur causaris? Cur voce et vultu nobis minaris?

SISSINIUS.

Dii vos perdant!

MILITES.

Quid in te commissimus? Quam tibi injuriam fecimus? Quæ tua jussa transgressi sumus?

SISSINIUS.

Nonne præcepi ut rebellem deorum ad turpitudinis locum traheretis?

MILITES.

Præcepisti, nosque tuis præceptis operam dedimus implendis, sed supervenere duo ignoti juvenes, asserentes se ad hoc ex te missos, ut Irenam ad cacumen montis perducerent.

SISINNIUS.

Ignorabam.

MILITES.

Agnoscimus.

SISINNIUS.

Quales fuerunt ?

MILITES.

Amictu splendidi, vultu admodum reverendi.

SISINNIUS.

Num sequebamini illos ?

MILITES.

Sequebamur.

SISINNIUS.

Quid fecerunt ?

MILITES.

A dextra lævaque Irenæ se locaverunt, et nos huc direxerunt, quo te exitus rei non lateret.

SISINNIUS.

Restat ut ascenso equo pergam, et qui fuerint, qui nos tam libere illuserunt, perquiram.

MILITES.

Properemus pariter.

A

SCENA XIV.

SISINNIUS.

Hem ! ignoro quid agam. Pessumdatus sum maleficiis christicolarum. En montem circumeo, et semitam aliquoties reperiens, nec ascensum comprehendere, nec reditum queo repetere.

MILITES.

Miris modis omnes illudimur, nimiaque lassitudine fatigamur, et si insanum caput diutius vivere sustines, te ipsum et nos perdes.

SISINNIUS.

Quisquis es meorum, strenue extende arcum, jace sagittam, perfode hanc maleficam.

MILITES.

Decet.

IRENA.

Infelix, erubesce, teque turpiter victum ingemisce, quia tenellæ infantiam virgunculæ absque armorum apparatu nequisti superare.

SISINNIUS.

Quidquid dedecoris accidit levius tolero, quia te morituram haud dubito.

IRENA.

Hinc mihi quam maxime gaudendum, tibi vero dolendum, quia pro tui severitate malignitatis in Tartara damnaberis ; ego autem martyrii palmam virginitatisque receptura coronam, **23** intrabo æthereum æterni regis thalamum, cui est honor et gloria in sæcula.

III

CALLIMACHUS

ARGUMENTUM IN CALLIMACHUM

Resuscitatio Drusianæ et Callimachi, qui eam non solum vivam, sed etiam præ tristitia atque excæcatione illiciti amoris, in Domino mortuam plus justo amavit, unde morsu serpentis male periit ; sed precibus sancti Joannis apostoli una cum Drusiana resuscitatus, in Christo est renatus.

INTERLOCUTORES :

CALLIMACHUS, AMICI, DRUSIANA, ANDRONICUS, SANCTUS JOANNES, FORTUNATUS.

SCENA I.

CALLIMACHUS.

Paucis vos, amici, volo.

AMICI.

Utere quantumlibet nostro colloquio.

CALLIMACHUS.

Si ægre non accipitis, malo vos interim sequestrare aliorum colloquio.

C

AMICI.

Quod tibi videtur commodum nobis est sequendum.

CALLIMACHUS.

Accedamus in secretiora loca, ne aliquis superveniens interrumpat dicenda.

AMICI.

Ut libet.

SCENA II.

CALLIMACHUS.

Anxie diuque gravem sustinui dolorem, quem vestro consilio relevari posse spero.

AMICI.

Æquum est ut communicata invicem compassione patiamur quidquid unicuique nostrum utriusque eventu fortunæ ingeratur.

CALLIMACHUS.

O utinam voluissetis meam passionem compatiendo mecum partiri!

AMICI.

Enuclea quid patiaris, et, si res exigit, compatiemur; sin autem, animum tuum a nequam intentione revocare nitemur.

CALLIMACHUS.

Amo.

AMICI.

Quid?

CALLIMACHUS.

Rem pulchram, rem venustam.

AMICI.

Nec in solo, nec in omni. Ideo atomum quod amas per hoc nequit intelligi.

CALLIMACHUS.

Mulierem.

AMICI.

Cum mulierem dixeris, omnes comprehendis.

CALLIMACHUS.

Non omnes æqualiter, sed **24** unam specialiter.

AMICI.

Quod de subjecto dicitur, non nisi de subjecto aliquo cognoscitur. Unde, si velis nos enarithmum agnoscere, dic primum usiam.

CALLIMACHUS.

Drusianam.

AMICI.

Andronici hujus principis conjugem?

CALLIMACHUS.

Ipsam.

AMICI.

Erras, socie: est lota baptismate.

CALLIMACHUS.

Inde non curo, si ipsam ad mei amorem attrahere potero.

AMICI.

Non poteris.

CALLIMACHUS.

Cur diffiditis?

AMICI.

Quia rem difficilem petis.

CALLIMACHUS.

Num ego primus hujusmodi rem peto, et non multorum ad audendum provocatus sum exemplo?

AMICI.

Intende, frater: ea ipsa quam ardes, sancti Joannis apostoli doctrinam secuta, totam se devovit Deo, intantum ut nec ad torum Andronici Christianissimi A viri jamdudum potuit revocari, quo minus tuæ consentiet vanitati.

CALLIMACHUS.

Quæsivi a vobis consolationem, sed incutitis mihi desperationem.

AMICI.

Qui simulat fallit, et qui profert adulationem vendit veritatem.

CALLIMACHUS.

Quia mihi vestrum auxilium subtrahitis, ipsam adibo, ejusque animo mei amorem blandimentis persuadebo.

AMICI.

Haud persuadebis.

CALLIMACHUS.

B Quippe vetar fatis.

AMICI.

Experiemur.

SCENA III.

CALLIMACHUS.

Sermo meus ad te, Drusiana, præcordialis amor.

DRUSIANA.

Quid mecum velis, Callimache, sermonibus agere vehementer admiror.

CALLIMACHUS.

Miraris?

DRUSIANA.

Satis.

CALLIMACHUS.

Primum de amore.

DRUSIANA.

C Quid de amore?

CALLIMACHUS.

Id scilicet quod te præ omnibus diligo.

DRUSIANA.

Quæ vis consanguinitatis, quæve legalis conditio institutionis compellit te ad mei amorem?

CALLIMACHUS.

Tui pulchritudo.

DRUSIANA.

Mea pulchritudo.

CALLIMACHUS.

Imo.

DRUSIANA.

Quid ad te?

CALLIMACHUS.

D Proh dolor! hactenus parum, sed spero quod attineat postmodum.

DRUSIANA.

Discede, discede, leno nefande; confundor enim diutius tecum verba miscere, quem sentio plenum diabolica deceptione.

CALLIMACHUS.

Mea Drusiana, ne repellas te amantem tuoque amori cordetenus inhærentem, sed impende amori vicem.

DRUSIANA.

Lenocinia tua parvipendo, tuique lasciviam fastidio, sed teipsum penitus sperno.

CALLIMACHUS.

Adhuc non reperi occasionem irascendi; quia quid mea in te agat dilectio forte erubescis fateri.

DRUSIANA.

Nihil aliud nisi indignationem.

CALLIMACHUS.

Credo te **25** hanc sententiam mutatum ire.

DRUSIANA.

Non mutabo pro certo.

CALLIMACHUS.

Forte.

DRUSIANA.

O insensate et amens! Cur falleris? Cur te vacua spe illudis? Quo pacto, qua dementia reris me tuæ cedere nugacitati, quæ per multum temporis a legalis toro viri me abstinui?

CALLIMACHUS.

Proh Deum atque hominum fidem! si non consenseris, non quiescam, non desistam, donec te captiosis circumveniam insidiis.

SCENA IV.

DRUSIANA.

Eh heu! Domine Jesu Christe, quid prodest castitatis professionem subiisse, cum is amens mea deceptus est specie? Intende, Domine, mei timorem, intende quem patior dolorem. Quid mihi, quid agendum sit, ignoro. Si prodidero, civilis per me fiet discordia; si celavero insidiis diabolicis sine te refragari nequeo. Jube me in te, Christe, ocius mori, ne fiam in ruinam delicato juveni.

ANDRONICUS.

Væ mihi infortunato! Ex improviso mortua es Drusiana. Curro, sanctumque Joannem advoco.

SCENA V

JOANNES.

Cur nimium constristaris, Andronice? Cur fluunt lacrymæ?

ANDRONICUS

Heu! heu! domine, tædeo vitæ propriæ.

JOANNES.

Quid pateris?

ANDRONICUS.

Drusiana, tui assecla.....

JOANNES.

Estne homine exuta?

ANDRONICUS.

Hem! est.

JOANNES.

Multum disconvenit ut pro his fundantur lacrymæ, quorum animas credimus lætari in requie.

ANDRONICUS.

Non dubitem licet quin, ut asseris, anima æternaliter lætetur corpusque quandoque incorruptum resuscitetur, hoc tamen me vehementer exurit, quod ipsa me præsente mortem ut adveniret optando invitavit.

JOANNES.

Agnostin' causam?

ANDRONICUS.

Agnovi, tibique enucleam, si quando ex tristitia hac convalescam.

JOANNES.

Accedamus, exsequiasque diligenter celebremus.

ANDRONICUS.

Marmorum in proximo sepulcrum habetur, in quod funus ponatur; servandique cura sepulcri Fortunato nostro relinquatur procuratori.

JOANNES.

Decet ut tumuletur honorifice. Deus lætificet animam in requie.

SCENA VI.

CALLIMACHUS.

Quid fiet, Fortunate, quia nec morte Drusianæ revocari possum ab amore?

FORTUNATUS.

Miserabile.

CALLIMACHUS.

Pereo nisi me adjuvet tua industria.

FORTUNATUS.

In quo possum adjuvare?

CALLIMACHUS.

In eo ut vel mortuam me facias videre.

FORTUNATUS.

Corpus adhuc integrum manet, ut reor, quia **26** non languore excsum, sed levi, ut experiebare, febre est solutum.

CALLIMACHUS.

O me felicem, si unquam experirer!

FORTUNATUS.

Si placabis muneribus, dedam illud tuis usibus.

CALLIMACHUS.

Quæ in præsenti ad manus habeo interim accipe, nec diffidas te multo majora accepturum fore.

FORTUNATUS.

Eamus cito.

CALLIMACHUS.

In me non erit mora.

SCENA VII.

JOANNES.

Eccce corpus : nec facies cadaverosa, nec membra sunt tabida; utere ut libet.

CALLIMACHUS.

O Drusiana, Drusiana, quo affectu cordis te colui, qua sinceritate dilectionis te viscera tenus amplexatus fui! Et tu semper abjecisti, meis votis contradixisti. Nunc in mea situm est potestate quantislibet injuriis te velim lacessere.

FORTUNATUS.

At, at! horribilis serpens invadit nos.

CALLIMACHUS.

Hei mihi! Fortunate, cur me decepisti? Cur detestabile scelus persuasisti? En, tu morieris serpentis vulnere, et ego commorior præ timore.

SCENA VIII.

JOANNES.

Accedamus, Andronice, ad tumulum Drusianæ, quo animam Christo commendemus prece.

ANDRONICUS.

Hoc docet tui sanctitatem, ut non obliviscaris in te confidentem.

JOANNES.

Ecce, invisibilis Deus nobis apparet visibilis in pulcherrimi similitudine juvenis.

ANDRONICUS.

Expaveo.

JOANNES.

Domine Jesu, cur juxta id loci dignatus es servis tui manifestari?

DEUS.

Propter Drusianæ ejusque qui juxta sepulcrum illius jacet resuscitationem apparui, quia nomen meum in his debet gloriari.

ANDRONICUS.

Quam subito receptus est cælo.

JOANNES.

Ideo causam penitus non intelligo.

ANDRONICUS.

Maturemus gressum; forte experieris in perventione quod asseris te minus intelligere.

SCENA IX.

JOANNES.

In nomine Christi, quid est hoc quod videt miraculi? Ecce, aperto sepulcro corpus Drusianæ foras est ejectum, juxta quod jacent duo cadavera amplexu serpentis circumflexa.

ANDRONICUS.

Conjecto quid significet. Is ipse Callimachus Drusianam dum viveret illicite amavit, quod ila ægre ferens in febrem præ tristitia incidit, et mortem ut adveniret invitavit.

JOANNES.

Hoc amor castitatis coegit.

ANDRONICUS.

Post cujus occasum hic amens infelicis languorem amoris et negati tædium conglomerans sceleris, tabescebat animo, eoque magis desiderio æstuabat.

JOANNES.

Miserabile!

27 ANDRONICUS.

Non ambigo quin hunc improbum servum mercede conduceret, quo illi patrandi occasionem facinoris præberet.

JOANNES.

O nefas incomparabile!

ANDRONICUS.

Ideo ambo, ut video, morte sunt consumpti, ne effectum administrarent sceleri.

JOANNES.

Nec injuria.

ANDRONICUS.

In hoc tamen illud est vel maxime admirandum cur hujus qui pravum voluit resuscitatio, magis quam ejus qui consentit, divina sit voce prænuntiata, nisi quia forte hic carnali deceptus delectatione deliquit ignorantia, iste autem sola malitia.

JOANNES.

Quanta supernus arbiter districtione cunctorum A facta examinat, quamque æqua lance singulorum merita pensat, id non obvium nec cuiquam explicabile fore potest, quia divini subtilitas judicii longe præterit humani sagacitatem ingenii.

ANDRONICUS.

Ideo admirando defecimus, quia rerum quæ geruntur causas docte internoscere nequimus.

JOANNES.

Eventus post facta docet persæpe rerum discrimina.

ANDRONICUS.

Verum age jam, beate Joannes, quod acturus es. Fac ut resuscitetur Callimachus, quo solvatur hujusmodi ambiguitatis nodus.

JOANNES.

B Reor prius invocato Christi nomine anguem proturbandum, post vero Callimachum resuscitandum.

ANDRONICUS.

Recte reris, ne ultra lædatur morsu serpentis.

JOANNES.

Discede ab hoc, crudelis bestia, quia serviturus est Christo.

ANDRONICUS.

Licet irrationale sit animal, haud surda tamen aure quod jussisti obaudivit.

JOANNES.

Non mea sed Christi virtute paruit.

ANDRONICUS.

Ideo citius dicto evanuit.

JOANNES.

C Deus incircumscriptus et incomprehensibilis, simplex et inæstimabilis, qui solus es id quod es, qui diversa duo socians ex hoc et hoc hominem fingis, eademque dissocians unum quod constabat resolvis, jube ut reducto halitu disjunctaque compagine rursus colliminata, Callimachus resurgat plenus, ut fuit, homo, quo ab omnibus magnificeris, qui solus miranda operaris.

ANDRONICUS.

Amen. Ecce, vitales auras carpit, sed præ stupore adhuc quiescit.

JOANNES.

Callimache, surge in Christi nomine, et utcumque se res habeat confitere; quantilibet obnoxius sis vitiis proferas, ne os in modico 28 lateat veritas.

CALLIMACHUS.

D Negare nequeo, qnin patrandi causa facinoris accesserim, quia infelici languore tabescebam, nec illiciti æstum amoris compescere poteram.

JOANNES.

Quæ dementia, quæ insania te decepit, ut castis præsumeres fragmentis alicujus injuriam conferre dehonestatis?

CALLIMACHUS.

Propria stultitia hujusque Fortunati fraudulenta deceptio.

JOANNES.

Num triplici infortunio adeo infelix effectus es, ut nefas quod voluisti perficere posses?

CALLIMACHUS.

Nullatenus. Licet non defuisset velle possibilitas, tamen omnino defuit posse.

JOANNES.

Quo pacto impediebaris?

CALLIMACHUS.

Ut primum distracto tegmine conviciis tentavi lacessere corpus exanime, iste Fortunatus, qui fomes mali et incentor exstitit, serpentinis perfusus venenis periit.

ANDRONICUS.

O factum bene!

CALLIMACHUS.

Mihi autem apparuit juvenis aspectu terribilis, qui detectum corpus honorifice texit, ex cujus flammea facie candentes in bustum scintillæ transiliebant, quarum una resiliens mihi in faciem ferebatur, simulque vox facta est dicens : *Callimache, morere ut vivas!* His dictis, expiravi.

JOANNES.

Opus cœlestis gratiæ, quæ non delectatur in impiorum perditione.

CALLIMACHUS.

Audisti miseriam meæ perditionis, noli elongare medelam tuæ miserationis.

JOANNES.

Non elongabo.

CALLIMACHUS.

Nam nimium confundor, cordetenus contristor, anxior, gemo, doleo super gravi impietate mea.

JOANNES.

Nec immerito, quippe grave delictum haud leve pœnitudinis exspectat remedium.

CALLIMACHUS.

O utinam reserarentur secreta meorum viscerum latibula, quo interim amaritudinem quam patior doloris perspiceres, et dolenti condoleres!

JOANNES.

Congaudeo hujusmodi dolori, quia sentio te salubriter contristari.

CALLIMACHUS.

Tædet me prioris vitæ, tædet delectationis iniquæ.

JOANNES.

Nec injuria.

CALLIMACHUS.

Pœnitetque delicti.

JOANNES

Et merito.

CALLIMACHUS.

Displicet omne quod feci in tantum, ut nullus amor, nulla voluptas sit vivendi, nisi renatus in Christo merear in melius transmutari.

JOANNES.

Non dubito quin superna gratia in te appareat.

CALLIMACHUS.

Ideo ne moreris, ne pigriteris lassum erigere, mœrentem consolationibus attolere **29**, quo tuo monitu, tuo magisterio, a gentili in Christianum, a nugace in castum transmutatus virum, tuoque ducatu semitam arripiens veritatis, vivam juxta divinæ præconium promissionis.

JOANNES.

Benedicta sit unica Progenies Divinitatis, idemque particeps nostræ fragilitatis, qui te, fili Callimache, parcendo occidit et occidendo vivificavit, quo suum plasma mortis specie ab interitu liberaret animæ.

ANDRONICUS.

Res insolita, omnique admiratione digna!

JOANNES.

O Christe, mundi redemptio, et peccatorum propitiatio, qualibus laudum præconiis te talem celebrem ignoro. Expaveo tui benignam clementiam et clementem patientiam, qui peccantes nunc paterno more tolerando blandiris, nunc justa severitate castigando ad pœnitentiam cogis.

ANDRONICUS.

Laus ejus divinæ pietati.

JOANNES.

Quis auderet credere, quisve præsumeret, sperare, ut hunc, quem criminosis intentum vitiis mors invenit et inventum abstulit, tui miseratio ad vitam excitare, ad veniam dignaretur reparare? Sit nomen tuum sanctum benedictum in sæcula, qui solus facis stupenda mirabilia.

ANDRONICUS.

Eia, sancte Joannes, et me consolari ne tardes. Nam conjugalis amor Drusianæ meam haud patitur mentem consistere, nisi et ipsam quantocius videam resurrectum ire.

JOANNES.

Drusiana, resuscitet te Dominus Jesus Christus.

DRUSIANA.

Laus et honor tibi, Christe, qui me fecisti reviviscere.

CALLIMACHUS.

Sospitatis auctori grates, qui te, mea Drusiana, resurgere dedit in lætitia, quæ gravi cum tristitia die fungebaris extrema.

DRUSIANA.

Decet tui sanctitatem, venerande Pater Joannes, ut resuscitato Callimacho, qui me illicite amavit, et hunc resuscites, qui mei proditor funeris exstitit.

CALLIMACHUS.

Ne dignum ducas, Christi apostole, hunc proditorem, hunc malefactorem a vinculis mortis absolvere, qui me decepit, me seduxit, meque ad audendum horribile facinus provocavit.

JOANNES.

Non debes illi invidere gratiam divinæ clementiæ.

CALLIMACHUS.

Non est enim dignus resurrectione, qui auctor exstitit perditionis alienæ.

JOANNES.

Lex nostræ religionis docet, ut homo homini dimittit, si ipse **30** a Deo dimitti ambiat.

ANDRONICUS.

Justum.

JOANNES.

Quando etiam Dei Unigenitus, idemque Virginis primogenitus, qui solus innocens, solus immaculatus, solus sine veterni sorde delicti in mundum venit, omnes sub gravi onere peccati depressos invenit.

ANDRONICUS.

Verum.

JOANNES.

Scilicet nullum justum, nullum misericordia inveniret dignum, neminem tamen sprevit, neminem suæ gratia pietatis privavit, sed seipsum omnibus tradidit, suique dilectam animam pro omnibus posuit.

ANDRONICUS.

Si innocens non occideretur, nemo juste liberaretur.

JOANNES.

Ideo in hominum non delectatur perditione, quos suo emptos meminit pretioso sanguine.

ANDRONICUS.

Gratias illi.

JOANNES.

Unde aliis Dei gratiam non debemus invidere, quam ex nullis præcedentibus meritis in nobis gaudemus abundare.

CALLIMACHUS.

Terruisti me monitu,

JOANNES.

Ne autem tuis videar reniti votis, non suscitetur per me, sed per Drusianam, quia ad hoc implendum a Deo accepit gratiam.

DRUSIANA.

Divina substantia, quæ vere et singulariter es sine materiæ forma, quæ hominem ad tui imaginem plasmasti, et plasmato spiraculum vitæ inspirasti, jube materiale corpus Fortunati reducto calore in viventem animam iterum reformari, quo trina nostri resuscitatio tibi in laudem vertatur, Trinitas veneranda.

JOANNES.

Amen.

DRUSIANA.

Expergiscere, Fortunate et jussu Christi retinacula mortis disrumpe.

FORTUNATUS.

Quis me apprehensa mauu erexit? Quis vocem ut resurgerem dedit?

JOANNES.

Drusiana.

FOTUNATUS.

Num me suscitavit Drusiana?

JOANNES

Ipsa.

FORTUNATUS.

Nonne ante aliquot dies improvisa morte fuerat consumpta?

JOANNES.

At vivit in Christo.

FORTUNATUS.

Et cur manet Callimachus gravi vultu modestus nec perfurit solito more in amore Drusianæ?

JOANNES.

Quia a nequam intentione transmutatus, vere est Christi disciplus.

FORTUNATUS.

Non.

JOANNES.

Etiam.

FORTUNATUS.

Si, ut asseris, Drusiana me suscitavit, et Callimachus Christo credidit, vitam repudio mortemque eligo sponte, quia malo non esse, quam in his tantum abundanter virtutum gratiam sentiscere.

JOANNES.

O admiranda diaboli invidia, o malitia serpentis antiqui, qui et protoplastis mortem **31** propinavit et super justorum gloria semper gemit! Iste infelicissimus Fortunatus, diabolicæ amaritudinis felle plenissimus, comparatur malæ arbori amaros fructus facienti. Unde excisus a collegio justorum et abjectus a consortio Deum timentium, mittatur in æterni ignem supplicii, cruciandus sine alicujus intermistione refrigerii.

ANDRONICUS.

Ecce, turgescentibus serpentinis morsibus ad occasum rursus vergitur et citius dicto morietur.

JOANNES.

Moriatur, sitque incola gehennæ, qui propter alieni invidiam profectus recusavit vivere.

ANDRONICUS.

Terribile.

JOANNES.

Nihil terribilius invido, nihil scelestius superbo.

ANDRONICUS.

Uterque miserabilis.

JOANNES.

Una eademque persona utroque semper laborat vitio, quia neutrum sine altero.

ANDRONICUS.

Expone enucleatius.

JOANNES.

Nam qui superbit, invidet, et qui invidet, superbit; quia meus invida, dum alienam laudem nec patitur audire, et in sui comparatione perfectiores ambit vilescere, dedignatur subjici dignioribus, et superbe conatur præferri comparibus.

ANDRONICUS.

Patet.

JOANNES.

Unde iste miserrimus vulnerabatur mente, quia se his inferiorem æstimari non sustinuit, in quis ampliorem Dei gratiam lucere non nescivit.

ANDRONICUS.

Nunc tandem intelligo quod inter surgentes minime est computatus, quia ocius erat moriturus.

JOANNES.

Dignus est enim utraque morte, quia et comman-

datum funus afficiebat injuria, et resurgentes injusto insectabatur odio.

ANDRONICUS.

Infelix est mortuus.

JOANNES.

Recedamus, suumque diabolo filium relinquamus. Nos autem diem istum, et pro miranda Callimachi mutatione, et pro utriusque resuscitatione, cum A lætitia agamus, gratias ferentes Deo, æquo judici secretorumque discretissimo cognitori, qui solus omnia subtiliter examinans, omnia recte disponens, unumquemque, juxta quod dignum prænoscit, præmiis suppliciisve aptabit. Ipsi soli honor, virtus, fortitudo, et victoria, laus et jubilatio per infinita sæculorum sæcula. Amen.

IV

32 ABRAHAM

ARGUMENTUM IN ABRAHAM

Lapsus et conversio Mariæ, neptis Abrahæ eremicolæ, quæ ubi xx annos solitariam vitam egit, corrupta virginitate sæculum repetiit et contubernio meretricum admisceri non metuit: sed post biennium præfati Abrahæ monitis, illam sub amatoris specie quærentis, reducta, larga effusione lacrymarum continuaque exercitatione jejuniorum, vigiliarum atque orationum per vicenos annos emundavit maculas criminum.

INTERLOCUTORES :

ABRAMAM, EPHREM, MARIA.

SCENA I.

ABRAHAM.

Tunc, frater et coeremita Ephrem, commodum ducis meæ adhuc confabulationi vacare, an quoad usque divinas expleas laudes, me vis præstolari?

EPHREM.

Nostrorum confabulatio ejus debet esse laudatio, qui se congregatis in suo nomine medium spopondit interesse.

ABRAHAM.

Nihil aliud locuturus accessi, nisi quod divinæ voluntati non nescio commodari.

EPHREM.

Quare nec ad momentum quidem me subtraho, sed tuo affectui totum dedo.

ABRAHAM.

Quiddam agendum mihi exæstuat mente, in quo C tuum velle meis votis exopto respondere

EPHREM.

Si unum cor unaque anima jubetur esse, idem velle, idem cogimur nolle.

ABRAHAM.

Est mihi neptis tenella utriusque parentis solamine destituta, in quam pro compassione orbitatis nimio affectu ducor, cujusque causa continua sollicitudine fatigor.

EPHREM.

Et qui tibi, triumphator sæculi, cum curis mundi?

ABRAHAM.

Id scilicet curo ne immensa ejus serenitas pul- D B chritudinis alicujus obfuscetur sorde coinquinationis.

EPHREM.

Hujusmodi cura non est vituperanda?

ABRAHAM.

Spero.

EPHREM.

Cujus est ætatis?

33 ABRAHAM.

Si unius rotatus mensurni apponeretur, duas olympiades vitali aura vesceretur.

EPHREM.

Immatura pupilla.

ABRAHAM.

Ideo non deest mihi cura.

EPHREM.

Ubi degit?

ABRAHAM.

In meis mansiunculis. Nam rogatu propinquorum nutriendam eam suscepi; se ejus gazas pauperibus erogare decrevi.

EPHREM.

Despectio temporalium concedet animum cœlo intentum.

ABRAHAM.

Exæstuo mente gestiens illam Christo desponsare ejusque tirocinio mancipatum ire.

EPHREM.

Laudabile.

ABRAHAM.

Cogor nomine.

EPHREM.

Quid vocatur?

ABRAHAN.

Maria.

EPHREM.

Ita est; tanti excellentiam nominis decet stemma virginitatis.

ABRAHAM.

Non diffido quin, si nostris suaviter hortamentis provocetur, ad cedendum facilis experiatur.

EPHREM.

Accedamus, ejusque cogitationi cœlibis securitatem vitæ instillemus.

SCENA II.

ABRAHAM.

O adoptiva filia, o meæ pars animæ, Maria, cede meis paternis monitionibus meique comparis Ephrem saluberrimis institutionibus; enitere ut auctricem virginitatis quam æquivoco æquiparas nomine, imiteris et castitate.

EPHREM.

Multum disconvenit, filia, ut quæ cum Dei genitrice Maria per mysterium nominis præemines in axe inter sidera nunquam casura, inferior meritis in terræ volutes infimis.

MARIA.

Mysterium nominis ignoro; unde quid circuitione verborum significes haud intelligo.

EPHREM.

Maria interpretatur *stella maris*, circa quam videlicet fertur mundus et vocatur populus.

MARIA.

Cur *maris stella* dicitur?

EPHREM.

Quia nunquam occidit, sed navigantibus recti semitam itineris dirigit.

MARIA.

Et qui posset fieri, ut ego tantilla ex lutea materia confecta eo attingerem meritis, quo mysterium rutilat nominis?

EPHREM.

Illibata corporis integritate puraque mentis sanctitate.

MARIA.

Grandis est honoris hominem æquari astrorum D radiis.

EPHREM.

Nam si incorrupta et virgo permanebis, angelis Dei fies æqualis, quibus tandem stipata gravi corporis onere abjecto, pertransiens aera supergradieris æthera, zodiacum percurres circulum, nec subsistendo temperabis gressum, donem amplexaris amplexibus Filii Virginis in lucifluo thalamo sui Genitricis.

34 MARIA.

Qui hæc parvi pendet asinum vivit. Unde præsentia despicio, memet ipsam denego quo merear ascribi gaudiis tantæ felicitatis.

A EPHREM.

Ecce nanciscimur in pectore infantili senilis maturitatem ingenii.

ABRAHAM.

Gratia Dei id est quod est.

EPHREM.

Negari nequit.

ABRAHAM.

Sed licet Dei gratia sit illustrata, imbecillem tamen ætatem suo uti non prodest arbitrio.

EPHREM.

Verum.

ABRAHAM.

Ideo faciam illi exiguam ab introitu cellulam meis mansiunculis contiguam, per cujus fenestram psal-
B terium cæterasque divinæ legis paginas, illam crebrius visitando, instruam.

EPHREM.

Convenit.

MARIA.

Tuo, Pater Ephrem, interventui me committo.

EPHREM.

Cœlestis sponsus, cujus affectu in tenella ætate inhæsisti, tueatur te, filia, ab omni fraude diaboli.

SCENA III

ABRAHAM.

Frater Ephrem, si quid mihi utriusque casu fortunæ ingeritur, te primum adeo, te solum consulo. Unde ne sis adversus querimoniæ quam prosequor sed fer opem dolori quem patior.

EPHREM.

C Abraham, Abraham, quid pateris? Cur plus licito contristaris? Nunquam fuit fas eremicolæ conturbari sæcularium more.

ABRAHAM.

Incomparabilis luctus mihi contigit, intolerabilis dolor me afficit.

EPHREM.

Ne fatiga me longa verborum circuitione; sed quid patiaris expone.

ABRAHAM.

Maria, mis optiva filia, quam per bis bina lustra summa diligentia nutrivi, summa solertia instruxi...

EPHREM.

Quid illa?

ABRAHAM.

Hei mihi! periit.

EPHREM.

Qualiter?

ABRAHAM.

Miserabiliter; deinde evasit latenter.

EPHREM.

Quibus insidiis circumvenit eam fraus antiqui serpentis?

ABRAHAM.

Per illicitum cujusdam simulatoris affectum, qui monachico adveniens habitu simulata eam visitatione frequentabat, donec indocile juvenilis inge-

nium pectoris ad sui amorem inflexit, adeo ut per A fenestram ad patrandum facinus exiliret.

EPHREM.

Contremisco auditu.

ABRAHAM.

At ubi ipsa infelix se corruptam sensit, pectus pulsavit, faciem manu laceravit, vestes scidit, capillos eruit, voces in altum ejulando dedit.

EPHREM.

Nec iniuria, hujusmodi namque ruina toto lacrymarum fonte est lugenda.

ABRAHAM.

Lamentabatur namque se quod fuerat non esse.

EPHREM.

Væ illi miseræ!

ABRAHAM.

35 Lugebat se nostris contraria monitis egisse. B

EPHREM.

Ac valde.

ABRAHAM.

Deflevit se vigiliarum, orationum, jejuniique sudores evacuasse.

EPHREM.

Si in tali compunctione perseveraret, salva fieret.

ABRAHAM.

Haud perseveravit, sed pejora prioribus apposuit.

EPHREM.

Viscera tenus conturbor totisque membris resolvor.

ABRAHAM. C

Postquam enim hisce lamentis se punivit, nimietate victa doloris præceps ferebatur in foveam desperationis.

EPHREM.

Eh heu! quam gravis perditio!

ABRAHAM.

Et quia veniam desperavit posse mereri, sæculum repetere vanitatique elegit deservire.

EPHREM.

Hem! par victoria spiritalibus in sorte eremitarum nequitiis antea fuit insolita.

ABRAHAM.

Sed nunc dæmonum sumus præda.

EPHREM.

Mirum qui fieri posset, ut te ignorante evaderet. D

ABRAHAM.

Interim fueram consternatus mente ex ostensæ visionis terrore, qua, si mens non fuisset læva, mihi præfigurabatur ejus ruina.

EPHREM.

Vellem modum visionis audire.

ABRAHAM.

Putabam me ante fores cellulæ stetisse, et ecce draco miræ magnitudinis nimiique fœtoris rapido impetu adveniens candidulam secus me columbam reperiens cepit, devoravit subitoque non comparuit.

EPHREM.

Evidens visio.

ABRAHAM.

At ergo, ubi expergiscens mente quæ videbam tractavi, verebar aliquam Ecclesiæ imminere persecutionem, quæ fideles quosdam attraheret in errorem.

EPHREM.

Verendum erat.

ABRAHAM.

Unde prostratus in orationem præcognitori futurorum supplicavi, ut mihi detegeret solutionem somnii.

EPHREM.

Recte egisti.

ABRAHAM.

Tertia demum nocte, cum lassa sopori membra dedissem, putabam eumdem draconem meis vestigiis disruptum volutasse, ipsamque columbam absque læsione emicuisse.

EPHREM.

Lætificor auditu, nec ambigo quin tua quandoque ad te revertatur Maria.

ABRAHAM.

Postquam evigilans hujus solamine visionis temperabam tristitiam prioris, mentem recepit ut reminiscerer alumnæ. Illud quoque si sine tristitia memini, quod ipsam in duorum intervallo dierum divinæ innittentem laudi solito non sensi.

EPHREM.

Sero meministi.

ABRAHAM.

Fateor. Accessi, manu fenestram pulsavi, **36** filiam sæpius nominando vocavi.

EPHREM.

Ah! frustra vocasti.

ABRAHAM.

Hoc adhuc non sensi, sed cur negligenter in divinis ageret rogavi; sed nec levis tinnitum responsi recepi.

EPHREM.

Et quid tunc fecisti?

ABRAHAM.

Ubi abesse quam quærebam deprehendi, viscera discutiebantur timore, membra contremuerunt pavore.

EPHREM.

Nec mirum. Certe et ego id ipsum nunc patior audiendo.

ABRAHAM.

Deinde flebilibus sonis auras pollui, rogitans quis lupus meam agnam raperet, quis latro meam filiam captivaret?

EPHREM.

Jure conquestus fuisti ejus perditionem, quam nutrivisti.

ABRAHAM.

Tandem accesserunt qui veritatem scientes rem

esse, ita ut tibi nunc exposui, habere ipsamque A vanitati dixerunt deservire.

EPHREM.

Ubi moratur.

ABRAHAM.

Ignoratur.

EPHREM.

Quid fiet?

ABRAHAM.

Est mihi fidelis amicus qui civitates villasque peragrans non quiescet, donec quæ illam terra susceperi agnoscet.

EPHREM.

Quid si experietur?

ABRAHAM.

Habitum mutabo, ipsamque sub amatoris specie B adibo, si forte meo monitu post grave naufragium revertatur ad pristinæ quietis portum.

EPHREM.

Etiam, quid fiet si carnium esus viniquc haustus apponetur?

ABRAHAM.

Haud abrogabo, ne agnoscar.

EPHREM.

Recta prorsus laudabilique discretione uteris, si arctioris frena observantiæ aliquantisper laxabis, quo errantem Christo lucreris.

ABRAHAM.

Eo magis ad audendum incitor, quo te mihi in hac concordari re experior.

EPHREM.

C Qui clancula cordium cognoscit qua intentione unaquæque res geratur intelligit, nec in discretissimo ejus examine reus prævaricationis habetur, qui a strictioris rigore conversationis ad tempus descendendo imbecillioribus assimilari non respuit, quo efficacius animam revocet quæ erravit.

ABRAHAM.

Tuum est interim me precibus adjuvare, ne impediar diabolica fraude.

EPHREM.

Ipsum summum bonum, sine quod nihil fit boni, faciat tuum velle in bono consummari.

SCENA IV.

ABRAHAM.

Num ille est meus amicus, quem ante hoc bien- D nium pro inquisitu direxi Mariæ? Ipse est.

AMICUS.

Ave, venerande Pater.

ABRAHAM.

Ave, affabilis amice; diu te sustinui, sed nunc advenire **37** desperavi.

AMICUS.

Ideo moram feci, quia te ambigua re sollicitari non præsumpsi. At ubi veritatem investigari, reditum maturavi.

ABRAHAM.

Vidistin' Mariam?

AMICUS.

Vidi.

ABRAHAM.

Ubi?

AMICUS.

Quam dictu miserabile!

ABRAHAM.

Dic, obsecro.

AMICUS.

In domo cujusdam lenonis habitationem elegit, qui tenello amore illam colit; nec frustra: nam omni die non modica illi pecunia ab ejus amatoribus adducitur.

ABRAHAM.

A Mariæ amatoribus.

AMICUS.

Ab ipsis.

ABRAHAM.

Qui sunt ejus amatores?

AMICUS.

Perplures.

ABRAHAM.

Hei mihi, o bene Jesu! Quid hoc monstri est, quod hanc, quam tibi sponsam nutrivi, alienos amatores audio sequi?

AMICUS.

Hoc meretricibus antiquitus fuit in more, ut alieno delectarentur amore?

ABRAHAM.

Affer mihi sonipedem delicatum et militarem habitum, quo deposite tegmine religionis ipsam adeam sub specie amatoris.

AMICUS.

Ecce omnia.

ABRAHAM.

Obsecro, affer et pileum, quo coronam velem capitis.

AMICUS.

Hoc maxime opus est, ne agnoscaris.

ABRAHAM.

Quid si unum solidum, quem habeo, mecum afferam, quod stabulario pro mercede tribuam?

AMICUS.

Aliter ad colloquium Mariæ non potes pervenire.

SCENA V.

ABRAHAM.

Salve, bone stabulari.

STABULARIUS.

Quis loquitur? Hospes, salve.

ABRAHAM.

Estne apud te locus viatori ad pernoctandum aptus?

STABULARIUS.

Est plane; nostra hospitiola nulli sunt neganda.

ABRAHAM.

Laudabile.

STABULARIUS.

Intra, ut tibi præparetur cœna.

ABRAHAM.

Magna tibi pro hilari susceptione debeo, sed adhuc majora a te expeto.

STABULARIUS.

Quæ voles ut concessurum efflagita.

ABRAHAM.

Accipe vile munus quod defero, et fac ut perpulchra, quam tecum obversari experiebar, puella nostro intersit convivio.

STABULARIUS.

Cur illam desideras videre?

ABRAHAM.

Quia nimium delector in ejus agnitione, cujus ulchritudinem a pluribus laudari audiebam sæpissime.

STABULARIUS.

Quisquis laudator ejus formæ exstitit, nihil fe-llit. Nam prænitet venusta vultu præ ceteris mueribus.

ABRAHAM.

Ideo ardeo in ejus amore.

STABULARIUS.

Miror te in decrepita senectute juvenculæ mulies amorem spirare.

ABRAHAM.

Percerte nullius alius rei causa accessi, nisi eam dendi.

SCENA VI.

STABULARIUS.

Procede, Maria, tuique pulchritudinem nostro ophyto ostende.

38 MARIA.

Ecce venio.

ABRAHAM.

Quæ fiducia, quæ constantia mentis mihi post c, cum hanc, quam nutrivi in eremi latibulis, eretricio vultu ornatam conspicio? Sed non est mpus ut præfiguretur in facie quod tenetur in rde. Erumpentes lacrymas viriliter stringo, et aulata vultus hilaritate internæ amaritudinem estitudinis contego.

STABULARIUS.

Fortunata Maria, lætare, quia non solum ut hæcus tui coævi, sed etiam senio jam confecti te unt, te ad amandum confluunt.

MARIA.

Quicunque me diligunt æqualem amoris vicem e recipiunt.

ABRAHAM.

Accede, Maria, et da mihi osculum.

MARIA.

Non solum dulcia oscula libabo, sed etiam cre- senile collum amplexibus mulcebo.

ABRAHAM.

oc volo.

MARIA.

uid sentio? Quid stupendæ novitatis gustando rio? Ecce, odor istius fragrantiæ prætendit fraitiam mihi quondam usitatæ abstinentiæ.

ABRAHAM.

A Nunc, nunc simulandum, nunc lascivientis more pueri jocis instandum, ne et ego agnoscar præ gravitate, et ipsa se reddat latibulis præ pudore.

MARIA.

Væ mihi infelici! Unde cecidi, et in quam perditionis foveam corrui?

ABRAHAM.

Hic non est aptus querelæ locus, ubi convivarum confluit conventus.

STABULARIUS.

Domna Maria, cur suspiria trahis? Cur mades lacrymis? Nonne per biennium hic conversabaris, et nunquam ex te gemitus prorupit, nunquam tristior sermo prodiit.

B MARIA.

O utinam fuissem ante trium annorum spatia morte absumpta, ne ad tanta devenirem flagitia.

ABRAHAM.

Non ut tua peccata plangerem adveni, sed ut tuo jungerer amori.

MARIA.

Levi compunctione permovebar, ideo talia fabar. Sed opulemur et lætemur, quia, ut monuisti, hic non est tempus peccata plangendi.

ABRAHAM.

Affatim refecti, affatim sumus ebriati tua largitate administrante, o bone stabulari; da licentiam a cœna surgendi, quo lassum corpus in stratum componam dulcique quiete recreem.

C STABULARIUS.

Ut libet.

MARIA.

Surge, domne mi, surge; tecum pariter tendam ad cubile.

ABRAHAM.

Placet. Nullatenus cogi possem ut te non comitante exirem.

SCENA VII.

MARIA.

Ecce triclinium ad inhabitandum **39** nobis aptum: ecce lectus haud vilibus stramentis compositus. Sede, ut tibi detraham calceamenta, ne tu ipse fatigeris discalceando.

ABRAHAM.

D Muni prius seris ostium, ne quis introeundi inveniat aditum.

MARIA.

Super hoc ne solliciteris; faciam ut nulli ad nos tribuatur accessus facilis.

ABRAHAM.

Tempus ablato capitis velamine quis sim aperire. O adoptiva filia, o meæ pars animæ, Maria, agnoscisne me senem, qui te paterno amore nutrivi, qui te cœlestis Regis unigenito desponsavi?

MARIA.

Hei mihi! Pater et magister meus Abraham est qui loquitur.

esse, ita ut tibi nunc exposui, habere ipsamque A vanitati dixerunt deservire.

EPHREM.

Ubi moratur.

ABRAHAM.

Ignoratur.

EPHREM.

Quid fiet?

ABRAHAM.

Est mihi fidelis amicus qui civitates villasque peragrans non quiescet, donec quæ illam terra susceperi agnoscet.

EPHREM.

Quid si experietur?

ABRAHAM.

B Habitum mutabo, ipsamque sub amatoris specie adibo, si forte meo monitu post grave naufragium revertatur ad pristinæ quietis portum.

EPHREM.

Etiam, quid fiet si carnium esus vinique haustus apponetur?

ABRAHAM.

Haud abrogabo, ne agnoscar.

EPHREM.

Recta prorsus laudabilique discretione uteris, si arctioris frena observantiæ aliquantisper laxabis, quo errantem Christo lucreris.

ABRAHAM.

Eo magis ad audendum incitor, quo te mihi in hac concordari re experior.

EPHREM.

C Qui clancula cordium cognoscit qua intentione unaquæque res geratur intelligit, nec in discretissimo ejus examine reus prævaricationis habetur, qui a strictioris rigore conversationis ad tempus descendendo imbecillioribus assimilari non respuit, quo efficacius animam revocet quæ erravit.

ABRAHAM.

Tuum est interim me precibus adjuvare, ne impediar diabolica fraude.

EPHREM.

Ipsum summum bonum, sine quod nihil fit boni, faciat tuum velle in bono consummari.

SCENA IV.

ABRAHAM.

D Num ille est meus amicus, quem ante hoc biennium pro inquisitu direxi Mariæ? Ipse est.

AMICUS.

Ave, venerande Pater.

ABRAHAM.

Ave, affabilis amice; diu te sustinui, sed nunc advenire **37** desperavi.

AMICUS.

Ideo moram feci, quia te ambigua re sollicitari non præsumpsi. At ubi veritatem investigari, reditum maturavi.

ABRAHAM.

Vidistin' Mariam?

AMICUS.

Vidi.

ABRAHAM.

Ubi?

AMICUS.

Quam dictu miserabile!

ABRAHAM.

Dic, obsecro.

AMICUS.

In domo cujusdam lenonis habitationem elegit, qui tenello amore illam colit; nec frustra: nam omni die non modica illi pecunia ab ejus amatoribus adducitur.

ABRAHAM.

A Mariæ amatoribus.

AMICUS.

Ab ipsis.

ABRAHAM.

Qui sunt ejus amatores?

AMICUS.

Perplures.

ABRAHAM.

Hei mihi, o bene Jesu! Quid hoc monstri est, quod hanc, quam tibi sponsam nutrivi, alienos amatores audio sequi?

AMICUS.

Hoc meretricibus antiquitus fuit in more, ut alieno delectarentur amore?

ABRAHAM.

Affer mihi sonipedem delicatum et militarem habitum, quo deposite tegmine religionis ipsam adeam sub specie amatoris.

AMICUS.

Ecce omnia.

ABRAHAM.

Obsecro, affer et pileum, quo coronam velem capitis.

AMICUS.

Hoc maxime opus est, ne agnoscaris.

ABRAHAM.

Quid si unum solidum, quem habeo, mecum afferam, quod stabulario pro mercede tribuam?

AMICUS.

Aliter ad colloquium Mariæ non potes pervenire.

SCENA V.

ABRAHAM.

Salve, bone stabulari.

STABULARIUS.

Quis loquitur? Hospes, salve.

ABRAHAM.

Estne apud te locus viatori ad pernoctandum aptus?

STABULARIUS.

Est plane; nostra hospitiola nulli sunt neganda.

ABRAHAM.

Laudabile.

STABULARIUS.

Intra, ut tibi præparetur cœna.

ABRAHAM.

Magna tibi pro hilari susceptione debeo, sed adhuc majora a te expeto.

STABULARIUS.

Quæ voles ut concessurum efflagita.

ABRAHAM.

Accipe vile munus quod defero, et fac ut perpulchra, quam tecum obversari experiebar, puella nostro intersit convivio.

STABULARIUS.

Cur illam desideras videre?

ABRAHAM.

Quia nimium delector in ejus agnitione, cujus pulchritudinem a pluribus laudari audiebam sæpissime.

STABULARIUS.

Quisquis laudator ejus formæ exstitit, nihil fefellit. Nam prænitet venusta vultu præ ceteris mulieribus.

ABRAHAM.

Ideo ardeo in ejus amore.

STABULARIUS.

Miror te in decrepita senectute juvenculæ mulieris amorem spirare.

ABRAHAM.

Percerte nullius alius rei causa accessi, nisi eam videndi.

SCENA VI.

STABULARIUS.

Procede, Maria, tuique pulchritudinem nostro neophyto ostende.

38 MARIA.

Ecce venio.

ABRAHAM.

Quæ fiducia, quæ constantia mentis mihi post hæc, cum hanc, quam nutrivi in eremi latibulis, meretricio vultu ornatam conspicio? Sed non est tempus ut præfiguretur in facie quod tenetur in corde. Erumpentes lacrymas viriliter stringo, et simulata vultus hilaritate internæ amaritudinem mœstitudinis contego.

STABULARIUS.

Fortunata Maria, lætare, quia non solum ut hactenus tui coævi, sed etiam senio jam confecti te adeunt, te ad amandum confluunt.

MARIA.

Quicunque me diligunt æqualem amoris vicem a me recipiunt.

ABRAHAM.

Accede, Maria, et da mihi osculum.

MARIA.

Non solum dulcia oscula libabo, sed etiam cre-ris senile collum amplexibus mulcebo.

ABRAHAM.

Hoc volo.

MARIA.

Quid sentio? Quid stupendæ novitatis gustando haurio? Ecce, odor istius fragrantiæ prætendit fragrantiam mihi quondam usitatæ abstinentiæ.

A ABRAHAM.

Nunc, nunc simulandum, nunc lascivientis more pueri jocis instandum, ne et ego agnoscar præ gravitate, et ipsa se reddat latibulis præ pudore.

MARIA.

Væ mihi infelici! Unde cecidi, et in quam perditionis foveam corrui?

ABRAHAM.

Hic non est aptus querelæ locus, ubi convivarum confluit conventus.

STABULARIUS.

Domna Maria, cur suspiria trahis? Cur mades lacrymis? Nonne per biennium hic conversabaris, et nunquam ex te gemitus prorupit, nunquam tristior sermo prodiit.

B MARIA.

O utinam fuissem ante trium annorum spatia morte absumpta, ne ad tanta devenirem flagitia.

ABRAHAM.

Non ut tua peccata plangerem adveni, sed ut tuo jungerer amori.

MARIA.

Levi compunctione permovebar, ideo talia fabar. Sed opulemur et lætemur, quia, ut monuisti, hic non est tempus peccata plangendi.

ABRAHAM.

Affatim refecti, affatim sumus ebriati tua largitate administrante, o bone stabulari; da licentiam a cœna surgendi, quo lassum corpus in stratum componam dulcique quiete recreem.

C STABULARIUS.

Ut libet.

MARIA.

Surge, domne mi, surge; tecum pariter tendam ad cubile.

ABRAHAM.

Placet. Nullatenus cogi possem ut te non comitante exirem.

SCENA VII.

MARIA.

Ecce triclinium ad inhabitandum **39** nobis aptum: ecce lectus haud vilibus stramentis compositus. Sede, ut tibi detraham calceamenta, ne tu ipse fatigeris discalceando.

ABRAHAM.

D Muni prius seris ostium, ne quis introeundi inveniat aditum.

MARIA.

Super hoc ne sollicitetis; faciam ut nulli ad nos tribuatur accessus facilis.

ABRAHAM.

Tempus ablato capitis velamine quis sim aperire. O adoptiva filia, o meæ pars animæ, Maria, agnoscisne me senem, qui te paterno amore nutrivi, qui te cœlestis Regis unigenito desponsavi?

MARIA.

Hei mihi! Pater et magister meus Abraham est qui loquitur.

ABRAHAM.

Quid contigit tibi, filia?

MARIA.

Gravis miseria.

ABRAHAM.

Quis te decepit? Quis te seduxit?

MARIA.

Qui protoplastos prostravit.

ABRAHAM.

Ubi est angelica illa, quam in terris egisti, conversatio?

MARIA.

Prorsus perdita.

ABRAHAM.

Ubi est verecundia tua virginalis? Ubi continentia admirabilis?

MARIA.

Evacuata.

ABRAHAM.

Quam mercedem, nisi resipiscas, pro jejuniorum, orationum vigiliarum sudore ultra potes sperare, cum velut lapsa ab altitudine cœli dimersa es in profundum inferni?

MARIA.

Eh heu!

ABRAHAM.

Quare me despexisti? Quare deseruisti? Quare eventum tuæ perditionis mihi non indicasti, quo ego, cum dilecto meo Ephrem, dignam pro te pœnitentiam agerem?

MARIA.

Postquam lapsa in peccatis corrui, tuæ sanctitati polluta proximare non præsumpsi.

ABRAHAM.

Quis unquam a peccato exstitit immunis, nisi solius Filius Virginis?

MARIA.

Nullus.

ABRAHAM.

Humanum est peccare, diabolicum in peccatis durare, nec jure reprehenditur qui subito cadit, sed qui citius surgere negligit.

MARIA.

Hei mihi infelici!

ABRAHAM.

Cur decidis? Cur in terra jaces immobilis? Erigere et quæ dicam percipe.

MARIA.

Pavore concussa corrui, quia vim paternæ monitionis ferre nequivi.

ABRAHAM.

Attende mei in te dilectionem et depone timorem.

MARIA.

Nequeo.

ABRAHAM.

Nonne tui causa desiderabilem eremi habitationem reliqui, omnem regularis observantiam conversationis pene evacuavi, in tantum ut ego verus eremicola, factus sum lascivientium conviva, et qui diu silentio studebam, jocularia verba, ne agno-
A scerer, **40** proferebam? Cur demisso vultu terram inspicis? Cur respondendo mecum verba miscere dedignaris?

MARIA.

Proprii conscientia reatus confundor. Ideo nec oculos ad cœlum levare, nec sermonem tecum præsumo conserere.

ABRAHAM.

Noli diffidere, filia, noli desperare; sed emerge de abysso desperationis et fige in Deo spem mentis.

MARIA.

Enormitas peccatorum prostravit me in desperationis profundum.

ABRAHAM.

Peccata quidem tua sunt gravia, sed superna pietas major est omni creatura. Unde tristitias
B rumpe, datumque pœnitendi spatiolum pigritando noli negligere, quatenus superabundet divina gratia ubi superabundavit facinorum abominatio.

MARIA.

Si ulla promerendæ spes suæ veniæ inesset, studium pœnitendi minime deesset.

ABRAHAM.

Miserere meæ quam pro te subii lassitudinis, et depone perniciosam desperationem, quam omnibus commissis non nescimus esse graviorem. Qui enim peccantibus Deum misereri velle desperat, irremediabiliter peccat, quia sicut scintilla silicis pelagus nequit inflammare, ita nostrorum acerbitas peccaminum divinæ dulcedinem benignitatis non valet immutare.

C MARIA.

Non enim supernæ magnificentiam pietatis nego, sed proprii enormitatem sceleris considerando, ad dignæ satisfactionem pœnitentiæ vereor non sufficere.

ABRAHAM.

In me sit iniquitas tua; tantummodo revertere ad locum unde existi, et ini secundo conversationem, quam deseruisti.

MARIA.

In nullo unquam tui renitor votis, sed quæ jubes obtemperanter amplector.

ABRAHAM.

Nunc fateor te vere quam nutrivi filiam, nunc censeo te præ omnibus fore diligendam.

MARIA.

D Aliquantulum auri vestiumque possideo, quod tua de his auctoritas decreverit exspecto.

ABRAHAM.

Quæ acquisivisti peccando cum ipsis peccatis sunt abjicienda.

MARIA.

Rebar pauperibus eroganda, seu sacris esse altaribus offerenda.

ABRAHAM.

Non satis acceptabile munus Deo esse comprobatur, quod criminibus acquiritur.

MARIA.

Nulla super his ultra sollicitudine fatigar.

ABRAHAM.

Matuta rutescit, lucescit, abeamus.

MARIA.

Tuum est, **41** Pater amande, ut ad instar boni pastoris præcedas reportatam ovem, et ego pedibus incedens vestigiis subsequor præcedentem.

ABRAHAM.

Haud ita; sed ego pedibus incedam, te autem equo superponam ne itineris asperitas secet teneras plantas.

MARIA.

O, quem te memorem, quam tibi gratiarum impendam recompensationem, qui me indignam miseratione non terrore cogis, sed miti condescensione ad penitentiam hortaris?

ABRAHAM.

Nihil aliud a te expeto, nisi ut reliquum vitæ inhærendo insistas Dei obsequio.

MARIA.

Spontanea mente inhæream, pro viribus insistam et, si facultas desit posse, nunquam tamen deerit velle.

ABRAHAM

Convenit ut, quo studio deserviebas vanitati, famuleris divinæ voluntati.

MARIA.

Fiat, precor, tuis meritis, ut in me perficiatur voluntas Divinitatis.

ABRAHAM.

Maturemus reditum.

MARIA.

Maturemus; nam me tædet morarum.

SCENA VIII.

ABRAHAM.

Quanta celeritate asperi difficultatem itineris transcurrimus!

MARIA.

Quod devote agitur, facile perficitur.

ABRAHAM.

Ecce tua deserta cellula.

MARIA.

Hei mihi! Ipsa mei sceleris est conscia, ideo ingredi formido.

ABRAHAM.

Et merito; fugiendus est quippe locus, in quo hostem sequitur triumphus.

MARIA.

Et ubi me decernis compunctioni vacare?

ABRAHAM.

Ingredere in cellam interiorem, ne vetustus serpens decipiendi ultra inveniat occasionem.

MARIA.

Non contra luctor, sed quæ jubes amplector.

ABRAHAM.

Familiarem meum Ephrem accedam, quo ipse, qui solus mecum tuæ condoluit perditioni, congaudeat inventioni.

A

MARIA.

Competit.

SCENA IX.

EPHREM.

Num mihi aliquid affers gaudii?

ABRAHAM.

Ac magni.

EPHREM.

Placet, nec dubito quin Mariam nancisceereris.

ABRAHAM.

Nanciscebar plane; et gaudens reduxi ad ovile.

EPHREM.

Divinæ gratia visitationis factum, credo.

ABRAHAM.

Procul dubio.

EPHREM.

B Vellem scire, qualiter juxta id temporis vitam moresque ordinaverit.

ABRAHAM.

Juxta meum velle.

EPHREM.

Hoc illi expedit vel maxime.

ABRAHAM.

Quidquid ipsi agendum proposui, quamvis difficile, quamvis grave, haud abrogavit subire.

EPHREM.

Laudabile.

ABRAHAM.

Nam induta cilicio continuaque vigiliarum et jejunii exercitatione macerata, **42** arctissimæ legis observatione corpus tenerum animæ cogit pati C imperium.

EPHREM.

Æquum est ut iniquæ sordes delectationis eliminentur acerbitate castigationis.

ABRAHAM.

Quisquis ejus lamenta intelligit, mente vulneratur, quisquis compunctionem sentit et ipse compungitur.

EPHREM.

Solet fieri.

ABRAHAM.

Elaborat pro viribus, ut quibus causa fuit perditionis fiat exemplum conversionis.

EPHREM.

Consequens est.

ABRAHAM.

D Nititur ut quanto exstitit fœdior, tanto appareat nitidior.

EPHREM.

Jucundior audiendo precor, dialique lætor gaudimonio (3).

ABRAHAM.

Et merito, nam phalanges angelicæ gaudentes Dominum laudant super peccatoris conversione.

EPHREM.

Nec mirum; nullius namque justi magis delectatur perseverantia, quam impii pœnitentia.

(3) Hunc locum sic restituit D. Magnin : *Jucundior audiendo, præcordialique lætor gaudimonio.*

ABRAHAM.

Unde in illa tanto justius laudatur, quanto ultra resipisci posse desperabatur.

EPHREM.

Congratulantes laudemus, laudantes glorificemus unigenitum et venerabilem, dilectum et clementem A Dei Filium, qui non vult perire quos sui sacro redemit sanguine.

ABRAHAM.

Ipsi honor, gloria et jubilatio per infinita sæcula. Amen.

V
PAPHNUTIUS

ARGUMENTUM IN PAPHNUTIUM

Conversio Thaidis meretricis, quam Paphnutius eremita, æque ut Abraham, sub specie adiens amatoris convertit, et data pœnitentia per triennium in angusta cellula conclusit, donec digna satisfactione Deo reconciliata, quinta decima peractæ pœnitentiæ die, obdormivit in Christo.

INTERLOCUTORES :

PAPHNUTIUS, DISCIPULI, THAIS, JUVENES AMANTES, ANTONIUS, PAULUS.

SCENA I.

43 DISCIPULI.

Cur obscurum, Pater, vultum nec solito geris, Paphnuti, serenum?

PAPHNUTIUS.

Cujus cor contristatur, ejus et vultus obscuratur.

DISCIPULI.

Pro qua re contristaris?

PAPHNUTIUS.

Pro injuria Factoris.

DISCIPULI.

Quæ hæc injuria?

PAPHNUTIUS.

Ipsam quam a propria patitur creatura ad sui imaginem condita.

DISCIPULI.

Terruisti nos dictu.

PAPHNUTIUS.

Licet illa impassibilis majestas affici non possit injuriis, tamen, ut affectus nostræ fragilitatis metaphorice transferam in Deum, quæ major injuria dici potest, quam, quod ejus imperio, cujus gubernaculis major mundus obtemperanter subditur, solus minor contra luctetur?

DISCIPULI.

Quis est minor mundus?

PAPHNUTIUS.

Homo.

DISCIPULI.

Homo?

PAPHNUTIUS.

Porro.

DISCIPULI.

Quis homo?

B PAPHNUTIUS.

Omnis.

DISCIPULI.

Qui potest fieri?

PAPHNUTIUS.

Ut placuit Creatori.

DISCIPULI.

Non sapimus.

PAPHNUTIUS.

Non obvium est perpluribus.

DISCIPULI.

Expone.

PAPHNUTIUS.

Intendite.

DISCIPULI.

C Ac prompta mente.

PAPHNUTIUS.

Sicut enim major mundus ex quatuor contrariis elementis, sed ad votum Creatoris secundum harmonicam moderationem concordantibus perficitur, ita et homo non solum ab eisdem elementis, sed etiam ex magis contrariis partibus coaptatur.

DISCIPULI.

Et quid magis contrarium quam elementa?

PAPHNUTIUS.

Corpus et anima, quia licet illa sint contraria, tamen sunt corporalia; anima nec mortalis, ut corpus, nec corpus spiritale, ut anima.

DISCIPULI.

Ita.

PAPHNUTIUS.

D Si tamen dialecticos sequimur, nec illa contraria esse fatemur.

DISCIPULI.

Et quis potest negare?

PAPHNUTIUS.

Qui dialectice scit disputare, quia *usiæ* nihil est contrarium, sed receptatrix est contrariorum.

DISCIPULI.

Quid sibi vult quod dixisti, *secundum harmonicam moderationem?*

PAPHNUTIUS.

Id scilicet, quod, sicut pressi excellentesque soni harmonice conjuncti quiddam perficiunt musicum, ita dissona elementa convenienter concordantia unum perficiunt mundum.

DISCIPULI.

Mirum quomodo dissona concordari vel concordantia possint dissona dici.

PAPHNUTIUS.

Quia nihil ex similibus componi videtur, nec ex his, quæ nulla rationis proportione junguntur, et a se omni substantia naturaque discreta sunt.

44 DISCIPULI.

Quid est musica?

PAPHNUTIUS.

Disciplina una de philosophiæ quadruvio.

DISCIPULI.

Quid est hoc quod dicis quadruvium?

PAPHNUTIUS.

Arithmetica, geometrica, musica, astronomica.

DISCIPULI.

Cur quadruvium?

PAPHNUTIUS.

Quia, sicut a quadruvio semitæ, ita ab uno philosophiæ principio harum disciplinarum prodeunt progressiones rectæ.

DISCIPULI.

Veremur quiddam investigando rogitare de tribus, quia cœptæ scrupulum disputationis capedine mentis vix penetrare quimus.

PAPHNUTIUS.

Difficile captu.

DISCIPULI.

Dic nobis de ea superficietenus, cujus mentionem in præsenti fecimus.

PAPHNUTIUS.

Perparum dicere scio, quia eremicolis est incognita.

DISCIPULI.

Quid agit?

PAPHNUTIUS.

Musica?

DISCIPULI.

Ipsa.

PAPHNUTIUS.

Disputat de sonis.

DISCIPULI.

Utrum est una, an plures?

PAPHNUTIUS.

Tres esse dicuntur; sed unaquæque ratione proportionationis alteri ita conjungitur, ut idem quod accidit uni non deest alteri.

DISCIPULI.

Et quæ distantia inter tres?

PAPHNUTIUS.

Prima dicitur mundana sive cœlestis, secunda mundana [illegible] humana, tertia, quæ instrumentis exercetur.

DISCIPULI.

In quo constat cœlestis?

PAPHNUTIUS.

In septem planetis et in cœlesti sphæra.

DISCIPULI.

Quomodo?

PAPHNUTIUS.

Eo videlicet quo illa quæ in instrumentis; quia tot spatia pares productiones, eædem symphoniæ reperiuntur in his quæ et in chordis.

DISCIPULI.

Quid sunt spatia?

PAPHNUTIUS.

Dimensiones, quæ numerantur inter planetas sive inter chordas.

DISCIPULI.

Et quid productiones?

PAPHNUTIUS.

Idem quod toni.

DISCIPULI.

Nec horum notitia nos tangit.

PAPHNUTIUS.

Tonus fit ex duobus sonis et possidet rationem epogdoi numeri sive sesquioctavi.

DISCIPULI.

Quanto velocius præposita investigando satagimus transire, tanto difficiliora nobis non desinis apponere.

PAPHNUTIUS.

Hoc exigit hujusmodi disputatio.

DISCIPULI.

Edissere summotenus aliquantulum de symphoniis, quo saltim sciamus significationem nominis.

PAPHNUTIUS.

Symphonia dicitur modulationis temperamentum.

DISCIPULI.

Quare?

PAPHNUTIUS.

Quia nunc quatuor, nunc quinque, nunc octo sonis perficitur.

DISCIPULI.

Quia tres esse cognoscimus, singularum vocabula dignoscere cupimus.

PAPHNUTIUS.

Prima dicitur **45** diatessaron, quasi ex quatuor, et possidet proportionem epitritam sive sesquitertiam; secunda diapente, quæ constat ex quinque et est in ratione hemiolii sive sesquialteri; tertia diapason; hæc fit in duplo, perficiturque sonitibus octo.

DISCIPULI.

Num sphæra et planetæ proferunt sonum, ut mereantur comparationem chordarum?

PAPHNUTIUS. A

Ac maximum.

DISCIPULI.

Cur non auditur?

PAPHNUTIUS.

Multifariam exponunt. Alii antumant non audiri posse propter assiduitatem; alii propter aeris spissitudinem. Quidam autem ferunt quod tanti enormitas sonitus artos aurium nequeat intrare meatus. Sunt etiam qui dicunt quod sphæra tam jucundum, tam dulcem efferat sonum, ut si audiretur omnes in commune homines, semetipsis neglectis omnibusque postpositis studii, ducentem sonum ab oriente sequerentur in occidentem.

DISCIPULI.

Præstat ut non audiatur. B

PAPHNUTIUS.

Hoc a Creatore præsciebatur.

DISCIPULI.

Sit satis de ista, prosequere de humana.

PAPHNUTIUS.

Quid de illa?

DISCIPULI.

In quo percipiatur.

PAPHNUTIUS.

Non solum, ut dixi, in compagine corporis et animæ, necnon in emissione nunc gravis, nunc claræ vocis, sed etiam in pulsibus venarum atque in quorumdam mensura membrorum, sicut in articulis digitorum, in quibus easdem proportiones mensurando reperimus, quas in symphoniis præmisimus, quia musica dicitur convenientia non solum C vocum, sed etiam aliarum dissimilium rerum.

DISCIPULI.

Si præscissemus quod hujusmodi nodus quæstionis tam difficilis ad solvendum esset insciis, maluissemus minorem mundum nescire, quam tantum difficultatis subire.

PAPHNUTIUS.

Nil officit quod elaborastis, cum ante ignorata experti estis.

DISCIPULI.

Verum; sed tædet nos philosophicæ disputationis, quia nescimus sensu emetiri scrupulum tuæ rationis.

PAPHNUTIUS.

Cur me illuditis, qui plane sum nescius, non D philosophus?

DISCIPULI.

Et unde tibi hæc, quæ nos fatigando protulisti?

PAEHNUTIUS.

Tenuem scientiæ guttulam, quam de plenis sciorum puteis effluentem, non ad colligendum residens, sed casu præteriens, **46** repertam elambi, vobiscum communicare studui.

DISCIPULI.

Gratulamur tuæ benignitati, sed terremur sententia Apostoli dicentis: *Nam stulta mundi elegit Deus, ut confunderet sophistica.*

PAPHNUTIUS.

Sive stultus sive sophista perversa operentur, confusionem a Deo merentur.

DISCIPULI.

Ita.

PAPHNUTIUS.

Nec scientia scibilis Deum offendit, sed injustitia scientis.

DISCIPULI.

Verum.

PAPHNUTIUS.

Et in cujus laudem dignius justiusque scientia artium retorquetur, quam in ejus, qui scibile fecit et scientiam dedit?

DISCIPULI.

In nullius.

PAPHNUTIUS.

Quanto enim mirabiliori lege Deum omnia in numero et mensura et pondere posuisse quis agnoscit, tanto in ejus amore ardescit.

DISCIPULI

Nec injuria.

PAPHNUTIUS.

Sed quid moror in istis, quæ nobis minimum afferunt delectationis?

DISCIPULI.

Enuclea nobis causam tui mœroris, ne diutius frangamur pondere curiositatis.

PAPHNUTIUS.

Si quando experiemini, auditu non delectabimini

DISCIPULI.

Haud raro contristatur qui curiositatem sectatur; sed tamen hanc nequimus superare, quia familiaris est fragilitati nostræ.

PAPHNUTIUS.

Quædam impudens femina moratur in hac patria.

DISCIPULI.

Res civibus periculosa.

PAPHNUTIUS.

Hæc miranda prænitet pulchritudine, et horrenda sordet turpitudine.

DISCIPULI.

Miserabile! Quid vocatur?

PAPHNUTIUS.

Thais.

DISCIPULI.

Illa meretrix?

PAPHNUTIUS.

Ipsa.

DISCIPULI.

Ejus infamia nulli est incognita.

PAPHNUTIUS.

Nec mirum, quia non dignatur cum paucis ad interitum tendere, sed prompta est omnes lenociniis suæ formæ illicere, secumque ad interitum trahere.

DISCIPULI.

Lugubre.

PAPHNUTIUS.

Nec solum nugaces vilitatem suæ familiaris rei dissipant illam colendo, sed etiam præpotentes viri pretiosæ varietatem suppellectilis pessumdant, non absque sui damno hanc ditando.

DISCIPULI.

Horescimus auditu.

PAPHNUTIUS.

Greges amatorum ad illam confluunt.

DISCIPULI.

Se ipsos perdunt.

PAPHNUTIUS.

Qui amentes, dum cæco corde quis illam adeat contendunt, convicia congerunt.

DISCIPULI.

Unum vitium parat aliud.

PAPHNUTIUS.

Deinde mito certamine, nunc ora naresque pugnis frangendo, nunc armis vicissime ejiciendo, decurrentis illuvie sanguinis madefaciunt limina lupanaris.

47 DISCIPULI.

O nefas detestabile!

PAPHNUTIUS.

Hæc injuria quam deflevi Factoris, hæc est causa mei doloris.

DISCIPULI.

Merito super hoc contristaris, nec dubitamus quin tecum contristentur cives patriæ cœlestis.

PAPHNUTIUS.

Quid si illam adeam sub specie amatoris, si forte revocari possit ab intentione nugacitatis?

DISCIPULI.

Qui tuæ cogitationi instillavit velle, ipse præstet efficaciam posse.

PAPHNUTIUS.

Fulcite me interim precibus assiduis, ne superer insidiis vitiosi serpentis.

DISCIPULI.

Qui regem prostravit tenebricolarum, largatur tibi contra hostem triumphum.

SCENA II.

PAPHNUTIUS.

Ecce juvenes in foro; illos primum adibo, et ubi hanc quam quæro inveniam rogabo.

JUVENES.

En, ignotus quidam nos adit; experiemur quid velit.

PAPHNUTIUS.

Heus, juvenes, qui estis?

JUVENES.

Urbicolæ hujus civitatis.

PAPHNUTIUS.

Avete.

JUVENES.

Et tu salve, sive sis hujus patriæ indigena, sive advena.

PAPHNUTIUS.

Advena nunc advenio.

A JUVENES.

Cur advenis? Quid quæris?

PAPHNUTIUS.

Non est dicendum.

JUVENES.

Quare?

PAPHNUTIUS.

Quia mihi secretum.

JUVENES.

Melius ut proferas, quia si non es nostras, difficile poteris aliquod inter nos negotium absque consilio peragere incolarum.

PAPHNUTIUS.

Quod si dixero, et dicendo aliquod mihi impedimentum excitavero?

B JUVENES.

Non a nobis.

PAPHNUTIUS.

Lætis promissionibus cedo, vestræque fidei confidens secretum enucleo.

JUVENES.

Nihil nostra de parte infidelitatis, nihil tibi obviabit contrarietatis.

PAPHNUTIUS.

Quorumdam relatu comperi mulierem secus vos commorari omnibus amabilem, omnibus affabilem.

JUVENES.

Nosti ejus nomen?

PAPHNUTIUS.

Novi

JUVENES.

C Quid vocatur?

PAPHNUTIUS.

Thais.

JUVENES.

Ipsa nostratium est ignis.

PAPHNUTIUS.

Ferunt illam mulierem pulcherrimam, omnium esse delicatissimam.

JUVENES.

Qui retulere nihil fefellere.

PAPHNUTIUS.

Ipsius causa difficilis prolixitatem viæ surripui; ipsam ut viderem adveni.

JUVENES.

Nullum tibi obstat impedimentum eam videndi.

PAPHNUTIUS.

D Ubi moratur?

JUVENES.

Ecce, mansio in proximo.

PAPHNUTIUS.

Hæc quam indice proditis?

JUVENES.

Ipsa.

PAPHNUTIUS.

Illo pergam.

JUVENES.

Si placet, tecum pergemus.

PAPHNUTIUS.

Malo ire solus.

JUVENES.

Ut libet.

SCENA II.

PAPHNUTIUS.

Tu istæc intro, Thais, quam quæro?

THAIS.

Quis hic qui loquitur **48** ignotus?

PAPHNUTIUS.

Amator tuus

THAIS.

Quicumque me amore colit, æquam vicem amoris a me recipit.

PAPHNUTIUS.

O Thais,Thais, quanta gravissimi itineris currebam spatia, quo mihi daretur copia tecum fandi tuique faciem contemplandi.

THAIS.

Nec aspectum subtraho, nec colloquium denego.

PAPHNUTIUS.

Secretum nostræ confabulationis desiderat solitudinem loci secretioris.

THAIS.

Ecce cubile bene stratum et delectabile ad inhabitandum.

PAPHNUTIUS.

Estne his aliud penitius, in quo possimus colloqui secretius?

THAIS.

Est etenim aliud occultum tam secretum, ut ejus penetrale nulli præter me, nisi Deo, sit cognitum.

PAPHNUTIUS.

Cui Deo?

THAIS.

Vero.

PAPHNUTIUS.

Credis illum aliquid scire?

THAIS.

Non nescio illum nihil latere.

PAPHNUTIUS.

Utrumne reris illum facta pravorum negligere, an sui æquitatem servare?

THAIS.

Æstimo ipsius æquitatis lance singulorum merita pensari, et unicuique, prout gessit, sive supplicium, sive præmium servari.

PAPHNUTIUS.

O Christe, quam miranda tuæ circa nos benignitatis patientia, qui te scientes vides peccare et tamen tardas perdere?

THAIS.

Cur contremiscis mutato colore? Cur fluunt lacrymæ?

PAPHNUTIUS.

Tui præsumptionem horresco, tui perditionem defleo, quia hæc nosti, et tantas animas perdidisti.

THAIS.

Væ, væ mihi infelici.

A PAPHNUTIUS.

Tanto justius damnaberis, quanto præsumptuosius scienter offendisti majestatem Divinitatis.

THAIS.

Heu, heu, quid agis? Quid infelici minitaris.

PAPHNUTIUS.

Supplicium tibi imminet gehennæ, si permanebis in scelere.

THAIS.

Severitas tuæ correptionis concussit penetrale pavidi cordis.

PAPHNUTIUS.

O utinam esses viscera tenus concussa timore, ne ultra præsumeres periculosæ delectationi assensum præbere.

THAIS.

B Et quis post hæc locus pestiferæ delectationi in meo corde potest relinqui,ubi solum intestini mœroris amaritudo consciique reatus nova dominatur formido?

PAPHNUTIUS.

Hoc opto, quo resectis vitiorum spinis emergere possit lacryma compunctionis.

THAIS.

O, si crederes, o, si operares me sordidulam, millies millenis sordium oblitam offuscationibus, **49** ullatenus posse expiari, seu ullo compunctionis modo veniam promereri!...

PAPHNUTIUS.

Nullum enim grave peccatum, nullum tam immane est delictum, quod nequeat expiari pœni-
C tendiæ lacrymis, si effectus sequetur operis.

THAIS.

Ostende, quæso, mi Pater, quo effectu operis promereri queam munus reconciliationis.

PAPHNUTIUS.

Contemne sæculum, fuge lascivorum consortia amasionum.

THAIS.

Et quid mihi tunc erit agendum?

PAPHNUTIUS.

In secretum locum secedendum, in quo te ipsam discutiendo possis lamentari enorminatem tui delicti.

THAIS.

Si hoc speras proficere, non addo momentum
D morulæ.

PAPHNUTIUS.

Non dubito quin prosit.

THAIS.

Da mihi aliquantuli spatium tempusculi, ut proferam mammonam, quam male collectam diu servavi.

PAPHNUTIUS.

Ne solliciteris pro ea. Non desunt, qui utentur inventa.

THAIS.

Non ob id sollicitor, ut vel mihi servare, vel amicis vellem dare; sed nec egenis conor dispen-

sare, quia non arbitror pretium piaculi aptum esse ad opus beneficii.

PAPHNUTIUS.

Recte arbitraris. Et quid de congestis actum ire meditaris?

THAIS.

Igni tradere et in favillam redigere.

PAPHNUTIUS.

Quamobrem?

THAIS.

Ne retineantur in mundo, quæ male acquisivi non absque mundi Factoris injuria.

PAPHNUTIUS.

O quam mutata es ab ilia quæ prius eras, quando illicito amore flagrabas, avaritiæ calore æstuabas!

THAIS.

Fortasse mutabor in melius, si annuerit Deus.

PAPHNUTIUS.

Non est difficile immutabili ejus substantiæ res ut libet mutare.

THAIS.

Ibo, et quæ cogitavi opere complebo.

PAPHNUTIUS.

Vade in pace, citiusque ad me revertere.

SCENA IV.

THAIS

Convenite, properamini, nequam amatores mei.

AMATORES.

Vox Thaidis nos vocantis. Adventum maturemus, ne illam tardando offendamus.

THAIS.

Accelerate, Accedite, ut queam vobiscum verba miscere.

AMATORES.

O Thais, Thais, quid sibi vult rogus, quem construis? Cur pretiosarum varietatem divitiarum juxta regum congeris?

THAIS.

Rogatis?

AMATORES.

Admiramur satis.

THAIS.

Exponam citius.

AMATORES.

Hoc optamus.

THAIS.

Aspicite.

AMATORES.

Quiesce, quiesce, Thais, Quod agis? Num **50** insanis?

THAIS

Non insanio, sed sanum sapio.

AMATORES.

Ut quid hæc perditio quadringentarum auri librarum, cum aliarum diversitate gazarum?

THAIS.

Omne quod injuste a vobis extorsi, igne volo cremari, ne ullus fomes vobis relinquatur sperandi

A me ultra vestro amori cedendi.

AMATORES.

Subsiste paulisper, subsiste, et materiam tuæ perturbationis detege.

THAIS.

Non subsisto, nec sermonem vobiscum confero.

AMATORES.

Cur dedignando nos fastidis? Num alicujus infidelitatis nos arguis? Nonne semper satisfecimus tuis votis? Et tu iniquo odio nos gratis insectaris.

THAIS.

Dimittite, nolite vestem meam attrahendo scindere. Sit satis, quod huc usque peccando vobis consensi. Finis instat peccandi, tempusque nostri discidii,

AMATORES.

B Quo tendis?

THAIS.

Ubi nemo vestrum posthac me videbit.

AMATORES.

Papæ! Quid hoc monstri est, quod nostri deliciæ Thais, quæ divitiis affluere semper laboravit, quæ mentem a lascivia nunquam retraxit et se voluptati penitus dedit, tanta auri gemmarumque insignia absque retractatione perdidit, et nos sui amasiones dedignando sprevit subitoque non comparuit?

SCENA V.

THAIS.

En, pater Paphnuti, venio ad obsequendum tibi promptissima.

PCPHNUTIUS.

C Quia moram in veniendo fecisti, coarctabar nimis verendo te iterum implicitam esse sæcularibus nsgotiis.

THAIS.

Ne id vereare, quia multo aliud mihi versatur in mente. Nam res familiares juxta velle meum disposui, meisque amasionibus publice abrenuntiavi.

PAPHNUTIUS.

Quia his abrenuntiasti, superno amatori jam nunc poteris copulari.

THAIS.

Tuum est mihi velut radio præscribere quid me oporteat factum ire.

PAPHNUTIUS.

Sequere me.

D THAIS.

Sequar enim ambulatione; o utinam sequerer et actione!

SCENA VI.

PAPHNUTIUS.

Ecce cœnobium, in quo sacrarum virginum nobile commoratur collegium. Eo loci gestio te mansum ire agendæ spatium pœnitentiæ.

THAIS.

Non contra luctor.

PAPHNUTIUS.

Intrabo, et abbatissam ductricem virginum pro tui susceptione placabo.

THAIS.

Quid jubes me interim agere?

PAPHNUTIUS.

Mecum pergere.

THAIS.

Ut jubes.

PAPHNUTIUS.

Ecce, abbatissa occurrit. **51** Admiror quis illi nos adesse tam cito retulerit.

THAIS.

Fama, quæ nulla stringitur mora.

SCENA VII.

PAPHNUTIUS.

Opportune occurris, illustris abbatissa, te ipsam quæro.

ABBATISSA.

Gratanter advenis, venerande Pater Paphnuti; benedictus tui adventus, dilecte Dei.

PAPHNUTIUS.

Beatitudinem æternæ benedictionis infundat tibi gratia Omniparentis.

ABBATISSA.

Unde hoc mihi ut sanctitas tua dignaretur invisere exiguitatem habitationis meæ?

PAPHNUTIUS.

Opus est tuo juvamine in aliqua sollicitanda necessitate.

ABBATISSA.

Jube solummodo levi famine quid me velis agere, et ego tui jussa complere tuisque votis studebo pro viribus satisfacere.

PAPHNUTIUS.

Attuli capellam semivivam, dentibus luporum nuper abstractam, quam tui miseratione foveri, tui sollicitudine gestio mederi, quoadusque, abjecta hædinæ pellis austeritate, ovini velleris induatur mollitie.

ABBATISSA.

Exprime enucleatius.

PAPHNUTIUS.

Isthæc quam vides meretricio more vitam instituit.

ABBATISSA.

Miserabile.

PAPHNUTIUS.

Seseque totam lasciviæ dedit.

ABBATISSA.

Semetipsam perdidit.

PAPHNUTIUS.

At nunc, me hortante Christoque cooperante, frivola quæ sectabatur obediendo refugit, et castum sapit.

ABBATISSA.

Mutationis auctori grates.

PAPHNUTIUS.

Quia enim ægritudo animarum, æque ut corporum, curanda est medelis, consequens est ut hæc, a solita sæcularium inquietudine sequestrata, sola in angusta retrudatur cellula, quo liberius possit discutere sui crimina.

A ABBATISSA.

Hoc potissimum prodest.

PAPHNUTIUS.

Manda ut quantocius cellula construatur.

ABBATISSA.

Parvo spatio perficietur.

PAPHNUTIUS.

Nullus introitus, nullus relinquatur aditus, sed solummodo exigua fenestra, per quam modicum possit victum accipere, quem statutis diebus et horis illi debes parce præbitum ire.

ABBATISSA.

Vereor quod delicatæ teneritudo mentis ægre patiatur difficultatem tanti laboris.

PAPHNUTIUS.

B Ne id vereare: nam grave delictum forte desiderat sperare remedium.

ABBATISSA.

Verum.

PAPHNUTIUS.

Tædet me magis morarum, quia timeo illam corrumpi visitatione hominum.

ABBATISSA.

Cur tædium pateris? Cur illam non includis? Ecce cellula quam desiderasti est **52** perfecta.

PAPHNUTIUS.

Placet. Ingredere, Thais, habitaculum tuis facinoribus deflendis satis congruum.

THAIS.

Quam breve, quam obscurum et quam incommodum tenellæ mulieri ad inhabitandum!

PAPHNUTIUS.

C Cur habitaculum exsecraris? Cur ingredi horrescis? Decet ut, quæ hactenus fuisti indomite vaga, nunc tandem in solitario refreneris loco.

THAIS.

Mens assueta lasciviæ haud raro impatiens est anterioris vitæ.

PAPHNUTIUS.

Ideo debet habenis disciplinæ stringi, quoadusque desinat contra luctari.

THAIS.

Quod jubet tua paternitas non recusat subitum ire mea vilitas; sed quædam inopportunitas inest huic habitationi difficilis ad sufferendum meæ fragilitati.

PAPHNUTIUS.

D Quæ hæc importunitas?

THAIS.

Erubesco dicere.

PAPHNUTIUS.

Ne erubescas, sed penitus detege.

THAIS.

Quid importunius, quidve poterit esse incommodius, quam quod in uno eodemque loco diversa corporis necessaria supplere debebo? Nec dubium quin ocius fiat inhabitabilis præ nimietate fetoris.

PAPHNUTIUS.

Formida perpetis crudelitatem gehennæ, et desine transitoria pertimescere.

A

THAIS.

Fragilitas mei cogit me terreri.

PAPHNUTIUS.

Convenit ut male blandimentorum dulcedinem delectationis luas molestia nimii fetoris.

THAIS.

Non recuso, non nego me sordidam non injuria fœdo sordidoque habitatum ire in tugurio; sed hoc dolet vehementius, quod nullus est relictus locus, in quo apte et caste possim tremendæ nomen majestatis invocare.

PAPHNUTIUS.

Et unde tibi tanta fiducia, ut pollutis labiis præsumas proferre nomen impollutæ Divinitatis?

THAIS.

B Et a quo veniam sperare, cujusve salvari possum miseratione, si ipsum prohibeor invocare, cui soli deliqui, et cui uni devotio orationum debet offerri?

PAPHNUTIUS.

Debes plane orare non verbis, sed lacrymis, non sonoritate tinnulæ vocis, sed compuncti rugitu cordis.

THAIS.

Et si vetar Deum verbis orare, quomodo possum veniam sperare?

PAPHNUTIUS.

Tanto celerius mereberis, quanto perfectius humiliaberis. Dic tantum : Qui me plasmati, miserere mei.

THAIS.

C Opus est ejus miseratione, ne frangar in dubio certamine **53**.

PAPHNUTIUS.

Certa viriliter, ut possis triumphum obtinere feliciter.

THAIS.

Tuum est pro me orare, ut merear palmam victoriæ.

PAPHNUTIUS.

Non opus est monitu.

THAIS.

Spero.

PAPHNUTIUS.

D Tempus est optatas solitudinis repetam latebras, et charos visitem discipulos. Tuæ igitur sollicitudini, tuæ pietati, venerabilis abbatissa, hanc captivam committo, ut et corpus delicatum mediocriter foveas necessariis, et animam sufficienter reficias saluberrimis monitis.

ABBATISSA.

Ne sollicìteris pro ea, quia eam materno affectu fovebo.

PAPHNUTIUS.

Vadam.

ABBATISSA.

In pace.

SCENA VIII,

DISCIPULI.

Quis pulsat portam?

PAPHNUTIUS.

Ego.

DISCIPULI.

Vox Paphnutii Patris nostri.

PAPHNUTIUS.

Amovete pessulum.

DISCIPULI.

O pater, salve.

PAPHNUTIUS.

Avete.

DISCIPULI.

Coarctabamur nimium pro diutina absentia tui.

PAPHNUTIUS.

Juvat quod abfui.

DISCIPULI.

Quid actum est de Thaide?

PAPHNUTIUS.

Juxta meum velle.

DISCIPULI.

Ubi moratur?

PAPHNUTIUS.

In exigua cellula deflet sui commissa.

DISCIPULI.

Laus sit summæ Trinitati.

PAPHNUTIUS.

Et benedictum nomen ejus tremendum nunc et per ævum.

DISCIPULI.

Amen.

SCENA IX.

PAPHNUTIUS.

Ecce, tres mensurni pœnitentiæ Thaidis transiere, et ego ignoro utrumne Deo acceptabilis sit ejus compunctio. Surgam, et vadam ad fratrem meum Antonium, quo mihi manifestetur per ejus interventum.

SCENA X.

ANTONIUS.

Quid insperatæ jucunditatis accidit? Quid novi gaudii mihi contigit? Num hic est frater et cœremicola meus Paphnutius? Ipse est.

PAPHNUTIUS.

Sum etenim.

ANTONIUS.

Bene, frater, venisti, bene me adveniendo lætificasti.

PAPHNUTIUS.

Haud minus tripudio tui visu, quam tu mei adventu.

ANTONIUS.

Quæ hæc causa tam acceptabilis, tam grata nobis, quæ te huc duxit de tuis latibulis?

PAPHNUTIUS.

En valeo.

ANTONIUS.

Hoc desidero.

PAPHNUTIUS.

Ante hoc triennium morabatur secus nos quædam meretrix nomine Thais, quæ non solum sese perdi-

tioni dedit, sed etiam plures secum ad interitum trahere consuevit.

ANTONIUS.

Heu! gemenda consuetudo!

PAPHNUTIUS.

Hanc sub specie amatoris adii, et lascivientem nimium nunc suavibus hortamentis blandiendo mulcebam, nunc acrioribus monitis minitando terrebam.

ANTONIUS.

Hoc temperamentum ejus **54** lasciviæ fuit necessarium.

PAPHNUTIUS.

Tandem cessit, et spreta reprehensibili consuetudine castitatem elegit, seseque in angustissima cellula concludi consensit.

ANTONIUS.

Delector audiendo in tantum, ut omnes præcordiorum venæ intrinsecus exsiliant gaudendo.

PAPHNUTIUS.

Decet tui sanctitatem; et ego quidem, licet supra modum gaudeam de conversione, non levi tamen conturbor sollicitudine, eo quod vereor ejus teneritudinem ægre ferre diutinum laborem.

ANTONIUS.

Ubi adest vera dilectio, non deest pia compassio.

PAPHNUTIUS.

Unde tuam dilectionem efflagito, ut tu tuique discipuli mecum in orationibus concordando velitis persistere, quoadusque cœlitus demonstretur utrumne benignitas divinæ miserationis ad indulgentiam molita sit pœnitentis lacrymis.

ANTONIUS.

Consentimus tuæ petitioni libenter.

PAPHNUTIUS.

Nec dubito vos a Deo exauditum iri clementer.

SCENA XI.

ANTONIUS.

Ecce evangelica promissio in nobis est impleta.

PAPHNUTIUS.

Quæ hæc promissio?

ANTONIUS.

Ea videlicet quæ consentientes in oratione promisit omnia impetrare posse.

PAPHNUTIUS.

Quid est?

ANTONIUS.

Paulo meo discipulo ostensa est quædam visio.

PAPHNUTIUS.

Voca illum.

ANTONIUS.

Paule, accede, et quæ vidisti Paphnutio expone.

PAULUS.

Videbam in visione lectulum candidulis palliolis in cœlo magnifice stratum, cui quatuor splendidæ virgines præerant, et quasi custodiendo astabant; at ubi jucunditatem miræ claritatis aspiciebam, in-

A tra me dicebam: Hæc gloria nemini magis congruit quam Patri et domino meo Antonio.

ANTONIUS.

Tali me non dignor beatitudine.

PAULUS.

Quo dicto intonuit vox divina dicens: « Non, ut speras, Antonio, sed Thaidi meretrici servanda est hæc gloria. »

PAPHNUTIUS.

Laus dulcedini tuæ, Christe, unice Dei, quod mei tristitiam tam pie dignatus es consolari.

ANTONIUS.

Dignus est laudari.

PAPHNUTIUS.

Ibo, et mei captivam visitabo.

B ANTONIUS.

Tempus est ut illi et spem veniæ et solamen promittas beatitudinis æternæ.

SCENA XII.

PAPHNUTIUS.

Thais, mea adoptiva filia, aperi fenestram, ut te videam.

THAIS.

Quis loquitur?

PAPHNUTIUS.

Paphnutius Pater tuus.

THAIS.

Unde mihi jucunditas **55** tantæ lætitiæ, ut tu me peccatricem digneris visitare?

PAPHNUTIUS.

C Licet per hoc triennium absens essem corpore, haud modicum tamen sollicitus fui pro tui salute.

THAIS.

Non dubito.

PAPHNUTIUS.

Expone mihi historiam tuæ conversationis, modumque compunctionis.

THAIS.

Hoc possum exponere, quod non nescio me nihil dignum Deo egisse.

PAPHNUTIUS.

Si Deus iniquitates observabit, nemo sustinebit.

THAIS.

Si tamen quid fecerim vis scire, numerositatem meorum scelerum intra conscientiam, quasi in fa-
D sciculum collegi et pertractando mente semper inspexi, quo, sicut naribus nunquam molestia fetoris, ita formido gehennæ non abesset visibus cordis.

PAPHNUTIUS.

Quia te compunctione punisti, ideo veniam meruisti.

THAIS.

O utinam!

PAPHNUTIUS.

Da manum, ut te educam.

THAIS.

Noli, Pater venerande, noli me sordidulam his

immunditiis abstrahere, sed sine in loco meis meritis condigno mansum ire. A

PAPHNUTIUS.

Tempus est ut levigato timore incipias vitam sperare, quia tui pœnitentia acceptabilis est Deo.

THAIS.

Ejus pietati laudem ferant omnes angeli, quia non sprevit humilitatem cordis contriti.

PAPHNUTIUS.

Esto stabilis in Dei timore, et permane in ejus dilectione; post quindecim namque dies hominem exues, et tandem felici cursu peracto, superna favente gratia, transmigrabis ad astra.

THAIS.

O utinam mererer pœnas evadere, vel saltem clementius exuri mitiori igne! Non est enim hoc B mei meriti, ut doner beatitudine interminabili.

PAPHNUTIUS.

Gratuitum Dei donum non pensat humaunm meritum, quia si meritis tribueretur, gratia non diceretur.

THAIS.

Unde laudet illum cœli concentus, omnisque terræ surculus, necnon universæ animalis species, atque confusæ aquarum gurgites, qui non solum peccantes patitur, sed etiam pœnitentibus præmia gratis largitur.

PAPHNUTIUS.

Hoc illi antiquitus fuit in more, ut mallet misereri quam ferire.

SCENA XIII.

THAIS.

Noli abire, Pater venerabilis; sed adesto mihi pro solatio in hora meæ dissolutionis.

PAPHNUTIUS.

Non abeo, non discedo, donec anima super æthera plaudente corpus **56** tradam sepulturæ.

THAIS.

En, incipio mori.

PAPHNUTIUS.

Nunc est tempus orandi.

THAIS.

Qui plasmati me, miserere mei, et fac felici reditu ad te reverti animam quam inspirasti.

PAPHNUTIUS.

Qui factus a nullo vere es sine materia [*f.* materiæ] fo.ma, cujus simplex esse hominem, qui non est id quod est, ex hoc et hoc fecit consistere, da diversas partes hujus solvendæ hominis prospere repertere principium sui originis, quo et anima cœlitus indita cœlestibus gaudiis intermisceatur, et corpus in molli gremio terræ suæ materiæ pacifice foveatur, quoadusque pulverea favilla coeunte et vivaci flatu redivivos artus iterum intrante, hæc eadem Thais resurgat perfecta, ut fuit, homo inter candidulas oves collocanda et in gaudium æternitatis inducenda; tu, qui solus es id quod es, in unitate Trinitatis regnas et gloriaris per infinita C sæcula sæculorum. Amen.

VI
SAPIENTIA

ARGUMENTUM IN SAPIENTIAM

Passio sanctarum virginum Fidei, Spei et Charitatis, quas, earumdem veneranda genitrice Sapientia præsente et maternis admonitionibus ad tolerandas passiones hortante, Adrianus imperator diversis suppliciis interfecit; quarum etiam corpora martyrio consummata sancta mater Sapientia collegit, et aromatibus condita quinto ab urbe Roma milliario honorifice sepelivit. Ipsa quoque quadragesima die, juxta earum sepulcra, finita oratione sacra, spiritum præmisit cœlo.

INTERLOCUTORES :

ANTIOCHUS, ADRIANUS, SAPIENTIA, FIDES, SPES, CHARITAS, MATRONÆ.

SCENA I

57 ANTIOCHUS.

Tuum igitur esse, o imperator Adriane, prosperis ad vota successionibus pollere tuique statum imperii feliciter absque perturbatione exoptans vigere, quidquid rempublicam confundere, quidquid tran- D quillum mentis reor vulnerare posse, qnantocius divelli penitusque cupio labefactari.

ADRIANUS.

Nec injuria; nam nostri prosperitas tui est felicitas, cum summos dignitatis gradus in dies tibi augere non desistimus.

ANTIOCHUS.

A Congratulor tuæ almitati; unde, si quid experior emergere quod tuo potentatui videtur contra luctari, non occulo, sed impatiens moræ profero.

ADRIANUS.

Et merito, ne reus majestatis esse arguaris, si non celanda celaveris.

ANTIOCHUS.

Hujusmodi commisso reatus nunquam fui obnoxius.

ADRIANUS.

Memini; sed profer si quid scias novi.

ANTIOCHUS.

Quædam advena mulier hanc urbem nuper intravit comitata proprii fetus pusiolis tribus.

ADRIANUS.

Cujus sexus sunt pusioli?

ANTIOCHUS.

Omnes feminei.

ADRIANUS.

Nunquid tantillarum adventus muliercularum aliquod reipublicæ adducere poterit detrimentum?

ANTIOCHUS.

Permagnum.

ADRIANUS.

Quod?

ANTIOCHUS.

Pacis defectum.

ADRIANUS.

Quo pacto?

ANTIOCHUS.

Et quid magis potest rumpere civilis concordiam pacis quam dissonantia observationis?

ADRIANUS.

Nihil gravius, nihil deterius, quod testatur orbis Romanus, qui undique secus Christianæ cædis sorde est infectus.

ANTIOCHUS.

Hæc igitur femina, cujus mentionem facio, hortatur nostrates avitos ritus deserere et Christianæ religioni se dedere.

ADRIANUS.

Num prævalet hortamentum?

ANTIOCHUS.

Nimium. Nam nostræ conjuges fastidiendo nos contemnunt adeo, ut dedignentur nobiscum comedere, quanto minus dormire.

ADRIANUS.

Fateor, periculum.

ANTIOCHUS.

Decet tui personam præcavere.

ADRIANUS.

Consequens. Advocetur, et in nostri præsentia an velit cedere discutiatur.

ANTIOCHUS.

Vin' me illam advocare?

ADRIANUS.

Volo percerte.

SCENA II.

ANTIOCHUS.

Quid vocaris, o mulier advena?

SAPIENTIA.

Sapientia.

ANTIOCHUS.

Imperator Adrianus jussit te in palatio præsentari suis conspectibus.

SAPIENTIA.

Palatium cum nobili filiarum comitatu intrare non trepido, et minacem imperatoris vultum comminus aspicere **58** non formido.

ANTIOCHUS.

Invisum genus Christicolarum semper promptum est principibus ad resistendum.

SAPIENTIA.

B Princeps universitatis, qui nescit vinci, non patitur suos ab hoste superari.

ANTIOCHUS.

Mitiga effluentiam verborum, et perge ad palatium.

SAPIENTIA.

Monstra viam præeundo, nos subsequimur accelerando.

SCENA III.

ANTIOCHUS.

Hic ipse est imperator, quem in solio residentem conspicis; præcogita quid loquaris.

SAPIENTIA.

Hoc prohibet Christi sententia, promittens nobis insuperabilis sapientiæ dona.

ADRIANUS.

C Huc ades, Antioche.

ANTIOCHUS.

Præsto sum, domine.

ADRIANUS.

Numquid hæ sunt mulierculæ, quas deferebas pro Christiana religione?

ANTIOCHUS.

Sunt plane.

ADRIANUS.

Uniuscujusque pulchritudinem obstupesco, sed et honestatem habitus satis admirari nequeo.

ANTIOCHUS.

Desine, o mi senior, admirari, et coge illas deos venerari.

ADRIANUS.

D Quid si illas primule aggrediar blanda allocutione, si forte velint cedere?

ANTIOCHUS.

Melius est. Nam fragilitas sexus feminei facilius potest blandimentis molliri.

ADRIANUS.

Illustris matrona, blande et quiete ad culturam deorum te invito, quo nostra perfrui possis amicitia.

SAPIENTIA.

Nec in cultura deorum tuis votis satisfacere, nec amicitiam gestio inire.

ADRIANUS.

Adhuc mitigato furore nulla in te moveor indignatione, sed pro tua tuque filiarum salute paterno sollicitor amore.

SAPIENTIA.

Nolite, meæ filiæ, serpentinis hujus satanæ lenociniis cor apponere, sed meatim fastidite.

FIDES.

Fastidimus et animo contemnimus frivola

ADRIANUS.

Quid murmurando loqueris ?

SAPIENTIA.

Filias affabar paucis.

ADRIANUS.

Videris esse summis natalibus orta, sed tamen patriam,genus,nomenque tuum ex te plenius cupio edisccre.

SAPIENTIA.

Licet sanguinis superbia nobis sit parvi pendenda, tamen clara ex stirpe me originem non nego trahere.

ADRIANUS.

Credibile.

SAPIENTIA.

Nam eminentiores Græciæ principes fuere mei parentes, et vocor Sapientia.

ADRIANUS.

Charitas ingenuitatis rutilat in facie,et Sapientia nominis fulget in ore.

SAPIENTIA.

Frustra blandiris, non flectimur tuis suadelis.

ADRIANUS.

Dic cur adveneris, vel quare nostrates adieris.

SAPIENTIA.

Nullius alius rei nisi agnoscendæ **59** veritatis causa, quo fidem, quam expugnatis,plenius ediscerem, filiasque meas Christo consecrarem.

ADRIANUS.

Expone vocabula singularum.

SAPIENTIA.

Una vocatur Fides, altera Spes, tertia Charitas.

ADRIANUS.

Quot annos volverunt?

SAPIENTIA.

Placetne vobis, o filiæ, ut hunc stultum arithmetica fatigem disputatione ?

FIDES.

Placet, mater, nosque auditum præbemus libenter.

SAPIENTIA.

O imperator, si ætatem inquiris parvularum, Charitas imminutum pariter parem mensurnorum complevit numerum ; Spes autem æque imminutum, sed pariter imparem ; Fides vero superfluum impariter parem.

ADRIANUS.

Tali responsione fecisti me quæ interrogabam minime agnoscere.

A

SAPIENTIA.

Nec mirum quia sub hujus definitionis specie non unus cadit numerus, sed plures.

ADRIANUS.

Expone enucleatius, alioquin non capit meus animus.

SAPIENTIA.

Charitas duas olympiades jam volvit, Spes duo lustra, Fides tres olympiades.

ADRIANUS.

Et cur octonarius numerus, qui duabus constat olympiadibus,et denarius,qui duobus lustris perficitur, imminutus dicitur ? Vel quare duodenarius, qui tribus olympiadibus impletur, superfluus esse asseritur ?

SAPIENTIA.

B Omnis namque numerus imminutus dicitur,cujus partes conjunctæ minorem illo numero,cujus partes sunt, summæ quantitatem reddunt, ut VIII. Est autem octonarii medietas IV, pars quarta II, pars octava I, quæ in unum redactæ VII reddunt. Similiter denarius habet dimidiam partem V,quintam autem II, decimam vero I, quæ simul copulatæ VIII colligunt. E contrario autem superfluus dicitur, cujus partes augendo crescunt, ut XII. Est enim duodenarii medietas VI, pars tertia IV, pars quarta III, pars sexta II, pars duodecima I ; hic cumulus redundat in sedecim. Ut autem principalem non prætercam,qui inter inæquales intemperantias medii temperamentum limitis sortitus est,ille numerus perfectus dicitur,qui suis æquus partibus nec auge-

C tur, nec minuitur, ut VI, cujus partes, id est III, II, I, eumdem **60** senarium restituunt. Simili quoque ratione XXVIII, CCCCXCVI, VIII millia CXXVIII perfecti dicuntur.

ADRIANUS.

Et quid reliqui :

SAPIENTIA.

Omnes superflui, sive imminuti.

ADRIANUS.

Quis numerus pariter par ?

SAPIENTIA.

Qui potest in duo æqualia dividi, ejusque pars in duo æqualia, partisque pars in duo æqualia ac deinceps per ordinem, donec in insecabilem incurrat unitatem,ut VIII et XVI omnesque, qui ab his in duplo fiunt.

D

ADRIANUS.

Et quis est pariter impar ?

SAPIENTIA.

Qui in partes æquales recipit sectionem, ejusque partes mox indivisibiles permanebunt, ut X et omnes, qui ab imparibus in duplo fiunt. Hic namque numerus superiori est contrarius, quia in illo solus minor terminus divisione est solutus ; in isto autem solus major terminus divisioni est aptus ; in illo quoque omnes ejus partes nomine et quantitate sunt pariter pares ; in isto autem, si denominatio fuerit par,quantitas impar,si quantitas par, denominatio impar.

ADRIANUS.

Nec terminum, quem dixisti, agnosco, nec denominationem seu quantitatem scio.

SAPIENTIA.

Quando quantilibet numeri digestim disponuntur, primus minor terminus et postremus major dicitur; quando autem divisionem faciendo quota pars sit numeri dicimus, denominationem facimus; cum autem, quot in unaquaque parte sint enumeramus, quantitatem exponimus.

ADRIANUS.

Et quis est impariter par?

SAPIENTIA.

Qui non solum unam recipit sectionem, sicut pariter par, sed etiam et secundam, aliquoties autem et tertiam vel plures, sed tamen usque ad indivisibilem non perveniet unitatem.

ADRIANUS.

O quam scrupulosa et plexibilis (*leg.* plectilis) quæstio ex istarum ætate infantularum est orta!

SAPIENTIA.

In hoc laudanda est supereminens Factoris sapientia, et mira mundi artificis scientia, qui non solum in principio mundum creans ex nihilo, omnia in numero et mensura et pondere posuit, sed etiam in succedentium serie temporum et in ætatibus hominum, miram dedit inveniri posse scientiam artium.

ADRIANUS.

Diu te sustinui ratiocinantem, quo te mihi efficerem obtemperantem.

61 SAPIENTIA.

In quo?

ADRIANUS.

In cultura deorum.

SAPIENTIA.

In hoc utique non consentio.

ADRIANUS.

Si reniteris, tormentis afficieris.

SAPIENTIA.

Corpus quidem suppliciis lacessere poteris, sed animum ad cedendum compellere non prævalebis.

ANTIOCHUS.

Dies abiit, nox incumbit, non est tempus altercandi, quia instat hora cœnandi.

ADRIANUS.

In custodiam juxta palatium ponantur, et triduanæ induciæ illis ad tractandum præstentur.

ANTIOCHUS.

Observate istas, o milites, omni sollicitudine, nullamque illis occasionem evadendi relinquite.

SCENA IV.

SAPIENTIA.

O dulces filiolæ et charæ pusiolæ, nolite super carceralis angustia custodiæ contristari, nolite imminentium minis pœnarum terreri.

FIDES.

Licet corpuscula pavescant ad tormenta, mens tamen gliscit ad præmia.

A SAPIENTIA.

Vincite infantilis teneritudinem ætatulæ maturi sensus fortitudine.

SPES.

Tuum est nos precibus adjuvare, ut possimus vincere.

SAPIENTIA.

Hoc indesinenter exoro, hoc efflagito, ut perseveretis in fide quam inter ipsa crepundia vestris sensibus non desistebam instillare.

CHARITAS.

Quod sugentes ubera in cunabulis didicimus nullatenus oblivisci quibimus.

SAPIENTIA.

Ad hoc vos materno lacte affluenter alui, ad hoc delicate nutrivi, ut vos cœlesti non terreno sponso
B traderem, quo vestri causa socrus æterni regis dici meruissem.

FIDES.

Pro ipsius amore sponsi promptæ sumus mori.

SAPIENTIA.

Delector ex vestra ratione, o filiæ, magis quam nectareæ dulcedinis gustamine.

SPES.

Præmitte nos ante tribunal judicis, et experieris quantum ejus amor nobis attulerit temeritatis.

SAPIENTIA.

Hoc exopto ut vestra virginitate coroner, ut vestro martyrio glorificer.

CHARITAS.

Consertis palmulis incedamus, et vultum tyranni
C confundamus.

SAPIENTIA.

Exspectate donec instet hora vocationis nostræ.

FIDES.

Tædet nos morarum, tamen est exspectandum.

SCENA V.

ADRIANUS.

Antioche, jube illas Græculas nobis repræsentari captivas.

ANTIOCHUS.

Procede, Sapientia, teque cum filiabus imperatori repræsenta.

SAPIENTIA.

Pergite mecum, filiæ, constanter, et perseverate in fide unanimiter, ut possitis palmam percipere feliciter.

D **62** SPES.

Pergimus, ipseque nobiscum comitetur, pro cujus amore ad mortem ducemur.

ADRIANUS.

Triduanas vobis inducias præstabat nostri serenitas, unde si quid tractaretis utilitatis, cedite jussionibus nostris.

SAPIENTIA.

Summum igitur utile tractavimus, id scilicet, ut non cedamus.

ANTIOCHUS.

Cur dignaris cum hac contumace verba miscere, quæ te insolenti fatigat præsumptione?

ADRIANUS.

Debeone illam dimittere impunitam?

ANTIOCHUS.

Nequaquam.

ADRIANUS.

Et quid?

ANTIOCHUS.

Hortare puellulas, et si renitantur, infantiæ ne parcas, sed fac ut illæ necentur, quo rebellis mater funeribus natarum acrius torqueatur.

ADRIANUS.

Faciam quæ hortaris.

ANTIOCHUS.

Ita demum prævalebis.

ADRIANUS.

Fides, intuere venerabilem magnæ Dianæ imaginem, et fer sacræ deæ libamina, quo possis uti ejus gratia.

FIDES.

O stultum imperatoris præceptum omni contemptu dignum!

ADRIANUS.

Quid murmuras subsannando? Quem irrides fronte rugosa?

FIDES.

Tui stultitiam irrideo, tui insipientiam subsanno.

ADRIANUS.

Mei?

FIDES.

Tui.

ANTIOCHUS.

Imperatoris?

FIDES.

Ipsius.

ANTIOCHUS.

O nefas!

FIDES.

Quid enim stultius, quid insipientius videri potest, quam quod hortatur nos, contempto Creatore universitatis, venerationem inferre metallis?

ANTIOCHUS.

Nonne hæc summa insania et magna est dementia, quod rerum principem dixisti insipientem?

FIDES.

Dixi et dico, dicamque quandiu vixero.

ANTIOCHUS.

Breve tempus vivere, et cito debes consumi morte.

FIDES.

Hoc opto ut moriar in Christo.

ADRIANUS.

Duodecim centuriones alternando scindant flagris ejus membra.

ANTIOCHUS.

Nec injuria.

ADRIANUS.

O fortissimi centuriones, accedite meique injuriam vindicate.

A ANTIOCHUS.

Justum.

ADRIANUS.

Perquire, Antioche, anne velit cedere.

ANTIOCHUS.

Vin adhuc, Fides, solita conviciorum objectione imperatorem dehonestare?

FIDES.

Cur solito minus?

ANTIOCHUS.

Quia prohiberis verberibus.

FIDES.

Verbera non compellunt me tacere, quia nullo afficior dolore.

ANTIOCHUS.

B O infelix pertinacia, o contumax audacia.

ADRIANUS.

Corpus fatiscit per supplicia, et mens tumet superbia.

FIDES.

Erras, Adriane, si reris me fastigari 63 suppliciis. Non ego quidem, sed infirmi tortores deficiunt et sudore ob lassitudinem fluunt.

ADRIANUS.

Fac, Antioche, ut gemellæ pectoris particulæ abscindatur, quo saltem rubore coerceatur.

ANTIOCHUS.

O utinam possit ullo coerceri modo!

ADRIANUS.

Forsan coercebitur.

FIDES.

C Inviolatum pectus vulnerasti, sed me non læsisti. En, pro fonte sanguinis, fons erumpit lactis.

ADRIANUS.

In craticulam substratis ignibus assanda ponatur, quo vi vaporis enecetur.

ANTIOCHUS.

Digna est ut miserabiliter pereat, quæ tuæ jussioni contra luctari non trepidat.

FIDES.

Omne quod paras ad dolorem mihi vertitur in quietem; unde commode pauso in craticula, ceu in tranquilla navicula.

ADRIANUS.

Sartago plena pice et cera ardentibus rogis superponatur, et in ferventem liquorum hæc rebellis D mittatur.

FIDES.

Sponte insilio.

ADRIANUS.

Consentio.

FIDES.

Ubi sunt minæ tuæ? Ecce, illæsa inter ferventem liquorem ludens nato, et pro vi caumatis sentio matutini refrigerium roris.

ADRIANUS.

Antioche, quid ad hæc est agendum?

ANTIOCHUS.

Ne evadat providendum.

ADRIANUS.

Capite truncetur.

ANTIOCHUS.

Alioquin non vincetur.

FIDES.

Nunc est gaudendum, nunc in Domino exsultandum.

SAPIENTIA.

Christe, triumphator diaboli invictissime, da tolerantiam Fidei meæ filiæ.

FIDES.

O mater veneranda, dic vale ultimum tuæ filiæ, liba osculum tuæ primogenitæ, nec afficiare ullo mœrore cordis, quia tendo ad bravium æternitatis.

SAPIENTIA.

O filia, filia, non confundor, non contristor, sed vale dico tibi exsultando, et osculor os oculosque præ gaudio lacrymando orans, ut sub ictu percussoris inviolatum serves mysterium tui nominis.

FIDES.

O uterinæ sorores, libate mihi osculum pacis, et parate vos ad tolerantiam futuri certaminis.

SPES.

Adjuva nos oratione assidua, ut mereamur sequi tua vestigia.

FIDES.

Este obtemperantes monitis nostræ sanctæ parentis, quæ nos hortabatur præsentia fastidire, quo meruissemus æterna percipere.

CHARITAS.

Maternis libenter obtemperamus monitis, quo perfrui mereamur æternis bonis.

FIDES.

Percussor, **64** accede, et injunctum tibi officium me necando imple.

SAPIENTIA.

Abscisum morientis filiæ caput amplectendo, impressisque labris crebrius deosculando, congratulor tibi, Christe, qui tantillulæ victoriam præstitisti puellæ.

ADRIANUS.

Spes, cede meis hortamentis paterno affectu tibi consulentis.

SPES.

Quid hortaris, quid consulis?

ADRIANUS.

Ut caveas pertinaciam imitari sororis, ne similibus intereas pœnis.

SPES.

O utinam admeruissem illam imitari patiendo, quo illi assimilarer in præmio!

ADRIANUS.

Depone callum pectoris, et conquinisce thurificando magnæ Dianæ, et ego te propriæ prolis vice excolo, atque extollo omni dilectione.

SPES.

Paternitatem tuam repudio, tua beneficia minime desidero. Quapropter vacua spe deciperis, si me tibi cedere reris.

ADRIANUS.

Loquere parcius, ne irascar.

A

SPES.

Irascere, nec sollicitor.

ANTIOCHUS.

Miror, Auguste, quod ab hac vili puellula tamdiu calumniari pateris. Ego quidem disrumpor præ furore, quia illam audito tam temere in te latrare.

ADRIANUS.

Hactenus infantiæ parcebam: ultra non parcam; sed meritam ultionem inferam.

ANTIOCHUS.

O utinam!

ADRIANUS.

O lictores, adite et hanc rebellem usque ad internecionem crudis nervis cædite.

B

ANTIOCHUS.

Decet ut severitatem sentiat tui furoris, quia lenitatem parvi pendit pietatis.

SPES.

Hanc pietatem exopto, hanc lenitatem desidero.

ANTIOCHUS.

O Sapientia, quid murmurando loqueris, stans sublevatis oculis juxta cadaver exstinctæ prolis?

SAPIENTIA.

Invoco Omniparentem, quo eamdem tolerantiæ perseverantiam, quam præstitit Fidei, præstet et Spei.

SPES.

O mater, mater! quam efficaces, quam exaudibiles experior esse tui preces! Ecce, te orante angeli tortores levatis dextris librant ictum, et ego nullum doloris sentio tactum.

C

ADRIANUS.

Si flagra parvi pendis, acrioribus pœnis coarctaberis.

SPES.

Infer, infer quidquid crudele, quidquid excogites lethale. Quanto plus sævis, tanto magis victus confunderis.

ADRIANUS.

In aera suspendatur, et ungulis laceretur, quoadusque evulsis visceribus et nudatis ossibus deficiat et membratim crepat.

ANTIOCHUS.

Imperialis **65** jussio, et congrua satis ultio!

D

SPES.

Vulpina fraude loqueris, et versipelli astutia, Antioche, adularis.

ANTIOCHUS.

Quiesce, infelix, verbositas tua nunc est finienda.

SPES.

Non ut speras evenerit, sed tibi tuoque principi nunc etiam confusio aderit.

ADRIANUS.

Quid sentio novæ dulcedinis? Quid odoror stupendæ suavitatis?

SPES.

Decidentia frusta mei lacerati corporis dant fra-

grantiam paradisiaci aromatis, quo nolens cogeris fateri me non posse suppliciis lædi.

ADRIANUS.

Antioche, quid enim mihi est agendum?

ANTIOCHUS.

Novis cruciatibus incumbendum.

ADRIANUS.

Æneum vas plenum oleo et adipe, cera atque pice, ignibus superponatur, in quod ligata projiciatur.

ANTIOCHUS.

Si in jus Vulcani tradetur, forsitan evadendi aditum non nanciscetur.

SPES.

Hæc virtus Christo non est insolita, ut ignem faciat mitescere mutata natura.

ADRIANUS.

Quid? Audio, Antioche, velut sonitum inundantis aquæ.

ANTIOCHUS.

Heu, heu, domine!

ADRIANUS.

Quid contigit nobis?

ANTIOCHUS.

Ebulliens fervor confracto vase ministros combussit, et ilia malefica illæsa comparuit.

ADRIANUS.

Fateor, victi sumus.

ANTIOCHUS.

Penitus.

ADRIANUS.

Caput abscidatur.

ANTIOCHUS.

Alias non absumetur.

SPES.

O Charitas dilecta, o soror unica! Ne formides tyranni minas, ne trepides ad pœnas, nitere constanti fide imitari sorores ad cœli palatium præcedentes.

CHARITAS.

Tædet me vitæ præsentis, tædet terrenæ habitationis, quod saltim ad modicum temporis separor a vobis.

SPES.

Depone tædium et tende ad præmium. Non enim diu separabimur, sed ocius in cœlo conjungemur.

CHARITAS.

Fiat, fiat!

SPES.

Euge, mater illustris, gaude, nec tangaris de mei passione materni affectus dolore; sed præfer spem mœrori, cum me videas pro Christo mori.

SAPIENTIA.

Nunc quidem gaudeo, sed tunc tandem perfecte exsultans gaudebo, quando tui sororculam pari conditione exstinctam cœlo præmisero, et ego subsequar postrema.

SPES.

Perennis Trinitas restituet tibi in ævum plenum absque diminutione filiarum numerum.

A SAPIENTIA.

Confortare, filia; percussor invadit nos evaginato gladio.

SPES.

Libens **66** excipio gladium. Tu, Christe, suscipe spiritum pro tui confessione nominis ejectum de habitaculo corporis.

SAPIENTIA.

O Charitatis, soboles inclyta, spes uteri mei unica, ne contristes matrem bonam tui certaminis consummationem exspectantem; sed sperne præsens utile, quo pervenias ad gaudium interminabile, quo tui germanæ fulgent coronis illibatæ virginitatis.

CHARITAS.

Fulci me, mater, precibus sacris, quatenus B merear interesse illarum gaudiis.

SAPIENTIA.

Exoro te finetenus in fide solidatum iri, nec dubito tibi perenne tripudium donatum iri.

ADRIANUS.

Charitas, saturatus conviciis tui sororum, nimiumque exacerbatus sum prolixa oratione earum. Unde diu tecum non contendo, sed vel obtemperantem mei votis ditabo omnibus bonis, vel contra luctantem afficiam malis.

CHARITAS.

Bonum cordetenus amplector, et malum omnino detestor.

ADRIANUS.

Hoc tibi potissimum salubre mihique est placabile, ideoque leve quiddam tibi præpono meæ pie- C tatis gratia.

CHARITAS.

Quid?

ADRIANUS.

Dic tantum: *Magna Diana!* et ego ultra ad sacrificandum te non compello.

CHARITAS.

Percerte non dico.

ADRIANUS.

Quare?

CHARITAS.

Quia mentiri nolo. Ego quidem et sorores meæ eisdem parentibus genitæ, æisdem sacramentis imbutæ sumus, una eodemque fidei constantia roboratæ. Quapropter scito nostrum velle, nostrum con- D sentire, nostrum sapere, unum idemque esse, nec me in ullo unquam illis dissidere.

ADRIANUS.

O injuria, quod a tantilla etiam contemnor homullula!

CHARITAS.

Licet tenella sim ætate, tamen gnara sum te argumentose confundere.

ADRIANUS.

Abstrahe illam, Antioche, et fac, ut suspensa in equuleo atrociter verberetur.

ANTIOCHUS.

Vereor quod verbera non prævaleant.

ADRIANUS.

A Si non prævaleant, jube tribus continuis diebus ac noctibus fornacem succendi et illam inter bacchantes flammas projici.

CHARITAS.

O judicem impotentem, qui diffidit se absque armis ignium octennem infantem superare posse!

ADRIANUS.

Abi, Antioche, et injunctum officium perfice.

CHARITAS.

Sævitiæ quidem tuæ satisfaciendo parebit, sed me minime nocebit, quia nec **67** verbera mei corpusculum lacerare, nec flammæ comam vel vestes poterunt obfuscare.

ADRIANUS.

Experietur.

CHARITAS.

Experiatur.

SCENA VI.

ADRIANUS.

Antioche, quid pateris? cur tristior solito regrederis?

ANTIOCHUS.

Quando causam tristitiæ experieris, haud minus contristeris.

ADRIANUS.

Dic, ne celes.

ANTIOCHUS.

Illa lasciva, quam mihi cruciandam tradidisti, puellula me præsente flagellabatur, sed ne tenuis C quidem cutis summotenus disrumpebatur. Deinde projeci illam in fornacem, igneum colorem præ nimio ardore exprimentem.

ADRIANUS.

Cur dissimulas loqui? Expone exitum rei.

ANTIOCHUS.

Flamma erupit, et quinque millia hominum combussit.

ADRIANUS.

Et quid contigit illi?

ANTIOCHUS.

Charitati?

ADRIANUS.

Ipsi.

ANTIOCHUS.

D Ludens inter flammivomos vapores vagabatur, et illa laudes Deo suo pangebat; illi etiam, qui diligenter inspexere, ferebant tres candidulos viros cum illa deambulasse.

ADRIANUS.

Erubesco illam ultra videre, quia nequeo illam lædere.

ANTIOCHUS.

Restat ut perimatur gladio.

ADRIANUS.

Hoc fiat absque mora.

SCENA VII.

ANTIOCHUS.

Detege duram, Charitas, cervicem, et sustine percussoris ensem.

CHARITAS.

In hoc non renitor tui votis, sed libens pareo jussis.

SAPIENTIA.

Nunc, nunc, filia, gratulandum; nunc in Christo est gaudendum, nec est quæ mordeat cura, quia secura sum de tua victoria.

CHARITAS.

Imprime mihi mater, osculum, et commenda iturum Christo spiritum.

SAPIENTIA.

Qui te in meo utero vivificavit, ipse suscipiat B animam, quam cœlitus inspiravit.

CHARITAS.

Tibi, Christe, gloria, qui me ad te vocasti cum martyrii palma.

SAPIENTIA.

Vale, proles dulcissima, et cum Christo jungeris in cœlo, memento matris jam matronæ effetæ te parientis.

SCENA VIII.

SAPIENTIA.

Convenite, illustres matronæ, et mearum cadavera filiarum mecum sepelite.

MATRONÆ.

Corpuscula aromatibus condimus, et exsequias honorifice celebramus.

SAPIENTIA.

Grandis benignitatis et mira pietas, quam mihi impenditis meique mortuis.

MATRONÆ.

Quæ tibi sunt commoda exsequimur mente devota.

SAPIENTIA.

Non dubito.

MATRONÆ.

Ubi vis eligere locum sepulturæ?

SAPIENTIA.

Tertio milliario ab Urbe, si vobis non displicet prolixitas.

MATRONÆ.

Non displicet, sed elata funera sequi placet.

SCENA IX.

SAPIENTIA.

Ecce locus.

MATRONÆ.

68 Hic nempe servandis reliquiis est aptus.

SAPIENTIA.

Flosculos uteri mei tibi, terra, servandos committo, quos tu materiali sinu foveto, donec in resurrectione majori reviridescant gloria. Et tu, Christe, animas interim imple splendoribus, dans pacificam requiem ossibus.

MATRONÆ.

Amen.

SAPIENTIA.

Grates vestræ humanitati pro solamine quod contulistis meæ orbitati.

MATRONÆ.

Utrumne vis nos hic tecum morari?

SAPIENTIA.

Non.

MATRONÆ.

Cur non?

SAPIENTIA.

Ne ex meo commodo vobis ingeratur molestia. Sit satis, quod tres noctes mecum permansistis. Abite in pace revertimini cum salute.

MATRONÆ.

Vis nobiscum abire?

SAPIENTIA.

Minime.

MATRONÆ.

Et quid meditaris agere?

SAPIENTIA.

Hic remanere, si forte veniat mea petitio et impleatur quod desidero.

MATRONÆ.

Quid petis? Quid desideras?

SAPIENTIA.

Id solummodo, ut oratione completa moriar in Christo.

MATRONÆ.

Restat ut exspectemus donec et te sepulturæ tradamus.

SAPIENTIA.

Ut libet. Adonai Emmanuel, quem retro tempora divinitatis edidit Omniparentis, et in tempore virginitas genuit matris, qui ex duabus naturis unus Christus mirifice consistis, nec diversitate natura- A rum unitatem personæ dividens, nec unitate personæ diversitatem naturarum confundens, tibi jubilet jucunda serenitas angelorum dulcisque harmonia siderum, te quoque collaudet totius scibilis rei scientia, omneque quod ex elementorum formatur materia, quia tu, qui solus cum Patre et Spiritu sancto es forma sine materia, ex Patris voluntate et Spiritus sancti cooperatione non respuisti fieri homo passibilis humanitate, salva divinitatis impassibilitate; et ut nullus in te credentium periret, sed omnis fidelis æternaliter viveret, mortem nostram non dedignatus es gustare tuaque resurrectione consumere. Te etiam perfectum Deum hominemque verum recolo promisisse omnibus, qui, pro tui nominis veneratione, vel terrenæ usum possessionis relinquerent, B vel carnalium affectum propinquorum postponerent, centenæ vicissitudine mercedis recompensari, et æternæ bravio vitæ debere donari; hujus spe animata promissi **69** feci quod jussisti, sponte omittens soboles quas peperi. Unde, tu pie, promissa solvere ne moreris, sed fac me quantocius absolutam corporeis vinculis ex receptione filiarum lætificari, quas pro te mactandas obtulisse non distuli, quo te illis agnum Virginis sequentibus et novum canticum modulantibus, ego jucunder audiendo, illarumque lætificer gloria, et qnamvis non possim eanticum virginitatis dicere, te tamen cum illis merear æternaliter laudare, qui non ipse qui Pater, sed idem es quod Pater, cum quo et Spiritu sancto unus dominus universitatis, unusque rex summæ et mediæ atque imæ rationis regnas et dominaris per inter- C minabilia immortalis ævi sæcula.

MATRONÆ.

Suscipe, Domine. Amen.

HROTSUITHÆ

IN

OPERA SUA METRICE CONSCRIPTA

PRÆFATIO.

Hunc libellum, parvo ullius decoris cultu ornatum, sed non parva diligentia illaboratum, omnium sapientium benignitati offero expurgandum, eorum duntaxat qui erranti non delectantur derogare, sed magis errata corrigere. Fateor namque me haud mediocriter errasse, non solum in dignoscendis syllabarum naturis, verum etiam in dictionibus componendis, pluraque sub hac serie reprehensione digna latitare, **70** sed errores fatenti facilis venia, vitiisque debetur pia correctio. Si autem objicitur quod quædam hujus operis juxta quorumdam æsti- D mationem sumpta sint ex apocryphis, non est crimen præsumptionis iniquæ, sed error ignorantiæ, quia, quando hujus stamen seriei cœperam ordiri, ignoravi dubia esse in quibus disposui laborare. At ubi recognovi, pessumdare detrectavi, quia, quod videtur falsitas forsan, probabitur esse veritas. Cum res ita sese habeant, tanti ad perfecti defensionem opusculi permultorum juvamine egeo, quanto in ipsa incœptione minus ulla propriis vigoris fulciebar sufficientia, qnia nec matura adhuc ætate vigens, nec scientia fui proficiens, sed nec alicui sapientum af-

fectum meæ intentionis consulendo enucleare, ne prohiberer pro rusticitate. Unde, clam cunctis et quasi furtim, nunc in componendis sola desudando, nunc male composita destruendo, satagebam juxta meum posse, licet minime necessarium, aliquem tamen conficere textum ex sententiis Scripturarum, quas intra arcam nostri Gandersheimensis collegeram cœnobii. Primo sapientissimæ atque benignissimæ Rikkardis, magistræ, aliarumque suæ vicis instruente magisterio, deinde prona favente clementia regiæ indolis Gerbergæ, cujus nunc subdor dominio, abbatiæ, quæ ætate minor, sed, ut imperialem decebat neptem, scientia provectior, aliquot auctores, quos ipsa prior a sapientissimis didicit, me admodum pie erudivit. Quamvis etiam metrica modulatio femineæ fragilitati difficilis videatur et ardua, sola tamen semper miserentis supernæ gratiæ auxilio, non propriis viribus, confisa, hujus carmina opusculi dactylicis modulis succinere apposui, ne creditum talentum ingenioli. sub obscuro torpens pectoris rubigine, negligentia exterminaretur, sed nodulæ malleo devotionis percussum, aliquantulis divinæ laudationis referret tinnitum, quo, si occasio non daretur negotiando aliud lucrari, ipsum tamen in aliquod saltem extremæ utilitatis transformaretur instrumentum. Unde, quicunque lector, si recte secundum Deum sapias, egenti paginæ, quæ nullius præceptoris munitur auctoritate, opem tuæ rectitudinis ne pigriteris adhibere, Deo videlicet, si quid forte probetur recte compositum, meæque negligentiæ **71** designando universale vitiorum, nec tamen vituperando. sed indulgendo, quia jus frangitur objurgationis ubi intervenit humilitas confessionis.

ARGUMENTUM IN HISTORIAM BEATÆ VIRGINIS.

Joachim et Anna, de stirpe David, cum diu steriles vixissent, in temploque ob sterilitatem repudiati a sacerdotibus fuissent, tandem longis orationibus et votis prolem divinam, nomine Mariam, susceperunt, eamque castitati et æterno Dei obsequio in templo devoverunt. Illa tenella, læta et constans, gradus templi cum omnium admiratione superavit, reliquasque virgines sanctitate vitæ excelluit. Quam dum sacerdotes despondere volunt, et virgis temere projectis illi conjugem quærunt, et sors super virgam Joseph ex genere David cecidit. Nam mox columba, suæ virgæ insidens, cælum petiit, collaudantibus cunctis divinam sortem. Joseph virgo despondetur, pauloque post angelus illi, divina salutatione facta, Deum, omnium creatorem, obumbratione sancti Spiritus carnem suscipere, nuntiat. Quæ, verbo angeli credens, dum in Bethlehem cum Joseph, Cæsaris Augusti edicto, migraret, peperit primogenitum suum, Salvatorem mundi, Jesum Christum, cujus divinitatem et pastores, et Magi, ab Oriente venientes, testati sunt. Quæ fama cum ad Herodem delata fuisset, omnes ejus anni infantes natos occidi jussit, ut hæredem regni tolleret. Joseph, ab angelo monitus, cum matre et puero, ut regis crudelitatem fugeret, in Ægyptum concessit, moxque Ægyptiorum simulacra in terram prona cadentia nutabant, sacerdotibusque suis verum Deum natum proclamabant. In itinere autem miracula pueri de serpentibus et draconibus, dum in specu noctem ducerent, narrat, itemque de leonibus et pardis mite et mansuete se puero offerentibus, palmamque cum fructu inclinatam matris gremio, fontemque, pueri verbis erumpentem, dum in itinere siti laborassent, commemorat.

72 AD GERBERGAM, ABBATISSAM IN GANDERSHEIM, OTTONIS PRIMI IMPERATORIS NEPTEM.

Salve regalis proles clarissima stirpis.
  Gerbirg, illustris moribus et studiis.
Accipe fronticula dominatrix alma serena,
  Quæ tibi purganda hic offerro carminula.
Ejus et incultos dignanter dirige stichos,
  Quam doctrina tua construit egregia.
Et, cum sis certe vario lassata labore,
  Ludens dignare hos nunc modulos legere.
Hanc quoque sordidulam tenta purgare Camenam,
  Ac fulcire tui flore magisterii.
Quo laudem dominæ studium supportet alumnæ,
  Doctricique piæ carmina discipulæ,

IN HISTORIAM INTEMERATÆ DEI GENITRICIS PRÆFATIO.

Unica spes mundi, dominatrix inclyta cœli,
  Sancta parens Regis, lucida stella maris,
Quæ pariens mundo restaurasti pia virgo
  Vitam, quam virgo perdiderat vetula,
Tu dignare tuæ famulæ clementer adesse,
  Hrosvithæ votis carminulisque novis.
Quæ tibi femineæ studio famulante Camenæ,
  Jam supplex modulis succino dactylicis,
Exoptans, vel summatim attingere saltem
  Laudis particulam, Virgo, tuæ minimam,
Ortus atque tui primordia clara beati,
  Necnon regalem pangere progeniem.
Hoc tamen agnosco, fragiles excedere vires,
  Laudibus ut tentem te meritis canere
Digne pro meritio quam totus non canit orbis.
  Quæque super laudes angelicas renites.

73 Hinc, qua virgineo portasti ventre puella
Inclusum, cuncta qui regit imperio.
Olim sed stultum fari qui jussit asellum.
In laudem sancti nominis ille sui,
Teque per angelicum fecit, virguncula, verbum,
De sancto digne Flamine concipere,
Atque suæ prolis matrem sine sorde pudoris
Effecit, cunctis dissimilem meritis,
A Si placet, ipse meam potis est dissolvere linguam,
Et cor rore sua tangere gratiolæ,
Qua præstante suæ mitis dono pietatis
Grata sibi pangam, te quoque, Virgo, canam
Ne comes ingratis condemner jure pigellis,
Quos piget Altithrono psallere pro modulo,
Sed mage purpureum laudare perenniter Agnum
Promerear, turmis addita virgineis.

HISTORIA

NATIVITATIS LAUDABILISQUE CONVERSATIONIS

Intactæ Dei Genitricis

QUAM SCRIPTAM REPERI SUB NOMINE SANCTI JACOBI FRATRIS DOMINI.

Mundi labentis lustris nam mille peractis,
Incœpit quando felix ætatula sexta,
Qua Deus impleri jussit pietate fideli,
Quidquid veraces jam præcinuere prophetæ,
Qui mundo Jesum mox prædixere futurum
Germine de Juda, quidam surrexerat ergo
Israel in terra senior, sub lege vetusta,
Ortus regali David de germine magni,
Quem tradunt etenim nomen tenuisse Joachim.
Hic in mandatis genetricis ab ubere legis
Exstiterat justus, nec non digne studiosus.
Hoc quoque continuo fuerat sua maxima cura,
74 Ut gregis ipse sua bene pasceret agmina magni,
Designans, veri sese pastoris haberi,
Dignum quandoquidem terrestri carne parentem,
Qui portare suis humeris non distulit agnos,
In propriis vitæ ducens ad gaudia lætæ,
Passurus mortem, magnum nostri per amorem,
Empturusque reos animæ pretio sibi charæ.
Hic heros etenim, de quo narrabo, Joachim
Tali percerte felix patriarcha nepote.
Toto se placidis ornans conamine factis,
Quidquid possedit per tres partes resecavit,
Partem dans viduis, peregrinis atque puellis.
Sæpius in templo partem famulantibus ergo,
Particulamque suæ domui servaverat omni.
Hoc quoque non raro faciens pietate benigna,
Digne mercedem suscepit denique talem,
Ut propria substantiola bene multiplicata,
Ipsius gentes proceres præcelleret omnes,
Nec sibi consimilem portaret terra potentem,
Quem sic cunctarum fulciret copia rerum.
Quattaor hinc certe cum jam feliciter ipse
Viveret in summa fortuna lustra rotata,
Vultu perpulchram sibi desponsavit amicam,
Nec non prænitidam laudandis moribus Annam
A charis natam, David de stirpe creatam,
Fœdere legali proprie quam junxit amori.
B Hanc autem memorant, sterilem non tempore parvo,
Spem partus homini nullam conferre fideli,
Tandem, digestis bis denis scilicet annis,
Contigit in templo Joachim, sub tempore festo,
Inter sacratos altaris stare ministros,
Incensum digni fuerant qui ponere visi,
Quem Ruben templi dum vidit scriba sacrati,
Exosum factum dictis affatur amaris.
Non licet incensum, dixit, te tangere sanctum,
75 Munera nec Domino præstat dare sacrificanda,
Te quia despexit, sobolis cum dona negavit.
Non dedit e contra verbum vir nobilis ullum,
Sed mœrens abiit, silvas tristisque petivit,
In queis sæpe gregem consuevit pascere pridem.
Ac, in longinquam pergens per devia terram,
C Ipsum cum propriis secum ducendo magistris,
Hic in secretis latitat pascendo latebris,
Nec post ad patriam placuit remeare relictam,
Passus namque gravem secreta mente pudorem
Ex Ruben verbis, qui se causatur, amaris.
Hujus percerte post menses inclyta quinque
Conjux, desperans, illum jam vivere salvum,
In soles flevit, nec solamen sibi scivit
Hasque preces Domino profudit, triste dolendo :
Israelis Rector, solus quoque gentis amator,
Qui semper refoves miti pietate dolentes
Cur mihimet socium voluisti tollere charum,
Addens mœrorem tristi semperque dolenti,
Quod semper sterilis mansi, sine germine ventri
Sed nunc majoris vulnus suspiro doloris,
Hoc, quia nec penitus, quid conferret, scio, cas
D Legali Domino devolo legis amico.
O me felicem, si saltim noscere possem,
Utrum mors illum subito sorberet amara,
An frueretur adhuc calida vitaliter aura,
Certe, si scirem, non jus mœroris haberem.
Tantum cum tenebris leti succumberet atris
Funus, sed summa colerem prænobile pompa,

Inclyta condigno committens membra sepulcro.
His ita finitis, sublatis cernit ocellis
In ramis lauri resonantes murmure dulci.
Pullos plumigeris volucres circumdare pennis.
Hoc uti cernebat, subtristi voce canebat :
Rex cœli, fortis cui subjacet astriger axis;
76 Omnia qui certe potis es disponere recte,
Semper cunctarum tibi laus exstet pietatum,
Quod clemens cunctos pietatis munere vivos,
Pisciculos, pecudes, serpentes atque volucres,
Congaudere suis donasti sedulo pullis.
Sed memet solam sterilem remanere misellam
Causa judicii jussisti denique recti.
Te tandem omnipatrem constanti pectore testem
Invoco, conjugii primo quod tempore vovi,
Si ventris fructum mihi præstares pius ullis,
Hinc mox in templo sisti tibi rite sacrato,
Obsequioque tui legali more sacrari.
Talia dum mundis formaret verbula labris,
Angelus astrigero subito descendit ab alto,
Maxima tristitiæ portans solamina tantæ;
Et stans sub facie, dictis hæc fatur amicis :
Exue mœrorem cordis, depone dolorem,
Consilioque Dei germen tibi credito summi
Hoc, quod ventre tuo procedet tempore certo,
Vere fiet idem populis mirabile cunctis.
Dixit, et aurivagis revolans secat æthera pennis.
Anna sed, angelicis nimium perterrita verbis,
Mœsta domum petiit, sese lectoque locavit,
Et tremefacta diem psalmorum lege perorat,
Effusis noctem precibus ducendo sequentem.
Post hæc ergo suam præcepit adesse puellam,
Astantem rogitans propriis illam sub ocellis,
Cur se despiceret, vel cur tam sero veniret,
Cum sibi sentiret fieri quid forte stupendi?
Reddidit e contra dominæ lasciva famella
Opprobriis tactum servili murmure verbum.
Si te despexit sterilem faciens Deus, inquit,
Dic, rego, divinæ causæ quid pertinet ad me?
Anna sed opprobrium patienter pertulit istud,
Effundens tantum lacrymas subtristis amaras.
77 Scilicet hac ipsa Joachim prædictus in hora
Angelus apparens, inter montana refulgens,
In queis tunc pascendo gregem latitaverat æger
Jusserat ad sociam citius remeare relictam.
Qui dixit, monitis animo permotus ab illis :
Hæc jam bis denis mecum permanserat annis,
Ex illa Dominus sobolem mihi nec dedit ullam,
Insuper opprobriis discessi plenus amaris
Nuper de templo, causa confusus ab ipsa,
Et me despectum, tantisque malis saturatum,
Horturis regredi, subdi primoque pudori.
Ad quem mansuetis cœlestis nuntius orsis,
Me fore cœlestem, dicebat, credito, vocem,
Custodemque tui factum pietate superni
Regis, qui justam consolari dedit Annam
Per me, dum preculas flendo profunderet almas.
At nunc ergo tui causa de cardine cœli,
Que veniens refero permagni gaudia doni,

A Hocque tibi dico, quod mox prænobilis Anna,
Concipiet natam, cunctis seculis venerandam.
Hæc inter natas hominum fiet sacra cunctas,
Spiritus et merito sanctus requiescet in illa,
Ac per quam veniet mundo benedictio summa,
Nec primam similem, nec fertur habere sequentem.
At nunc ad sociam tenta remeare beatam,
Quæ gaudens omni tantum pariet decus orbi,
Et semper grates Factori reddite dulces,
Cui placet stirpem vobis concedere talem,
Qualem per certe nunquam tenuere prophetæ,
Omnes electi post hæc non sunt habituri.
Ad quem, promissis Joachim lætatus in illis :
Si mihi certa tuo maneat tua gratia servo,
Ad tempus dignare meo requiescere tecto,
B Et gustare cibum non dedignere paratum.
Angelus e contra dicebat voce decora :
78 Desine, posco, meum post hæc te dicere servum
Esse, sed angelicæ consortem credito turmæ.
Nam mihi terrenis opus est non vescier escis,
Quem pascit Domini semper præsentia summi.
Quapropter moneo, Domino libamine sacro
Hoc te ferre, meis satagis quod ponere mensis.
Qui citus anniculum gregibus subtraxerat agnum,
Sperans opprobrium, Ruben, cessasse vetustum,
Immolat et Domino, gavisus pectore læto,
Ignibus appositis, ut habet præceptio legis.
Angelus, his votis ut jussit rite peractis,
Altaris fumo sublatus pergit ad astra.
Quam tunc clementis paulatim gratia Patris
Incœpit radiis mundo lucescere claris,
C Atque prior stabilem discordia sumere finem,
Cum sua cœlestes primum consortia cives
Olim terrigenas promittebant habituros,
Quos prius e meritis Adam sprevere parentis.
Nec latuit tunc angelicum clementia cœtum
Omnipatris, proprium qui mox post tempora natum
Mittere virgineum miserans disponit in alvum,
Ut sine principio natus de Patre supremo,
Carnem virgineo sub tempore sumeret alvo,
Omnes atque suo salvaret sanguine sacro,
Ne post hæc generis humani callidus hostis
Gauderet mundum laqueis retinere malignis,
Sed Patris, et Nati, numen quoque Pneumatis almi,
Æquali forma pollens sub nomine trino,
Finetenus stabilem regnaret jure per orbem.
D Angelus astrigerum postquam transcendit olympum,
Vix patiens Joachim tantæ præconia causæ,
Et tactus jaculo terroris denique magno,
Stratus ad usque solum doni virtute superni,
Pertimidus jacuit nec non sine mente quievit
79 Ipsius sexta, ni fallor, forte diei,
Dum sol usque suum conclusit vespere cursum.
Interea pueri venerunt cum grege lassi,
Cumque suum dominum pronum videre locatum
Comminus astantes, cœperunt discere tristes
Causam terroris, turbata mente, recentis.
Ipsum per certe sed vix potuere levare.

Queis cum cœlestis narrasset nuntius civis,
Suaserunt illi jussis parere supernis
Et rapido patriam cursu repedare relictam.
Qui gregibus lectis silvis discessit ab illis,
Ac gaudens pecora secum deducit ipse.
Et cum transisset spatium triginta dierum,
Angelus oranti sanctæ comparuit Annæ,
Et cum pacificis deprompsit talia verbis :
Exsurgens animo, vultu quoque perge sereno
Ad portam subito, quæ dicitur Aurea vulgo.
Illic forte tuum, summa cum pace reversum,
Legalem dominum mox comperies fore vivum.
Quæ citius dicto jussum complevit amandum,
Impatiensque moræ, perrexit ad ostia portæ,
Præstolata suum gravisa mente patronum.
Scilicet attonitis quem cum conspexit ocellis,
Charo florigerum percurrerat obvia campum,
Ipsius et collo sese suspendit amando,
Altithrono grates reddendo denique tales :
Laus tibi, cunctorum Largitor summe bonorum,
Qui mihi non meritæ concedis gaudia tanta.
Ecce virum proprium præsentem sentio salvum,
Tempore quæ longo jam permansi viduata,
Quæque fui sterilis, concepi gaudia prolis.
Talibus auditis, congaudens concinit omnis
Plebs Hebræa Deo laudes cum pectore læto.
Post hæc, noveno percerte mense peracto,
Venit summa dies, in qua prænobilis Anna,
80 Progenuit natam cunctis seculis venerandam.
Postque dies octo primi venere vocati
Pontifices, tantæ solito qui more puellæ
Nomen et aptarent, ipsam quoque sanctificarent.
Queis Joachim preculas fudit præsentibus istas :
Rex cœli, stellis solus qui nomina ponis,
Istius teneræ nomen dignare puellæ
Cœlitus indiciis per te monstrare coruscis.
Dixerat, et subito sonuit vox fortis ab alto,
Mandans egregiam Mariam vocitare puellam.
Stella maris lingua quod consonat ergo Latina,
Hoc nomen merito sortitur sancta puella,
Est quia præclarum sidus quod fulget in ævum
Regis æterni claro diademate Christi.
Post hæc, annorum meta vergente duorum,
Fortunata suam dum sumpsit ab ubere natam,
Ablactando piam genitrix de more Mariam,
Otius in templo sistit cum munere digno
Ipsam, quæ templum Domini fuit imo futurum
Quo, sociata sacris virguncula parva puellis,
Semper divinis illic perstaret in odis,
Quem merito cives cœlestes laude frequentant.
Post hæc, in templi susbsistens limite sacri,
Ascensum graduum subito ter quinque supinum,
Immemor ætatis, jam plena Deo, puerilis
Audacter currit, vultum nec retro reflexit,
Quærat, ut astantes, infantum more, parentes.
His super ascensi, mirantur denique cuncti
Astantes populi, templi pariterque ministri,
Pontifices ipsi, factum laudant quoque primi,
Dicentes, tanto quod tunc infantula facto,
Per se quid fieri præsignaret esto magni
Et vere magni, cunctis meritoque stupendi.
Quod, credo, majus, vel quod posset fore majus,
Quam quod virgineo portavit ventre puella,
81 [illegible] paren-
Nec mirum, [illegible] progressum, [tem.
Infans lacteolis fuerat dum parvula membris,
Quam, Pater alme, tuo ditasti Flamine sacro,
Dum fuerat sanctæ genitricis condita ventre,
Præscius hanc solam certe consistere dignam
Ad proprii partum nati, per sæcula nati,
Qui post, corporeæ tectus velamine formæ,
Ascensum graduum cunctis patefecit in ævum,
Per quas ad patriam tendunt remeare relictam,
Cui Christus nomen, cui laus sit cœlitus, Amen.
Scilicet et genitrix, tali facto bene felix,
Collaudans regem cecinit sic Anna perennem :
Omnipotens rector, solus pietatis amator,
Clementer proprio fecisti mira popello,
Aspiciens humilem miserando meam quoque men-
Jam desperatæ donasti gaudia natæ. [tem,
Audeo percerte post hæc tibi munera ferre,
Nec vereor prohibere meum post hæc inimicum,
Quin visitem sacris templum sociata ministris.
Hinc te cœlestes collaudant sedulo cives,
Condignum carmen modulando perenniter, Amen.
His ita finitis, orantis scilicet orsis,
Germine felices talis redicre parentes
Indolis, in templo parva remanente Maria.
Omnes humanæ nequeunt comprendere linguæ,
Nec potis est stabilis, quamvis verbum sonet, orbis
Istius infantis præclaram dicere famam,
Sed nec mirandæ vitam moresque puellæ.
Quis laudare modis potis est per sæcula dignis
Hæc quia continuo cunis subtracta puella
Maturis, omni lucebat moribus orbi,
Nec quidquam membris gessit puerile tenellis.
Ast in præceptis fuerat justissima legis,
Nec non carminibus semper studiosa Davidis.
82 Hæc prudens, humilis, fervens dulcedine mentis,
Omnibus atque placens, tota virtute refulgens.
Hanc hominis maledicentem non audiit auris
Offensam, sed nec quisquam cognoverat unquam.
Semper erat mitis, nec non gratissima cunctis,
Et, quæ nempe suo profluxit ab ore, loquela
Nectare gratiolæ fuerat condita supernæ,
Et, cum quis verbis illi benedixit amicis.
Mox grates Domino curavit reddere summo,
Nec sic divinis linguam retineret ab odis
Exemplumque suis in se prænobile cunctis,
Præponit sociis jam cunctigenæ bonitatis.
Ipsius faciem niveo candore nitentem
Tradunt, ardentis radios præcellere solis,
Nec non humanum penitus devincere visum.
Quid referam digitos, operum satis arte probatos?
Namque manu docta perfecit parva puella.
Nempe, sibi normam statuens ipsissima duram,
Omnibus in templo vivebat strictius. Ergo,
Virginibus reliquis illic pariter sociatis,

Nam tantum preculis studuit persistere sacris,
Nec non divinis semper constanter in odis.
Ex quo discussæ noctis periere tenebræ,
Aurora spargente plagam lucem per Eoam,
Altius usque polum Phœbo ascendente serenum,
Tertia jam subito devenerat hora diei,
Tunc usu digitos operis laxaverat albos,
Docte purpureis instando denique filis.
Sed mox ut nona Phœbus descendit in hora,
Se precibus solito reddit famosa puella,
Ac studio mentis bene perduravit in illis,
Usque per angelicum sumpsit sacra virgo ministrum.
Omni namque die missam sibi cœlitus escam,
Escam pontifices dederant de more potentes.
Hanc studio mentis citius concessit egenis.
83 Denique cœlestes, lapsi de sidere, cives
Hanc crebro verbis consolabantur amicis,
Spernere terrestrem quo mox didicisset amorem,
Et castam regi mentem servare perenni.
Quisquis languidulis infirmus denique membris
Hanc saltim tetigit, raptim salvus remeavit.
Hujus cum stabilem volitaret fama per orbem,
Abiathar reliquos exorat sæpe sacerdos
Pontifices templi pretii non munere parci,
Vellent præclaram quo desponsare Mariam
Ipsius egregio legali fœdere nato.
Quod fieri vero prohibet virguncula casta,
Inclyta regalis spernens consortia stirpis,
Se quoque finetenus testatur nobile corpus
Ejus conjugio percerte subdere nullo.
Talia pontifices cui mox dixere potentes :
Nonne Deus colitur, digneque potens veneratur,
In plebis Judæ legali posteritate?
Nec decet innuptam talem remanere puellam.
Queis constans animo respondit talia virgo :
Nam Deus in templo gaudet requiescere mundo,
Mentibus et sobriis, nec delectatur in illis
Crimine quos magno maculat lasciva libido.
Scimus, Abel duplam merito sumpsisse coronam,
Qui primus mundo justus fuerat protoplasto,
Unam martyrii, fratris de cæde peracti,
Atque magis nitidam pro virginitate secundam,
Credimus, Eliam cœlum petiisse secretum,
Corpore cum vero mansit quia virgo potenter,
Nec corpus maculis unquam violavit amaris.
Hæc didici certe, legis ratione docente,
Et discens animo mandavi sedula fixo,
Meque puellarem novi retinere pudorem.
Postquam bis septem hæc compleverat annos,
Non hoc esse sui moris, dicunt Pharisæi,
84 Ætatis tantæ quod vellet virgo manere.
Post hæc in templo, Domini sub honore sacrato,
Mox decreverunt populum concurrere cunctum,
Ut pariter tantam tentarent volvere causam.
Et, cum sub tectis templi consisteret omnis,
Abiathar, quem jam memini, sub lege sacerdos,
Ascensum graduum conscendit namque superbum
Præsul, et astanti dicebat talia plebi :
Ex quo constructum fuerat prænobile templum

A Istud, per magni regis studium Salomonis,
Ut scitis, vere manserunt semper in illo
Forma conspicuæ vultus ætate tenellæ
Natæ nobilium, famoso germine regum,
Atque sacerdotum, vatum pariterque piorum,
Quæ celebres omni merito mansere popello.
Certe perfecta sed mox ætate recepta,
Conjugibus tantæ condignis sunt sociatæ,
Multo magisque Deo placuerunt semper ab illo.
More sed insolito sperat se virgo Maria
Posse placere, viris Domini pro nomine spretis,
Nunc, quia non constat, votum se reddere tantum;
Restat ut Altithonum precibus digne rogitemus
Ut nos forte suis faciat cognoscere jussis,
Hanc quia legali fas sit cum fœdere jungi.
Tali consilio consensu plebis adepto,
B Sortem pontifices miserunt primitus omnes.
Inter namque tribus Israelis duodenas,
Quæ mox egregiam Judæ signat fore dignam,
Qua designata præ cunctis scilicet una,
Præcepere, viros ejusdem germinis omnes,
Quos sine conjugibus fecit consistere casus :
Collectos ergo concurrere sole secundo
Et manibus virgas dextris conferre novellas.
Piis igitur cunctis toto conamine lectis,
Advenit dignus senior Joseph, sociatus
85 Illis, incurvam portans sub indice virgam.
At vero summus virgas tollendo sacerdos
Gaudens, cunctorum Domino faciens holocaustum,
Quid fieri jubet, effusis precibus rogitabat.
Cui mox indiciis divinis ista jubentur,
C Tempore digesto sibi quæ fuerant facienda.
Præmonitus virgas qui misit protinus ipsas,
In templi sanctum famosi jure secretum,
Demandans quidni collectim luce sequenti,
Inde regales iterum venisse nepotes,
Unumquemque suam rursum quoque sumere virgam.
Nam sibi pro signo dictum fuerat manifesto,
Virgo quod hæc credi deberet nobilis illi,
De cujus virga volitaret rite columba,
Quæ petiisse polum tentaret protinus altum.
Cum ter mille suas retinerent denique captas
Virgas, personæ prædicto tempore certæ,
Nec signum populo prædictum redderet ulla,
Obtulit incensum præsul venerabile rursum,
Seque dedit precibus devoto pectore fusis.
D Cui mox cœlesti dicetur voce precanti,
Virgula namque brevis Joseph justi senioris,
Quæ jacet in templo nec sollicitetur ab ullo,
Implebit merito signum memorabile sola.
His ita finitis, sonuit vox pontificalis,
Mandans in mediam Joseph procedere turbam,
Hic erat abjectus, forma nullaque decorus,
Nec sibi complacuit sociis interfore tantis,
Sed mage postremo gaudet remanere locello,
Qui mox, ut vocem sensit, se forte vocantem,
Processit pavidus, virgam comprendere jussus,
Ex qua continuo splendens egressa columba,
Haud tarde cœlum fertur petiisse secretum.

His ita transactis, laudes plebs concrepat omnis,
Grates Altithrono [illegible]
86 [illegible]
Ipse sed [illegible]
Protestans proceres [illegible]
[illegible]
Pontifices, Mariam quo non vellent sibi pulchram
Ipsius [illegible]
Quod cum forte negant, se signatum quoque narrant,
Ne cuiquam credi sanctam debere puellam,
Quam sibi, quem [illegible] dignum,
Exorans, alias cœpit rogitare puellas
Mitti cum Maria, causa solaminis ergo,
Quæ, veluti connutritæ sociæque coævæ,
Illam colloquii scirent solamine dulci,
Absque mora consolari ne virgo pudori
Conjuge pro vetulo fieret subjecta tenella,
Quod mox pontifices fieri jussere parentes,
Sed senior frustra sudaverat ista rogando,
Non sibi, sed Christo, fuerat quia virgo dicata.
Postquam pontifices preculis cessere precantis,
Joseph servandam suscepit namque puellam,
Et pariter missas, ni fallor, quinque puellas,
Quarum sic ergo creduntur nomina dicta :
Sephiphona, Zabel, Susanna, Rebecca, Abigea,
Qui opus ad templi pertingens namque sacrati
Traditur ornatum studiose perficiendum
Purpura cum bysso linum cum vellere serum,
Purpura sed sanctæ fulgens operanda Mariæ,
Creditur ad velum Domini templi pretiosum.
His snper accensæ præsentes quippe puellæ,
Opprobrii causa dixerunt taliter ergo :
Num te reginam constat post hæc fore nostram,
Jam texenda tibi, quia purpura creditur uni
Non parvo cum sis junior tu tempore nobis ;
Quæ tunc ut semper bene sustinuit patienter,
Talia nec verbo jam contradixerat ullo.
87 Astans sed citius custos semper sibi fidus
Angelus astrigera dilapsus dixit ab aula,
Non te, virgo, rogo pertubent talia verba,
Istæ percerte quia vatum more locutæ,
Jam nunc præsaga dicebant voce futura,
Tu quia sola potenter eris regina perennis,
Nec non stelligeri dominatrix inclyta cœli.
Post hæc secreta residebat in æde quieta,
Purpureos digitis filos operans benedictis.
Angelus et summus Gabriel conspectibus ejus,
Astitit astrigera cœlorum lapsus ab aula
Virgineum decus verbis affatur amicis,
Juxta cunctorum narrans oracula vatum.
Ipsius e casto nasci dignarier alvo
Altithroni prolem mundo satis antiquiorem,
Virgineique modum partus narrat memorandum.
Ergo non nostris potis est exponier orsis,
Nobile colloquium longo sermone peractum
Virginis, æternæ Christi matris benedictæ
Partus et tanti sacra narrantis paranymphi,
Sed nec dactylicis opus est nos psallere chordis
Magnum mœrorem Joseph durumque dolorem,

A Frustra [illegible] fuerat [illegible],
Talem dum gravidam sensisset forte puellam,
Qualiter et tristis solatur tempore noctis,
Virginis intactæ jussus curam retinere,
Virginis et nati nobis de sidere missi.
Hæc evangelici demonstrant cuncta libelli,
Nostras et fragiles excedunt denique vires.
[illegible],
Sermonem vobis tantum faciemus ab illis,
Charius in templo quæ creduntur forte dicta.
Certe cum stabilem volitans veniret in orbem
Undique subjectos describi jussio lectos
Cæsaris Augusti censumque sibi profiteri,
88 Joseph ad patriam Bethlem perrexerat urbem,
Cum desponsata sibimet prægnante Maria ;
B Et cum famosis essent prope mœnibus urbis,
Aspexit, non corporeis, sed mente ocellis,
Cominus alma duos virguncula stare popellos,
Unum ridentem, nec non alium lacrymantem,
Quod Joseph vetulo narrans, audivit ab illo :
Contine subjecto tantum te rite jumento,
Et noli, posco, narrare superflua verba.
Dixerat, et juvenem coram prospexit herilem,
Qui sibi mysterium declaravit populorum
Talia sacrata dicens pro virgine verba :
Cur dicis Mariam non verbula vera locutam
Indignatus, eam secretum cernere solam
Nam flentem populum merito vidit Judeorum,
Qui mox a Domino discedet corde maligno,
Contra gentilem sed lætitia fluitatem
Ad fidei magnum quia perveniet sacramentum.
C His dictis, Mariam blande conversus ad almam
Tempus adesse sibi Christum narrat pariendi
Quæ de subjecto descendit jussa jumento
Intrans speluncam sub terra rite locatam
Quæ male præsentis penitus fuit inscia lucis
Et quam continuæ semper tenuere tenebræ.
Sed mox, ut lucem genitrix paritura perennem
Hanc adiit, radiis cœpit fulgere coruscis
Nec post hæc ibi cœlestis lux defuit omni
Tempore quo genitrix illic mansit bene felix.
Noctis tranquillæ medio libramine certe,
Illic hæc eadem genuit virguncula prolem
Gaudens divinam, cunctis seculis venerandam,
Cui nomen Jesus, cui sit laus, gloria, virtus,
Solvere qui veterum veniens oracula vatum,
D Se pro salvando venturum præscia mundo
Pacem cœlicolis fecit cum civibus orbis.
89 Quem genitum sacro castæ de virginis alvo,
Protenus angelicus circumstat denique cœtus :
Laudans submissis factorem vocibus orbis,
Orans et puerum nobis de sidere missum,
Sed mater subito, cunctis veneranda, Maria,
Collocat augusto præsepi membra tenella
Christi, panniculis regem volvendo perennem
Et pius interea Joseph, digressus ab illa,
Mox obstetrices secum duxit mulieres,
Quæ Zelmi, Salome fuerant de nomine dictæ,
Sola sed ingreditur Zelimi, Salomeque veretur

Tangere speluncam pedibus splendore repletam.
Mox quoque virgineum Zelemi tractans pie partum
Exclamans, signi dixit bene credula tanti :
Quid sibi non nuptæ partus vult iste novellus?
Editus ecce puer regali germine nuper
Conjugis expertem bene declarat fore matrem.
Atque parens virgo natum lactat pie sola
Uberibus castis de cœlo jure repletis,
Non dolor est matri nec est maculatio proli,
Ordine divino fieri sed talia credo.
Hanc Salome vocem spernens, non ficta loquentem
Dixerat auditis sese non credere verbis,
Ne probet ipsa sacram palma tangendo Mariam.
Hinc ingressa suam cœpit protendere dextram,
Audacter castam tentans palmare Mariam,
Sed talis pœnam confert audacia dignam,
Dextra est continuo tentatrix debilitata,
Ingenti certe cruciatur jure dolore.
Tunc Salome clamans animo subtristis amaro,
Defectum dextræ subitum deflevit ademptæ,
Moreque Judaico proprium meritum recitando.
Nec non justitia sat confidens simulata,
Talia Celsithrono fertur dare verba dolendo :
Testis cunctorum consolatorque laborum,
90 Tu scis præceptis fueram quod sedula legis,
Quodque tui causa semper fueram bene larga,
Pauperibus cunctis lectis de finibus orbis :
Qui mœrens venit, de me quoque lætior ivit,
Et nunc pro meritis patior damnum grave tantis.
Qui mox apparens juvenis prælucidus, infit :
Panniculos pueri solummodo tange tenelli,
Accedens istas ad regales cito cunas,
Ipseque majori te restituet sanitati.
Hæc ubi jussa sibi sequitur solamina dantis,
Tangendo minimum pannorum denique filum :
Sensit se subito salvam fore corpore toto,
Et grates Domino reddebat voce canora,
Qui sibi dignatus talem conferre salutem.
Ordine digesto postquam fuit ergo repleta
Visio pastorum, signum sibimet quoque dictum
De parvo puero præsepibus inveniendo,
Ipsius pueri quoque circumcisio Christi,
Nominis atque sui fulgens aptatio magni.
Reges astrologi, solis de cardine lecti.
Advenere Magi, stellarum lege periti,
Quærentes urbem famosam denique Salem,
Nec non Herodem, constanti pectore regem,
Sollicitant regis se nativitate recentis,
Se vidisse novam fantes nuperrime stellam,
Quæ Regem natum demonstraret Judæorum.
His rex turbatus secreta mente profanus,
Accitis citius scribis, audivit ab illis,
Certe Bethleis nasci quod Christus in oris
Juxta cunctorum debet carmina vatum,
Scilicet atque Magis jussit cum fraude remissis,
Ut puerum quærant natum, sibimet quoque mon- [strent
Quem cupit occidi, simulans se velle precari
Qui monstrante viam stella pergunt cito rectam,
A Intrant et pueri regalia tecta tenelli,
91 Haud vario certe digestim picta colore,
Sideris obsequio tanti, sed rite polita
Proni vestigiis figentes oscula prolis,
Orantes, preculis humili quoque voce profusis,
Trino cœlestem venerantur munere Regem,
Hunc hominemque Deum designantes moriturum.
Qui mox, in somnis moniti sub tempore noctis,
Ad patriam læti redeunt per devia ducti.
His ita digestis, Herodes, pessimus hostis,
Augusti jussi Romam deducitur. Ergo,
Quo vel purgaret, lex ut Romana doceret,
Criminis imposita de magni se cito culpa,
Vel capitis pœnam juste pateretur amaram.
Namque reus majestatis dicetur herilis,
B Et merito talem patitur jam suspicionem,
Qui cupit insidiis, volupino corde paratis,
Prolem cœlestis divinam perdere Regis.
Hoc nam divino nutu factum fore, credo,
Quod tunc percerte Romam mandatur adire,
Quo, se subtracto, legis mandamina cuncta
Plenius in nato complerentur cito Christo.
Namque, quater denis, cursu ducente, peractis
Virginei partus digestim rite diebus,
Hic Factor membris cœlorum namque tenellis,
Sistitur in proprio, parvo cum munere, templo.
Ulnis exceptus tremulis justi Simeonis,
Et mundi Dominus condignis est benedic
Odis, ex ipso justo Simeone vetusto,
Nec non famosa præsagis vocibus Anna.
His quoque completis juxta mandamina legis,
C Ad patriam Bethlem redierunt protinus urbem.
Nam, post hæc binis mansurnis pene repletis,
Hostis ab exsilio veniens perversus amaro,
Quod dixere Magi, volvebat mente dolenti,
Se nati stellam Regis vidisse decoram.
92 Hæc recolens proceres regni rogitabat heriles,
An redeundo Magi venissent mente fideli ?
Vel, quid de nato demandarent sibi Christo?
Qui mox responsis pariter dicunt bene firmis,
Se nescire, Magi fuerint si forte reversi,
Nec quid de nato sese perdiscere Rege.
His super accensus rex Herodes furibundus,
Mittens, infantes occidi protinus omnes
Qui tunc Bethleis fuerant præcepit in oris,
Se semper vivum sperans exstinguere Christum
D Posse. Sed in somnis monitus Joseph venerandus,
Pergit in Ægyptum, vasti per devia secum
Deducens eremi Jesum cum matre tenellum,
Novi terrestris Christo dominante timoris.
Talia sed solito fecit pietate superna,
Ægypti tenebras propria quo luce vetustas
Mox illustraret, per se penitusque fugaret.
Contigit ergo die quadam, requiescere velle
Juxta speluncam, sanctam cum prole Mariam.
Quæ sat lassa solo fuerat cum forte locata,
Scilicet in gremio Jesum molli refovendo ;
Multi terribiles procedunt namque dracones
Ex hac spelunca, præ qua fuit ipsa locata.

Quos Joseph pueri cernentes, obstupefacti
Cœperunt certe magno clamare timore.
At puer e gremio matris surrexit amando
Jesus, sacratis stabat mitis quoque plantis,
Contra frendentes turbata mente dracones.
Qui subito proni ceciderunt mansuefacti,
Orantes tacitis Factorem nutibus orbis.
Ipseque, digrediens eremi per devia vasti,
Illos præcessit, sequier sese quoque jussit.
Quo Joseph visu, Genitris Christique sacrata,
Exanimes, fragilis pro consuetudine carnis,
Facti, sat pavitant, puerum lædique timebant.
93 Ipse sed inspector mentis, testis quoque cordis,
Hæc responsa dedit timidis conversus, et inquit
Quare lactentes tantum tractabitis artus,
In me virtutem capitis nec mente perennem ?
Quamvis humanis sim parvus homuncio membris :
Vir tamen omnipotens summo sum numine polcens ;
Condecet atque feras silvæ mansuescere cunctas,
Me coram, rabie dimissa rite priore.
Post hæc magnanimos cum pardis namque leones :
Nec non cunctigenæ venerunt undique lectæ,
Ut sensere, fore prolem Factoris adesse.
Orantes puerum submissa voce tenellnm,
Circa præclaram gaudentes atque Mariam.
Quam, super insolito pavitantem denique signo,
Lætius intuitus fertur sic dicere Chsistus :
Non, te virgo, rogo, pollens genitrix mea chara,
Permoveat signi novitas carnaliter almi,
Obsequii sola veniunt istæ quia causa,
Non, quod te vellent, vel saltim lædere possent.
His quoque discessit dictis angustia cordis.
At vero beluæ præcedebant bene lætæ,
Demonstrando viam per deserti loca rectam.
Sed nec norturnis discesserat ulla sub horis,
Sed Joseph pecori sociatæ mente fideli,
Oblitæ rabie naturalique furore,
Pacificæ modici gustabant pascua feni.
Inter quas ergo fuerat concordia tanta,
Ut quondam timidi junxere lupis latus agni,
Et bovibus mites bene commansere leones.
Sed non immerito, cœlorum pax quia vera.
Quæ regis immensum, firmavit, fœdere cælum,
Illarum mentes mutavit more fideles.
Post hæc pausavit, radiis lassata caloris
Æstivi, chara palmæ Maria sub umbra,
Et rursum versis claris aspexit ocellis,
94 Fructibus hanc palmam maturis esse refertam.
His visis lingua formavit talia verba.
Istius palmæ nimium delector onustæ,
Si potis est fieri, de fructu denique vesci.
Cui senior vetulus, legis moderamine justus,
Haud blande dictis, Joseph, mox obviat istis :
Hor, miror certe nimium, te dicere velle,
Cum videas ramos, magno de germine ductos,
Astris contiguos, cœlum pulsare profundum.
Ast ego præcognito summa tantummodo cura,
Si saltim valeam puram comprendere lympham,
Utribus in nostris quia nec est guttula fontis.

A Hæc heros [illegible] venerandus sic loquebatur,
Ceu desperaret, quod [illegible] posset
Christus, corporeis tectus fuerat quia membris.
At puer, in gremio charæ genitricis amando
Accumbens, palmam [illegible] ad ipsam,
Functus et imperio, præclare quippe, paterno
Ipse continuo dicebat fronte serena :
Arbor, flecte tuos summo de vertice ramos,
Ut quantum libeat de te mater mea caput.
Dixerat, atque suis arbor fortissima jussis,
Ante pedes Mariæ parens inflectitur almæ.
Fructu cumque suo penitus fuerat spoliata,
Incurvata stetit, nec surgens alta petivit,
Opperit imperium Christi sed rite probatum,
Ipseque, te subito, dixit, nunc erige palma,
B Ut sit lignorum post hæc collega meorum,
Quæ paradisiacis constant plantata locellis.
Ex radice tua deduc extemplo secreti
Undas fonticuli, fluitantes gurgite dulci.
Quæ citius dicto complentur denique cuncta.
At Prolis comites, fontem lustrando recentem,
Reddebant grates lætato pectore dulces,
Atque sitim lymphis tristem dempsere novellis,
95 Cumqne profecturi deserti per loca vasti
Essent, ad dalmam Jesus sic dixerat ipsam :
De te quippe, meo præcepto, palmula, mando,
Angelus ut cœlo veniens dilapsus ab alto,
Tollat rite tuo ramum de vertice summo,
Nec non hunc ipsum plantet mox in paradisum,
Et tibi gloriolam super hoc jam conferre tantam,
Ut post hæc summi dicaris palma triumphi,
C Et quisquis bello famosæ vicerit ullo,
De te vincenti dicetur protinus ille,
Ad palmam magni venisti namque triumphi.
Hæc ubi dicta dedit, dilapsus sidere venit
Angelus, et tollens ramum dixerit in altum.
Quo viso, cuncti præsentes obstupefacti,
In terram proni consternuntur tremefacti,
Quos Jesus subito solatur, talia fando :
Non opus est certe vobis formidinis ullæ,
Hunc quia tranferri ramum per sidera jussi,
Ut mox deliciæ magno plantetur in horto.
Et, velut hic in deserto mea jussa sequendo
Implevit, magno nosmet studio satiando,
Sic illic sanctis constet dulcedo perennis.
Talibus ac tantis signis jam sedulo visis,
D Joseph, virtutem Prolis tractando perennem,
Utitur his verbis, submisso murmure fusis :
Ecce, calor nimius nostros male decoquit artus.
Nunc, tibi si placeat, cujns regnum juge constat,
Præcipe per pelagi calles nos pergere vasti,
Urbibus appositis, quo certa quies data nobis,
Nos citius spatium faciat percurrere tantum.
Cui dixit Jesus, divino numine clarus :
Namque viam subito longam per me breviabo,
Et, quod ter denis potuit vix ante diebus
Meriti, faciam diei spatio repedari.
His dictis Sonitem viderunt ocius urbem
96 Ægypti magnam, famosis mœnibus altam.

Hanc introgressi petierunt limina templi,
In quo stulta deos consuevit ponere falsos
Gens pagana suos, perverso more colendos.
Mox sed ut intravit sancta cum Prole Maria,
Omnia falsorum pariter simulacra deorum
In terram subito ceciderunt denique prona,
Jam cognoscentes Regem venisse perennem,
Atque Deum verum magna virtute decorum.
Nunc est impletum fuerat quod carmine dictum
Olim percerte modulantis tale prophetæ :
Ecce, super levem Dominus veniet cito nubem
Præ cujus sancta facie decet omnia nempe
Ægypti subito conquassari simulacra,
Hæc Affrodosio postquam fuerant recitata,
Urbis namque duci prædictæ valde potenti,
Illuc cum sociis festinat pergere multis.
Quod cum pontifices templi sensere profani,
Sperabant illum variis mox perdere pœnis
Hos qui damna diis fecerunt talia stultis.
Ipse sed, in terra cernens simulacra decora
Obtutu prono passim volitare minuta,
Lumine cœlestis raptim succensus amoris
Et fidei sacræ, mutato denique corde,
Substitit, atque suis gaudens dicebat amicis.
Ecce patenter adest Dominus super omnia pollens,
Quem fortasse dii, tacito cum murmure, nostri
Jure Deum verum contestantur fore solum.
Restat ut ipsorum prostrati more deorum,
Devota Regem veneremur mente perennem,
Quæ fecit regi memorantes jam Pharaoni,
Qui sua plus justo sprevit mandamina sacra,
Ne nosmet foveam mortis detrudat in atram.
Dixerat, atque solo prostratus corpore toto,
Volvitur ante pedes sanctæ rogitando Mariæ,
97 Gratiolam Pueri constanter voce fideli,
Quem mater gremio gaudens portavit amico.
O laudanda tuæ virtutis gloria, Christe,
O miranda sacræ semper mutatio dextræ!
Qui nutu tacito potis es disponere cuncta.

A Quis volet ergo tuæ pietatis munera magnæ?
Unice nate Dei, summo similis Genitori,
Mirari digne, merita vel dicere laude?
Qui nostri causa fecisti tanta stupenda,
Tu, sine principio natus de Patre superno,
Per præcepta Patris complesti viscera matris,
Ex hac corpoream sument sub tempore formam.
Quique vales propria mundum conducere palma,
Panniculis stringi non raris haud respuisti,
Et, qui stellato resides solio super æthra,
Parvo præsepi contractus, procubuisti,
Et, qui multigenis imponis nomina stellis,
Ac pluviæ guttas, pelagi quoque solus arenas
Rite potes numero per te comprendere certo,
Ut fragiles pueri, patienter conticuisti,
B Tempore, virgineas quo suxisti pie mammas.
Insuper Herodem, nulla formidine regem,
Sed sola certe fugisti pro pietate,
Quo carnis veram demonstrares pie formam.
Et mox absque mora, fecistis saxea corda
Non paganorum mollescere non domitorum,
Et sentire tuum solidum per tempora regnum,
Quo te divinis moniti scirent fore signis :
Ipsum, qui solo fecisti sæcula verbo,
Et quem cunctorum cecinerunt carmina vatum.
Hinc Genitori tuo maneat per sæcula cuncta
Gloria, de cunctis et laus æterna creatis,
Qui tibi dilecto nescivit parcere nato,
Et tibi, Christe decus perpes, victoria, virtus,
Sanguine qui mundum fuso redimis periturum,
98 Flamine cum sacro, sæcli per tempora cuncta,
C Gratia cœlestis per quem conceditur omnis.
Qualia retribuam Factori munera nunc jam?
Pro cunctis digne mihimet quæ reddidit ipse,
Qui pius indignam solita pietate famellam :
Me, licet exiles, fecit persolvere grates.
His super angelicæ cœlorum, posco, catervæ
Collaudare Deum non cessent sedulo verum.

ARGUMENTUM IN HISTORIAM ASCENSIONIS DOMINI.

Posteaquam, ut apud evangelistas et apud Lucam in Actibus apostolorum est, Salvator mundi, Christus Jesus, omnia per miracula, et passionem, et mortem suam amarissimam, complevisset, quæ de eo cecinissent sacri vates ; a morte resurgens, plurimis diebus visus est inter discipulos docens, tandem ad Patrem vocatus, convocatis discipulis, lætissime in cœlos Patris imperio ascendit, comitante eum universo cœtu sanctorum Patrum et angelorum choro. Inter quos David citharam ante ingredientem et triumphantem in cœlis Salvatorem pulsabat.

HISTORIA ASCENSIONIS DOMINI.

Hanc narrationem Joannes episcopus e Græco in Latinum transtulit.

Postquam corporeo Christus velamine tectus
Temporis implevit spatium sacri venerandum,
Quod cum terrigenis mansit dignanter homullis,
Qui solus maculis potuit sine vivere cunctis,

Ut per se modo demonstraret redimendo
Gaudia perpetuæ, quondam male perdita, vitæ,
Postque triumphalem, sanctamque, piam quoque mortem,
Quam nostri causa patienter [illegible]
Dum victor [illegible]
99 Humani generis sævissima fortiter hostis,
Sanguinis [illegible]
Pro nobis animam [illegible]
Nec non gloriola surgentis rite peracta
Atque quater denis diei spatii replicatis,
In quieis, discipulis apparens [illegible] charis,
Esse sua nostram, monstrat, cum morte peremptam,
Nec mortis vinclis se posse tenerier arctis,
Qui solus culpæ fuerat sine sordibus Adæ,
Postremo charis isdem monstratus amicis,
Montis Oliviferi præcelso vertice quidni,
Astans, astrigeram max ascensurus ad aulam,
Affaturque suos cum tali voce ministros :
Ut Pater in mundum me promisit sibi charum,
Sic ego mitto meos dilectos [illegible]
At vos, in gentes citius cunctas abeuntes,
Illas perpetuæ vitæ mandata docete,
Credentes sacra purgantes ocius unda,
In Patris, et Nati, pariter quoque Flaminis almi,
Nomine, quo veteris deponant crimina sordis.
Et virtute mea varios depellite morbos,
Nec non imperio prædones cogite vestro
Sævos, obsessum linquant ut pectoris antrum,
Illis prædulcem servantes mentis amorem,
Lædere vos odiis qui tentant semper amaris.
Ex hoc percerte possunt prænoscere cunctæ
Gentes, discipulos vos esse satis mihi charos,
Si colitis vestros puris animis inimicos.
Finetenus memores persistite scilicet omnes,
Quæ vestri causa passus fuerim sine causa
Nonne meam faciem cherubin non cernere talem
Possunt in regno, qualis nitet ergo, paterno ?
Judæi spurcis hanc sed sprevere salivis,
Maxillisque meis alapas tribuere malignas,
Atque manus clavis ligno fixere cruentis
100 De limo pulchrum queis plasmavi protoplastum,
Cum quibus et cœlos extendi denique celsos.
Nam, si respicio terram, pavitat tremefacta,
Nec mis terroris potis est inferre potentis.
Et præcedentes acriter caput atque moventes,
Me male Judæi deridebant scelerosi.
Hæc cum damnandis paterer patienter ab illis,
Ipsos vindicta volui non perdere justa,
Sed, crucis in ligno mortem gratis patiendo,
Oravi Patrem clementius omnipotentem,
Illis continuo dimittere crimina tanta,
Suadens exemplo tali, quæ sunt facienda,
Ut mea cœlestis fieret doctrina fidelis,
Et ne quis fictis auderet dicere verbis,
Ecce, quod ipse pati respuit, nos ferre suasit,
Et, quod non fecit, faciendos nos fore dixit :
Sponte prior mortis subii discrimina tristis,
Ceu pastor verus, cordis bonitate fidelis,
A Pro propriis animam ponens ovibus pie charam.
Nec non complevi multum pietate fideli,
Omnia, quæ [illegible]
Ac nunc [illegible]
Ad P[illegible]
Sed, [illegible]
Vestri secretum, quia non vos forte relinquam,
C[illegible]
S[illegible]
Emittam citius, quæ vos verum docet intus,
Insuper ipse dies vobiscum scilicet omnes
Finetenus maneo, mundi per tempora cuncta.
Hæc ubi dicta dedit, conversus denique dixit
Ad matrem propriam mansueta voce, Mariam :
Nec contristeris, rogito, virguncula casta,
B Cum me præcelsos videas ascendere cœlos,
Te quia præclaram mundi non linquo lucernam,
101 Atque [illegible] desero templum,
Nec incorruptam vitæ dimitto coronam,
Inveni solam præ cunctis te quia castam,
Condignamque, meum corpus generasse sacratum
Certe, de mundo cum te discedere mando,
Ad te cœlicolas non solum mitto catervas,
Ipse sed adveniens animam sumam benedictam,
Multum sole quidem rutilanti splendidiorem,
Nec non, angelicis deductam suaviter hymnis,
Ocyus astrigeram ponam veneranter in aulam,
At nunc, Joannem tecum remanere fidelem,
Impero, qui gemmis fulget bene virginitatis,
Ut tua vita magis præfulgeat inclyta, castis
Sæpius obsequiis circumdata virginitatis.
C Illicet angelicus dicentem talia, cœtus
Ipsum dulcisonis laudans circumdedit hymnis,
Et mox contegitur subito cum nube serena.
Conveniunt illic veterum cunei quoque vatum,
Inter quos medius David, rex psallere doctus,
Cantans in citharis, hortatur talibus orsis,
Natum cœlestis solium petiisse Parentis,
Exaltare super cœlos, fortis Deus, altos,
Atque super totam mundi tua gloria terram.
Scilicet angelicis suadens ait ista catervis,
Exaltate Deum modulato carmine nostrum,
Orantes in monte suo crebra prece sancto,
Iste Deus Dominus noster, constat quia sanctus.
Et Christus Jesus, vultu ridente reversus,
Discipulis iterum verbis dicebat amicis :
D Pax vobis, fratres, semper mihi rite fideles,
Velle meum qui fecistis, nec non facietis,
Ecce meam stabilem vobis do denique pacem,
Ac vobis ipsam pacem dimitto perennem.
Hæc ait, et citius, propria virtute levatus,
Ascendit, diri victor super æthera lethi,
102 Obsequio nubis circumseptus rutilantis.
Quem sursum fixis cum respexisset ocellis
Plebs doctrix fidei, claustris cœli patefactis,
Pergentem sursum, cunctis famulantibus astris,
Mox duo nempe viri, stellato cardine lapsi,
Astiterant illis, induti vestibus albis,
Qui satis angelicis dixerunt talia verbis :

Dicite, posco, viri, cur suspicitis Galilæi,
Vultibus attonitis stantes, oculisque supinis?
Hic certe Jesus, vobis mirantibus, unus
Assumptus, cœlos qui transcendit super altos,
Hac veniet Judex forma qua pergit ad æthra.
Hunc David Christum cernens super æthra leva-
Commovit citharam, divina laude repletam, [tum,
Hæc et lætitia cantavit congrue magna:
Ascendit Deus in jubilo magnus super astra,
Scandit inque tubæ Dominis clangore sacratæ
Post hæc intonuit solio vox Patris ab alto,
Dicens ad proprium divino famine Natum:
Tu meus es charus percerte Filius unus,
Semper jure mihi qui multum complacuisti.
Tu sine principio, Verbum Patris quoque verum,
A Et mea de cœlo solus Sapientia vera.
At nunc in dextra victor requiesce paterna
Gaudens, usque tuos ponam cunctos inimicos
Sanctorum per sæcla pedum tibi rite scabellum.
Postquam naturam, jam de busto redivivam,
Humanam, solio Christus Patris intulit alto,
Omnes angelicæ sub missa voce catervæ
Laudabant ipsum, qui, regnaturus in ævum,
Mortem decivit moriens, mundumque redemit,
Ut regnare suos faceret per sæcula servos.
Hæc quicunque legat, miserenti pectore dicat:
Rex pie, Hrosvitæ parcens miserere misellæ,
Et fac divinis persistere cœlitus odis .
Hanc, quæ laudendo cecinit tua facta stupenda.

---

103 ARGUMENTUM IN GANGOLFUM.

Gangolfus, ex nobili Burgundiorum regnum familio et sanguine natus, et in religione Christiana initiatus, a paupore quodam rustico hortulum, cum fonte amœnissimo, emerat, cujus amœnitatem Hresvitha pulcherrime describit. In hunc hortulum, orationis et relaxationis animi gratia, dum ab armis et republica vacaret, solitus erat concedere, quam rem familiares sui vehementer oderant. Factum igitur est, ut fons exaruisset, quem ille, baculo in terram fixo, rursus largissima vena restituit, ita ut illius unda omnium morborum pestes, haurientium et lavantium fugaret. Tandem, uxorem ducens, quæ incontinens et impudica fuerat, in amoreque satellitum suorum effrena libidine debacchata; quod cum sancto viro, Gangolfo, compertum fuisset, illam de incontinentia corripuit, illa per satellites insidias Gangolfo struxit, et ab illis interfectus, spultus in loco, qui Nil terra dicitur, miraculis clarens. Quod cum relatum ad Ganeam, uxorem suam, fuisset, fidem miraculis ejus derogat, miraculaque non secus, ut ventris sui crepitum, existimat, Quamobrem in pœnæ perfidiam venter illi, quoad viveret, perpetuo crepabat.

PRÆFATIO IN GANGOLFUM.

O pie Lucisator, mundi rerumque Parator,
Qui cœlum pingis sideribus variis,
Solus et astrigera regnans dominaris in aula
Lumine cuncta tenens, imperioque regens,
Tu, qui per proprium fecisti sæcula Natum,
Et rerum trinam ex nihilo machinam,
Quique protoplasto, de terra rite creato,
Oris divini nectare nempe tui
Sensus vitalem sufflasti forte liquorem,
B Ut fixum digiti fiat opus proprii,
Tu dignare tuæ perfundere corda famellæ,
Hrosvithæ, rorentis pie gratiolæ,
104 Carmine quo compto valeam pia pangere facta
Sancti Gangolfi, martyris egregii,
Et laudare tuum semper nomen benedictum,
Qui post bella tuis grata dabis famulis
Præmia, perspicuæ tenui pro vulnere vitæ,
Mandans in regno vivere lucifluo.

PASSIO SANCTI GANGOLI MARTYRIS

Tempore quo regni gessit Pippinus Eoi
Francorum sceptra regia pro populo,
Jureque magnifico rexit Burgundia regna,
Subjectos frenis rite domando suis,
Famosus juvenis nutritur partibus illis,
Armis prævalibus, corpore conspicuus,
Nomine Gangolfus, morum probitate venustus,
Omnibus hic clarus exstitit et placidus.
Illum nempe ferunt ortum de germine regum,
Regalemque suis moribus egregiis.
Ipsius e matris gremio spes pendet in illo,
Qui verbo cuncta condidit ex nihilo,
C Germinis et tanti sese non credit honori,
Sed transit et meritis stemma sui generis.
Inclyta nam genitrix, tali fetu pie felix,
In mundi lucem fudit ut hanc sobolem,
Ocius abluitur vetulis baptismate culpis,
Quas protoplastes obtinuere patres,
Chrismatis unguento scripto sibi fronteque signo,
Ascitur natis Ecclesiæ nitidis,
Pascitur et plenæ fidei mox dogmate trinæ,
Dum vagit cuna corpore lacteolo.
Lac quotiens suxit, totiens fidei sacra sumpsit,
Suspensus matris uberibus geminis.

Talibus incubuit, lactis dum gurgite vixit,
Hinc pulsus, gravido ferbuit ingenio,
Canitiemque senum membris meditando tenellis,
Non raro sacris nempe vacat studiis.
105 Quem mox imberbem, tota probitate vigentem,
Gratia Pippini, principis almifici,
Regali non immerito sisti jubet aula,
Ardenter talem corde colens juvenem.
Sed pietas illum, quamvis justissima, regis,
Ditaret tantæ munere gloriolæ,
Regius ut primis esset proconsul ab annis,
Turgenti fastu non tamen erigitur,
Pectore sed tales humili fastidit honores,
Suspirans aulæ munera sidereæ.
Nam patrius census fuerat sibi maxime partus,
Dividit et tanto pauperibus studio,
Ceu Christum miseros inter sentiret egenos
Arridere suo munere fronte pio.
Sæpe Job atque viri normam tractando beati,
Ipse manus manco, pes fuit et podagro,
Se nec non orbo cautum præbebat ocellum,
Exemplum cunctis nobile dans populis.
Nec minus humanis sudavit denique causis,
Æqualem primis se faciens dominis.
Nam, male si nostras aures simulata, vetustas
Non rebus fictis luserat, et dubiis,
Hic, quem nostra manus cœpit jam pingere sanctus,
Est assuetus iter quadrupedum sequier,
Sedulo venando lassat quoque membra decora,
Succumbens charique imperio domini,
Ipsius et telum nunquam scit cedere victum,
Cum sint ferrati compositi cunei,
Effert ipse suum semper sed ab hoste triumphum,
Tutus divino cœlitus auxilio.
Certe non nostræ possunt dictando Camenæ
Composito modulis texere dactylicis,
Quantis dilectum signis variaverat istum
Rex regum, summa pro bonitate sua.
Sed tamen, inculto quamvis sermone, latrabo
Unum de claris pluribus et variis.
106 Ut res facta probat, turmas ducendo præibat,
Capturus populum Marte satis tumidum,
Exstitit et solito victor mox denique bello,
Ejus non læso sanguine purpureo,
Gentibus adversis juri proprioque subactis,
Censum signavit, pace data, rediit.
Contigit et, ducente via, se pergere, juxta
Cujusdam septa pauperis opposita,
Queis latuit pictum vernanti flore locellum,
Tectum multiplicis germinis atque comis,
Nec non fonticulus, vitreo candore serenus,
Profluxit, rivo rura rigans stridulo.
Huc ubi præclarus senior deduxit ocellos,
Perlustrans liquidam fonticuli scatebram,
Frigoreæ captus lymphæ paulisper amore,
Substitit, et placitis tardat iter morulis,
Et mittens puerum, venisse rogabat ad illum
Florigeri dominum ipsius ergo loci.
Qui præcepta ducis complens extemplo jubentis,
A Quo fuerat positus, egreditur citius.
Hunc dux ipse quidem dum respexit venientem,
Aggreditur blandis protinus alloquiis,
Atque rogans humili tota dulcedine mentis,
Formavit lingua talia verba sua :
Dulcis amice, meus precibus sis, poscito, largus,
Ut vendas parvum hunc mihi fonticulum,
Qui, clarus vitreis et suave sonantibus undis,
Prolambens arva hæc irrigat atque tua,
Et mox argenti tibi pro mercede probati
Largiter infundo pondera non modica.
Ast ubi, tinnitum dando, promissio læta
Aures personæ transit in exiguæ,
Lætatur facies, totæ volitant quoque venæ,
Cordis secreto quæ latuere loco.
B Tunc miser in talem cœpit prorumpere vocem,
Ultra quam credas, spem dubiamque sciens,
107 O nostrate decus, nulli pietate secundus,
Quem colit Eous mente, fide, populus,
Qui tibi, quid digni potis est mea lingula fari?
Nonne tuis manibus est sita nostra salus?
Et quidquid mihi per verbum sancis faciendum,
Quamvis difficile sit satis atque grave,
Attamen est æquum tibi me parere, beate,
Ut dudum summo me exiguum domino.
Si placet hinc vetulum me transmigrare colonum,
Non contraluctor, sed tua jussa sequor.
Hæc ait, et pressis frenat sua verbula labris,
Nec post verbosa quid sequitur ligula.
Et contra vir regalis pie talia fantis
Suscepit dicta pro bonitate sua,
C Et citius dicto solvit promissa misello,
Illi centenos attribuens solidos.
Hæc ubi perfecit, raptim redeundo migravit,
Nitens ad patriam pergere posthabitam.
Tunc, qui non gnari fuerant signi venerandi,
Olim facturus quod fuit Altithronus,
Blasphemare ducem tacitis cœpere susurris,
Et pietatis opus spernere ceu facinus.
Credito, non latuisse dolum pietatis homullum,
Sed mox nudari clancula dicta sibi.
Qui dedit arguto vocem tunc nempe palato,
His verbisque suos alloquitur socios,
Cur libet, o socii, vosmet reprendere, chari,
Plus justo, verbis me satis illicitis?
Causa stultitiæ, dicentes, me tribuisse,
D Ignoto nummos extraneoque viro,
Me vacuum tanti meritoque dolere locelli,
Et bene a me mercati utpote fonticuli,
Dextera ceu propria census est, quæ pie larga,
Aurum pro donis si dederim minimis.
Non decet hoc nostris vobis reserarier orsis,
Quid velit addicti causa sibi pretii,
108 Mentes sed motas præstat componere vestras,
Et rogo parcatis talibus alloquiis,
E vobisque virum caute nunc credite gnarum,
Emissis ventis aeribusque vagis,
Ut jam semotum citius repetendo locellum
Lustret, sit vena fonticuli liquida

A More suo, flores inter bene multicolores
Perstrepet, undisono flumine per lubrica,
Tunc patet, ille lucris sese subtractat ab illis
Rusticus, ambobus, me vacuo penitus.
Hæc postquam memorat, cursim quidam remeabat,
Tantæ dimenso atque viæ spatio,
Oppido prædictum lassus [illegible] arvum,
Quo fuerat fons [illegible].
Non tamen extemplo pedibus, quamvis curiosus
Attigit atrioli limina florigeri,
Applicat impexis juxta sed de paliuris,
Nec non hirsutis vepribus et tribulis,
Queis fuit incultum soli torus undique tectum,
Nec spineta pede horruit appetere.
Jungere præscriptis ardens sua lumina septis,
Ut lustraret aquæ amniculum vitreæ.
B Sed tamen admotis frustra prospexit ocellis,
Fons quia desierat prorsus et hinc aberat.
Tunc se juncturas volvebat mente per arcta
Clare non posse cernere sepiculæ,
Ac tractim rigida, nec non cervice superba,
Incedens, gressus vertit in atriolum,
Sperans sub foliis quod forte lateret amœnis
Florum multimodis undula tecta comis.
Cumque lacum peteret, fundumque siti reprobaret
Qui quondam validis luxuriavit aquis,
Usque solum stratus, vacua spe non bene lusus,
Cœpit arenosa lingere nempe loca,
Tentans exiguam posset si lambere guttam,
Sed nec præsiccam tinxerat hinc ligulam.
C 109 Tandem Gangolphi sensit pia facta sacelli
Sed dolet et meritis credere nolle piis.
Hinc postquam rediit, socios iterumque revisit,
Aspexit nubem, aere conspicuam,
Juxta dulce caput Christi volitare famelli,
Instar candiduli denique pallioli.
Hanc capiens oculis, cœpit depromere verbis.
Fontis defectum, quem didicit, subitum,
Suaserat et sociis, dubium deponere cordis,
Et meritis sancti jam credulos fieri.
Talia colloquiis dum verba loquuntur amicis,
Applicuere sui in propriis domini,
Mœnia florigero fuerant ubi structa locello,
Circum diffusis arboribus variis.
Hic Christi charus gressum direxit amicus,
Mente libens atrio currere purpureo,
D Et baculum, tractis gessit quem denique nervis,
In terram fixit moxque domum petiit.
Illic innumeri certabant rite ministri,
Instantes variis fortiter officiis,
Ipsi qui mensas dapibus ponunt oneratas,
Poscentes tandem solvere sero famem.
Sed prius invalidam jussit procedere turbam,
Quam suevit mensa pascere sæpe sua,
Ac, propriis ipsa manibus plene saturata,
Se tandem mensa applicat apposita.
Accumbunt pariter Franci per mœnia fusi,
Gustantes bacchica muñera lætitia.
Interea somnum sidus suadebat Eoum,
Nox vicina nigras et minitat tenebras,
Atque quies epulas subito sequebatur amica,
Serpens per membra, ebrietate data.
Dux pius insomnem cœpit transducere noctem,
Intenta Dominum voce precando suum.
Postquam nox scissis discessit victa tenebris,
Lux orta p[illegible],
110 Venerunt pueri, tironum sorte potiti,
Portantes chari calceolos domini,
Et pulsant aulam, noctis pro tepore clausam,
Orantes, aditum jam fieri patulum,
Sed dux paulisper siluit, somnum quoque finxit,
Post, velut e somno evigilans gravido,
Solvere custodi vectes jubet interiores,
Pandere triclinium militibusque suum.
Illis introductis, lympham manibus petit albis,
Sed nutu Domini defuit altithroni.
Tunc vir securus, Christi pietate beatus,
Unum de pueris ocius egregiis,
Ut sibi deferret virgam, misit, memoratam,
Quam sero proprium fixit in atriolum.
Qui, cursu rapido, saliendo per herbida rura
Circumfert lubricos atque vagos oculos
Inquirens baculum terræ tempore sepultum,
Et nactum tractis arripuit digitis,
Extraxitque solo, parva remanente caverna,
Post hæc conspicuum ut faceret titulum,
Certo quo facto cecidit nubecula parva,
Quæ volitans aura ante fuit vacua,
Evomit et tumidas ipso disrupta locello,
Undas præscripti denique fonticuli,
Mansuras scatebræ venas quoque fixit aquosæ,
Virgula præfixa quo fuit exigua.
At puer obstupuit, vocemque per aera spargit,
Suadens militibus currere jam citius,
Illis atque novi narravit gaudia signi,
Quæ rex militiæ annuit angelicæ,
Dum subito cuncti, tanto signo tremefacti,
Tollunt mirantes ad superos facies,
Expassisque suis omnes ad sidera palmis,
Laudum carminula concinuere Deo,
Ecce, palatinus pelvem manibus tulit unus,
Implevit lympha quem cito conspicua,
111 Læto Gangolfum vultu quoque pergit ad almum,
Ut sibimet signum diceret insolitum.
Et, coram tanto subsistens fronte serena
Consule, de rostro hæc dedit egregio :
Lætus, ait, merito sumas rarissima dona,
Quæ tibi non terra contulit exigua,
Sed Rex ipse poli, summo de vertice cœli,
Per nubis mirum miserat officium.
Hinc nos lætitiam constat nunc carpere magnam,
Sortitus tantam es quia gloriolam.
Illicet e contra fatur dux ore sereno
Reddens responsa talia voce pia :
Non decet his meritis, inquit, sat credere nostris,
Unquam tantilli nil quia commerui,
Restat multiplices Christo sed pangere grates,
Qui præsens famulis semper adest propriis.

Dixerat, et solito tinxit se fonte novello
  Lotus, et altithrono hæc cecinit Domino.
O semper pietas nostræ spes unica vitæ,
  O vix divinæ maxima gratiolæ!
Odis quis potis est dignis opus omnipotentis
  Artificis mundi æquiparare Dei
Qui nova præteritis reddit non dissona signis,
  Qui nam per genitum sæcla regens proprium.
Hæc sunt virtutis propriæ miracula, Christe,
  Qui quondam populo utpote Judaico
Petram jussisti lactos effundere dulces,
  Et sal triste laci dulce satis fieri.
Inde, potestatis non immemor alme Tonantis
  Qua rerum trinam jure regis machinam,
Hoc nunc et nostris voluisti credere terris,
  Judicium magnæ nobile gloriolæ,
Quo discant teretem degentes sæpe per orbem,
  Te semper solum esse, fuisse, Deum.
Hoc quoque nunc Jesu Domino concede precatu,
  Abluat ut morbos iste liquor varios,
112 Quo te dulcisonis collaudet vocibus omnis,
  Qui se salvatum sentiat et validum
Hæc ait, et vocem sequitur salus alma loquentem,
  Fitque salubris aqua, laus tibi sit Domino
Post hæc, pervasti volitans cito machina mundi,
  Proditrix signi, fama, satis placiti,
Non solum patrios hortatur nempe colonos,
  Queis fungi dono contigit aurivago,
Sed quoque languidulos de longinquo peregrinos,
  Undique collectos, accelerare citos,
Et nullo pretio medicinæ sumere dona
  Gustando tantum fonticuli modicum.
Crebrius incultam videas procumbere turbam
  Volventem membra littore languidula,
Ut possis variis obsessos credere morbis
  Adfore Judaici languidulos populi,
Qui quondam quivis, in porticibus Salomonis
  Fusi, piscinæ obice Bethsaidæ,
Certabant, medico lympham turbante superno,
  Primule quis morbos ablueret varios,
Lege quidem tali mira sub sorte potiti,
  Ut mox illapsus exueret dedecus,
Pluribus in lucem suspensis ægre sequentem,
  Qui pro spe vitæ efflagitant avidæ,
Ut raptim medicus, supero de cardine lapsus,
  Turbaret modicam vel pede piscinulam.
Haud alias isti cupiere, salutis avari,
  Tangere vel guttam fonticuli minimam,
Et, gustu primo veteri sanitate recepta,
  Pulsabant odis sidera dulcisonis,
Grates pro tanto reddentes munere Christo,
  Qui sancti meritis grata dedit miseris.
Laudibus æque virum tolluntsuperæthera dignum,
  Tanta sui causa quod tenuere bona.
Si vacet, æquales meritis protendere laudes,
  Et mores tanti egregios duculli
113 Ante dies noctis peplo velatur olympo,
  Quam metam nostra obtineat ratio.
Hæc sed linquentes doctis tractanda poetis,
A   Pingemus cepta nos fragili calamo.
Certe Francorum populus dum risit Eous
  Illustris meritis et bonitate ducis,
Blanditur magnis procerum precibus seniorum,
  Hic Christi charus, gentis et omne decus,
Quo sibi condignam vellet sociare puellam
  Fœdere legali, conjugii soliti,
Ne finem caperet, subducta posteritate,
  Inclyta regalis prosapies generis.
His tandem monitis Gangolfus, dux venerandus,
  Sed tactus, blandis atque patrum monitis,
Igni conspicuam proprio jungebat amicam,
  Regalem genere et nitidam facie.
Hanc jussit liquidam semper deducere vitam,
  Compositam castis moribus et studiis.
B Ei mihi, sed coluber cupidus, versutus, amarus,
  Ingenium nuptæ illicet indocile.
Scilicet infelix Gangolfi clericus audax
  Ardebat propriam plus licito dominam.
Proh dolor! hæc, male victa dolo serpentis amaro
  Infelix citius æstuat in facinus,
Inhærens servo, cordisque calore secreto
  Legalem dominum respuit ob famulum,
Crimina tunc hostis scalpsit nudare feralis,
  Quæ caluit proprio structa fuisse dolo,
Impatiensque moræ, vacuas jaculabat in auras,
  Divulgando suam denique lætitiam.
Cum fuerat vulgo res diffamata dolenda,
  Francorum gentis omnibus indigenis,
Pulsu linguarum tenues conflatur ad aures
  Sancti Gangolfi, consulis almifici,
C Ut capiat latebras, poscens, illapsa per arctas
  Verbula, non minimæ nuntia mœstitiæ.
114 Ingemuit tam triste nefas dignissimus heros,
  Angoris magno tangitur et jaculo,
Intus in augusto volvit quoque pectoris aula,
  Res sibi diversas, triste dolendo, duas;
Primule, vindictam pœnali lege parandam,
  Pro sceleris tanti crimine terribili;
Post vero, veniam solitæ pietatis amandam,
  Et dolet ad tempus hinc nimium dubius.
Certe sed meritam solvit tandem pie pœnam,
  Diffamare scelus nec placet ulterius,
Sollicitus tantum miseræ crimen prohibere,
  Nec post hæc temere viveret in scelere.
Cumque piam curis mentem laxerat in illis,
D   Contigit atriolo currere se proprio,
Contra fonticuli sibimet prius ostia missi,
  Nubis per mirum cœlitus officium.
Hic ubi Gangolfus subsisteret ipe beatus,
  Conjux lasciva adfuerat subito.
Quam mox pacificis affatur denique verbis,
  Talia dictando ore satis gravido :
Parte tuam famam didici persæpe sinistram,
  Quod corrupta toro sis male si proprio.
Differo sed vulgo tractare, tui miserando,
  Donec forte sciam. te ne fuisse ream.
Nec mando, multam subito concurrere turbam,
  Accitam flendo undique concilio,

Ut volvat gnarus subtili sorte senatus,
Causam, terribilis et meritum sceleris.
Sed suadebo manum dextram te tingere tantum,
Præsentis lympha fonticuli gelida;
Et, si non subito damni quid contigit, ergo
Ultra judicio non opus est alio.
Quem tunc, plus justo, confidens corde superbo,
Confortante suam dæmone duritiam,
Fundo nudatam committit denique palmam,
Nil sperans damni posse sibi fieri.
115 Inter frigoreas ardens sed comperit undas,
Quid posset nostri dextera celsa Dei.
Scilicet in madidis audax ardebat arenis,
Uritur et flammis acriter æquoreis,
Et, quæ pacificis fastidit cedere verbis,
Cogitur æternæ cedere justitiæ.
O, semper nostri facilis mutatio Christi,
O, virtus justi judicis æqua Dei!
Nam quæ jactando fluxit se triste dolendo,
Exuritur tincti pellicula brachii.
Nec mora, cum palmam retulit, quod forte negavit,
Portavit crudem criminis indicium.
His ita digestis, pavitat mens conscia fraudis,
Ultra nec vitæ spes fuerat veniæ.
Tantum certa mori, corruptelamque piari,
Lethali pœna ocius apposita.
Sed tristis meritam mentis mitigaverat iram,
Princeps Gangolfus, arbiter egregius,
Mandans, ut propria damnandus clericus ergo
Expulsus subito pergeret e patria,
Quo sua finetenus mala defleret scelerosus.
Sed pulsus patria est et datus exsilio,
Et donat miseram veniæ, miseratus, honore,
Ultra sed proprio non locat in thalamo.
Post hæc, Gangolfi fama crescente beati,
Laudatrix vitæ quæ fuit almificæ,
Vafer deceptor hominum captorque reorum,
Evolvens bilem invidiæ veterem,
Fraudibus omnigenis antiquæ calliditatis
Tentavit, famam evacuare bonam,
Ne gens, exemplo tali tantoque suasa,
Ante superba sua colla daret domino.
Tempore tunc longo sudavit fraude maligna,
Lædere famosum nec valuit duculum,
In soles quia multo magis vis crevit amoris
Illius magni cordibus in populi,
116 Postremo fraudis miserum circumdedit armis,
Quem, sceleris causa, reppulit e patria,
Sanguinis huncque siti jussit fervere superbi,
Nec scivit proprio parcere jam domino.
Tali suffusus subito cum felle misellus,
In mortem justi æstuat atque pii,
Ac, parili repetens Ganeam feritate malignam,
Illi nudavit omnia quæ studuit.
Ocius hæc, ejus pravis, heu! subdita votis,
Optavit, citius jam fieri facinus,
Tendit et insidias justo clam nempe nefandas,
Immemor antiquæ, vah! penitus veniæ,
Qua se de pœna solvit jam rite paranda,

A Nec patitur vitam morte perire ream.
His ingrata magis socio consensit iniquo,
Servilique lupa uritur igniculo.
Cumque polum tegeret tenebris nox conscia fraudis,
Sensit damnanda tempus inesse lupa,
Quo male Gangolfum possunt exstinguere sanctum,
Hæc et perverso nuntiat armigero.
Qui, resecans coxam stricto mucrone sacratam,
Sancti Gangolfi, martyris eximii,
Deseruit patriam, fugiens cum conjuge, claram,
Raptus amore suæ indomito dominæ.
Sed non legalis finem ut nescivit amoris,
Sic vindicta suam nescit habere moram,
Viscera sed subito profudit cœlitus, acta
Pridem lætitia quæ fuerant tumida,
B Sicque miser, celsa prostratus vindice dextra
Vita mercatam perdiderat Ganeam.
Nam martyr sanctus, furtivo vulnere læsus,
Dum mortis gustum ebiberet rapidum,
Nec non supremis moriens spiraret in horis,
Astabat cœtus cominus angelicus,
Voce ciens stabilem corpus deponere testem,
Contextum venis fictile languidulis,
117 Nec non, angelicis blanditum suaviter hymnis.
Mox cœli calles carpere sidereas.
Ocius exspirans animam, martyr, bene lotam
Agni lucenti sanguine purpurei,
Tollitur ex aura, vehiturque per astra serena,
In cœli porta sistitur et Domino.
Hic sibi de Christo fertur mox laurea rara,
Et manibus bravii palmula perpetui,
C Lucentique stola cuncis conjungitur albis
Per vulnus læti quos tenet aula poli.
Funeris interea magni fit pompa parati,
Ornant exsequiæ corpus et exanime.
Plangebant cuncti casum tantique patroni,
Ipsius famulis maxime sed miseri,
Eligiturque locus tumulo locuples venerando,
Quem tradunt veteres Nil vocitare patres.
Illi Gangolfi condebant membra beati,
Sacros spargentes cum lacrymis cineres,
Post hæc non raro visitabant ossa sacrata,
Quærentes certum denique præsidium.
Strenuntur sacro procerum quoque corpora busto,
Pro vitæ causis instabilis variis.
Ast qui sceptra gerit, prostratus marmore, lambit,
D Et libat tumulo oscula marmoreo.
Munere, spe, dictis recogitans, quo martyris almi
Pro meritis Christus sit sibi propitius.
Quid referam turbam templi pro limine jactam,
Quidve loquor vota illius innumera?
Hæc certe nullus potis est comprendere sensus,
Nec possunt ullæ dicere litterulæ.
At contra vero testis prosperimus ipsis
Largitur talis munera dulcedinis,
Omnis ut absque mora sentit, fore prospera cuncta,
Efflagitant testem pro quibus egregium,
Hic certe læto cæcis visu reparato,
Haurit mox oculis fulmina clara suis,

118 Atque diu clausæ reserantur vocibus aures,
Et gressus plantis redditur invalidis,
Hic quoque de variis morbis depellitur ægris,
Mundatis mentis denique languidulis.
Orsis non valeo digne præclara monere
Munera, quæ populus [illegible]
Nec solum [illegible]
Queis cives tanti contigit esse viri,
Sed pariter terris habitantes [illegible] remoti,
Sentiscunt promptum martyris auxlium.
Hinc se felicem jactat Nil terra per orbem,
Quæ molli gremio confovet ossa sacra,
Denique summatim, cœpi quia tangere sancti
Gangolfi facta, martyris, egregia,
Restat, ut et tenui repetam sermone misellam,
Illius indignam conjugio, Ganeam,
Quoque dedit signum, merito damnanda barathro,
Invita, propriis conveniens meritis.
Certe, victoris cum jam lætissima testis
Pulsaret celsi sidera fama poli,
Totos et stabilis fines percurreret orbis,
Divulgans tantæ gaudia gloriolæ,
Gaudens, devotus, quidam currebat homullus,
E busto signis composito variis,
Obvius atque lupæ factus, supra memoratæ,
Substitit, attonitis aspiciens oculis.
Hanc quoque, pro meritis, dictis affatur amaris,
Conformans ligula talia verba sua :
Omnis infelix flammis credenda meretrix
Jamne piget fraudis, pœnitet aut sceleris,
In sanctum Domini non justa mente parati,
Solo lascivi consilio socii?
Nam, miserando tui, pando medicamina sani
Optima consilii, mox capienda tibi,

A Suadens ut sacrum quæras merendo sepulcrum,
Abstergas fusis et maculas lacrymis,
119 Illic exanimis sancte quia condita testis
Præfulgent signis fragmina non minimis.
Et, licet indignum, [illegible]
Si defles culpam, consequior veniam.
[illegible]
Ad vitæ rectam renuit ire viam,
Solaque nunc lætæ complectens lubrica vitæ,
Non curat patriæ gaudia perpetuæ
Sic hæc infelix, commissi criminis auctrix,
Fastidit verbis cedere pacificis,
Se quia credebat causis totam perituris,
Nec spem mansuris gestit habere bonis.
Scilicet, auditis verbis non falsa loquentis,
B Intorquens oculos subdola sanguineos,
Exagitat caput indomitum impatienter in illum
Et latrat rostro talia pestifero :
Cur loqueris, frustra simulans miracula tanta
Sedulo Gangolfi pro meritis fieri
Hæc quæ dicuntur certe non vera probantur,
Non desint signa illius ut tumulo,
Haud alias quam mira mei miracula dorsi
Proferat extrema denique particula.
Dixerat, et verbum sequitur mirabile signum,
Illi particulæ conveniens propriæ.
Ergo dedit sonitum, turpi modulamine factum,
Profari nostrum quale pudet ligulam.
Et post hæc verbum quoties formaverat ullum,
Reddidit incultum hunc toties sonitum.
Ut quæ legalem respuit retinere pudorem.
C Sit risus causa omnibus immodica,
Finitenusque suæ portet per tempora vitæ
Indicium proprii scilicet opprobrii.

PASSIO SANCTI PELAGII,

PRETIOSISSIMI MARTYRIS,

Qui nostris temporibus in Corduba martyrio est coronatus.

120 ARGUMENTUM.

Abdrahemen, Mauritaniæ tyrannus, sectam Saracenorum sequens, in Hispaniam trajecit omnesque Christianos suppliciis affecit, aut in sectam suam coegit. Cum Cordubam, insignem Hispaniæ urbem, cepisset, majores urbis necavit, aut pecuniam pro his accepit. Cumque nobili civi tantum summam pecuniæ imposuisset, quam pendere tyranno non posset, et in carcerem duci deberet, filius, pietate patris motus, pro eo vincula subiit. De cujus pulchritudine dum ad tyrannum relatum esset, e carcere adolescens, ducitur tyranno offertur, ut libidini suæ pareret. Cumque fœdus tyrannus multis precibus instare, adolescens pugno petentem oscula sua tyrannum cedit. Tyrannus illius abnuentem amplexus funda et balista trans murum in fluvium, qui Cordubam alluit, trajecit, cujus corpus ripis saxeis collisum, a piscatoribus colligitur et a satellitibus tyranni truncatur, laudem religiosissime a civibus sepelitur.

PRÆFATIO HROSVITÆ IN PELAGIUM.

Inclyte Pelagi, martyr fortissime Christi,
Et bone regnantis miles per sæcula Regis,
D Respice *Hrosvitham* miti pietate misellam.
Me, tibi subjectam devota mente famellam,

Quæ te mente colo, carmen quoque pectore promo,
Et fac, exigui supero de rore rigari
Pectoris obscurum jam mis clementius antrum,
Quo possim laudum condigne mire tuarum,
A Famosumque tuum calamo signare triumphum,
Et quem nobiliter mundum cum morte cruentum
Vicisti, nitidam mercatus sanguine palmam.

SEQUITUR HISTORIA

Partibus occiduis fulsit clarum decus orbis
Urbs Augusta Nova, Martis feritate superba.
Quam satis Hispani cultam tenuere coloni,
121 Corduba, famosa locuples de nomine dicta,
Inclyta deliciis, rebus quoque splendida cunctis,
Maxime septenis sophiæ repleta fluentis,
Nec non perpetuis semper præclara triumphis,
Olim quæ Christo fuerat vene subdita justo
Fudit et albatos Domino baptismate natos.
Bellica sed subito virtus, bene condita jura
Mutavit sacræ fidei, spargendo nefandi
Dogmatis errorem, popalum læsitque fidelem.
Perfida nam Saracenorum gens indomitorum
Urbis marte petit duros hujusce colonos
Eripuit regne sortem sibi vim quoque clari,
Exstinxitque bonum regem, baptismate lotum,
Qui pridem merito gessit regalia sceptra,
Et cives justis domuit quot tempora frenis.
Hostili ferro certe quo jam superato,
Ac reliquo victo tanta de cæde popello,
Ductor barbaricæ gentis,structor quoque pugnæ
Vir sat perversus, vita rituque profanus,
Vindicat imperii sortem sibi denique tanti,
Collocat et socios populos rure nefandos,
Implens mœrentem non paucis hostibus urbem,
Polluit et veterem puræ fidei genitricem
Barbarico ritu, quod nam miserabile dictu,
Paganos justis intermiscendo colonis,
Quo sibi suaderent patrios dissolvere mores
Deque profanato secum sordere sacello.
Agmen sed tenerum, Christo pastore regendum
Jussum perversi respuit mox trisie tyranni,
Dicens malle mori, legem quoque morte tueri,
Vivere quam stulte sacris famulando novellis.
Quo rex comperto, non absque sui fore damno
Sensit, si cunctis pariter prædivitis urbis,
Quam crebro validæ cepit luctamine pugnæ
Civibus, excidium mortis conferret amarum.
Ob quod decretum prius immutando statutum,
122 Sanxit mox legem, vulgato dogmate talem,
Ut quisquis Regi mallet servire perenni,
Et patrum mores olim servare fideles,
Hoc faceret licito, nulla post vindice pœna,
Hac solum caute servata conditione,
Ne quis præfatæ civis præsumeret urbis
Ultra blasphemare diis auro fabricatis,
Quos princeps coleret sceptrum quicumque teneret,
Seu caput exacto citius subjungere ferro,
Et sententiolam leti perfere supremam.
His ita digestis, simulata pace, quievit,
Obruta mille malis toties urbs nempe fidelis.
Sed, si quos ignis Christi succendit amoris
Martyriique, satis suasit corrumpere dictis
Marmora,quæ princeps,comptus diademate,supplex
Corpore prostrato veneratur thure Sabæo,
Hos capitis subito damnavit denique pœna.
B Sed superos animæ petierunt sanguine lotæ.
Casibus his plures volvebat Corduba soles,
Subdita per longum paganis regibus ævum,
Donec sub nostris quidam de germine regis
Temporibus, regnum suscepit forte parentum,
Deterior patribus, luxu carnis maculatus,
Abdrahemen dictus, regni splendore superbus,
Qui nam Christicolis faciebat, more parentis,
Librans arbitrium fidei, supra memoratum,
Nec satis injustum, solvit pietate decretum,
Auctor quod sceleris, populator perfidus urbis
Sanxit, dum regem superaret Marte fidelem,
Sed volvens animo,servans quoque corde profundo.
Sæpius innocuo madefacit sanguine rura,
Corpora justorum consumens sancta virorum,
C Qui Christo laudes ardebant pangere dulces,
Ipsius et stultos verbis reprehendere divos.
Insuper et tanto fastu se jactat in aula
Sacrilegus, meritas cumulans sibi denique pœnas,
123 Ut regem regum semet fore crederet ipsum,
Ejus et imperio gentes omnes dare colla,
Ullum nec tanta populum feritate refertum,
Qui tentare suas auderet Marte catervas.
Dum tumuit fastu licito jactantius isto,
Audiit inde locis gentem degere remotis,
Gallicia regione sitam belloque superbam,
Christi cultricem simulacrorumque rebellem,
Quæ sua continuo tenta et spernere jura,
Velle negans dominis olim fore subdita pravis.
Quo rex comperto, fervebat dæmonia ira,
Corde gerens veterem serpentis denique bilem,
D Volvebatque diu flammato dedecus astu,
Quid faceret tantis, animo tractans, inimicis.
Tandem, nempe dolo cunctis jam forte retecto,
Affatur proceres prædivitis urbis heriles,
Talia pestifero latrando verbula rostro :
Non latet, imperio reges succombere nostro,
Vivere nostrarum nec non moderamine legum,
Omnes Oceanus gentes quas circuit altus.
Sed quæ Gallicios retinet fiducia captos
Nescio, gratiolæ respuant ut fœdera nostræ,
Et tandem veteris sint ingrati pietatis.
Restat ut armatis repetamus quippe lacertis
Gallicios, hostes agitando forte rebelles.

Donec, ex nostris strati, per secula telis,
Inviti nostris submittant colla catenis.
Hæc postquam jactat, causamque doli memorabat,
Jussit collectis vulgus concurrere turmis,
Armorum variis instructum denique signis,
Pergeret ut gentem secum delere fidelem,
Ostentatque suum gemmato cæsule vultum,
Ferrea lascivis imponens tegmina membris,
Talicunque locum peteret pompa memoratum,
Et gentem primo tentaret denique bello,
Extemplo tantum sortitur namque triumphum.
124 Ut jam bis senos, una cum principe captos,
Illaqueat comites, arctis stringitque catenis.
His procerum damnis magna feritate paratis,
Cessit victa suis fidissima gens inimicis,
Subditur atque jugo perversi regis iniquo.
Tunc, restaurato rursus quoque fœdere primo,
Loris procedunt vincti comites duodeni,
Cum concaptivo victi rectore popelli.
Qui citius vinclis dissolvuntur resolutis,
Exempti propriæ pretio gazæ numeroso.
Sed ducis est pretium jussu regis dnplicatum,
Ultraque quam propriis possit persolvere gazis.
Cumque sui causa regi deferret avaro,
Quæ quidem habere domi sibimet suevit, pretiosi
Causa condicti parvum quid defuit auri.
Quod rex sentiscens,fraudem quoque mente revol-
Dixit nolle ducem populo dimittere dulcem, [vens,
Ni prius indictum plene solvat sibi censum,
Non sitiens tantum pretii quod defuit aurum,
Quantum rectorem populi gestit dare morti.
Qui fuerat natus præclari germinis unus,
Omni prænitida compostis corpore forma,
Nomen Pelagius, formæ splendore decorus,
Consilio prudens, tota bonitate refulgens;
Qui, vix transactis jam tunc puerilibus annis,
Attigit ætatis primos flores juvenilis.
Cumque sat immitem patri sciret fore regem,
Tali mœrentem blanditur voce parentem :
O mi chare pater, mea suscipe verba libenter,
Et, quæ commoneo, sensu bene percipe prompto.
Calleo namque tuam senio decrescere vitam,
Viribus et propriis nervos penitus vacuatos,
Nec te posse quidem levis quid ferre laboris.
Ast ego sed validis dominabor quippe lacertis,
Ad tempusque potens dominis succumbere duris,
Quapropter moneo, precibus blandisque rogabo
125 Ut regi natum me deponas tibi charum,
Donec sufficias pretium persolvere totum,
Ne tua canities vinclis intercidat arctis.
Et senior contra dicebat voce severa :
Desine tanta loqui, dulcissime, desine, fili,
Ne mœrore meos ducas in tartara canos.
Nonne salute tua pendet tantum mea vita.
Et sine te spatium valeo pie vivere nullum?
Te decus omne meum, tu gloria magna parentum,
Es quoque subjecti nobis spes sola popelli.
Quapropter patriam præstat me linquere charam,
Nec non Hispaniam vinctum penetrare superbam,
A Quam te grandævæ vinclis spem tradere vitæ.
Non tulit ergo patrem Pelagius ista sequentem,
Sed mulcet dictis mentem chari genitoris,
Et cogit blandis, quod suasit velle, loquelis.
Consensit precibus tandem genitor venerandus,
Tradidit et natum, semel redimendo, misellum.
Tunc rex Pelagium jussit perducere secum,
Et lætus rediit patriam victorque revisit.
Nullus pro meritis credat factum fore regis
Hoc, quod tam pulchra vincebat denique pompa,
Sed mage judicio secreto Judicis æqui,
Ut populus, tanto correptus rite flagello,
Fleret totius proprii commissa reatus,
Vel, quod Pelagius,Christi pro lege lege necandus.
Forte locum peteret quo se morti dare posset,
B Nec non sanguineum pro Christo fundere rivum,
Impendens animam Domino bene morte piatam.
Postquam rex urbem tetigit sævus locupletem,
Portans præclarum victa de gente triumphum,
Ilicet egregium Christi præcepit amicum
Carceris in tenebras vinctum submergere nigras,
Deliciisque cibo nutritum pascere parvo.
Cordubanamqnelocumservatsub fornice tetrum,
Oblitum lucis consignatumque tenebris,
126 Maxima qui miseris fertur fore causa doloris.
Illic Pelagius, præpollens pacis alumnus,
Clauditur, imperio regis cogente nefando.
Illic ergo viri venerunt sedulo primi,
Mulcendo mentem juvenis, causa pietatis.
Qui, cum vidissent vultum capti speciosum,
Nec non prædulcis gustassent ipsius oris
C Verbula rhetoricæ circumlita melle loquelæ,
Optabant speciem vinclis absolvere talem.
Hæc et suaserunt regi jam sceptra tenenti.
Ipsum felicis certe summum caput urbis,
Corruptum vitiis, cognoscebant, Sodomitis,
Formosos facie juvenes ardenter amare,
Has et amicitiæ propriæ conjungere velle.
Hujus namque rei memores, animo miseranti,
Causa Pelagii, suaserunt talia regi :
Non decet ergo tuum, princeps fortissime, scep-
Duriter ut puerum mandes punire decorum, [trum.
Obsidis et teneros insontis stringere nervos,
Ejus prænitidam velles si cernere formam,
Et tam mollitam saltem gustare loquelam,
Quam cuperes juvenem tibimet conjungere talem,
D Gradus militiæ nec non assumere primæ,
Corpore candidulo tibi quo serviret in aula.
His rex mollitus dictis, hac voce coactus,
Jussit Pelagium nodis evellere duris,
Omneque lavacro corpus detergere puro,
Lætaque purpureo circumdare tegmine membra,
Collum gemmatis nec non ornare metallis,
Quo bene constructa posset fore miles in aula.
Cæsaris imperio tunc hæc urgente superbo,
Extemplo nigris martyr producitur antris,
Sistitur atque toga regali comptus in aula.
Cumque palatinis medius foret ille locatus,
Vincebat socios vultus splendore togatos.

In quem conversis omnes mirantur ocellis.
127 Tum faciem juvenis, tum dulcia verbula fantis.
Aspectu primo quoque rex suspensus in illo,
Ardebat formam regalis stirpis amandam.
Tandem Pelagium nimium mandavit amandum
In solio regni secum jam horte locari,
Ignis ut ipsius foret, sibi sedulo junctus,
Fronteque submissa libaverat oscula charo,
Affectus causa complectens utpote colla.
Non patitur talem Christi nam miles amorem
Regis pagani, luxu carnis maculati,
Aurem regali ludens sed contulit ori,
Magno ridiculo divertens ora negata,
Fatus et egregio dicebat talia rostro ;
Non decet ergo virum, Christi baptismate lotum
Sobria barbarico complexu subdere colla,
Sed nec Christicolam sacrato chrismate tinctum,
Dæmonis oscillum spurci captare famelli.
Ergo corde viros licito complectere stultos,
Qui tecum fatuos placantur cespite divos,
Sintque tibi socii, servi qui sunt simulacri.
Sed rex e contra, nulla commotior ira,
Moliter ephebum dicens mulcebat amandum :
O lascive puer, jactas te posse licenter
Spernere tam mitem nostri juris pietatem,
Audacterque diis toties illudere nostris,
Nec monet ætatis præsens damnum juvenilis,
Et quod mœrentes orbabis forte parentes,
Nostri blasphemos, urget, cultus cruciandos,
Subdere vos morti, vestro jugulosque forari,
Ni cedant, et blasphemam respuant rationem.
Hortatu moneo quapropter quippe paterno.
Talibus ut verbis parcas sævæ rationis,
Et mecum stabilem comportes mentis amorem,
Nec tentes nostrum post hæc offendere jussum,
Magno sed studio serves mea dicta sequenda,
Te quia corde colo, nec non venerarier opto,
128 Tanto præcunctis aulæ splendere ministris
Alter ut in regno sis, me præstante, superbo.
Hæc ait, et dextra compressit martyris ora,
Astrictum læva complectens colla sacrata,
Quo sic oscillum saltem configeret unum.
Callida sed testis confudit ludicra regis,
Osque petit subito pugno regale vibrato,
Intulit et tantum pronis obtutibus ictum,
Sanguis ut absque mora, stillans de vulnere facto,
Barbam fœdavit, nec non vestes madefecit.
Tunc rex, non modicam tristis conversus in iram,
Jussit Pelagium, cœlestis regis alumnum,
Trans muros projici, jactum fundo machinali,
Crebro bellantes saxis quæ perfodit hostes,
Nobilis ut testis, fluvii collisus arenis,
Urbem quæ vasto propius circumfluit unda,
Membratim creperet raptim fractusque periret.
Talia jactanti parebant forte ministri,
Mox et inauditam struxerunt denique pœnam,
Funda Pelagium jacientes martyrizandum
Urbis famosæ trans maxima mœnia longe.
Sed, licet ingentes, obstantes undique, rupes
A Arctarent testis corpus prædulce cadentis,
Attamen illæsus Christi permansit amicus.
Certe regales citius pervenit ad aures,
Martyris allisi corpus non posse secari,
Infigi scopulis ripæ quod jussit acutis.
Hic magis offensus, penitus fuerat quia victus,
Mox caput exacto jussit succidere ferro,
Et sententiolam sic exercere supremam.
Denique lictores, regalia jussa trementes,
Mox Christi testem gladio secuere fidelem,
Funus et exstinctum lymphis credunt retinendum.
Nam miles, regis prostrata morte, perennis,
Victor stelligeri volitat per sidera cœli,
Cœlitus angelicis deductus suaviter hymnis
129 Judicis et vari, cœli super astra locati
B E dextra nitidam suscepit congrue palmam,
Pro nece martyrii, laudando fine peracti.
Sed nec ferventis bravio fraudatur amoris,
Quo semet vinclis pro vita denique patris
Impendit, patriam linquens gentemque subactam.
Tandem nulla piis potis est depromere verbis
Lingula, aureolam, cœlesti luce coruscam,
Qua bene servata fulget præ virginitate,
Adjunctus turmis cœlesti sede receptus,
Agno cantamen modulando perenniter, Amen.
Postquam lictores, regis decreta sequentes,
Funeris exsuvias exstincti sat generosas
Lympharum gremio credunt in saxaque figunt,
Ut sacri tumulo cineres essent sine digno,
Christus, qui proprios patitur non perdere sanctos
Prædari modicum capitis vel forte capillum,
C Non tulit in lympha testem remanere fidelem,
Illi sed dignum providit rite locellum
Qui sancti tumulo servaret membra sacrata.
Nam piscatores, lymphas remis resecantes,
Fluctivagosque greges variis laqueis capientes,
Littoris extrema viderunt corpus in ora,
Inter grandisonas agitari martyris nudas.
Exminus hoc cautis cernentes nempe pupillis,
Illic vela dabant citius, corpusque levabant.
Nec jam personæ noscunt formam venerandæ,
Illita purpureo fuerant quia sanguine membra,
Et caput egregium jacuit procul amne revulsum.
Sed tamen hoc sapiunt, prompto quoque pectore [credunt,
Quod hic quisquis erat, Christi pro lege cadebat,
D Illic hi soli quia damnantur capitali
Pœna, qui, sacra tincti baptismatis unda,
Non metuunt crebro regis reprendere sacra.
Cumque caput nanciscentes, colloque locantes,
Pelagii faciem cognoverunt rutilantem,
130 Rumpunt in tales miserandi pectore voces :
Heu ! jacet examinis propriæ spes unica gentis.
Atque decus patriæ tumuli sine sordet honore,
Nonne satis multis scimus nos vendere seclis,
Semper sanctorum corpuscula passa virorum,
Quos capitis cædes monstraverat esse fideles ?
Et quis laudabilis dubitet corpus fore testis,
Quod truncus misere capitis jacet absque decore !

Hæc ubi dicta dabant, navi pia membra locabant,
Et citius versis remigabant denique velis
Famosæ cunctis ad portam gentibus urbis.
Hic quoque subducta jam processere carina,
Et clam cœnobium Christo petiere sacratum,
Intra non modicos urbis venerabile muros,
Portantes pretio vendendum denique magno
Exstincti testis funus venerabile terris.
Quod gaudens hymnis suscepit turba fidelis
Suavibus, exsequias celebrans de more sacratas,
Largiter et pretium nautis tribuit superauctum,
Ardescens sancti mercari corpus amandi.
Quo nam mercato, pretii non munere pauco,
Eligitur tellus membris locuples retinendis,
In qua suprema busto pompa reparato,
Glebæ sub cumulo conduntur fragmina sacra.
Quæ mox stelligeræ Regnator maximus aulæ,
In tumulo signis jussit fulgere coruscis,
In cœlis anima satis; ut, regnante beata,
Æqua gloriola regnarent mortua membra.
Denique collectus cernens ex urbe popellus
Non pauco variis obsessos tempore morbis,
Mundatis illic fœdis putredine membris,
Salvari gratis nulla mercede salutis,
Nam rudem meriti sanctum titubat fore tanti,
Illius ut causa fierent miracula tanta,
Tandem cœnobii princeps, rectorque popelli;
Optima consilii tractans medicamina sani,
131 Sensit Celsithronum devota mente precandum,
Quo jam dignanter, solita pietate, patenter
Detegeret dubio causæ secreta remoto.
Qnod mox personæ sexus optant utriusque,
Parcius atque tribus sociatæ sponte diebus,
Dulcibus instabant hymnis, precibus quoque sacris.

A His certe vobis devota mente peractis.
Mitem mollitum Regem, sensere polorum
Esse suis preculis, studioso murmure fusis,
Nec non judicio dubiæ pronum fore causæ
Et cito fornacem cogunt fervere immanem
Ignibus appositis, toto conamine structis.
Cumque focus gremio fureret fornacis in amplo,
Mox caput abscissum Christi sumpsere famelli,
Talia blandiloquis palpantes verbula linguis.
Rex pie, sidereæ dominator nobilis aulæ,
Omnia judicio qui scis discernere justo,
Illius meritum sancti fac igne probari,
Et, si sit tantæ fultus bonitatis honore,
Ejus ut ex meritis fierent hæc dona salutis.
Frontis pelliculam facito non tangere flammam,
B Verticis illæsos omnes quoque redde capillos.
Sin vero meriti constet fortasse minoris,
Manda pro signo, saltim lædi cute summa,
Juxta naturam fragilis carnis perituram.
Talia dicentes, clarum caput igne probandum
Credunt flammivomis saltim surgentibus undis.
Et tandem, plenæ spatium post unius horæ,
Hoc ipsum rapidis extollunt denique flammis,
Lustrantes oculis damnum ferret ne caloris,
Quod jam splendidius puro radiaverat auro,
Expers odoris penitus, tantique caloris.
Hinc, sursum versis, laudavit turba fidelis,
Vultibus, Altithronum modulanti carmine Christum.
Qui toties tanti fecit splendescere signis
Fragmina constantis pro sese mortua, testis.
132 Hæc et mausoleo digne condens venerando,
C Digno percerte supplex veneratur honore,
Finetenus merito vulgo bene credula noti
Cœlitus atque dati semper gavisa patroni.

LAPSUS ET CONVERSIO THEOPHILI VICEDOMINI.

ARGUMENTUM.

Theophilus, adolescens singularis indolis et ingenii, in Sicilia (leg. *Cilicia*) *avo suo, episcopo, commendatur, qui illum archidiaconum* (*qui* oculus episcopi *in canonibus, hic* vicedominus *vocatur*) *creatur. Avo defuncto, plebs illi episcopatum offert. Ille coram metropolitano abdicat. Alter electus, qui eum archidiaconatus officio deposuit. Ille, se videns spretum et abjectum, Hebræum pro officio priori consequendo consulit. Ille diabolum evocat, et seipsum ei devovit, et officio restituitur. Tandem pœnitentia ductus, auxilium gloriosæ virginis Mariæ imploravit. Cujus tandem intercessionibus datum diabolo chirographum recuperavit, seipsumque totum sanctimoniæ vitæ devovit.*

INCIPIT HISTORIA

Posquam lux fidei, crescens per climata mundi,
Siciliam tenebris errorum solvis ab atris,
Vir satis illustris nutritur partibus illis,
Nobilitate potens, meriti splendore refulgens;
Hicce Theophilus fuerat de nomine dictus,
Puri sacrata tinctus baptismatis unda.

D Quem devotu patrum divinis cura suorum
Obsequiis igitur primis signavit ab annis,
Atque, sui dulcem pie sollicitando nepotem,
Cuidam pontifici credidit nimium sapienti,
Quo nutriret eum studio florente docendum,
Ipsius ingenium mentisque rigaret agellum.

133 De sophiæ rivis, septeno fonte manantis.
Cumque pio satis exhausti puero foret ipsi,
Digno confestim provectus honore, gradatim
Perveniebat ad officium sibimet satis aptum,
Quod lingua vulgi scimus dictum *vice-domni*.
Hac igitur tanti pompa splendoris adepta,
Pontifici se subjectum cleroque modestum
Præbuit, atque pium populo, cunctisque benignum,
Commissoque gregi studio præerat vigilanti.
Maxime sed Christi minimis miserisque pupillis
Ac castis viduis, nec non cunctis peregrinis,
Vestes et victum dextra tribuit bene larga,
Hospitiumque vagis nunquam claudebat egenis.
Hinc igitur consors omnis devotio plebis
Affectu tenero cordis pendebat in illo,
Ipsum seu dulcem venerantur amando parenten.
Interea vir summorum præsul meritorum
Cœlitus acceptum direxit ad æthera flatum.
Quo nam defuncto, gremio terræque locato,
Consensu plebs clamabat concorditer omnis,
Respondens cleri votis, eadem cupientis,
Hunc fore præcipuis aptum meritis vice domnem,
Ut culmen sedis captaret pontificalis,
Summi pontificis curamque teneret ovilis.
Hoc quoque persuadere suo metropolitano
Pontifici scriptis festinabant cito missis,
Cujus judicio statui pastor sapienti
Debuit ecclesiæ tali condignus honore.
Qui bonitate viri comperta namque benigni,
Se completurum promisit velle precantum,
Et venisse virum jussit maturius ipsum,
Affectu populi tanto quem sensit amari.
Ille sed exsecrans talem constanter honorem,
Præsulis imperio parere, negat, veniendo,
Donec invitus trahitur, turbis glomeratur.
Et, cum pontificis præsentaretur ocellis,
134 Stratus adusque solum, voces spargebat in [altum,
Infectum vitiis sese dicens, fore multis
Non aptum sancto Christi populo dominari,
His igitur querulis iterata voce profusis
Antistes summus cessit postremo coactus,
Huncque Deus, talis qui fastidivit honoris,
Injunctæ vacuum curæ concessit abire,
Constituens alium, rectoris nomine dignum,
Qui nam, paucorum post intervalla dierum,
Quorumdam blandis clam seductus suadelis,
Subjectis alium cito præposuit vicedomnum,
Atque Theophilum, summis meritis venerandum,
Movit ab officio, multos quo fungitur annos.
Istic sed, fragilis tolerans patienter honoris
Damnum, tristitiam pellit de pectore cunctam,
Gaudebatque satis sese jam posse vacare
Tanto liberius studio Christi famulatus,
Quanto curarum securus erat variarum.
Hujus mox mentem detestatur patientem
Totius humani generis sævissimus hostis,
Et, qua primates decepit fraude parentes,
Hac hujusce viri pulsat penetralia justi,
Adducens ejus fragili sæpissime menti
A Blanda potestatis delectamenta prioris,
Despectusque gravem facti nuperrime sortem.
Nec laqueos harum retraxerat insidiarum,
Donec captivum Christi duxit sibi servum.
Nec mora, vir fortis, vita meritisque celebris,
Mentis virtutem demens abjecerat omnem,
Nec tentamentis studuit restare nefandis,
Sed victus cessit, mentisque dolore tabescit,
Quique prius plebi sprevit princeps dominari,
Affectat juris pompas nunc inferioris.
Tandem, seductus cæcato corde misellus,
Quemdam perversum petiit festinus Hebræum,
Qui magica plures decepit fraude fideles,
135 Prolambensque suas, prostrato corpore, plan-[tas,
Ipsius auxilium flagitat lacrymando nefandum.
Qui, super errantis lapsus gaudendo, malignus,
B Nocte procul dubio jussit venisse futura,
Promittens promptam despectus esse medelam,
Si parendo suis vellet tantum suadelis
Sub ditione sui posthæc habitare magistris.
His hic infelix monitis captus male blandis,
Dæmonis obsequio sævi gestit religari,
Quo sic umbratilis manus meruisset honoris,
Quem nec signatum signo sanctæ crucis almo,
Sed mage dæmonicis confidentem suadelis,
Ocius ille magus secum duxit maledictus
Trans urbem, sub nocturnis secreto tenebris,
Intulit inque locum multo phantasmate plenum,
In quo tartarei steterant in veste coloni
Albas, candelas plures manibus retinentes.
Inter quos medius princeps residebat iniquus,
C Qui rex est mortis, proles quoque perditionis,
Suadens damnandis astuta fraude ministris,
Impigre cunctis prætendere calliditatis
Assuetæ, laqueos omnes captare paratos.
Et magnus errantem, damnumque sui cupientem,
Mox ad concilium perducebat scelerosum,
Prostratusque sui plantis extemplo magistri,
Monstravit verbo causam, qua venerat illo,
Cui dæmon sævus contra sic denique fatus :
Dic, ait, auxilii possim quid ferre fideli
Ablutoque viro Christi baptismatis unda?
Si meus esse cupit, scriptis Christumque negabit,
Illiusque puellarem pariter Genitricem,
Per cujus partum patior nimium grave damnum,
Illum continuo virtute mea relevabo,
D Atque decus talis præstabo patenter honoris,
Præsul ut ipse suis non contradicere jussis
Apponat, cernens omnes illi famulantes,
136 Qui nunc despectum spernunt venerarier [ipsum.
His eam blanditiis anguinæ calliditatis
Iste miser verbo non contradixerat ullo,
Sed fieri gestit, quæ perversus draco suasit,
Proditor atque totum dederat se perditioni.
Sponte dedit proprii chartam scribens detrimenti
In qua spirituum testatur velle nigrorum
Esse sub æternis sociis per sæcula pœnis.
Hoc ubi perfecit, passim phantasma recessit,
Ipseque cum pravo gaudendo redibat amico,

Pacta namque die, præsul præcepit adesse
Cleri primates, plebis pariterque priores,
Atque Theophilum, cunctis astantibus illis,
Adductum, verbis nimium blanditur amicis,
Ipsius subdens hilari vultu ditioni,
Deflevitque piis sese peccasse lamentis
Abjecisse virum pr[illegible]
Ast hic, e subitis tanti lætatus honoris
Donis, plus æquo tollit se mente superba.
Jactanter subjectorum cuncos populorum
Ipsius obsequiis cogens succumbere duris,
Et, spreto penitus patriæ cœlestis honore,
Terrestris tantum pompæ versantur amore.
Cumque diu vacuis inhiaret namque lucellis,
Atque, monente magno, nunquam cessavit iniquo,
Sævo multiplices Satanæ persolvere grates,
Ex cujus largis, credidit, solummodo donis
Accessisse quidem tantam sibi prosperitatem.
Tandem cœlestis pietas immensa parentis,
Qui nunquam cupit interitum mortemque reorum,
Sed mage conversis lætam concedere vitam,
Condoluit, facti meritum periisse benigni,
Quo quondam stabili fulsit celeberrimus orbi.
Isthæc, sollicitans omnes clementer egentes,
Moreque divino, pietas eadem veneranda
Concutit errantem digna formidine mentem.

137 Nec mora, compunctus summo mœrore misellus,
Præponit pavitans oculis sæpissime cordis,
Quanta, negando Deum, meruit tormenta per ævum,
Et, quibus in pœnis debebat Averni.
Hæc quoque tractando secum mœrore supremo,
Talia continuis fertur dixisse lamentis :
Heu mihimet misero, cunctis probris vitiato!
Væ mihi damnando, proprii pro crimine voti,
Qui Patris summi Prolem per scripta negavi,
Divinæque simul dulcem Prolis genitricem !
Eheu, quam sævis tradar per sæcula pœnis,
Et quam continuis claudar sine fine tenebris,
Qui miser elegi subdi Satanæ ditioni,
Atque tenebricolis erebi sublimine jungi
Mundanæ pompæ vano seductus amore!
Quid dicturus ero, nimium peccator, in illo
Tempore judicii sancti Spiritus metuendi,
Quando factorum mercedem quisque suorum
Accipiat, dignam satis æqua lance libratam,
Pro diversorum qualitate quidem meritorum?
Vel, quis forte mei tunc apponet misereri,
Cum vix pro meritis justus salvatur opimis?
Nam Christi Genitrix, cœlique potens dominatrix,
Flaminis atque sacri templum sine sorde coruscum,
Hæc eadem virgo, partus post gaudia casta,
Quæ retro conversis fuerat mitissima cunctis,
Atque sui dulcem nunquam tardat pietatem,
Sola mihi veniæ potis est medicamina ferre,
Si pro me proprium dignatur poscere Natum.
Sed, si pollutis illam rogitare labellis
Cœpero, bacchanti nuper quam corde negavi,
Me vereor flammis cœlo consumier actis,
Ferre meum facinus quia non patitur grave mundus.
A Attamen, instantis causa cogente doloris,
Ejusdem celerem supplex quæro pietatem
Quo clemens animam precibus salvet perituram.

138 Hæc secum querulis nimium dicebat amaris,
Et, secli curis citius de corde repulsis,
Impiger ad templum properat, sub honore dicatum
Virginis intactæ, matrisque Dei venerandæ,
Octies et spatium transegit quinque dierum,
Illic contrito deflens sua corde piacla,
Denegat atque sibi, lacrymis satiatus amaris,
Omnia cultorum delectamenta ciborum,
Scilicet et requiem somni sæpissime dulcem.
Pervigil in sacris summo conamine votis,
Tali perc erte corpus frangendo labore,
Purgavit lacrymis animæ maculas vitiatæ.

B His bene perfectis, nimium cum lassus in horis
Nocturnis, molli declinat membra quieti,
Astitit in somnis illi castissima Regis
Æterni Genitrix, eadem mundi dominatrix,
Scilicet auxilium, spes solamenque paratum,
Ejus præsidium devota mente precantum,
Talibus et verbis terrebat corda paventis :

O vir, cur nostri vigilas ad limina templi
Vel, cur posse mei celerem temet pietatem
Præsumis sperare, meum qui denique Natum,
Me matremque sui, perverso corde negasti?
Dic, rogo, queis oculis possim mis cernere Prolis
Divinæ vultum, cœlesti luce coruscum,
Quove modo solio præsens astare tremendo
Ejus præsumo? tibimet veniam rogitando.
Ast omnes culpas, in me fortasse patratas,
C Affectu mentis tibi mox indulgeo gratis,
Omne genus nimium quia diligo Christicolarum.
Illos præcipue tenero sed mentis amore
Diligo, consolor, propriis amplector et ulnis,
Quos exorantes, crebris hymnisque vacantes,
Invigilare meo cerno sæpissime templo.
Materni sed vis fortis me cogit amoris,
Hinc magis erga te nimio ferverscere zelo,
139 Quod præsumpsisti tradendus perditioni,
Blasphemando mei sanctum contemnere Natum,
Qui Deus æternus, de Patre Deo generatus,
Retro principii primordia cana sereni,
Ex me dignatus sumpsit sub tempore corpus,
Quod dedit humanæ morti nationis amore.

Talia dicenti castæ Christi Genitrici
D Vir mœrens animo, contra sic fatur amaro :
O mea domna, scio, nimiumque tabesco sciendo,
Plus justo quia deliqui, spe captus inani
Commisi cunctis facinus majus quoque pœnis,
Despiciendo Deum, de te sine sorde profusum.
Hinc non sum dignus veniæ conquirere munus.
Sed tamen exemplum nobis tribuere salutis
Sperandæ, multivario qui crimine lapsi,
Post lapsum scelerum veniam meruere suorum.
Nonne Ninivitæ mitem Christi pietatem,
Sese condignis cruciantes namque lamentis,
Invenire trium post intervalla dierum?
Nonne David, propheta Dei, princeps quoque regni

Judaici, plebem Domini qui rexit herilem,
Illicito nuptæ subito præventus amore,
Non timet, insidiis circumveniendo dolosis,
Insontem vita fraudare virum sine causa,
Complexus charæ licito quo posset habere?
Sed, postquam, vatis perterritus advenientis
Admonitu, culpas didicit deflere gemellas,
Belevit lacrymis tacite maculas cito cordis,
Suscepit rursum prophetiæ quoque domum.
Quid referam Petrum, Christo testante, beatum!
Qui post, quamvis solvendi, pariterque ligandi,
Nec non stelligeræ claves acceperat aulæ,
Pro fidei rectæ satis expressa ratione,
Detestando, Deum sese cognoscere Christum
Renuit, ancillæ vocem metuendo nefandæ,
Nec semel, aut binis vicibus, sed denique ternis,
140 Ceu nunquam visum, charum negat atque magistrum.
Sed, quia condigne lapsum deflevit ab ore
Peccatum, veniæ meruit medicamen opimæ,
Scilicet atque gregi jussus præesse fideli,
Princeps Ecclesiæ pastor fit jure sacratæ.
Talibus ac tantis, aliis multisque figuris
Admonitus, similem me, sperabam pietatem
A Christo citius per te conquirere posse.
Cui vultu blando dicebat sancta Maria,
Tristem mellifluæ refovens dulcedine linguæ :
Si te commissum turbat facinusque nefandum,
Concedet ut cordis consensu confitearis
Hoc, quod mendaci demens sermone negasti,
Ipsum, quem peperi, Patris Natum fore summi,
Qui judex orbem veniet renovare per ignem
Et post hæc tandem pro te præsumo rogare.
Ille quidem, rursus lacrymans, infit vicedomnus :
O dilecta Dei genitrix sanctissima Christi,
Quæ miti refoves cunctos pietate fideles,
Quo pacto? quo jure quidem contingere tandem
Altithroni nomen sanctum, venerabile, magnum,
Infelix ego pollutis præsumo labellis,
Qui Christum, baptisma, crucem Christi, quoque matrem
Te castam, scriptis blasphemavi male pictis
Cunctaque cœlestis pia sacramenta salutis?
His miserans querulis inventrix virginitatis
Aiebat blandis iterum clementius orsis :
Quamvis si gravibus vitiis nimium maculatus,
Attamen, ut monui, Dominum non sperne fateri,
Et, quia factus homo, nostri solummodo causa,
Ut spem conversis veniæ præberet habendæ.
Nunc isthæc demum, monitis parendo jubentis.
Cum lacrymis tales spargebat ad æthera voces.
Hunc supplex veneror, laudo, complector, adoro,
Ex Patre cœlesti, Christum, sine tempore natum,
Temporibus nostris missum de sede Parentis.
141 Ut de te casta, nec non de Flamine sancto,
Indueret fragilis nostræ velamina carnis,
Hancque Deum verum, nec non hominem fore plenum,
Non dubito, nostri causa qui pertulit ergo,

A Opprobriis tangi, colaphis, alapis quoque cædi,
Sacraque pulsari crebris sua terga flagellis,
Atque sputis rutili speciem vultus maculari.
Cumque, coronatus spinis, et felle potatus,
Quæ sacra prædixit scriptura, per omne replevit,
Postremo sacris expassis in cruce palmis,
Ceu pastor verus, bonitatis honore decorus,
Pro nobis animam moriens ponebat amandam,
Atque sepulcralem dignans suscepit honorem.
Hinc, inferna petens, erebi quoque claustra resolvens
Mortem destruxit, mortis patremque ligavit,
Tartareoque suos traxit de carcere justos,
Ac sic non parva victor comitante caterva
Ad superos rediit, proprium corpusque resumit,
B Quod fuit in busto clausum sub marmore magno.
Tertia quem vivum vidit lux omne per ævum,
Discipulique sui crebro videre beati,
Ipsum nunc convescentem, nunc ergo loquentem
Illis de regno dulci sermone futuro.
Post hæc, attonitis oculis cernentibus ipsis,
Ipsam quam sumpsit carnem super astra libravit,
In qua judicium veniet celebrare futurum,
Proque suis meritis reddet bona vel mala cunctis.
Hæc ita credentem, cordisque fide retinentem,
Atque tui deposcentem solitam pietatem,
Commendo me, Virgo tuo sanctissima Nato,
Impetraque tuo veniam famulo sceleroso.
Hæc ubi continuis deflevit verba querelis,
Sancta Dei Genitrix, eademque potens dominatrix
Cœlorum, verbis respondens, inquit, amicis :
C Propter mysterium sacri baptismatis almum,
Et propter ducem charæ mis prolis amorem,
142 Cujus te pretio sacri, scio, sanguinis amplo
Emptum, pro mundo qui fusus erat perituro,
Procedens sacris advolvor sedula plantis,
Ejus, quem genui, cunctorum judicis æqui,
Nec parcam preculis studio certante profusis,
Donec ipsius mitem cogo pietatem.
Ut tibi parcendo dimittat tanta piacla.
His dictis, subito discessit virgo sacrata,
Quod suscepisti credentis more popelli,
Linquens promissi misero solamina sani.
Certe post triduum rursus veniebat ad illum
In visu, veniæ munus reserans reparatæ,
Et vultu læto deprompsit talia verba :
D Entis vir domini, tristis compunctio cordis
Est accepta Deo Patrique Prolique perenni,
Atque tuæ lacrymæ scelerum veniam meruere.
Sed nec tartareis pœnis unquam capieris,
Si post hæc perstare cupis sine fraude fidelis.
Ipse quidem contra mox dicebat prece blanda :
Certe servabo sacræ fidei documenta,
Nec post hæc ultra male transgrediar negligendo
Quidquam de vestris, mea domna, piissima jussis,
Te quia post Dominum solam conferre medelam
Spero, quo pœnis pabulum, non tartara, mavis.
Sed non est mirum, per te me jam fore salvum,
Perquam de veteris letali crimine matris,

Omnem, dante Deo, mundum patet esse solutum,
Et quis, te poscens spe non dubiaque requirens,
Desertus fuerat, vel confusus remeabat.
Hinc ego, criminibus sat supremis vitiatus,
Suppliciter fontem devota mente perennem,
Alma Dei genitrix, exoro tuæ pietatis,
Ut facias chartæ litteras extemplo nefandæ,
Queis me subjunxi vastatoris ditioni,
Ejus de manibus miserum me sumere rursum,
Hinc animam formido meam quia forte misellam
143 Tempore judicii multo discrimine lædi,
Si nunc prædoni non est abstracta feroci.
His dictis, oculis iterum vigilabat apertis,
Et, se prosternens precibus, crebro quoque deflens,
Jejunando trium cursus agit ergo dierum
Post hæc et somno consurrexit mane summo,
Invenit positam supra sua pectora chartam.
Qua visa membris mox contremuit resolutis,
Et grates Christo cordis reddebat ab imo,
Atque puellari pariter Christi genitrici.
Post hæc namque die sacra feliciter orta,
Quæ trahit a Domino nomen venerabile summo,
Intrat in ecclesiam, populis ex more repletam,
In qua tunc, inter sacræ solemnia missæ,
Astantes evangelicis præsul docet orsis,
Et, coram cunctis sacram prostratus ad aram,
Ejusdem quoque pontificis dans oscula plantis,
Voce palam clara narravit ab ordine cuncta
Quæ vel mortiferis egit victus suadelis,
Vel quæ perpetua meruit poscente puella.
Hæc ubi composita plene retulit ratione,
Antistes, facti tactus terrore stupendi,
Intonat his verbis mirantis voce profusis

Cuncti gaudentes huc jam properate fideles,
Et, pia facta Dei laudantes mente fideli,
Credite jam Dominum, propria pietate benignum,
In letho delectari nunquam scelerosi,
Sed plus conversis vitam dare velle futuram.
Eia, dilecti fratres, intendite cuncti,
Quam pie precantes Dominus tolerat bonus omnes,
Quos scit converti, post tristia facta piacli.
Quis non miretur, quis non supplex veneretur
Laudandam multam dulcis Christi pietatem,
Illum quærentes semper qua sublevat omnes?
Qui jam criminibus miserans parcebat et hujus,
Ipsius illustris precibus, sanctæque parentis,
A **144** Per quam naturæ periit maledictio nostræ,
Et per quam mundo venit benedictio cuncto.
Hinc memor esto, Dei Genitrix sanctissima, nostri,
Qui te mente, fide, voto laudamus et ore,
Quo pius ipse gregem pastor servare fidelem
Dignetur, veteris depulsa fraude draconis.
At nos exiles, nulla virtute potentes,
Te semper regis mater non tacta parennis,
Ac de te genitum Regem Dominumque polorum,
Efferimus crebris, conclamantes simul odis,
Peccato noster moriens periit quia frater,
Sed, postquam periit, per te, sacra Virgo, revixit.
His dictis, chartam comburebat maledictam,
Et mox mysterium missæ peragit studiose.
Hoc ubi complevit, miro splendore refulsit,
B Instar surgentis Phœbi, facies vice domni,
Quo mentis splendor lucens, animæ quoque candor,
Ejus per faciem monstraretur rutilantem.
Hinc astans populus, nimia formidine tactus,
Altithrono grates cœpit resonare tonantes,
Cui placuit monstrare viri meritum venerandi.
Ipse quidem, sacrum repetens extemplo locellum,
In quo cœlestis donum meruit pietatis
Frangi vi adversa fragilis valetudine carnis,
Per spatiumque trium morbo crescente dierum,
Exemptus corruptibilis de carcere carnis,
Spiritus, æthercam plaudens ascendit ad aulam.
Auxilio sanctæ fultus dominæque Mariæ.
Scilicet exstinctum corpus, nisu populorum,
Ipso rite loco tumulatur honore supremo,
C In quo nactus erat veniam, quam flendo rogabat.
Talis erat desperati nec non scelerosi
Finis, qui proprium didicit deflere reatum,
Et se condignis studuit punire lamentis.
Hinc laus et virtus Christo per sæcula cuncta,
Humani veterem generis qui straverat hostem,
145 Plasma suæ dextræ rapiens serpentis ab ore,
Ipsius et dulci constet lux alma parenti,
Quæ pie solamen misero jam contulit, Amen.
Unicus Altithroni Genitus retro tempora mundi,
Qui, miserans hominis, descendit ab arce Parentis,
Et carnis veram sumpsit de virgine formam,
Virginis ut justum primæ sedaret amarum,
Consecret appositæ nobis pia fercula mensæ,
Has faciendo dapes gustantibus esse salubres.
Quod sumus, et, quod gustamus, vel, quicquid aga-
D Dextera Factoris benedicat cuncta regentis! [mus

HISTORIA

DE CONVERSIONE DESPERATI ADOLESCENTIS SERVI *Proterii* PER SANCTUM BASILIUM.

Offert Hrotsuitha librum Gerbergæ abbatissæ suæ.

En tibi versiculos Gerberg fero domna novellos
Jungens præscriptis carmina carminulis.

Qualiter et veniam meruit scelerosus amandam.
Congaudens modulis succino dactylicis.
Spernere quos noli, nimiun cum sint vitiosi,
Sed lauda miti pectore facta Dei.

PRÆFATIO IN PROTERIUM.

Qui velit exemplum veniæ comprendere certum,
Nec non larga Dei pietatis munera magni,
Pectore versiculos submisso perlegat istos,
Nec fragilem vilis sexum spernat mulieris,
Quæ fragili modulos calamo cantaverat istos;
A Sed mage cœlestem Christi laudet pietatem,
Qui non vult digna peccantes perdere pœna,
Sed plus perpetuæ conversos reddere vitæ.
Gaudens gaudebit, quod, verum stare, probabit,
Quisquis præsentem perscrutatur rationem.

ARGUMENTUM

146 *Erat vir quidam nobilis, Proterius nomine, Cæsariensis civitate, in Asia Minori, aitissimus. Is filiam speciosam et unicam habuit, quam castitati devovit. Erat illi servus delicatus, qui, amore puellæ correptus, Magum adibat, super connubio puellæ consulens. Is respondit se velle puellæ animum implere, et amore suo insanam reddere, si se suamque animam diabolo devoveret. Annuit servus, datoque chirographo dæmoni, puella potitur, nuptiæ celebrantur. Postea autem quam puella comperit illum diis manibus devotum, matrimonii divortium petit, in ecclesiam ducit, et a sancto Basilio chirographus a dæmone repetitur, ille fidei Christianæ et Ecclesiæ restituitur.*

SEQUITUR HISTORIA.

Tempore, Basilius quo, vir virtutibus almus,
Rexerat Ecclesiam justo moderamine sanctam,
Sedem rectoris sortitus Cæsariensis,
Vir satis illustris degebat partibus illis,
Nomine Proterius, comes plebi venerandus,
Nobilitate potens, opibus rerum quoque pollens.
Unica feminei sexus proles fuit illi,
Nec alius substantiolæ mansit sibi magnæ
Heres, quam certe tenero dilexit amore
Affectuque pio, nec non pietate paterna
Optans, plus animam natæ, nunquam morituram,
Ornari gemmis perfectæ virginitatis,
Quam corpus pompa mundi mortale caduca.
Curavit sacris ipsam sociare puellis,
Quæ, consignatæ Christo velamine sacro,
Cœnobii claustris pariter servantur in artis.
Doctor sed scelerum, qui decepit protoplastum,
Detestando viri votum laudabile justi,
Ipsius proprium fecit fervescere servum
In supra dictæ dementer amore puellæ.
Qui nimis infelix, spiculis perfossus amoris,
Quo magis ardescit, tanto plus corde calescit.
Indignum se conjugio meminit quia tanto,
147 Nec audet nudare novum cordis cruciatum.
Tandem namque magum quærens invenerat unum,
Secretum cui mœstitiæ monstravit amaræ,
Promittens illi non parvi dona lucelli,
Si teneram prolis mentem proprii senioris
Ejus servili jam conglutinasset amori,
Cui mox perversus fraudis dicebat amicus.
Nam fateor tantæ non me valetudinis esse,
B Ut servo propriæ jungam consortia domnæ.
Sed, si rite meo satagis parere magistro,
Qui princeps æternarum constat tenebrarum,
Ipse potest certe complere tuum cito velle,
Si post hæc Christi numen non vis venerari.
Cui male cæcatus bacchanti corde misellus
Se consensurum monitis promiserat istis.
Tunc magus iste suo mandat scribenda ministro
Princeps inferni, regnator magne profundi,
Concede ergo tuos semper tentare ministros,
Si possint aliquos, fontis baptismate lotos,
Assignare tibi, subtractos de grege Christi,
Ut, quæ te sequitur, semper pars multiplicetur.
Hinc tibi namque virum misi gaudens satis istum,
Ejus propositum, quo, mox complendo secretum,
C Ipsum discipulum facias tibi rite futurum.
Hanc, ita prescriptam, misero dederat quoque chartam,
Supra gentilis tumulum, sub tempore noctis,
Stans, erebi domino supplex, dicens, dabis illam.
Quapropter, domini natæ complexibus uti
Si cupias, licito Christum prius ore negato.
Quod mox præceptum mente amplectens male suasum,
Gaudens tendebat, qua se magus ire jubebat,
Auxilium veteris supplex orando draconis,
Interitum præbere suis qui tentat amicis.
Nec mora, tartarei cursim venere ministri,
Errantemque satis læti duxere maligni
Mox ad consilium cludere tenebricolarum,
148 Illic inventor sceleris, cunctæ quoque fraudis,
D Damnandus damnandarum princeps legionum,

Consedit medius, corvino milite septus,
Tendens incautis laqueos clam calliditatis,
Nec non insidias evolvens ante repertas,
Inquirit, scelerum faceret quid quisque suorum.
Scilicet, ut litteras perscrutatur sibi missas,
Utitur his verbis, frendens velut ira leonis,
Perterrendo virum sæva ratione misellum :
Nunquam Christicolæ permansistis mihi fidi
Sed mox ut vestrum complevi velle jucundum,
Protinus ad vestrum fugistis denuo Christum,
Me detestando penitus post munera tanta,
Credentes talis certe Christum pietatis,
Ut veniam nulli vellet tardare petenti
Reddere, conversum respuit nec post scelus ullum,
Christicolisque datum Christi baptisma sacratum.
Scilicet, et mecum te velle, fatere, per ævum
Pœnis inferni permansuris cruciari.
Hincque tuis manibus scriptam mihi porrige chartam.
Ostendam citius quantum possit mea virtus.
His mox infelix servus monitis male captus,
Scribebat proprium ridenti pectore damnum,
Interitusque sui causam tetro dedit hosti.
Qui mox, damnando nimium gaudens super illo,
Læto tartareos emisit corde ministros,
Virginis ut miseræ mentem facerent in amore
Incesto, proprii citius fervescere servi.
Et mens blanditiis fragilis pulsatur amoris.
Exclamat subito magna de stirpe creata,
Optans præstari sibimet consortia servi,
Atque patri proprio perfudit talia verba :
Jam miserere tuæ, genitor dulcissime, natæ,
Et citius meme juveni, quem diligo, trade,
Ne moriar tristis, languens per tædia cordis.
His pater auditis, lacrymis dicebat amaris :
149 Heu ! heu ! quid pateris, veluti spes unica patris ?
Dic, rogo, quis verbis te decepit male blandis ?
Vel, qui blanditiis circumvenit simulatis ?
Nonne, tibi patriam reddi cupiendo supernam ?
Sponso cœlesti Christo te denique vovi,
Hunc casta solum coleres quo mente per ævum,
Illius et laudes cum cœlicolis resonares,
Addita virgineis, mortis post vincula, turmis ?
Et tu lascivo fervescis amore famelli !
At nunc submissa, soboles mea, voce rogabo,
Finem stultitiæ pergas ut reddere tantæ,
Ne genus omne tuum male confundas generosum,
Si tamen incepto tentas durare maligno
Turpiter abspue mora paries, dulcissima protes.
Quæ nam, consilium penitus spernendo paternum,
Vultu mordaci proprio dicit genitori :
Si complere meum tardabis denique votum,
Comperies, claram citius prolem morituram.
Tunc senior, non sponte, minis devictus amaris,
Tradiderat sobolis servo consortia dulcis
Condonans substantiolam pariter pretiosam
Ipsis, hinc animo natæ dicebat amaro :
Infelix non felicis tu nata parentis,
Tu decus atque dolor matris temet parientis,
Totius et nostri generis confusio turpis,
Congaudes jam nunc servo misere tibi caro,
Et post æternis pœnis [illegible]
Tali conjugio, Satanæ cum fraude peracto,
Condoluit Christus, mundi Salvator amandus,
Quos pius effusa salvavit sanguinis unda,
Hostis subdiri vinclis captos retineri,
Et placet auxilium lapsis præstare benignum.
Scilicet erranti mox narratur mulieri
Quod non catholicus fuerit conjux miser ejus,
Nec limen templi vellet pede tangere sancti,
Se quia serpentis juri tradebat avari,
150 Sacra negans [illegible] fidei, nomen quoque Christi.
Quæ, se deceptam cognoscens esse misellam,
Auribus intentis ut sensit verba loquentis,
In terram cecidit, membris tremefacta solutis,
Eruit et proprios summo de vertice pilos,
Nec non verberibus pulsavit sedulo pectus,
Cum lacrymis tales spargens super æthera voces :
Quisquis prædulces non vult audire parentes,
Nunquam salvatur, quod in hac ratione probatur.
Heu ! heu ! splendorem diei cur nata recepi,
Vel, cur continuo non sum concessa sepulcro,
Infelix foveam caderem ne mortis in atram !
Hæc dum tristitia dicebat continuata,
Conjux illius subito venit scelerosus,
Et de se falsas juravit res fore dictas.
Quæ mox constanti respondet voce neganti
Si reus ingentis culpæ jam denique non sis,
Lætus ad ecclesiam mecum cras pergito sacram
Illic et sanctæ celebrans solemnia missæ.
Qua mox devictus justa ratione misellus,
Causam commissi narravit namque piacli.
Illaque, mollitiem jam deponens muliebrem,
Et sumens vires prudenti corde viriles,
Mox ad Basilium currebat namque beatum,
Nec non vestigiis coram prostrata sacratis,
Utitur his verbis, turbato pectore fusis :
Sancte Dei, clemens nobis succurre misellis,
Et trahe de tetris sævi nos faucibus hostis,
Qui nostras fragiles jactat se perdere mentes.
Cumque modum culpæ denudavit sibi tantæ,
Vertitur ad servum præsul Domini scelerosum,
Accepit verbis illum rogitare benignis,
Post scelus ad Christum vellet si vertere sensum.
Qui, se salvari desperans, dixerat illi,
Si posset fieri, voluissem mente libenti,
Sed restat menti sceleris res facta volenti
151 Me quia per litteras hosti dederam male scriptas,
Et nomen Christi cæcato corde negavi.
Ad quem vir Domini : Curam tibi fingere noli,
Ceu tibi sit veniæ penitus spes dempta petendæ.
Unicus ergo Patris, judex mitissimus orbis,
Ad se conversum qui nunquam respuit ullum,
Si defles culpam, gaudet præstare medelam ;
Hinc jam mortiferum peccati linque profundum,
Nec non ad certum pietatis confuge portum,

Ad se tendentes qui salvos suscipit omnes.
His igitur miserum monitis correxit homullum,
Nec non sponte sua nigro conclusit in antro,
Illic ut sordes licito defleret enormes
  Post tres ergo dies iterum veniebat ad illum,
Inquirens talem si posset ferre laborem?
Qui, lassus nimium, verbis responderat istis :
Pœnas spirituum patior vix namque nigrorum,
Me quia continuis attrectant namque flagellis,
Atque petunt jaculis lapidum sæpissime duris,
Insuper opprobriis opponunt semper amaris,
Quod non invitus pridem, sed gratis, adirem
Illos, ipsorum sine vi me dans ditioni.
Tunc animæ medicus languescentis, bene doctus,
Lassatum refici jussit, statimque recessit.
Post tempus parvum veniebat denique rursum,
Quærens obscuro quid tunc pateretur in antro?
Quid dixit : Certe melius valeo, Pater alme,
Longius horribiles tantum quia sentio voces.
Hinc præsul, lætus secreto pectore factus,
Egreditur, juxta morem faciendo priorem.
Tandem post spatium veniens quadraginta dierum,
In queis peccatum lapsus deflevit amarum,
Invenit lætum, quem credebat fore mœstum.
Et, cum lætitiam miraretur sibi charam,
Peccator, lacrymis jam mundatus bene largis
Ut certus veniæ, sancto dicebat, amandæ :
152 Spero quidem, per te me salvari, Pater alme,
In somnis quia te vidi luctamen inire
Pro me cum sævo nec non serpente maligno,
Quem tu vicisti subito virtute superna.
  Auribus intentis ut sensit verba loquentis
Antistes, laudem Christi cecinit pietati,
Extraxitque loco captivi membra nigello,
Et loca in propria noctis sub tempore cella,
Quæ fuit ecclesiæ lateri conjuncta sacratæ,
Illic et plebem jussit coire fidelem,
A Ut pariter preculis pernoctarent studiosis,
Quo bonus errantem, per consuetam pietatem,
Pastor ovem turmis proprii junxisset ovilis.
Ortus cumque nigras noctis sol expulit umbras,
Dextra prædicti comprensa, præsul, homulli,
Intrat in ecclesiam, secum quoque duxerat ipsum.
  Ut limen sacris tetigit venerabile plantis,
Adfuit insidiis latitans clam dæmon amaris,
Attraxitque virum magna vi denique sursum,
Illius arrepta secreta fraude sinistra,
Ad quem Basilius, forti mandamine functus :
  Improbe fur, Regis facturam redde perennis,
Et furto captam victus cito desere prædam.
Cui mox communis cunctorum dixerat hostis,
Perversis vacuas implens latratibus auras :
B Cur satagis proprium mihimet vi tollere servum,
Qui sua sponte meis submisit colla catenis?
Chartam perçerte, mihimet quam reddidit ipse,
Tempore judicii Christo monstrabo futuri.
  Cui sanctus rursum reddebat tale responsum,
Ipsius Christi præcepto, judicis æqui,
Reddere litterulas, spero, te protinus ipsas.
His igitur dictis, oravit turba fidelis
Altithronum preculis, devoto pectore fusis,
Fidum pastorem quo confortaret in hostem.
Nec mora, de summo cecidit scriptura dolosa.
153 Ante pedes sancti nec non pastoris amandi.
  Tunc plebs, corde pio gaudens cum præsule digno,
Sparsit adusque polum voces cum carmine laudum,
Collaudans Christum, solita pietate benignum,
Qui captum veteris retraxit ab ore leonis.
C Nos quoque plaudentes, spargamus ad æthera voces,
Laudantes Dominum ridenti pectore Christum,
Quo nobis talem clemens veniæ tribuat spem.
Ipsi namque decus soli, victoria, virtus,
Laudum cantamen maneatque perenniter. Amen.

HISTORIA

PASSIONIS SANCTI DIONYSII EGREGII MARTYRIS.

ARGUMENTUM.

Dionysius, Atheniensis philosophus, Ægyptios vates, scientiæ astrorum gratia, adiit, a quibus cum edoctus esset, defectumque solis sine lunæ interpositione hora passionis Dominicæ observasset, Athenas rediens, ignoto Deo, ut Lucanus ait,

. . . Et dedita sacris
Ignoti Judæa Dei. . .

aram inter simulacra Atheniensium erexit. Quam cum apostolus Paulus vidisset, auctoremque dedicatæ aræ inquisisset, Dionysium, philosophum, comperit, quem ad fidem convertit, et in præsulem Atheniensem ordinavit. Qui, dum per visionem apud Polycarpum presbyterum animatus ad martyrium fuisset, ad Clementem, primum post Petrum papam, Romam venit. A quo cum legationem Evangelii prædicandi gratia, ad Galliam et Parisios accepisset, a Sisinnio, præside Galliarum, tempore Domitiani, cum sociis martyrio coronatur, efficaxque suæ sanctitatis documentum reliquit, dum, capite plexus, truncus caput ad destinatum se ulturæ locum per duas leucas portavit.

INCIPIT HISTORIA.

Cum factor summæ, mediæ rationis et imæ,
In cruce supplicium mortis pateretur amarum,
Orbem nocturnæ circumduxere tenebræ,
154 Et sol, deposito radii splendore sereni,
Exsequias Domini celebrat famulamine Christi
Quo mox astrologus visio Dionysius almus,
Qui tunc Memphiticis artem discebat in oris,
Quæ docet astrorum motus, solis quoque cursum,
Obstupuit, libris cœpitque requirere lectis,
Si tunc ecclipsis posset consistere solis.
Ast ubi non solitas sensit magis esse tenebras,
Descripsisse diem dignum ducebat et annum,
Non dubitans designari quid forte stupendi,
Quod post mysterium declarasset tenebrarum,
Conjectaque Deum signis testantibus almum,
Hactenus ignotum, mundo mox esse probandum.
Ast ubi de rivis præfatæ debrius artis,
Athenas petiit, sedem patriamque revisit,
Inter stultorum simulacra profana deorum,
Culte constructam poni præceperat aram,
Hanc ipsam titulis decernens congrue pictis,
Ignoti sub honore Dei debere sacrari.
Quam doctor Paulus cum conspexisset, opimis,
Qui sit is ignotus, verbis rogitabat amicis.
Urbis cui primus Dionysius ipse beatus
Exposuit causam, pro qua construxerat aram,
Et sic, alternis certantibus ego loquelis,
Qui fuit incredulus, fidei cessit bene victus.
Post hæc egressus, cæco dat lumina Paulus,
Quem properare quem citius præcepit in urbem.
Hunc functum cernens prædictus lumine princeps,
Et credens signo, divino numine facto,
Festinat subito cupidus cum conjuge chara
Pergere quo Paulum cognoverat esse beatum,
Ipsius multa juris comitante caterva,
Qui pariter fuerant sacro baptismate tincti,
Prorsus delicti mundantur sorde veterni,
Et, qui dux plebis fuerat simulacra colentis.
Præsul catholico præponitur ergo popello.
155 Hic præsul factus, mira bonitate decorus,
Sedulus officium bene complevit sibi junctum,
Absentes scriptis, præsentes denique dictis,
Ad veræ cultum fidei ducendo sequendum
Nam, quondam pergens, semen verbi quoque spargens,
Hospes, jam vergente die, fertur petiisse
Sanctum presbyterum Cretensem, nomine Carpum,
Qui male tristitia conturbabatur amara,
Nec non plus licito succensa ferbuit ira,
Quidam gentilis quia perversis suadelis
Fecit Christicolam fidei sacra spernere quemdam.
Hunc et presbyterum præsul sensit fore mœstum,
Causam tristitiæ verbis quærebat amicis,
Et, tristem monitis blande mulcendo benignis,
Suaserat, ut nimiam cordis deponeret iram,
Et pro damnandis exoraret scelerosis,
Quo, cito conversi Christoque reconciliati,
A Ejus perciperent mitis munus pietatis.
Admonuitque crebro nulli debere negari
Spem veniæ, proprium vellet si flere reatum.
Sed, qui tristitiæ studuit, spreta pietate,
E contra frendens, cordisque furore tabescens,
Apposuit miseris duris maledicere verbis,
Protestans, illos neutra dignos fore vita,
Qui vixisse Deo præsumpsissent sine vero.
Hac tam tristifica tandem ratione peracta,
Mente satis tristi componit membra quieti.
Nec mora, monstratur, cellis cœli patefactis,
Visio, quæ fluctus animi compescuit ejus.
Scilicet, Altithronum miro splendore coruscum,
Viderat, angelicis septum residere ministris,
De cœloque rogum raptim descendere magnum,
Ceu foret emissus scelerum vindex aliquorum.
B In terras oculis rursum lustrando reflexis,
Horrendum barathrum conspexit hiare deorsum,
Anguibus impletum variis pœnisque refectum,
156 Supra quod miseri plantis lapsantibus illi
Hærebant ergo, flentes in littore summo,
Egressi quoque serpentes, illos cruciantes,
Cogebant secum barathrum penetrare profundum.
Quo viso, Carpus, majore furore repletus,
Deflet quod miseri non essent præcipitati,
Voceque confusa repetens rursum maledicta,
Quod divina reos, orat mox, ultio predat.
Dixerat, et Jesu, solita pietate benignus,
De summo cœli solio promqtus misereri,
Infit, non mitem Carpe causando dolorem :
Percute, si possis contra me, Carpe rebellis,
C Qui cupis interitum sitienter adesse reorum.
En, ego cum cœli rector mortisque peremptor,
Humana rursus pro gente pati pie promptus,
Si non salvari possunt aliter scelerosi
Qui post commissum discunt deflere reatum.
Nec leve duco meæ dextræ jam plasma perire,
Quod pulchrum feci, quod corruptum reparavi,
Elige nunc dulcem vel sectando pietatem,
In cœlo mecum semper regnare per ævum,
Vel, per sævitiam diræ mentis male duram,
Supplicio barathri tradi sine fine profundi.
His nimium justus monitis vir mansuefactus,
Exemplum cunctis imitandæ fit pietatis.
Post hæc, summorum fama clarus meritorum,
Præsul, disposuit Romam petiisse superbam,
D Optans cum Petro Paulo pariterque magistro,
Nomine pro Christi se mox impendere morti.
Palmam martyrii sed sumpserunt prius illi
Quam portas Romæ veniens intraverat ipse,
Discipulusque Petri, Clemens, venerabilis orbi,
Sedis apostolicæ culmen rexit satis apte.
Qui nam pontificem pie suscepit venientem,
Illum condigne summoque colebat amore ;
Denique post spatium decursi temporis amplum,
157 Quo servi Domini commanserunt venerandi,

Cum jam cœlestis pietas mitissima Regis
Æternæ lucis radio voluisset opimo
Errorum tenebras veterum discindere nigras,
Queis tunc occiduæ partes fuerant male cinctæ,
Papa, prior monitus divino Flamine, sanctus,
Pontifici verbis digno suadebat amicis
Semina divini per gentes spargere verbi.
En, ait, o miles Christi, frater Dionysi,
Magna seges Domini crescit per climata mundi,
Præbens innumeras maturæ messis aristas,
Instantes messi sed constant oppido pauci.
Hinc tu, sacrorum bibulus qui fonte librorum
Constans, divini sciolus quam maxime cultus,
Exemplo Pauli, securus perge, magistri
Imperio populos Christi subjungere multos.
Et tibi credo potestatem ditionis eamdem
Quam Christum Petro scimus tradidisse magistro,
Et, quam suscepi successor jure magistri.
Conversos pie solvendi, sontesque ligandi.
Accipe nunc Gallos, tibi me tradente, docendos,
Doctrinæque tui signetur Gallia forti,
Quo vir apostolicus digna celebreris alumna.
Nec vereare quidem gentes intrare rebelles,
Quæ restant vero, frendentes more ferino,
Sed, tibi mercedis tantum, confide, perennis,
In Patris astrigera summi servarier aula,
Quantum pro Christo tuleris patiedo doloris.
His papæ blandis præsul monitus suadelis,
Occiduæ fines partis festinus adivit,
Mœnibus atque Patris gressum mox intulit urbis,
In qua crebro loci pro fertilitate decori,
Gallorum proceres concurrunt sæpius omnes.
Hic ubi divini cœpit sacra semina verbi
Spargere, signorum mox exercere per illum
Christus virtutes dignebatur pie plures,
158 Quo tanto plebis mollescere corda rebellis
Ad veniam possent, quanto crebro signa viderent.
Ast ubi credentis numerus populi magis auctus,
Inspirante dies Christo crevisset in omnes,
Infremuit super hoc veteris fraus sæva draconis,
Dedignans animas sese jam perdere tantas,
Quas prius errorum laqueis capiebat amaris,
Hinc pater ipse doli, sceleris doctorque maligni,
Provocat injustum regem mox, Domitianum,
Christicolis edicta necis dictare ferocis.
Qui,decreta per omne suum mittens mala regnum,
Christi cultores morti damnarier omnes.
Cujus præcepto Sisinnius ergo nefando,
Præses, consensum præbens extemplo malignum,
Pontificem præsentari vinctum, jubet, illi,
Quem fox Gallarum cognovit rite magistrum,
Ac primum flagris mactatum denique duris,
Nec non suppliciis affectum crebro cruentis,
Carceris in tenebras jussit concludier atras,
Ipsius condiscipulos pariter quoque binos,
Quos nunquam charo sors coget abesse magistro.
Sed nec carcereis præsul præclarus in antris
Desinit obsequium Domino persolvere dignum,
Sed docuit plenam, studiose convenientem,

A Ac celebrat sacræ solito solemnia missæ.
Ast, ubi cœlestem debebat frangere panem,
Lux nova tristifico subito fulgebat in antro,
In qua sidereæ Regnator splendidus aulæ
Scilicet, angelica pariter comitante caterva;
Apparens, charum consolabatur alumnum,
Sanctaque dans illi, mulcebat famine tali :
Accipe, chare meus, mis jam venerabile corpus,
Cujus mysterium tibi mox complebo secretum.
Namque tui merces mecum manet optima perpes,
Hisque salus summa Patris præstatur in aula,
Consentire tuis qui dant operam pie jussis,
159 Certa constanter servaque fidem patienter,
Quo crescant celebris tibi jam præconia laudis,
Et, quodcunque sacris a me precibus rogitabis,
B Impetrare mei poteris dono pietatis.
Tali lætatus fortis solamine, testis,
Nulla timet tormenta pati pro nomine Christi.
Post hæc abstracti testes de carcere terni,
Præcepto mox præfecti cogente superbi,
An vellent duris, rogitantur, credere pœnis ?
Qui bene concordes, clara quoque voce fatentes,
Patrem cum Nato, nec non cum Flamine sacro,
Esse Deum verum, solumque perenniter unum,
Testantur, mox malle mori pro nomine Christi,
Membratim quoque suppliciis scindi redivivis,
Quam sua colla diis unquam submittere falsis.
Hac magis offensus præses ratione profanus,
Ceu leo, non modica rugiens præceperat ira,
Athletis Christi cervices mox resecari,
Et gladiis cunctos perimi baptismate lotos.
C Cædibus innumeris, ut jussit, namque peractis,
Præsul cum sociis junctus trahitur venerandis
Ad loca martyrii, damno capitum peragendi.
Qui nam gaudentes, Domino laudesque canent
Pergebant prompti semet mox dedere morti.
Præsul tunc oculis sursum manibusque levatis,
Alrithtrono tales fundebat congrue grates,
Mi Dee, mi Factor, mi clementissime Rector,
Qui me vitali præstans aura pie vesci,
Scilicet ingenii donasti luce profundi
Quo tis secretum scrutarer mysteriorum.
Te solum laudo, te cordetenus benedico,
Et tibi devotas cunctis grates ago membris,
Pro cunctis donis mihi collatæ pietatis.
Teque precor, majestatis Rex magne perennis
D Ut dare perpetuam mihimet dignere coronam,
Atque meis sociis, pro te nunc jam morituris,
160 Tuque tuum populum serva pietate paterna,
Quem pascens fidei tibimet sermone nutrivi.
His ita poscentis precibus jam rite peractis,
Una discipuli sancto cum præsule bini,
Poplitibus positis, cervicibus atque reflexis.
Ictus lictoris susceperunt ferientis.
Quorum permansit celebris confessio talis,
Ut, dum precisis siluerunt corpora collis,
Palpantes linguæ laudes Domino cecinere.
Truncatum quoque pontificis corpus morientis
Erigitur subito, nitidum splendore sereno,

Atque, caput brachiis portans proprium bene firmis,
Descendit recto gressu de monte profundo,
In quo martyrium consummavit [illegible],
Transiliensque viæ [illegible] duo millia [illegible],
Venit adusque locum servando corpore [illegible].
Quem descendentem, cursusque [illegible] gradientem
Cœtus angelici comitantur luce serena,
Alleluia Deo resonantes voce sonora.
His signis factis, convenit turba fidelis,
Martyris atque loco venerabile corpus in ipso,
Quem sibi signavit, cum post gressus requievit,
Impositum tumulo venerantur honore supremo.
Exsequias tanti luctu celebrando patroni.
Illic pro meritis ejus Jesus venerandis
Christus virtutes fecit clarescere signis.
Nam visus cæcis, linguæ sermo quoque mutis,
Auditus surdis, solidus gressusque podagris,
Teste precante sacro, donatur, crebrius illo,
Et variis ægri morbis qui debilitati,

A Adveniunt læti, membris redeunt renovati.
Hic quoque non raro mæsti solamina grata,
Et [illegible] ab arce,
His, qui [illegible],
Martyris ad tumulum, proprium deflendo reatum.
Cujus [illegible]
161 Commendet Christo, scelerumque veniamque precando,
Obtineat, nostris ipsum pie parcere culpis.
Et partem nobis vitæ præstare perennis,
Quo mereamur cum læti laudare per ævum,
Qui post dura suis semper certamina sanctis
Martyribus duplicis bravium præstabit honoris.
Ut, dum congaudent animæ super æthera sanctæ,
Non minus in tumulo lætentur mortua membra,
B Signorum titulis crebro glorificata coruscis.
Ipsi summa salus, perpes victoria, virtus,
Laus, honor, imperium, semper decus omne per ævum.

HISTORIA

PASSIONIS SANCTÆ AGNETIS VIRGINIS ET MARTYRIS.

ARGUMENTUM.

Agnes, puella Romana, pulchritudine eximia, et Christiana, in cujus amorem filius Sempronii comitis, Urbis præfecti, perdite incidit, primo illam verbis et muneribus tentans, ut amori suo responderet. Illa constanter Christum sponsum suum affirmans, cui jugi castitate se dedicasset, tandem ab eodem ad templum Vestæ, in quo virgines Vestales deæ Vestæ, hoc est æterno igni, serviebant, trahitur, ut huic sacrificaret. Quod cum renuisset, a præfecto, præ ira furioso, in fornicem rapitur, ut cunctorum stupro et ludibrio illam prostitueret. Cumque illam juvenes furientes congredi vellent, mox fornicem insolita lux texit, quæ vim inferre volentes virgini repulit. Tandem ipse veniens præfecti filius insolentior, virginem aggrediens, mox pronus in terram cadens, exhalabat animam. Pater, mœrens mortem filii subitam, virginem magicis artibus insimulat. Virgo vero, ad ostendendum, Christi virtute, non magicis artibus, factum, in laudem Dei mortuum resuscitat. Quo pater viso, dubitat quid de virgine faciat, fidem Christi suscipit. Qua re ad sacerdotes delata, sibi idolisque timentes, tumultum **162** *commovent, virginem morti tradi volunt. Præfectus jam fidelis, ne fidelem damnare cogatur, se subtrahit, alium substituit, qui illam in ignem conjiciebat. Flamma, corpus virginis fugiens, multos astantes absumpsit et ambussit. Tandem, virgine in mortem consentiente, a carnifice gladio transverberatur, corpus sepulturæ a parentibus traditur, spiritus virgineis choris cum Christo sociatur.*

INCIPIT HISTORIA.

Virgo quæ, vanas mundi pompas ruituri,
Et luxus fragilis cupiens contemnere carnis,
Promeruit Regis vocitari sponsa perennis,
Quæ velit, angelicæ pro virginitatis honore,
Ipsius astrigera Sponsi cœlestis in aula,
Addita cœlicolis nitida fulgere corona,
Atque, sequens Agnum, carmen cantare sonorum,
Conservet pure sincero cordis amore
Signum laudabilis, quod portat, virginitatis,
Quæque caput Christo signat velamine sacro,
Hæreat affectu tenero constanter in illo,
Ac cunctis aliis ipsum præponat amicis,
Qui, rutilans nimium forma speciosus amœna,
Natos cunctarum merito vincit mulierum.

C Cujus amore quidem ferventes congrue pridem
Perplures sacræ constanti corde puellæ,
Elegere mori, sævis pœnisque necari,
Quam decus insignis corrumpere virginitatis.
Inter quas Agnes, mundo celeberrima virgo,
Jure sui sponsi, condigna laude decori,
Christi, dissimilem cunctis recitando decorem,
Virginibus sacris ejus commendat amoris
Pignus, qui, genitus de virgine solus,
Sponsus castarum nec non decus est animarum.
Hæc Agnes ergo, meritis clarissima virgo,
Carmine non culto pangit quam nostra Camœna,
Urbis famosæ prænobilis incola Romæ,
Prodiit almorum clara de stirpe parentum,

163 Inclyta nobilitas quos vexit et alma potestas,
Ortus atque sui respondens nobilitati,
Pulchra fuit facie, fideique decora nitore,
Præcipuis nimium meritis mundoque celebris.
Quæ, jam tincta sacri pura baptismatis unda
Et de delicti maculis mundata veterni,
Se totam Christo devovit mente benigna,
Nitens, servata bene virginitate beata,
Spernere carnales affectus fortiter omnes,
Gælibis et vitæ durum luctamen inire,
Quo, victrix hostis corruptelam suadentis,
Jungi cœlicolis meruisset in æthere sanctis.
Ast, ubi lustra duo, celeri cursu revoluta,
Insuper et ternos ætatis transiit annos,
Sempronii comitis, præfecti scilicet Urbis
Filius, insignis juvenilis stemmate floris,
Illius formæ decus ut vidit speciosæ,
Affectu nimio cordis suspensus in illa,
Hanc sibi præ cunctis unam delegit amandam,
Se fortunatum, credens, et honoribus aptum
Si tam præpulchræ meruisset habere pullæ
Dulcia per propriæ tempus consortia vitæ.
Hinc illam adiit, multis comitatus amicis,
Desponsare volens sponsam Christi venerandam,
Pluraque de patriis comportans munera gazis,
Stultus speravit, quod perpetrare nequivit,
Virginis ut stabilem donis corrumpere mentem,
Illius et turpi conjungere possit amori.
Sed Christi virgo, spernens, ceu stercora, dona,
Pondus et oblati dedignans protinus auri,
Splendorem quoque gemmarum rutilum variarum,
His verbis juvenem causari fertur amentem:
O fili, mortis merito damnande perennis,
O fames scelerum, contemptor et Omnipotentis,
Discedens a me citius fugiendo recede,
Nec credas te posse meum pervertere purum
164 Cor, quod amatoris prævenit nobilioris
Dulcis amor, pulchrum cujus fidei fero signum
In facie summa, nec non in corpore toto,
Quo me signavit, strictimque sibi religavit,
Ne mea mens alium jam præsumpsisset amicum
Quærere, sed solum complecti disceret illum,
Qui, virtute potens, omnique decore refulgens,
Cœlestes et mortales supereminet omnes.
Hunc sine matre Pater, cani retro tempora mundi,
In deitate parem, nec majestate minorem,
Omnipotens genuit, per quem sibi sæcula fecit.
Et sine Patre quidem mater pariebat eumdem,
Factorem proprium lactans, sub tempore natum,
Cujus præpulchram mirantur denique formam,
Solaris splendor, lunæ renitens quoque candor,
Laudantes radiis Dominum fulgentibus orbis,
Cujus et imperio famulantia sidera cuncta
Illis injunctis complent per tempora cursum.
Cui, conclamantes condignis laudibus, omnes
Cœtus angelici non desistunt famulari.
Mira tui bonitas est, et præcelsa potestas,
Gloria sublimis, perpes concordia pacis,
Laudabilis pietas, nimiumque benigna voluntas.
A Talis namque meus, quem diligo, constat amicus,
Quem, fateor, solum præ cunctis esse colendum.
Ille quidem talis me desponsavit amoris
Pignore, ceu sponsam, clara dotando corona,
Atque meum gemmis collum cinxit pretiosis,
Auribus et resplendentes suspendit inaures,
Præbens ornatus varii claros mihi cultus.
Ipsius certe dulcedo fluxit ab ore,
Quæ me lactavit, dulci pastuque cibavit,
Ceu nectar mellis, suavis vel copia lactis.
Insuper et thalamum mihimet construxit in ævum,
Lucentem gemmis variis, aurique metallis,
Organa melodiis in quo resonando canoris
165 Carmen dulce mihi cantant per tempora secli,
Et pariter sponsi laudes modulantia chari,
B Illius affectum semper suadent mihi castum,
Affectu, quem secreto cum cordis amabo,
Nulla puellaris patior detrimenta pudoris.
Ast, ubi forte sui merear complexibus uti,
Ejus et in thalamum, sponsarum more, coruscum
Duci, permaneo virgo, sine sorde, pudica.
Cui debebo fidem soli servare perennem,
Ipsi me toto cordis conamine credo.
His miser auditis, spiculis perfossus amoris,
Ingemuit, crebro ducens suspiria longa,
Hoc quia non meruit, cæco quod corde petivit,
Et, super hoc mœrens, nimioque dolore tabescens,
Decidit in lectum stultissimus ille virorum,
Et, simulans male languorem, celavit amorem,
Qui sibi causa gravis fuerat non parva doloris.
Nec mora, fit notum, fama prodente sinistra,
C Natum præfecti nimio languore ligari.
Conveniunt subito medici, velut agmine facto,
Apponunt variis aptas morbis medicinas.
Harum sed juveni nil proficiebat amenti.
Tandem senserunt, quod mox patri retulerunt.
Non hoc languoris signum, sed fortis amoris,
Quod contristatus pateretur filius ejus.
Quo pater audito, causa morbique reperta,
Ut leo frendescens, rapidam conversus in iram,
Incœpit percontari rabie furienti,
Quis foret ille potestatis sic imperialis,
In quo spe vana virgo confisa superba,
Crederet esse sibi junctum contemnere natum
Ejus, qui, plebi merito celeberrimus omni,
Esset condigne summo provectus honore.
D Hæc ubi disseruit nimioque furore latravit,
Comperit, hanc ipsam, sacro baptismate lotam,
Agnem, Christicolam, primis fore semper ab annis,
166 Et, conservandæ pro virginitatis amore,
Esse suum sponsum, consueto dicere, Christum.
Quo nam comperto, lætatur corde maligno,
Sperans mox teneram merito debere puellam
Sævis ad cultum pœnis urgere deorum,
Et sic posse suum tandem complere furorem,
Quo pro contemptu nati furiebat ægroti.
Hinc, illam citius sisti conspectibus ejus,
Jussit, et astantem, nullo metu trepidantem,
Primo suadelis nimium mulcebat amicis,

Tunc etiam probris dure cogebat amoris,
Ut se sponte sui nati copularet amori,
Et simulacra deum coleret, Christumque negaret.
Sed virgo Christi nec suppliciis superari,
Nec blandimentis potuit devincier ullis,
Quin servaret amatori sine fraude priori,
Quod pepigit pactum, signo fidei stabilitum.
Cui præses, pravam rursum [illegible] suadelam,
Dixit : Si vere cupias intacta manere
Virgo, deæ magnæ citius subjungere Vestæ,
Ejus sacricolis et consociare puellis,
Quo condigna fias illi semper famulari.
Hæc inquit præses, contra sed sic ait Agnes :
Si mihi jure tuum placuit contemnere natum,
Qui ratione vigens, cunctis quoque sensibus utens
Corporeis, anima regitur nunquam moritura,
Quamvis sit merito barathro claudendus in imo,
Multis errorum pro commissis variorum,
Ni, sanum sapiens, et quandoquidem respiciens,
Se tingi faciat pura baptismatis unda,
Queis te posse minis, vel queis tandem suadelis,
Ad simulacrorum reris me cogere cultum?
Artificum cura, quæ, conformata metallo,
Membrorum falsam portant solummodo formam,
Mobilis officium complent nec corporis ullum,
Et neque viventis quidquam monstrant animalis
167 Et quod ab his insensatis monstrisque profanis
Solamen vitæ mihimet sperare gerendæ
Possum, quæ, vita sensuque carentia cuncto,
Nec sibi proficiunt, mihi nec succurrere possunt?
Hæc ubi dicta dedit, præses Sempronius inquit :
Florentem primis te nam cognosco sub annis,
Ingenio parvam, nec non ætate tenellam.
Hinc, infantili parcendo simplicitati,
Prudenter te supporto, lasciva puella,
Quo parcendo tuum citius te flectere collum
Sub sacris Vestæ plantis faciam venerandæ.
Jureque nostrorum numen placare deorum.
Sed, si, tam mitem spernendo mei pietatem,
Contraluctaris, mea nec precepta sequeris,
Ultra non parco, sed, vim justam faciendo,
Mando sub obscenæ latebris te claudier ædis,
In qua criminibus turper gaudent mulieres,
Et faciam pollutarum sociam meretricum,
Quo tu, quæ clare polles de stirpe creata,
Dedecus omne tuis sis et confusio turpis.
At sacra virgo, minis nimium trepidans super istis,
Audacter mox præfacto eedit ista responsa :
Si tu namque Deum scires hunc, quem colo, verum,
Illiusque potestatem sine fine vigentem,
Qua semper, proprios pie confortando ministros,
Antiqui fraudes hostis confringit et omnes,
Talia verba tuo nolles profundere rostro,
Nec mihi terrores totiens præponere tristes.
Hinc ego, quæ, sectando finem Christi meliorem,
Illum cognosco, nec non cognoscor ab illo,
Ipsius dextra me defendente superna,
Spero delicti nunquam maculis violari,
Carnis spurcitias fragilis sed vincere cunctas.

A His dictis, sæva præses commotior ira,
Cœlestis sponsam Regis, jussit, venerandam,
Vestibus exutam, toto quoque corpore nudam,
168 [illegible] populari,
Inque lupanaris [illegible],
In quo lascivi juvenes, rationis egeni,
Colloquio scelerosarum gaudent mulierum.
Sed Christus, propriæ præbens solamina sponsæ,
Illam conviciis tangi non sustinet ullis.
Ast, ubi distracto nudatur tegmine toto,
Continuo bene densati crevere capilli,
Qui ductu longo lapsi de vertice summo,
Descendendo pedum plantas tetigere tenellas,
Corpus et omne comitis tegitur ceu tegmine vestis.
Utque lupanaris calcavit limina tristis,
B Extemplo suavis sensit dulcamen odoris,
Atque locum turpem miro splendore micantem
Aspexit, tenebris qui sordebat prius atris.
Et, cum sordidulum compulsa subintrat in antrum,
Angelus Altithroni blande stetit obvius illi,
Custos indubius fuerat qui corporis ejus,
Obtulit et vestem niveo splendore micantem,
Ejus mensuræ conformatam satis apte,
Hac induta quidem direxit ad æthera vocem,
Assidue grates Christo resonando suaves,
Cujus opem tanti sensit sub fasce pericli,
Cujus et auxilio fuerat protecta paterno,
Ne posset veteris corrumpi fraudibus hostis.
Interea juvenes, cæcato corde furentes,
Undique collectis, cursim venere, catervis,
Certantes studio perversæ mentis iniquo,
C Quis prior intraret, vel quis perdiscere posset,
An virgo, suffulta sui munimine Christi,
Hæc, quæ carnales semper contempsit amores,
Jam nunc incepto posset persistere voto?
Nec mora, cognoscunt, nec contradicere possunt.
Quod nunquam longum quis confundetur in ævum,
Qui, credens domino. firma spe pendet in illo
Nava, quicunque sua compulsus mente superba,
169 Ingreditur turpis latebras temerarius ædis,
Ut radios lucis vidit mire rutilantis,
Angelicæ præfulgentem vestisque tutorem,
Correptus signi nimio terrore stupendi,
Prostratus sacræ plantis extemplo puellæ,
Postulat, errorum laxari vincla suorum,
Testaturque Deum verum fore jure colendum,
D Ejus cultores qui consolabitur omnes.
Sicque locus scelerum domus efficitur precularum.
Tandem præfecti natus venit male sanus,
Cujus sustinuit causa vim virgo beata.
Qui, mox ingressus ridenti corde, misellus
Nec dixit laudem Domino, nec reddit honorem,
Gratia tristifico cujus radiabat in antro,
Sed de se stabilem lætus tendebat in ædem,
Amplexu dulci sperans se virginis uti,
Jam licito sacræ cujus languebat amore.
Sed Christi pietas nec non præcelsa potestas,
Fortiter obsistens ili perversa volenti,
A corruptela propriam protexit alumnam,

In reprobam miserum mortem tradebat et illum.
Nam mox, ut rapido cursu propaverat illo,
Quo supplex laudes Domino resonaverat Agnes,
Infelix membris improvisa resolutis
Morte, ruit pronus, Christi virtute peremptus.
Quo pater audito, miser advenit lacrymando,
Stipatus multa populorum namque caterva,
Et, sese miserum clamans, spargebat in altum
Voces, his sanctam verbis causando puellam :
O mulier mala, crudelis, cui non muliebris
Cordis inest, feritas, nimiumque cruento voluntas,
Corpore sub tenero, frendescens more ferino,
Dic, quæ causa meum cogit te perdere natum,
Cui decus omne suis, et spes fuerat genitoris,
Quondam felicis talis de germine prolis,
Sed nunc orbati misere pro funere nati?
170 Hinc patet ergo, tuam mentem, nimium vitiosam,
De rivulis magicæ fraudis bibulam satis esse,
Florentem primis quia forte necare sub annis
Subtracta dulci juvenem vita valuisti.
At sacra conviciis virgo non frangitur istis,
Profecto nec responsum reddebat acerbum,
Dulcia, sex, resono profundens verba palato,
Dixii facunde, bene composita ratione :
Non ego causa necis fueram juveni pereunti,
Sed magis ipse sibi fuit incensor moriendi,
Glorificare Deum stultus quia spreverat illum,
Gloria testifico cujus præfulget in antro.
Sed nunc, ut plane toto clarescat in orbe
Ejus majestas, nec non præcelsa potestas,
Ipsius suavem supplex oro pietatem,
Ut corpus rigidum jubeat recalescere rursum,
Atque novum membris hominem reparet redivivis.
Dixit, et astantes regredi præceperat omnes,
Et prostrata solo, fundensque preces lacrymando,
Præstari, petit a Domino veniam sceleroso.
Cui mox oranti, misero vitamque precanti,
Angelus astiterat, procumbentemque levabat,
Præbens colloquiis illi solamen amicis,
In verboque Dei jussit virtute potenti,
Exstinctum subito flatu vixisse resumpto.
Qui, citius dicto, jussus surrexit ab humo,
Viribus et cunctis plene membris restitutis,
Ac laudum dulces spargens super æthera voces,
Grates continuo solvebat mente jucunda
Christo victori, mortis vitæque datori.
Inde quidem, prima prorsus forma revocata,
Processit vivus, qui morte fuit religatus,
Atque, suo tristi se præsentando parenti,
Fit res gaudendi, fuerat cui causa dolendi.
Hinc, crebro cœlum pulsans clamore profundum,
Utitur et verbis suadens studiosius istis :
171 Credite, Romani cives, rogo, credite cuncti,
Esse Deum Christum verumque perenniter unum,
Cum Patre celsithrono, nec non cum Flamine sacro,
Semper regnantem, sceptrum cœlique tenentem,
Sub ditione sua, qui, complectens universa,
Cuncta gubernaclis regit immensæ bonitatis,
Hic est orandus, solusque colendus, amandus,

A Qui prius errantem, nec non perversa volentem,
Morte repentina, citius me præveniendo,
Finem stultitiæ dignabatur dare tantæ,
Et post erranti, promptus solito misereri,
Virginis Agnetis precibus fere studiosis
Mollitus, rursum vitæ reddit renovatum.
At pater, ut natum prodire sui redivivum,
Perfectum specie, vidit plenumque decore,
Interitum lacrymis cujus deflevit amaris,
Mox super insolita signi novitate stupendi
Admirando pavet, læto sed pectore gaudet.
Tunc amplectendo collum pietate paterna,
Mitia prædulci libaverat oscula proli,
Atque Deum verum clamans dixit fore Christum,
Cujus tam celerem cognoscebat pietatem,
B Cujus et imperio mors succumbebat amara,
Reddens viventem, quem sorbebat morientem.
Scilicet astantes animis mirantibus omnes,
Tollunt in cœlum læti præconia laudum,
Laudantes sanctum Domini nomen benedictum.
Hoc vix pontifices crudeli corde, ferentes,
Commovere quidem non parvam seditionem,
Agnem sacrilegam, dicentes, et scelerosam.
Occidi pœnis citius debere cruentis,
Illius causa quia contemptum simulacra
Cunctaque sacrorum paterentur jura suorum.
Hinc præses, mœstus turbato pectore factus,
Condoluit sacræ subtristi mente puellæ,
Ignorat tamen, omnino dubius super tua,
172 Quid sibi sectandum vel quid restaret agendum,
Perdere non placuit, sed nec defendere quivit.
C Tandem discessis mœrens, aliumque reliquit,
Judicis officio functum feritate lupina,
Qui fuit Aspasius dictus. rituque profanus,
Qui citus Agnetem projici præcepit in ignem,
Pontificum votis male concordando malignis.
Sed corpus castum, nulla de sorde piandum,
Ardor carnalis quod non succendit amoris,
Ignis non læsit præsens, nec tangere quivit.
Denique, divisæ divino Numine, flammæ
Virgineis tribuere locum precibus spatiosum,
Ac prorumpentes, æstu nimioque furentes,
Perdunt carnifices, urendo primitus omnes,
Hinc, circumstantem lambentes undique plebem,
Incredulam, plures raptim stravere phalanges.
Sola sed immunis stabat pia virgo caloris,
D Inter flammarum crines ludens crepitantes,
Oravitque Deum versis ad sidera palmis,
Hac utens in fronte prece, modulamine laudis
Omniparens Verbi genitor, mundique creator,
Qui, cum dilecto regnans retro tempora Nato,
Amborumque coæterno cum Flamine sacro,
Digne laudaris, coleris, veneraris, amaris,
Te solum laudo, te laudando benedico,
Et tibi devote grates persolvo perennes,
Ejusdem, quia, fulta tui munimine Nati,
Nunquam succubui serpentis fraude vetusti,
Corpore sed casto, puro cordisque secreto,
Carnis spurcitias pertransivi bene cunctas,

Pœnas sacrilegi pariter superando tyranni.
Hinc, gaudens in te nimium super hac pietate,
Ad te nunc animis festino venire jucundis,
Optans jura pati mortis, citiusque resolvi,
Quo merear vere contemplari sine fine
Te, quem quæsivi, quem solum semper amavi.
173 Tu clemens animam, pro te de corpore pulsam,
Intra claustra tui dignanter suscipe regni,
Quo tu, jure tuo pollens sub nomine trino,
Rex unus machinæ rerum per sæcula trinæ,
Itaque cuncta regis sceptro summæ Deitatis.
Scilicet, orantis precibus jam rite peractis,
Ignibus exstinctis, moritur subito rogus omnis,
Et cinis ipse, suis confrigescendo favillis,
Sic expers omnis factus fuit imo caloris,
Ut nec scintillam sibi post servaverit ullam,
Hoc igitur signo jam clarescente stupendo,
Quanto se virus Christi plus detegit orbi,
Tanto majoris rabie spirando furoris
Injustus judex animo cruciatur amaro,
Nec patitur sacram post hæc superesse puellam,
Per quam sunt crebro miracula tanta patrata,
Ense sed immisso, tenerum gut'ur penetrando,
Martyris egregiæ jugulum perfodit amare,
Et, vice conversa, quod non speravit agendo
Illi profecit, cui gratis obesse cupivit,
Transmittens cœlo, quam subtraxit male mundo.
At, ubi, pro Christo lethali vulnere læsa,
Extremum Domino flatum reddit moriendo,
Atque, fide salva, gaudens obdormit in illo,
Ocius angelici cœtus, de sidere lapsi,
Astantes, animam niveo candore coruscam,
Nec non cœlestis perfusam luce nitoris,
Blande suscipiunt lætique per aera tollunt,
Congrue divinæ laudis resonantibus hymnis,
Indeque transvectam celeris super ætheris ignes
Ducunt astrigeram sponsi cœlestis in aulam,
A quo continuo clarum rutilante corona
Donatur, puræ pro virginitatis honore.

A Nec minus ergo, sui signo donanda triumphi,
Martyrii palmam sumpsit, sine fine gerendam,
Quo martyr felix, duplici certamine victrix,
174 Corporis, et mentis, carni semper renitentis,
Utens æterni bravio regni duplicato,
Inter virgineas fulgeret clara catervas,
Lilia ceu, pulchro roseo permista rubore,
Inter delicias florum rutilant variorum.
Interea quoque summorum sacra cura parentum,
Excultum magna funus venerabile pompa,
In gremio terræ toto contexit honore,
Nec saltim bustum sacratæ virginis ipsum,
Quod pro servandis fuerat venerabile membris,
Sollicitudo parentalis contempsit amoris,
Sed sub nocturnis servat vigilantibus horis.
B At, dum pervigiles, consueto more, parentes
Excubias proli celebrabant mente fideli,
Cœlitus his ipsis monstratur visio talis.
Denique virgineas subito descendere turmas
Viderunt, lapsas celeri de cardine cœli,
Ornatas pulchre, pleno comptasque decore,
Inter quas Agnem, simili splendore nitentem,
Conspexere suam, pro Christo martyrisatam,
A dextris cujus nive candidior stetit agnus.
Quos merito fidei scivit dignos venerari,
Blande colloquiis illos affatur amicis,
Dicens nunc gaudete mecum, gratulando per ævum,
Sum quia, luciflua Regis cœlestis in aula,
Virginibus sacris sociata perenniter istis
Et nunc in cœlis illi conjungor amoris
Amplexu dulci, quem semper mente fideli
C In terris colui, cupiens sine fine tueri.
His igitur dictis subito discessit ab aliis.
Qui, nimium læti tanto solamine facti,
Siccabant lacrymas super ejus morte refusas,
Et laudes Domino psallebant voce canora,
Qui post dura suis tribuit certamina sanctis
Testibus, æternæ clementer præmia vitæ.

HROTSUITHÆ

Carmina

DE PRIMORDIIS CŒNOBII GANDERSHEIMENSIS

ET

DE GESTIS ODDONIS I IMPRATORIS.

(Apud D. Pertz, *Monum. Germ. histor.*, Script. tom. IV.)

Septuagesimo circiter anno postquam poeta Saxo Caroli Magni res gestas et gentis Saxonicæ ad fidem D Christianam conversionem versibus expressit, Hrotsuitha (4), monialis, cœnobii in quo degebat Gan-

(4) Ita in præfat. Historiæ Mariæ, in fine Historiæ resurrectionis Domini, in præfatione Gangolfi et in

A dersheimensis primordia et res gestas Ottonis Magni imperatoris carmine Latino celebranda suscepit. Fuit ea, ut credi fas est, Ottone I rege (4*) in Saxonia nata, et monasterio, quod a Liudolfo comite, Ottonis I proavo, conditum, ex posteris ejus abbatissas accipiebat, tradita litteris addiscendis operam dedit, et dum nec matura ætate vigebat, nec scientia, ut ipsa modeste de se scribit, proficiebat, « ex sententiis Scripturarum, quas intra arcam cœnobii collegerat, textum aliquem conficere satagebat. » In libris scribendis primo Rikkardis, sapientissimæ atque benignissimæ magistræ, aliarumque ejus vice instruentium, postea vero Gerbergæ abbatissæ mahisterio usa est (5). Hæc Heinrici Bawariæ ducis et Judithæ, Arnolfi ducis natæ, filia, quæ inde ab anno circiter 959 per quadraginta amplius annos (5*) cœ-B nobium Gandersheimense rexit, initio regiminis sui, licet ætate minor, sed, ut imperialem decebat neptem, scientia provectior, aliquot auctores, quos ipsa prius a sapientissimis didicit, Hrotsuitham admodum pie erudivit (6). Quæ quidem librorum sacrorum necnon classicorum studio delectata, primum scribendi periculum fecit in Historia beatæ virginis Mariæ, metrica atque carminibus, de ascensione Domini, de S. Gangolfo, de passione S. Pelagii Cordubensis, et de Theophilo vicedomino; quibus postea carmina de Proterio, de passione S. Dionysii et S. Agnetis adjunxit (6*). In his omnibus libros suos secuta est, passionem tamen Pelagii ab incola civitatis in qua passus est audierat. Deinde cum animadvertisset « catholicos plures Terentii figmenta frequentius lectitare et dulcedine sermonis C delectatos nefandarum notitia rerum maculari, » poetam illum scribendo sex comœdias Christianas imitata est, « ut eodem dictationis genere, quo turpia incesta lascivarum feminarum recitabantur, laudabilis sacrarum virginum castimonia celebraretur (7). Quæ omnia non jactantiæ vel vanæ gloriæ causa, sed ut supplici mentis devotione ingenium a Deo acceptum servitio ejus consecraret (8), composuit. Fama tamen ei non defuit. Nam philosophorum laudibus ornata (9), mox in tantum innotuit, ut modesta virgo *clamor validus Gandeshemensis* (10) a se ipsa vocari posset. Ætate anni 965 (11), Otto secundus rex, tunc decennis, a virgine impetravit ut patris ejus Ottonis imperatoris gesta carmine celebranda susciperet. Aggressa est opus, usque ad coronationem Romanam anni 962 producendum, libro nullo adjuta, sed relationes eorum qui res scribendas afferebant secuta. Quod cum ista aperte dicat (12), liber Ottonibus oblatus et a consanguineis eorum, Wilhelmo, Gerberga aliisque eorum ministris ut ita dicam dictatus, et nonnisi quæ grata viderentur exhibens, pro historia proprie dicta minime venditari poterit. Sed neque ita librum spernendum esse, narratio simplex, plana, temporis ordinem in universum secuta, et compluribus (13) quæ alias frustra quæsiveris sese commenans admonet; atque omissis potius quam prolatis virgo veritatis nonnunquam officere dicenda est. (14) Magno igitur historiæ incommodo dimidia fere pars operis, narratio scilicet pene integra rerum annis 953-962 gestarum, excidit.

Liber, exeunte Januario aut mense Februario anni 968 absolutus (15), Gerbergæ abbatissæ oblatus est, quod ab ea Wilhelmo archiepiscopo traditus, ejus judicio Ottonibus transmitteretur. Nec Wilhelmi obitus, qui die VI Non. Mart. contigit, libro nocuisse credendus est, cum Hrotsuitham paulo post (16) aliud carmen, de fundatione scilicet cœnobii Gandersheimensis et de majoribus Ottonum, orsam esse constet (17). Quo libro historiam monasterii sub

præfatione Pelagii constanter nomen scribitur; semel tantum in præfatione comœdiarum HROTSVIT legimus.

(4*) « Nec matura adhuc ætate virgens nec scientia fui proficiens » ipsa de se ad Gerbergam abbatissam præfata circa an. 960-965 scribit; at in carmine de constructione Gandersh. v. 526 se longe post obitum Ottonis ducis, anno 912 defuncti, natam tradit. Igitur neptis Hrotsuithæ abbatissæ anno 927 defunctæ vix habenda erit.

(5) Præfat. Hist. B. Virginis.

(5*) Obiit ann. 1001. Id. Novembr.

(6) Præfatio libri de historia B. M. V. et carmen D ad Gerbergam v. 6-12.

(6*) Vide Præfat. ad Gerbergam in carmine de Proterio.

(7) Præfat. in Comœdias.

(8) Ibid. « Ut acceptum in datorem retorqueant ingenium. »

(9) Epistola ad quosdam sapientes.

(10) Præfat. in comœdias.

(11) Præfat. ad Ottonem II, v. 6, 7. Cum liber ante obitum Brunonis archiepiscopi, qui v Id. Oct. an. 965 defecit, incœptus fuisse videatur (v. 64) et postquam nuntius de Ottonis II coronatione Romana an. 967, Dec. 25, in Saxoniam pervenerat, sed Willehelmo archiepiscopo et Mathilda regina superstitibus, qui die VI Non. Mart. et II Idus Mart. an. 968 obierunt, absolutus sit (v. 1505, præfat. ad Gerbergam in fine, et v. 23, 24), carmen æstate an. 965 ab Ottone rege tunc in Saxonia diutius morante expetitum fuisse conjicio.

(12) Præfat. ad Ottonem I, v. 14-23.

(13) Exempli gratia tempus quo Heinricus dux Juditham duxit, et narratio liberationis Adalheidæ quasi authentica.

(14) Exempli gratia in describendis seditionibus Heinrici ducis, quem Gerbergæ patrem fuisse memineris.

(15) Vide n. 11 ; ideo eodem tempore quo Widukindus priorem operis sui partem absolvit.

(16) Certe priore carmine jam absoluto ; nam fundationem Grandersheimensem non ante annum 968 incœptam esse, mentio v. 79 de Ottonis II coronatione Romana injecta probat, et v. 81, 82, librum de laude Ottonum memorat.

(17) Trithemius carmen hoc non vidit, reliqua Hrotsuithæ opera, ut in codice S. Emmerammi jam Monacensi hodieque exstant, in Chron. Hirsaugiensi enumerat ; at quæ in fine profert *Diversorum quoque carminum et epigrammatum lib. I, Epistolas etiam quasdam non inelegantes*, non de deperditis jam opusculis, sed de carminibus, epigrammatibus et epistolis per codicem dispersis intelligenda esse, eo probatur, quod codex unicus in fine membranam vacuam præbet, et Celtes codicem qualis hodie invenitur jam anno 1501 edidit, dum Trithemius Chronicon Hirsaugiense, anno quidem 1495

primis abbat[illegible], Liudolfi et Odæ [illegible], usque ad obitum [illegible] an. 919 [illegible]. [illegible] ex scriptis in monasterio servatis, vita Hathumodæ (18), [illegible] (19), [illegible] (20), [illegible] (21), [illegible] rum (21), cum [illegible] rior, virorum et mulierum quos celebrat nullam se novisse [illegible] (22).

Utrumque carmen, pii animi et eruditionis apud feminas ejus præcipue ævi raræ documentum, auctorem classicos Romanorum poetas assiduo lectitasse, probat. Ipsa alio loco (23) se in syllabarum dignoscendis naturis et in dictionibus componendis errasse professa, hic quoque cum in metro (24) tum in formis verborum (25) nonnunquam deliquit. Contra formæ antiquæ *mis* et *tis* [illegible] et [illegible] usurpatæ, Plauti Terentiique studium arguunt. Diminutivis sæpius adhibitis delectatur (26).

Carmen *De primordiis cænobii Gandersheimensis*, præmissis beatissimorum pontificem Anastasii et Innocentii Vitis, versu hexametro scriptis (27), per medium ævum in loco ipso servatum, in chronica Gandersheimensia, qualia sæculo XIII ineunte ab Eberhardo in Theotiscam linguam versa legimus (28), transiit, sæculo XVI medio, aliquibus foliis omissis, sententiis nonnullis vetustate corrosis, Bodoni Clusano canonico (29) commendatum, sed ab eo nunquam restitutum atque cum reliquis Clusani cœnobii codicicus et chartis clam ablatum esse traditur (30). Igitur carmen ipsum [illegible] delituit, dum apographum sæculo XV confectum (31) Joan. G. Leuckfeld repertum (32) et ab abbatissa Gandersheimensi pretio comparatum, eodem fere tempore (33) in Leuckfeldi Antiqq. Gandersheimensibus, p. 410, sqq., et in Leibnitii Scriptoribus Brunsvicensibus tom. II, 319 sqq., prodiit. Et ille quidem nonnisi textum, qualis satis corruptus in codice legebatur, vulgavit, Leibnitius vero loca plurima conjecturis, ingenii et doctrinæ testibus, emendavit, eamque in rem et Bodonis libro aliquoties usus est. Utraque editione, fortasse et codice ipso Grandersheimensi aut ejus apographo (34), Harenberg usus, in historia Gandersheimensi, p. 469 sqq., [illegible], sæpe tamen et suo arbitrio « et rationibus prosodicis manifestissimis, » correxit, at non ubique emendavit. Nostræ autem editioni subsidia comparaturus, cum vere anni 1835 Gandersheimum adiissem, non solum codicem Hrotsuithæ, qui sæculo superiore comparatus erat, ablatum, sed reliquos etiam omnes bibliothecæ codices aut ablatos audivi, aut pluvia situque pessumdatos reperi. Omni igitur codicis nanciscendi spe ablata, quam nec bibliothecis Gottingensi vel Guelfebrytanæ nec tabulario fisci ducatus Brunswicensis illatum fuisse didici, loco ejus.

1) apographum codicis Leibnitio transmissum et ipsius manu emendatum, quod in bibliotheca regia Hannoverana servo, et

1b) editionem Leuckfeldianam adhibui, tum

2) Bodonis syntagma Gandersheimense, qui multa ex Hrotsuitæ opere mutuatus est,

3) Leibnitii conjecturas, ab ipso in margine plurimum notatas, et

4) Harenbergii editionem consului, iisque subsidiis textum, quantum fieri poterat, restituere conatus sum.

Multo feliciori mihi esse licuit in *Carmine de gestis Oddonis*, quod scilicet ope codicis unici

1) olim sancti Emmerammi Ratisbonensis, jam in bibliotheca regia Monacensi asservati, quem ibi an. 1833 evolvi, majori successu restitui. Codex manu sæculi X exeuntis vel XI ineuntis in 4° exaratus (35), tribus libris opera Hrotsuitæ, legendas scilicet sanctorum, comœdias et carmen nostrum, exhibet. Pagina quæque 24 versus continet. Interpunctio fere nulla, excepto puncto in fine plurimorum versuum obvio. Scriptor textum haud bene intellexit, errores suos nonnunquam correxit. Littera cujuslibet versus prima alternatim rubro atroque colore scribitur; littera major auctorem novam rem ordiri indicat. Magno rei litterariæ damno quaternio unus et alio loco sex folia exciderunt, quod jam ante exitum sæculi XV factum esse oportet, quo Conradus Celtes argumentis capitum qualia e re esse putabat, et emendationis haud paucis codici manu sua illatis, eum typis edendum curavit.

[...] cœptum, nonnisi anno 1511 absolvit, ideoque [...]tiorem codicem non vidisse existimandus est. In [li]bro De SS. eccl., c. 391, illa prætermisit.

(18) V. 104 sqq.

(19) V. 118 sqq.

(20) V. 444 sqq.

(21) V. 522.

(22) V. 526.

(23) In præfat. libri I.

(24) Exempli gratia Gandersh. 270. Otto 230. [...]atum etiam admittit.

(25) Exempli gratia deponensi vi passiva Gandersh., v. 239, Otto v, 459, *veneratur;* Prol. ad. Ott. [...], v. 38, *tueantur;* passivum vi deponentis usur[pa]t, in Otton. v. 593, *recitati sunt*, v, 141, *moderat*, [co]mœdos secuta, scribit.

(26) *Gratiola, perpaucula verbula, locellus*, et alia [hujus]modi occurrunt.

(27) Bodo ap. Meibom. SS. II, 494.

(28) Leibnit. SS. III, 149 sqq. Fluxit inde chronicon rhythmicum ducum Brunsvicensium apud Leibnit. III, 1. sqq.

(29) Se eo usum esse, dicit in Syntagmate Gandersh. apud Meibom. SS. II, 479, 494.

(30) Leuckfeld Antiqq. Gandersh. p. 276.

(31) Harenbergio, incerto auctore, teste p. 1074. — Leibnitius in Actis Erudit. an. 1705, p. [illegible], librum « non recentissimum » notat.

(32) Leuckfeld l. c, p. 276.

(33) Jam an. 1708 in Actis Eruditorum, p. 487, carmen secundo Leibnitii tomo illatum esse, nuntiatum erat, qui tamen an. 1710 demum integer evulgatus est; quem ideo Leuckfeld an. 1709 prævenit.

(34) Hæc « manuscripta duo » fuerint, quorum possessores nomina sua profiteri nolle asseverat, p. 1074.

(35) Cf. [illegible], VII, 409-411.

dersheimensis primordia et res gestas Ottonis Magni imperatoris carmine Latino celebranda suscepit. Fuit ea, ut credi fas est, Ottone I rege (4*) in Saxonia nata, et monasterio, quod a Liudolfo comite, Ottonis I proavo, conditum, ex posteris ejus abbatissas accipiebat, tradita litteris addiscendis operam dedit, et dum nec matura ætate vigebat, nec scientia, ut ipsa modeste de se scribit, proficiebat, « ex sententiis Scripturarum, quas intra arcam cœnobii collegerat, textum aliquem conficere satagebat. » In libris scribendis primo Rikkardis, sapientissimæ atque benignissimæ magistræ, aliarumque ejus vice instruentium, postea vero Gerbergæ abbatissæ mahisterio usa est (5). Hæc Heinrici Bawariæ ducis et Judithæ, Arnolfi ducis natæ, filia, quæ inde ab anno circiter 959 per quadraginta amplius annos (5*) cœnobium Gandersheimense rexit, initio regiminis sui, licet ætate minor, sed, ut imperialem decebat neptem, scientia provectior, aliquot auctores, quos ipsa prius a sapientissimis didicit, Hrotsuitham admodum pie erudivit (6). Quæ quidem librorum sacrorum necnon classicorum studio delectata, primum scribendi periculum fecit in Historia beatæ virginis Mariæ, metrica atque carminibus, de ascensione Domini, de S. Gangolfo, de passione S. Pelagii Cordubensis, et de Theophilo vicedomino; quibus postea carmina de Proterio, de passione S. Dionysii et S. Agnetis adjunxit (6*). In his omnibus libros suos secuta est, passionem tamen Pelagii ab incola civitatis in qua passus est audierat. Deinde cum animadvertisset « catholicos plures Terentii figmenta frequentius lectitare et dulcedine sermonis delectatos nefandarum notitia rerum maculari, » poetam illum scribendo sex comœdias Christianas imitata est, « ut eodem dictationis genere, quo turpia incesta lascivarum feminarum recitabantur,

A laudabilis sacrarum virginum castimonia celebraretur (7). Quæ omnia non jactantiæ vel vanæ gloriæ causa, sed ut supplici mentis devotione ingenium a Deo acceptum servitio ejus consecraret (8), composuit. Fama tamen ei non defuit. Nam philosophorum laudibus ornata (9), mox in tantum innotuit, ut modesta virgo *clamor validus Gandeshemensis* (10) a se ipsa vocari posset. Ætate anni 965 (11), Otto secundus rex, tunc decennis, a virgine impetravit ut patris ejus Ottonis imperatoris gesta carmine celebranda susciperet. Aggressa est opus, usque ad coronationem Romanam anni 962 producendum, libro nullo adjuta, sed relationes eorum qui res scribendas afferebant secuta. Quod cum ista aperte dicat (12), liber Ottonibus oblatus et a consangui-

B neis eorum, Wilhelmo, Gerberga aliisque eorum ministris ut ita dicam dictatus, et nonnisi quæ grata viderentur exhibens, pro historia proprie dicta minime venditari poterit. Sed neque ita librum spernendum esse, narratio simplex, plana, temporis ordinem in universum secuta, et compluribus (13) quæ alias frustra quæsiveris sese commenans admonet; atque omissis potius quam prolatis virgo veritatis nonnunquam officere dicenda est. (14) Magno igitur historiæ incommodo dimidia fere pars operis, narratio scilicet pene integra rerum annis 953-962 gestarum, excidit.

Liber, exeunte Januario aut mense Februario anni 968 absolutus (15), Gerbergæ abbatissæ oblatus est, quod ab ea Wilhelmo archiepiscopo traditus, ejus judicio Ottonibus transmitteretur. Nec Wilhelmi

C obitus, qui die VI Non. Mart. contigit, libro nocuisse credendus est, cum Hrotsuitham paulo post (16) aliud carmen, de fundatione scilicet cœnobii Gandersheimensis et de majoribus Ottonum, orsam esse constet (17). Quo libro historiam monasterii sub

præfatione Pelagii constanter nomen scribitur; semel tantum in præfatione comœdiarum HROTSVIT legimus.

(4*) « Nec matura adhuc ætate virgens nec scientia fui proficiens » ipsa de se ad Gerbergam abbatissam præfata circa an. 960-965 scribit; at in carmine de constructione Gandersh. v. 526 se longe post obitum Ottonis ducis, anno 912 defuncti, natam tradit. Igitur neptis Hrotsuithæ abbatissæ anno 927 defunctæ vix habenda erit.

(5) Præfat. Hist. B. Virginis.

(5*) Obiit ann. 1001. Id. Novembr.

(6) Præfatio libri de historia B. M. V. et carmen ad Gerbergam v. 6-12.

(6*) Vide Præfat. ad Gerbergam in carmine de Proterio.

(7) Præfat. in Comœdias.

(8) Ibid. « Ut acceptum in datorem retorqueant ingenium. »

(9) Epistola ad quosdam sapientes.

(10) Præfat. in comœdias.

(11) Præfat. ad Ottonem II, v. 6, 7. Cum liber ante obitum Brunonis archiepiscopi, qui v Id. Oct. an. 965 defecit, incœptus fuisse videatur (v. 64) et postquam nuntius de Ottonis II coronatione Romana an. 967, Dec. 25, in Saxoniam pervenerat, sed Willehelmo archiepiscopo et Mathilda regina superstitibus, qui die VI Non. Mart. et II Idus Mart. an. 968 obierunt, absolutus sit (v. 1505, præfat. ad Gerbergam in fine, et v. 23, 24), carmen æstate an. 965 ab Ottone rege tunc in Saxonia diutius morante expetitum fuisse conjicio.

(12) Præfat. ad Ottonem I, v. 14-23.

(13) Exempli gratia tempus quo Heinricus dux Juditham duxit, et narratio liberationis Adalheidæ quasi authentica.

(14) Exempli gratia in describendis seditionibus Heinrici ducis, quem Gerbergæ patrem fuisse memineris.

(15) Vide n. 11; ideo eodem tempore quo Widukindus priorem operis sui partem absolvit.

D (16) Certe priore carmine jam absoluto; nam fundationem Grandersheimensem non ante annum 968 incœptam esse, mentio v. 79 de Ottonis II coronatione Romana injecta probat, et v. 81, 82, librum de laude Ottonum memorat.

(17) Trithemius carmen hoc non vidit, reliqua Hrotsuithæ opera, ut in codice S. Emmeramni jam Monacensi hodieque exstant, in Chron. Hirsaugiensi enumerat; at quæ in fine profert *Diversorum quoque carminum et epigrammatum lib.* I, *Epistolas etiam quasdam non ineleganles*, non de deperditis jam opusculis, sed de carminibus, epigrammatibus et epistolis per codicem dispersis intelligenda esse, eo probatur, quod codex unicus in fine membranam vacuam præbet, et Celtes codicem qualis hodie invenitur jam anno 1501 edidit, dum Trithemius Chronicon Hirsaugiense, anno quidem 1495

primis abbatissis, Liudolfi et Odæ filiabus, usque ad obitum Christinæ an. 919 tradit. Hauserat eam ex scriptis in monasterio servatis, vita Hathumodæ (18), chartis Liudolfi fundatoris (19), Ludovici junioris et Arnulfi (20), et ex narrationibus seniorum (21), cum ipsa rebus quas narrat multo posterior, virorum et mulierum quos celebrat nullam se novisse confiteatur (22).

Utrumque carmen, pii animi et eruditionis apud feminas ejus præcipue ævi raræ documentum, auctorem classicos Romanorum poetas assiduo lectitasse, probat. Ipsa alio loco (23) se in syllabarum dignoscendis naturis et in dictionibus componendis errasse professa, hic quoque cum in metro (24) tum in formis verborum (25) nonnunquam deliquit. Contra formæ antiquæ *mis* et *tis* loco *mei* et *tui* usurpatæ, Plauti Terentiique studium arguunt. Diminutivis sæpius adhibitis delectatur (26).

Carmen *De primordiis cœnobii Gandershemensis*, præmissis beatissimorum pontificem Anastasii et Innocentii Vitis, versu hexametro scriptis (27), per medium ævum in loco ipso servatum, in chronica Gandersheimensia, qualia sæculo XIII incunte ab Eberhardo in Theotiscam linguam versa legimus (28), transiit, sæculo XVI medio, aliquibus foliis omissis, sententiis nonnullis vetustate corrosis, Bodoni Clusano canonico (29) commendatum, sed ab eo nunquam restitutum atque cum reliquis Clusani cœnobii codicicus et chartis clam ablatum esse traditur (30). Igitur carmen ipsum usque ad sæculi XVIII initia delituit, dum apographum sæculo XV confectum (31) a Joan. G. Leuckfeld repertum (32) et ab abbatissa Gandersheimensi pretio comparatum, eodem fere tempore (33) in Leuckfeldi Antiqq. Gandersheimensibus, p. 410, sqq., et in Leibnitii Scriptoribus Brunsvicensibus tom. II, 319 sqq., prodiit. Et ille quidem nonnisi textum, qualis satis corruptus in codice legebatur, vulgavit, Leibnitius vero loca plurima conjecturis, ingenii et doctrinæ testibus, emendavit, eamque in rem et Bodonis libro aliquoties usus est. Utraque editione, fortasse et codice ipso Grandersheimensi aut ejus apographo (34) Harenberg usus, in historia Gandersheimensi, p. 469 sqq., textum Leibnitii auctoritate, sæpe tamen et suo arbitrio « et rationibus prosodicis manifestissimis, » correxit, at non ubique emendavit. Nostræ autem editioni subsidia comparaturus, cum vere anni 1835 Gandershemium adiissem, non solum codicem Hrotsuithæ, qui seculo superiore comparatus erat, ablatum, sed reliquos etiam omnes bibliothecæ codices aut ablatos audivi, aut pluvia situque pessumdatos reperi. Omni igitur codicis nanciscendi spe ablata, quam nec bibliothecis Gottingensi vel Guelfebrytanæ nec tabulario fisci ducatus Brunswicensis illatum fuisse didici, loco ejus.

1) apographum codicis Leibnitio transmissum et ipsius manu emendatum, quod in bibliotheca regia Hannoverana servo, et

1b) editionem Leuckfeldianam adhibui, tum

2) Bodonis syntagma Gandersheimense, qui multa ex Hrotsuitæ opere mutuatus est,

3) Leibnitii conjecturas, ab ipso in margine plurimum notatas, et

4) Harenbergii editionem consului, iisque subsidiis textum, quantum fieri poterat, restituere conatus sum.

Multo feliciori mihi esse licuit in *Carmine de gestis Oddonis*, quod scilicet ope codicis unici

1) olim sancti Emmerammi Ratisbonensis, jam in bibliotheca regia Monacensi asservati, quem ibi an. 1833 evolvi, majori successu restitui. Codex manu sæculi X exeuntis vel XI ineuntis in 4° exaratus (35), tribus libris opera Hrotsuitæ, legendas scilicet sanctorum, comœdias et carmen nostrum, exhibet. Pagina quæque 24 versus continet. Interpunctio fere nulla, excepto puncto in fine plurimorum versuum obvio. Scriptor textum haud bene intellexit, errores suos nonnunquam correxit. Littera cujuslibet versus prima alternatim rubro atroque colore scribitur; littera major auctorem novam rem ordiri indicat. Magno rei litterariæ damno quaternio unus et alio loco sex folia exciderunt, quod jam ante exitum sæculi XV factum esse oportet, quo Conradus Celtes argumentis capitum qualia e re esse putabat, et emendationis haud paucis codici manu sua illatis, eum typis edendum curavit.

nceptum, nonnisi anno 1511 absolvit, ideoque litiorem codicem non vidisse existimandus est. In ibro De SS. eccl., c. 391, illa prætermisit.

(18) V. 104 sqq.

(19) V. 118 sqq.

(20) V. 444 sqq.

(21) V. 522.

(22) V. 526.

(23) In præfat. libri I.

(24) Exempli gratia Gandersh. 270. Otto 230. liatum etiam admittit.

(25) Exempli gratia deponensi vi passiva Ganlersh., v. 239, Otto v, 459, *veneratur*; Prol. ad. Ott. I, v. 38, *tueantur*; passivum vi deponentis usurpat, in Otton. v. 593, *recitati sunt*, v, 141, *moderat*, comœdos secuta, scribit.

(26) *Gratiola, perpaucula verbula, locellus*, et alia jusmodi occurrunt.

(27) Bodo ap. Meibom. SS. II, 494.

(28) Leibnit. SS. III, 149 sqq. Fluxit inde chronicon rhythmicum ducum Brunsvicensium apud Leibnit. III, 1. sqq.

(29) Se eo usum esse, dicit in Syntagmate Gandersh. apud Meibom. SS. II, 479, 494.

(30) Leuckfeld Antiqq. Gandersh. p. 276.

(31) Harenbergio, incerto auctore, teste p. 1074. — Leibnitius in Actis Erudit. an. 1708, p. 488, librum « non recentissimum » notat.

(32) Leuckfeld l. c, p. 276.

(33) Jam an. 1708 in Actis Eruditorum, p. 487, carmen secundo Leibnitii tomo illatum esse, nuntiatum erat, qui tamen an. 1710 demum integer evulgatus est; quem ideo Leuckfeld an. 1709 prævenit.

(34) Hæc « manuscripta duo » fuerint, quorum possessores nomina sua profiteri nolle asseverat, p. 1074.

(35) Cf. *Archiv.* VII, 409-411.

2) Editio Celtis in Operibus Hrotsuitæ Norimber- A næ in folio an. 1501 prodiit. Textus multis in locis a codice unico discedit, partim errore editoris, partim ubi quæ vitiose legi videbantur emendanda esse censuit. Qua quidem in re haud dubie nonnunquam bene de Hrotsuitha meruit, et certe reliques omnes editores multum antecellit, nonnunquam vero sine justa causa textum aut vere bonum aut qui saltim tolerari posset arbitrio suo immutavit vel negligenter exprimi permisit; et argumentis capitum haud bene perpensis et operi intrusis, ut de fide Hrotsuithæ, dum contra historiæ veritatem scripsisse censebatur, viri docti dubitarent, effecit. Quæ macula ei inspersa nostra demum editione delebitur.

Celtis edito a Justo Reubero paucis in locis secundum regulas grammaticæ notissimas emendata, B an. 1854 in SS. Germanicis repetita est, an. 1621 ab Heinrico Meibomio una cum Widukindo in fol., Vita sanctimonialis et adnotationibus historicis, quibus lectores nostri absque ulla jactura carere possunt, aucta, sed textu aliquoties perperam mutato prodiit, quarta vice an. 1688 ab Heinrico Meibomio juniore scriptoribus Germanicis, tom. II, p. 709 sqq., sed textu vel magis corrupto, inserta est. Textum Meibomianum repetivit Heinr. Leonh. Schurzfleisch in editio e Operum Hrotsuithæ, p. 175 sqq., an. 1707, dissertatione de poetriæ nostræ vita et operibus præmissa, adjectoque indice Latinitatis, sed Meibomii lectionem adhibita editione principe aliquoties correxit, et quinque in locis (36) a prioribus editoribus recedens, veram codicis lectionem habet, petenti sibi fortasse a cœnobitis sancti Emmerammi transmissam. Sextam demum editionem Georg. Chr. Joannis an. 1726 in altera editione Reuberi SS. Germ. ex Meibomiana et Schurzfleischiana conflavit, et semel veram lectionem ab editoribus neglectam conjectura assecutus est.

Quæ cum ita se habeant, textum ad fidem codicis unici restitui, et nonnisi locos aperte corruptos ex Celtis conjectura aut nostra emendandos suscepi (37). Divisione igitur capitum qualem codex exhibebat adoptata, pro rubricis a Celte textui intrusis et erroris plenis annorum numeros ascripsi, et ita meliorem jam operis editionem propono.

(36) In præfat. ad Oddonem I, v. 27: in præfat. ad Oddonem II, v. 12, et versibus 321, 434, 752.

(37) Diphthongi æ et œ, in codice perraro simplici *e* expressæ, constanter restitutæ sunt.

CARMEN DE PRIMORDIIS CŒNOBII GARDERSEIMES S.

Ecce meæ supplex [1] humilis devotio mentis
Gliscit, felicis primordia Gandeshemensis
Pandere cœnobii, quod cura non pigritana
Construxere duces Saxonum jure potentes,
Liudulfus [2] magnus, clarus quoque filius ejus
Oddo, qui cœptum perfecit opus memoratum.

Ordo nunc rerum deposcit debitus harum,
Ut prius illustris constructio Gandeshemensis
Apto cœnobii recinatur carmine nostri;
Quod nam construxisse ducem reverenter eundem
Constat Saxonum quem prædixi [3], Liudulfum,
Hic prænobilium [4] natus de stirpe parentum,
Ortus quique sui respondens nobilitati,
Moribus egregiis usque suæ probitatis
Inter Saxones crevit laudabilis omnes.
Namque fuit strenuus, forma nimiumque decorus,
Prudens in verbis, in cunctis cautus agendis,
Atque sui generis solus spes et decus omnis.
Hinc nam Francorum magni regis Hludowici [5]
Militiæ primis [6] adscriptus pene sub annis,
Et ipso digne summo sublatus honore,
Gentis Saxonum mox suscepit comitatum;
Ac cito majoris [7] donatus munere juris,
Vers. 17.

C Principibus fit par [8], ducibus sed nec fuit impar;
Quique [9] suos omnes vicit pietate parentes,
Non minus insignis pompa vincebat honoris.
Cui conjux [10] ergo fuerat prænobilis Oda,
Edita Francorum clara de stirpe potentum,
Filia Billungi, cujusdam principis almi,
Atque bonæ famæ generosæ scilicet Ædæ [11]
Hæc igitur crebro precibus consueverat Æda
Se totamque suam Domino committere vitam;
Sæpius atque piis insistens sedula factis,
Promeruit, bene promissis edocta supernis,
Discere, baptista Christi referente beato,
Quod sua progenies seclis quandoque futuris
Possessura [12] foret juris decus imperialis.
Erho nocturnas quondam scindente tenebras
D Aurora lucis splendore süæ rutilantis,
Hæc prostrata sacram solito jacuit secus aram,
Sacratam sub baptistæ Johannis honore,
Oratu pulsando jugi penetralia cœli.
Cumque piam studiis mentem laxaret in illis,
Vidit prona pedes hominis, proprius sibi stantis.
Ac commota parum, volvebat pectore multum,
Quis foret ille, suum qui conturbare secretum
Vers. 40.

VARIÆ LECTIONES.

[1] supplet 1. *ita constanter emendavi.* Liudulfus *ediii.* [3] Plixi 1, [4] Pnobilium 1. [5] Illludovici 1. [6] *ita conjicit* 3. primus 1. [7] majori 4. [8] *deest* 1 *supplevit* 3. [9] Quinque 4. [10] conjux 4. [11] Prodæ *male legit* 2. [12] *ita* 1b. 4. Promeritura *conjecit* 3.

Præsumpsisset, in hac hora precibus satis apta.
Frontemque de terra, modicum conversa, levato,
Aspexit juvenem miro splendore micantem,
Indutum vestis velamine [illegible],
Ceu foret, e pilis curvi contexta cameli;
Cujus, candori nimio pulchræ [13], faciei
Barbula parva, nigris sociata colore capillis,
Quoddam splendentis præstabat stemma nitoris.
Quem matrona videns nec [14] [illegible] fore credens
Obstupuit, mentis juxta morem muliebris
Procumbens subito magno terrore coacta.
Ille sed affatu [15] blando trepidam refovendo
Inquit : « Ne trepides [16], nec perturbata pavescas
Sed cognosce, gravis pulso terrore timoris,
Quis sim! Magna tibi portans solamina, veni.
Nam sum Johannes, liquidis qui tinguere lymphis
Christum promerui. Quia nos crebro coluisti,
Nuntio [17] : Virginibus sacris tua clara propago
Instituet claustrum, pacem regnique triumphum,
Dum sua relligio studio steterit bene regum.
Hinc tua progenies seclis quandoque futuris
Culmine pollentis tanto clarescet [18] honoris,
Ut terrenorum nullus tunc tempore regum
Jure potentotus illi valeat similari. »
Dixerat, et subito rediens penetraverat æthra,
Linquens matronæ solamen dulce benignæ.
Hujus magnifici decoris promissio grandis
Progeniem domnæ [19] claram [20] specialiter Odæ
Signavit, de qua natus dux inclitus [21] Oddo
Sceptris Henricum regem genuit satis aptum,
Qui pater [22] augusti fuit Oddonis venerandi,
Ejus qui, regis fultus virtute perennis,
Postquam Saxonum rexit patris vice regnum,
Nutu divino benedictus namque secundo,
Imperii sedem Romani dignus eandem
Ac sceptrum juris susceperat imperialis,
Æquivocumque sui natum pariter benedictum,
Disponente pia regis bonitate perennis,
Imperii sedem conscendere fecit [23] eandem
Atque pari similis splendore frui dicionis.
Hæc igitur modici demonstrat pagina libri
Plenius, e causis rerum quem scripsimus harum (38).
 Nunc ad opus cœptum devote perficiendum
Est convertendus stylus noster studiosus.
Ast ubi Liudolfo fuerat venerabilis Oda
Fœdere legali conjuncta, suo seniori,
 Vers. 86.

Inter nostrates celebris profecerat omnes
Moribus et factis, callem gradiens pietatis,
Exemploque [illegible],
Se totam Domino commendebat prece sacra
Corde tenens matris monitum claustri faciendi
Hinc nam legalem non raro sui seniorem
Exhortabatur blandis nimium suadelis,
Ut de gazarum [illegible],
Sumptu [24] cœnobium divinis laudibus aptum,
In quo sacrandæ Domino velamine sacro
Fine tenus castæ possent [25] habitare puellæ
 Atque vacare sui sancti famulamine sponsi.
His ergo monitis vir concedendo fidelis,
Conjugis electæ precibus consenserat apte,
Ac sic communi similis conamine voti
Deservire Deo cœperunt protinus ambo.
Quis [26] fuit ecclesiæ possessio denique parvæ
Trans ripas Gandæ supra montana locatæ,
Unde locum celebrem vocitabant Gandeshemensem.
Illic (39), obsequio Domini digne celebrando
Dum locus investigari posset magis aptus [27],
Communi [28] multas vita junxere puellas,
Atque sui natam decreverunt Hathumodam
His habitu similem fieri, sociamque perennem.
Utque [29] puellaris rectrix fore [30] posset ovilis,
Primitus hanc ipsam reverenter ad instituendam
Tradebant abbatissæ cuidam venerandæ,
Quæ prælatarum vice succedendo priorum,
Tunc Herifordensem sortita fuit sibi sedem.
Tali [31] divinum meditati sunt famulatum
Nisi Liudulfus conjux [32] insignis et ejus
Post hæc acceptis proprii scriptis senioris,
Scilicet almifici regisque pii Hludowici [33] (40)
Ejus permissu cum non modico comitatu
Romam pergebant, sanctique patris visitabant
Sedem [34] muneribus dignis precibusque benignis,
Ipsius auxilio deposcentes sua vota
Juxta velle Dei sese persolvere posse.
Hisdem [35] temporibus possedit papa beatus
Sergius ecclesiæ primatum namque regendæ.
Hic ubi perlegit chartas regis sibi missas,
Sensit honore ducem summo dignum venienter,
Et perquirendo causam, qua venerat illic [36],
Affatu miti blandum se præbuit illi.
Quem, ceu pontificem summum merito venerandum,
Exorans dux Liudulfus cum conjuge pronus,
 Vers. 132.

VARIÆ LECTIONES.

[13] pulcræ 1. *quod semper correxi.* [14] nec non 1. 1b. 4. [15] effatu 4. [16] trepidas 1. 1b. [17] Nunctio 1. [18] *ita conj.* 3. *et legit* 4. clarescat 1. [19] *ita conj.* 3. domni 1. domini 1b. [20] *deest* 4. [21] *ita correxi ut etiam* silva, sidera *scripsi;* inclytus, sylva, sydera 1. [22] *ita conj.* 3. patris 1. 1b. [23] *ita conj.* 3. facit 1. [24] *ita* 1b. sumtu 1. *ubi etiam* promtus *et alia ejusmodi leguntur.* [25] posent 1. [26] Queis 4. [27] *ita conj.* 3. aptum 1. 1b. 4. [28] *ita* 3. 4. Coram 1. Co... 1b. [29] *ita conj.* 3. Atque 1. 1b. [30] f. rectris 1. [31] Tale 1. [32] conjunx 4. [33] *ita* 1b. 4. Ludowici 1. *de* 2. *non liquet.* [34] *ita correxi;* Edem 1. 1b. *quod Leibnitius pro* Ædem *scriptum et de ecclesia B. Petri sermonem esse statuit, cui Harenberg suffragans sedem recepit; at de papa nostram loqui, sententiarum nexus probare videtur; cf.* « namque » v. 126. *tum* v. 127. *seqq.* 136. 137. [35] *ita* 1b. 4. Iisdem 1. [36] ille 1b. 4.

NOTÆ.

(38) Scilicet carmen de gestis Oddonis.
(39) Cf. Vitam Hathumodæ c. 4.
(40) Liudulfi chartam a me editam p. 5.

Utitur [37] his verbis tota dulcedine mixtis :
« Inclite papa, tuis ne sis durus peregrinis,
Qui de longinquis terrarum venimus oris
Muneribus nostri famulatus te venerari.
Nitimur ardentis toto conamine mentis
Condere cœnobium Domini sub honore sacrandum;
Unde quidem visum nobis est maxime justum
A te consilii solamen quærere certi
Et studium nostri tibi rite precando fateri,
Qui caput ecclesiæ toto dominaris in orbe;
Quo, si forte tibi placeat devotio nostri,
Auxilium præbente tua pietate paterna,
Quod votis gerimus, factis bene perficiamus.
Ac tu [38] — consilium nimis merito flagitamus —
Susceptis donis clementi pectore nostris,
Scilicet et regis compulsus amore perennis,
Præsta sanctorum nobis sacra pignora, quorum
Omnis cœnobii constructio possit honori
Apte signari, sacris meritisque [39] tueri.
Utque sit absque jugo regum per secla potentum,
Nec terrenorum patiatur vim dominorum,
Hoc rectoris apostolici solum ditioni
Tradimus, ad defendendum pariterque regendum [40].»
Hæc dux. Et [41] summus præsul sic Sergius orsus
Inquit : « Te miti complector pectore, fili,
Consortemque tuam pariter complector amandam,
Atque piis studiis gaudens congaudeo vestris,
Nec vobis credo fas esse [42] negare petita.
Hic duo rectores fuerant aliquando potentes,
Præsul Anastasius sedis sanctissimus hujus,
Et coapostolicus sacer Innocentius ejus;
Qui post pastorem Petrum Paulumque magistrum
Ecclesiæ meritis celebres fulsere supremis;
Quorum tam magna servantur corpora cura
Actenus a cunctis hujus rectoribus urbis,
Ut nec particulam quisquam subtraxerit unquam,
Pleno membrorum numero remanente sacrorum.
Sed quia jure piis concedere debeo votis [43],
Amborum (41) vobis donabo pignora gratis,
Corporibus sacris abscisa [44] patenter ab ipsis;
Si sacramento confirmatis mihi facto,
Hæc in cœnobii venerari jam memorati
Fine tenus templo vestri munimine [45] facto,
Nocte dieque sacris illic resonantibus hymnis,
Necnon accenso præclaro lumine semper.
Hoc et apostolici juris, sicut et petiistis,
Cœnobium nostri designamus ditioni,
Ut [46] terrenorum sit securum dominorum. »
His dux promissis lætatus corde, verendis
Mandatis se pontificis summi fore sacris

Vers. 182.

A Mox responsurum factis, inquit, studiosis,
Qui foret ecclesia dignus mox ædificanda.
Ut fert multorum sententia vere [47] scientum,
Proxima cœnobio fuerat tunc silvula, cincta [48]
Collibus umbrosis, quibus et nos cingimur ipsis;
Necnon in silva fuerat sita parvula villa,
In qua Liudulfi soliti stabulare subulci,
Intra septa viri cujusdam lassa quieti
Corpora nocturnis sua composuere sub horis,
Dum sibi commissos debebant pascere porcos.
Hic quondam, cum sanctorum venerabile festum
Esset cunctorum mox post biduum celebrandum,
Sub noctis claras tenebris ardere lucernas
In silva multas ipsi videre subulci.
His visis, cuncti mirabantur stupefacti,
B Quid nova splendentis vellet sibi visio lucis,
Miro nocturnas scindens splendore tenebras;
Hocque domus patri narraverunt tremefacti,
Demonstrando locum, quem lux perfuderat ipsum.
Qui visu clare [49] cupiens audita probare,
Extra tecta domus illis habitans sociatus,
Insomnem cœpit noctem servare sequentem,
Non [50] claudens oculos somno suadente gravatos,
Donec succensas rursus rutilare lucernas
Aucto vincentes numero videre priores,
Ipso quippe loco, sed prisco quam prius [51] hora;
Ominis hoc signum felicis namque serenum
Ut Phœbus radios spargebat ab æthere primos,
Fit notum, fama cunctis prodente jocunda.
Nec latuisse ducem dignum potuit Liudulfum,
Aures sed citius dicto pulsaverat ejus.
C Ipseque sacrata festi mox nocte futuri
Observans caute, si quicquam postea tale
Cœlitus ostensi monstraret [52] visio signi,
Cum multis silvam pernox conspexerat ipsam.
Nec mora, cum nebula terras nox texerat atra,
Undique silvestris per gyrum denique vallis,
In quo fundandum fuerat prænobile templum,
Ordine disposito cernuntur lumina plura:
Quæ simul arboreas umbras noctisque tenebras
Clare pollentis scindebant luce nitoris.
Hinc simul astantes Domino laudem referentes,
Omnes esse locum firmabant sanctificandum
Ejus ad obsequium, qui luce repleverat illum,
At dux cœlesti non ingratus pietati,
Arboribus mox succisis spinisque rejectis,
D Consensuque suæ dilectæ conjugis Odæ,
Omnino vallem mundari jussit eandem;
Silvestremque locum Faunis monstrisque repletum
Fecit mundatum divinis laudibus aptum.

Vers. 232.

VARIÆ LECTIONES.

[37] *ita Leibn. emendavit.* Utique 1. Ut igitur 1b. [38] *ita* 1. 1b. *Leibnitius egendum proponit* A te consiliumque, *quod* 4. *recipit.* [39] *ita conj.* 3. mentisque 1. 1b. [40] *regundum* 4. [41] At *Leibnitio suadente* 4. [42] *ita* 1b. f. e. c. 1. [43] *post* Amborum *distinguunt* 3. 4. [44] abcisa 1. 1b. 4. [45] *ita* 1b. 3. numine 1. [46] Ut quidam t. 1. 1b. [47] vera *conj.* 3. 4. [48] *ita emendavit* 3, cuncta 1. 1b. [49] claro *conjecit* 3. [50] Nunc 1b. 4. [51] *ita* 1b. plus 1. *fortasse* prisca *legendum ;* sed prius quam prisca hora. [52] monstrarit 1.

NOTÆ.

(41) Scilicet præsulum.

Hinc, quos poscit opus, prius acquirens [53] sibi sumptus,
Pretinus ecclesiæ construxit mœnia pulchræ [54],
Quæ splendor lucis designavit rutilantis.
Hac igitur causa fuerat [55] jam cœpta secundo.
Cœnobii sub honore Dei [illegible] nostri
Interea lapides structuræ convenientes
Non potuere locis nancisci prorsus in illis;
Unde moram templi patitur perfectio cœpti.
Abbatissa sed a Domino [illegible] Hathumoda
Impetrare fide credente [illegible] omnia posse,
Frangebat sese nimio persæpe labore,
Nocte dieque Deo sacris studiis famulando;
Et subjectarum multis illi sociatis,
Cœlitus auxilii petiit solamina ferri,
Ne non perfectum remaneret opus bene cœptum.
Nec mora, cœlestem quam quærebat pietatem
Sensit adesse [57] suis votis promptam [58] misereri.
Nam jejunando sacris precibusque vacando
Cum prostrata die quadam jacuit secus aram,
Vocis mansuetæ, [59] monitis exire jubetur
Atque sequi volucrem, quam [60] jam progressa sedentem
Cerneret in saxi cujusdam vertice magni.
Ipsaque complectens animo præcepto parato,
Egreditur, dictis credens ex corde jubentis;
Ac cementariis secum sumptis bene gnaris
Perrexit citius quo duxit Spiritus almus,
Donec ad cœptum [61] perrexit nobile templum.
Illic candidulam vidit residere columbam
In designati [62] præcelso vertice saxi;
Quæ mox expansis volitans præcesserat alis,
Temperat atque suum non sueto more volatum
Posset ut [63] aereos [64] directo tramite sulcos
Cum sociis gradiendo sequi virguncula Christi.
Cumque columba locum volitans venisset ad illum,
Quem nunc non sterilem magnis scimus fore petris,
Descendens terram rostro percusserat illam,
Sub cujus lapides latuerunt aggere plures.
Quo certa [65] viso Christi dignissima virgo
Emundare locum socios præceperat ipsum,
Tellurisque gravem fodiendo scindere molem [66].
Quo facto, præstante pia bonitate superna,
Copia magnarum monstratur multa petrarum;
Unde monasterii cum templo mœnia cœpti

A Omnia materiam possent traxisse petrinam.
Hinc magis atque magis toto conamine mentis
Factores templi, Domini sub honore sacrandi,
Instabant operi mox nocte dieque recenti.
Sed dux Liudulfus, primus qui conditor ejus
Extitit et cura cujus processit origo
Omnis structuræ precibus poscentibus Odæ,
Proh dolor! ad summum non duxit opus studiosum.
Sed naturalis sæva tactus nece mortis
[illegible] (an. 866),
Quam perfecta domus Domini foret inclita prorsus;
Commisitque suæ caræ moriendo relictæ,
Atque suis natis, ducibus supra memoratis,
Totius infandi [67] pondus curamque laboris,
Exorans votis ut complerent studiosis
B Omnem cœnobii structuram perficiendi.
Cujus in antiquo corpus venerabile templo
Tunc gremio terræ commendatum fuit apte;
Ossa sed annorum post decursus aliquorum
Sunt hac [68] in ecclesia translata locanda novella.
Forsan ad hoc [69] illum mundo Deus abstulit isto,
Dum vix [70] ætatis febres [71] tetigit mediocres,
Illustris domnæ post hæc ut plenius Odæ
Mens intenta [72] Deo, posset tractare superna,
Expers carnalis totius prorsus amoris.
Nec tamen auxilii solamen denegat illi,
Sed præstabat opem solita pietate recentem,
Qua [73] suffulta suas posset ditescere nonnas
Omnibus his rebus, noster quibus indiget usus.
Ergo sui natam, Liutgardæ [74] nomine dictam,
Nutu clementis regis præstante perennis,
C Elegit clarus Francorum rex Ludowicus
Regni consortem sibimet sociamque [75] perennem,
Filius illius (42), cujus dono Liudulfus
Suscepit primum propriæ gentis dominatum.
Quæ regina quidem nobis ad prosperitatem
Facta, suæ dignum sanctæ matri famulatum
Præstat, opem [76] regis præbens, proprii senioris,
Multaque [77] cœnobio promisit commoda nostro [78].
Interea Christi virgo felix Hathumoda.
Cum gregis undenos curam bis gesserat annos,
Ocius in Christo moriens transivit ad astra (*an* 874),
Gerbergæ tenerum commisit ovile regendum.
Hæc fuit illustri cuidam nimiumque potenti
Desponsata viro, Bernhardo [69] nomine dicto :
D

VARIÆ LECTIONES.

[53] adquirens 4. [54] pulcre. Desiderantur versus deficiunt duo carminis 1. 1b *Quod* 3. *de duobus versibus accepit, addens sensui nil deesse* 4. *addit* : In manuscripto antiquiori duo versus minus recte scripti exstant, ideo cancellati. Hinc error ortus. — *Certe nihil deesse videtur.* [55] *deest* 1. *adest* 1b. nisu *conjecit* 3. [56] *vox deest* 1. 1b. *extat* 2. [57] *ita* 2. ad sese 1. 1b. [58] promptum 1b. [59] dulcisonæ 2. V. m. die quadam jacuit secus aram 1. 1b. *a Leibnitio correctum ut in textu.* [60] *ita* 1. quem 1b. 3. 4. [61] inceptum *corrigit* 3. [62] *ita* 2 3. Inde signati 1. 1b. 4. [63] Posse tunc 1. 1b. [64] æthereos 4. *deest* 1b. [65] certo *conj.* 3. *recepit* 4. *sed ad* virgo *referendum est, metro licet invito.* [66] *Primo ita eandem sententiam extulerat poeta* : Et molem terræ circumfodiendo secare. [67] infantis 1. 1b. ingentis *conj.* 3. *recepit* 4 [illegible] [69] *ita conj.* 3. adhuc 1. 1b. [70] æ. v. 1. [71] fines. . . medioeris *conj.* 3. [72] *ita* 1b. intentata 1. [73] [illegible] Quæ 1. [74] lutgardæ 1. luitgarda 1b. [75] *ita conj.* 3. sacramque 1. 1b. [76] *ita* 3. *lacunam explet.* [illegible] 4. *conjicit.* P. o. *desunt* 1. 1b. [77] *ita* 3. *lacunam explet.* Plurima 4. [78] nostra 1. 1b. [79] Berardo 3 [illegible] 2. *ubi tamen et* Garburgis *legitur*.

NOTÆ.

(42) Ludovici Germanici.

Sed sese Christo clam consecravit ipsa
Cœlesti vere [80] sponso velamine sacro,
Omnino sponsum spernens animo moriturum.
Nec tamen extemplo, pro seditione cavenda,
Auro fulgentes potuit deponere vestes,
Induitur solito sed vestitu pretioso.
Interea venit, quem sponsa Dei reprobavit.
Uti colloquiis ejus quærens manifestis.
Audivit vero, votum quia fecerit ipsa,
Velle puellarem caste servare pudorem.
Quæ cum tardaret cito nec procedere vellet,
Quod prius audierat, verum fore valde timebat;
Impatiensque moræ domnam [81] precibus placat Odam,
Donec ipsa suam jussit procedere natam,
Ornatam pulchre cultu vestis pretiosæ,
Necnon gemmatis sponsarum more metallis.
Ast ubi Bernhardus vidit, quam desideravit,
His verbis caram causari fertur amicam:
« Non raro didici, fama procedente sinistra,
Quod tu [82] nitaris [83] nostrum disrumpere pactum
Et fidei fœdus servandum solvere prorsus.
At nunc ad bellum citius properare futurum
Præcepto regis cogor, nostri senioris.
Hinc tempus quod nunc [84] non est hoc discutiendi,
Si redeam certe sospes, comitante salute,
Scito procul dubio, quod te mihimet sociabo
Atque tui votum penitus pessumdabo vanum. »
Dixerat, et dextra, permotus mente, levata,
Jurat per gladium, per candidulum quoque collum,
Juxta posse sui factis prædicta repleri.
Respondens ergo Gerberg ait ore modesto:
« Christo me totam committo meam quoque vitam,
Utque fiat de me juxta Domini, rogo, velle. »
His ita colloquiis mutuo sermone peractis,
Bernhard [85] mox abiit, casuque suo cito sensit,
Nil contra Dominum quemcumque valere superbum;
Et quia plus justo deliquit inania fando,
Decidit in bello victus virtute superna.
Ac Christi virgo sponsi cœlestis amori
Se mox conjunxit, quem caste semper amavit.
Cujus primatus sexto, ni fallor, in anno (*an.* 880)
Brun dux, ecclesiam promptus defendere sanctam,
Incursu de sævorum satis Ungariorum (43)
Proh dolor! ex ipsis Domini pravis inimicis
Occiditur, binis cum præsidibus venerandis,
Omnibus atque viris propriæ pariter legionis.
Quo mox occiso, junior frater suus [86] Oddo
Dux factus populi dono regis Hludowici,
Respondit factis sanctæ voto genitricis,

Vers. 369.

A Ac studio simili concordans nititur illi
Cultibus ecclesiam dignis ornare novellam,
Quæ post hæc anno fuerat sacranda secundo.
Mœnia cœnobii perfecit [87] omnia nostri,
Commoda mansuris illic per secla puellis.
His bene perfectis, juxta præcepta parentis
Eligitur (*an.* 881, *Nov.* 1), domna [88] poscente videlicet Oda,
Ipsa dies templo condigne sanctificando,
In cujus noctis medio quam pluribus illo [89]
Tertio conspicuæ quondam fulsere lucernæ,
Et quod [90] cunctorum pariter venerabile festum
Sanctorum vasti [91] fuerat per climata mundi,
Principio mensis celebrandum rite Novembris.
Hac fama templi passim resonante [92] sacrandi,
B Undique permultæ mox confluxere catervæ,
Optantes dici præsentes esse celebri.
Scilicet auroræ primo candore micante,
Omnis nostrarum collectim [93] turba sororum,
Susceptis patronorum gratulando piorum
Corporibus sacris, pergit resonantibus hymnis
Ad loca cœnobii summo conamine structi.
Tunc tandem cunctis ad cultum rite paratis
Festi, Wichbertus præsul (44) Domini benedictus
Dedicat hoc templum Domini sub honore decorum
Omnibus ad laudem sanctis per secla perennem,
Quorum nunc festum digne fuerat celebrandum.
Hoc [94] nam facta fuit clari sacratio templi,
Centum mansuris octo vicibus revolutis
Octonis denis, uno pariter superaucto,
Postquam virgo puellaris sine sorde pudoris
C Seclorum regem peperit propriumque [95] parentem.
Tunc cœpere locis primum silvestribus illis
Carmina divinæ laudis clare resonare.
Exin [96] et illius nostri collectio cœtus
Hic permansit Domino jugiter famulando.
Et licet abbatissa gregem Gerberga recentem
Caute servaret [97] crebris monitisque doceret [98],
Conservare suæ fuerant [99] quæ congrua vitæ
Contra propositum nec quid patrare profanum,
Domna tamen conversando [100] venerabilis Oda
Intra claustra monasterii cura vigilanti
Scrutatur conjunctarum persæpe sororum
Actus et studium, mores, vitæ quoque cursum,
Ne vel, contempta [101] majorem lege sequenda,
Vivere lege sua reprobe [102] præsumeret ulla,
D Vel locus illiciti foret ullius [103] peragendi,
Exemploque suo præmonstravit [104] facienda.
Et ceu prudentis [105] dulcis dilectio matris

Vers. 417

VARIÆ LECTIONES.

[80] *ita* 3. Cœlesti fera 1. 1b. [81] dominam 1. 1b. [82] te 1. 1b. [83] nitans 1b. [84] quodni 1. 1b. quoniam *conj.* 3. 4. [85] Bernhrad 2. 3. [86] i. s f. 1. [87] p. et o. *conj.* 3. *ex* 2. [88] *ita corrigo; cf. v.* 410. domina 1. 1b. [89] illic *conj.* 3. [90] *ita* 3. quid 1. 1b. [91] fasti 1. [92] resonate 1. 1b. [93] *ita* 3. collectum 1. 4b. [94] *scil.* festo. [95] *ita conj.* 3. proprianique 1. 1b. [96] Exin est 1. Exin et 1b. ex tunc 2. E. i. n. est c. 4. [97] *ita* 3. servare 1. 1b. [98] *ita* 3. docere 1. 1b. [99] fuerat 1. [100] conservano 1. [101] concepta 1. 1b. [102] reprobo 3. [103] *ita* 3. illius 1. 1b. [104] demonstravit 1. [105] pudentis 1.

NOTÆ.

(43) Nordmannorum, cf. Ann. Fuld. a. 880.

(44) Hildenesheimensis.

Nunc terrore suas [illegible].
Nunc etiam monitis [illegible].
Sic hæc sancta suas caras instruxit alumnas,
Nunc dominatricis mandando jure potentis,
Nunc [illegible]
Quo [106] vita [illegible]
Servirent regi, jubilant cui sidera cœli.
Præterea quas [illegible]
Nutrivit vere, magno veneratur honore,
Has ipsas [illegible]
Nam quoties neptes [107] [illegible],
Quos præpollentis [illegible],
Ejus ad implendum convenerunt famulatum,
Certantes donis illam donare coruscis,
Regis ut illustrem socrum propriamque parentem,
Illos mox verbis affari dicitur istis :
« Exortans moneo vos, o mea pignora cara,
Ut maturetis condignis primulæ [109] vestris
Muneribus nostras large ditescere domnas,
Hic servire piis debent quæ sedulo nostris
Patronis, quorum meritis, precibus quoque sacris
Successus nobis optatæ prosperitatis
Necnon [illegible]
Hac ratione suam stirpem persuaserat omnem
Erga cœnobii cultum pie sollicitari.
Et loca, quæ generi dono regis Hludowici
Possessura quidem proprium suscepit in usum,
Permittente sua pariter pietate benigna,
Ecclesiæ tradi faciebat Gandeshemensi.
Nec rex ipse locum sublimavit minus illum,
Liudgardis pia reginæ bonitate precante;
Sed tradens illi [110] largitur prædia multa (45)
In jus Gerbergæ, nostræ rectricis amandæ,
Ipsius illustris reginæ namque sororis.
Quem [111] (46) rex Arnulfus, successor scilicet hujus
Posthac per scriptum regali jure statutum
Firmat, vinctis ejus dono superauctis ;
Ac sic cœnobio succedunt prospera plura,
Summorum meritis intercedentibus almis
Pontificum, quorum constat sub honore dicatum.
Sed ne plus justo fragiles extollere mentes
Suaderet talis [112] successus prosperitatis
Utque probaretur felix nostri dominatrix,
Vere judicii salubris censu superni
Perplures horum mundo subtraxerat isto,
Quorum cœnobium fuerat solamine fultum.
Ergo rege pie jam defuncto Hludowico [113],
Qui regum [114] primus nostros tradebat in usus
Regali prius obsequio loca debita multa,
Vers. 466.

A Necnon [illegible]
Jura monasterii firmaverat omnia nostri (47) ;
Ejus post annos discessus denique paucos
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Non sine nostrarum magno rerum detrimento.
Cuinam consimilis successit causa doloris,
Abbatissa bonis Gerberg quia dedita curis,
[illegible]
[illegible]
Cœnobium donis ornavit sæpe coruscis,
Usibus et quæstum nostris superaddidit amplum,
Postquam bis denos binos quoque præfuit annos,
Officio vice rectricis perfuncta prioris,
B Deposito [117] fragilis mortali pondere carnis,
Factori flatum reddebat ab æthre receptum (*an.* 896) ;
Orbatumque sui dimisit ovile sorori
Christinæ procurandum sancteque tuendum.
Quæ præfatarum mores sectando suorum
Atque sui vitam bene præmeditando gerendam
Illis fit similis magnæ forma probitatis,
Quis [118] fuit æqualis [119] nobilitatis.
Mater et illius, stabilem corrumpere cujus
Mentem nullarum potuit mutatio rerum,
Quo minus obsequio Domini fieret studiosa,
Provocat exemplis illam, monitis quoque crebris,
[illegible]
Commissum caute sibimet servaret ovile,
Necnon factorum juxta meritum [121] variorum
Nunc pie subjectas monitis mulceret amicis,
C Nunc etiam verbis juste terreret acerbis,
Ne quem divini ritum cultus violari
Torpens affectus cordis permitteret ejus.
Ipsaque domna sui studio laudabilis Oda,
Quæ claris splendens radiis miræ bonitatis,
Sat dilecta Deo fuerat, celebris quoque mundo,
Semper maternæ solito pietatis amore
Ejus adoptivis studuit conquirere natis,
Quicquid nonnarum deposcere sciverat usum ;
Oddonisque [122] ducis clari devotio grandis
Concordando suæ votis [123] caræ genitricis,
Auxilio regum, quibus exhibuit famulatum,
Ipsum virgineum cœtum [124] Christi famularum
Fovit clementer, necnon provexit amanter.
Nec propriæ vitæ compelli quivit amore,
D Ut vel eas damno lædendo tangeret ullo,
Vel minus impleret, quæ mater digna juberet.
Ac sic concessæ sibimet per tempora vitæ
Vers. 515.

VARIÆ LECTIONES.

[106] Auod 1b. [107] *ita conj.* 3. cuncta 1. 1b. [108] nepts 1b. 4. [illegible] 1b. 4. [110] illi 1. 1b. illo *corr.* 3. [111] Qua *conj.* 3. Cui 4. [illegible] 1b. 4. [illegible] 1. Exstitit in 1b [illegible] juncta 4. [117] Deposito 1. 1b. 4. [illegible] 1. 1b profectu 3. [120] sapientem 1. 1b. 3. 4. [121] mentem 1b. 4. [illegible] 1. 1b. [124] castum 1.

NOTÆ.

(45) A. 877, Januar. 26. Orig. Guelf. IV. 377.
(46) scil. *locum*.
(47) A. 877. Januar. 26. Orig. Guelf. IV. 370.

Omni ferventis studuit conamine mentis
Cœnobio patronorum præbere suorum
Ipsius auxilii semper tutamina certi;
Nec vice terribilis metui petiit [125] senioris,
Sed bene mansueti genitoris ad instar amari.
Unde loco non immerito permansit in illo
Hactenus insignis laus illius pietatis.
Nos quoque permotæ tantæ dulcedine famæ,
Necdum maternis quæ tunc erupimus [126] alvis,
Sed fuimus vere longo post tempore natæ,
Haut [127] minus illius constanter amore flagramus [128],
Quam qui præsentem contemplabantur eumdem
Atque suæ donis ditabantur pietatis.
  Hic igitur talis præclaræ vir pietatis,
Qui pius [129] urbicolis tribuit bona talia nostris,
Morte sui matrem nostri domnamque potentem
Præveniendo prior, vetiti pro crimine pomi [130],
Quod protoplastes degustavere parentes,
Exuitur membris limoso stamine textis,
Pro dolor! atque seris clausit sua lumina [131] mortis (*an.* 912. *Nov.* 30.),
Cœtu nostrarum circumvallante sororum
Pernimio domni fletu lectum morituri.
Cujus ad exequias summo nisu celebrandas
Undique nostrates (48) confluxerunt lacrimantes [132],
Atque sui lethum cari senioris amarum
Omnes immodicis pariter flevere lamentis.
Sed luctum procerum, vulgi pariterqne lamentum,
Vicit nonnarum miseranda querela suarum;
Quæ pro defectu mentis [133] solito muliebris
Vivere spernentes, citiusque mori cupientes,
In lacrumando modum voluerunt ponere nullum.
Hinc patris ejusdem cari dominique benigni
Corpus per triduum conservabant inhumatum
Ceu sese lacrimis sperarent posse refusis
Extincti flatum citius revocare reductum.
Tandem consilium sapiens satis advenientum
Decernens vanæ [134] spsi debere reniti,
Ocius in tumulo non absque dolore parato,
Sed luctu nimio circumstantium [135] madefacto,
Membra ducis tanti digne servanda locari

A Fecit in ecclesiæ medio, quam stuxerat ipse.
Illic nostrarum studio certante sororum,
Continuis precibus dilectus spiritus ejus
Semper Celsithroni [136] commendatur pietati,
Quo det [137] ei requiem clemens sine fine perennem.
  Scilicet ante dies octo totidem quoque noctes,
Quam ducis occasus miserabilis accidit hujus,
Ipsius nato, regi quandoque futuro,
Nascitur Henrico famosus filius Oddo,
Qui fuit electus regis pietate perennis
Primus Saxonum rex post patrem strenuorum
Augustus Romanorum pariterque potentum.
  Mensibus hinc senis cursu volitante peractis (*An.* 913. *Mai.*)
Dum decus hoc tanti [138] clarum generis fuit ortum,
B In quo læta procul dubio promissa repleta
Christi baptistæ creduntur primitus esse,
Istius exiguæ quæ mox in vertice Musæ
Ædæ [139] namque suæ memini fore dicti parenti,
Oda nimis felix, nostri spes dominatrix,
Quum decies denos septem quoque vixerat annos,
Vitam fine bono consummans [140] transit ad astra,
Exspectans spe felici tempus redeundi
Flatus, atque resurgendi de pulvere pleni
Corporis in tumulo, quod nunc sub tegmine duro
Juxta natarum resquiscit busta suarum.
  Nec Christina, suis quæ sola remansit alumnis,
Jam tunc instantis grandis dulcedo doloris,
Plus quam bis ternos post matrem vixerat annos;
Sed reddens animam. Factore vocante beatam (*an.* 919),
C Jungitur in lucis patria pacisque perennis
Ejus germanis, quarum pollebat honoris
Heres et sanctæ sectatrix inclita vitæ.
Quas matri cunctas in cœlo consociatas,
Alme Pater, tecum præsta gaudere per ævum [141],
Illius [142] boni mercede perenniter uti,
Quod retro cuncta tuis servasti secula caris,
Quo te cum Nato necnon cum Flamine sacro
Solum rectorem cœlestis imperitantem
Dulci [143] lætitiæ laudemus [144] voce jocundæ.

VARIÆ LECTIONES.

[125] *ita* 1b. 4. potuit 1. 3. [126] *ita conj.* 3. nunque rumpimus 1. nunquam rumpimus 1b [127] Hanc 1. [128] flagrari 1. [129] prius 1. [130] poni 1b. 4. [131] *ita* 1b limina. 1. [132] lacrymantes 1. [133] *ita* 2. meritis 1. 1b. [134] *ita* 3. variæ 1. 1b. [135] circumstantum 4. [136] celsithronæ 4. [137] *ita* 3. Quod et 1. 1b. [138] ita 3. hortanti 1. 1b. [139] *ita* 4. Adæ 1. 1b. [140] *ita corrigo;* consumens 1. 1b. 4. [141] *ita conj.* 3. eum 1. 1b. [142] Illiusque 3. 4. [143] Dulces 1b. 4. [144] *ita* 3. laudantes 1. 1b.

NOTÆ.

(48) Saxones.

CARMEN DE GESTIS ODONIS I IMPERATORIS.

HROTSUITHÆ PRÆFATIO

AD GERBERGAM ABBATISSAM GANDERSHEIMENSEM

Gerbergæ illustri abbatissæ, cui pro sui eminentia probitatis haut minor obsequela venerationi, quam pro insigni regalis stemmate generositatis, Hrotsuit Gandeshemensis, ultima ultimarum sub hujusmodi personæ dominio militantium, quod famula eræ [145].

O mea domna, quæ rutilanti spiritalis varietate sapientiæ perducetis, non pigescat vestri almitatem [146] perlustrare, quod vestra [147] confectum non [148] ignoratis ex jussione. Id quidem oneris mihi inposuistis, ut gesta cæsaris augusti, quæ nec auditu unquam affatim valui colligere, metrica percurrerem ratione. In hujus sudore progressionis quantum meæ insciciæ difficultatis obstiterit, ipsa conjicere [149] potestis; qua hæc eadem nec prius scripta repperi, nec ab aliquo digestim [150] sufficienterque dicta elicere quivi, sed veluti si aliquis nescius ignoti per latitudinem saltus iturus, ubi omnis semita nivali densitate velaretur obducta, hicque nullo duce, sed solo præmonstrantium nutu inductus, nunc per devia erraret, nunc recti tramitem callis improvise incurreret, donec tandem emensa arboreæ medietate spissitudinis, locum optatæ comprehenderet quietis, illicque gradum figens, ulterius progredi non præsumeret, usque dum vel alio superveniente, induceretur, vel præcedentis vestigia subsequeretur, — haut aliter ego magnificarum prolixitatem rerum jussa ingredi, regalium multiplicitate gestorum nutando et vacillante ægerrime transcurri [151], hisque a[illegible] pensando silesco, nec augustalis proceritatem excellentiæ sine ducatu approno subire. Si enim facundissimis dissertissimorum sententiis, quas vel modo scriptas vel otius de hic rebus non dubito fore scribendas, fuerim animata, fortasse nanciscerer unde mei rusticitas velaretur aliquantisper. Nunc autem omne latus tanto magis caret defensione, quanto nimus ulla fulcitur auctoritate; unde etiam vereor, me temeritatis argui tendiculasque multorum non devitare convitii, eo quod pompis [152] facetæ urbanitatis exponenda eloquentius, præsumpserim dehonestare inculti vilitate sermonis. Si tamen sanæ mentis examen accesserit, quæ res recte pensare non nescit, quanto sexus fragilior scientiaque minor, tanta venia erit facilior; præsertim cum non [153] meæ præsumptionis, sed vestrum [154] causa jussionis hujus stamen opusculi cœperim ordiri. Cur tamen aliorum juditia formido, quæ vestri solummodo censuræ, si quid fefelli, obnoxia existo? vel cur nequeam devitare convicia, quæ solummodo silentio studere debeo, ne si seriem pro sui vilitate nulli ostendendam velim propalari, merito omnium succumbam reprehensioni [155]? Vestro autem vestrique familiarissimi, cui hanc rusticitatem sanxistis præsentatum iri, scilicet archipræsulis Willelmi, judicio, quoquomodo factum sit, æstimandum relinquo.

AD ODDONEM I IMPERATOREM.

Pollens imperii regnator cæsariami
Oddo, qui regis pietate fovente perennis
In sceptris augustalis præclarus honoris
Augustos omnes superas pietate priores,
Quem plures gentes passim metuunt habitantes,
Muneribus variis Romanus donat et orbis:
Exiguum munus ne spernas carminis hujus,
Iste sed oblatus laudum placeat tibi census,
Quem postrema gregis solvit tibi Gandeshemensis,
Quem dulcis patrum collegit cura tuorum,
Continuumque tibi debet studium famulandi.
Forsan gestorum plures scripsere tuorum
Et sunt scripturi post hæc insignia multi;
Sed non exemplum quisquam mihi præbuit horum,
Nec [156] scribenda prius scripti docuere libelli,
Causa sed est operis tantum devotio mentis.
Hæc et ad audendum suadebat opus metuendum;
Nam sat formido, quod geste tui modulando
Incaute sim falsa sequens, non vera retexens;
Sed non hoc suasit mala mis [157] præsumptio mentis,
Nec summa veri contempta sponte fefelli;
Sed res ut scripsi sese sic prorsus habere

VARIÆ LECTIONES.

[145] *i. e.* heræ. [146] almie 1. [147] *ita Reuber.* vestro 1. [148] *ita* 2. si 1. [149] *ita* 1. [150] *ita* 2. digestum 1. [151] *ita legendum esse videtur.* transcurre 1 transcurre 2. [152] pomposis 1 verbis pomposis 2. [153] *ita* 2. si 1. [154] *ita* 1. vestræ *Reuber.* [155] represensioni 1. [156] *ita recte edd.* Hec, *littera* II *rubra*, 1. [157] *i et* mei.

Ipsi dicebant mihi, qui scribenda ferebant.
Hinc augustali pietas non spernat, honoris
Quod simplex humilis gessit devotio mentis.
Et cum te libri laudantes congrue multi
Post hæc scribantur [158] meritoque placere pro-
[bentur.
Ordine postremus non sit tamen iste libellus,
A Quem prius exemplo constat scriptum fore nullo,
Et licet imperii teneas decus Octaviani,
Non dedigneris vocitari nomine regis,
Donec perscripto vitæ regalis honore,
Ordine digesto necnon sermone decoro
Dicatur sceptri decus imperiale secundi.

AD ODONEM II IMPERATOREM.

Oddo Romani præfulgens gemmula regni,
Oddonis flos augusti splendens venerandi,
Cui rex altithronus, perpes quoque filius ejus,
Præstitit imperium pollens in vertice rerum :
Vilem ne spernas vilis textum monialis,
Quem præsentari, si digneris reminisci,
Ipse tui claris jussisti nuper ocellis,
Et cum perspicias maculis sordescere crebris
Ad celerem [159] tanto veniam mox pronior esto.
In monstrando, tuis quantum plus parco jussis,
Si tis [160] præcepto non urgerer metuendo,
Non foret, ullo [161] modo mihimet fiducia tanta,
Ut tibi præsentis scrutandum rusticitatis
Auderem [162] satis exiguum præferre [163] libellum ;
Qui præstante Deo patri subjunctus in aula,
Ipsius et monitis [164] promptus parere paternis,
Par decus imperii retines concorditer ampli,
Comportans dextra sceptrum regale tenella.
Sed quia te memini sublimiter assimilari
Nato famosi regis David Salomoni,
Qui genitore suo præsente jubenteque sancto
Optata regnum suscepit pace paternum,
Ipsius exemplo te contentum fore spero ;
B Qui cum regnando resideret in arce superba,
Prudenter legum condens decrata sacrarum
Ac penetrans animo rerum secreta profundo,
Nunc libet et minimis mentem laxare rimandis,
Sed nec conflictum fastidit rite duarum
Solvere juditii celeri discrimine recti,
Prolem restitui veræ mandans genitrici.
Hinc supplex te posco quidem nostrum Salomonem
Et licet imperii tenearis sollicitandi
Cura, digneris tamen et propriæ monialis
Ludendo [165] seriem nunc lectitare recentem,
Quo male compositis verbis mox decidat omnis
Rusticitas, oris detractibus imperialis (49)
Nominis et titulo signata tui venerando
C Despectus nimia meriti tuantur ab aura.

INCIPIT HISTORIA.

Postquam rex regum, qui solus in ævum
Per se cunctorum transmutans tempora regum,
Jussit Francorum transferri nobile regnum
Ad claram gentem Saxonum [166] (*an.* 919), nomen
[habentem
Ad saxo per duriciam mentis bene firmam,
Filius Oddonis magni ducis et venerandi,
Scilicet Henricus, suscepit regia primus [renda.
Fausto [167] pro populo [168] moderamine sceptra ge-
Hic pollens quantæ fuerat bonitatis honore,
Et quanta populos rexit pietate subactos,
Qualiter et reges meritis tunc temporis omnes
Præminet eximiis, excedit denique vilis
Hujus carminuli textum nimium viciosi.
Nam fuit immitis reprobis, blandus quoque justis,
Summo conservans studio legalia jura,
Vers. 15.
D Æqua satis meritis reddens quoque præmia cunctis,
Huic rex pacificus dederat de sidere [169] Christus
Ejus civilem vitæ per tempora pacem ;
Omine felici tenuit quoque culmina regni,
Ni fallor, denos labentis temporis annos
Necnon bis ternos multum feliciter actos,
Conregnante sua Mathilda conjuge clara,
Cui [170] nunc in regno non compensabitur ulla,
Quæ posset meritis illam superare supremis.
Trina quibus Deitas dederat tres denique natos,
Jam tunc, felici disponendo pie genti,
Ne post Henrici mortem, regis venerandi,
Imperium regni male surriperent scelerosi,
Hi sed regalis nati de germine stirpis
Rexissent regnum concordi pace paternum,
Quamvis dissimiles his servarentur honores,
Vers. 31.

VARIÆ LECTIONES.

[158] *ita* 1. *et Schurzfleich.* [159] scelerem *corr.* celerem 1. [160] *i. e.* tui. [161] *ita* 1 et *Schurzfl.* [162] Audarem. [163] perferre *edd.* [164] *ita* 2, monitus proptus parare 1. [165] *ita corrigeto*, Lugendo 1, Transcurrens *correxit* 2. [166] saxorum *corr.* saxonum 1. [167] Justo *correxit et edidit* 2. [168] populi *Meib.* [169] dessidere *corr.* de sidere 1. [170] Qui 1, *correxit* 2.

NOTÆ.

(49) Id est detracta aspectu regis.

Binis regnanti subjectis scilicet uni.
Inter quos primus fulsit ceu lucifer ortus
Oddo, micans radiis nimium claræ bonitatis,
Gratia quem regis solita pietate perennis
Rectorem plebi prævidit rite fideli.
Hic ætate prior fuerat, meritis quoque major,
Congruus et sceptris defuncto patre gerendis.
Non opus est, verbis ejus summam probitatis
Dicere, vel pueri meritum laudabile tanti,
Cui Christus talem jam nunc augescit [171] honorem,
Possidet ut Romam pollenti jure superbam,
Quæ semper stabilis summum fuerat caput orbis,
Edomat et gentes, Christo favente, feroces,
Quæ prius ecclesiam laniabant sæpe sacratam.
Post hunc Henricus fuerat feliciter ortus,
Inpositoquepatris famosus nomine regis,
Provida quem domini pariter sapientia Christi
Dignatur (50) servare ducem populo bene fortem,
Belliger ut fortis, belli doctissimus artis,
Fortiter ecclesiam præmuniret venerandam,
Ceu murus jaculis obstans fortissimus hostis.
Post hunc ecclesiæ pastor Brun nascitur almæ,
Gratia pontificis quem duxit summa perennis
Dignum catholici curam gestare popelli;
Hinc quoque divino nutu patris pia cura
Ipsum [172] servitio Christi fecit religari [173],
Abstractum gremio caræ nutricis amando,
Ut regni pompis posset constare relictis
Miles stelligera semper regnantis in aula.
At Christus, Patris sapientia vera perennis,
Tironem refovendo suum clementius istum
Ipsi dona dedit tantæ præclara sophiæ,
Quod non est (51) illo penitus sapientior ullus
Inter mortales fragilis mundi sapientes.
His igitur pueris regali more nutritis,
Ipsorum patri famoso denique regi
Henrico placuit, factis quod rite replevit,
Ut, vitæ calidas sospes dum carperet auras,
Ipse suo primogenito regique futuro
Oddoni dignam jam disponsaret amicam,
Quæ propriæ proli digne posset sociari (*an.* 929).
Hanc non in proprio [174] voluit conquirere regno,
Trans mare legatos sed transmisit bene cautos
Gentis ad Anglorum terram sat deliciosam,
Demandans, ut continuo cum munere [175] misso
Ædwardi regis natam petereut Eaditham,
Quæ patre (52) defuncto jam tunc residebat in aula,
Fratre (53) suo regni sceptrum gestante paterni;
Quem peperit regi consors non inclita regni,
Vers. 80.

A Istius egregiæ genitrix clarissima domnæ,
Altera sed generis mulier [176] satis inferioris (54).
Hæc nam versiculis proles quam scriptito regis,
Hæc, inquam, domina cunctis fuerat bene nota;
Nobilitate potens, pietatis moribus quoque pollens,
Edita magnorum summo de germine regum.
Cujus præclaro facies candore serena,
Regalis formæ miro rutilabat honore;
Ipsaque perfecte redolens dulcedine bonitatis,
In patria talis meruit præconia laudis,
Ut fore judicio plebis decernitur omnis
Optima cunctarum, quæ tunc fuerant, mulierum.
Nec mirum meritis si lucebat bene primis,
Germen sanctorum quam producebat avorum;
Hanc tradunt ergo natam de stirpe beata
B Oswaldi regis, laudem cujus canit orbis,
Se quia subdiderat morti pro nomine Christi (55).
At regis nostri venientes denique missi
Ad fratrem domnæ jam tunc residentis in arce,
Illi nudabant, quæcumque secreta ferebant.
Quæ sibi percerte comperta satis placuere,
Moxque suæ dulci narrabat voce sorori,
Exortans illam regi parere fideli,
Illam qui propriæ proli voluit sociari.
Cumque suæ monitis menti instillaret amicis
Oddonis dulcem, pueri regalis, amorem,
Collegit innumeras summo conamine gazas.
Ast ubi collecti visum fuerat satis ipsi,
Prædictam sociis domnam comitantibus aptis
Trans mare percerte summo direxit honore
Condonans illi gazas nimium preciosas.
C Necnon germanam secum transmisit Adivam (56),
Quæ fuit ætatis meriti pariterque minoris,
Quo sic majorem prorsus conferret honorem
Oddoni, nato famosi regis amando,
Egregie binas stirpis mittendo puellas,
Ut sibi quam vellet sponsam licito sociaret
Aspectu primo sed mox Eadit veneranda,
Jure placens cunctis habitu [177] summæ bonitatis,
Regali nato censetur congrue digna.
Hæc illi dulcem peperit clarissima prolem
Nomine Liudulfum, tantis genitoribus aptum,
Quem populus merito dilexit amore tenello,
Exoptans prolongari vitam satis ipsi.
Histis sic habitis, instabat denique finis
Henrici regis, cujus mortem gemit omnis
D Illius imperio populus jurique subactus.
Quo nam defuncto (*an.* 936), regnum susceperat [Oddo,
Ejusdem primogenitus regis venerandus,
Vers. 129.

VARIÆ LECTIONES.

[171] augessit 1. [172] *Meib. versui huic sequentem præmittit.* [173] religali 1. [174] propria 1. [175] *ita restituo;* commune 1. tardamine 2. [176] milier 1. [177] habitus 1.

NOTÆ.

(50) Id est dignata est.
(51) An loco *fuit?* Præsens supra v. 49 usitatum dubium facit, utrum hic de vivo an de jam defuncto Brunone sermo sit.
(52) Eadwardo.
(53) Æthelstano.
(54) Egvina: mater Eadgithæ fuit Elfleda.
(55) Cf. Bedæ Hist. Angl. III, 2-9.
(56) Cf. Willelmi Malmesb. et Ingulphi narrationes.

Et voto cuncti jam respondente popelli,
Unguitur in regem, Christo præstante, potentem.
Cui rex gratiolæ cœli munuscula tantæ
Contulit, ut digne cunctis celeberrimus ipse
Gestorum reges fama præcelleret omnes,
Oceanus refluis quos jam circumfluit undis.
Insuper e tantis ipsum sacra dextra potentis
Protegit insidiis occulta fraude paratis.
Et tam magnificis ornat persæpe triumphis.
Ut credas, regem David regnare fidelem,
Jam nunc antiquis fulgentem rite triumphis.
Nec solum gentes frenis moderat bonitatis,
Quæ prius imperio patris dederant sua colla,
Sed multo plures certe sibi vindicat ipse,
Subdens gentiles Christi servis ditiones,
Quo pax ecclesiæ fieret [178] stabilita sacratæ.
Ad bellum certe quoties processerat ipse,
Non fuit [179] populus, quamvis virtute superbus,
Lædere qui posset vel exsuperare valerat
Ipsum cœlestis fultum solamine regis;
Ejus nec cessit telis exercitus ullis,
Ni sua supernendo forsan regalia jussa
Illic pugnaret, quo rex idem prohiberet.
At dux Henricus, frater regis venerandus,
Princeps in regno fuerat tunc nempe quieto
Post regem, plebi merito venerabilis omni;
Qui sibi condigne legali junxit amore
Arnulfi natam. (*an.* 938), ducis egregii, generosam,
Nomine Judittam, vultus splendore coruscam
Ac fulgore magis cunctæ nitidam bonitatis.
His ita digestis, fuerat pax undique nostris
Ad tempus modicum libitoque minus popularum
Bellorum certe sævo clangore tacente.
O quam tranquillum ridens deduceret ævum
Fortunata satis nostræ res publica gentis,
Quæ nimis imperio regis regitur sapientis,
Si non antiqui mala calliditas inimici
Turbaret nostrum secreta fraude serenum!
Denique devictis aligenorum [180] bene telis,
Exoritur nostris subito discordia fortis,
Læserat et plebem bellum civile fidelem
Plus quam bellorum structura frequens variorum.
Hujus causa mali fuerat non parva dolendi
Denique conflictus quorundam non moderatus,
Ex quibus Henrico quædam pars mente benigna
Devovit regis fratri [181] jus vernulitatis,
Pars Evurhardo comiti studium famulandi.
At cum quisque sui peteret solamina domni,
Hinc gravior dominis discordia nascitur ipsis.
Tandem per certe conflictu progrediente,
Prædictus præses male collectas legiones
Mox ad castellum Baduliki (57) capiendum
Vers. 181.

A Ex improviso mittens sub nocte nigella,
Duxit captivum fratrem regis generosum,
Henricum, vinclis palmas stringendo cruentis
Ejus candidolas, ornamentis magis aptas;
Atque suas gazas disperdens innumerosas [182]
Ad sua mox prolem secum deduxit herilem,
Utitur ut socio proprii domini quoque nato.
Quo rex comperto, mœrens sub corde secreto,
Deflevit tristis nimium miserabile factum;
Vix quoque germani damnum paciens grave cari,
Nobile mox Abrahæ factum sequitur patriarchæ,
Quod miserans egit dum Loth ex hoste redemit;
Militibusque suis summo conamine lectis,
Necnon immodica tota de gente caterva,
Pompa regali pergit solamina fratri
B Ferre, sub ingenti cordis languore, dolore [183].
Nec mora, quem venit fratrem refovere, redemit,
Auctores tanti condempnavitque piacli,
Suspendens quosdam ligno reprobis reparato,
Quosdam de patria mandans discedere cara.
(*An.* 939.) His bene dispositis regis jussu sapientis,
Protulit antiqui rursum mala fraus inimici
Inventum sceleris primo mage deterioris [184],
Cunctis horrendum seclis [185] meritoque stupendum.
Denique prædictus postquam rediens Evurhardus
Præses ab exilio, patriam remeabat [186] amandam,
Hoc sibi graciola regis præstante benigna,
Gislbertho comiti vinclis sociatus amoris,
Consilium dederat, quod non tibi Christe placebat!
Ut caperent justum regem Domini benedictum,
Et quod plus, justo non justam vim faciendo,
C Illum mox proprio deprivarent male regno.
Hoc quoque consilium perversa mente repertum
Henrico regis fratri suasere fideles,
Mulcentes nimium verbis ipsum male blandis,
Quo prius illatum nollet jam reddere damnum,
Ipsorum votis sed plus parendo nefandis,
Susciperet regnum, depulso fratre, regendum.
Qui male blanditis tandem victus suadelis,
Pro dolor! ipsorum se promisit fore promptum
Votis, ac firmis hoc confirmaverat orsis;
Sed spero certe, non se sic corde tenere,
Illis consensum sed vi præbere coactum.
Qui male namque spei vacuæ solamine capti,
Sperabant regem populos olim dominantem
Ipsorum fragili citius subjungere juri;
D Sed rex de cœlis, judex æquissimus orbis,
Cunctorum solus qui cognoscit cogitatus
Vanaque [187] mortalis potis est disperdere cordis,
Commentum tanti sceleris virtute potentis
Dextræ confregit, qua cuncta creata creavit;
Scilicet insidias christo Domini [188] reparatas
Vers. 233.

VARIÆ LECTIONES.

[178] fiere 1. [179] Nullus erat 2. [180] alienigenum 2. [181] *ita* 2. regi fratris 1. [182] innumerosos 1. [183] dolenti 2. [184] *ita* 2. deteriores 1. [185] *ita* 2. sedis 1. [186] remebat 1. [187] *ita corrigo;* Eua namque 1. — Quanam 2. [188] *ita corrigo;* christi domino 1 *et edd.*

NOTÆ.

(57) Belike, e meridie civitatis Lippstadt.

Vertit in auctores tanti meritoque piacli ;
Quique suo laqueos domino tendere malignos,
Ex ipsis ipsi primum sunt illaqueati.
Non me plus licito tantæ sophiæ fore [189] jacto,
Ut sperem plene verbis edicere [190] posse,
Quanta graciolæ Christus virtute supernæ
Sæpius hunc ipsum regem digne benedictum
Fecit multiplices salvum percurrere fraudes
Necnon insidias hostili parte paratas ;
Sed nec hoc fragilis fas esse reor mulieris
Inter cœnobii positæ secreta quieti,
Ut bellum dictet, quod non cognoscere debet :
Hæc perfectorum sunt conservanda virorum.
Principium quod cunctorum finis quoque regum,
Hoc dico solum, recte quod dicere possum.
Sudori quis [191] posse dedit sapientia mentis
Omnia compositis sapienter dicere verbis ?
Qui solus semper fecit miranda potenter.
Quique David regem toties de fraude fidelem
Eripiens Sauli, sceptrum regni dedit ipsi,
Hunc pariter regem (58) David pietate sequentem
Protexit de millenis persæpe periclis.
Denique cum solus, perpauco milite septus,
Esset ab adversis circumdatus undique turmis,
Insuper atque fugam propriæ partis male factam
Pectore mœrenti ferret nimiumque dolenti,
Credere nec paucis sese præsumeret ipsis,
Illum qui reliquis non deseruere relapsis,
Sed ratus tantum, se mox graviter moriturum :
Otius auxilii fultus virtute superni,
Miratur turbæ se jam superare cruentæ
Tantas absque suæ fraudes discrimine vitæ.
At si forte suos, pugna crescente sinistra,
Audivit socios lætali vulnere læsos,
Prædicti regis lacrimans mox utitur orsis,
Quæ morens dixit, tristi cum pectore sensit
Ictibus angelici populum gladii periturum :
« En, qui peccavi, dixit, facinusque peregi (59),
Hinc ego vindictæ dignus sum denique tantæ !
Hi quid fecerunt damnum qui tale tulerunt ?
Jam nunc, Christe, tuis parcens miserere redemptis,
Ne premat insontes justo plus vis inimica ! »
Has igitur perculas miserans divina potestas,
Parcebat regis solita pietate ministris,
Et dedit optatum miserans ex hoste triumphum,
Justo prædictos comites examine perdens.
Ipso namque die, quo decepti vacua spe,
Speravere suis constringendum fore vinclis
Regem, qui merito tenuit regalia sceptra,
Ex inproviso præses proruperat Udo,
Adducendo quidem multam secum legionem,
Ac subiit validum forti luctamine bellum.
Vers. 285.

A Nec mora, percussus periit gladio Evurhardus,
Gislberhtus sævis fugiens quoque mergitur undis.
At rex interea nescit tam fortia bella,
Averso quidni (60) residens in littore Reni,
Nec tunc auxilio sensit solamine tanti,
Jam [illegible] Deo, [illegible] sibi missa.
Denique dum pugnæ sensit discrimina famæ
Haut gaudens [illegible] de morte suorum,
Sed plus tantorum mœrens de corde virorum,
Sumpsit non modicum, Davidis more [192], lamentum,
Qui super occisum doluit regem pie Saulum.
Ast ubi victores læti venere, videntes
Ilius fusis vultum lacrimis madefactum,
Haut aptum tanto luctum dixere triumpho,
Sed reddi grates regi debere perenni,
B Qui tunc impleri fecit pietate fideli
Quod patet in libro regis scriptum Salomonis,
Dicentis, justum de tristicia liberandum
Necnon injustum pro justo mox fore dandum (61).
His mentem regis demulcendo suadelis,
Ipsum tristiciam cogunt deponere tantam,
Et bene victrici congaudentem legioni
Se post bella suis blandum præbere ministris.
Qui nam læticiam vultu monstrans moderatam,
Sed clam subtristem servans in corde dolorem
Reddebat gratres imo de pectore Christo,
Non dederat propriis ipsum quia tunc inimicis
Prædam, sed dextra protegit rite superna.
Ipsius titulum tanti clarumque triumphi
Non sibi, sed Christi designavit pietate [193].
(*An.* 941.) His ita digestis, modicum tempus requievit
C Civilis belli populus luctamine lassus.
Sed nec sic veteris finem sumpsit dolus hostis,
Qui semper fragiles temptat pervertere mentes,
Post factum facinus suadens superaddere pejus.
Fertur percerte quorundam pectora [194] bile
Tanto pestiferi tandem penetrare veneni,
Ut mortem regi vellent inferre fideli,
Ipsius et fratrem populo præponere regem ;
Nec timuere diem paschæ (*April.* 18) sanctum maculare,
Si posset fieri fuso cum sanguine justi.
Sed non consensit tanti commissa piacli
Agnus paschalis, qui pro nobis redimendis
Se dedit electum patri moriens holocaustum ;
Sed mox consilium cunctis nudavit eorum,
Et sic insontis salvatus erat bene sanguis ;
D Quique rei placiti [195] sunt inventi scelerosi,
Pro modulo culpæ pœnis damnantur amaris :
Quidam judicio quidni dantur [196] capitali,
Quidam de patria longe pelluntur amanda.
Post hæc Henricus frater regis generosus,
Christi gratiola tactus sub corde secreto,
Vers. 337.

VARIÆ LECTIONES.

[189] *ita* 2. forte 1. [190] v. me e. 2. [191] Sudori. quis 1. [192] *ita* 2, mere 1. [193] *i. e.* pietati. [194] *ita* 1. *et Schurzfleisch.* [195] *ita* 1 *bene* : *h. e.* et qui inventi sunt rei placiti scelerosi. [196] condemnantur 2.

NOTÆ.

(58) Ottonem.
(59) II Sam. XXIV, 17.
(60) *I.* e. quidem.
(61) Prov. XI, 8.

Secum tractavit summoque dolore revolvit,
Contra justiciam quicquid perteccerat unquam.
Hoc quoque deflevit nimiis persæpe lamentis,
Quod male blanditis horum cessit suadelis,
Ipsum qui verbis corruperunt simulatis.
Sed quamvis talem ferret sub corde dolorem,
Præsentare tamen spacii per tempora longi
Non se regali præsumebat faciei;
Absens sed cordis studio florente dolentis
Optabat, veniæ dari munus sibi dulce.
Tandem percerte forti devictus amore,
Illico pœnalem proicit de corde timorem,
Et sub nocturnis nimium secreto tenebris
Adveniens, in regalem se contulit urbem (*Dec.* 25),
In qua natalem regis celebrare perennis
Rex pius obsequiis cœpit sollempniter aptis;
Depositisque suis ornamentis preciosis,
Simplicis et tenuis fruitur velamine vestis,
Inter [197] sacratos noctis venerabilis hymnos
Intrans nudatis templi sacra limina plantis.
Nec horret hiemis sævum frigus furientis,
Sed prono sacram vultu prostratus ad aram,
Corpus frigoreæ sociavit nobile terræ,
Sic sic mœrentis toto conamine cordis
Exoptans veniæ dux præstari sibi munus [198].
Quo rex comperto, victus pietate benigna
Instantisque memor festi cunctis venerandi,
In quo cœlicolæ pacem mundo cecinere,
Læti rege suo tenera de virgine nato
Ut pie salvaret mundum merito periturum,
Pro diei tantæ pacem portantis honore
Condoluit, miserans fratri commissa fatenti,
Atque suam pie gratiolam concessit habendam
Illi cum veniæ dilecto munere plenæ;
Necnon post aliquot spatii tempuscula parvi (*an.*946)
Ipsius juri proceres subjunxerat omnes
Famosæ nimium gentis Bajoariorum,
Ipsum nempe ducem merito faciendo potentem.
Et post hæc ultra fuerat discordia nulla
Inter eos, animis fraterno fœdere junctis.
Avaresque [199] (62) per hunc sævi sæpissime victi,
Post hæc Oddonis [200] regnum regis spatiosum
Non lædunt telis consueto more cruentis,
Tangere nec contingentes audent nationes,
Ex terrore ducis tanti nimium tremefacti;
Hic quia prudentis functus valitudine mentis,
His hominum monstris bellis obstans iteratis,
Ad nos pergendi calles secluserat omnes.
Insuper et primus, Christi de [201] nomine tutus,
Audenter cum subjectæ plebis legione
Ejusdem populi patriam petiit scelerosi,
Vers. 388.

A Inpugnans gentem cunctis retro namque rebellem
Scilicet, et spoliis rerum captis variarum,
Quas sibi communes collegerunt prius hostes
Orbis perplures devastantes regiones,
Uxores procerum, soboles rapuit quoque dulces;
Et sic prostratis rediit gaudens inimicis.
Istis [202] sic habitis, properata diecula tristis
Venerat (*Jan.*26), ingentem nostris augendo dolorem,
In qua præfulgens meritis regina supremis
Ædit præsentis vitæ discessit ab horis,
Ipsius imperio genti faciens famulanti
Tristiciam necnon nimium cordis cruciatum
Ejus in abcessu; magno quam denique luctu
Et non inmerito flevit plebecula cuncta,
Quam plus maternæ fovit pietatis amore,
Quam dominatricis jussis confringeret artis.
B Cui licet a Christo requiem sine fine perennem
Necnon lætitiam justis retro reparatam
Præstari citius jam non dubitaverit ullus,
Qui meritum vitæ scivit laudabile castæ
Ipsius ac mitem gessit quam denique mentem;
Attamen humanæ pro consuetudine causæ
Non mirum, populus planctum si sumpsit amarum,
Dum sibi tam subito fuerat spes tanta retracta.
Et facies domnæ nimium regalis amandæ
Necnon subjecti præfulgens gloria regni
Mandatur terræ, gremio servanda sub amplo,
Donec assurgat, non corruptumque resumat,
Quod nunc includit tumulus, prænobile corpus
Hæc igitur puerum supra paucis memoratum
Acriter orbatum dimittebat Liudulfum,
C Feminei dulcem sexus unam quoque prolem,
Nomine Liudgardam, summa bonitate coruscam,
Moribus et facie similem matri venerandæ.
In quas percerte soboles mox stirpis amandæ
Affectu cordis populus [203] deducitur omnis
Magno, pro meritis summis utriusque parentis.
Sed magis ac juste dulci fervebat amore
Ergo regalem puerum dominum Liudulfum,
Ipsum spe mentis tota complexus amantis.
Hicque sibi naturales imitans bene mores,
Extiterat cunctis blandus dulcedine mentis,
Mansuetus, clemens, humilis, nimiumque fidelis.
Hinc quoque graciolam, Christo præstante benigno
Tantam promeruit, meritam digneque recepit
Gentibus in [204] cunctis patris imperio religatis,
D Ut quicumque suæ saltim perpaucula famæ
Verbula conciperet latebris propensius auris,
Ipsius in dulcem totus raperetur amorem,
Absentem venerans animis dominum studiosis.
Quem pater egregius, rex et senior venerandus,
Vers. 439.

VARIÆ LECTIONES.

[197] *ita* 2 Iter 1. [198] *ita corrigo;* Exoptans præstari veniæ munus, sibi dux 1. *Celtes emendat:* Optans p. v. m. s. dulcis. [199] Avarosque *corr.* Avaresque 1. [200] Ottonis 1. [201] *vocem inserui;* bene 2. [202] *Hoc loco codex non distinguit.* [203] *ita* 2. populi 1. [204] *ita* 1 *et Schurzfl.*

NOTÆ.

(62) Id est Ungri.

Dilectæ matris mortem graviter pacientem,
Affectu patrio necnon pietate benigna
Digno [205] percerte jam sublimavit honore,
Subjecti faciens regni digne dominari.
Necnon Liudgardam simili causa venerandam
Unica feminei quæ spes sexus fuit illi,
Graciola parili coluit, provexit, amavit.
Hanc quoque Conrado vinclis sociavit amoris,
Egregio strenuoque duci, nimium quoque forti,
Munere qui talis dignus constabat honoris.
Utque suo subdi nato [206] faceret Liudulfo
Multum devotæ perfecto mentis amore
Francorum gentis dominos prænobilis almos,
Necnon primates Suevorum scilicet omnes,
Ipsi legali præpulchram fœdere jungi
Idam jussit, Herimanni natam ducis almi,
Qui fuit illustris princeps in partibus illis.
Hæc quoque regalis fuerat consortia prolis
Pro meritis propriæ probitatis digna subire,
Ac vice reginæ summo veneratur (63) honore,
Rege jubente quidem per consuetam pietatem
Illam nec habitare locis voluit segregatis
Rex idem, nati digne succensus amore,
Sed ceu reginam regnum transire per amplum,
Quo sic dilectus sentiret filius ejus
Dultia graciolæ semper munuscula magnæ,
Ipsi cum sponsa regni sociatus in aula.
Interea rex Italicus gravido Hlotharius
Infectus morbo, mundo discessit ab isto (*an.* 950
Italiæ regum linquens merito retinendum [*Nov.*22.)
Summæ reginæ sibi quam sociavit amore,
Regis Rothulfi fuerat quæ filia magni,
Edita magnorum longo de stemmate regum;
Cui nomen clarum dictavit summa parentum
Nobilitas, illam digne vocitans Æthelheitham.
Hæc quoque regalis formæ præclara decore,
Atque suæ causis personæ sedula dignis
Factis regali respondit nobilitati.
Scilicet ingenio fuerat prælucida tanto,
Ut posset regnum digne rexisse relictum,
Si gens ipsa dolum mox non dictaret amarum.
Denique defuncto, quem prædixi, Hluthario,
Pars quædam plebis fuerat, quæ retro rebellis
Menteque perversa propriis dominis inimica,
Restituit Beringarii regnum ditioni,
Quod patre (64) defuncto raptum violenter ab illo
Olim per manus regis devenit [207] (65) Hugonis.
Optato certe qui sublimatus honore (*Dec.* 15),
Detegit invidiæ quicquid sub pectore tristi
Gessit, dum regni deflevit damna paterni;
Felleque plus justo cordis succensus amaro,
Vers. 490.

A Fudit in insontem conceptum quippe furorem,
Injustum vim reginæ faciens Ethelheithæ,
Quæ regnans illi damnum non fecerat ullum.
Nec solum celsæ solium sibi proripit aulæ,
Sed simul ærarii claustris ejus reseratis,
Omne quod invenit dextra tollebat avara,
Aurum cum gemmis varii generis quoque gazis,
Necnon regalis sertum prænobile frontis.
Ornatus nec particulam dimiserat ullam,
Nec timuit propriis illam spoliare ministris,
Obsequiis quoque personis regalibus aptis,
Regalique potentatu, miserabile dictu!
Postremo quoque pergendi pariterque manendi
Quo vellet, libertatem male denegat omnem (*An.*951
Solam cum sola committens namque puella [*Apr.*20).
B Servandam cuidam comiti sua jussa sequenti,
Qui jussis captus regis non justa jubentis,
Non metuit propriam culpæ sine crimine domnam
Clausam carcereis claustris servare cubilis,
Circum diffusis custodum denique turmis,
Ut mos personas est servari scelerosas.
Sed qui de vinclis Petrum tollebat Herodis,
Hanc, quando voluit, miti pietate redemit.
Certe dum variis animo foret anxia curis
Nullaque spes sibimet certi solaminis esset,
Præsul Adhelhardus (66), factum deflens miserandum
Vixque suæ damnum caræ paciens grave domnæ,
Illi transmisit missum mox namque secretum,
Utque fugam caperet monitis suasit studiosis
Ac peteret muris urbem structam bene firmis,
Quæ caput ipsius constabat pontificatus;
C Hic loca præsidii mandans tutissima certi,
Illi condignum quoque præberi famulatum.
His nam regales monitis pulsantibus aures,
Inclita de mandatelis [208] regina benignis
Lætior, exoptat vinclis absolviter artis;
Quid faceret tamen ignorat, quia nulla patebat
Janua, quæ somno pressis custodibus alto
Illam nocturnis pateretur abire sub [209] horis.
Sec nec personam causa famulaminis ullam
Subjectam sibi carcereis possedit in antris,
Ipsius implendis esset quæ sedula jussis,
Ni supradictam solummodo namque puellam
Necnon presbyterum vitæ laudabilis unum.
His ubi continuis narraret cuncta lamentis,
Quæ mœrens animo multum volvebat [210] amaro,
D Voti communis placito visum fuit illis,
Res melius verti, studio si forte latenti
Sub terra foveam facerent fodiendo secretam,
Per quam de vinclis possent evadere duris.
Hæc ita percerte constat completa fuisse
Vers. 541.

VARIÆ LECTIONES.

[205] *ita* 2. Signo 1. [206] *Ita* 2. subclinato 1. [207] *ita* 2. *vox jam erasa, fuisse videtur* dederat. [208] *ita recte conjicit Joannis*; demendat elis 1. demandans Elis *edd. quonam sensu, nescio.* [209] *ita* 2. ab 1; *cf. v.* 548. [210] *ita* 2. volebat 1.

NOTÆ.

(63) Deponens significatione passiva.
(64) Avo, Berengario I.
(65) Scil. plebs.
(66) Regii Lepidi.

Ocius, auxilio Christi præsente benigni.
Nam caute fovea juxta placitum reparata,
Advenit libertati nox apta recenti (*Aug.* 20),
In qua dum somnus plebis perserperet [211] artus,
Tantum cum sociis regina piissima binis [212]
Custodum fraudes fugiens evaserat omnes,
Atque viæ spatium noctis sub tempore tantum
Pertransit, plantis quantum valet ergo tenellis.
Sed mox ut scissis cessit nox furva [213] tenebris,
Atque polus radiis cœpit pallescere solis,
Abscondens in secretis se cautius antris,
Nunc vagat in silvis, latitat nunc denique sulcis
Inter maturas [214] Cereris crescentis aristas,
Donec nox solitis rediens induta tenebris,
Obtegit rursum nebulo terram tenebroso :
Tunc iterato viam studuit percurrere cœptam.
Denique custodes illam non invenientes,
Narrabant factum comiti nuntium [215] tremefacti,
Cura cui conservandæ fuit indita domnæ.
Qui terrore gravis percussus corde timoris,
Pergit cum sotiis illam perquirere multis ;
Et cum deficeret, nec jam dinoscere posset,
Quo regina suum tulerit clarissima gressum,
Detulit ad regem Beringarium timidus rem.
Hic quoque continuo nimiam conversus in iram,
Circumquaque suos subito mittebat alumnos,
Præcipiens illos nullum transire locellum,
Sed caute cunctas jam perlustrare latebras [216],
Si forsan latebris regina lateret in ullis,
Ipseque cum fortis sequitur turba legionis,
Ceu qui vult hostes bello superare feroces,
Et rapido segetem cursu peragravit eandem,
In cujus sulcis latuit tunc domna recurvis
Hæc quam quærebat, Cereris contecta sub alis.
Scilicet (67) huc illucque locum percurreret ipsum,
In quo non parvo jacuit terrore gravata,
Et quamvis circumpositos disjungere culmos
Nisibus extenta cunctis temptaverit hasta,
Non tamen invenit, Christi quam gratia texit.
Ast ubi confusus rediit, nimium quoque lassus,
Præsul Adelhardus mox advenit venerandus,
Induxitque suam gaudenti pectore domnam
Intra namque suæ muros urbis bene firmos,
Hicque sibi digne toto servivit honore,
Donec majorem Christo miserante decorem
Regni suscepit, pridem quam mœsta reliquit.
Denique nostrates quidam, tunc experientes,
Reginam domino desolatam fore caro,
Cujus prædulcem gustaverunt pietatem
Quando [217] per Italiam cœperunt pergere Romam,
Ejus [217] multiplicem recitati sunt pietatem
Crebrius Oddoni [218], magno tunc denique regi,
Vers. 593.

A Augusto sed Romani nunc denique regni,
Nullam dicentes aliam consistere dignam
Tecta sub ipsius thalami regalia duci
Post obitum dominæ flendum cunctis Eadithæ.
Et rex lætatus tantæ dulcedine famæ,
Pectore volvebat tacito per tempora longa,
Quo pacto sibi reginam conjungeret istam,
Quæ fuit insidiis regis circumdata tantis.
Venit et in mentem, prædictum denique regem,
Qui quondam patriis fuerat depulsus ab arvis
Ejus et auxilio citius miserante reductus,
Ingratum fore nunc donis tantæ pietatis ;
Hinc quoque mox aditum sibimet providerat aptum,
Ipsius Italicum juri subjungere regnum.
Hoc ubi colloquio sensit narrante paterno
B Patris amor verus spes et gentis, Liudulfus,
Non sua sollicitans, patris sed commoda tractans,
Præpaucis secum sotiis secreto resumptis,
Italiam petiit, fortique manu penetravit,
Exortans patris imperio populum dare collum ;
Moxque redit clarum referens sine marte triumphum.
Quo rex comperto, populis narrantibus, Oddo [219],
Corde super natum læto plaudebat amandum,
Ipsius causa qui jam discrimine tanto
Audacter subiit gentem turbando ferocem.
Utque labor talis non frustraretur amoris,
Ipse quidem gentem festinus adivit eandem,
Plebis non parva propriæ comitante caterva,
Regalis pompæ vario comptusque decore,
Alpibus accinctas altis intraverat horas.
C His Beringarius compertis [220] obstupefactus,
Non bellum movit regi, non obvius exit,
Sed se salvandum castello protinus apto
Intulit, in tutis posito firmisque locellis.
At rex famosus noster, virtute superbus,
Audacter satis ignotas pertransiit horas,
Italici Papiam regni cepit quoque domnam [221] (*Sept.* 23).
Qua certe capta, cuncti velut agmine facto
Quærentes regem proceres venere recentem,
Certabantque suo juri se subdere magno
Quos nam more suo suscepit mente benigna,
Promittens ipsis ejus munus pietatis.
Si post hæc illi servirent mente fideli.
Istis sic habitis, crebro tractamine cordis
D Reginæ satis egregiæ memor est Ædelheithæ,
Regalem certe cupiens quandoque videre
Ipsius faciem, cujus didicit bonitatem.
Unde quidem mandatelis [222] secretius actis,
Quæ fuerant pacis necnon prædulcis amoris
Sub signo fidei firmæ mandaverat illi.
Vers. 643.

VARIÆ LECTIONES.

[211] *ita corr.* ; proserperet 1. [212] bonis *corr.* binis 1. [213] *itabene* 2. surua 1. *etiam* surda *ferri posset.* [214] *ita Reuber emendavit* maturos 1. [215] multum 2. [216] tenebras 2. [217] *hi duo versus desunt in edd.* [218] Ottoni 1. [219] Otto 1. [220] compertus *corr.* compertis 1. [221] dominam 1. [222] mandat : clis 1 ; *v. infra v.* 651.

NOTÆ.

(67) Id est *Nam licet.*

Hoc quoque suadelis exhortabatur amicis,
Ut celeri Papiam cursu peteret, populosam
Urbem, quam cum tristicia dimisit amara,
Quo, præstante sacra regis pietate perennis,
Hic modo sublimem gaudens captaret honorem,
Quo prius ingentem fuerat perpessa dolorem.
His mandatelis cessit regina benignis,
Et quo jussa fuit, pariter comitantibus ivit
Permultis subjectorum cuneis populorum.
Ut rex hos sensit, cujus mandamine venit,
Ipsius Henricum fratrem præcepit amandum
Hujus in occursum regredi trans litora Padi,
Ut sublimandan regni splendoribus æram (68)
Tanti compositus ducis [223] ornaret famulatus.
Qui studio mentis præcepta sequens senioris,
Egreditur certe cum regali legione,
Castraque reginæ gaudens pettiit venerandæ,
In quis cum sotiis residebat denique multis,
Illam condigne summo comitatus honore,
Donec regali præsentaret faciei.
Quæ merito regi statim placuit satis ipsi,
Eligiturque sui consors dignissima regni.
Tunc [224] rex se novitate rei cernens retineri,
Tempore ne patrias instante rediret ad oras,
Liudulfum placuit carum præmittere natum,
Ut gens Saxonum fortis volitaret ad illum
Et regnum sub patrono staret bene tanto,
Qui parens jussis devota mente parentis,
Ad patriam rediit curam regnique recepit,
Omnia prudenter necnon nimium sapienter
Complens, in patria quæ tunc fuerant facienda.
Interea dux Henricus, regis venerandus
Frater, in Italia cordis conamine summo
Obsequiis operam gessit regalibus aptam,
Offitium non germani solummodo cari
Sed mage jus servi studio complendo benigni.
Hinc non immerito regi placuit satis ipsi,
Est quoque reginæ fraterno junctus amore,
Affectuque pio fuerat dilectus ab illa.
Tunc rex Italicum peragraverat undique regnum,
Primates regni propriæ subdens ditioni (*An.* 95,
His quoque completis juxto votumque locatis,
Ne Beringarius regnum raperet sibi rursum,
Conradum cum non paucis ex agmine lectis
In Papia residere ducem jussit sapientem,
Cui veneranda suæ dederat consortia natæ;
Ipseque continuo rediit cum conjuge clara,
Intendens patriæ sedem festinus adire.
Quem gavisa quidem plebs suscepit venientem,
Altithrono grates spargeus super æthera dulces,
Qui miserando suæ plebis solita pietate,
Quem pius elegit, regem cum pace reduxit.
Vers. 695.

A Hac [225] diu lætitia dignis rebus celebrata,
Advenit dux Conradus cum pace reversus,
Adducens Beringarium supra memoratum,
Ipsius ingenii captum,sic arte profundi,
Gratis ut Oddoni [226] venit se subdere regi.
Tunc idem rex, qui semper fecit sapienter,
Hunc regem certe digno suscepit honore,
Restituens illi sublati culmina regni
Ista percerte tantum sub conditione,
Ut post hæc causis non contradiceret ullis
Ipsius imperio multis longe metuendo [227],
Sed ceu subjectus jussis esset studiosus.
Hoc quoque sollicitis decrevit maxime dictis,
Ut post hæc populum regeret clementius ipsum,
Quem prius imperio nimium corripuit [228] amaro.
Qui se complendis simulans promptum fore jussis,
B Ocius abscessit, patriam lætusque petivii.
Ast ubi sublimem regni possederat arcem,
Læsus suadelis quorundam namque sinistris
Mox infelici graviora quidem juga genti
Infert, vi magna pro despectu sibi facta [229],
Se regnum pretio contestans emere magno,
Nec fore culpandum si jus fregisset avorum,
Sed magis Oddoni [230] culpæ meritum reputari.
Ipsi primates plebis qui venderet omnes.
Hæc res ad regem mox ut pervenit eundem,
In Beringarium justa succenditur ira,
Corde super populi damnis mœrens miserandi,
In meliusque statum [231] studuit [232] convertere rerum.
Et faceret citius, Christi munimine fultus,
Si non fortunæ restaret causa sinistræ.
C Namque decore sui florente per omnia regni,
Cum se gauderet cuuctis fulgere secundis,
Protulit antiqui renovata lues inimici
Fraudis commentum cunctis per secla dolendum [233],
Jam tunc pacificum temptans confundere regnum.
Hoc ut quantocius posset patrare malignus,
Regni rectores primum turbaverat omnes,
Sperans interitum plebis mox esse futurum.
Denique famosi natus regis Liudulfus (*An.* 953)
Ut cognovit amicitiæ signis satis aptis,
Quanto perfectæ fidei dilexit amore
Henricum, regis fratrem, regina fidelis,
Quodque suæ fidei studio se subdidit omni,
Tangitur interni jaculis secreto doloris,
Haut ira fervens, odii nec felle tabescens,
Sed super amisso caræ genitricis amore
D Ex ægri latebris ducens suspiria cordis;
Deceptusque malis permultorum suadelis,
Pertimuit fragilis pro consuetudine mentis,
Quod post non uti donis deberet honoris
Condigni, sed forte locum subire secundum.
Vers. 747.

VARIÆ LECTIONES.

[223] *ita* 2 d. c. 1. [224] *hic codex non distinguit.* [225] *hic codex non distinguit.* [226] ottoni 1. [227] mutuendo 1. [228] contrivit 2. [229] facto 2. [230] ottoni 1. [231] *ita* 2. statuit 1. [232] *ita* 1. statuit 2. [233] *ita* 2. dolentum 1,

NOTÆ.

(68) Id est *heram*.

Quod fieri Christus numquam permitteret æquus,
Si staret regnum justa sub pace quietum.
Ast ubi sub tristi vultu sæpissime patri
Monstratur mœstus, solito nec more serenus,
Sunt qui decepti [234] serpentis fraude dolosi [235] . . .

(*Versus plurimi exciderunt.*)

Sed (69) quo regalem patris hinc augeret honorem.
His rex compertis ex prosperitate fidelis (*an.*957),
Lætatus prolis, tota dulcedine mentis
Hæc illi mandat scriptis extimplo remissis :
« In seculum seculi maneat laus Omnipotenti,
Qui dedit in tantis temet gaudere secundis,
Grates adque tibi dentur, karissime fili,
Quem constare quidem penitus cognosco fidelem ;
Haut obscura tuæ fidei quia signa dedisti,
Cum per te regnum cupiens augescere nostrum,
Signasti nobis proprii decus omne laboris.
Hinc ego gratanter, quæ fecisti sapienter,
Accipiens, vice conversa condigna rependo,
Hoc ipsumque tibi regnum committo regendum,
Imperio subdi nostro quod constituisti.
Præcipioque tibi jussis, dilecte, paternis,
Ut quem victrici populum dextra superasti,
Absque mora tecum facias firmare tenendum
Fœdus, cum juramento structum metuendo. »
Hæc dux Liudulfus decreta legens venerandus.
Lætior ex mandatelis tantæ pietatis,
Jussus cum juramento religat sibi firmo
Ad patris obsequium populum digne moderandum.
His bene dispositis, summo cum fœdere pacis
Ardens absentis faciem meruisse parentis,
Coniugis et karæ dulci devictus amore
Ac prolis geminæ (70) longe post terga [236] relictæ
Posthabitæ fines patriæ placuit repedare,
Quo post exilii pondus nimium grave duri
Posset quandoquidem patriæ captare quietem.
Utque celer morulis hæc impleret sine cunctis,
Non iter optatum pondus tardaverit ullum,
Collectim proprias jussit præmittere gazas,
Ipsius et faciem turbam præcedere totam
Quam belli causa secum deduxerat illo,
Promittens ipsum, vita comitante, futurum
Ad fines patriæ spatii post tempora parvi.
Hoc quoque melliflui verbis signaverat oris,
In quis castellis, in quis voluitque locellis
Sumptus hospicii dignos sibimet reparari.
Hac moti fama nostrates desiderata,
Affectu cordis gaudebant interioris [237],

Vers. 1182.

A Omneque mœroris pondus cunctique doloris,
Quod prius absentis causa tulerant senioris,
Ex animo deponentes, communiter omnes
Causam lætitiæ duxerunt esse supremæ,
Si post paucorum meruissent ergo dierum
Cursus, promissi juxta præconia lœti [238],

(*Versus plurimi exciderunt.*)

Æque (71) ferens (72) sceptrum capitis diademaque [pulchrum (*An.* 962. *Febr.* 2.)
Atque sui cultus omnes regales amictus,
Ornatus sed majoris [239] suscepit honoris
Augusto summo pariter mox conbenedicta.
Hactenus Oddonis famosi denique regis
Gesta, licet tenui Musa cecini modulando.
Nunc scribenda quidem constant, quæ fecerat idem
Augustus solium retinens in vertice rerum ;
B Tangere quæ vereor, qui femineo prohibebor
Sexu ; nec vili debent sermone revolvi,
Qualiter invicti duro luctamine belli
Obtinuit constructa locis castella marinis (*an.*963),
Quæ Beringarius conjunx possedit et ejus,
Ac illum, juramento cogente peracto,
Misit in exilium misera cum conjuge Wiila (*an.*964);
Qualiter et recti conpunctus acumine zeli
Summum pontificem, quædam perversa patrantem
Ejus nec monitis dignantem cedere crebris,
Sedis apostolicæ fraudari fecit honore,
Constituens alium, rectoris nomine dignum ;
Qualiter et regno tranquilla pace quieto
Nostrates adiens, illic iterumque revertens (*an.*966),
Necnon amborum retinens decus imperiorum,
C Ipsius prolem post illum jam venientem,
Scilicet Oddonem, nutricis ab ubere regem,
Ad fasces augustalis provexit honoris (*an.* 967. [*Dec.* 25.)
Exemploque sui digne fecit benedici.
Hæc igitur nostris nequeunt exponier orsis,
Sed quærunt seriem longe sibi nobiliorem.
Hinc ego [240], tantarum prohibente gravedine rerum,
Ultra non tendo ; finem sed provide pono,
Post hæc incepto ne succumbam male victa.
His ita finitis et summatim replicatis,
Est ingens regis pietas oranda perennis,
Qua pius augustos [241] præstet deducere nostros(73)
Instantis vitæ tempus feliciter omne,
Et fultos semper cunctis ad vota secundis,
D Ecclesiæ multos custodes servet in annos,
Nobis solamen dantes clementius. Amen.

Vers. 1517.

VARIÆ LECTIONES.

[234] *ita* 1. deceptum *Celtes scripsit bene.* [235] *finis folii* 148. *Quaternio proximus, quo res annorum* 953, 954, 955, 956 *et* 957 *descriptæ erant, excidit* (*igitur* 388 *circiter versus*). [236] posterga 1. [237] *ita* 2. interiores 1. [238] *i. e.* læti ; *scilicet Liudulfum revisere, qui tamen die* 6 *Sept. ejus anni obiit. Hinc folia circiter sex, vel versus* 290, *res annorum* 957, 958, 959, 960, 961 *et* 962 *usque ad corronationem Ottonis Romanam exhibentes, exciderunt. — Lacunam hic sensit Reuber.* [239] majores *corr.* majoris 1. [240] ergo *corr.* ego 1. [241] *ita corrigo ;* augustus 1.

NOTÆ.

(69) Conclusio legationis vel epistolæ Liudulfi victoris, ex Logonbardia patri missæ, cujus argumentum ex Ottonis responso discere licet.

(70) Ottonis et Mahthildis.

(71) Æque ac Otto.

(72) Scilicet Æthelheidis una cum Ottone Romæ imperiali corona redimita.

(73) Scilicet Ottones.

APPENDIX AD OPERA HROTSUITHÆ.

VITA SANCTÆ HATHUMODÆ

PRIMÆ ABBATISSÆ GANDERSHEIMENSIS.

Auctore Agio presbytero et monacho coævo.

ACCESSIT

DE OBITU SANCTÆ HATHUMODÆ AGII DIALOGUS.

(Apud Pez *Thes. Anecd. nov.* I, III, 288.)

A

PROLOGUS.

Honorabiliter diligendis, et diligibiliter honorandis sanctissimis in Christo Gandesheimensis monasterii sororibus Agius, quamvis indignus gratia Christi sacerdos. Quantum matri olim nostræ spiritali, quantum vestræ simul charitati debeamus, dicere nequaquam valemus. Dicere enim non possumus, vel qualem omnes vos communiter nobis charitatem exhibere consueveritis; vel qualia, et quanta ab ipsa specialiter beneficia consecuti fuerimus. Proinde quia hoc sanctis ejus meritis dignum putamus, quia hoc simul vobis gratum fore non dubitamus, Vitam ejus breviter, inculto licet sermone, transcriptam vobis mittere dignum duximus; ut, quia, quod summopere optastis, jam eam corporaliter intueri et B habere non potestis, in vita quamdam ejus imaginem teneatis, et in exemplis et actibus ejus ipsam vos habere putetis. Quod nos improbabiliter facturos speramus, quia et vitam ejus magna, ut nostis, ex parte noveramus, et dormitioni quoque interfuimus. Unde lectorem primo omnium monemus, ut noverit, nos non falsa aut dubia de ea esse dicturos, sed vera, et certa, et omnibus fere, qui eam nosse poterant, nota narraturos, neque enim alia scribimus, quam quæ omnes passim minores clamant, majores probant. Si quid tamen est quod de sanctitatis ejus declaratione ad omnium indifferenter notitiam pervenire nequivit, sororum quæ ei familiarius adhæserunt, fidei committendum, et testimonio credendum suademus; cognita quippe ejus sanctitas etiam de minus notis dubitare non permittit. Pauca igitur de C singulis attingentes, primum de genere dicendum putamus, ut clarescat, unde, ad quid venerit, et quanta pro amore divino spreverit, contempserit, dimiserit; quanto namque plus quisquam pro Deo dimiserit, tanto majoris meriti apud Deum erit, tanto majorem mercedem apud Deum percepturus erit.

CAPUT PRIMUM

Hathumodæ amplissimi natales. Egregia ejus in pueritia pietatis et eruditionis studia. Sacrum velamen in Parthenone Herfordensi susceptum. Transitus inde ad monasterium Gandersheimense, hujusque præfectura Hathumodæ delata et suscepta. Modus vivendi in Parthen. Gandersheim.

Denique ut de primoribus ejus taceamus, qui omnes et ex paterno genere et ex materno clarissimi fuerunt, quantæ apud sæculum nobilitatis sancta ista et incomparabilis femina fuerit, hinc apparet: quod frater ejus regum neptem in matrimonio habet, soror regis regi filio, digno digna jugalis conjugi juncta est; cæteri infra patriam, qui non majori gloria Christi servitio mancipati sunt, secundum natalium dignitatem honestissimas nuptias sortiti sunt. Pater ejus ex illustrissimo Saxonum genere oriundus, dux orientalium Saxonum fuit; mater ex nobilissima æque Francorum prosapia descendens, in prole nobilior effulsit; ipsa Hathumod dicta, ex bono bonarum arborum semine flos primum jucundissimus, suavissimus postmodum fructus excrevit. Siquidem natalium, ut diximus, dignitate nobilissima mentis sanctitas nobilior fuit; nam ab ipsa statim pueritia quamdam futuræ indolis speciem prætendens, puerilem lasciviam Christiana gravitate mutavit: jocos, et innoxios licet lusus, hujusmodi ætati familiares, in tenero quamvis corpore maturiori animo ut vanos irrisit, ut ad nihil utiles contempsit, aurum, et apparaturam pretiosam, quæ infantes, utpote pulchra, quanquam innocenter concupiscant, neque concupivit, neque habere voluit; nam vestes auro paratas, mitras, vittas, discriminalia, inaures, lunulas, monilia, armillas, dextraliola, strophia, et olfactoriola, ad quæ vel habenda vel portanda plurimarum feminarum inardescit ambitio, et ultro secundum parentum facultatem, et

dignitatem oblata, suscipere recusavit; et contra voluntatem sibi imposita, anxie ingemuit, vehementer flevit. Ecclesiis Christi, quia quod voluit, jugiter non licuit, vel frequentius interesse, et ibi aliquid suæ utilitatis audire, et orationi incumbere gaudebat. Litteras vero, ad quas alii discendas verberibus coguntur, ipsa ultroneo studio appetiit, infatigabunda meditatione addidicit.

Ab ipsa quippe infantia morum secum probitas crevit, et simul cum ætatis succremento, et virtutibus se ipsa quotidie major effulsit. Nam cum ætatis processu sapientia, et gratia apud Deum et homines proficiens, servitium Christi pompis mundialibus, cœlestem sponsum Christum, terreno sponso prætulit; denique fulgentibus parentum tectis ancillarum Dei contubernium anteponens, cum parentum voluntate sacro velamine consecrata, et Herfordensi monasterio, quod eo tempore in sanctimonialium nomine famosissimum erat, sub regulari disciplina nutrienda aliquandiu commendata est. Quem locum deinceps quanta charitate dilexerit, quanta reverentia dignum judicaverit, non facile verbis explicare valemus. Nam cum plerumque cum familiaribus suis loquens, ejus loci mentionem fecisset, felicem se fore dicebat, si iterum sub abbatissæ imperio eis interesse mereretur; feliciorem, si nunquam inde avelleretur. Recordabatur quippe facies et vultus singularum, et omnium mores ante oculos revocabat; hujus charitatem, ejus humilitatem laudabat; illam obedientia præire, hanc patientia præstare dicebat; in una largitatem, in altera abstinentiam mirabatur; omnium vero in communi modestiam, pietatem atque pudicitiam prædicabat. Ubi dum aliquandiu, ut diximus, instruendi gratia commorata bonorum omnium, quantum in ipsa ætate potuit, cunctis exemplum dedisset, postquam pater et mater de Roma, quo orandi causa ierant, cum apostolica benedictione regressi, et sancto Petro familiæque sancti Petri cum omnibus suis commendati, sanctorum corpora papæ Anastasii et Innocentii papæ transtulerunt; denuo revocata in monasterio, quod in propria hæreditate fundatum Domino et eisdem sanctis tradiderunt, cum apostolica auctoritate, et episcopi sui benedictione primo paucioribus, deinde pluribus sororibus est mater spiritalis et electa, et constituta. Ubi cum consororibus suis quanta postmodum corporis castitate, quanta mentis vixerit sanctitate, non est nostræ facultatis evolvere.

Communis omnium vita, communis victus, habitus consimilis erat, qui tamen mediocris, nec nimium scilicet cultus, nec admodum vilis, neque ex integro laneus erat. Quarum nulla cum parentibus, aut quibuslibet hospitibus aut manducabat aut nisi permissa loquebatur; nullus cuiquam, quod plerisque sanctimonialibus mos est, extra monasterium aut ad parentes, aut possessiones subjectas egressus; extra communem refectionis domum vel horam nulla cuiquam manducandi licentia, nisi aliquam infirmitas coegisset; uno omnes constitutæ in loco simul cibum capiebant, simul quiescebant, simul ad canonicos cursus orandi hora conveniebant, simul egredientes, quod operandum erat operabantur. Cellulas intra claustrum proprias aut servitrices nulli habere licebat. Extra in villula ideo habitabant, quia necdum eis ex parte matris spiritalis vestimenta propter rerum insufficientiam dabantur; pauperioribus quæ aliunde habere non poterant, ipsa ministravit. A viris tanta separatio erat, ut nec presbyteri quidem, nisi infirmitatis necessitas poposcisset, claustrum earum ingrederentur, aut aliqua rationabilis secundum officii eorum ministerium causa postulavisset. Hæc sunt quæ eis fere communia cum cæteris fuere.

CAPUT II.

Hathumodæ vita communis, modestia in sermone, victu, vestitu. Studium orationis, benignitas, charitas, etc.

Siquidem ista omnia non solum adimplevit, sed etiam superauxit. Nam ita communem cum cæteris vitam et victum habebat, ut, cum carnis esum certis diebus, et statutis temporibus ipsis non negaret, sibi non indulgeret; ita consimilem habitum habebat, ut, cum a laneis (*cod.*, lineis) ad carnem vestimentis, si quæ hoc vellent, alias arceret, ipsa laneum haberet. Porro cum hospitibus nisi in ecclesia non loquebatur, nisi forte humanitatis gratia cum his refectionis tempore eam esse postulasset. Ad parentes, aut possessiones subjectas nunquam, ex quo illuc venit, egressa est; extra monasterium non dicam cum viro, sed cum nullo prorsus comedit; intra monasterium, licet hoc liceret, non in alio loco quam in communi refectorio manducare consuevit. Ita cum cæteris ad ecclesiam hora orandi conveniebat, ut aut prima, aut inter primas veniret, postrema egrederetur: ita cum cæteris in eadem domo dormiebat, ut ad lectum postrema veniret, de lecto prima surgeret. Servitrices intra monasterium sicut cæteras habere noluit, sic ipsa non habuit: studebat namque sancta et Deo dilecta femina, sicut loco excellebat, ita et vita præstare, studebat sicut nomine, ita et meritis excellere; et idcirco nocturnales cantus prævenire, post matutinales hymnos vigilare, et plura hujusmodi alia agere, quæ ceteris ardua, ipsi propter consuetudinem et nimium in Deum amorem jocunda admodum, et prorsus facilia videbantur. Meminebat quod erat, meminebat quod dicebatur; cogitabat se matrem vocatam, cogitabat se abbatissæ nomine censeri, et ideo prodesse magis quam præesse gaudebat, et amari potius quam timeri cupiebat. Proinde cogitans se non tam honorem quam onus suscepisse, nulli aliquando aliquid interdixit quod ipsa fecisset; nulli aliquid præcepit quod ipsa prius non adimplesset; ita subjectas ad bene agendum factis potius suis et exemplis incitans, quam disciplina cogens.

Talis erat ore qualis opere; talis opere, qualis ore; quia quod docuit fecit, et quod fecit docuit. Et quia divina Scriptura quadrifarie quædam vetat,

quædam jubet, quædam concedit, quædam suadet; ipsa, in quantum humanæ fragilitati erat possibile, vetita nulla commisit; justa quæque fecit; ex licitis illicita fecit; suasa majoris mercedis intuitu arripuit. Nam aperte mala, quæ erant prohibita, non solum opere non fecit, sed etiam mente exsecrata est; aperte bona, quæ erant præcepta, pro viribus adimplere contendit; concessa, quæ pro utentium modo vel bona esse possunt, vel mala, in quibus est: sæculi usus, conjugii voluptas, carnium esus, molliorum et cultiorum indumentorum apparatus, majori cautela sprevit, salubriori consilio declinavit. Suasa, quæ ut altiora neque cunctis præcipi, neque a cunctis adimpleri poterant, in quibus est: sæculi abrenuntiatio, carnium abstinentia, molliorum et cultiorum indumentorum contemptus, virginitatis observatio, ardenter arripuit, perseveranter complevit. Denique molliora indumenta ita contempsit, ut asperiora quoque non nimis culta haberet; a carnibus ita abstinuit, ut cum cæteris cibis et potu necessario panem quoque ipsum parcissime sumeret; sæculo autem non solum exterioribus rebus, sed etiam in animo intus, et voluntate renuntiavit; virginitatis propositum ita caute servavit, ut nullis invidis detrahendi locus daretur.

Nulla in verbis ejus procacitas, nulla incontinentiæ lascivia fuit. Sermo impudicus, et verbum turpe nunquam ab ejus ore processit. Nullus aliquando rixantem, nullus maledicentem, nullus jurantem, nullus detrahentem, nullus mentientem audivit. Nemo eam iratam, nemo turbulentam, nemo multum et inhoneste ridentem vidit. Nulli unquam injuriam fecit, nulli calumniam irrogavit, nulli concivium ingessit. Una omnes secundum qualitates singulorum vel dilexit, vel reverentia honoravit. Consororum suarum ita vitia insectata est, ut summo eas et diligeret, et veneraretur affectu. Una erga singulas pro meritis disciplina usa est; dilexit naturam, odivit malitiam; dilexit quod Christus fecit, odivit quod diabolus adinvenit. Suarum excessus ut proprios flevit; quoties aliqua fide aut mente infirmabatur, ipsa simul ægrotabat; quoties aliqua scandalizabatur, ipsa urebatur; placido tamen semper vultu sereni animi, etiam inter mœstas, et res lacrymosas, serenitatem præmonstrabat. Cæterum fidem vel in Deum puriorem, vel erga homines meliorem, nullus habere valebat. In amicitiis, non aliis quam justis, concedendis cauta admodum et difficilis videbatur, in conservandis tenacissima erat.

CAPUT III.

Ejus in perscrutandis divinis Scripturis sedulitas et solertia, humilitas, patientia in egenos, ac in infirmos liberalitas, hospitalitas. Futurus monasterii status visu nocturno cognitus.

Scripturarum lectioni et ipsa sedula insistebat, et insistentes summopere diligebat; negligentes, quas tamen aliquid proficere posse videbat, minori potius familiaritate quam disciplina ad has discendas cogebat; in his audiendis, legendis, intelligendis majorem cautelam, vivaciorem sensum, saniorem intellectum habere nullus fere hoc tempore quivit. Si qua, ut moris est, interrogare debebat, tam plane et discusse cuncta attingebat, ut ipsa interrogatione sua docere potius quam interrogare videretur. Longum est, si cunctas ejus virtutes singulatim vel attingere velimus. Mira ei charitas, summa humilitas, maxima patientia, incredibilis liberalitas, incomparabilis pietas erat. Quanta namque charitate vel ipsa cunctas dilexerit, vel ipsa vicissim ab eis dilecta sit, testantur tot tantorum lacrymæ, in ejus obdormitione effusæ. Humilitatem vero tantam habuit, ut, cum esset clarissimo, ut in principio diximus, genere orta, et summa apud consorores loco constituta, nulla vel ad inclinandum facilior, vel in verbis humilior, vel in habitu fere vilior appareret. Quid de patientia ejus dicam, cum nullum unquam vel inhonesta increpatione arguerit, vel etiam convicianti asperum verbum retulerit? Porro de liberalitate et pietate dicere aliquid supervacuum est: cum omnes ita attendisset, ac si de propriis visceribus ipsos genuisset. Quis enim unquam inopum, quis clericorum ab ea vacuus recessit? Quis non ejus cibis refocillatus, quis non est ejus bonis participatus? Nonnunquam suis tulit quod aliis tribuere posset; egebat ipsa, ut alii abundarent; esuriebat, ne pauperes esurirent; sitiebat, ne hospitibus potus deesse; in quibus suscipiendis majorem humilitatem, majorem charitatem, majorem humanitatem nemo poterat exhibere, Illis, si persona talis erat, hora convivandi assidere soluta, cum illis de Deo, de cœlestibus, de divinis Scripturis tractare, eos aut interrogare aliquid, aut docere, et ita quidquid humanitatis erat, exhibere; ut curaret, dum corpus exterius pascebatur, ne mens interius otiosa remaneret.

Quam autem sollicita fuerit erga ægrotantes, superfluum est dicere: cum non solum præsentes miro modo, et diversis obsequiis foverit, sed etiam alienos, et longe positos in infirmitate aliqua per nuntios visitaverit, et quidquid illis gratum in cibis esse putaret miserit. Siquidem parvo ante suam infirmitatem tempore, cum pleræque sororum graviter languissent, dici non potest quanta sollicitudine eas visitaverit, quanta eis cura astiterit, quanta sollicitudine inter singularum lectos discurrerit, quanta suavitate singulas allocuta fuerit, quam miris et diversis obsequiis molestiam earum corporalem levigare tentaverit, omnibus quibus poterat modis procurans, ne aut necessaria ministeria, aut quidquam eorum, quæ desiderabant, eis deesset; ac si jam sancta et Deo dilecta femina sciret quantocius se ex hoc sæculo esse migraturam; quod tamen et ex nonnullis seniorum indiciis non solum sibi sed etiam aliis prius præmonstratum esse probatur. Fuere namque ex sororibus quæ signum ecclesiæ maximum cecidisse, et confractum esse in somnis viderint; plerisque visum est sarcophagum sanctorum ruisse, et minutatim solutum fuisse.

Ipsa autem, dum non multo ante infirmitatem

suam cum quodam familiarium suorum loqueretur, inter familiaria quæ cum eo habebat colloquia, etiam monasterii sui statum tenerrimum deplorare cœpit; ad quod cum ille diceret : Tenerum quidem eum esse, sed Dei gratie bonum; de bonitate Dei esse positum, potestate, et misericordia respondit, sibi tamen hoc penitus displicere, quod necdum regiæ tuitioni commendatus esset. Cumque ille rursum diceret, hoc Domino volente citius emendandum fore, utrumque et episcopum suum illis fidelem, et familiarem esse, cujus suggestione hoc fieri posset, et parentes, et alios in palatio fideles eam habere, qui suum optime in hoc voluntatem et adjuvare possent, et vellent : sese quoque ita credere ait, ipsam tamen ad hoc, usquequo fieret, non esse victuram; hoc autem citius esse futurum; de his omnibus, ut Domino placeret, esse debere dixit, se tamen mirandis quibusdam, et sibi prius insuetis insomniis agitari, ipsius super hoc orationum et benedictionem efflagitare. Dicebat enim in somniis se quamdam miræ magnitudinis rotam vidisse, cujus palo diversas animalium figuras insertas haberent, se vero cum plerisque consororibus suis ad axem supra modiolum rotæ intra radiolas quasi quibusdam catenulis esse colligatam, simulque cum rota, quam fluvius subtercurrens mira velocitate circumegerat, circumvolvi; cumque, ut sibi videbatur, stupida timeret, ne in fluvium subtercurrentem decideret, non in fluvium, quod verebatur, sed potius in terram contiguam se decidisse. Quo facto se expergefactam fuisse, et jam vigilantem, jam ad se reversam, membris tamen omnibus præmortuis, et adhuc tremebundis jacuisse.

CAPUT IV.

Tempus mortis, et locus sepulturæ in somno ei ostensus. Sanctus Martinus singulari cultu ab ea honoratus, et sæpius conspectus.

Quibus itidem diebus sæpius sibi visum esse dicebat se levi volasse corpore, et corpore exutam tamen corpoream, et ineffabili nobis modo cœlestibus simul et terrestribus interfuisse. Nam proximis illis diebus se quasi in aere raptam, et omnia monasterii ædificia detecta vidisse, et cuncta, quæ in singulis vel erant, vel gerebantur, aperta suis oculis, et perspicua prorsus fuisse. Inter hæc se in ecclesia quasi quemdam magnum terræ hiatum vidisse; cumque ad hanc visionem summopere doleret, et quomodo hoc evenisset, vel quomodo oppleretur, rogitaret, audisse se vocem dicentem sibi, debere illum opleri, quoniam hoc habitaculum suum esset futurum. Quo dicto audisse se multitudinem psallentium, psalmum centesimum quadragesimum dicentem; cumque perventum esset ad versum : *Hæc est requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*, et illa, ut sibi videbatur, simul cum eis psalleret, expergefactam evigilasse se, et adhuc eumdem versiculum vigilantem in ore habuisse. Quæ licet illa tanquam insomnia narraret, et ille, cui hæc referebat, similiter interpretaretur, longe tamen sibi aliud videbatur, atque hoc, quod postea rerum exitus docuit, statim veritus est. Unde non statim, ne ita eum intellexisse sentiret, sed post modicum eam pro quibusdam, quæ ad maritorum et misericordiarum ejus augmentum pertinere videbantur, admonendam putavit, et pro his sibi supplicandum dignum duxit; quæ illa solita vel erga Deum devotione, vel erga cunctos benevolentia quantum tunc potuit, concessit.

Eodem autem tempore, cum et nos ibidem essemus, et jam discedere vellemus, nequaquam nos permisit paululum subridendo dicens, incertum nobis esse quanto tempore ea frui, et eam videre permitteremur; si citius eam decedere contingeret, tunc nos pœnituros fore, si tunc contra voluntatem ejus discederemus; simulque et per seipsam, et per plerasque sorores suas alias multum nos rogare cœpit; ut, siquidem eam infirmatam audiremus, venire non supersederemus. Ex quibus omnibus non solum conjicere possumus, sed et liquido intelligere valemus, dormitionis suæ tempus sibi præmonstratum fuisse; quod quidem et ex languentium sororum infirmitate, quæ ejus ægrotationem præcesserant divina pietas præmonendum putavit. Igitur cum inter ægrotantes sedula discurreret, ipsa in infirmitatem cecidit, aliquandiu tamen infirmitati reluctata vincere eam, vel potius eludere putavit. Tandiu quippe cum cæteris sororibus in choro ad cursus, in refectorio ad mensam fuit, donec ambulandi officio destitueretur; prius tamen quam morbo ingravescente in lectum decideret, vidit in somniis quasi magnum quemdam campum, diversis florum generibus vernantem, ubi et omnes fere quæ ex sororibus suis juvenili ætate florebant se vidisse conspicata est; cujus pulchritudine et amœnitate cum admodum delectaretur, subitanea sibi conflagratione inarsisse visus est, Tum nimia earum miseratione clamare cœpit, ut Dominus misereretur, ut Christus succurreret ne miseras penitus interire pateretur. Et quia sanctum Martinum semper quadam speciali reverentia excolebat, et in maximis vere necessitatibus eum invocare solebat, ejus meritis et interventu eas ab ignibus eripi supplex, ut sibi videbatur, orare cœpit. Nec mora : quidam sibi splendore et pulchritudine admirabilis astitisse visus est, qui ejus meritis et intercessione, et ignem sopiendum et eas salvandas esse dixit. Ita expergefacta, cum postea somnium plerisque narraret, sanctum Martinum quasi ereptorem suum speciali deinceps ab eis veneratione et obsequiis celebrandum commendabat.

Ipsum vero sanctum Martinum conspicabiliter etiam sibi vigilanti visum esse indubitanter credere valemus ex ejus ipsius narratione et verbis. Nam cum quadam die nonnullæ ex sororibus lectulo illius assiderent, subito clamare cœpit, sanctum Martinum adesse, et in pavimento deambulare, monere sedentes ut assurgerent astanti, ut jocundarent deambulanti; fallere eos vel falli, qui cum defor-

mem, ut in Vita ejus legitur, dixissent, nihil se unquam tantæ pulchritudinis vidisse. Astantes vero licet nihil eorum videre potuissent, ex vultu tamen ejus et continentia, verum esse quod dicebat intelligere valebant. Nam hilerabunda huc illucque per cellulam faciem vertens, manifestum intuentibus indicium dabat, illuc eam oculis sequi, quo cum quasi deambulantem in pavimento videbat, et quamvis, postquam decubuit, nunquam se in aliud latus vertere, nunquam in dextera sui corporis parte jacere voluerit, tunc se sponte, sine alicujus adjumento in illud convertit, et ita sine cujusque molestiæ signo jacuit eo, quoadusque illa visio completa est; cortinam quoque, quæ parieti appendebat, manibus elevare conata, parietem simul amoveri præcepit, ne quod Dei sancto obstaculum foret. Proinde, quod ex præcedentibus signis non dubium erat, in illa parte, quæ in meridiana obvenerat, ipsum assistere, iterum iterumque ad eum contemplandum præsentes cohortari cœpit. Unde patenter intelligi datur, ejus meritis hoc eam contra infirmitatis violentiam potuisse, quem sibi et corporeis oculis conspicabilem dixit, et vere mentis intuitu vidit.

CAPUT V.

Variæ Hathumodæ visiones, quarum narrationem aliorum importunitate interrumpi ægerrime fert.

Eodem quoque tempore, cum in cellula qua jacebat, nullus secum, præter germanas ejus sorores, quæ nec momento temporis ei abesse patiebantur, adessent, et illa clausis oculis quasi dormiens aliquandiu jacuisset, post aliquantum temporis, quis sibi adesset, interrogavit; quæ cum se adesse dicerent, percontata est si aliquid aut vidissent, aut audissent? Ad hæc cum illæ se nihil eorum, de quibus illam interrogare putarent, vel vidisse, vel audisse responderent : Et non auditis, ait, vocem interrogantem, si columba jam parata sit? Erat autem crystallus cum reliquiis sanctorum lectulo ejus appensus, cumque, si tamen rite recordamur, soror ejus Christina diceret, hoc ideo sibi visum fuissse, ut ligamentum crystalli, quod non satis accurate parentum erat, emendaret, hoc ita esse posse dixit; ea enim ut ante febrem, et ipsa maxime febri sibi consuetudo erat, ut si quando quodcunque hoc, quod loqui intenderet, intercepisse, et ad aliud quid invertere conaretur non in eo inhæreret, sed statim ita posse esse respondisset. Maxime tamen in his hoc sibi displicebat, si quando cuicunque aliquid secretius committere volebat, et ipse, cujus fidei hoc committendum dignum duxit, aliquem alium intermiscendum putavit; quod vel ex his quæ sequuntur satis ostendi potest.

Quadam die cum in lectulo jaceret, et soror ejus Gerberga, quæ ei maxims familiaris erat, lectulo ejus atsisteret, quamdam ei secreto visionem, omnibus aliis remotis, narraturam esse dicebat; neque enim se aliquando aliquid tantæ pulchritudinis, tanti splendoris, et tantæ suavitatis aut vidisse, vel audisse. Cumque omnibus abscedentibus, sola cum sola

A remansisset, ipsa adjuvante de lecto elevata, ut aurem ori propius admoveret præcepit. Quod cum illa fecisset, etiam propius, ne quis alius audiret, apponere admonuit; quo facto, cum se jam ad dicendum paravisset, pallere et tremere cœpit. Unde cum ipsa nihilominus timore perterrita interrogaret, si presbyterum Wulfhardum, qui pro foribus stabat, ut ei diceret, vocari vellet, hoc se omnino nolle, nec alicui præter ipsam hoc se dicere velle respondit. Sed cum denuo se ad id, quod intenderat, explicandum paravisset, anxiari tam vehementer cœpit, ut pene decessura videretur. At illa præ timore sola ibi consistere non ausa, memoratum presbyterum citissime vocavit; qui cum veniret, neque illi, neque ipsi quidem sorori hoc dicere voluit, questa non B modicum, quod hoc contra votum et voluntatem suam aperire aliis et divulgare ausa sit. Simili quoque per omnia modo et de matre fecit.

Neque enim ipsa in monasterio tunc erat quando hoc, quod narravimus, factum fuerat; sed postquam audita filiæ ægrotatione advenit, et ea, quæ visitationi ejus congruebant, adimpleta fuerunt, solam eam advocari, et quamdam se ei secreto causam prorsum admirandam dicturam esse memorabat. Cumque omnibus, ut petebat, amotis, soli sola assisteret, se ad dicendum parare cœpit; sed iterum pallere, iterum tremere, iterum anxiari cœpit. Mater filiæ defectum videns, sorori potius Gerbergæ ob familiaritatem earum hoc se posse dicere pronuntiavit. Quod, ubi illa audivit, digitum ori apponens, neque illi, neque ipsi quidem matri, neque cuiquam C hominum hoc se jam dicturam esse testabatur. Quod qua ratione declarare non meruerit, viderit qui possit. Illud sane credibile est, magni eam aliquid et divini vidisse : neque enim parvum et humanum esse poterat, quod vel tantæ pulchritudinis et suavitatis ipsa esse dixerit, vel quod cum tanto tremore ipsa suscipiebat.

CAPUT VI.

Mira Hathumodæ pietas erga matrem, et in auctorem, horumque ac omnium erga Hathumodam amor, et observantia, in extremo morbo maxime.

Sed et nonnulla alia eam vel audisse vel vidisse, liquido patet. Nam plerumque ab astantibus quis esset strepidus et sonitus, quem audiret, requirebat, plerumque admonuit, ut audirent vel qualis tempe- D stas esset, vel in quali mundus commotione, in quali turbulentia, in quali certamine positus foret. Quod quidem ex infirmitatis magnitudine, ut nonnunquam accidere solet, sibi visum fuisse credere possemus, si non ea quæ præmisimus aliud nos credere persuaderent. Illud sane cuivis mirum videri potest, se aliquid horum quæ viderat matri celare potuisse, quia unice eam semper diligebat, unice reverebatur : siquidem ita semper ei, ac si parvula, blandita, ut ancilla in omnibus fuerat obsecuta. Si eam quandoque mœstiorem aliquantulum vidit, variis modis, et miris obsequiis turbatum ejus animum lenire tentabat; et quia librorum lectionem

ei admodum gratam esse sciebat, aliquid se et auditu jucundum, et utile ad memorandum invenisse dicebat, quod ei legere deberet. Quis autem digne explicet quanto gaudio solita erga Deum devotione exsultaverit, quod mater cognita in hoc ejus voluntate ad eam lætificandam se jam ex illo loco non esse ituram simulaverit, Deo gratias agens, et matrem osculis demulcens, ac manibus complexans, atque sororibus, quid sibi promiserit, iterum iterumque revolvens ?

Quod minus mirum videtur, cum etiam nostræ exiguitatis indignissimam parvitatem et sana supra modum excoluerit, et jam infirma immani desiderio videre cupiverit. Nam in ipso statim suæ ægrotationis initio nobis, dissimulato tamen suæ infirmitatis nuntio, ut omnimodis veniremus, mandavit. Vos autem testes estis, et Deus, qui sanctæ animæ hoc tribuere debet, cum quanta exultatione, quantum infirmitas sinebat, nos advenientes susceperit; cum quanta charitate præsentes tenuerit; cum quanta sollicitudine, ut cura nostri haberetur, jugiter admonuerit; cum quanta anxietate et parumper cellula egressos nos requisierit; cum quanta assiduitate nomen nostrum ingeminans plura nobiscum loqui tantaverit, cum quanto dolore nos tam tarde venisse ingemuerit. Parvam rem, ut quibusdam videri potest, extraordinariam, sed tamen affectus ejus erga nos indicem dicturi sumus. Si quando aliter in dolore ad aliquid gustandum adduci non poterat, hac arte sibi persuasum, si aut a nobis transmissum, aut a nobis paratum diceretur. Eo quoque quo advenimus die, cibis coram se allatis, nos vocari jussit, et quantum potuit, coram nobis manducavit, atque consolationis nostræ gratia tam læte se per omnia continere contendit, ut maximam spem evadendæ mortis ejus conciperemus. Jam vero vespere ingruente, cuncta in contrarium versa, gaudium nostrum in mærorem, spem in desperationem commutaverunt, Nam ita morbus ingravescere, et sensim per singula momenta crescere cœpit, ut omnem spem recuperandæ salutis suæ amitteremus, et solam mortem ejus exspectaremus. In qua languoris tamen molestia et meritum ejus erga nos, et vester, sanctissimæ sorores, erga eam affectus et devotio ostensa est.

Primo omnium venerabilis amita ejus, quamvis jam grandæva, et senio confecta, quantum dolor eam adesse permittebat, et indefesse assistebat. Præposita monasterii, etsi multimodis occupationibus pressa, a lectulo ejus nec parumper quidem abscedebat. Decana, et custos ecclesiæ, quantum custodia illis commissa patiebatur, et frequenter adveniebant, et semper adesse volebant. Jam vero reliquæ sorores, quæ in cellula jugiter cum ea esse non poterant, aut in ecclesia psalmis pro eo et orationibus vacabant, aut extra fores cellulæ excubabant. Præcipue tamen germanarum ejus sororum jam antea omnibus nota tunc in eam pietas enituit. Ipsæ lectulo assidere, ipsæ jacenti infatigabunde assistere; ipsæ lectulum componere, pulvillum capiti supponere; ipsam in lectulo elevatam corpore suo sustentare, manus fricare, pedes calefacere, stomachumque confovere; ipsi æstuantem flabello refrigerare, sudorem defluentem linteolo detergere; ipse calidam aquam ad lavandum temperare, cibum parare simul et apponere, et in omnibus quæ agenda erant, singulas prævenire.

Super omnia mater admirabilis dolorem internum vultu placidiori tegens, mœrentes consolari, flentes compescere, singulas alloquio suo delinire studebat; alios ipsa consolatos esse cupiens, quæ semetipsam consolari non poterat. Quantis ipsa gemitibus inter ecclesiam et lectulum filiæ discurrebat! Quantum ante sanctorum tumbam fudit lacrymarum, ne filia privaretur; ut pro illa ipsa moreretur, ut, sicut in hanc lucem prior intraverrt, ita et ab hac luce prior migraret! Aliquoties in ipso ad filiam accessu hæsit, gradumque revocavit; ita fortissima feminarum dubitavit pene quid facere deberet : vocare una, revocare altera; illa hortari ut vel filiæ supremis adesset. Quid igitur faceret? Vocabat pietas, dolor revocabat. Accedebat tamen, sed æstuantem in morte filiam videre non poterat. Discedebat, sed dolenti filiæ abesse non poterat.

CAPUT VII.

Ejus jugis psalmodia, et de rebus divinis sermo. Commatum absentis abbatis, et sodalium animum moranti apud se longius auctori manifestat.

Jamque corpus paulatim deficere cœpit, et tamen meus cœlo intenda firma durabat; canebat una nobiscum plerumque eosdem psalmos, plerumque alios, plerumque quosdam sparsim ex psalterio versus ita connexo sibi ordine junctos, ut eodem spiritu, quo scripti erant, et sanctæ ejus menti inspirati non dubitarentur. Inter psalmodiam et preces, semper in ore ejus Dominus, semper in corde Christus erat; et nisi paululum quasi ad dormiendum oculos obclausisset, semper aut psallebat, aut de suæ animæ salute loquebatur. Peccata sua cogitatione locutione et opere perpetrata jugiter confitebatur, et si quam pro his veniam sperare deberet requirebat. Sæpe etiam de bonorum et malorum in die judicii vel divisione, vel discussione, ovium scilicet a dextris, et hædorum a sinistris, mentionem faciens interrogabat : si quis tunc forte sanctorum, et bonorum alii succurrere, et alium adjuvare posset? Ad ultimum se nostræ fidei, et manibus commendans, etiam sanctis, quorum reliquiæ in nostro monasterio haberentur, se nostræ parvitatis officio commendari postulabat.

Inter hæc, ac si jam iisdem ipsis, de quibus antea loquebatur, interesset, ac si jam judicis tribunali assisteret, sic in hoc, quod videre videbatur, luminibus fixis, formidare, et trepidare cœpit. Nam eam tunc aliqua futurorum vel audisse, vel vidisse, et ex vultus ejus varietate, et ex aliis quas prævidit et prædixit rebus conjicere valemus. Recordari quippe vos, quæ tunc affuistis, non ambigimus, priori

quam decesserat nocte nos simul vobiscum ibidem adfuisse; cumque nos assideremus, vos lectulo ejus astaretis, et illa nescio quid de nostra parvitate immurmurasse videretur, vos putasse, quod nos solito sermone requisivisset; unde cum nos adesse diceretis, illam simul vobiscum nostri causa peccatum habere ait, nos propter se offensam incurrisse, quod præter consuetudinem nostram diutius vobiscum moraremur. Ad quod cum diceremus nihil horum esse, fratribus nostris placere, si quid ad consolationem et solatium ejus facere possemus; ad hoc non missos esse : non ita, respondit, esse; melius esse, si jam discedere, et proficisci maturaremus; verum omnino esse quod dixit: quod quidem regressi ad monasterium, ita fuisse reperimus. Nam fratres nostri infirmitatem ejus tam gravem esse needum scientes, nos tandiu remorari graviter patiebantur, et, ut postea comperimus, eodem fere noctis tempore, quo illa hoc dixerat, domnus abbas inde cum quibusdam fratribus nostris locutus est. Quod etiam nos credere persuadet, tunc quoque magnarum rerum aliquid vidisse, quando frequentius *Euge! Euge!* clamabat, et nos, qui adfuimus, quasi ad audiendum cohortata, quia jam amplius non poterat, *Audite, audite*, sæpius ingeminabat.

CAPUT VIII.

Sanctæ Hathumodæ obitus præsente Marquardo episcopo. Oculi et labia mortuæ moveri visa. Ejus sepultura cum incredibili omnium ordinum luctu.

Aderat eodem ibi tempore cum clericis Marquardus episcopus, et omnia, quæ egressuris necessaria videbantur, in sacri olei inunctione, in ultima reconciliatione, in sacrificii communicatione, solemni more adimplevit. Cantabantur jugiter psalmi, litaniæ et preces dicebantur, legabatur Evangelium, neque aliquid eorum, quæ ante exitum animæ fieri debent, prætermissum est. Jamque paulatim membris omnibus præmortuis, loquela minui, et sensim deficere spiritus cœpit; cum illa tamen lignum sanctæ crucis, quod ibi habebamus, devotius deosculans, oculis in illud intendebat, et aliquid ex psalmis virtute, qua poterat, per intervalla immurmurabat. Convenit autem nobis, ut psalterio a parite inchoato, diligenter attenderemus, in quo psalmo, aut versu obiret; quod satis congruenter sanctis meritis suis provenit. Nam cum in quadragesimo psalmo penultimum versum diceremus : *Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in æternum*, sanctam, ut fidenter credimus, animam cœlo reddens, ultimum spiritum exhalavit. Exspectavimus tamen, ut moris est, si eam forte respirare contingeret, donec subsequentes duos psalmos, decessioni ejus aptissimos, compleremus; ubi jam manifesta obdormitionis ejus indicia patuerunt, et hoc testantia cuncta ecclesiæ signa sonuerunt.

Vix dici potest quantus ad ecclesiam populus confluxerit; quam gemebunda et luctuosa sororum turba ad sanctam ejus animam Deo commendandam convenerit. Quo cum multis lacrymis finito, pleræque ad lavandum, secundum morem, corpus in loco remanserunt, [illegible] interim in ecclesia psalmos [illegible]. Miram rem dicturi sumus, sed tamen sororum, quæ interfuerant, testimonio veram. Cum jam sanctum corpus ad lavandum in cellula [illegible] posita, [illegible] oculos, ut prorsus incolumem levasse, atque labra quasi ad alloquendas astantes movisse. Lavato corpore, et digne linteolis involuto cum digno virginum comitatu, et psallentium choro, [illegible], quæ [illegible] ferebant, præeuntibus, ad ecclesiam humeris sacerdotum deportata est. Ubi quantus omnium gemitus, quantus luctus, quantus planctus fuerit, quis recordari sine lacrymis, quis dicere sine fletu potest? Confusa erant omnia; nec voces cantantium et lugentium discerni quibant: tota quippe ecclesia vocibus plangentium personabat; vox una lugentium erat, se dominam ipsam optimam, se matrem misericordissimam perdidisse; jam non esse, quæ tanta omnes charitate diligat, humanitate suscipiat; quæ tanta liberalitate hospites colligat, tanta misericordia pauperibus succurrat; gregatimque viri et feminæ collectæ, hæ ostendebant vestes ab ea acceptas; illi alia munera ejus beneficio collata præferebant. Interea gregatim turbæ per totam noctem et diem usque ad horam sepulturæ ejus confluebant.

Jam vero, cum ad sepeliendum eam ventum fuerat, majorem nunquam ullus luctum, majorem planctum audire non debuit; nec compesci ullo modo, quamvis sacerdotibus juxta officii sui ministsrium id propter Deum petentibus, potuit; sed si quando aliquantulum cohibitus videretur, major deinde insurgebat a turbis, quæ catervatim confluere non desinebant, quodammodo renovatus. Hoc non solum ipso, et proximis diebus fiebat, sed usque ad trigesimum fere diem. Nobiliores quoque quasi turmulis quibusdam hinc inde convenientes non tam ipsam lugebant, quam tunc verius Deo vivere sciebant, quam se tale bonum, et tantum solatium amisisse, quam sanctam congregationem tali matre destitutam, quam dignissima in matrem ejus tali sobole privatam, quam gloriosissimam sororem ejus dominam nostram reginam tali Germana desolatam fore dolebant.

Ad hæc mater gloriosissima incredibili mentis patientia singulos consolans, singulorum lacrymas compescens, virorum femina, extraneorum mater officium implevit; siquidem quamvis de amissione ejus summopere, licet tacite, doloret, de eorum tamen amore palam gaudebat, neque se prorsus eam amisisse putabat, quam et Deo vivere, et cum Christo esse credebat, et in hominum memoria vivere videbat. Et tamen hæc tanta, et talis femina tantæ fortitudinis in publico, sola, et secreta ultra modum ejusdem filiæ mortem dolebat, et tanto se singularis lacrymis indulsit largioribus, quantum se coram aliis magis cohibuisse videbatur. Vincebatur quippe dolore, vincebatur pietate, quæ in optimo quoque maxime semper solet abundare. Proinde, vos sanctæ

sorores, non tam dolore debetis, quod talem amisistis, quam gaudere quod talem habuistis, imo habetis; Deo enim vivunt omnia, et ideo mortuam vobis non putetis quam Deo vivere non ignoratis. Nam si Christus vobiscum est, imo quia est; ipsa vobiscum simul erit, quam cum Christo esse non ambigitis; ipsa enim eum, ut vere virgo, sequitur, quocunque ierit. Vivit ergo hæc sancta mater vestra vobis spiritu, vivit sancta vita, vivit irreprehensibili conversatione, vivit eximiis moribus, vivit optimis exemplis.

CAPUT IX.

Parænesis auctoris ad sanctimoniales Gandersheimenses, quas S. Hathumodæ virtutes, præcipue studium paupertatis jubet imitari.

Ad hoc quippe ista vobis scribere volumus, ut quia eam jam corporaliter videre non potestis in vitæ ejus sanctitate quamdam, ut in principio hujus opusculi diximus, ejus imaginem attendatis; neque totam a vobis discessisse existimetis, cujus quotidie sanctam conversationem non tam legere ignotam, quam relegere cognitam valetis. Hoc vobis pro regula, hoc pro speculo erit; quia ibi, ubi vita et mores vestri corrigantur, invenietis. Quandiu in carne erat, corporalibus eam passibus secutæ et commitatæ estis; si illuc, quo nunc eam cum Christo regnantem credimus, pervenire vultis, spiritali eam gressu sequi debetis. Ipsa Christum pauperem pau- A percula secuta tantum in hac vita effloruit, ut tempore dormitionis ejus neque funeri saltem necessaria ex suo adessent, sed alieno linteolo involveretur; quamvis summo loco nata, et monasterio præposita, plura, si vellet, habere potuisset. Nec movere vos debet, sanctissimæ sorores, quod tantæ sanctitatis femina difficiliori et longiori aliquantulum exitu ad Dominum transivit; hoc ideo quippe Dominus voluit, ne ei in futuro diceretur: *In hominibus non fuit, et cum hominibus non est flagellata*: hoc ideo Dominus voluit, ut si quid adhuc ex humanæ fragilitati sordibus in ejus mente emundari debuisset, per graviorem exitum purgaretur. Cæterum illa modo, ut oramus, et credimus, Christum sponsum castissima sponsa, ubicunque ierit, sequens canti- B cum illud novum decantat, quod nemo dicere potest, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo et Agno, et in ore eorum non est inventum mendacium, sed sine macula sunt ante thronum Dei.

Decessit sancta hæc et incomparabilis femina tertio Kalendas Decembris, feria secunda, anno incarnationis Dominicæ octingentesimo septuagesimo quarto, indictione septima. Vixit in sancto proposito annis viginti duobus. Omnes anni vitæ ejus fuerunt triginta quatuor, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DIALOGUS AGII

DE OBITU SANCTÆ HATHUMODÆ ABBATISSÆ.

Cum præsens ego supremis fortasse fuissem
  Sanctæ abbatissæ anxius Hathumodæ,
Inter me, sanctasque ejus dignasque sorores
  Sermo satis lugubris tunc fuerat habitus.
Pauca tamen consolandi has dicere causa
  Magnum me harum compulerat meritum.
Sed quia forte recens adhuc dolor ista repente
  Has audire nimis prohibuit lugubres,
Hæc, quæ tunc flendo retuli, nunc versibus edo,
  His quoque nonnulla adjiciens alia.
Hoc ideo, quia hoc ipsæ rogitasse probantur,
  Ut sibi post scriptum hoc ego dirigerem,
Quo se solari, quo hæc possent oculato
  Quæ dixi, more jugiter aspicere.
Unde favens justis harum votis precibusque,
  Paucula tentabo dicere pro merito.
Tu modo me, lector cum his adverte loquentem,
  Et te cum nostro participa gemitu.

AGIUS.

Non dubito fore vos mœstas de morte sororis,
  Et vobis obitum ipsius esse gravem;
C Talis enim mulier non est injure dolenda
  Cui nunc vix aliam mundus habet similem
Optima cunctarum quas ipse aliquando viderem,
  Moribus egregiis, et Domino placitis.
Hanc non plangamus, cum hanc modo plangat et
  Et plangant variis ipsa elementa modis. [orbis.
Hoc siquidem tot tantorum mores docuerunt,
  Hoc nos hic annis præmonuit sterilis,
Egregiam, castam, sanctamque per omnia matrem,
  Hinc migraturam ocius ad Dominum.
Non, rogo, plangamus juvenili flore virentem
  Intempestiva prorsus obiisse die;
Sed tamen iste dolor fore debebit moderatus,
  Debebit vestris esse modus lacrymis.
Sicut enim non est nisi naturale dolere,
  Sit itidem ratio cuncta vetat nimia.
D Quocirca peto vos, charæ sanctæque sorores,
  Ut jam parcatis fletibus et lacrymis.
Parcatis vitæ vestræ, parcatis ocellis,
  Quos nimium flendo perditis omnimodo.
Nam *ne quid nimis* egregie quidam et bene dixit;
  Immo per hunc potius hoc monet ipse Deus.

RESPONSIO.

Hæc, quæ prosequeris, prorsus verissima constant,
  Et scimus nimium omne vetare Deum;
Sed minime nobis nimium hoc esse videtur
  Quod meritis scimus ipsius esse minus.
Quantis namque bonis in hac una careamus
  Haud quaquam digne possumus exprimere.
Hæc soror, hæc mater, hæc nutrix atque magistra,
  Hæc abbatissa, hæc fuerat domina.
Cum hanc æqualem similemque per omnia vitam
  Duximus asseculæ, quamlibet exiguæ.
Unum velle fuit cunctis, nolle omnibus unum,
  Vota fuere una atque eadem studia.
Et nos hanc non ploremus, hanc non doleamus,
  Et suspiremus visceribus cupidis,
Quæ nostræ dulcedo simul, vel gloria vitæ,
  In qua sunt una perdita tanta bona?
Denique de lacrymis, de planctibus atque dolore
  Non unquam nobis credimus esse satis.
Saltem nos lacrymis et planctibus exsatiemus,
  Si non optata nempe licet facie.

AGIUS.

Non nego nunc vobis justum satis esse dolorem,
  Non nego sat justas esse simul lacrymas,
Cum nisi cum gemitu membrum a membro dirimatur,
  Et corpus damnum sufferat ægre suum.
Et tamen hoc tolerat, quod non mediocriter angit,
  Hinc ex naturæ, inde Dei intuitu.
Non solas modo vos tangens dolor iste remordet,
  Me quoque depascit, me magis excruciat.
Nam minime, veluti dignum est, nunc dicere possum
  Quanta ego vobiscum commoda perdiderim.
Vos melius nostis qnanto me semper amore,
  Quantis incolumis foverit officiis.
Vos nostis quanta jam languida sedulitate,
  Qua anxietate meam gestierit faciem,
Quo desiderio susceperit advenientem,
  Et quam mirandis mulserit obsequiis,
Qualiter alloquio fuerit dignata supremo
  Assiduo nomen ingeminando meum.
Hanc ego non plorem tanto mihi deditam amore,
  Quanto nullimodis dicere prævaleo.
Ipsa meis compassa malis ut propria flevit,
  Conque gavisa bonis sic fuit ut propriis.
Ipsa mihi mala reddiderat tolerabiliora,
  Sicut et econtra splendidiora bona.
Cum hac quidquid erat prorsus quod forte volebam,
  Non secus ac mecum ipse loqui poteram.
Me miserum! me infelicem! poterone dolorem
  Unquam mutata solvere lætitia,
Quod tali tantaque simul privatus amica,
  Ipsi cum misere sopte superstes ego?
Sed quid nunc facio, cur luctu forte me ipse,
  Vos etiam flere, vos facio gemere?
Ast hoc ex fragilis carnis propagine venit
  Ut homo defunctos lugeat ipse suas.
Fleverat et Lazarum Dominus, Dominumque Maria;
  Fleverunt sanctos quique pii homines.
Sed modus est, ut præmisi, lacrymis adhibendus
  Et debet luctus non fieri nimius.
Hinc contristari nos Paulus apostolus istis
  Pro charis nostris rite vetat monitis:
Nolumus ignaros, inquit, vos adfore, fratres;
  De jam defunctis, morte sopitis,
Ne tristes sitis, sicut reliquos fore constat,
  Qui vitæ post spem non retinent aliquam.
Si siquidem defunctum modo credimus Jesum,
  Ut surgens mortem vinceret horrificam,
Credamus quoque hos, qui jam dormisse probantur,
  Secum per Jesum tollere nunc Dominum.
Hæc spes nostra, cluit hæc consolatio nostra,
  Nostros defunctos vivere nunc melius.
Hoc modo, hoc vestrum debet lenire dolorem,
  Hoc debet vestras tergere nunc lacrymas;
Hoc vos solari debet, hoc lætificare,
  Hoc animum vestrum erigere ad Dominum.

RESPONSIO.

Hoc certe hoc erit quod nos solabitur unum
  In tam funereo prælugubrique malo:
Quod licet hic ejus corpus tellure tegatur,
  In cœlis animam credimus esse suam.
Hoc nos pura fides ejus sperare suadet,
  Hoc cogit vita credere sanctifica.
Sed quia carnali jam hac non utimur usu,
  Nec hanc conspicimus corporeis oculis,
Ipsius immani desiderio retinemur,
  Ipsius cura angimur immodica.
Hinc gemimus, hinc mœremus, hinc denique flemus,
  Hinc est hæc nostra maxima tristitia.
Nam quia nos miseros hoc amisisse dolemus
  Quod solum nobis maxime dulce fuit,
Nil aliud nobis nisi flere suave videtur,
  Nil nisi lugere, plangere vel gemere.
Sed guia carnali gressu jam nempe nequimus,
  Ipsam nunc nostris prosequimur lacrymis.

AGIUS.

Rara satis, fateor, res est, atque ardua valde
  Et ac re nobis non adeo facilis,
Ut homo carnalis sibi carne perinde propinquos
  Cernere corporea non cupiat facie.
Non solum cupimus, quos novimus ante, videre,
  Sed quoque non notos cernere crebro juvat.
Sic olim reges terræ faciem Salomonis
  Ipsius audita gestierant sophia.
Sed meminisse decet quid Apostolus inde retexit,
  A specie carnis nos removere volens:
Jam nunc tempus hoc est, inquit, quo denuo nullum
  Juxta carnalem nosse decet faciem,
Etsi tempus erat quondam quo denique Christum
  Juxta corpoream novimus effigiem;
Sed minime juxta carnem jam novimus ipsum,
  Nec, juxta humanam, quærimus hunc, speciem,
Jam siquidem Christus pro nobis mortuus exstat,
  Jam carnis fragiles exuit exuvias,
Jam hominem, quem pro nobis susceperat, ultra
  Cœlos ad dextram substituit patriam.

Huc oculos vestros, huc cor, animumque levate,
Illuc mente ite, quo hanc licet aspicere.
Constat enim hanc non bene nunc in corpore quæri,
Non jam carnalem, sed magis æthercam.
Dum quoque cum vivens in corpore juncta maneret,
Hanc extra corpus affore viderimus.
Spiritus ergo suus magis est quam corpus amandum,
Perpes, cœlestis, vividus atque levis
Nam juxta quod ait Dominus: Nunc nil caro prodest,
Spiritus est vero qui modo vivificat.
Corpus enim fore perpetuum nequit et diuturnum,
Et caro mortalis est simul et fragilis.
Occidat ergo prius quo deinde resurgere possit,
Incorruptibilis spiritui similis.
Sic et frumenti granum prius arva recondunt,
Ut possit fructu surgere centuplici.
Sic sata quæque suo modo terra recondit in alvo
Ut valeant frugem post dare multiplicem;
Sic nemorum frondes, quæ vere novo virescunt,
Denudat propriis bruma prius foliis.
Non igitur hanc debetis deducere fletu,
Non hanc debetis prosequier lacrymis,
Mœstificatur enim vestro sacra femina fletu,
Et tristis vestris efficitur lacrymis.
Sic deducenda est in vivorum regionem,
Sic commendanda est sancta Deo anima.
Nec vos flere decet, de qua cœlestia gaudent,
Non lugere decet hic ubi Christus ovat,
Præsertim cum nec lacrymis possit revocari,
Nec fletus prosit omnimodis aliquid.

RESPONSIO.

Vera quidem non ambigimus, quæ dicis, haberi,
Et frustra tantas fundere nos lacrymas;
Sed tamen has ipsæ minime cohibere valemus,
Nec quimus luctum pellere continuum,
Quando recordamur quod talis femina dudum
Nunc immaturo occubitu obierit,
Quando recordamur tam multimodæ pietatis,
Tam puræ fidei, tam nitidi eloquii,
Quando recordamur mores, actusque sacratos,
Vultum jucundum, atque benignum animum,
Cum vitam nostris oculis opponimus omnem,
Cunctorumque sumus nos penitus memores,
Quæ vel sana prius, vel post jam languida dixit,
Quæ fecit variis inclyta temporibus;
Cum loca, queis sedere prius, queis stare solebat,
Mœstæ mœrenti cernimus intuitu;
Cum hæc cuncta simul mœstum cor sæpe revolvat,
Nil nobis aliud nunc nisi flere juvat,
Sic etenim fortasse dolor cordis levigatur.
Dum quasi piis quondam ejicimus lacrymam.

AGIUS.

Non ita fit, neque ploratu dolor imminuetur,
Sed magis excrescit, et quasi flendo redit.
Sicut enim corpus crescente splene tabescit,
Augmentoque suo membra lien macerat,
Sic quoque fomentum quoddam liquet esse doloris
Hos vestros fletus, hunc gemitum, has lacrymas;

A Hæc equidem crebra accendit speculatio horum
Quæ vestris oculis opposita asseritis.
Hæc sunt quæ male hunc vestra lamenta fovendo
Venenis ipsa dulcibus intus alunt,
Nec vos æquo animo modo permittunt tolerare
Quod commune cluit omnibus omnimodis.
Nam cunctis commune mori mortalibus exstat,
Nobis, jumentis, regibus et ducibus,
Servis et dominis, inopi simul et locupleti,
Justis, injustis, sensibili, insipidis.
Nec regum tumidos fastus, proceresque veretur
Mors, nec sublimes, dividit et humiles.
Quis protoplastis poterat fore dignior unquam
Quos Deus ipse suis condiderat manibus?
Et tamen hos ipsos, quos plasmatos paradisus
Sublimes tenuit, hæc modo terra tegit.
B Primi patris Abel justissima denique proles
Dire fraterno occubuit gladio.
Sed licet a Domino pro fratris morte repensus,
Mortem nullo modo quiverat effugere.
Enoch qui Domini nomen primus vocitavit
Interiit juncta posteritate sua.
Enoch, Elia socio nunc usque superstes
Affore prævaluit, mortuus occubuit.
Sem Japhetque patri meritis non dissona proles,
Vixerat in lymphis, nunc jacet in tumulis.
Quid Job nunc memorem, cui tunc bonitate nequibat
Affore par ullus, ut docet ipse Deus?
Quid sanctos pariter natos natasque retexam?
Et pater oppetiit, et soboles obiit.
Melchisedech, cujus finis reticetur et ortus,
C Fini succubuit, initium reprimit.
Abraham, Isaac, Jacob terni patriarchæ,
Magno Adæ junctum nunc refovent tumulum.
Inclyta progenies duodeno stemmate patrum
Jam defuncta suos bis numerat titulos:
Juda, Ruben, Simeon, Levi, Issachar, Zabulonque
Dan, et Nephthalim, Gad, et Aser obiit.
Joseph, Benjamin, Manasen, Ephraimque uterinos
Mater quæ dederat, terra recondiderat.
Atque Joseph abiit, qui de morte eruit orbem,
Quando fames arva presserat attigua.
Membra Aaron vatis mons Or tumbata retertat,
Quem dederat primum lex sacra pontificem.
Eleazar, Phineesque Deo vates, sibi fratres,
Unus post unum pertulit exitium.
D Moysi Dominum facie ad faciem speculantis
Bustum nempe latet, mors obitusque patet.
Dux Jesus Christum factis et nomine monstrans
Et solem statuit, et tamen occubuit.
Quid Jephte, Gedeon, Loth, Samsonque revolvam?
Cui Leo succubuit, hunc fera mors rapuit.
Rex David cujus fuerat de semine Christus,
Goliam stravit morteque stratus obit.
Rex Salomon, quo nemo sapientior unquam,
Nunc jacet in digno cum patre mausoleo
Josiam, cujus Dominus prædixerat ortum,
In bustis regum post legimus positum.
Ezechias, cui ter quinos Deus addidit annos,

Mortam distulerat, non minime tulerat.
Reges atque duces, omnes pariterque prophetæ
Exstant defuncti, in tumulisque siti.
Quis Samuele in prophetis melior fore quivit.
Quis Heliseo major erit merito?
Ille prophetavit; hic vitam reddit humatus;
Et tamen extremum clausit uterque diem
Isaias, qui olim solem retrocurrere fecit,
Mortis commune ipse cucurrit iter.
Danielem, cui tanta arcana Deus patefecit,
Cui tunc nil latuit, nunc gravis urna tegit,
Tres pueros, quos flamma vorax non attigit olim,
Nunc avida prorsus fauce voravit humus.
Ezechieli, Jeremiæque prophetis
Non tulit exitium, qui intulit exsilium.
Ose, Joel, Amos, Abdia, Jonas, Micha, Naum.
Habbacucque sibi Sophonia socio,
Acchærus, Zacharias, simul et Malachias
Bis sex serta modo sunt adoperta solo.
Atque Jonas, qui de ceti ventre erutus olim
Vixit sub pelago, est modo pressus humo.
Judas, Eleazar, Jonothas, Simon, atque Joannes
Cum jam grandævo tunc patre Mathathia,
A patria hostem, gladiumque simul populere,
Et removere a se non potuere necem.
Sed ne femineum sexum prorsus taceamus,
Et nil dicamus hinc pariter penitus,
Sara, Rebecca, Rachel, Debora, Noemi, Ruth ei [Anna.
Holda, Susanna, Judith, et simul Esther obit.
Has inter micat alma sui Machabæa trophæis
Nobilis in sese, nobilis in sobole,
Sed quid sola diu veterum monumenta retexo,
Nec cum his una et novæ commemoro?
Præcursor Domini sanctus Baptista Joannes
Cui nullus fuerat major, hic occiderat.
Corpus Sebaste, caput Alexandria sanctum
Cum Marci sacris continet exuviis.
Primos Ecclesiæ proceres, duo lumina mundi
Petrum cum Paulo Roma tenet merito.
Andream simul et Lucam, quorum modo pollet
Constantinopolis corporibus nitidis,
Istum Bithyniæ, Syriæ provincia misit,
Illum fecunda contulit Achaia.
Joannem, quem sic Dominus quoadusque veniret.
Mansurum dixit, Ephesus alma colit.
Ambos cum Stephano Jacobos Judæa retentat,
Symmis stemmatibus ipsa beata tribus.
Inclyta Hierapolis præfert sacra membra Pilippi,
Et sunt Matthæo Æthiopes nitidi.
Thomam Edissa tenet, habet India Bartholomærum,
Persida stat Judæ et Simonis cinere.
Matthias et Barnabas, Timothæus, Apollo
Sylvanus, Titus, Theophilus, Gaius.
Joseph, Gamaliel, Nicodemus et Nathaniel
Decessere viri, quamlibet eximii.
Longum prorsus erit, si cunctos denique sanctos
Per mundum, metrico exsequar ecce stylo.
Si simul et turbam modo percurram mulierum,

A Quas tenet in sacris schedula sacta libris
Anna prophetissa, Elisabeth, Susanna, Joanna,
Marthaque cum ternis occubuit Mariis.
Ipsa salus orbis et vita per omnia Christus
Ipse subit mortem, ipse tenet tumulum.
Ipsa Dei genitrix semper sacra Virgo Maria
Assumpta ætherea incolit alma loca.
Denique quis mortem se declinare putabit,
Quam cernit vitam ante subisse suam?
Quis pro defunctis mœrorem forte tenebit?
Quis doleat charos mœstus obisse suos;
Cum jam per Christum pax facta, reconciliatus
Jam sit per Christum mundus apud Dominum,
Et sit peccatum pro nobis factus Jesus
Ut mundi cuncta tolleret ipse probra?
B Non hanc ergo brevi vita functam doleatis,
Ne vobis aliud quam Domino placeat.
Nulla magis plena est, nulla est perfectior ætas
Nulla optabilio, nullaque commodior,
Quam hæc, quam Dominus Christus habuisse pro- [batur,
Juxta quod sanctum pandit Evangelium;
Annorum siquidem triginta trium memeratur,
Quem simul annorum ipsa tulit numerum.
Hac ætate liquet fore plasmatos protoplastos,
Et surrecturum omne genus hominum.
Hoc siquidem, hoc est, quod Paulus apostolus inquit,
Cum de his verbis dissereret brevibus:
Donec, ait, Domino hoc occurramus in ævo
Quo nos perfectos jam liquet esse viros:
In hoc ætatis modulo, quo vita peracta
C Tunc Christi fuerat, quando crucem subiit.
Quos igitur potius hinc exsultare decebit,
Quod transfata cito, nunc fruitur Domino,
Quæ breviore via mundi transire pericla
Et reperire citam promeruit requiem.
Transfertur siquidem justus, ne prava voluntas
Cor mutet rectum, decipiatve animam.

RESPONSIO.

Ista quidem fore nixa satis firma ratione.
Nullo modo certe possumus ambigere:
Scimus enim debere mori mortalia cuncta,
Scimus ad occasum tendere cuncta suum;
Sed tamen ingenitus mortalibus ador amoris
Non modo non flere, non sinit et gemere.
Non solum siquidem propter hanc esse dolemus,
D Flemus, lugemus, plangimus et geminus,
Quæ desolatas ejus nos morte dolemus
Nosque lupi miseras morsibus expositas.
Agnos namque gregis percussa matre necesse est
Sive mori teneras, lactis et indiguas;
Aut errabundas lac quærentes alienum
Dentibus insani nempe patere lupi;
Sicut enim Scriptura refert: Pastore perempto
Passim dispersæ diripiuntur oves.
Quod de discipulis Domini dictum seu factum
Scit bene, qui sanctum novit Evangelium.
Denique quæ miseris ovibus spes esse valebit,
Si tunc hoc tantis contigerat ovibus?

AGIUS.

Hoc primum vos nosse volo, geminum fore nobis
Nostrorum affectum cœlitus ingenitum,
Carneus est unus, alter divinus habetur.
Unus cœlestis, terreus est alius.
Sed carnalis amor, charos nos plangere nostros,
Defunctos flere nos facit et gemere.
Sicut e contra divinus ovare suadet,
Cum his salvandis nos sumus indubii.
Quapropter modo vos iterumque iterumque monebo,
Ut dimittatis has nimias lacrymas :
Sicut enim carnalis amor gratus, moderatus,
Sic fiet nocuus, si fuerit nimius.
Quare si fletum vobis hoc forte suadet,
Vos faciat lætas tripudiare fides.
Nam pietas hæc, impietas magis esse probatur
Quando adversa pio diligimus Domino.
Sed quia lenitum jam eredimus esse dolorem,
Credimus his vestrum cohibitum gemitum,
Qui de morte piæ vestræ, sanctæque sororis
Torquebat vestrum omnimodis animum,
Ad hæc, quæ restant, jam respondere studebo,
Quod tamen est certe sat mihi difficile.
Justus enim satis iste dolor cuicunque videtur,
Quo pro se mœret, quo sibi quisque dolet.
Et sane possem modo dicere, quod sapientum
Hæc satis est vera et pia traditio :
Fortem quemque virum quævis incommoda mundi
Forti perferre pectore competere.
Ast hoc femelis teneris grave forte videtur,
Nec hæc res vobis est adeo facilis.
Sed quid agam? an postremum inter solatia dicam,
Quod jam ferme omnes dicere sæpe solent :
Quod minime penitus nos emendare valemus,
Illud debere nos tolerare bene?
Non igitur volo hoc, non hoc volo dicere vobis
Sed quod solari vos valeat merito,
Non fore vos desolatas, non vos viduatas,
Affore nunc matrem prorsus honorificam.
Ipse Deus, qui hanc vobis concesserat, ipse
Vos conservabit, diriget atque reget,
Præterea mater pia, cujus in omnibus ipsa
Usa fuit jugi jugiter auxilio,
In cunctis aderit semper, quoque sedula vobis
Quæ vel tractatis, dicitis aut facitis.
Nec deerit regina soror vobis ubicunque
Forsan regali est opus auxilio.
Non deerunt fratres, non tot, tantique fideles,
Quos late vestrum promeruit meritum.
Præcipue tamen alma soror, velut optima mater
Filiolas precibus proteget assiduis.
Nunc siquidem tanto vobis magis utilis exstat,
Quanto vicina nunc magis est Domino.
Sic olim sacer Elias dum forte revectus
Ad superos curru afforet igneolo,
Spiritus illius duplex requievit in ejus
Tunc Eliseo denuo discipulo;
Et quia cuncta potest Dominus, poterit quoque, si [vult
De minimis ecce hæc eadem facere.

A Non poterit si vult, etiam de cantibus istis
Propitius facere filiolas Abrahæ?
Vos modo ne pigræ sitis, hoc jugiter ipsum
Voto exorare, et prece continua.
Aderit in cunctis vobis, ut diximus ante,
Hæc eadem meritis femina sacra suis.
Ut siquidem vos ipta velit, valeatve juvare.
Posse dat omnipotens velleque proximitas.
Nam licet in cœlum susceptus spiritus exstet,
Nos tamen an nobis hinc abiit penitus;
Vivunt virtutes, vivit quoque vita beata,
Vivit lingua pia, et merita almifica.
Hæc, quia jam faciem nunc nempe videre nequitis,
Nunc coram vestris ponite vos oculis.
Si quid in hac summe vos semper amastis, habetis
B Vitam sanctissimam, magnificum meritum.
Hæc sunt exuviæ, hoc palliolum reverendum,
Quo sursum rapto deciderat Eliæ,
Isto Jordanem tunc divisit Eliseus;
Et falsa a veris vos quoque divitis.

RESPONSIO.

Jam satis est factum nobis hoc affore vanos
Omnimodis fletus, quos lacrymando damus :
Nil etenim prosuns, nec his, quantælibet exstent,
Quosvis defunctos jam facimus reduces.
Nos potius nostra perfuncta sorte sequentes
Hinc quasi de longo ibimus exsilio.
Quare detersis oculis, lacrymisque remotis,
Sedato planctu, cohibito gemitu,
Jam tibi, chara soror, nosmet gaudere decebit,
Quod has ærumnas tam cito transieras.
C Nos flemus, quæ non tecum simul esse merentes,
Hoc certare diu cogimur in stadio;
Nos flemus, quæ in hac convalle sumus lacrymarum,
Tamque diu a nostra differimus patria.
Tu fidei, vitæ stadio cursuque peracto,
Jam renites digno justitiæ bravio;
Nostra fides, noster cursus, quem prorsus habere
Finem prævaleat, in dubio remanet.
Tu jam cum Domine devicto hoste triomphas;
Nos adhuc hostis impedit assidimus.
Te jam portus habet; nos adhuc jactat abyssus.
Te lux vera tenet; nos tenebræ retinent.
Tu cum virginibus comitans, quocunque it, Agnum,
Lilia cum violis colligis atque rosis;
Nos cum coancillis nostris tumulo ecce tuopte
D Flores spargentes ducimus excubias.
Tu jam fata patris, fratrum simul atque sororum
Isthinc nosse vales, inde juvare potes;
Nos etsi bona credamus de munere Christi,
Qualia sint prorsus ambiguæ cluimus.
Chara soror, quæ nosse potes simul atque juvare
Illos nobiscum adjuva apud Dominum!
Pars tua nos cluimus, sicut tu pars quoque nostra,
Te tecum patrem nunc rape, chara, tuum.
Fratres, germanasque simul, simul esse parentes
Quid magis esse decens, qu.d mage dulce potest
Inter se dirimi minime nunc convenit illic
Uno patre satos, uno utero genitos.

Chara soror, desiderium, lumenque tuorum,
  Quam brevis est nobis, nunc tibi longa dies!
Heu, quam in modico nostrum tempore vivens,
  Quam cito tu nobis mortua transieras!
Nunc in cœlesti felix regione locata,
  Nos vel per visus, chara, revise frequens.
Sit saltem mœstis hæc consolatio nobis,
  Ut per crebra ad nos somnia tu venias!
Et jam, chara, vale, dulcedo et gloria nostra
  Nosque tuis dignis, chara, juva meritis.
Te modo submisse, frater dilecte, rogamus,
  Commenda crebris hanc Domino precibus.
Tu tibi testis ades, quantum te semper amarit,
  Nunc illi dignam ipse repende vicem,
Nos etiam minimas ejus de more sorores
  Nunc commendamus ecce tuis manibus,
Ut doceas, moneasve tibi nos more sueto,
  Et nos ipsius semper amore colas.
Mercedem dabit hic vobis, cui serviit ipsa,
  Cujus item famulæ non sumus exiguæ.
Nos etiam solito te semper amore colemus,
  Immo magis colimus, quam solitæ fuimus.

AGIUS.

Gratum valde mihi hoc est, quod dicitis, immo
  Istud nunc ipse debueram petere.
Sed prævenistis sicut meritis, ita causæ
  Istius humili funditus officio.
Unde quia alternum nostrum bene scitis amorem
  Hoc vos affectu diligo teste Deo.
Doctrina vos vero mea non prorsus egetis;
  Est qui vos Dominus instruat interius.
Quidquid in obsequio esse potest, ad hoc fore promptum
  Et me promitto, et fore non dubito.
De patris et fratrum, qui decessere, salute
  Non decet esse nimis vos modo sollicitas.
Una soror, terni fratres obiere tenelli,
  Quod fore hos ipsos approbat innocuos.
Enda soror, quæ jam fuerat conjuncta marito,
  Quod minus ipsa tenet, in sobole illud habet.
Ipse pater quamvis sine sorde nequiverit esse,
  Utpote mundano præditus officio;
Quantis ipse bonis tamen emundare piacla
  Curarit propria, vos bene nosse scio.
Nam licet innumeris mundi curis premeretur,
  A quibus haud opere se quivit exuere,
Romam perrexit, quo, cui concessa facultas
  Solvendi fuerat, solvere se peteret.
Hinc dignos cineres sanctorum rite revectans
  Partem de proprio jure dedit Domino.
Hic sacra sanctorum ossa locans, vos quinque sorores
  Hic divino dedidit obsequio.
Filiolum, quem cœnobio junxit monachorum,
  Ne qua Deo deesset portio forte sui.
Postremo redimens eleemosynis malefacta,
  Ipsaque confessus, mortuus in cinere est.
Quis pietate Dei pro his non judicet ipsum
  Omnimodis dignum crimine fore reum?

A Arsurumne putatis eum, cujus pia facta
  Mundo labent estant sine fine fere?
Stat locus ille Dei, quem tradiderat famulabus
  Quæ pro se juges continuant lacrymas.
Hic chorus ille cluit, quem pridem solvere grates
  Pro se salvato viderat ipse Deo.
Vidit enim in somnis in maceria nimis alta
  [illegible] stare satis trepidum;
Cumque putaretur quasi confestim periturus,
  Quemdam clamasse protinus e latere:
Væ misero, jam, inquit, ruituro, jam perituro,
  Nec spes ulla sibi jam poterit fieri.
Ad hæc ille fide plena: non sic erit, inquit,
  Sed spes prorsus erit, si Deus ipse velit.
Sic pede delapso se demissum pedetentim,
  Et recto utroque rite stetisse pede.
B Hic cœtum magnum versis faciebus ad ortum
  Grates inde pio mox retulisse Deo.
Vidit huic alium non dissimilem fere visum;
  In nimium celsa affore se frutice;
Cumque videretur velut ex alto ruiturus,
  Quemdam dixisse sic sibimet subito:
Si ramum, qui præmodicus sibi proximus esset,
  Fortiter ambabus conciperet manibus,
Se nihil omnimodis passurum nempe pericli,
  Nec quid ei prorsus posse male fieri.
Tunc iterum cœtum, ut dixi, conversum ad illum
  Laudes salvanti concinuisse Deo.
Viderat hoc sane, paucis prius ipse diebus
  Quam foret infirmus, sanus adhuc penitus.
Hæc quid portendant bene vos advertere quitis,
C Et hæc inter se non fore disparia.
Ergo quid in muro renitet, nisi celsa potestas,
  Qua tunc sublatus ipse fuit penitus?
Murus enim factus de saxis pluribus exstat,
  Sicut erat multis fultus hic asseculis.
Sed hic in summo murorum culmine stabat,
  Quod multis unus dux fuerat positus.
Et quia salvari meruit, tunc spiritus ejus,
  Inde ruens rectis constiterat pedibus.
Unde locus vester, quem fundans initiavit,
  Ob hunc salvatum glorificat Dominum.
Nec hoc dissimile est quod post hæc ipse videbat;
  Sed fore hunc visum edocet indubium.
Arbor enim, quæ celsa satis fuerat sibi visa
  Ramis erectis, flore decora satis,
D Inclyta progenies ejus propagoque celsa est,
  Et mundo clara et Domino placita.
Nam quod clara fuit mundo, flos prodigiabat;
  Sed monstrat recta, quod Domino placita.
In hujus summo non stans, sed pendulus hæsit,
  Ipse quod ante potens finierat attiguus.
Summus erat, quia nempe sui generis simul omnes
  Vicit virtute, vicit honore quoque.
Pendulus adhæsit, quia jam nutare potestas
  Vicina morte cœperat ipsa sua.
Huic erat attiguus ramus, quia proxima carne
  Hathumod alma suis juvit eum meritis.
Hic præparvus erat, quoniam hæc femina sexu

Non fuerat famæ ambitiosa suæ.
Hunc hic constringit manibus, quia plurima natæ
Atque coancillis contulit ipse suis.
Hoc meritum, hoc est, quod eum jam jamque la- [bentem
A casu plene eripuit duplici.
Nam quod nobilitas tulit aut terrena potestas,
Hoc eleemosynæ reddiderant variæ.
Vos, qui his uterini pariter cum conjuge digna
Ipsius sitis perpetuo memores.
Hæc etenim, hæc est, quæ ramum prendere palmis
Hæc quæ eleemosynas suasit ei varias.
Vos debitrices simul estis utrique parenti,
Una cum cunctis, quas tenet ille locus.
Quem Domino, sanctisque suis dantes voluerunt
Cunctis communem afore per Dominum.
Vos estis grex ille sacer, quem solvere grates,
Vidit hic in somnis vir Domino placitus.
Quidquid namque boni facitis, hoc ad hoc remeabit,
Qui vobis illum rite dedere locum.
Præcipue tamen hoc ad hanc merito remeabit,
Quæ vos nutrivit, quæ simul instituit.
Qua de re precibus pro hac, quod poscitis, etsi
Ipsius ipse magis indigeam precibus,
Hoc vos nosse volo, ipsius quoadusque superstans
Sum, memor ipse mei me memorem fieri.
Nec de corde meo sua chara recedit imago,
Vel cum dormito, vel potius vigilo.
Denique cum vigilo, de hac vel penso loquorve,
Nocte mihi charam somnia dant faciem.
Nam quoties somnus lassos obducit ocellos,
Protinus apparet, mox aliquid memorat.
Plurima sunt, sed de multis ipse vel unum
Exempli causa dicere nempe volo.
Jam sex transierant noctes, et septima venit,
Postquam discessit jamque humata fuit,
Cum cubitum me vicina jam luce locassem,
Vidi me in vestro esse monasterio.
Ipsam vero loqui mecum de more videbam
Cum de nonnullis, quæ inciderant, aliis,
Tum de regula item nostra, totaque perinde
Vel vita nostra cœnobiique statu,
Cumque mihi librum, si quem fortassis haberet,
Nostri propositi tunc peterem tribui,
Se habuisse quidem, sed jam non prorsus habere
Te Gerberg istum dixit habere librum.
Qui mihi delatus, parvus fuerat mihi visus,
Sed bene conscriptus, et bene compositus,
A Et quo nil unquam vel cordi gratius esset,
Aut ipso certe pulchrius intuitu.
Post ubi de somno lætus mox evigilassem,
Grata satis mihimet visio visa fuit;
Unde die facta mox ipsum fratribus ipse
Nostris exposui, quidque foret retuli.
Te Gerberg abbatissam fore, proque sorore
Vestri tenturam cœnobii regimen.
Hoc etenim portendere regula nostra videtur,
Quam modo tu retines, ipsa prius tenuit.
Parva quidem, quia parvus adhuc grex vester [habetur,
Sed bene conscripta, ob pia facta tua.
Et vere, soror, ut dixi, nil pulchrius unquam,
Et melius scriptum me recolo intuitum.
Quocirca licet et doleam, et semper doliturus
B Me sim vivente, hanc obiisse cito:
Successisse tamen sanctæ te gaudeo sanctam
Ipsique ut carne, sic comitem merito.
Nam quamvis alias quoque vobiscum fore constet,
Quæ possent subdi non modo huic oneri;
Te tamen et sophia simul, et bonitate sciebam
Non injure sibi optime substitui.
Ut siquidem carnis sibi jure propinqua fuisti;
Sic itidem meritis proxima tu fueras.
Denique te nunc nos ejus gaudemus honore
Dudum condignam tunc sibi discipulam,
Sed modo hæredem dignam nihilominus ejus
Sive monasterii, sive pii meriti.
Quæritur ergo in te sacra femina, quæritur in te
Affectus cordis limpidus ille sui.
Illius disciplinæ quædam quasi imago,
C Ejus virtus, quæritur effigies.
Quæritur almificum meritum, mores reverendi,
Lingua perinde pia, vitaque jure sacra.
Quæritur ut generis causa, sic actibus ipsis,
Sicut in affectu, sic et in officio.
Vos etiam sanctæ ipsius, dignæque sorores
Hanc matrem vestram excolite ut dominam.
Quamvis namque cluat vobis genus omnibus unum;
Attamen hæc Christi est munere præposita;
Christi electa loco Christique vicaria constat,
Christo vos agitis, quidquid ei facitis.
Christo, facta sibi, forsan injuria fiet,
Christus honoratur, Christus in hac colitur.
Præterea naturalem vestram quoque matrem
Omnibus omnimodis excolite obsequiis.
D Hoc Domini jussum, hoc vestrum nostis honorem,
Hos nostis vestram affore gloriolam.

INDEX LATINITATIS

IN HROTSUITHÆ OPERA

Revocatur Lector ad ciffras crassiores textui insertas

quando compares dicuntur illi qui inter se comparati ratione superioris domini.

Compassio, pro dolore communi vel mutuo, 75.

Compatior, pro condoleo, 16.

Competit, pro venit, decet, par est, 41.

Completa oratione, pro finita, 68.

Compunctio, pro dolore animi, it. Contritio, it. interior verusque animi dolor de peccatis, it. pro morsu conscientiæ, 38.

Compunctioni vacare, pro pœnitentiæ vel expiationi studere, 41.

Compunctionis lacryma, pro lacrymis ad emendationem animi comparatis, 48.

Conamen, idem quod conatus est poetarum dictio, 131, 165.

Concite, pro confestim, 19.

Concordari, pro consentire, convenire, forma deponentis. Apud bonos auctores in hac forma non reperitur, sed in forma verbi agentis. Deinde *concordari mihi*, non legitur apud eosdem, sed potius *concordare cum aliquo*. Sic Terent. Phorm. A., II, sc. 3. 36, 68.

Concordari meum, pro consensus meus, 7.

Concrepare laudes, pro celebrare, 85.

Condescensio, pro lenitate, mansuetudine, patientia, 41.

Condigne, pro digne, 41, 148.

Condolere alicui, pro dolore alicujus causa, sive dolorem ex re aliqua conceptum declarare, 41.

Condolentes, pro condoleatis, 16.

Conferere injuriam, pro inferre, 28.

Confortare, pro firmare, 65.

Congaudere dolori, pro gaudere super dolore, 28. *Congaudere alicui*, pro una gaudere de aliqua re, vel super aliqua re, 41, 161.

Congesta, substantive, pro collecta pecunia, vel suppellectili pretiosa, 49.

Conglomerare [illegible], pro accumulare vel augere, 26.

Congratulari alicui, pro gratias agere alicui, 64.

Congredi ad aliquam, pro cum aliqua, 61.

Conutritæ, pro enutritæ, 85.

Consentire aliquid, pro in aliquid, 21. *Consentire nostram*, pro consensio nostra, 66.

Consequens est, pro par est, convenit, decet, 41.

Consequentia rerum, pro eventu, 7.

Conspectibus nostris, pro conspectui nostro, idem numero plurium, 10, 18.

Constat, pro est, 117.

Contritulator, pro [illegible], 12, 18, 41, 43, 57, 66.

Contrarietas, pro adversitas, etiam apud Macrobium, 47.

Conversatio angelica, pro consuetudo, familiaritas cum angelis seusu sacro, 38.

Cordetenus, pro ex animo, cordicitus, plane barbarum est, 3, 24, 28, 66, 87.

Corona capitis, est tonsura clericalis.

Crepare, pro rumpi, etiam ap. Virgil., 65.

Cultum deorum, pro cultu deorum, etiam ap. Lactant. 15, 18.

Cum, causis, cum indicandi modo, e. g., *cum is amens mea deceptus est specie*, pro deceptus sit, 25.

Cum voce affari aliquem, pro alloqui aliquem, 99.

Cum felle suffusus, pro felle suffusus, 116.

Cum morte vicisti, pro morte vicisti, 120.

Cunctigena bonitas, pro omnigena, 82, 92.

Curiose, pro omnino, diligenter, 10.

Curiositate frangi, pro angi, vel anxie exspectare, suspenso animo esse, 7.

Cyrographus, *um*, χειρόγραφος. 132, 146.

D

Dactulici moduli, pro hexametri vel epici, 70.

Dactylicis canere chordis, pro heroicum canere carmen, 87.

Dæmonicus, etiam apud Tertul. et alios, 135.

Damnandus mortis, scilicet crimine, 163.

Debrius, pro ebrius, sæpius.

Deducere ocellos aliquo, pro convertere oculos aliquo, 105.

Deferre aliquem pro aliqua re, pro aliquem ob rem, 58.

Dehonestare, pro dedecorare, 18.

Dehonestas, pro dedecus ignominia, 28.

Delectari in aliqua re, pro aliqua re, 30. *Delectari alicujus rei*, pro aliqua re, 94.

Denegare se ipsum, pro renuntiare vel nuntium mittere mundo, 31.

Denique, ad versum explendum vel sexcenties usurpat.

Designare aliquid negligentiæ, pro ascribere, 70.

Desponsare, hoc loco agendi forma, ap. Ciceronem sumitur deponentaliter, ap. Suetonium passive. Vid. Rob. Stephan. Thesaur. hac voce, 33.

De parte nostra, pro a parte nostra, vel a nobis, 47.

Devenire, pro venire, 82.

Devote, pro serio, 41.

Devotio mea, pro religio, pietas mea, pro religio obsequii, 2.

Dialis, pro unius die, 42.

Diatesseron, pro διὰ τεσσάρων. 45.

Dictare, pro scribere, 1.

Dictationis species, pro scriptionis genus, 1.

Dictatiuncula, pro scriptiuncula, 3.

Dictus, substantive, pro sermo, 43.

Diffido, pro dubito, 33.

Diffinitio, pro definitio, 59.

Digestim, pro ordinatio, disposite, 11.

Dignanter, pro æquo animo, 72.

Dignanter, patienter æquo animo, vel benigno, 130, 173.

Dumergere, pro demergere, detrudere, 39.

Dimittere, pro condonare, 29.

Discidium corporale, pro mors naturalis, 43. *Discidium*, pro separatum, ut ap. Prudent, pro discrepantia, 50.

Disconvenit, pro non convenit, 25, 33.

Discretissimus cognitor, pro prudentissimus, 31.

Discutere se ipsum, pro examinare vel explorare sese, 49.

Dispositive, pro nutu, 8.

Disposui, pro conata, vel ausa sum, 70.

Disposuit, 116.

Dissidere alicui, pro dissidere ab aliquo, 66.

Dissonentia, pro discrepantia, 57.

Distractus, pro remotus, detectus, 28.

Districtio, pro justo judicio 27.

Domna, pro domina, 38, 139, 142, 147.

Dragmatica, pro dramatica, 2.

Duculus, pro dux, 112.

Dulcorare, edulcorare, dulce reddere, 7.

Duodenæ Israelis tribus, pro duodecim tribus, 84.

E

Ebibere gustum mortis rapidum, pro repente mori, emori, 116.

Ebriatus, pro inebriatus, ebriare enim nunquam reperitur, 38.

Ebuliens fervor, pro ebulliens, 65.

E contra, pro e contrario nam e contra barbarum est, 74, 77.

Effluentiam verborum mitigare, pro temperare verbis, 58.

Effluere divitiis, pro affluere, 59.

Ei, pro hei, 113.

Elambere, pro haurire, 46.

Elongare, pro differe, 28.

Enarhythmus, pro ἐνάριθμος, 24.

Energumenos, pro ἐνεργούμενος.

Enim, pro vero, 65.

Enim, pro quidem vel certe pluribus in locis, 29.

Enucleam, pro enucleabo, 25.

Enucleare secretum, pro evulgare, enuntiare arcanum, 47.

Eremicola, pro eremi vel deserti incola, 32.

Erudire aliquem aliquid, pro aliqua re, vel in aliqua re, 70.

Esse simplex, pro simplex essentia, 56.

Etenim, pro igitur, 74.

Etenim, pro omnino, 48.

Etenim, pro pariter, 60.

Evacuare sudores vigiliarum,

Pergere patria, pro excedere patria, 115.
Perorare diem lege psalmorum, pro toto die legendis psalmis consumere, transigere, impendere, 76.
Perpes, pro perpetuum, vel perpetuo, Plauto tamen, Lactantio, Capitolino vox non ignota, 3.
Persistere aliqua re, pro persistere in aliqua re, 8.
Perspicuitas pulchritudinis, probitatis, pro excellentia, præstantia, 8.
Perstrepet, pro perstrepat, 108.
Perventio, pro accessio ad locum, 26.
Piari, deponendi forma, pro expiare, 115.
Pietas, pro gratia, e. g. pietatis supernæ illustratio, pro gratiæ cœlestis lumine. *Pietas*, pro clementia divina, 30. *Pietas*, pro clementia, gratia. *Pietatescunctæ*, numero multitudinis, 76.
Pigritari, pro cunctari, 70, 40.
Piscinula, pro piscina, 112.
Placabile, pro eo quod acceptum vel placitum, 66.
Planta, est tota superficies pedis, inferior cum digitis, 41.
Plasmare, pro fingere, creare, formare, plura ejusmodi ex Græcis finxerunt Christiani : ita *charasso*, ap. Prudent., *mastigo* et *colaphizo* apud Cyprianum. De ratione circumcisionis. Jerem. XVIII, legitur de figulo : *Conversus fecit illud vas alterum*. Prosper Aquitanicus scribit, *replasmavit id in aliud*, ἀνέπλασε, πάλιν, ἐποίησε, 56.
Plasmatum, pro recreata vel condita, 30. *Plasma*, pro πλάσμα fictio, vel, ut poetæ loquuntur, factura, 145.
Plenus homo, pro perfectus, 27.
Plexibilis quæstio, pro perplexa, vexata, 68.
Pneumatis almi numen, pro spiritus sanctus, 78.
Podagro, pro podagrico, 105.
Pœnitudo, pro pœnitentia, etiam ap. Pacuvium, 128.
Ponere funus in sepulcrum, pro reponere corpus exanime in sepulcro, 25. *Ponere in custodiam*, pro in carcerem conjicere, 18.
Popellus, pro populus, 74, 81, 81, 87, 130.
Portaret terra consimilem potentem. pro proferret.
Poscere aliquem, pro orare.
Posse, i. e. pro viribus, e. gr. *juxta meum posse*, sic Rudolphus Ardens : *pro posse nostro*, i.e. pro veribus nostris, item *si Deus annuerit posse* apud Hrotsuitham, 1, 3, 13.
Possibilitas, pro facultas, 28.
Possunt, pro possint, 116.
Præcelsas, potestas, pro celsa potestas, 164.
Præcognitor, pro eo, qui præscit omnia, 35.
Præcordialis amor, pro intimus, sincerus amor, 24.
Præfato opusculo, patiendi forma; pro prædicto, vel paulo ante memorato, legitur tamen ap. Senecam, et alios, et sæpe hac forma expressit Arnobius, 4.
Præfigurare in facie, pro præ se ferre vel prodere vultu, 38.
Præmittere spiritum cœlo, pro reddere animam cœlo, 56.
Præpono, pro propono, 66.
Præposita, pro allata, 44.
Præsentare, pro accersere, adducere, facere ut sit aliquis præsens, 20, 57.
Præsicca ligula, pro nimis sicca lingua, 108.
Præsumere, pro audere, arrogare sibi, conari, 36.
Præsumptio, pro arrogantia, audacia, 70. *Præsumptio*, pro levitas animi, vel nequitia vel temeritas, 48.
Præsumptuosius, pro levius, audacius, 48.
Prævalere, pro valere, aut posse, 61.
Prævaricatio, pro corruptela, 36.
Prece, pro precibus, etiam ap. bonos auctores, 76.
Preculæ, pro preces, 82, 86.
Pretium vitæ, pro periculum vitæ, 12.
Primale, pro statim, 112.
Primates parentes, pro primos, 134.
Primitus, pro primum, 84.
Proaulium, pro anteriore aulæ parte, vel cubiculum, seu domus ante aulam. Aliis medii ævi scriptoribus etiam pro aula, quod et salutarium vocatur, quippe in quo excipiebantur salutatui, 19.
Probatur in incommodum nostro imperio, pro imperio non expedit, 14.
Pro certo, i. e. certo, vel certe, profecto, 25.
Prolambens arva fonticulis, pro mundans arva, 106.
Prolambere plantas alicujus, pro accidere ad pedes alicujus.
Prolixitus, pro longinquitas, 67.
Propalare rerum, cum casu patrio sive secundo, pro propalare aliquid, 20.
Properamini, deponendi sensu, i. e. properate, 49.
Propinare mortem alicui, pro accersere, 30, 31.
Proportionatio, pro proportio 44.
Prorumpere in vocem talem cœpit, pro sic orsus est loqui, 166.
Prosapies, pro prosapia, 113.
Prosperor, in forma deponentis, e. c. *quo prosperatur exitum pugnæ*, pro ut prosperent.
Protoplastus mundus, pro primum conditus, 83.
Protrahis, pro differs cunctaris, dubitas, 5.
Proximare, pro proprius accedere, appropinquare, 39.
Pusioli feminei, pro parvæ puellæ, etiam pusiolæ, 61.

Q

Qua, pro ubi, 37.
Quadruplicatus exercitus, pro quadripartitus, 13.
Quadruvium, recentioribus qua- [illegible] partibus, *Arithmetica*, *Astronomia*, *Geometria*, *Musica*, 44.
Qualitas, pro consuetudine, e. g. ex *qualitate rectoris*, i. e. secundum conditionem gubernatoris, 16.
Qualiter, pro quomodo, 41.
Quandoque, pro aliquando, vel olim, [illegible]
Quantocius, pro celerrime, etiam ap. Sulpitium Sever., 10, 29.
Quantum ad me, pro quod ad me attinet, 6. *Quantum attulit*, pro attulerit, extra interrogationem, 62.
Quatenus, pro donec, 8, 66.
Quatinus, prout, etiam ap. Macrobium, 40.
Qui pro modo, 33.
Qui, pro quomodo, e.gr. qui potest fieri, pro quomodo potest fieri, *qui vocatur*, pro quomodo vocatur, 46.
Quia, pro an. 84.
Quid vocaris, pro quomodo vocaris. 46. It. *quid pateris*, pro quomodo pateris, 64.
Quid fieri jubet, pro jubeat, 85.
Quin, cum indicandi modo, e. gr. *quin estis perventuræ*, pro quin sitis perventuræ, 9,
Quivi, pro potui, quod etiam ap. bonos auctores occurrit.
Quo, pro quod, vel quanto præcedente *eo*, e. gr. *eo magis expaveo, quo meminero nullum evasisse*, etc.
Quo, pro ubi præcedente *eo*, 33.
Quo, pro quo magis, præcedente, eo magis, 36. *Quo meruissemus*, pro ut mereremur, 63.
Quoadusque, pro quoad vel usque dum, [illegible]
Quod, pro ut, e. gr. *spero quod attineat*. *spero ut attineat*, 24.
Quo didicisset, pro ut didicisset, 83.
Quo vellent desponare, pro ut desponsent, 83.

R

Receptatrix, pro receptrix, 43.
Recolo, pro memoria recolo, vel recordor, 68.
Recompensare, pro compensare, 68.
Recompensatio, pro compensatio, 41.
Reconcilior, in forma deponentis, 9.
Reformatum, pro emendatum.
Regnat et gloriatur, pro regnat, et in [illegible] est.
Regularis conversatio, pro sacri ordinis sui regula versari, vivere, 39.
Repedare patriam, pro repetere, 79.
Repedari, pro pedibus domum remeare, 95.
Resecare aliquid per [illegible]*tes*, h. e. dividere [illegible] partes, 74.

Retinaculum animarum, i. e. vinculum animarum, 21. *Retinacula mortis*, pro vincula mortis, 30.

Retorquere ingenium in datorem, pro acceptum referre datori, 2.

Retributio, pro præmio, legitur etiam ap. Augustinum 5.

Retributio æterna, pro præmio cœlesti, 13.

Retro tempora, pro ante sæcula, 68.

Retro exorditum natus, pro ante exordium natus, 8.

Reviviscere, pro revirescere, 68.

Robur virilis, in genere mascul. pro quo tamen repositum est *virile*, 2.

Rostro latrat, pro ex ore emittit, excludit.

Ruina, sumitur pro damnum, 41.

Rumpere tristitia, pro deponere mœrorem, 40.

Rumpere in voces, pro erumpere in vocem.

S

Sucelli Gangolphi, pro sancti, vel divi Gangolphi, 109.

Sæculum, pro moribus hominum corruptis, 32.

Samum recipere, pro sanitem recipere, 17.

Sapere nostrum, pro sapientia nostra, 66.

Satis antiquiorem, pro multo antiquiorem, 87.

Scalpsit crimina nudare, pro machinatus est nudare. 113.

Scibilis scientia, pro scientia quæ sub captum cadit vel sciri potest, 46.

Sciscitari aliquem, pro sciscitari ex aliquo, vel percontari aliquem. Hic Hrosuitha Suetonium imitari videtur, qui et ipsa accusandi utitur casu, 11.

Scius, idem quod sciens, 3, 45.

Se, pro ipsum, 114.

Secretum habere ad aliquem, pro aliquid arcani alicui dicere velle, 19.

Secus, pro circum, e. g. *undique secus circumdamur*, pro circumcirca, vel omnibus ex partibus, 10. *Secus me*, pro prope me, juxta me, 35, 47, 53.

Seducere, pro de recto instituto deducere, 38.

Sentiscere, pro sentire, ap. Lucretium etiam legitur, 30, 31.

Sepicolæ, pro parvum sepimentum, 108.

Serenitas pulchritudinis, pro excellentia pulchritudinis, 17.

Serie, pro serio, 2.

Sibi, pro ipsi, 74.

Sibi fertur, pro ipsi fertur, 117.

Sitienter, pro avide, etiam ap. Ciceron., 149.

Solatur patiendi forma, pro solatio afficitur, 87.

Solidandi amoris, pro confirmandi, sensu morali, naturali enim notione etiam ap. veteres occurrit, 7.

Solito, adverbii sensu, pro more solito, consuete, 42. 45.

Sollicitare, pro sollicitum reddere, 37.

Sonipes, pro equo, etiam ap. Virgil., 37.

Sonum sapere, pro recte sapere, 50.

Sospites, pro salus, 29.

Specialiter, pro specialim, etiam ap. Columellam et Quinctilian.

Spera, pro sphæra, it. sphera, ubi *e* simplex mutavimus in diphthongum, 44, 45.

Spiritalis, pro spiritualis, vox Patribus Christianis perusitata, 35, 4.

Spontanea mente, pro sponte, ultro, 41.

Sputa jacere, pro spumare, 16.

Stabilitas, pro constantia, e. g. stabilitas fidei, 9.

Stemma virginitatis, pro auctrice virginum, auctor et princeps virginum, 33.

Stichus, pro versus, 70

Stringere lacrymas, pro compescere lacrymas, retinere, 38.

Strophium heroicum, pro metro vel carmine heroo, 2.

Sua cura, pro ipsius, 73.

Suadela, pro eloquentia, 88.

Suam, pro ipsius, 114,

Sua venia, pro ejus venia, 40.

Sub spem auctoritatis, pro sub spe amatoris, nisi forte legendum sit sub specie auctoris, 37.

Substantia divina, pro Numen divinum, 30.

Substantiola, pro exiguis, parvis facultatibus, 74, 145.

Subtractat sese lucris ab illis, pro subtrahit, subducit, 108.

Subtraxi faciendis, pro subtraxi, me faciendis, vel subterfugi facienda, 5.

Successionibus prosperis, pro successibus, 13, 15.

Sufficientia, pro copia eo, quod satis est, sic sufficientia vigoris, pro sufficienti vigore, 70.

Sui causa, pro ipsius, 112.

Summotenus, pro summatim, 40.

Supercilium montis, pro summitas, vertex montis, etiam ap. Livium et Virgil., 22.

Superficietenus, pro summatim, generatim, 41.

Supergradieris, pro transcendes, vel transgredieris, 33.

Superna gratia, pro Dei gratia, 28.

Superponere equo, pro imponere equo, vel in equum, 41.

Suppellex, pro *p.* duplex, pro supellex, 46.

Supportare laudem alicujus, pro afferre laudem alicui, 77.

Suprema sat crimina, pro maxima, 142.

Surripere prolixitatem vix, pro suscipere longam viam, 47.

Susceptio pauperum, pro sublevatio pauperum, vel misericordia erga pauperes, 13.

T

Tædo vitæ propria, pro tædet me vitæ, 25.

Talentus, pro talentum, 70.

Tangaris de mei passione, pro tangaris meo dolore, contristeris meo cruciatu, 65.

Tegmen religionis deponere, pro tegmen religiosi ordinis, vel vestem religiosam deponere, 37.

Temporalium despectio, pro rerum caducarum fluxarumque contemptus, 33. Utitur etiam Cicero ap. Nonium hoc vocabulo, e. g. *alta despectio.*

Tempusculum, pro breve tempus, 46.

Tenebricolarum rex, pro Diabolus, vel hostis generis humani, 47.

Tenere stirpem, pro habere, 77.

Teneritudo, pro tenero corpore, etiam ap. Varronem, 54. *Teneritudo ætatulæ,* pro tenera ætate, 61.

Tentamentum, pro tentatio, etiam legitur apud Virgilum, Æn. VIII, 144, 134.

Tentatrix dextra, i. e. palpans dextra, 89.

Terratenus, pro in terram vel humi, 10.

Tinnitas responsi, pro sonus responsionis, 36.

Tis, antiquus genitivus, pro *tui*, sic Plautus Mil. A, IV, sc. II, v, 42, 142, 159.

Triduanæ induciæ, pro trium dierum induciæ. Triduanus legitur ap. Apuleium et Hieronymum, 62.

Turpitudinis locus, pro lupanari, 77.

U

Undiquessecus, pro undique vel circumcirca, omni ex parte, 57.

Universale vitiorum, pro universa, 71.

Usia, pro οὐσία, essentia, sive substantia, etiam apud J. J.C. Ulpianum in l. 9. *De contrah. empt.* 43, 74.

Usque, pro donec, 87.

Usque solum status, pro usque ad solum vel in solum, sive terram stratus, prostatus, 108.

Usurpasse servituti luæ castella, pro usurpare, i. e. vindicare usibus tuis castella, 14, 24.

Ut, causalis, cum indicativo modo, e. g. ut non solum gaudent, sed etiam fulgent, pro gaudeant, fulgeant, 17, 34.

Ut dedignautur, pro ut dedignentur, 57, *Ut sentit,* pro ut sentiat, 117.

Utquid, pro quo vel quorsum, 50.

V

Vacare in aliqua re, pro alicui rei, 13.

Vacua spes, pro inanis spes, 25.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

WIGO DECANUS PHYUTWANGENSIS MONASTERII.

HELPERICUS MONACHUS S. GALLI.

SANCTUS DUNSTANUS ARCHIEPISCOPUS CANTUARIENSIS.

ADALBERO REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

FOLCUINUS ABBAS LAUBIENSIS.

JOANNES PAPA XV.

GUIDO II RODIENSIS EPISCOPUS.

S. ADALBERTUS EPISCOPUS PRAGENSIS ET MARTYR.

GREGORIUS PAPA V.

HROTSUITHA VIRGO ET MONIALIS GANDERSHEIMENSIS

FINIS TOMI CENTESIMI TRICESIMI SEPTIMI.

Sancti Amandi. — Ex Typis DESTENAY.